BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVII
E
34
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SAM. L. B. A PUFENDORF

DE

JURE NATVRÆ

ET

GENTIUM,

LIBRI OCTO.

Cum integris Commentariis Virorum Clariſſimorum

JO. NICOLAI HERTII,

ATQUE

JOANNIS BARBEYRACI,

Accedit

ERIS SCANDICA.

Recenſuit & ANIMADVERSIONIBUS illuſtravit

GOTTFRIDUS MASCOVIUS.

TOMUS SECUNDUS.



Francofurti & Lipſiæ,

EX OFFICINA KNOCHIANA.

MDCCXLIV.

Cum Priuil. Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Sereniſſ. Poloniæ Regis Elect. Saxon. ac Reipubl. Helvet.

2

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SAMVELIS PVFENDORFII

DE

IVRE NATVRAE

ET

GENTIVM

LIBER SEXTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE MATRIMONIO.

I. *Tranſitus.*
II. *Matrimonium generis humani ſeminarium.*
III. *An ſit aliqua obligatio ad ineundum matrimonium?*
IV. *Vaga libido iuri naturali repugnat.*
V. *Genus humanum non debet propagari citra leges connubii.*
VI. *Obligatio ad ineundum matrimonium qualis poſſit eſſe ex legibus ciuilibus:*
VII. *Qualis illa ſit ex lege naturali.*
IIX. *Quousque circa matrimonium lex ciuilis diſponere poſſit.*
IX. *Matrimonia irregularia Amazonica.*
X. *Regularis matrimonii leges, & iura.*
XI. *Vnde marito imperium in vxorem oriatur.*
XII. *An illud immediate a Deo conferatur.*
XIII. *An neceſſario inuoluat ius vitae & necis.*
XIV. *An conſenſus, non concubitus faciat nuptias.*
XV. *Vnam pluribus ſimul nubere, aut miſceri neſas.*
XVI. *Polygamia multis populis in vſu.*
XVII. XIIX. *An illa repugnet iuri naturali.*
XIX. *Perfectiſſima ſpecies coniugii, vnam vni iungi.*
XX. *Matrimonium temere diſſoluere neſas.*
XXI. *Adulterium & malitioſa deſertio ſoluunt matrimonium.*
XXII. *An intolerabiles mores ſint cauſa diuortii.*
XXIII. *De ſenſu legis diuinae circa diuortia nonnullorum ſententiae.*
XXIV. *Inprimis Miltoni recenſentur.*
XXV. *Ad matrimonium ineundum requiritur habilitas phyſica.*
XXVI. *De errore circa matrimonium.*
XXVII. *Vni nupta alteri non recte nubit.*
XXIIX. *Matrimonia inter conſanguineos quare vetita.*
XXIX. *Pudor circa partes genitales vnde?*
XXX. *De nuditate.*
XXXI. *Origo pudoris naturalis.*
XXXII. *Connubia inter parentes & liberos neſaria.*
XXXIII. *Ebraeorum ſuper hac re ſententia.*
XXXIV. *De connubiis fratrum & ſororum.*
XXXV. *De reliquis gradibus prohibitis.*
XXXVI. *De nuptiis minus ſolennibus.*

SEQVITVR [1], vt inueſtigemus tum originem & naturam imperii humani, tum quae praecepta iuris naturalis & gentium illud praeſupponunt. Sed cum imperium non niſi inter plures

poſſit

§. I. 1) Series dicendorum in Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 2. aliquantulum ab ea huius loci diſfert, & forſitan melior eſt. Declarat enim ſtatim AVCTOR ipſe, ſe conſequenter iis, quae propoſuit

poſſit intelligi, & vero ſacrarum literarum auctoritate conſtet, abs Deo vnum duntaxat, par hominum ab initio fuiſſe productum, ad quod, quidquid eſt mortalium, ſuas refert origines; igitur priusquam de imperio ciuili agamus, diſpiciendum fuerit de matrimonio, ex quo familiae proueniunt, & vnde imperiis & ciuitatibus conſtituendis velut materies oritur [2]. Nam quemadmodum corpus humanum ex diuerſis membris componitur, quae & ipſa in ſe conſiderata corporum inſtar prae ſe ferunt: ita & ciuitates ex minoribus ſocietatibus conſtant; quarum quaedam vocantur ſimplices & primae, caeterae paulo magis compoſitae, & fere collegiorum nomine veniunt. Illarum tres ſunt, *ſocietas maritalis*, *paterna*, *&* *herilis*. Quae ideo ſic dicuntur, quia ex aliis minoribus ſocietatibus non componuntur; non quia eas plures duabus perſonis non ingrediuntur, vti Ioh. Frid. HORNIVS de Ciuitate L. I. c. I. §. 2. docet. Nam quid prohibet, quo minus vnus pater plures liberos, & vnus dominus plures ſeruos habeat; qui tamen inter ſe non minus ſimplicem ſocietatem conſtituunt, quam ſi vnus duntaxat filius vni patri, aut vnus ſeruus vni domino foret. Caeterum a matrimonio recte auſpicium ſumi huius tractationis docet etiam PLATO de LL. L. IV. [p. 835. A. Edit. Wech. Ficini.] ATHEN. *Dic age per Deos quam legis conditor primam legem conſcribet? An non ſecundum naturam primum generationis in ciuitate principium ante omnia legibus exornabit?* CLIN. *Plane.* A. *Principium autem generationis omnibus ciuitatibus nuptiarum conuentus atque communio.* C. *Vtique.* A. *Quare ſi nuptiales primum leges ponantur, bene ad omnem ciuitatem recte conſtituendam poſitae* [3] *videbuntur* [4].

§. II. POSTQVAM igitur morti obnoxium fuerat redditum genus humanum, ne aut noua ſemper ſtirps creando eſſet ſufficienda, aut tam nobilis ſpeciei duratio vnius aetatis ſpatio extingueretur, ſapientiſſimus Creator proſpexerat [1] diſcrimine ſexus, & naturali facultate indita commixtis corporibus ſeſe propagandi. Idque ne fortaſſe per incuriam, aut ob moleſtias partus aut educationis mortales omitterent; mutuam ſexuum in ſe inuicem propenſionem, & acres ſtimulos, ſimul ardentiſſimum in prolem affectum inſeuit [2], vt li-

poſuit ſupra L. I. c. 7. §. 7. pergere ad ſtatus Aduentitios, ſeu eos, in quibus homo, facto aliquo humano praecedente, conſtitutus ſit, quorum quatuor numerat, 1) matrimonium, 2) poteſtatem patriam, 3) herilem & 4) ciuilem.

2) Fuerunt enim familiae ſegreges, antequam eae in ciuitates demigrarent. Poſtquam igitur AVCTOR in ſuperioribus libris de principiis vniuerſalibus, & de iuribus, quae in naturali ſtatu locum habere ſolent, egit, non temere nunc tranſitum facit ad partem iuriſprudentiae huius inſignem, quae iura familiae, ſiue τὸ δίκαιον οἰκονομικὸν ARISTOTELI dictum v. Eth. 10. complectitur. H.

3) Γαμικοὶ δὲ νόμοι πρῶτοι κινδυνεύουσι τιθέμενοι, καλῶς ἂν τίθεσθαι πρὸς ὀρθότητα πάσῃ πόλει. Add. DION. HALICARN. L. II. c. 24. pag. 91. in fine. Fragmentum Hieroclis, quod HERTIVS laudat, integrum referri meretur. Monet in eo Philoſophus, Nuptiis nihil magis neceſſarium eſſe, quoniam genus humanum ad ſocietatem natum ſit, & matrimonio prima & ſimpliciſſima ſocietatum omnium contineatur. Neque enim ciuitas vlla, addit, ſine familiis reperitur, neque familia perfecta, ſi paterfamilias caelebs ſit. Ἀναγκαιότατός ἐστιν ὁ περὶ τοῦ γάμου λόγος. Ἅπαν μὲν γὰρ ἡμῶν τὸ γένος ἔφυ πρὸς κοινωνίαν. Πρώτη δὲ καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν, ἡ κατὰ τὸν γάμον. Οὔτε γὰρ πόλεις ἂν ἦσαν, μὴ ὄντων οἴκων· οἶκός τε τῷ ὄντι ὁ τοῦ ἀγάμου· τέλειος δὲ καὶ πλήρης ὁ τοῦ γεγαμηκότος. HIEROCLES de Nuptiis, apud Stob. Serm. LXV. p. 300. Ed. Hier. Needham.

4) Et HIEROCLES Libro de nuptiis: Πρώτη καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ τὸν γάμον. *Prima & exordialis ſocietas eſt, quae fit per nuptias.* Adde eam maxime naturalem eſſe & arctiſſimam. ARISTO-

vt libenter & iucunde obirent, citra quod mortalium genus perdurare non poterat; ſic vt in *delectationibus animantium maior ſit voluptas generandi, quam paſcendi:* quod obſeruatum BACONI DE VERVLAMIO de Augm. Scient. L. VII. c. 2. SENECA Hippolyto v. 466. *Prouidit ille maximus mundi parens. Cum tam rapaces cerneret fati manus. Vt damna ſemper ſobole repararet noua, Coelibem vitam probet Sterilis iuuentus, hoc erit, quidquid vides, Vnius aeui turba.*

§. III. CIRCA matrimonium primo inquirendum, an ad illud ineundum, ſobolemque generandam homines, caetera habiles, vlla obligatione teneantur? Nam non minus circa hoc, quam alia, ad quae naturali adpetitu homo fertur, vt eſt conſeruatio ſui ipſius, amor & educatio ſobolis, quidam dubium mouent, quaſi iſthaec lege naturali non ſanciantur. Eo quippe opus non fuiſſe, cum iam antea inſtinctus, & adpetitus ſenſitiuus in talia ſat valide propellat. Enimuero vsque adeo non ſequitur, ius naturae iſta non praecipere, quia in eadem inſtinctus naturalis fertur; vt potius exinde adpareat, naturam iſta quam accuratiſſime voluiſſe obſeruari, vtpote incolumitatem generis humani immediate conſeruantia: dum velut diffiſa ſoli rationis dictamini eidem ſuccenturiari iuſſit inſtinctum ita vehementem, vt difficulter admodum homo in contrarium niti queat. Add. OPPIANVS Cynaeget. L. III. v. 107. ſeqq. & HALIEVT. L. I. v. 702. ſeqq. Quotusquisque enim liberis operam daret [1], qui ſaepe materiam dolendi, ſemper curarum & laborum praebent; ni ſuper rationem etiam naturalis inclinatio eodem traheret? (vid. EVRIPIDES Medea v. 1090. ſeqq. Et HIPPOL. Coron. 616. ſeqq.) Intercedente cumprimis actu non adeo graui, & conſortio mulierum, quod ſapienti vile iuxta ac taedioſum citra iſtas illecebras foret. Add. VALER. MAXIMVS L. VII. c. 2. §. 1. ext. Mich. MONTAIGNE Eſſais L. III. c. 5. p. m. 137. CARTESIVS de Paſſion. art. XC. Equidem nouimus, multum differre, inſtinctum naturalem, & dictamen rationis; in compluribus quoque ea in diuerſum tendere; & iſtum huic reluctantem eſſe compeſcendum; quod ipſum poſ-

 ſe

ARISTOTELES IIX. Eth. 12. Ἀνδρὶ δὲ καὶ γυναικὶ φιλία δοκεῖ κατὰ φύσιν ὑπάρχειν. *Quae enim inter virum & vxorem amicitia eſt, maxime ſecundum naturam videtur eſſe.* Idem alibi: Κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄῤῥενι μάλιστά ἐστιν. *Per naturam maxima ſocietas eſt inter marem & foeminam.* MENANDER:

Οἰκεῖον οὕτως οὐδέν ἐστιν, ὦ Λάχης,
Ἐὰν σκοπῇ τις, ὡς ἀνὴρ καὶ γυνή.
Nil adeo, ſi rem ſpectes vt oportet, Laches,
Coniunctum eſt, quam ſuus vir & materfamilias. H.

§. II. 1) Quod dictum Auctoris quum diſpliceuiſſet Theologis quibusdam, ita cauſſam ſuam tueri ſategit PVFENDORFIVS in Specim. controuerſiar. circa ius naturale c. 3. §. 7. „Et quia omniſcius Creator illum caſum vtique praeuiderat, eidem quoque velut euentualiter proſpexiſſe per diſcrimen ſexus, & facultatem propagandi, ne genus humanum vltra aetatem vnius hominis non duraret. Eoque per ſapientiam Creatoris generandi mediante ſexus diuerſitate vſum habuit in ſtatu hominis tam integro, quam corrupto. In illo enim ſtatu prouentura erat ſoboles primae integritatis haeres, vt plures Deus haberet cultores; in altero autem ſtatu prouentura erat ſoboles corrupta, ne, per irrepentem ex peccato mortem, intra vnam aetatem genus humanum interiret, poſtquam Deo viſum non fuit, extincto priore, nouum genus hominum innocentium denuo creare; eoque maluit orbem terrarum a corruptis hominibus incoli, quam plane deſertum iacere.“

2) Vid. ſupra L. IV. c. 11. §. 3. H.

§. III. 1) Quod autem de maribus commemoratur, multo magis de feminis dicendum eſt, propter partus dolores, & tot alia matrimonii incommoda muliebria.

ſe animi ſit non degeneris. Enimuero quanquam ſolus inſtinctus per ſe non obligat; contingit tamen, vt ad aliquid obligemur, ad quod per inſtinctum quoque inclinabamur [2]. Neque vero ideo mater a peccato in legem naturae immunis eſt, quae prolem occidit infamiae vitandae cauſa, licet inſtinctum erga prolem alio inſtinctu, nempe metu & fuga infamiae ſuperet, vti arbitratur Graswinckel ad Grot. L. I. c. 1. §. 11. Nam non ſolo matris inſtinctu, ſed & lege munita erat infantis vita. Et noſſe debebat mater, minoris eſſe infamiam ſuam, quam mortem eius, qui ex actu exſiſtit, in quem ipſa antea conſenſerat. Vnde ſi famae cura pluris ipſi erat, quam voluptas coitus, aut amor ſobolis, ante admiſſum virum expendiſſe id debebat [3]. Poſt hautquidquam proles mori meretur, ne parentem pecaſſe innoteſcat. Denique contracto matrimonio, cum foecunditatem praeſtare coniuges non poſſint, (vid. Geneſ. XXX, 1. 2.) aeque legi naturae ſatisfecit, qui paucorum, quam qui multorum parens liberorum factus eſt. Nec habet, quod peccatum metuat, cui ſterilis vxor obtigit. Seneca L. II. Controu. 13. *Non reſpondet ad propoſitum, nec ad certum diem foecunditas; ſui iuris rerum natura eſt, nec ad leges humanas componitur: modo properat, modo vota praecurrit, modo lenta eſt, & demoratur. Non ex formula natura reſpondet, neque ad praeſcriptum caſus obſequitur. Licet lex dies finiat natura non recipit,*

§. IV. Sed vt diſtincte procedamus, illud primo ſatis conſtare arbitramur, iuri naturali non congruere illas libidines, quae nullum alium finem praeter obſcoenam titillationem habent. Quo acriores enim ſunt ſtimuli, queis in Venerem homines ſolicitantur; eo magis legi naturali curae eſt, ne per iſtos decorus ordo, pacificae ſocietati neceſſarius turbetur, quin potius iidem ad combinandos hominum animos inſeruiant. Inde damnatur flagitioſa illa foeditas, qua quidam in brutorum corpora, aut parem in ſexum feruntur. Quod vitium tantopere quondam apud Graecos inoleuerat, vt Platoni L. IIX. de LL. arduum videatur, in perfecta ſua ciuitate Graecanica legibus id compeſcere [1]. Phocylides: *Neque cum brutis animantibus ſcanſorium cubile intres. Neque infamia affice vxorem per turpes lectos. Nec tranſcendas naturae concubitus Venere illicita. Ne ipſis quidem brutis mas conſcuſit in concubitum. Neque etiam foeminae lectum virorum imitentur.* Plinius L. X. c. 63. *In hominum genere maribus diuerticula Veneris excogitata, omnia ſcelere naturae foeminis vero abortus. Quantum in hac parte multo nocentiores quam ferae ſumus.* Add. Aeschines Orat. in Timarchum. Scilicet vti Critias dicebat: *Κάλλιστον εἶδος ἐν τοῖς ἄῤῥεσι τὸ θῆλυ, ἐν δ' αὐτοῖς θήλεσι τὐναντίον. Pulcerrima ſpecies inter mares*

2) Exemplo ſit conſeruatio ſui. V. ſupra L. II. c. 4. §. 16. H.

3) Inſtabit femina, id ſe a vi inſtinctus ſui impetrare non potuiſſe. Quod interdum credibile eſt, ſi de momento decretorio ſermo ſit. Sed potuerant & debuerant inſtinctui huic antea ne in iſtam vehementiam exardeſceret, fomenta ſubtrahi, ſobrietate, precibus & aliis exercitiis pietatis, & fruſtra Naturam accuſat, quae motus & concuſſiones eius ſopire & edomare potuiſſet & debuiſſet.

§. IV. 1) Vſum nefanda hac Venere Solonem, teſtatur Plvtarchvs in Amatorio, & Zenonem, Stoicae ſectae Principem, Diogenes Laer-

mares quidem foemina, inter foeminas autem e diuerſo. Dio Chrysostomvs Orat. de Pulchritudine. Vbi obiter monendum, quod cum legibus Turcarum maſcula Venus deteſtabilis habeatur, illi bello captis pueris foede ſoleant vti, iactantes, quod de rebus bello partis quiſque pro lubitu diſponere queat. Vti obſeruat Scipio Ammiratvs Diſc. L. V. c. 5. Contra apud Peruuianos tam deteſtabile id vitium habebatur, vt qui per rixam alterum eo vocabulo adpellauerat, per aliquot dies velut infamis eſſet, ob tam foedae rei nomen ore vſurpatum. Garcilass. de la Vega Comment. Reg. L. III. c. 13. [a] Sed & regularem ſexuum commixtionem cum non voluptatis cauſa, ſed ad propagandam ſobolem natura fuerit commenta; vtique intentioni huius repugnant, qui nihil heic ſpectant aliud, quam vt pruritum iſtum demulceant. Martialis I. Epigr. 91. *Commenta es dignum Thebano aenigmate monſtrum; Huic vbi vir non eſt, vt ſit adulterium.* Equidem quibusdam perſuaſum eſt, complures gentes hanc partem naturalis libertatis cenſuiſſe, vt innupti innuptaeque corporis ſui copiam inuicem commodandi haberent licentiam, etiam deliciarum duntaxat, & voluptatis cauſa, gratis, aut pacta mercede. Sic Seldenvs L. V. c. 4. ex Ebraeorum doctoribus oſtendit, ante legem Moſaicam licuiſſe foeminae innuptae, ac nondum deſponſatae ſui copiam corporis gratis aut pro mereede facere ſine conſenſu in vitae communionem. Sed ex lege Moſaica eiusmodi innuptarum concubitus primo Ebraeis interdictos fuiſſe, adeo vt dein nec mercedis, nec libidinis cauſa extra matrimonium circumciſis inter ſe concubitus aliquis licitus haberetur. Etſi circumciſi cum pagana innupta concubitum in certis caſibus illi non iudicarint illicitum. Quo fine allegant Deuter. XXIII, 18. Leuit. XIX, 29. Geneſ. XXXIIX, 14. Add. Grotivs ad Geneſ. XX, 9. Rationem autem proſcriptarum e ſancto populo meretricum hanc adfert Maimonides, citante Seldeno; tum vt euitentur contentionum & ſimultatum mala, quae ex eiusmodi libidine, matrimonio non cohibita, oriri ſolent; tum vt bono illo fruamur diuſtinctionis ac certae notitiae familiarum. Ad paganorum teſtimonia prouocare nihil attinet. Vid. Epicteti Enchirid. c. 47. Plavtvs Curculione Act. 1. ſc. 1. [v. 33. & ſqq.] PH. *Quin leno hic habitat.* PAL. *Nemo hic prohibet nec vetat, Quin quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emas. Nemo ire quenquam publica prohibet via; Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam, Dum te abſtineas nupta, vidua, virgine, iuuentute, & pueris liberis, ama quod lubet.* Ad impudentiam ſibi nihil reliquit adoleſcens ille apud Qvintilianvm Declam. 14. qui non veretur accuſare meretricem, quod ſibi poculum odii dederit, ex quo deſierit amare. Inter alia dicit: *Habui tamen, vnde ad vitae neceſſitates, conceſſa gaudia parca mediocri-*

Laertivs L. VII. Adde Aristotelem II. Pol. 7. vbi de bellicoſis nationibus, & c. 8. vbi de Cretenſibus. Conf. Mevrsivm L. III. de Creta c. 13. A Graecis tranſiit ad Romanos. V. omnino H. Grotivs ad Roman. I, 27. H.

2) Abundat hoc caput, vt iam Cl. Barbeyraco obſeruatum eſt, lectionis copiis, iisdemque pro parte male digeſtis. Argumentum ſcilicet per ſe primum amoenum, deinde etiam tale, in quo in primis ab ipſo diſſentirent aduerſarii eius, prae ceteris ornatum & inſtructum eſſe voluit Avctor. Nimis exuberante tamen doctrina ſua effecit, vt voluptatem hic ſatietas comitetur. Quae ipſi ſuperuacua videbantur, in notas reiecit Cl. Barbeyracvs. Nos omnia, vti ab Avctore profecta ſunt, retinimus, vtrumque eodem redire exiſtimantes.

ocritate ſufficerent. Ideoque meretrice tantum, & quae certiſſima eſt in voluptate frugalitas, vna frui ſemper eademque contentus. Enimuero ſatis patet, ſi in vniuerſum id reciperetur, vt omnes ſibi membra generationi deſtinata ſoli libidini exercendae data crederent, eique vſui vnice adplicarent, decoram inter homines, & tranquillam ſocietatem ſubſiſtere non poſſe. Id quod ſufficit ad probandum, iuri naturali eas libidines [3] damnari [4]. Nam, vti loquitur Rich. CVMBERLAND de Leg. nat. c. 5. §. 46. *nihil ſecundum rectam rationem ſtatui poteſt, in quod omnes non poſſint conſentire.* Quanquam neque iuris naturalis dictamen, circa hancce rem, adeo exoleuit etiam apud illos, vbi velut publica ſecuritas iſti vitio erat indulta [5], vt vagam libidinem probarent, ac ab omni turpitudinis nota abſoluerent. *Turpiter facere meretricem, quod ſit meretrix, Vlpiani* pronunciatum eſt; & grauiſſimae inſtar poenae habebatur, apud Aediles licentiam ſtupri vulgando exiſtimationis iacturam facere. TACITVS A.II. [c. 85.] *Viſtilia praetoria familia genita licentiam ſtupri apud aediles vulgauerat; more inter veteres recepto, qui ſatis poenarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Vtcunque tamen tolerata iſta per conniuentiam apud gentes in Venerem proniores, vt matronarum atque virginum honeſtarum pudicitia paucioribus inſidiis foret obnoxia. Et vti vxoris tantum ſuae notitiam habuiſſe ſingularis ſanctimonia apud honeſtos iudicatum fuit; ita alicubi ſolutas & vilioris ſortis foeminas inerraſſe; iuuenilis quaedam labes habita, lubrico aetatis apud mitiores non tam defenſa, quam vtcunque eleuata. Vid. CICERO pro Caelio [c. 16. & ſeqq.] EPICTETI Enchirid. c. 47. Add. prolixus locus *Muſonii*, apud STOBAEVM Serm. VI. Et inprimis GROTIVS ad Matth c. V. 27. Ita quoque obiter notandum, apud Muhammedanos ſcortationem cum ancillis inter licita haberi. Indi tamen gentiles heic ſanctiores, quibus & ſcortatio ſimplex grande peccatum ducitur, teſte Petro DE VALLE Itiner. Part. III. Memorabile quoque eſt, quod PLVTARCHVS de Virtutibus mulierum tradit, apud Chios ſeptingentorum annorum ſpatio neque adulterii vllius, neque virginitati extra matrimonium oblati vitii mentionem vllam fuiſſe. Et tamen foeminis formoſiſſimis ea inſula celebris eſt.

§. V.

3) Quare ingenio nimis indulſit THOMASIVS Iurispr. Diu. L. III. c. 2. quum luxuriante calamo prae ſe ferret, concubitum cum beſtiis, paederaſtiam, conſuetudines vagas, vno verbo, omnem vſum membrorum genitalium, ſoli libidini exercendae intentum, Iure Naturae non eſſe illicitum: ſed vt illicitus eſſe intelligatur, decurrendum eſſe ad leges poſitiuas vniuerſales. Verum recte deinde mutauit ſententiam ſuam vir Praeclarus in Fundam. Iur. Nat. & Gent. L. III. c. 2. §. 6. 7. 21. & ſeqq. adgnoſcens, has coniunctiones repugnare honeſtati ſaltem naturali, qua parte iam non diſſentit ab AVCTORE noſtro.

4) Legi nuper ſcriptum: *Cum Sodomia & ſcortatio ex principio ſocialitatis prohibita dici nequeant, haberi ea crimina pro permiſſis iure naturae.* Quod nollem ſcriptum. Si cui demonſtratio AVCTORIS non ſufficiat, paulo clariore vtemur. Nouit homo, nobilitate naturae longe ſupra beſtias ſe conſtitutum, & vt vitam (V. ſupra L. II. c. 4. §. 16) ita caetera naturae bona ac facultatem generandi non fruſtra ſibi datam a ſummo naturae opifice Deo; hanc haut dubie, vt humanum genus propaget, & ſobolem non gignat tantum, ſed & educet, quo in placens Deo animal euadat. Finem hunc non obtineri nefando concubitu; ex Sodomia etiam monſtra gigni, in aperto eſt. Bene MAXIMVS TYRIVS Diſſert. 10. Ἄδικος ἡ μῖξις, ἄγονος ἡ συνουσία. Ἐπὶ πετρῶν σπείρεις, ψάμμους ἀροῖς. Μετήνεγκε τὰς ἐυθρεσίας ἐπὶ τὴν φύσιν τρέφων. Ἐπὶ τὴν γεωργίαν τοὺς ὀφθαλμούς. Ἐγκάρποις ἤλθετε ἡδονῆς. *Sceleſtus eſt iſte coitus, infoecundus*

§. V. Id praeterea conditionem humanae naturae penitius rimanti non obſcure patet, hautquidquam congruere, genus humanum per concubitus vagos, ac lege ſolutos propagari, vtut fortaſſe vterque concumbentium, aut alteruter intentionem habeat eo actu prolem excitandi. Qualem vitam antiqui Attici agitaſſe dicuntur ante Cecropem, pecorum ritu ſine lege cohabitantes. Ex quo concubitu ſi qua prolem ſuſceperat, eam offerebat, cui placeret ex illis qui cum ipſa conſueuerant. Quam barbariem cum Cecrops abrogaſſet, introductis legibus matrimonialibus, dictus inde eſt biformis; quod cum antea nemo niſi matrem ſuam noſſet, iam & patrem poſſet allegare: an quod vinculo matrimonii duos velut in vnum corpus coaleſcere feciſſet. ATHENAEVS L. XIII. c. 1. *Primus Cecrops Athenis vnam vni coniunxit in matrimonium, cum turpes prius fierent congreſſus, minuſque honeſtae communes nuptiae. Quamobrem viſus eſt nonnullis ancipitis naturae, (διφυής) fuiſſe creditus, cum priores ob multitudinem patrem dignoſcere non poſſent.* Sed quis non videt, quam parum ab armentis abfuturus erat homo, connubii legibus remotis? cuius tamen aliqua ſimulacra in non paucis brutis cernere licet. QVINTILIANVS Inſt. Or. L. IX. c. 2. Apud VIRGILIVM IV. Aen. [550.] *non licuit thalami expertem ſine crimine vitam degere, more ferae? quanquam de matrimonio quaeritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, vt ſine thalamis vitam non hominum putet, ſed ferarum* [1]. Quid enim rixarum fuiſſet orituram inter mares circa formoſas foeminarum [2]? Qui eo frequentius quam tauri inter ſe forent committendi, quod his nulli in Venerem ſtimuli, niſi vbi vacca impleri deſiderat; quae ſemel per annos ſingulos marem admittit: cum homo ſit animal ſemper in Venerem paratum. Quam porro ad propagandam ſpeciem inepta iſta plurium feminum confuſio? Nam ſi qua vni ſeſe ſoli ſeruaret, connubii inſtar foret. Magna inſuper praegnantis foeminae imbecillitas, & alieni auxilii indigentia. Sed quis marium opem ferat [3], niſi ex ſe praegnantem norit; quod ſine connubio ſciri vix poteſt. Prolis humanae educatio laborioſa ſimul & ſumtuoſa, cuique foemina vnica vix ſufficiat. Quis autem marium, niſi ſuae prolis curam ſuſcipiat; quam dignoſcere in vaga illa licentia haut in procliui eſt. Nam quod ARISTOTELES Polit. L. II. c. 2. refert, quibusdam Lybiae populis, (qui fortaſſe iidem

cundus complexus. In ſaxis ſeris, arenam aras. Ad ea, quae natura praeſcribit, voluptatem ce inuerte tuam: ad agriculturam oculos conuerte: foecunda te oblecta voluptate. PLVTARCHO in amatorio audit ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία πρὸς ἄῤῥενας, *conſuetudo cum viris aduerſa naturae*, & amor νόθος ſiue ſpurius. H.

5) Vt Athenis, cuius inſtituti auctorem Solonem eximie laudat Philemon Delphis apud H. GROTIVM Excerpt. Poët. Graecor. p. 764. ſequ. Romae, etiam Auguſtini aeuo. V. *L. 27. in ſine D. de Petit. heredit.* AVGVSTINVS L. 14. de Ciuitat. Dei c. 18. HENELIVM Ot. Vratislau. c. 50. THVANVM L. XXXIX. Hiſtor. ad A. MDLXVI. ab initio, vbi de Pii V. Pontificis zelo contra meretrices. H.

§. V. 1) Qui locus Quintiliani perinde ac ille Virgilii, qui Quintilianeo inſeritur, nihil ad rem facit.

2) Sed formoſae nunc quoque rarenter vni placere ſtudent, & nunc, propter adulteria, in primis vbi poenae eorum capitales ſunt, plures homines pereunt, quam olim perierint in rixis. Porro partus ex matrimonio editi complures languidi, neque animi vigore iis ſimiles, qui ex libero congreſſu ſuſcepti.

3) PHILEMON Delphis:

Ἐξῆλθες; οἰμώζειν λέγ' ἀλλοτρία 'στί σοι.

Exiſti? (e lupanari) *iube eam flere, nihil ad te attinet.* H.

iidem ſunt,'quos Nicolaus DAMASCENVS de Moribus gentium. Limyrnios vocat,) vxores fuiſſe communes: *Τὰ μέντοι γενόμενα τέκνα διαιρεῖσθαι κατὰ τὰς ὁμοιότητας; ſed ſobolem diſcerni ex ſimilitudine formae*, fallax indicium eſt. [4]. Quanquam & THEOCRITVS Idyll. 17. adulterae vxoris argumentum ponat *τέκνα οὔποτ' ἐοικότα πατρί. Liberos patri diſſimiles.* Contra HORATIVS: [Od. V. v. 23.] *Laudentur ſimili prole puerperae.* Denique cum ſine legibus connubialibus familiae, ſine familiis ciuitates intelligi nequeant, iiſque adeo omnis decorus ordo in vita humana conſtituendus innitatur; apertum eſt, citra connubia homines acturos fuiſſe vitam ſegregem, & paulo minus quam belluinam. Recte HORATIVS Carm. L. III. od. 5. [v. 17. & ſeqq.] *Foecunda culpae ſecula nuptias primum inquinauere, & genus, & domos. Hoc fonte deriuata clades in patriam populumque fluxit.* Accedit, quod ſine matrimoniis nullae cognationes ſat diſtinctae [5] nulla quoque patrimonia poſſunt exſiſtere; quibus ſublatis magna pars commodorum, queis vita humana ſuſtentatur, aut exornatur, perit. Huc facit, quod IVSTINVS L. III. c. 4. memorat de Partheniis, qui metu inopiae, quippe quorum nulli pater exſiſtebat, cuius in patrimonium ſucceſſio ſperaretur, patria faceſſunt. Etſi ea in narratione paulum variet SERVIVS ad III. Aeneid. v. 551. & LACTANTIVS de Falſa Religione, c. 20. Huc accommodari quoque poſſunt pleraque, quae contra communionem vxorum Platonicam paſſim diſputantur. Addatur STOBAEVS Serm. LXV. Apud PROCOPIVM Hiſt. Perſ. L. I. c. 5. & Agathiam L. IV. cum Cabades Perſarum Rex lege ſcripta foeminarum vſum iuſſiſſet promiſcuum eſſe, & quemlibet etiam alteri nuptae concumbere permiſiſſet, a ſubditis rebellantibus regno deiectus eſt.

§. VI. CVM igitur manifeſtum ſit, propagationem humanae ſpeciei vtique legibus connubiorum circumſcribendam, ſiquidem decora, & rite compoſita inter homines ſocietas debet exſiſtere; iam vlterius videndum, an & qualis ſit obligatio ad matrimonium ineundum in ordine ad ſingulos homines, qui per aetatem, atque habitudinem corporis idonei ſunt? Quid legibus multorum populorum heic conſtitutum ſit, paſſim occurrit. Antiqui Ebraei, docente SELDENO L. V. c. 3. tradebant, praecepto illo diuino, *creſcite & multiplicamini*, omnes maſculos teneri, vt ante expletum annum vigeſimum vxorem ducant; niſi aut aſſiduo legis ſtudio quis incumbat, acriori libidinis ſtimulo immunis, aut partium, quibus viri ſumus, defectu generationi ſit impar. Et hoc praeceptum omnes Noachidas ſtringere. Addebant, qui vxori ſuperſtes prolem vtriusque ſexus, eiusque integri (nam ſpado aut filia plane ſterilis prolis heic vicem non obtinebat,) non haberet, praecepto iſti neutiquam ſatisfeciſſe. Eum autem, cuius filius & filia mortui relinquerent liberos vtriusque ſexus, praecepto liberum fuiſſe, filiorum filiarumque locum nepotibus & nepti-

4) Apud EVRIPIDEM Electra, cum dixiſſet Senex:

Φιλεῖ γὰρ, αἷμα τ' αὐτὸν εἰς ἂν ᾖ πατρὸς,
Τὰ πόλλ' ὅμοια σώματος πεφυκέναι·

Ferme patris quos ſanguis eiusdem creat,
Solent habere corporis ſimiles notas.

Reſpondet Electra:

Πολλοῖς δ' ἂν εὕροις βοστρύχους ὁμοπτέρους,

Καὶ

neptibus ſupplentibus. Aliter ſemper, aetate non effaeta, teneri, vbi in prole ſexus deeſſet alteruter. Nec ſufficere, vt ſterilem quis vetulam, aut quae nondum viripotens eſt duceret, niſi & ſuperinduceret foecundam. Addit Leo Mutinensis de Ritib. Hebraicis Part. IV. c. 2. etſi iam memorato praecepto diuino ſatisfactum ſit, ſi quis prolem maſculam & foemellam habeat; non minus tamen aetate & viribus habilem teneri ad habendam vxorem, euitando fornicationis periculo. (Nonnulla in ſimilem ſententiam tradit Plato de LL. L. XI. vbi etiam additur: Παίδων ἱκανότης ἀκριβής, ἄῤῥην καὶ θήλεια. *Liberorum ſufficiens minimum numerus, mas & foemina*) Caeterum an ad foeminas quoque id praeceptum extenderetur, inter ipſos non ſatis conueniebat. Maxime probabile eſt dixiſſe, foeminas ad certum temporis terminum non obligari; cum in earum facultate non ſit, quando velint nubere: conditione tamen commoda ſeſe offerente, vtique & ipſas teneri propagationi humanae ſpeciei operam dare. Occurrit denique apud eosdem haec ſententia: *Quicunque negligit praeceptum de multiplicatione generis humani, habendum eſſe veluti homicidam.* Et tamen apud Iudaeos Eſſenorum ſecta effloruit, quae omnem foeminarum vſum eierauerat, de qua vid. Plinivs L. V. c. 17. & Solinvs c. 38. Apud alias quoque gentes leges atque ſententiae in eundem fere ſenſum occurrunt. *Moenia* [1] *apud Nonium in Eunuchare: Si quis patriam, maiorem parentem extinguit, in eo culpa eſt; quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos producit, id eſt, procreare differt.* Dicta Muſonii, Hieroclis, & Antipatri videantur apud Stobaevm Serm. 65. Add. Arrianvs in Epicteto L. III. c. 7. circa medium. Pollvx L. III. [§. 48. Ed. Amſt.] Περὶ ἀγάμων, τὰς δίκας τῦ ἀγαμίυ καὶ ὀψιγαμίυ, *actiones caelibatus & ſeri connubii* Athenis & Lacedaemone memorat. Plvtarchvs Lycurgo [p. 48. Ed. Wechel.] talem huius legem recitat; vt caelibes nudarum certantium ſpectaculo arcerentur; vtque circa brumam edicto magiſtratuum forum veſtibus ſpoliati obirent, cantilenam in ſe compoſitam concinentes, merito ita ſe puniri, quod non parerent legibus: praeterea honoris ac obſeruantiae, quam praeſtabant ſenibus iuuenes, expertes forent. Inde Idem Apophth. Laconicis narrat, Dercyllidae, praeclaro alioquin imperatori quendam iuniorum ſede non deceſſiſſe; *neque enim*, inquit, *tu genuiſti, qui mihi olim ceſſurus ſit.* Phocylides. Μὴ μείνῃς ἄγαμος, μήπως νώνυμος ὄληαι· δὸς τε φύσει κ᾽ αὐτὸς, τέκε δ᾽ ἔμπαλιν ὡς ἐλοχεύθης. *Ne maneas caelebs, ne forte obſcurus pereas: Da aliquid naturae, & gigne viciſſim, ſicut genitus es.* Plato de LL. L. IV. *Vxorem ducere debet quisque cum annos habet triginta, cogitans, quod natura quaedam humanum genus immortalitatem conſequitur; cuius rei quisque natura ſummopere cupidus eſt. Nemo enim eſt, qui non deſideret perpetuum apud poſteros nomen habere. Genus itaque hominum immortale hoc modo in ſempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo vnum & idem ſemper per generationem immortalitatem adipiſcitur. Nefas autem eſt,* immor-

Καὶ μὴ γεγῶσιν αἵματος τ᾽ αὐτῦ, γέρον.
Multos videri eſt paribus ornatos comis
Quos procreauit ſanguis hanc vnus, Senex. H.

5) De Hunnis Ammianvs Marcellinvs L. XXXI. c. 2. *Nullus apud eos interrogatus, reſpondere, vnde oritur, poteſt, alibi conceptus, natusque procul, & longius educatus.* H.

§. VI. 1) Lege potius Moinia. H.

immortalitate ſeipſum ſponte priuare. Hac vero ex animo ille ſe priuat, qui filios & vxorem negligit. Add. IDEM L. XI. de LL. CICERO quoque de Finib. L. III. ad hoc vt homo e natura viuat, conſentaneum eſſe dicit, vxorem adiungere, & velle ex ea liberos procreare. De Benianis refert Philipp. BALDAEVS de Idololat. Indor. Gentil. Part. II. c. 3. turpe apud ipſos haberi ſterilem & improlem eſſe: Tales enim, dicunt, digni non ſunt, qui mane primi hominem adſpiciant. Sic Romae Camillus, & Poſthumius cenſores aera poenae nomine eos, qui ad ſenectutem caelibes peruenerant, in aerarium deferre iuſſerunt. VALER. MAXIMVS L. II. c. 9. quod multae genus vocabatur *vxorium*, vid. *Feſtus in vxorium*, & ibi Ioſeph. Scaliger. Iſtius facti meminit etiam PLVTARCHVS Camillo. Elegans eſt locus ex oratione Metelli apud GELLIVM L. I. c. 6. *Si ſine vxore, Quirites, poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit; ſaluti perpetuae potius, quam breui voluptati conſulendum.* Huc quoque facit, quod Poſidonius Myſos, ſine mulieribus vitam ductitantes, Abios vocauerit; *vitam caelibem ac ſine coniugibus dimidiatam eſſe putans.* STRABO L. VII. [p. 454. C. Ed. Amſt.] De lege Papia Poppaea vid. LIPSIVS ad III. Ann. Taciti. & Iacob. GOTHOFREDVS. Quam legem Chriſtiani Imperatores abrogarunt, vti probabile videtur ſacerdotum ſuaſu. Vid. *tit. C. de Infirmandis poenis caelibatus.* & SOZOMENVS Triſt. Eccleſ. L. I. c. 9. Memorabilis quoque eſt oratio Auguſti apud DIONEM CASSIVM L. LVI. AELIANVS V. H. L. VI. c. 6. recitat legem Spartanorum, vt qui tres filios reipublicae ſuppeditaret, is ab excubiis liber eſſet; qui vero quinque, ab omnibus publicis officiis & ſumtibus immunitatem haberet. Add. quoque prolixus locus Hieroclis apud STOBAEVM Serm. 73. Ex iisdem porro conſequitur, nefas eſſe maſculos ſaltem inuitos euirare, eoque commendanda lex Domitiani de non caſtrandis maribus. Vid. SVETONIVS Domit. c. 7. STATIVS IV. Syluarum. *Qui ſortem vetat interire ſexum.* Add. MARTIALIS L. VI. Epigr. 2. Poſt quod edictum ſolitam prius peti veniam a principe, vel praeſide prouinciae, ſi quis vel ſe vel alium vellet euirare, docet CASAVBONVS. add. l. Suetonii ex Iuſtini Martyris Apolog. 2. Add. Deuteron. XXIII, 1. IOSEPHI Archaeol. IV. 8. & *L. 27. §. 28. D. ad L. Aquil. Nou. ll. 142.* & ibi Dion. GOTHOFR. *L. 4. §. 2. L. 5. D. ad L. Cornel. de Sicariis* [2]. EVSEBIVS de Praepar. Euangel. L. VI. c. 8. *In Syria & Oſroëne ſunt etiam Galli, & in Phrygia matri demum multi abſcindebantur. Deinde Rex Abgarus omnium quoque manus, qui id agebant, abſcindi iuſſit, nec quisquam poſtea in Oſroëne virilia ſibi amputauit.* QVINTILIANVS L. VI. c. 12. *Mihi naturam intuenti nemo non*

vir

2) Add. PAVLLVM L. V. Sentent. 23. §. qui hominem. *L. 1. & 2. C. de Eunuchis.* Multa habet de eunuchis Nic. HENELIVS Ot. Vratiſlau. c. 35. H.

3) HERODOTVS L. VIII. ſiue in Vrania obſeruauit, apud Barbaros pretioſiores eunuchos eſſe, quam non caſtratos, propter eorum fidem in quacunque re ipſis commiſſa. H.

4) Vid. BRISSONIVS Select. Antiq. Iur. Ciuil. L. II. c. 21. & BYNKERSHOEKII Obſeru. Iuris Romani L. IV. c. 5. pag. 355.

§. VII. 1) *Quum autem ad tuendos conſeruandosque homines, hominem natum eſſe videamus: conſen-*

vir ſpadone formoſior erit: nec tam auerſa vnquam videbitur ab opere ſuo prouidentia. vt debilitas inter optima inuenta ſit. Nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod ſi naſceretur, monſtrum erat. Libidinem iuuet ipſum effoeminati ſexus mendacium; nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, vt ſi qua pretioſa fecit, fecerit & bona. Quomodo Hermotimus vltus fuerit Panionium, a quo exſectus fuerat, vid. apud HERODOTVM Vrania. Quare tamen reges Orientis potiſſimum inter miniſteria ſua adſciſcere ſpadones amauerint, docet XENOPHON Cyropaed. L. VII. [p. 116. Ed. H. Steph.] Quibus accedit & haec ratio, quod reges eo minore cum inuidia in bona ipſorum ſuccedere poſſint, cum liberis careant. HELIODORVS quoque Aethiop. L. IIX. [in fine.] *Περσῶν βασιλείας αὐλαῖς ὀφθαλμοὶ καὶ ἀκοαὶ τὸ εὐνούχων γένος, οὐ παίδων, οὐ συγγενείας, τὸ πιστὸν τῆς εὐνοίας μετασπώσης, ἀλλὰ μόνου τοῦ πιστεύσαντος ἀναρτώσης. Perſarum regiis aulis oculi ſunt & aures eunuchorum genus: qui cum neque liberos neque cognatos habeant, quibus eorum animi deuincti eſſe poſſint, pendent ex eo ſolo, qui ſe illis credidit* [3]. CLAVDIANVS in Eutropium L. I. [verſ. 187. 188.] *Eunuchus nulla pietate mouetur, Nec generi natisue cauet.* Sed quia eunuchi crudeliores credebantur, apud Iudaeos iudicare non permittebantur teſte GROTIO ad Deuter. XVI, 18. Sicuti & in India commune eſt dicterium; bruta animalia caſtrata ferociam exuere, ſed homines exſectos plerumque longe deteriores, ſuperbioresque & magis intolerabiles fieri. Obiter quoque notari poteſt illud apud EVNDEM L. IX. *Ἔχει τὶ ζηλότυπον τὸ εὐνούχων γένος, ὧν γὰρ ἀπεστέρηται, τούτων εἰς κώλυμα τοῖς ἄλλοις προβέβληται. Habet quiddam zelotypum eunuchorum genus: quibus eſt enim ipſum priuatum, ad haec aliis prohibenda obiicitur.* Illud quoque a quibusdam obſeruatum, quod virorum numerus maior, aut certe par ſit foeminarum numero, inde occaſionem eſſe petitam faciendi eunuchos in regionibus illis, vbi foeminas vna plures ducere eſt conceſſum. Alii tamen iure belli eunuchos primum introductos arbitrantur, dum victor, qui occidere victos poterat, radicem velut propriorum affectuum & neceſſitudinem captis adimit, vt eo ſecurius rerum ſuarum cuſtodiam illis credere poſſet [4].

§. VII. MERVM autem ius naturale ſpectantibus adparet, cum ſocialis vitae fundamentum ſit matrimonium [1], homines quoque omnino ad id ineundum obligari, prout tenentur ad omnia, quae ad eum finem neceſſario faciunt; per modum tamen praecepti affirmatiui, indefiniti, & indeterminati, & quod non ſingulos neceſſario, & quouis tempore obligat. Praecepta quippe affirmatiua ad ſui impletionem requirunt occaſionem. Matrimonii autem contrahendi occaſio non ex ſola aetate, aut generandi aptitudine intelligitur; ſed

conſentaneum eſt huic naturae, vt Sapiens velit gerere & adminiſtrare Rempublicam, atque, vt e natura viuat, vxorem adiungere, & velle ex ea liberos. CICERO de Finibus bon. & mal. L. III. c. 20. Ciceroni concinit PYTHAGORAS, qui dicere ſolitus erat, Gignendos eſſe liberos, vt poſt nos exſiſtant, qui Diuinitatem adorare poſſint. Ὅτι δεῖ τεκνοποιεῖσθαι· δεῖ γὰρ ἀντικαταλιπεῖν τοὺς θεραπεύοντας τὸν θεόν. IAMBLICH. de vita Pythag. c. 18. num. 83. Edit. Kuſteri. Vbi in verſione praetermiſſa ſunt verba poſtrema, quae tamen rationem continent, quare ducenda ſit vxor. Adduntur verba Hieroclis apud STOBAEVM Serm. 65. & 73. & GATAKER ad M. Antoninum L. VIII. §. 31.

ſed vt copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi vxorem, & prolem naſcituram; ac vt mas quoque ſit idoneus ad gerendum partes patrisfamilias. Plinivs L. I. Epiſt. 14. *Quum publicos mores, atque etiam leges ciuitatis intueor, quae vel inprimis cenſus hominum ſpectandos arbitrantur, ne de facultatibus quidem praetereundum arbitror. Et ſane de poſteris, & his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus eſt calculus.* Add. oratio M. Hortali apud Tacitvm A. II. [c. 37.] Legibus Islandorum extreme pauperibus matrimonium inire interdictum. Vid. Arngrimus Ionae de Islandia. c. 8. Aliquando etiam praeſentium temporum, & incumbentis functionis conditio de matrimonio cogitare non patitur. Vid. 1 Corinth. VII, 26. Igitur non modo non eſt neceſſarium, ſed ſtultum inſuper, iuuenes animum ad vxores adplicare, qui ſibi ſuisque nil niſi ſtrenuam eſuritionem poſſint polliceri, ac ciuitatem mendicabulis ſint impleturi, aut qui ipſi ſupra pueros parum ſapiant. Imo recte faciunt, qui matrimonium differunt, quo commodius per caelibatum animum excolant, ac ad praeſtanda egregia ſocietatis humanae miniſteria ſeſe praeparent; id quod vxoratis per mores ciuitatis, aut genium foeminarum non ita licebat. Praeterea quia matrimonio eſt opus, tum vt per ſobolem humana ſpecies conſeruetur, tum ne vaga libido decus ſocietatis humanae polluat; adparet, ſiquidem neuter horum finium detrimenti quid paſſurus ſit, non reprehendendum illorum caelibatum, qui probabiliter praeuident, ſeſe in caelibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles ſeſe deprehendunt, plus humano generi, aut ciuitati ſuae vtilitatis poſſe praeſtare, quam vxoratos. Adeoque ſi quis ſublimiori agatur genio [2], vt ſtimulos illos vel non ſentiat, vel facile retundat, ἐραστὴς τοῦ μὴ ἐρᾶν, *qui hoc ipſum amat, nihil amare*, vti eſt apud Philostratvm in Vita Apollonii Thyanaei L. IIX. c. 3. quiquealio modo, quam per munus proletarii, bene merendo vtilem ſeſe ciuem vniuerſi praebere queat, hautquidquam putandus eſt per naturam obligari, vt omnino praeclaris ſuis conatibus per muliebres illecebras velut remoram iniiciat. Add. Arrianvs in Epicteto L. III. c. 22. p. m. 311. 312. edit. Wolfii. & Cornelius Nepos Epaminonda c. 10. Praeſertim cum pauci admodum ſint, in quos iſta animi corporiſque temperies cadit, vt deſiderium poſterorum, ac in ſexum foemininum procliuitatem digerere, caſtitatemque impollutam ſeruare queant. Multo minus autem reprehenſio metuenda eſt illis, qui cum ex priori matrimonio liberos habeant, hiſce praegrauem nouercam aut vitricum ſuperinducere nolunt; vbi & in liberorum fraudem id tendit, & ipſis, matrimonii finem expendentibus, coniuge deinceps carere in procliui eſt. Etſi nimis dura videatur lex Charondae [3] apud Diodorvm Sicvlvm L. XII. c. 12. qui e conſilio ciuitatis remouebat, ſi quis nouercam liberis ſuperinduxiſſet. *Nunquam enim fore*

2) Vt non pauci vtriusque ſexus & omnis ordinis homines ab initio Chriſtianiſmi. De quibus inſignia teſtimonia congeſſit H. Grotivs Annot. ad Matth. XIX, 12. H.

3) Duri quoque nimis Chriſtiani Patres aduerſus ſecundas nuptias, vſque adeo, vt eas nec Sacerdotali benedictione dignarentur. (V. Chrysostomvs Hom. 2. in Epiſt. ad Titum. Hom. 7. in poſteriorem ad Timotheum c. 9. cauſ. 31. quaeſt. 1. Hieronymvs L. 1. aduerſus Iouinian. c. 4. & 5. Ambrosivs Comment. in 1. ad

fore exiſtimabat, vt is bonum patriae conſilium daret, qui liberis ex ſe natis perperam conſuluiſſet. Nam quibus primae nuptiae bene ſucceſſerunt, iis hac felicitate perfunctis adquieſcendum: qui vero infelix matrimonium experti, idem erratum denuo committerent, inſipientibus merito accenſendos eſſe. Enimuero non ſemper male per ſecundas nuptias liberis prius genitis conſulitur. Et qui felix matrimonium expertus eſt, paris felicitatis eſt cupidus; qui infelix, poſt procellam placidos ventos ſperat. Extat incerti poëtae epigramma ANTHOLOG. L.I. Ἔιτις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει, Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον. *Altera poſt vnam coniux cui ducitur, audet Naufragus infidum rurſus adire ſalum.* Cui ex aduerſo oppoſuit non minus argutum epigramma Henricus STEPHANVS: Ὅςις ἅπαξ γήμας, πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει, Ὀυχ ὗτος μομφῆς ἄξιος ὐδεμιῆς. Ἐὶ κακὴ ἡ πρώτη, τάχα δευτέρη ὢ κακὴ ἔςαι. Ἐὶ δ' ἀγαθὴ, ἀγαθὴν ἐλπίδα καὶ τότ' ἔχοι. *Imo equidem vxorem ducit quis iure ſecundam, ſeu bona prima fuit, ſeu mala prima fuit. Si mala, non talis forſan metuenda ſecunda: ſin bona, ſperetur non minus iſta fore.* Add. quoque CHARRON de la Sageſſe L.I. c. 46. n. 2. 3. & BACO Sermon. fidel. c. 8. Vice verſa tamen contingere poteſt, vt praeter communem obligationem ad ineundum matrimonium aliquis peculiari inſuper cauſa ſubigatur. Puta ſi familia regia ad vnum redacta ſit, iſte vnicus inſigniter obligabitur generis ſui propagationem legitimam quaerere, euitando periculo interregni, & quia in principales potiſſimum familias quadrat illud EVRIPIDIS Iphig. in Tauris. [v. 57.] Στύλοι οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. *Columnae familiarum ſunt liberi maſculi.* Atque haec, quae ſuper obligatione ad ineundum matrimonium tradidimus, magis vtique rerum naturae conueniunt, quam quod nimis late CVMBERLAND de Leg. nat. c. 6. §. 9. dicit; liberum eſſe terra iam hominibus repleta in caelibatu aut coniugio vitam tranſigere.

§. VIII. Ex hiſce iudicandum eſt, quidnam poteſtatis legibus ciuilibus competat circa adſtringendam, aut tollendam matrimonii contrahendi neceſſitudinem. Igitur id extra controuerſiam eſt, poſſe legiſlatorem ciuilem ad ineundum matrimonium pro imperio adigere per aetatem & conſtitutionem corporis habiles, & queis facultas ſe, vxoremque & prolem alendi. Nam cogere aliquem, vt liberos procreet in ſpem eſuriendi, inhumanum; inopi autem vulgo ciuitates implere, inconſultum eſt. Huc ſpectant leges iam antea citatae. Etſi mollius videatur, praemiis, aut ſubtractione commodorum quorundam, quam poenis poſitiuis heic vti. Quo pertinet apud Romanos ius trium liberorum. Item lex Spartanorum, quam refert ARISTOTELES Polit. L. II. c. 7. Τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱὲς ἄφρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας, ἀτελῆ πάν-

ad Corinth. & in 1. ad Timoth. c. 3. *c. 1. X. de Secund. nupt.*) Quorum ſuaſu credibile eſt a Chriſtianis Impp. non pauca conſtituta ad licentiam earum nuptiarum refraenandam. *tot. tit. C. de Secund nupt.* Etſi Conſtitutionum illarum aliquae in fauorem quoque primi thori liberorum latae. V. & THVANVM L. XXV. Hiſtor. ad A. MDLX. Adde TERTVLLIANVM Libr. de Monogamia, vbi priuilegia Vniuirarum apud Romanos & alias gentes recitat. H. [De odio Patrum Eccleſiae in ſecundas nuptias conf. Celeb. BARBEYRACI praefatio.]

πάντων. *Qui tres liberos procrearit, a cuſtodiis ſit immunis; qui vero quatuor, ab omnibus oneribus.* Sicut & reges Perſarum quotannis praemia propoſuerunt illis, qui plures filios ſuſtulerint. STRABO L. XV. [p. 504. Ed. Gen. Caſ.] Nec minus id liquidum, non iniuſtam modo, ſed & ſtolidam fore legem, ſi quis omnibus ciuibus matrimonio velit interdicere. Vti & ſi quis, verbi gratia, primogenitis duntaxat matrimonium vellet permittere, deinceps genitis omnibus promiſcue caelibatum indicere. V. *L. 19. D. de Ritu nupt.* Nam vt omnes iſti per naturam ſint idonei ſuſtinendo caſto caelibatui, fieri non poteſt. Neque vero multo mollius id foret remedium reprimendae ciuium exuberanti nimis multitudini, quam diriſſimum quondam inſtitutum, Graecis valde familiare, prolem recens natam exponendi; aut quod ARISTOTELES Polit. VII. c. 16. ſuadet, abortus procurandi [1]. Quod ſi autem exploratum ſit, munus aliquod in ciuitate longe commodius a caelibe, quam a coniugato obiri poſſe, nihil videtur obſtare, quo minus per legem ciuilem caelibes tantum ad iſtud munus admittantur; aut ſi ob iſtud vxore carere tanti non putent, eodem excidant. Modo tanta ſit copia eiusmodi hominum, quibus caſtam agere vitam conceſſum ſit, quam ad illud munus requiritur. Praeſupponitur enim, neque vagis libidinibus anſam praeberi, neque naturae cuiuſpiam vim inferri: cum ad id munus ſuſcipiendum nemo adigatur, qui ſeipſum idoneum non iudicarit: & demum, quod prolis copiae iam ſatis ſit proſpectum. Quemadmodum, verbi gratia, legato, aut duci vel militi poteſt interdici, ne peregre, aut in periculoſam expeditionem vxorem ſecum ducat. Vid. *L. 4. §. 2. D. de Offic. proconſ.* TACITVS Ann. III. 33. 34. PLINIVS L. VI. c. 22. de Incolis Taprobanes: *Eligi regem, a populo ſenecta clementiaque, liberos non habentem, & ſi poſtea gignat abdicari, ne fiat haereditarium regnum.* Quem exſcripſit SOLINVS c. 66. Sic & cum obligatio ad matrimonium ineundum ſit indeterminata, & latitudine quapiam gaudens, licebit legi ciuili tempus, aetatemque connubio iungendorum definire. Qualiter in lege Papia Poppaea cauebatur [2]: *Sexagenario maſculo niſi cum [3] quinquagenaria foemina nuptias contrahere ius ne eſto, neue viro ſexagenario minori vxorem quinquagenariam ducere.* [4] Id quod a Iuſtiniano abrogatum *L. 27. C. de Nuptiis.* Sic PLATO de Rep. L. V. [p. 657. Ed. Wechel.] mulieri ad pariendum tribuit tempus ab anno vigeſimo ad XL. viris ad generandum a trigeſimo ad LV. Add. ARISTOTELES Polit. VII. c. 16. & Mich. PICCARTVS ad dictum locum. TACITVS Germ. c. 20. Apud quosdam populos vxorem ducere non licet, niſi edito fortitudinis in hoſtes ſpecimine. Sic apud Carmanios nemo vxorem ducebat, *niſi prius hoſtis caput amputatum ad regem pertulerit.* STRABO L. XV. [p. 500. Ed. Geneu. Caſaub.] Add. quoque Abrah. ROGERIVS de Braminibus

§. VIII. 1) V. infra c. 2. §. 6. H.

2) V. SVETONIVS in Claudio c. 23. Iacob GOTHOFREDVS not. ad L. Iul. & Pap. c. 2. H.

3) Cuius legis ſumma parum accurate ab AVCTORE referebatur. Conf. HEINECCIVS Lib. II. c. 3. p. 156. Comment. ad hanc legem.

4) V. L. 22. L. 44. D. de Ritu nuptiar. DIONEM CASSIVM L. LIV. & LVI. Adde de antiquis Saxonibus ADAMVM BREMENSEM L. I. Hiſtor. Eccl. c. 5. de Danis CYPRAEVM c. 13.

Digitized by Google

bus Part. I. 11. Denique cum & illud naturalis libertatis ſit, cui quiſque velit connubio poſſe iungi, fas erit poteſtati ciuili, ſi ex republica videbitur eſſe, diſponere, verbi gratia, ne ciuis peregrinam, nobilis plebeiam ducat [4]. Sicuti apud Indos legem fuiſſe tradit ARRIANVS in Indicis, [c. 12. Ed. Gronouii] ne inter ordines, in quos populus erat diuiſus, coniugia promiſcua fierent, vtque adeo, verbi gratia, agricolae non liceret ducere opificis filiam, nec vice verſa. Paria habet Hieron. OSORIVS de Rebus Geſt. Emanuel. L. II. Sic etiam lege ciuili conſtitui poteſt, vt matrimonia non niſi interueniente publica auctoritate contrahantur; praeſertim inter eos, qui inſigne aliquod in republica momentum faciunt. Quarum & ſimilium legum ea vis eſſe poteſt, vt quod contra eaſdem contrahitur connubium, certis effectibus, per ius ciuile aſſignatis, deſtituatur, vel etiam omnino pro inualido, & quod reſciſſionem admittat, declaretur. Sic apud LIVIVM L. XXXIIX. c. 36. Campani petunt, *vt ſibi ciues Romanas ducere vxores liceret; & ſi qui prius duxiſſent, vt habere eas; & ante eam diem nati, vt iuſti ſibi liberi haeredesque eſſent.* Apud DIONYSIVM HALICARN. L. VI. [c. 1.] SCtum memoratur, quo permittitur foeminis Latinis, quae viris Romanis, & foeminis Romanis, quae Latinis viris nuptae erant, bello Latino imminente, apud maritos manere, an in ſuam vtrinque patriam diſcedere, relicta maritis ſobole maſcula, ſecum adductis innuptis filiabus. Vbi additur, omnes pene Romanas deſertis maritis Romam rediiſſe; ſed Latinas in vrbe nuptas, duabus exceptis, maritos praetuliſſe patriae. SENECA de Benefic. L. IV. c. 35. *Promiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus apparuiſti: non eſt mihi cum externo connubium. Eadem res me defendit, quae vetat.*

§. IX. PROXIMVM eſt, vt inquiramus, quibuſnam capitibus mero iure naturali pactum matrimonii abſoluatur, ſimulque quidnam iuris vtrinque naſcatur. Praeſupponimus ergo heic initio, naturaliter omnes homines eſſe aequalis iuris, ac nulli imperium in alterum competere, niſi id ſuo vel alterius actu fuerit quaeſitum. Licet enim fere ſexus maſculinus foemininum ſuperet viribus corporis & animi, illa tamen praeſtantia hautquidquam per ſe eſt idonea imperium illi in hunc producere [1]. Ergo quidquid iuris mas habet in foeminam, id tanquam in ſibi aequalem ex ipſius conſenſu, aut per iuſtum bellum erit quaerendum. Et ſi cum connubia per beneuolentiam coaleſcere maxime ſit naturale, prior modus ad vxores, poſterior ad ancillas quaerendas magis eſt adpoſitus. Ac ſi qui bello captis, & in ſeruitium redactis iungi voluerunt, fere aſperitatem herilis imperii aduerſus illos remittere ſueuerunt. Add. Deuter. XXI, 10. ſeqq. Si igitur homines in naturali aequalitate & liber-

c. 13. de Sponſal. §. 37. Legem Alemannorum a Dagoberto II. confirmatam c. 57. Athenis, Demoſthenis aeuo, cum peregrina foemina iungi ciuem Atticum, aut virum peregrinum cum foemina ciue Attica, omnino vetitum. Quam legem DEMOSTHENES Orat. contra Neaeram recitat. H.

§. IX. 1) Vid. ſupra L. I. c. 6. §. 11. & ſequ. L. III. c. 2. §. 2. H.

libertate conſtitutos concipiamus, contingere poteſt, vt non minus foemina, quam mas, ſibi peculiariter prolem cupiat quaerere, in quam ipſa ius obtineat. Cui fini neceſſarium eſt, vt pactum inter marem & foeminam ineatur de praebendo inuicem corpore. Hoc pactum ſi ſimplex duntaxat fuerit, ſolam ſobolis procreationem reſpiciens, neque adiunctam habuerit conuentionem circa continuam cohabitationem; neque vni in alterum imperium conferet, & neutri in alterum quidquam iuris erit, praeterquam ad praebendum corpus procreandae ſobolis gratia: quae ſub poteſtate matris erit, ſi in pacto fuerit expreſſum, iſtam ſibi, non viro prolem quaerere. Vocare poſſis tale matrimonium Amazonicum, vtut ſatis irregulare & ſimplex illud ſit; ſi modo in vniuerſum vera ſunt, quae de Amazonibus iactantur [2]. De quo dubitat ARRIANVS de Expedit. Alexandri L. VII. [c. 13.] PROCOPIVS Hiſt. Goth. L. IV. & PALAEPHATVS de Fabul. narrat. [c. 33.] Vid. IORNANDES de Rebus Geticis c. 8. IVSTINVS L. II. c. 4. Etſi DIODORVS SICVLVS L. II. c. 45. ab iſtis mulieribus viros ad ſeruilia fere aut ancillaria officia adactos memoret. Quale quid IDEM L. III. c. 53. & 55. de populo quodam Lybiae memorat; qui ab Hercule ſit deinde exciſus, *cui non patiendum videbatur, diutius ſupereſſe nationes muliebri imperio ſubiectas.* Sic Thaleſtris apud CVRTIVM L. VI. c. 5. ex Alexandro, & regina Sabae ex Salomone, (ſi verum eſt, quod aliqui tradunt,) non ſpuriam, ſed quaſi legitimam prolem quaeſitum ibant. Sic & tradit Eduard. LOPEZ. de Regno Congo L. II. c. 9. (Add. Franc. ALVAREZ Deſcript. Aethiop. c. 133.) praecipuas regni Monomotapae legiones conſtare ex mulieribus, quae ſeorſim in agris a rege conceſſis habitent, certoque tempore viris vtantur, quos pro ſuo deſiderio eligant proli concipiendae: natas inde foemellas ſibi retinere in artibus bellicis informandas, filios patribus transmittere. Add. Iſaac VOSSIVS de Nilo c. 19. Neſcio, an huc referri debeat, quod tradit Michael GLYCAS Annal. Part. II. *Παρ' ἀγιλαίοις αἱ γυναῖκες αὐθεντοῦσι τῶν ἀνδρῶν, καὶ πορνεύουσιν ὡς βούλονται, μὴ ζηλοτυπούμεναι παρὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν, γεωργίαν δὲ καὶ οἰκοδομίαν καὶ πάντα ἀνδρῶα πράττουσιν. Apud Agilacos foeminae ſua viros in poteſtate habent, proque lubitu Venerem exercent, citra vllam maritorum aemulationem. Eaedem agros colunt, aedes extruunt, omnes operas viriles obeunt.* Caeterum etſi iſta connubia barbarum quid ac prope belluinum redolent; patet tamen inter cultiſſimas quoque gentes dari matrimonia, vbi vel neutri coniugum in alterum imperium conceditur, vel ipſe maritus ſummo vxoris imperio ciuili ſubiicitur: ſcilicet quando foeminae regnorum haeredes maritos adſciſcunt, retenta in ciuitatem

2) V. Petri PETITI Diſſertatio de Amazonibus. H.

3) Has iniquiſſimas vocat Bodinus. Sed quid vetat, quem iure ſuo cedere? Sunt qui malunt diſtinguere imperium domeſticum a ciuili. Vid. SVAREZ L. III. de LL. c. 9. n. 10. & ſequ. MYLER ad Rumel. Part. 3. Diſſert. ad Aur. Bull. 2. §. 19. Quanquam negari nequeat, illud ab hoc heic fere abſorberi. Eliſabetha Angliae Regina negabat, ſine conſenſu ordinum ſe poſſe concedere, vt poſt nuptias coronaretur Andius (qui de conditionibus nuptiarum cum ea tractabat) poſſe autem *ratione matrimonii matrimoniali*, quam vocabat, *corona ornari*, ſine praeiudicio ſuae Maieſtatis, aut haeredis aut ſucceſſionis. CAMDENVS Hiſtor. Eliſabeth. ad A. MDLXXI. H.

§. X. 1) Veteres ICti officia maritalia partim ex legibus amicitiae aeſtimabant, partim, & in primis

tatem ſumma poteſtate. Vid. conditiones matrimonii [3] inter Philippum II. & Mariam, reginam Angliae, apud THVANVM L. XIII. ad ann. 1553. & 1554. Item de Maria, regina Scotiae, apud EVNDEM L. XX. ad ann. 1558. & L. XXXVII. ab init. Add. quoque Io. MARIANA Hiſt. Hiſpan. L. XXIV. c. 5. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 27. refert, in honorem Iſidis apud Aegyptios receptum eſſe, *vt plus poteſtatis & honoris ſit penes reginam, quam regem, & in tabulis dotalitiis inter priuatos imperium foeminae in virum aſſignetur: vbi vxoribus per omnia ſe obtemperaturos mariti profitentur.* Add. quoque GVICCIARDINVS Hiſt. L. VI. p. m. 178. vbi de adminiſtratione regni Caſtiliae, a Ferdinando & Iſabella communiter facta tradit.

§. X. VERVM miſſis hiſce connubiis irregularibus, de illis diſpiciendum, quae ad humanae conditionem naturae exactius quadrant [1]. Heic igitur ſine dubio vtriusque ſexus indoli magis congruit, vt pactum connubiale a viro incipiat, adeoque vir quaerat vxorem, non vxor virum. Etſi enim alicubi non inſolitum eſt, propinquos puellae vltro iuuenes ambire, hiſque adeo eas ſponſas offerre; id tamen non fit alio fine, quam vt hanc ſibi potiſſimum vxorem velit adſciſcere iuuenis. Hoc poſito ſane patet, virum ſibi quaerere ſobolem propriam, non ſuppoſititiam, aut adulterinam. Igitur ante omnia fidem dare viro debet foemina, quod nemini praeterquam ipſi corporis ſui vſuram velit concedere. Id igitur plane ab omni ratione, & communi hominum affectu abhorret, quod tradit Aloyſius CADAMVSTVS Nauigat. c. 75. de rege Calecuti: *Rex duas*, inquit, *habet coniuges, & quamlibet illarum ſacerdotes decem aſſiduo comitantur, easque comprimunt; & id in decus regis eximium fieri iactant, nullum alium honoratiorem titulum regi dantes, quam quod eius coniuges a ſacerdotibus comprimantur, propterea eorum filii nunquam regno ſuccedunt, ſed ex ſorore nepotes regnum capeſſunt.* Paria habet Ludouicus ROMANVS Nauig L. V. c. 7. Quin & in vniuerſum apud iſtum populum mulieres fere communes eſſe teſtatur Petrus de VALLE Itinerar. Part. III. Ep. 7. Vnde etiam de patribus parum curae eſt natis, & omnes haereditates iuxta deſcendentiam maternam apud eos deferuntur. Sat foeda quoque de Colchis memorat BVSBEQVIVS Epiſt. 2. [2] Sed & ſpurca lex Eueni III. [3] regis Scotiae, *vt Rex ante nuptias ſponſarum nobilium, nobiles plebeiarum praelibarent pudicitiam: vt plebeiarum vxores cum nobilitate communes eſſent.* BVCHANANVS Rer. Scotic. L. IV. Sed poſt Milcolumbus III. vxoris Margaritae precibus motus inſtituit, vt primam nouae nuptae noctem ſponſus dimidiata argenti marca redimere poſſet: quam penſionem adhuc Marchetas mulierum vocant [4]. IDEM L. VII. POLYD. VIRGILIVS

primis, ſi vxor in manum conueniſſet, ex ea relatione, quae inter patrem & filium intercedit. Vid. NOODTII Probab. Iuris L. II. c. 9.

2) Et apud Malabares conſuetudo permittit, vt foeminae, etiam Regis ſorores, eligant ſibi quot & quales velint, quibuscum concumbant, nemine quicquam ob id obmouente. Vid. THEVENOTI Part. III. Itin. Orient. L. II. c. 1. Adde de maritis in inſula Ceylon Robert. KNOX Hiſtoric. narrat. de inſula Ceylon L. III. c. 7. Adde infra §. 15. H.

3) Plane vt olim apud Scythas, & poſtea in inſulis fortunatis nouae maritae virginitatem Rex aut Dynaſta delibabant. H. GROTIVS L. VIII. Hiſtor. Belgic. ad A. MDXCIX. Adde de Comitibus, & poſtea Canonicis Lugdunienſibus Nicol. HENELIVM Ot. Vratiſlau. c. 47. H.

4) Vid. Carol. CANGIVM Gloſſar. voce Marcheta. H.

GILIVS Hiſt. Angl. L. X. Conf. SVETONIVS Caligula c. 40. in fine, & quae ibi notauit Boxhornius. Quin & hodie in regno Pegu & Aracam virginitas ſponſae alicui ex conuiuis nuptialibus delibanda traditur [5]. Sed alia vice apud eam deprehendi capitale eſt. Ludou. di BARTHEMA Itin. Part. II. c. 11. De incolis prouinciae Caniclu vid. M. Paulus VENETVS L. II. c. 38. Dein & hoc apertum eſt, a decoro ordine nihil magis abhorrere, quam vitam vagam, ac deſultoriam, incerto lare, nulla fortunarum ſede; citra quae vita ciuilis fere intelligi nequit. Sic vt recte XENOPHON. Cyropaed. L. VII. [p. 116. Edit. H. Steph.] *focum* adpellet, οὗ οὔτε ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οὔτε ἥδιον, οὔτε οἰκειότερόν ἐστιν οὐδέν. *Quo neque religioſior locus in hominibus eſt, neque ſuauior, neque familiarior quisquam.* Add. ARISTOTELES Oecon. L. I. c. 3. Tum communis ſobolis educationem commodiſſime inſtitui coniunctis vtriusque parentis operis, quorum animi iſto velut pignore in mutuum amorem arctius conſtringuntur. Geneſ. XXIX, 32. Apud LYSIAM Orat. I. dicitur: *Poſtquam infans mihi natus fuit, confidebam tum ipſi, & omnia mea committebam,* ἡγούμενος ταύτην οἰκειότητα μεγίστην εἶναι, *exiſtimans hoc firmiſſimum coniunctionis noſtrae eſſe vinculum.* SENECA Herc. Oetaeo: [v. 407.] *Conciliat animos coniugum partus fere.* Praeterea cohabitationem continuam plurimum continere iucunditatis inter coniuges, bene compoſitos: ac per eandem certius conſtare poſſe marito de caſtitate vxoris, quam ſi iſta fide duntaxat data ſeorſim habitet. Igitur matrimonium regulare & perfectum, ac naturali rationi, vitaeque ciuilis vſui aptiſſimum, praeter pactum de praebendo corpore hoc quoque comprehendit, vt vxor viro continuo cohabitet, adeoque in arctiſſimam vitae ſocietatem, eandemque familiam cum ipſo coaleſcat, educandae commodius ſoboli, & ad mutuum vitae auxilium ſimul ac recreationem. [Cui [6] ipſi & mutua promiſſio de tali inuicem conuerſatione, qualem indoles eius ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur.] DEMOSTHENES in Neaeram. Τὰς γυναῖκας ἔχομεν τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. *Vxores habemus propter ingenuos liberos ſuſcipiendos, & fidelem rei familiaris cuſtodiam.* Add. XENOPHON Oeconomico, & COLVMELLA de Re Ruſtica. L. XII. Praefat. Huc ſpectat, quod apud Chinenſes ideo credatur receptum, vt foeminae pedes arcte colligent, ex quo ſine magno doloris ſenſu incedere non poſſunt; vt non per publica loca vagari, ſed domi manere diſcant. Conf. MARTINIVS Hiſtor. Sin L. III. c. 28. PLVTARCHVS Coniugalibus praeceptis. *Sicut humores phyſici dicunt totos totis permiſceri; ita oportet matrimonium contrahentium corpora, opes, amicos, familiaresque inuicem confundi. Etenim Romanus legislator lege cauit, ne coniugum alter donaret alteri quidquam: non vt nullius rei participes fierent, ſed vt omnia communia iudicarent.* QVINTILIANVS Declam. 249. *Matrimoniis ſcitis contineri ciuitatem, his populos, his liberos & ſucceſſionem patrimoniorum, & gradum haereditatum, & ſecuritatem domeſticam. Quomodo*

5) De incoliſis inſulae Balearium DIODORVS SICVLVS L. V. c. 18. *Abſurdum circa nuptias inſtitutum habent. In conuiuio enim nuptiali neceſſariorum & amicorum quisque aetate primus, deinceps & caeteri ordine cum noua nupta ſingulatim rem habent, donec ad ſponſum honor ille vltimum tandem defertur.* H.

6) Adiecimus hunc verſum, praeeunte Cl. BARBEYRACO ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 2. §. 4.

do enim peregrinabimur, quomodo ad colendos diſcedemus agros, quae nobis ſecuritas dabitur ſuſcipientibus legationes publicas, euntibus in militiam. SENECA Octauia. [v. 189. & ſeqq.]

> *Iuuenilis ardor impetu primo furit;*
> *Langueſcit idem facile, nec durat diu*
> *In venere turpi, eeu leuis flammae vapor.*
> *Amor, perennis coniugis caſtae, manet.*

Ex hiſce porro facile colligitur, quare mariti ſit de domicilio conſtituere; ſcilicet quia maritus vxorem in ſuam adſciuit familiam, non vice verſa; cuius ille vtique caput & director exſiſtit. Etſi nemo temere ita durus fuerit, vt heic non & vxoris rationem habeat; praeſertim ſi aliquam fortunarum partem ipſi debeat. Deinde & hoc inde patet, ſaluo pacto matrimoniali non poſſe vxorem inuito marito peregre abire, aut ſecubare, aut ob cauſam non idoneam corporis ſui vſum ipſi denegare. Hinc denique fluit fundamentum praeſumtionis illius, quare quiſque habeatur filius mariti ſuae matris, ſeu quare filius ciuiliter ſit, quem nuptiae demonſtrant, niſi grauioribus argumentis ea praeſumtio elidatur [7]. Vid. GELLIVS L. III. c. 16. PLINIVS N. H. L. VII. c. 5. Etſi foeminis nimis faueant leges Anglorum, quae maritum etiam per aliquot annos abſentem pro ſuo cogunt agnoſcere prolem, interea ab vxore ſua genitam, modo ipſe interea temporis ſemper intra inſulam fuerit, Eduard. CHAMBERLAINE Notit. Angl. Part. I. c. 16. Nempe quia & in hoc fidem dedit marito vxor, quam obſeruare praeſumitur; & iſti competit poteſtas cuſtodiendi vxoris integritatem. Suo autem iure, ſuaque poteſtate quemque rite vti creditur. Gyges apud HERODOTVM Clio. [p. 3. Ed. H. Steph.] Τινὰ σκοπεύειν τὰ ἑαυτοῦ. *Quae ſua ſint quemque inſpicere debere.* Quo facit illud PLATONIS Alcibiade 1. [p. 441. Ed. Wechel.] *Lacedaemoniorum regum vxores publice obſeruantur ab Ephoris, vt quoad fieri poteſt, Rex non ex alio, quam Heraclidarum genere latenter oriatur. Perſarum vero Rex adeo excellit, vt nemo ſuſpicetur, regem ex alio, quam ex ipſo genitum eſſe. Quamobrem regis vxor non ab alio, quam metu cuſtoditur.* Hinc quoque non citra omnem rationem vulgo maritis ex vxorum impudicitia nonnulla labes ignominiae adſpergi iudicatur; ideo quod ex imprudentia, aut per animi abiectionem poteſtate ſua vti ignorarint. Add. CARTESIVS de Paſſion. art. 169. Et recte Domitianus equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſae adulterii crimen intenderat, iudicum albo eraſit. SVETONIVS Domitiano, c. 8. Ac lege Attica infamis (ἄτιμος,) erat, qui vxorem in adulterio deprehenſam retinuiſſet. Apud DEMOSTHENEM in Neaeram. Add. *L. 29. princ. L. 2. §. 6. D. ad L. Iuliam de Adulteriis* [8]. Apud TACITVM A. II. [c. 85. num. 3.] *exactum a Labeone Veſtiliae marito, cur in vxore delicti maniſeſta vltionem legis omiſiſſet?*

7) Vid. ſupra L. IV. c. 2. §. 4.

8) *L. 37. D. de Minorib.* In conſtitutionibus, quarum collectio Clementi adſcribitur, eſt: Ὁ κατέχων τὴν παρεφθαρμένην, φύσεως θεσμῶν παρανομεῖ· ἐπείπερ ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων καὶ ἀσεβής. *Qui impudicam retinet, in naturae leges eſt iniurius: nam qui adulteram retinet: & impudens eſt impius.* Vid. tamen *Nouell. 134. c. 10. & c. 3. X. de Adulter. & ſup. c.* II.

qui praetendit, *ſexaginta dies ad conſultandum datos necdum praeteriiſſe.* Quanquam ſint, qui eius contumeliae cauſam inde deriuent, quod opprobrio videatur carere aliquem iis dotibus, quae amorem mereri, aut promiſſum conſeruare queant. Etſi qui ei malo commodum remedium afferre nequeant, aut ſi grauia mala vindictam ſecutura ſint tutiſſimi ſequantur illud EVRIPIDIS Hippol. Coron. Ἐν σοφοῖσι τάδ᾽ ἐςὶ θνητῶν, λανθάνειν τὰ μὴ καλά. *Id ſapientiae eſt mortalium latere parum honeſta in abdito.* Add. PLVTARCHVS de animi tranquillitate. p. m. 467. E. F. Atque circa has tantum admitti poteſt, quod CHARRON de la Sageſſe L. I c. 39. n. 11. inter ſtolidas vulgi opiniones refert pro grandi contumelia impudicitiam vxoris alicui exprobrare. Cur enim quis alienum peccatum luat, cui remedium afferre penes ipſum non ſit? Eiusmodi porro maritorum inſignia, quae vulgo per ludibrium iactantur, noua non eſſe, neque ſolis Occidentalibus vſurpata, adparet ex NICETA ACOMINATO L. II. de Imperio Andronici [9] vbi refert, illum imperatorem eximia cornua ceruorum, quos venatus erat, in porticibus fori ſuſpendiſſe, per ſpeciem oſtentandae magnitudinis ferarum, quas cepiſſet; cum reuera mores ciuitatis, & vxorum laſciuiam notaret. Caeterum vti adultera vocari nequit, quae inuita & reluctans alienae libidini ſuccubuit, (vid. GRATIANVS Cauſ. 32. quaeſt. 5. c. 2. ſeqq.) ita talem retinuiſſe in ſe cum turpitudine coniunctum non videtur [10]. Etſi vtique probandum ſit factum Dauidis 2. Samuel. XX, 3.

§. XI. ILLVD vlterius inueſtigandum, an mero iure naturae ex principali pacto matrimonii perfecti neceſſario reſultet imperium proprie dictum mariti in vxorem? Equidem in diuinis literis vxoris voluntas marito ſubeſſe iubetur, & hic iſtius dominus expreſſe conſtituitur. Quia tamen id in poenae vicem foeminae legitur iniunctum, poſitiui duntaxat iuris idem videri poteſt. Circa eruendum ergo Ius naturale heic erit primo obſeruandum, non ſtatim imperio alterius eſſe ſubiectum, qui in certo negotiorum genere alterius voluntatem ſequi tenetur; quippe cum hoc etiam ex ſimplici pacto poſſit oriri. Dantur enim pacta, imprimis ex eo genere, do vt facias, & facio vt facias, vbi ab initio quidem par vtrinque libertas, pactum velint inire, vel non. Eodem tamen inito neceſſarium eſt, vt in eo negotio, ſuper quo conuentum fuit, vna pars ſequatur voluntatem alterius, non vice verſa. Inde vtut in negotiis matrimonio peculiaribus vxor ad voluntatem mariti ſeſe componere tenetur; non tamen ſtatim quoad alias quoque actiones imperium huic in illam neceſſario competit. Deinde matrimonii finis non, vti ciuitatum, eſt defenſio & ſecuritas hominum. Nam & inter pauciores homines ea ſocietas ſubſiſtit,

9) Adde, ſi tanti videtur, argumentum leue & tantum non dilutum, SALMASIVM ad Tertullianum de Pallio p. 338. 339.

10) Quid enim eſt quod tali imputetur? Amici conſolabantur Lucretiam apud LIVIVM L. I. c. 58. *Mentem peccare, non corpus: & vnde conſilium abfuerit, culpam abeſſe.* Vid. infra §. 21. H.

§. XI. 1) Eninuero AVCTOR ipſe infra §. 13. concedit, vxorem intolerabilia perpetrantem poſſe tanquam hoſtem familia eiici, & velut iure belli occidi. Quomodo vero ius belli queat habere locum in ea, quae ſe mihi ſubiecit, non video. Rectius

ſubſiſtit, quam quarum vires coniunctae mutuam praeſtare ſecuritatem queant; (quantillum enim praeſidii a coniunctione foeminae accedere poſſit?) & propagationem generis humani pro fine iſta habet. Inde vti ciuitates ſine imperio nequeunt intelligi: ita matrimonium ſolo pacto, & amicitia citra imperium contineri poſſe videtur. Equidem habet & familia ſegrex cumprimis ciuitatis inſtar, in quam dum recipitur vxor, eiuſdem regimen ſubire debere videtur; cum & in hac irregularis valde ſit ſtatus biceps, aut vt in ea exſiſtat aliquis, eiusdem capiti non ſubiectus. Sed reponi poteſt, familias, numeroſo praeſertim ſeruitio florentes, poſſe habere duplicem finem, alium cum ciuitatibus communem, alium peculiarem. Communis finis ſpectatur in defenſione & ſecuritate, ex coniunctione plurium reſultans. Heic etſi imperium ſit neceſſarium; cum tamen vxor ad eundem finem vix momenti quid afferat, ſufficere ad vnitatem familiae poteſt, ſi ipſa ſimplici pacto, ac per modum amicitiae viro ſit coniuncta. Sic Abrahamus in caeteros ſuos familiares imperium vtique exercuit: Saram tamen non aliter quam ſororia aequalitate videtur habuiſſe. Vid. Geneſ. XVI, 2. 5. 6. XXI, 10. 11. 12. Quanquam inſigniter in ſacris literis commendetur ipſius erga maritum obſeruantia, quod *dominum* ipſum vocauerit. 1. Petr. III, 6. Finis autem matrimonio peculiaris itidem videtur ſat commode obtineri poſſe, etſi vnus coniugum in alterum non habeat imperium proprie dictum [1], & quod ius vitae ac necis, ac grauiorem coërcitionem complectatur; ſed amicitia duntaxat & pactum coniuges contineat. Quod pactum tamen, quia mariti conditio in eo eſt melior, accedente etiam ſexus praeſtantia, naturam foederis inaequalis aemulatur; in quo vxor marito obſeruantiam maxime, hic illi protectionem debeat. MARTIALIS L. IIX. Ep. 12. [v. 3. 4.] *Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito: Non aliter fuerint foemina, virque pares.* PLINIVS Paneg. [c. 73. num. 4. & 7.] *Multis ne maximi ciues haberentur, hoc offecit, quod mariti minores erant.* Neque tamen iure naturali quidquam obſtat, quo minus vxor etiam proprie dictum imperium mariti ſubeat. Nam ſeſe hautquidquam inuicem deſtruunt metus imperii, & amicitia coniugalis: non magis quam imperium in principe amorem ciuium per ſe extinguit. Idque imperium non ſolum ſinguli ſibi mariti quaerere poſſunt, per pactum matrimoniali conuentioni adiectum, ſed & apud integros populos publica lege id ſanciri ſueuit [2]. De Gallis CAESAR de B. G. L. VI. [c. 19.] tradit, ipſos habuiſſe in vxores, ſicut & in liberos *ius vitae & necis.* Apud Germanos maritis adulterii poena fuit permiſſa [3]. TACITVS German. c. 19. Et quidem velut pro imperio ſumenda, non quod ipſorum iracundiae aliquid indulgeretur; ſicut de ſeruis IDEM d. l. ait: *Occidere ſolent ſeruum, non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu & ira, vt inimicum, niſi quod impune.* GELLIVS

Rectius dicitur, ex fine ſocietatis huius id fluere. Sane veteres patresfamilias eam poteſtatem in vxores exercuiſſe, teſtem habemus ARISTOTELEM I. Polit. 1. circ. extrem. qui eius fidem illum Homeri verſum profert: θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠ δ' ἀλόχων. *Natis dat & coniugibus leges quiſque.* Et cum Laban Deaſtros ſibi furto ablatos quereretur, Iacobus, nullo prius cum vxoribus habito conſilio, reum eius criminis mala morte periturum, protinus pronunciat. Geneſeos XXXI, 32. H.

2) PLVTARCHVS Themiſtocle: *Nationes barbarae fere, & praeter caeteras Perſica, aemulatione erga mulieres aſperae natura ſunt & atroces.* H.

3) Adde ſupra L. II. c. 5. §. 15. & in annot. H

LIVS L.X. c.23. ex Oratione Catonis: *Vir, niſi eum diuortium fecit, mulieri iudex, & pro cenſore eſt; Imperium, quod videtur, habet. Si quid peruerſe taeterque factum eſt a muliere, multatur: ſi vinum bibit, ſi eum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Item: *In adulterio vxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine iudicio impune necares, illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere, neque ius eſt.* TACITVS Ann. XIII. 32. *Pomponia Graecina, ſuperſtitionis externae rea, mariti iudicio permiſſa. Isque priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognouit.* Add. quoque EVRIPIDES Medea v. 230. ſeqq. Et de Iaponiorum Moribus Bernhard. VARENIVS Deſcript. Iapon. cap. 13. Lex WISIGOTHORVM L. IV. Tit. 4. cap. 3. Memorabile eſt, quod de Sacis refert AELIANVS V. H. L. XII. c. 38. *Si quis puellam vxorem ducere cupit, pugnam cum ea ſuſcipit: & ſi illa ſuperior ſit, captiuum abducit, atque imperium in eum tenet: ſin inferior, regitur ab ipſo. Certant autem non de vita, ſed de victoria.* Porro quantum marito poteſtatis in bona vxoris competat, itidem ex ipſorum conuentione, aut legibus ciuilibus dependet. His enim vtique ſtandum, ſiquidem definierint, an foeminae cum dote ſint elocandae, an bonorum inter coniuges debeat eſſe confuſio, an maritus plenam aut reſtrictam facultatem circa bona dotalia diſponendi habeat, & quae ſunt ſimilia. Apud Iaponios dotem viris nullam afferunt vxores: opulentiores quidem parentes ſolent interdum cum filiabus ſuis ipſo nuptiarum die certam pecuniae ſummam ad ſponſum mittere: verum eam hic cum ceremoniis remittit. Nolunt enim quidquam admittere, ex quo vxor occaſionem ſuperbiae capiat. Prouerbium quoque crebro in ore habent, foeminam toto vitae tempore propria carere habitatione. Puellam enim in parentum aedibus, nuptam in mariti, viduam in liberorum domibus agere. Bern. VARENIVS Deſcr. Iapon. c. 12. Obiter quoque notandus mos veterum Thracum, apud SOLINVM c. 15. *Nupturae non parentum arbitratu tranſeunt ad maritos, ſed quae prae caeteris ſpecie valent, ſubhaſtari volunt, & licentia taxationis admiſſa non moribus nubunt, ſed praemiis. Quas forma e premit decus dotibus emunt, qui coniunguntur.* Sic apud XENOPHONTEM ἀναβάσ. L. VII. Seuthes: *Si tibi filia eſt, eam Thracio more mihi emam.* Add. HERACLIDES de Politiis & Mela L. II. c. 2. Sic Aſſyrii quoque Virgines publice venum exponebant. AELIANVS V. H. L. IV. c. 1. HERODOTVS Clio. Addantur, quae ſuper probibitis donationibus inter virum & vxorem diſponunt leges Rom. *L. 1. 2. 3. princ. D. de Donat. inter virum & vxorem.* Vbi leges ciuiles nihil heic conſtituunt, aut vbi in naturali viuitur libertate, circa iſta pro lubitu paciſci inter ſe coniugibus licet.

§. XII. AD iſthaec illuſtranda facit expendiſſe, quae Ioh. Frid. HORNIVS de Ciuitate L. I. c. 1. tradit. Vbi primo reiicit eos, qui imperium mariti in vxorem *a natura* eſſe dicunt. Quod probamus, ſiquidem hoc aſſeratur; per ipſam naturam citra interueniens pactum, & vltroneam vxoris ſubiectionem marito imperium competere. Id quippe repugnat naturali hominum aequalitati; & ſola aptitudo imperium non confert. Inde contendit: *Nullum imperium ſiue publicum ſiue priuatum homini in hominem competere, absque expreſſiſſima*

preſſiſſima conſtitutione Dei, eiuſdemque praeſentiſſimo interuentu. Heic obſeruandum, quando origo imperii inueſtigatur, proprie quaeri cauſam proximam, immediatam, & ſecundam: primam autem, & vniuerſalem cauſam ſemper praeſupponi. Vnde licet Dei mandatum, ſuper introducendo aliquo ordine inter homines extet; adhuc tamen quaeſtio ſupereſt, quibus pactis interuenientibus factum ſit, vt homines ad praeſcriptum Dei ſeſe componerent. Nam valde imperitum eſt credere, quando Deus alicuius rei moralis auctor dicitur, eodem modo hanc ab ipſo productam, ſicut coelum & terra ſine interuentu vllius creaturae ab ipſo creata ſunt. Neque etiam licet Deus iuſſerit tabernaculum fieri, ideo, qui operi manum admouerunt, non proxima & immediata cauſa eiuſdem vocari queunt. Vnde licet Deus praeceperit, vt mulier viro pareat; tamen vt huius imperium actu exſiſtat, illa pacto huic ſeſe ſubiicere debet, quo ipſo idem actu & immediate iſtius dominus conſtituitur. Sicuti venatione vtique opus eſt, vtut Deus dixerit; dominamini beſtiis terrae. Vanum quoque eſt argumentum: *Vxor non habet poteſtatem maritalem, ergo non poteſt eam in maritum conferre.* Quaſi vero per conuentiones hominum non poſſit produci qualitas moralis [1], quae antea formaliter non extabat. Nam vt imperium conſtituatur, non eſt neceſſum, vt illud in vno iam formaliter exſiſtat [2], & in alterum transferatur: (ſicut ſi ſubſtantiae phyſicae ab vno in alterum ſint transferendae, oportet vt prius exſiſtant:) ſed illud oritur, quando quis ſeſe abdicat aduerſus alterum facultate reſiſtendi, quam alias per naturalem libertatem habebat, ſuamque voluntatem, fide in hoc data iſtius voluntati ſubiicit. Porro licet in ſacris literis Euae ſubiectio in poenam ſeducti mariti iniuncta dicatur: tamen ex hocce non ſequitur, imperium maritale poſt lapſum non habere ſecundam, & proximam cauſam conuentionem inter maritum & vxorem. Nam cum non omnis obſequii neceſſitas infelicitatem habeat coniunctam, (ſicuti beatiſſimus Angelorum ſtatus non minuitur, quod ipſi Deo addictiſſime pareant;) id iam poenae vicem in ſubiectione mulieris habet, quod inuita & ſtimulante ſemper dominandi libidine iugum ferat. Igitur ſibi inuicem haec non repugnant: imperium maritale naturaliter ex conſenſu mulieris oritur; & Deus in vicem poenae mulieribus illud imperium fecit moleſtum. Illa enim inanis eſt ſubtilitas: *Quicquid nunc voluntatis, & voluntarii pacti in muliere occurrit, id ad contrahendum matrimonium pertinet; & conſequenter interpretandum eſt ad aſſenſum & adprobationem, qua in ſecuturo certi mariti imperio foemina adquieſcit.* Quaſi diceret, imperium maritale conſenſu vxoris non producitur, ſed illud iuſſu Dei iam conſtitutum vxor conſenſu ſuo ſubit. Sicut viator diuerſorium non extruit, ſed illud iam extructum vltro intrat. Sed probe notandum, imperium hominis in hominem tanquam ens morale non exſiſtere ſine actu humano, neque citra obſequium intelligi. Nulla quippe foeminae ad obſequium exſiſtit obligatio, antequam conſenſu ſuo viro ſe ſubdiderit. Quod ipſum vt fiat, etſi voluntati diuinae ſit congruum; id tamen non impedit, quo minus ipſius pactum, & id comitata ſubiectio, immediata & proxima ſit cauſa imperii maritalis productiua. §. XIII.

§. XII. 1) Conf. infra L. VII. c. 2. §. 4. ſeq. H. 2) Vid. infra L. VII. c. 3. §. 4. & ſeqq.

Digitized by Google

§. XIII. Sed nec illud Eidem dicto loco concedimus, marito praeter imperium in rebus coniugii & familiae, omnino competere *ius vitae & necis*, & in hoc iure *ſummam imperii maritalis conſiſtere.* Quae tamen poteſtas intelligatur, quatenus ab imperio ciuili nondum fuerit reſtricta; & quae non conſiſtat in licentia aliqua, excuſante crudelitatem parricidii, ſed in legitima facultate capitalia ſcelera condigne puniendi. Enimuero quod *omne imperium, quatenus in ſubiecto proprio eſt, nec precario habetur ab aliquo homine, aut a ſuperiore non eſt circumſcriptum, importet ius vitae & necis;* gratis vix crediderim. Sane ad finem matrimonii tanto imperio non eſt opus. Et ſi quis credat, quaeuis atrocia delicta in forum humanum trahi debere; quis in familia ſegrege patremfamilias, quis in ciuitate regem puniet? Quod ſi intolerabilia perpetret vxor, poterit tanquam hoſtis familia eiici, & velut iure belli occidi. Iam ante tamen admiſimus, naturae matrimonii eiusmodi imperium non repugnare.

§. XIV. Hoc loco etiam eſt explicandum vulgatum ICtorum dicterium: *Conſenſus, non concubitus facit matrimonium. L. 15. D. de Condit. & demonſtr.* Aut vti Qvintilianvs Declamat. 247. loquitur: *Coitus atque congreſſus citra ius non efficit vxorem*, vid. *c. 5. cauſ. 27. quaeſt. 2.* Cuius duplex eſſe ſenſus poteſt; vel quod non ſtatim, qui inter ſe conſueuerunt, coniuges ſint, niſi in matrimonium conſenſerint [1]. Virgilivs Aeneid. 4. [v. 338. 339.] *Nec coniugis vnquam praetendi taedas, aut haec in foedera veni.* Vel quod ſtatim atque vtrinque conſenſum fuerit, contractus matrimonialis perfectus cenſeatur, etiam ante concubitum. Vbi tamen iudicauerim, quemadmodum ad plenum rei dominium transferendum requiritur, vt res ſub alicuius poteſtate ita conſtituatur, quo de ea quandocunque placuerit diſponere queat: ita vt aliqua proprie alterius vxor dici queat, neceſſum videtur, ita ipſam velut in manus viri conueniſſe, vt ea tanquam vxore poſſit vti. Id quod tamen vt a concubitu incipiat, hautquidquam requiritur. Sic Iſaaco vxor fiebat Rebecca, poſtquam eam deduxiſſet in tabernaculum matris ſuae, Geneſ. XXV, vlt. Sic dubito an adulteram vocare poſſimus, quae alicui abſenti deſponſata, tertio interea, antequam domum deducatur, coniungitur; vtut per mandatarium dicis cauſa nuptiae ſint conſummatae. Contra abſurdum foret, Saram Tobiae iunioris vxorem velle negare primo trinoctio [2]. Vid. Tobiae VI, 19. Aut hodie noſtris moribus poſt copulam ſacerdotalem, antequam Heſperus hymenaeum exciuerit [3]. Ex mente Ebraeorum, vti tradit Seldenvs L. V. c. 4. ad matrimonium ante legem Moſaicam requirebatur praeter conſenſum etiam concubitus. Sic vt iſtis ſeculis matrimonium eſſet corporalis viri, & foeminae coniunctio, praeeunte in vitae & lecti ſocietatem conſenſu. Sed Ebraeorum iure

§. XIV. 1) *Non* enim aliquando notat idem quod *non tantum L. 54. D. ad L. Cornel. de Sicar. L. 9. ad L. Iuliam de Vi publica.* H.

2) Ita res narratur in verſione Vulgata & Lutheri, vbi Angelus Raphaël Tobiam a Sara recens nupta abſtinere iubet per Trinoctium. *Tu autem*, inquit, *cum acceperis, eam ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea.* Qua ratione rectiſſime ſe habet hic locus ab Auctore adductus. Sed deeſt is in Verſione LXX. Senum, niſi huc trahere velis, v. 17. Ὅταν δὲ προσπορεύῃ αὐτῇ ἐγέρθητε ἀμφότεροι, καὶ βοήσατε πρὸς τὸν ἐλεήμονα θεόν, καὶ σώσει ὑμᾶς καὶ ἐλεήσει. Diſcrepantia haec non aliunde

iure ciuili ſolus conſenſus nuptias faciebat. Deuter. XXII, 23. 24. Add. *L. 8. C. de Inceſtis & inutil. nuptiis.* Quo loco addendum, quod notauit GROTIVS ad Matth. I, 18. apud Ebraeos ſponſas intactas fuiſſe, donec conuocato coetu matrimonium ſolenni prece initiaretur: quod non tam lege praeceptum, quam ab antiquiſſimis patribus traditum Iudaei vt olim, ita nunc quoque obſeruant, a quibus ad Chriſtianos id inſtitutum honeſtatis pleniſſimum manauit. Itaque etſi virginalis pudicitiae cuſtodiam in ſe recepiſſet ſponſus, manebat tamen ſponſa ad nuptiarum diem ἐν τῇ γυναικωνίτιδι a ſponſo ſequeſtrata, perinde quaſi in alia domo ageret. Conf. Geneſ. XXIV, 67. Deut. XXI, 13.

§. XV. CONSEQVENS eſt, vt inquiramus, num iure naturali matrimonia non poſſint eſſe, niſi inter vnum marem, & vnam foeminam; ſeu quod idem eſt, num eodem iure polygamia ſit licita? Eſt autem polygamia duplex, vna, qua plures viri vni foeminae promiſcue iunguntur, aut vna foemina pluribus viris ſimul nubit: altera, qua vnus vir plures ſimul habet vxores. Ad priorem ſpeciem poſſis referre communionem vxorum Platonicam tantopere exagitatam; de qua PLATO L. V. de Rep. & in eius libri praefatione Marſilius Ficinus. Cui non abſimilem Taprobanenſibus tribuit DIODORVS SICVLVS L. II. c. 58. *Mulieres nuptum haut ducunt, ſed promiſcue communes habent: & natos inde filios, vt omnium communes, pari complectuntur amore, nutriuntque. A nutricibus pueri adhuc infantes ſaepe commutantur, vt nec matres ſuas agnoſcere queant.* Add. IDEM L. III. c. 15. de Ichthyophagis; & L. III. c. 24. de Hylophagis. & L. III. c. 32. de Nomadibus, quorum mentionem etiam facit STRABO L. VII. De foedis moribus Garamantum vid. PLINIVS N. H. L. V. c. 8. & SOLINVS c. 43. & Troglodytarum AGATHARCHIDES c. 30. & Pompon. MELA L. I. c. 8. & Agathyrſorum HERODOTVS Melpomene. [pag. 161. Ed. H. Steph.] & Gindanorum atque Nomadum IDEM ibid. De incolis Thules neſcio qua fide SOLINVS c. 35. *Vtuntur foeminis vulgo, certum matrimonium nulli.* Item, quod CAESAR L. V. de B. G. [c. 14.] de antiquis Britannis [1] tradit: *Vxores habent deni duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Sed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, a quibus primum virgines quaeque ductae ſunt.* Vbi manifeſtum eſt, Caeſaris mentem non eſſe hanc, quaſi vna foemina denis duodenisque ſimul nupſerit; quod ipſe quoque SELDENVS L. V. c. 11. credidit: ſed quod deni quidem, duodenique, vbi ſuam quisque vxorem duxiſſet, eas deinceps inter ſe communes habuerint, vt qui cum cuique placeret concumberet. Meminit eius moris, ſed minus diſtincte, XIPHILINVS Epit. Dionis in Nerone, in oratione Bundoicae & in Seuero. Non abſimilia de Sabaeis refert STRABO L. XVI. [p. 538. Ed. Geneu.] *Quae poſſi-*

aliunde eſt, quam a diuerſitate Codicum Chaldaicorum (hoc enim ſermone Tobias primum ſcriptus eſt,) quos Graeci & Vulgatus interpres ſequuti ſunt, orta videtur. Vulgata tamen verſio hoc loco praeferenda eſt propter c. 8. v. 4. Quod Cl. BARBEYRACO in mentem reuocamus, qui falſo Tobiam ab AVCTORE laudari monebat.

3) Quod tamen ad plenarium nuptiarum effectum, & praeſertim ad lucranda illa, quae ſuperſtiti ex pacto vel legibus debentur, iura nonnullorum populorum requirunt. Vid. Nicol. HENELIVS de Dotalit. c. 4. §. 2. 3. & 4. H.

§. XV. 1) De Hibernis veteribus SELDENVM L. III. V. H. c. 30. H.

poſſident, omnibus conſanguineis ſunt communia, ſed natu grandior dominus eſt. Vna omnibus vxor eſt, qui prior ingreditur, poſito ante ianuam baculo cum ea congreditur: ea tamen cum grandiore pernoctat: quapropter omnes omnium ſunt fratres. Adulter capite plectitur. Adulter vero ex alio genere eſt. Add. quae IDEM L. XI. de Maſſagetis & Tapyris tradit. De quibusdam incolis regni Calecuti Ludouicus ROMANVS Nauig. L. V. c. 8. *Foemina ſeptennis nubit viris, qui in concubitum noctes alternant. Vbi autem pepererint mulieres prolem, delegant ad quemcunque ex ſeptem coniugibus voluerint, a quarum aſſertione nulla eſt prouocatio.* Paria habet Petrus de VALLE Itiner. Part. III. Epiſt. 7. Huc referre poſſis, quod ex Aenea Syluio de Lithuanis tradit Ioh. BOEMVS de Morib gent. L. III. c. 7. *Inter ſe matronae palam concubinos habent virorum permiſſu, quos connubii vocant adiutores: contra pellicatus viris probro datur.* Sic e Republica Spartana Lycurgus, referente PLVTARCHO in eius vita [2], conatus eſt eiicere τὴν κενὴν καὶ γυναικώδη ζηλοτυπίαν, *inanem & muliebrem zelotypiam, permiſſa contra liberorum, eorumque procreationis communicatione inter honeſtos: deridens eos, qui haec velut ſecluſa & abſtracta a communi vſu caedibus & bellis exſequuntur. Nam viro natu grandiori, cui florens aetate erat coniux, ſi quem probum & prudentem adoleſcentem charum haberet, probaretque, ius erat eam huic iungere, & cum impleta eſſet egregio ſemine, ſibi vindicare partum. E diuerſo liberum erat bono viro, ſi qua ei caſta mulier, quae elegantes pueros ederet, alteri nupta cordi eſſet, agere cum viro, vt copiam ſibi eius faceret, atque ita tanquam frugiferum aruum conſerere, & gignere liberos probos, qui proborum futuri conſanguinei; & propinqui eſſent. Ante omnia enim non duxit priuatos parentum filios Lycurgus, ſed communes ciuitatis. Quare noluit ex turmalibus, ſed ex praeſtantiſſimis generari ciues. Deinde reliquos notauit legislatores oppido inſulſos & vanos fuiſſe, qui canes & equos ad optimos admiſſarios agant, idque pretio vel gratia contendant a dominis: coniuges vero incluſas, quas ex ſolis volunt ipſis parere, cuſtodia ſepiant, ſiue amentes ſint, ſiue decrepiti, ſiue valetudinarii. Quaſi vero filii, ſi ex prauis editi ſint, non ipſis praecipue, in quorum ſunt poteſtate, & altoribus ſint praui; & contra probi, eam ſi originem nacti fuerint.* Et iſthaec acta iudicat φυσικῶς καὶ πολιτικῶς, *naturali & ciuili rationi conuenienter.* Mentionem quoque eius legis facit XENOPHON de Rebus & Legibus Lacedaemoniorum [c. 1. §. 7. Ed. Oxon.] Stoici quoque apud DIOGENEM LAERTIVM in Zenone [L. VII. §. 131. Ed. Amſt.] tradebant; vxores apud ſapientes communes eſſe debere, vt quilibet illi congrediatur, quae ſibi prior occurrit. Fore enim ſic, vt omnes patrum inſtar aequa caritate ſobolem diligant, vtque tollatur adulterii ſuſpicio & zelotypia. Add. quoque Thomas CAMPANELLA de Ciuitate Solis. Neque apud Romanos inuſitatum, vxorem alteri velut commodare, vt ex ea liberos tolleret, eamque ſi vellet, iterum recipere. Vid. PLVTARCHVS Numa. [p. 67. *D.*] Vti Marciam

2) Qui conferri meretur *in Numa*, vbi comparationem hac in re Romanorum & Lacedaemoniorum inſtituit. H.

3) Vid. ſupra § 4. H.

4) Petrus BAELIVS dans ſes nouvelles lettres contre Maimbourg Lettre XVII. §. 5. obſeruante Cl. BARBEYRACO, mores contra Catonis probat, qui, vt ab Auctore antea relatum fuit, vxorem ſuam Marciam Q. Hortenſio commodauit. Parum enim intereſſe putat Baelius, vxorem ſuam alteri quis commodet, an Calepinum, Corpus Iuris Gloſſatum, aut alium librum quemuis, eo, quod communio mulierum ex ſententia ipſius, ſenſui communi & ſanae rationi multo magis

ciam ſuam Q. Hortenſio commodauit Cato. Vid. IDEM Catone Minore [p. 771. H.] & LVCANVS L. II. v. 326. Sic lege Solonis permiſſum erat, vt puella ἐπίκληρος, quam impotens cognatus vindicauerat, ipſius cognatis ſeſe poſſet ſubſternere. Vid. PLVTARCHVS Solone [p. 89. B.] Enimuero quin haec omnia iuri naturali repugnent, dubitare fas non eſt. Conf. Matth. XXII, 25. ſeqq. Nam naturalis & regularis matrimonii finis eſt [3], certam ſibi, & ſuam prolem quaerere. Ad quid in iſta confuſione ſuum quis poſſet agnoſcere? Et cum non niſi ex vno eodem tempore foetus queat concipi, nii niſi vt libidini ſatisfiat, heic quaeritur. Adparet quoque dulciſſima neceſſitudinum vocabula hoc modo confundi aut velut aboleri. Nam quod PLATO L. V. de Republica [p. 658. A. Ed. Wechel.] non vocabula tantum cognationis, puta patris, matris, filii, filiae, fratris, ſororis, ſed & officia iſtis neceſſitudinibus debita per legem imponere, & aetate ſuperiores pro parentibus, minores pro liberis, aequales pro fratribus haberi vult, id fruſtra eſt. Nam nullum patrem habet, qui certum non habet. Bene LACTANTIVS Diu. Inſtit. L. III. c. 20. *Si omnes omnium liberi ſint, quis amare liberos, tanquam ſuos, poterit, cum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum, vnde natus ſit, neſciat? Ex quo ſit, vt non tantum alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno.* Et recte quidam miranti, quod apud Lacedaemonios adulteria non audirentur, dixit: ipſa matrimonia adulteria eſſe, innuens foedum iſtum morem commodandarum vxorum. Praeterea in eo maxime differunt connubia hominum a commixtionibus brutorum, quod vxores maritis fidem dant, de corpore ſolis ipſis praebendo. Quam fidem ſi quis maritus vltro vxori remiſerit, admittendo adiutores & vicarios, viri ac mariti nomine indignus eſt, & decori ordinis in ſocietate humana perturbator foediſſimus. Quodſi autem legislatori non ferendum videbatur, per vetuli mariti imbelliam foecundum aruum ſterileſcere; longe commodius erat medium illi damno auertendo, prohibere inter enerues ſenes, & iuuenculas matrimonium. Zelotypia porro, quae nulla ob ſuſpecta vxoris facinora animum lancinat, vti ſtolidiſſimus iuxta & miſerrimus eſt morbus: (Vid. OPPIANVS Cyneget. L. III. v. 237 ſeqq.) ita ſtudium ſeruandi integritatem vxoris, abhorrentiamque ſubſeſſores thori admittendi, honeſtati ac rationi repugnare, nemo ſanus dixerit: [4] (vid. SENECA Herc. Octau. v. 232.) adeoque iſta vxorum communicatione neque vitioſa Zelotypia tolli poterat, neque honeſta debebat. Non etiam crediderim, hac ratione maxima concordia ciues ligatum iri, ſi quilibet de quolibet dicere queat; hoc meum eſt. Ciuitates egregiis hominibus potius, quam mancis aut morbidis impleri ſine dubio melius eſt; & fortes creari fortibus, quam languidis frequentius habetur. Sed ſi vel maxime ſemper patris robora proles referret; tanti

gis conueniat, quam earundem proprietas. Videtur autem his ipſis reniti congenitus homini inſtinctus. Plerisque enim ſtudium, caſtitatem vxoris illibatam ſeruandi non minus naturale eſt, quam deſiderium ſedandi famem aut ſitim. Accedit ſumma ratio, qua prolem ex alio, nobis inuitis aut ignorantibus ſuſceptam, alere, non minus iniuſtum fuerit, quam ſpoliari a fure vel latrone. Beſtiarum exemplum, quo Ariſtippus apud Baelium vtitur, parum ad rem facit. Eſt enim homo recens natus animal, vt multo infirmius, ſic longe nobilius ceteris animantibus, & quod proinde vt primis compluribus annis ſibi ipſi conſulere nequit, ſic concurrente patris & matris cura ad ſtudium ſocialitatis educandum eſt.

Digitized by Google

tamen id non erat, vt ideo matrimonii ſanctimonia, omnis boni ordinis fundamentum, conuelli debeat. Nam huc adferre ſimilitudinem ab admiſſariis equis deſumtam, foedius eſt, quam vt refelli mereatur. Addantur, quae contra Platonem diſputat ARISTOTELES Polit. L. II. c. 2. Optime IDEM Polit. L. VII. c. 16. (21.) *Περὶ δὲ τῆς πρὸς ἄλλον ὁμιλίας, ἔςω μὲν ἁπλῶς μὴ καλὸν, ἁπτόμενον φαίνεσθαι μηδαμῆ μηδαμῶς, ὅταν ᾖ καὶ προσαγορευθῇ πόσις. Cum alio vero vel alia conſuetudinem habere, dum coniuges erunt & vocabuntur, in rebus turpiſſimis habeatur.*

§. XVI. ALTERA polygamiae ſpecies, & quae proprie ſic dicitur, qua plures vxores vni viro ſimul iunguntur; & olim & nunc plurimis populis fuit vſitata. Quid apud Ebraeos receptum fuerit, apertiſſimum eſt. vid. Deuter. XXI, 15. XVII, 16. 17. & locus AMBROSII apud Gratianum cauſ. 32. quaeſt. 4. c. 3. 7. Sic 2 Samuel. XII, 8. Deus Dauidi tanquam inſigne beneficium imputat, quod ei complures vxores, & quidem illuſtres dederit. Et prout tradit SELDENVS de Vxore Ebraica L. I. c. 9. putabant Ebraei, tot vxores ducere cuique licere, quot vellet; modo ei ſuppetat, quo ſingulis victum, veſtitum ac debitum coniugale praeſtare poſſit. Ad vitanda tamen incommoda, ex multitudine vxorum prouenientia, ſapientes eius populi monebant, quaternarium numerum a nemine, excepto rege, excedendum. Qui contra faciebat, imprudens, & maiorum inſtitutis inobediens habebatur. Pontifici autem non niſi vnam eodem tempore habendam credebant; etſi priore dimiſſa aut mortua alteram ducere non prohibebatur. Aſt regi ob praeceptum Deuter. XVII, 17. putabant interdictum, ſupra XVIII. ducere. Quod ſi autem degerent in loco, vbi monogamia tantum in vſu eſſet, etiam ipſis Ebraeis non niſi vnam ducendam volebant. Sicut & Iudaeis ſub ditione Romana degentibus interdicta eſt polygamia *L. 8. C. de Iudaeis & coelicolis.* Add. idem SELDENVS de I. N. & G. L. V. c. 6. De hodiernis Iudaeis teſtatur LEO MVTINENSIS in Hiſtoria rituum Ebraicorum Part. IV. c. 2. eos, qui in oriente habitant, plures ducere adhuc vxores; id quod in Germania non permiſſum, nec in vſu ſit. In Italia autem rariſſime, & in eo tantum caſu, vbi quis cum priore multos annos ſine prole vixit. Vbi monet SELDENVS dicto loco, in prima editione fuiſſe ſubiuncta illa verba: *Indultu tamen Romani Pontificis impetrato*; quae verba in *edit. Pariſina anno 1637.* ſunt omiſſa. De antiquis Germanis TACITVS. *Prope ſoli barbarorum ſingulis vxoribus contenti ſunt* [1], *exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Sic Ariouiſto duae fuerunt vxores, Sueua vna, altera Norica, memorante CAESARE L. I. [c. 53. num. 4.] de B. G. Graeci vtut regulariter eſſent monogami; tamen apud Athenienſes extabat plebiſcitum: *Διὰ τὸ λειπανδρεῖν, ξυναυξῆσαί τε τὸ πλῆθος, γαμεῖν μὲν ἀςὴν μίαν, παιδοποι-*

§. XVI. 1) Et in Iaponia marito non niſi vna vxor eſt. Dairus tamen duodecim ducere poteſt, & concubinas ſine numero. V. *Liber de Legat. ſocietat. Hollandicae ad Imper. Iaponiae.* H.

2) Conf. POTTERI Archaeologia Graeca L. IV. c. 11. p. 599.

3) *Nouell. 18. c. 5.* Adde legem Athalarici Gothorum Regis apud CASSIODORVM L. IX. ep. 18. Apud Romanos ne quidem pellicem iuſtae vxori ſuperinducere licuit. *L. vnic. C. de Concubin.* H.

4) Henricus VALESIVS & COVSIN in not. ad Socratem dicto loco. H.

πoιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας: *Vt propter defectum virorum, & vt multitudo hominum gliſcat, ducere liceat ciuem, liberos autem tollere etiam ex alia.* DIOGENES LAERTIVS Socrate. [L.II. §.26. Ed. Amſt.] Vnde & ATHENAEVS L.XIII. c.1. cum ob inſtitutum Cecropis dixiſſet, non probabile videri, quod quidam ſcripſerant, Socrati duas ſimul fuiſſe vxores, Xantippen & Myrto; praeſertim cum Comici poëtae, in ipſum alias dicaciſſimi, de ea re ſileant, demum addit: *Niſi forte peculiare aliquod decretum tum ob hominum paucitatem fuerit factum.* Apud GELLIVM L.XV. c.2. μισογυνίας, quae in Euripide deprehenditur, haec quoque cauſa allegatur, quod duas ſimul vxores habuerit, cum id decreto ab Athenienſibus facto ius eſſet, quorum matrimonii pertaedebat. Apud Spartanos cum Anaxandrides Rex vxorem ſterilem nollet repudiare, iuſſu Ephororum aliam foecundam iſti ſuperinducere adactus fuit. HERODOTVS Terpſichore [2] [p. 190. Ed. H. Steph.] Romanos monogamos fuiſſe notiſſimum eſt. vid. *L. 2. C. de Inceſt. nupt. L. 18. C. ad L. Iul. de adult* [3]. Et tamen de Iulio Caeſare refert SVETONIVS c. 52. eum legem voluiſſe ferre, *vt vxores liberorum quaerendorum cauſa, quas & quot vellent, ducere liceret.* Sic & de Imperatore Valentiniano memorat SOCRATES Hiſt. Eccl. L.IV. c.26. eum Seuerae vxori ſuperinduxiſſe Iuſtinam, forma praeſtantiſſimam, legemque tuliſſe, & in omnibus ciuitatibus promulgaſſe, qua cuique permiſſum δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, *Duas legitimas habere vxores.* Idem refert PAVLVS DIACONVS L.XI. Etſi ZONARAS de binis tantum ipſius vxoribus mentionem facit, de lege ſilet. Quia tamen reliqui hiſtorici AMMIANVS, ZOSIMVS, OROSIVS, Patres item Chriſtiani, qui de re connubiali toties diſputant, de iſthoc facto ſilent; inde & bigamiam illam, & legem Valentiniani pro fabula habet BARONIVS [4] Tom. IV. ad ann. Chriſti 370. §. 125. Machometes quoque in noua ſua lege polygamiam permiſit [5], aſtutiſſime ſe accommodans ad ingenium populorum, quos deceptum ibat. Nam Soli propiores plerique in Venerem feruidi: foeminae autem vel naturali indole vel ob educationem imperio maritali ita obnoxiae, vt ipſarum zelotypia pacem domeſticam non magnopere ſoleat perturbare. Etſi opulentiores apud iſtos populos ſingulas vxores ſingulis aedibus ſoleant habere incluſas, alii etiam oppidatim ſuas vxores habeant, ad vitanda iſta iurgia. RICHERIVS de Moribus Turcarum. Ratio autem huius inſtituti, quam tradit BOCCALINVS Relat. ex Parnaſſo Cent. II. c. 68. quod iſta inſeruiat diſponendis ad dominatus aſperitatem tolerandam hominibus, dum inter plures liberos diſperſae opes familias reddunt debiliores, ſubtilis quidem eſt, ſed de qua Machometes cogitare non potuit, tanto temporis ſpatio poſt ipſius obitum imperio Turcico exorto. Sic quod in India complures reges doctrinam Chriſtianam adſpernati ſint, praecipua cauſa memoratur, quod deinceps vna vxore contenti eſſe iuberentur [6].

Add.

5) V. SELDENVS L.I. Vxor. Hebr. c.9. H.

6) Idem de Sinenſibus prodidere Athan. KIRCHERVS Chinae illuſtr. Part. II. c.8. circa extr. LE COMTE nouis Comment. de Statu praeſ. Chin. ep. 12. Nimirum INNOCENTIVS III. Pontif. in c. 8. X. de Diuortiis conſtituit, vt Polygamus Chriſtiana ſacra amplexus, non niſi vnam, & quidem primam retineat. Quanquam veteres Chriſtiani tales polygamos toleraſſe, & tantum a functionibus Eccleſiae excluſiſſe videantur. Vid.

iad

Add. Abr. ROGERIVS de Bramin. Part. I. c. 13. & Alexand. de RHODES Itiner. Part. II. c. 11. [7]

§. XVII. HAEC ſpecies polygamiae vtrum iuri naturali repugnet, nec ne, inter eruditos non ſatis conuenit. Nos quae in vtramque partem iactantur argumenta proponemus, iudicio penes lectorem relicto. Qui igitur polygamiam in ſe iuri naturali non repugnare contendunt, ita diſſerunt; finem regularis matrimonii, certitudinem ſobolis & mutuum adiutorium non minus in polygamia, quam monogamia obtineri poſſe. Quod enim aliqui clamitant; *hoc modo non reciprocari fidem inter coniuges*; id quod tamen ratio dictitet, *cum aliter conſtare nequeat ratio pacti, & repenſatio fidei*; id inane eſſe. Nam mutuam fidem non in eo conſiſtere, vt praeſtationes inuicem ſint aequales. Neque finem matrimonii regularis requirere, vt quemadmodum vxor nemini corporis ſui copiam debet facere, praeterquam vni marito, ſic & maritus non poſſit alteri foeminae ſeſe impertiri, praeterquam vnicae vxori. Nam certitudinem ſobolis, quae vnam foeminam pluribus ſimul viris miſceri prohibet, in viro locum non habere. Neque minus tamen fidem vxori maritum exhibere teneri, quae ſpectatur in exhibitione adiutorii, & debiti quod vocant coniugalis. Circa quod poſterius cum multas apud nationes viris id roboris ſit, vt pluribus foeminis ſufficere poſſint, non querelam poſſe mouere plures, vnius viri vxores. Imo ſi primarium matrimonii ſcopum ſpectemus, qui eſt generatio ſobolis, etiam apud ſedatae Veneris nationes id officii apud plures foeminas vni viro implere non adeo ſupra vires eſſe; praeſertim ſi foeminae velint imitari Zenobiam Palmyrenorum reginam, quae *ne virum ſuum quidem ſciebat, niſi tentatis conceptionibus*, vti loquitur TREBELLIVS POLLIO [in XXX. tyr. c. 30.] Ergo ex intemperantia profluere, quod adeo polygamiam oderint mulieres. Quod ſi vxor a marito ſibi ſoli corporis ipſius vſum fuerit ſtipulata, ſicuti Labanus a Iacobo ſtipulabatur, ne ſuis filiabus alias vxores ſuperinduceret, id pactum vtique eſſe ſeruandum. Add. *L. 121. §. 1. D. de Verb. oblig.* Vbi id factum non fuerit, ſufficere vxori pro rata parte corpus viri poſſediſſe. Vid. Geneſ. XXX, 15. 16. HERODOTVS Thalia [p. 120. Ed. H Steph.] *ἐν περιτροπῇ γυναῖκες φοιτέουσι τοῖσι Πέρσῃσι* *Vxores Perſarum per vices in orbem apud illos pergunt.* Neque iniuriam accipere vxorem, ſi aliis quoque ſuis vxoribus ſeſe impertiat maritus; quia illa nihil iuris habet in corpus mariti, niſi quantum ex pacto connubiali ſit quaeſitum. Atqui heic ipſam non in integrum velut corpus, ſed pro rata duntaxat ius accepiſſe; & ipſam in tale connubium vltro conſenſiſſe. Ergo non niſi tunc iuſtam adeſſe querendi cauſam, quando maritis *fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.* PLAVTVS Aſinar. Act. V. ſc. 2. [v. 24.] Add. *L. 13. §. 5. D. ad L. Iul. de Adult.* & quae ad eam notat GROTIVS in Flor. ſparſ.

1 ad Timoth. III, 2. ad Titum I, 6. HIERONYMVS Epiſt. 83. ad Oceanum & in Comment. ad Titum dicto loco CHRYSOSTOMVS Hom. 10. ad Timoth. dicto loco. Adde ſi libet, Comment. noſtr. de Matrim. putatiu. §. 45. H.

7) Quibus adiungi poſſunt Nouueaux Memoires de la Chine, T. II. lettre 4. & BOSMANNI Voiage de Guinée lettre 19.

§. XVII. * Adde apud Habeſſinos vtut Chriſtianos, polygamiam quoque tolerari. Vt teſtatur Iob. LVDOLFI

ſparſ. L. XLVIII. Nam fere ita honoris auidae non ſunt mulieres, vt aequo animo velint adquieſcere illa excuſatione, quam Aelius Verus apud SPARTIANVM adhibebat vxori, de extraneis iſtius voluptatibus conquerenti: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; vxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis.* Add. PLAVTVS Mercatore Act. 4. ſc. vlt. & GRATIANVS Cauſ. 32. qu. 6. c. 2. ſeqq. Addunt praeterea, hoc modo ne quidquam ad ſeruilem conditionem redigi vxores: neque in eo flagitium eſſe, ſi prae viris inferioris ſint conditionis foeminae. Cum ipſa ſexus imbecillitas eas ſub tutela velut marium viuere ſuadeat. EVRIPIDES Supplicibus [verſ. 40. 41.] Πάντα δὶ ἀῤῥένων γυναιξὶ πράττειν εἰκὸς, αἵτινες σοφαί. *Omnia per viros agere decet mulieres, quae quidem ſapiunt.* Rationes quae afferuntur de zelotypia, de diſcordiis domeſticis, de odiis nouercalibus in ipſa prole continuandis, non efficere, iure naturali polygamiam eſſe illicitam; ſed incommoda quaedam domeſtica eandem comitari, quibus tamen neque ipſum matrimonium, neque ſecundae nuptiae deſtituuntur, quas nemo idcirco illicitas dixerit. Neque vero haec incommoda vbique locorum aeque deprehendi, ſed duntaxat apud illas nationes, vbi erecta nimis ſunt foeminarum ingenia, aut vbi obnoxii nimis vxoribus mariti viuunt. Apud multos populos naturali indole, an propter educationem, foeminas maritis addictius parere, (vid. BENZO Hiſt. noui orbis Part. I. c. 37.) nec cordato viro inter plures quoque vxores domeſticam pacem ſeruare difficile eſſe *. Dionyſii GOTHOFREDI ad L. 7. C. de Iudaeis & coelicolis rationes qui expenderit, ſat leues deprehendet.

§. XVIII. Ex altera parte vrgetur praeceptum decalogi de non moechando, quod nemo vnquam dixit aut dicet ad foeminas tantum pertinere. Si ergo ad vtroſque coniuges pertinet, maritus committet adulterium, quotiens fidem matrimonii dederit alteri, aut in thorum receperit alteram foeminam, inuita ea, cui poteſtatem in ſuum corpus fide interpoſita primum dedit. GRATIANVS Cauſ. 32. quaeſt. 5. c. 15. 16. 23. Vid. BOECLERVS ad Grot. L. II. c. 5. §. 9. His reponit nonnulla HOBBES de Ciue c. 6. §. 16. & c. 14. §. 9. quae alio loco a nobis excutientur. Anton. MATTHAEVS de Criminibus ad L. Iul. de adult. c. 1. §. 13. negat, per polygamiam committi adulterium. (§. 12. negauerat, adulterium a marito committi cum innupta) Adulterium quippe committi cum nupta alteri. *L. 6. §. 1. D. h. t.* Neque omnem violationem fidei coniugalis eſſe adulterium. Nam & qui malitioſe deſerit, qui debitum non reddit, qui non alit vxorem, contra fidem coniugalem facit; nec tamen ideo adulter cluet. Addit, licet iniquum ſit, virum ab vxore exigere pudicitiam, quam ipſe non exhibeat; non tamen inde effici, aequale vtriusque peccatum eſſe *. Quem enim neſcire, maiorem

LVDOLFI L. III. Hiſt. Aethiopic. c. 1. n. 64. & c. 6. n. 100. Et praeclaros Theologos quondam ſub memorabili exemplo magno conſenſu ſtatuiſſe, poſſe polygamiam, vt maioris peccati euitetur neceſſitas, etiam inter Chriſtianos eſſe licitam, docet SECKENDORFIVS L. III. Commentar. de Lutheraniſm. §. 79. addit. 3. H.

§. XVIII. * *Periniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat.* L. 13. § 5. D. ad Leg. Iuliam de Adulter. coërc.

iorem pudicitiae rationem vxoribus conſtare debere, qua propter ſexus verecundiam, qua propter foedam ſeminum confuſionem, & adulterinorum ſuppoſitionem, qua propter dedecus familiae, totiuſque ciuitatis. Etenim ſi dedecori habitum, altero parente ciue, altero peregrino natum eſſe, hybridaeque olim tales appellati: quanto grandius dedecus, & totius quidem ciuitatis, ſi incertum ſit, ex adulterio, an legitimo matrimonio ciues concepti ſint? Sic Leuit. XVIII, 20. & XX, 10. adulterium definiri per acceſſionem ad vxorem alterius, aut violationem vxoris alterius. Nec probabile videri, quomodo lex de non moechando, quae lata eſt populo polygamo, ad polygamiam poſſit pertinere, vt illa non expreſſis verbis foret prohibenda. Dicta ſacrarum literarum, vbi etiam alicuius vxorem concupiſſe adulterium vocatur, quibus innituntur plurima dicta Patrum, allegata GRATIANO c. 3. 4. & 1. quaeſt. 4. cauſ. 32. & c. 5. quaeſt. 6. cauſ. eadem c. 4. 10. *de eo, qui cognouit conſanguin. vxoris ſuae.* perinde eſſe habenda, atque illa, quibus homicida vocatur, qui fratrem ſuum odit. Alii ita aduerſum diſſerunt; dictum praeceptum ſine dubio viros aeque atque foeminas ſtringere. Non minus quemcunque virum alterius mariti thorum violare non debere, quam vxorem proprii mariti thorum. Sed in polygamia non eſſe violationem thori. Deinde in aprico eſſe, eum, qui in ſolidum vxori corpus ſuum addixit, fidem violare, ſi vel ſcortetur, vel aliam vxorem priori ſuperinducat. At quomodo fidem violaſſe videbitur, qui vxorem ducendo facultatem ſibi reſeruauit, aliam quoque adſciſcendi? Neque debitum coniugale ſubtrahere, qui non niſi partialem velut vſum ſui corporis addixit. Heic reponitur; *non eſſe quod credatur vnquam hoc futurum, vt foemina conſentiat ſuae iniuriae; niſi vi metuue adacta, aut imbecillitate ac defectu iudicii mota, neutro autem ex fonte ius oriri poſſe.* Verum in hoc aliqui iniuriam non agnoſcunt. Nam quod ius vni homini in corpus alterius competat, illud ex conſenſu alterius, & pacto fuiſſe quaeſitum. Igitur ſi praeſtetur, quantum pacto fuit promiſſum, non eſſe cauſam ſuper iniuria quaerendi. Neque ſequi; ſi viro in foeminam ius eſt quaerendum tanquam in vxorem, per naturam iuſti matrimonii non niſi in ſolidum id quaeri poteſt: igitur vice verſa mulieri quoque non niſi in integrum virum ius quaeri debere. Sed nec aequalitatem hominum naturalem hoc pacto infringi. Illam enim hautquidquam requirere, vt praeſtationes mutuae inter homines ſemper ſint aequales. Alias enim iuri naturali repugnaret, alios, poſt antegreſſum factum humanum, etiam alienum, ipſa naſcendi ſorte imperio, alios obſequio deſtinari. Ac in ipſo matrimonio neminem ſanum aequalitatem hominum eo vsque extendere, vt imperium domeſticum alternis gerendum velit aſſerere. Sic circa procreationem ſobolis quam facili opera perfungi patrem? Quantos contra dolores, quantas moleſtias matri exhauriri? In ciuitatibus vltro irrideri mulieres, ſi & ipſae in partem regiminis publici velint admitti: abs quo ipſas hautquidquam per iniuriam aut tyrannidem virorum excludi quis dixerit. Sic ſi quis populus eo ſit ingenio, vt addictiore velit imperio regi; (quod iniquiores vocant ſeruili modo haberi,) ſtulte & contra prudentiam regnatricem facere, ſuauiſſimam vtique iuris naturalis ſororem, qui plus quam par eſt fraena eidem velit laxare.

Digitized by Google

laxare. Ergo non minus ineptum eſſe, conditionem foeminarum Aſiaticarum miſerari, quam ruſticorum, aut opificum, quod his durius aeuum, quam nobilibus exigatur. Quod maritus non poſſit honeſte conſentire in adiutores thori, aliam eſſe rationem. Igitur non eſſe, quod vxor ſuae conſcientiae metuat, ſi in eiusmodi matrimonium, vbi id publice receptum eſt, conſentiat. Praeſertim cum moraliter ſit impoſſibile, a ſolis mulieribus conſuetudinem publico more firmatam aboleri, ſi vel maxime vitioſi quid illa haberet; quippe quae & viribus deſtituuntur, & a republica excluduntur, & inter quas non defuturae ſint, quae in parte amicitiae haerere velint. Ieſ. IV, 1. Ac licet Ethnicorum & Muhammedanorum, (apud quos permiſſum eſt quaternas ducere vxores, & tot concubinas, inſuper, quot quis poſſit alere,) exempla eludi queant eo nomine, quod iſtos in multa capita legis naturalis impingere conſtet: ingenue tamen illos facere, qui obiectionem ex polygamia Patrum veteris foederis inſolubilem fatentur. Denique circa dictum Apoſtoli 1 Corinth. VII, 4. monent, ibi non agi de primario fine & vſu coniugii, ſed ſecundario & indirecto, (*διὰ τὰς πορνείας* ſcilicet vitandas.) quo fine cum aeque mulieres atque viri opus habeant, humanitatis vtique & aequitatis eſſe, vt non viro ſolum, ſed & vxori conſulatur: quo intuitu virum non poſſe vxori corpus ſuum denegare. Ex quo tamen non ſequi; ergo non niſi vni vxori ſeſe vir poteſt impertire.

§. XIX. QVIDQVID huius ſit, id ſane patet, optimum, & maxime decorum, ſimulque ad quietem domeſticam accommodatiſſimum eſſe, vnum vna viuere contentum; adeoque hoc matrimonii genus ſine dubio perfectiſſimum habendum; cuius leges non minus marito, quam vxori ſanctiſſime obſeruandae. EVRIPIDES Andromache. [v. 464. & ſeqq.]

Οὐδέ ποτ᾽ ἂν δίδυμα
Λέκτρα ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ᾽ ἀμφιμάτερας κόρους,
Ἔριν μὲν οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.
Τὴν μίαν μοι στεργέτω πόσις γάμοις
Ακοινώνητον εὐναν ἀνδρός.

Nunquam geminos lectos laudabo mortalium,
Neque liberos, qui habent diuerſas matres,
Litem aedium, & triſtes dolores [1].
Maritus in nuptiis mihi ſit contentus
Vno lecto viri non communicato.

ISOCRATES Nicocle. [p. 59. 60. Edit. Pariſ.] *Non potui non vehementer accuſare illos, qui ductis vxoribus, & inita totius vitae ſocietate, pactis & conuentis non ſtarent:*

§. XIX. 1) Vid. 1 Samuel. I, 6. Siracidem XXVI, 8. XXXVII, 12. Paucitatem liberorum in familiis Turcarum non imprudenter adſcribit RIGALTIVS L. II. Hiſtor. ſtat. praeſent. Imper. Turcici c. 21. nimiae mulierum zelotypiae, & crebris intoxicationibus magicisque artibus. H.

ſtarent: ſed dum ſuis voluptatibus indulgerent, eas offenderent, a quibus ipſi nulla re offendi ſe vellent: cum in aliis contractibus aequitatem colerent, ſolas conuentiones cum vxoribus factas violarent: quae eo ſanctius cuſtodienda erant, quanto ſunt aliis interiores & maiores. PLAVTVS Mercatore: [Act. V. ſc. 1. v. 8.]

Nam vxor contenta eſt, quae bona eſt, vno viro:
Qui minus vir vna vxore contentus ſiet?

Accommodari quoque huc poſſunt, quae tradit PLVTARCHVS Coniugal. praeceptis. [T. II. p. 144. C. D. Ed. Wech.] *Felem aiunt vnguentorum odore ad inſaniam redigi. Eodem modo ſi vnguentis mulieres afficerentur, flagitium vtique eſſet, non abſtinere vnguentis viros, ſed exiguae voluptatis cauſa tantam pati illis euenire miſeriam. Quando igitur mulieres ad inſaniam adigit non vnguenti vſus, ſed maritorum cum meretricibus coitus; profecto iniuſtum eſt, voluptatis gratia paruae tantum doloris ac perturbationis vxori inferre: ac non potius purum intactumque ab omnibus aliis mulieribus ad vxorem accedere.* Clytaemneſtra apud EVRIPIDEM Electra. [v. 1035. & ſeqq.]

Μῶρον μὲν ἓν γυναῖκες, ἐκ ἄλλως λέγω.
Ὅταν δ' ὑπέντες τῦδ', ἁμαρτάνῃ πόσις.
Τἄνδον παρώσας λέκτρα, μιμεῖσθαι θέλει.
Γυνὴ τὸν ἄνδρα, χ' ἅτερον κτᾶσθαι φίλον.

Stultae quidem ſumus mulieres, non aliter dico. Cum autem hoc ſtultitiae vitium mulieri *ſubeſt, & maritus peccat, Domeſticum repellens lectum, & imitari vult Mulier virum, & alterum ſibi quaerere amicum.* Sed & illud conſtat, inter complures vxores fere contingere, vt vna eximie diligatur. Geneſ. XXIX. Deut. XXI, 15. Eſther. II, 17. Cantic. VI, 7. 8. Ergo in ipſa multitudine natura quaſi vltro ad vnitatem ducit. Huc quoque facit illud SALLVSTII Iugurt. [c. 82. Ed. Waſſei.] *Ea neceſſitudo* (generi) *apud Numidas Maurosque leuis ducitur: quia ſinguli pro opibus quiſque quam plurimas vxores, denas alii, alii plures habent: ſed reges eo amplius. Ita animus multitudine diſtrahitur: nullam pro ſocia obtinet; pariter omnes viles ſunt.* De Parthis in eundem ſenſum AMMIANVS MARCELLINVS L. XXIII. c. 6. *per libidines varias caritas diſperſa torpeſcit.* Apud PROCOPIVM Hiſt. Vandal. L. II. *Pro liberis anxii eſtote, quos vnius vxoris neceſſitas deuincta tenet. Nobis quibus vel quinquaginta ſi opus ſit, patent coniugia, nunquam poſteri deerunt.* CLAVDIANVS de Bello Gildonico. [v. 442. 443.]

Con-

2) Vid. BAELIVS dans les nouvelles Lettres a l' occaſion de la critique du Caluiniſme du P. Maimbourg Lett. 22. §. 10. p. 771. 772.

3) Achabo erant ſeptuaginta filii 2 Reg. X, 1. In hiſtoriis Aegyptiorum non ſemel legimus, patrem vnum ſecum duxiſſe in militiam centum pluresue filios ſibi ex diuerſis vxoribus genitos. H.

§. XX. 1) *Sed etſi conuenit,* ne intra certum tempus ſocietate abeatur, *& ante tempus renuncietur, poteſt rationem habere renunciatio.*

2) Ponunt enim Veteres, eum, qui a Societate recedit, id vel ideo facere, quod alter non ſteterit conditioni, quam ſubierat, Contractus, aut quod alteri iniuriam intulerit. *Nec tenebitur pro ſocio, qui ideo renunciauit, quia conditio quaedam, qua ſocietas erat coita, ei non praeſtatur: aut quid, ſi ita*

- - - *Connubia mille.*
Non illis generis nexus, non pignora curae;
Sed numero languet pietas - -

Grotivs de Ver. Relig. Chriſt. L. II. §. 13. [*] Monogamiae inter Chriſtianos receptae has affert rationes, vt animus ab vxore in ſolidum marito datus, aequali retributione penſetur, rectiusque procedat ſub vna praeſide regimen domeſticum, neu diuerſae matres diſcordiam liberis inferant. Accedit etiam ratio politica, apud pleroſque populos cultiores poſt genus humanum tantopere multiplicatum valens contra polygamiam; quod per liberorum multitudinem nobiles familiae ad egeſtatem, modicae ad mendicitatem ſint redigendae [3], ac nimia multitudine tenuis plebeculae ciuitas opplenda, quae vbi commode euacuari nequit, (cuius rei non ſemper occaſio eſt,) mole ſua rempublicam ſit peſſumdatura. Nam horridus nimis eſt modus, quo exundans hominum multitudo, ex polygamia proueniens, minuitur in Angolae regno; vt in America opus facturi vendantur. Imo ne apud Turcas quidem polygamiam tradunt tantopere vt olim frequentari, & intra licentiam lege ipſorum conceſſam: cuius rei cauſa non tam videtur inolitum apud iſtos ſodomiae vitium, quam incommoda polygamiam comitantia.

§. XX. Nec minus acriter diſceptatur haec quaeſtio, an iure naturali matrimonium ſit ſocietas ſolubilis, adeoque an eodem iure diuortia ſint licita? Vbi itidem, quid in vtramque partem iactari ſoleat, afferemus, iudicio penes eos relicto, qui rationum momenta expendere norunt. Ab initio igitur praeſupponitur, id habere quoduis pactum, vt vna pars ab eodem non poſſit diſcedere, niſi alterius conſenſu, aut pacto ab altera parte violato. Ergo hoc vtique iuri naturali repugnabit, ſi vnus coniugum ab altero inuito diſcedat, vbi ab hoc nullum caput pacti matrimonialis fuerit violatum; tantum vt meliorem ſibi conditionem paret, aut quia ſic placet. Nec trahi huc debet *L. 14. D. pro Socio* [1]. Nam praeterquam quod coniugi, qui vel quae ſic deſtituitur, ſine dubio damnum infertur [2]; etiam longe facilius dirimitur ſocietas, quae rei augendae cauſa fuit inita, quam arctiſſima illa inter coniuges coniunctio. Nam in matrimonio vtrique coniugum in alterius corpus ius fuit quaeſitum, quod inuito auferri non debet. Deinde vtut conſenſu mutuo matrimonia diſſoluantur citra grauiſſimam aliquam cauſam, indecens vtique & noxium eſt [3], cum per eiusmodi diuortiorum licentiam non poſſint non & familiae, & publicus ciuitatum decor [4] grauiſſime con-

ſi ita iniurioſus & damnoſus ſocius ſit, vt non expediat eum pati? Ibid.

3) Conf. Lockivs de Gubernatione Ciuili c. VII. §. 2. & ſeqq. & Sidneii libellus de eodem argumento c. 2. Sect. 4. in fine.

4) Id quod multis adulteriis occaſionem praeſtaret. Nam qui iracundiae motu aut quauis alia mentis perturbatione ductus, leui interdum de cauſſa, vxorem repudiaſſet, reconciliari poſſet alii iam nuptae, eaque conſuetudo, in qua antea fuiſſet, nouo diuortio anſam ſuppeditaret, inſtaurata veteri vitae coniunctione. Praeterea id liberis etiam malo exemplo eſſet, ſi patrem temporario ingenio vti, & matrem ideo in vmbratili rixa domo eiici viderent. Et quomodo ſarta tecta conſeruari poſſet reuerentia, qua parentes liberi, quibus animam debent, proſequi obſtricti ſunt, ſi temere adeo vxorum dimiſſio fieri poſſet?

conuelli. [5]. Vid. VALER. MAX. L. II. c. 9. §. 2. Id quod etiam extenditur ad ſponſalia, vt nec illa nudo diſſenſu paciſcentium re licet integra reſcindantur, niſi grauiſſima cauſa inciderit, aut ni deficiant conditiones, ex quarum exſiſtentia validitas pacti ſuſpenſa fuerat. Add. GELLIVS L. IV. 4. Hinc DIONYSIVS HALICARN. L. II. [p. 95. Ed. Sylburg. c. 25. Ed. Oxon.] inſigniter commendat inſtitutum Romuli, quo matrimonii per confarreationem contracti vinculum iuſſit inſolubile eſſe [6]. *Ita lex* [7] *haec*, inquit, *mulieres nuptas, quippe quae non haberent aliud, quo ſe conuerterent refugium, cogebat ſolius mariti ſe attemperare moribus: viros item ſic habere vxorem, vt rem neceſſariam, nulloque diuellendam modo.* Ac merito inter praecipuam morum Romanorum corruptelam numeraueris [8], quod ita leuibus aut nullis de cauſis diuortia paſſim frequentata. SENECA de Benefic. L. III. c. 6. *Numquid iam vlla repudiis erubeſcit, poſtquam illuſtres quaedam, ac nobiles foeminae non conſulum numero ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt, matrimonii cauſa, nubunt repudii* [9]. Sicut & quoad reliqua Saracenorum barbarie dignum; quod *vxores illis mercenariae conductae ad tempus ex pacto: atque vt ſit ſpecies matrimonii, dotis nomine futura coniux haſtam & tabernaculum offert marito, poſt ſtatum diem, ſi id elegerit diſceſſura.* Apud AMMIAN. MARCELLINVM offert L. XIX. c. 3. Similia connubia Belgae in Iaponia contrahere, ſolent [10], diſſoluenda vbi diſceſſerint. Bern. VARENIVS Iaponia. c. 13. Id quod in aliis quoque locis Indiae fieri ſueuit. Inter Perſas quoque talia connubia frequentari [11] ſcribit: Ad. OLEARIVS Itin. Perſ. L. V. c. 22. & Petrus DE VALLE Itin. Part. II. ep. 17. Improbe quoque fit illud, quod perſtringit IVVENALIS Sat. VI. [v. 142. & ſeqq.] *Cur deſiderio Bibulae Sertorius ardet? Si verum excutias, facies, non vxor amatur. Tres rugae ſubeant, & ſe cutis arida laxet, Fiant obſcuri dentes, oculique minores: Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi: Iam grauis es nobis, & ſaepe emungeris, exi ocyus & propera, ſicco venit altera naſo.* Nam *Foemina cum ſemel retinet connubia partu, vxoriſque decus matris reuerentia penſat.* CLAVDIANVS in Eutropium L. I. [v. 72. 73.] Add MARTIALIS L. X. epig. XLII. Et lex Charondae apud DIODOR. SICVLVM L. XII. c. 18. qua viris & foeminis poſt diuortium ad ſecundas tranſire nuptias conceditur, modo non adſciſcatur coniux aetate iunior, quam abs quo vel qua diſceſſum fuit. Quid quod & inſignis contumelia habetur matrimonio aliquam eiicere; quam, niſi grauiſſima ſubegerit cauſa, honeſtae intuliſſe indignum fuerit. Quod etiam ad repudia extendi

5) Adde, ſi caeterae amicitiae ſine graui culpa diſſui non poſſunt, tanto minus illam, quae tot pignorum vinculo continetur, vnde pendet honeſta tum propagatio tum educatio nobiliſſimi animantis. H.

6) V. LIPSIVS ad Tacitum Annal. L. IV. c. 16.

7) Οὗτος ὁ νόμος τάς τε γυναῖκας ἠνάγκασε τὰς γαμετὰς, διὰ μηδεμίαν ἐχούσας ἑτέραν ἀποστροφὴν, πρὸς ἕνα τὸν τοῦ γεγαμηκότος ζῆν τρόπον· καὶ τοὺς ἄνδρας, ὡς ἀναγκαίου τε καὶ ἀναφαιρέτου χρήματος, τῆς γυναικὸς κρατεῖν.

8) Apud Siamenſes mutuo conſenſu, prout libet, ſoluuntur matrimonia. CHOISI in Diurnis Itinerarii Siamenſis & LOVBERIVS de regno Siamenſi Part. II. c. 7. n. 13. vbi addit, apud eos tamen diuortium velut grande infortunium reputari. Apud Perſas quidem licita diuortia, ſed tamen rationem eorum vſum eſſe obſeruauit CHARDINVS Itinerar. Perſic. p. 129. Adde de Ceylonenſibus Robert. KNOX Narrat. hiſtor. de Inſul. Ceylon L. III. c. 7. De diuortiis inter Habeſſinos, vtut Chriſtianos, creberrimis Iob. LVDOLF. Hiſtor. Aethiop. L. IV. c. 4. n. 4. & in Commentar. ad L. III. n. 72. H.

tendi debet. Apud Procopivm Hiſt. Goth. L. IV. cum Radigis ſponſae, virgini Brittiae, repudium citra cauſam in ipſa haerentem renunciaſſet, ipſa *contumeliae intolerans in vltionem tota ferebatur. Tanto enim honore pudicitia apud Barbaros colitur, vt foemina, de cuius nuptiis actum eſt, etiamſi corpore ſit integro, pro corrupta habeatur.* Apud Tacitvm A. II. [c. 86.] in ſacerdotio *praelata eſt Pollionis filia, non ob aliud, quam quod mater eius in eodem coniugio manebat, nam Agrippa diſſidio domum imminuerat.* Pvblivs Syrvs: [v. 425. ſq.]

Habent locum maledicti crebrae nuptiae.
Mulier, quae nubit multis, multis non placet.

§. XXI. Vlterivs igitur diſpiciendum, num & in matrimonium cadat, quod omnibus aliis pactis eſt commune [1], vt vbi iſtius capita, ſaltem primaria, ab altero fuerint violata, pars laeſa nanciſcatur facultatem matrimonio diſcedendi. Id quod de eſſentialibus capitibus tuto videtur affirmari. Scilicet initur illud ad ſobolem procreandam, cui fini neceſſaria eſt mutua corporum praebitio. Inde ſaltem ex mero iure naturali, alter coniugum vinculo liberabitur propter malitioſam alterius deſertionem [2], vt & pertinacem atque vltroneam debiti coniugalis denegationem. Quo poſteriori nomine quondam apud Iudaeos erat actio debiti coniugalis, vti docet Seldenvs de Vxore Ebraea L. III. c. 6. 7. Lactantivs Diu. inſtit. L. VI. c. 23. *Nec aliam ob cauſam Deus, cum caeteras animantes, ſuſcepto foetu, maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem patientem viri fecit: ſcilicet ne foeminis repugnantibus libido cogeret viros aliud adpetere; eoque facto caſtitatis gloriam nontenerent.* Add. Gratianvs Cauſ. 33. quaeſt. 5. c. 1. ſeqq. Cui addi poteſt Plvtarchvs Amatorio. [p. 769. A.] Τὸν Σόλωνα μαρτυρεῖ γενονέναι τῶν γαμικῶν ἐμπειρότατον νομοθέτην, κελεύσαντα μὴ ἔλαττον, ἢ τρὶς κατὰ μῆνα τῇ γαμετῇ πλησιάζειν, οὐχ ἡδονῆς ἕνεκα, ἀλλ᾽ ὥσπερ αἱ πόλεις διὰ χρόνου σπονδὰς ἀνανεοῦνται πρὸς ἀλλήλους, οὕτως ἄρα βουλόμενος ἀνανεοῦσθαι τὸν γάμον ἐκ τῶν ἑκάστοτε συλλεγομένων ἐγκλημάτων ἐν τῇ τοιαύτῃ φιλοφροσύνῃ. Et Idem in Solone [p. 89.] Εἰς τοῦτο συντελεῖ τὸ τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα, καὶ γὰρ εἰ μὴ γίγνοιντο παῖδες, ἀλλὰ τιμή τις ἀνδρὸς αὕτη πρὸς σώφρονα γυναῖκα, καὶ φιλοφροσύνη, πολλὰ τῶν συλλεγομένων ἑκάστοτε δυσχερῶν ἀφαιροῦσα, καὶ ταῖς διαφοραῖς οὐκ ἐῶσα παντάπασιν ἀποστραφῆναι. Add. Mich. Montaigne Eſſais. L. III. c. 5. p. m. 102. 103. Sic

9) Ivvenalis Satyr. 6. meminit vxoris quinque annorum ſpatio, ob repetita crebrius diuortia, octo maritos habentis:

Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti;
Quinque per autumnos. H.

10) Et vocantur *matrimonia ad talacho*, id eſt, ad beneplacitum, teſte Cocciälvpo ad legem ſi qua illuſtris C. ad SCt. Orfitian. n. 12. vbi memorat, Venetiis quaeſitum, an liberi ex tali matrimonio nati cenſendi pro legitimis. H.

11) Et in Turcico Imperio. V. Rigaltivs Hiſtor. ſtatus praeſent. Imp. Turcic. L. II. c. 21. addens: exteris ea frequenter in vſu eſſe, & in Hiſpania ſimile eſſe genus matrimonii, quod vocetur emancibado, ſiue *caſato di media charta*. H.

§. XXI. 1) V. L. V. c. 10. §. 9. H.

2) Qua de cauſſa diuortium permittitur a Pavllo Apoſtolo: 1. ad Corinthios VII, 15. *Quod ſi infidelis*, inquit (*id eſt, maritus aut vxor, pagani*) *ſeparet ſe, non ſeruituti addictus eſt frater aut ſoror in talibus*, id eſt non amplius coniuncti ſunt, aut caelibatum ſeruare obſtricti.

Sic ap. DIOG. LAERTIVM in Pythagora [L. VIII. §. 21.] refertur; hunc, cum ad inferos deſcendiſſet, vidiſſe cruciari *τὺς μὴ θέλοντας συνεῖναι ταῖς αὐτῶν γυναιξί. Qui ſuis vxoribus congredi nollent.* ARISTOTELES Oeconom. L. I. c. 4. *ἀδικίαι ἀνδρὸς αἱ θύραζε συνουσίαι γινόμεναι. Iniuriam facit maritus in conuerſatione cum extraneis.* Deinde coniugium initur, vt ſuam quiſque prolem tollat, non adulterinam, non ſuppoſititiam. IOSEPHVS Archaeol. III. 10. *Adulterium Moſes omnino prohibuit, feliciſſimum eſſe credens, viros circa thorum eſſe ſecuros, & ciuitatibus ſimul ac domibus expedire, filios naſci genuinos.* Quin ex extra procreationem ſobolis honeſti viri ſuam ſibi ſeorſim volunt habere vxorem, ac ne naue quidem onerata ab eadem vectores recipi decorum iudicant. Sane nobis tanti non eſt vrbanitatis laus, vt metuamus illud conuitium OVIDII Amorum 3. & 4. [v. 37. 38.] *Ruſticus eſt nimium, quem laedit adultera coniux, Et notos mores non ſatis vrbis habet.* MARTIALIS VI. Epigr. 90. *Moechum Gellia non habet, niſi vnum. Turpe eſt hoc magis, vxor eſt duorum.* Add. Abr. ROGERIVS de Braminibus Part. I. c. 13. Ergo diuortii iuſta cauſa erit, ſi vxor alteri corporis ſui copiam faciat [3], & quidem vltro. Nam quibus inuitis vis illata, eas adulterii nemo iure inſimulauerit. Vid. VALERIVS MAX. L. VI. c. 1. §. 2. int. externa. LIVIVS L. XXXIIX. c. 24. XENOPHON in Hierone p. m. 578. *L. 13. §. 7. L. 39. princ. D. ad L. Iuliam de adult. Aelian.* V. H. L. XII. c. 47. Etſi enim grauius delictum videatur, per violentiam, quam blanditiis & perſuaſionibus pudorem expugnare: tamen violento ſtupro maior iniuria infertur foeminae, per vltroneum marito. *L. 1. §. 3. D. de Seruo corrupto: perſuadere plus eſt, quam compellere atque cogere.* Vnde adparet, quod adulterium & malitioſa deſertio ad diuortium ſufficere iudicentur, id non prouenire ex peculiari lege diuina poſitiua, quaſi iſtae duae exceptiones inſolubilitati matrimonii fuerint additae: ſed quia communis pactorum natura eſt, vt quando vna pars conuentis non ſtetit, neque altera amplius teneatur. Et hactenus quidem, vt non ſolum laeſa pars cum perfida coniuge non amplius teneatur cohabitare; ſed & laeſae parti tranſire ad ſecunda vota liceat. Quicquid in contrarium ius Canonicum nugetur.

3) Maxime cum legibus aut moribus compluřium populorum adulteria capitali ſupplicio puniantur. V. Nicol. HENELIVS c. 10. de Dotalit. §. 1. & ſequ. ad §. 6. Elem. pr. ciuil. Part. II. ſect. 2. §. 12. in not. Adde THVANVM L. LXVII. ad A. MDLXXIIX. vbi de Tartaris Praecopienſibus. Notandum heic, vt ob adulterium ſoluatur matrimonium, ſufficere etiam argumenta & indicia adulterii; maxime ſi habeat locum, quod SENECA dixit II. Controu. 7. (al. 15.) *Eo prolapſi mores iam ſunt, vt nemo ad ſuſpicanda adulteria nimium credulus videre poſſit.* Quo & illud HIERONYMI pertinet in can. 2. caſus 32. quaeſt. 1. *Vbicunque eſt fornicatio & fornicationis ſuſpicio, libere vxor dimittitur.* Quod tamen non ita accipiendum eſſe, bene monet H. GROTIVS ad Matth. V, 32. vt quiuis motus animi ſuſpicacis ad pie ſancteque faciendum diuortium valere debeat; ſed ne ad legum ſubtilitatem res exigatur. In quo quaeſtionum genere nihil certi definiri poteſt, ſed omne hoc ex aequo bonoque aeſtimandum, medio itinere inter anxiam credulitatem & craſſam ſupinitatem. Theodoſius iunior, Imperator Chriſtianus, & pius, & Epiſcoporum quotidiano vſus conſilio, in quaeſtione diuortii, impudicitiae coniecturas ad ſui ſeculi mores temperans, ſufficere iudicauit, IVSTINIANO teſte in Nouell. XXII. c. 15. §. 2. ſi mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum conuiuia appeteret; ſi ipſo inuito, ſine iuſta & probabili cauſa foris pernoctaret, niſi apud parentes; Vel ſi Circenſibus Theatralibuſue ludis, aut arenarum ſpectaculis, ipſo prohibente, gauderet. Conf. *cap. praeterea 27. X. de Teſtib. c. 12. & 13. X. de praeſumt.*

tur [4]. Nec tamen difficile eſt iſtis ſacerdotibus alia via ſua decreta eludere, ſi cui heic gratificari placeat, declarato, matrimonium ab initio fuiſſe nullum; cuius rei varios obtentus idem ius ſuggerere poteſt. Caeterum etſi liberorum quaerendorum cauſa potiſſimum matrimonium ineatur; non tamen videtur ſolam ſterilitatem aut infoecunditatem alterutrius, qui alias ad copulam idoneus eſt, ſufficere ad diuortium; cum foecunditatem praeſtare penes hominem non ſit [5]. Quanquam qui primus Romae vxorem dimiſit [6] Sp. Caruilius Ruga anno A. V. C. 523. eo motus iuramento dicitur, quod apud Cenſores ſinguli cogebantur profiteri, ſe habere vxorem liberorum quaerendorum cauſa [7]. Vid. Gellivs L. IV. c. 3. Valer. Max. L. II. c. 1. Spartae autem cum Anaxandrides Rex, poſtulantibus Ephoris, ſterilem vxorem repudiare nollet, eorundem conſilio alteram foecundam iſti ſuperinduxit, apud Herodotvm Terpſichore.

§. XXII. Enimvero circa hoc potiſſimum controuertitur, cum regulariter vxor in continuam cum marito conhabitationem conſentiat, pro ſuis viribus auxilio iuxta & conuerſationis amoenitate marito ſubuentura, ſimulque familiarem iſtius directionem ſubeat; in cuius compenſationem maritus viciſſim vxori defenſionem, honeſtam tractationem, & quae ſunt alia, debet: (Homervs Il. ι. Ὅςις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται. *Quisquis probus & cordatus eſt ſuam amat & curat.)* an huius quoque praeſtationis violatio enormis ſufficientem diuortio cauſam praebeat. Id quod non pauci, ſi merum ius naturale ſpectetur, affirmare non dubitant. Cum enim immorigerum filium patri fas ſit abdicare, qui ſaltem naturaliter patri videtur magis coniunctus, quam vxor: cur non poſſit vxor moribus intolerabilibus, emendationiſque impatiens, tanquam rebelle familiae membrum domo eiici? Praeſertim cum nimis quam verum ſit illud Fvlgentii Mythol. L. I. [c. 27.] *Coniux quantum iure coniunctior, tantum eſt aut morum dulcedine mellea, aut felle malitiae toxica: eſt quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum.* Simonides, [inter Poët. Lyric. Ed. H. Steph. p. 527.] Γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται.

ſumt. vbi Gonzaletz. c. ſi quiſquam 2. X. de Cohabit. Clericor. Cothmann. 3. Reſp. 16. n. 96. ſequ. H.

4) V. *can. 2. cau[illegible] quaeſt. 1. & can. 1. cauſ. 32. quaeſt. 7. c. 12. X. de [illegible]ſumt. c. 5. X. de Diuort.* in Conc. Trident. can. [illegible] ſeſſ. 24. Eadem ſententia fuit Chryſoſtomi & Au[illegible]ſtini, quam hodie quoque ſequuntur Angli, ſi credimus Thomae Cragio L. II. Feudal. iur. c. 18. & Franci olim probarunt VI. Capit. 87. E contrario Tertullianus non vno loco oſtendit, ſolitos ſuo tempore ad matrimonium alterum admitti, qui ob adulterium vxorem dimiſiſſent. Idem ſuo tempore a quibuſdam Epiſcopis permiſſum, narrat Origenes. Sed & ſerius Conciliis Eleberino, Aurelianenſi, & Arelatenſi primo, & Venetico decretum eſt, id licere. Quod nunc quoque Graeci obſeruant, teſte H. Grotio ad Matthaei V, 32. & de Moni Hiſtoire critique de la creance & des coutumes des Nations du Levant. H.

5) Hebraeos inter Deo reſeruata ponere foecunditatem, pluuiam, mortuorum excitationem, notat H. Grotivs ad Geneſ. XXX, 2. V. ſupra §. 3. H.

6) At poſtea id frequens eſſe coepit. V. *L. 60. §. 1. D. de Donat. inter vir. & vxor.* In Senecae Controuerſiis eſt: *Vxorem ſterilitatis cauſa dimiſit, intra quinquennium non parientem.* H.

7) Reliqui etiam Romani nuptias liberorum procreandorum cauſſa ſe iniri teſtari ſolebant. Ecce enim, teſte Avgvstino Serm. 244. qui in matrimonium conſentiebant, declarare ſueuerant, ſe coïre liberorum procreandorum cauſſa, idque tabulis nuptialibus continebatur.

ζεται. Ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον, κακῆς. *Vir bona vxore nihil poſſidet melius, nec mala peius.* EVRIPIDES Oreſte. [v. 602. & ſeqq.] Γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι, βροτῶν μακάριος αἰών, οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ, Τά τ' ἔνδον εἰσὶ τά τε θύραζε δυστυχεῖς. *Nuptiae quibus bene conſtitutae ſunt, iis Felix exigitur aeuum: quibus autem non cadunt bene, Illi pariter domi & foris ſunt miſeri.* Contra ſi ſaeuis modis [praeter] iuſtam rationem vxorem tractet maritus; neque ipſi, quae matronae debentur, exhibeat, ſic vt non tam comparem, quam importunum ſeſe hoſtem ferat; omnino aequum videri, vt iſta ſibi diuortio conſulere poſſit. Add. lex Theodoſii *L. 8. C. de Repudiis* [1]. Vbi tamen ſcrupulus oritur, an iure naturali propter intolerabiles mores ſaeuamque tractationem fas ſit vinculum coniugale plane abrumpere? & annon reliqua officia matrimonii poſſint continuari, puta propagatio ſobolis, vtut cohabitatione continua & familiari abrupta? cum prius pactum, ad propagationem ſobolis tendens, videatur eſſentiale, alterum adiectum duntaxat. Vbi hoc patet, poſſe inter eosdem plura iniri pacta hac lege, vt licet vnum fuerit violatum, reliquis tamen adhuc ſtetur. Quin & iniri poteſt pactum, pluribus capitibus conſtans, hac addita clauſula, vt licet ab vno capite fuerit diſceſſum, in caeteris tamen explendis pergatur. Hoc modo ſi matrimonium fuerit initum, fieri videtur poſſe, vt, licet vxor ad cohabitationem continuam importunis moribus ſeipſam reddiderit ineptam, praeſtationem tamen eius debiti, quod ad prolem procreandam pertinet, continuet. Sed quia non eſt probabile, ad hocce debitum ſeſe ſat commodam praebituram, cuius conuerſatio fuit intolerabilis; aut aliquem non penitus auerſaturum corpus, in quo tam tetricus hoſpes ſtabulatur, cum vix quiſpiam optet prolem tollere ex ea, quam odit; inde regulariter vno eodemque pacto, & de praebendo corpore, & de conuerſatione familiari inter coniuges conuenitur; & ſic haec ita mutuo velut implicita ſunt, vt cum vno alterum quoque ſimul abrumpi videatur. Inde iuri naturali repugnat, ob mores intolerabiles, & nimiam ſaeuitiam coniuges ſeparare a conſortio menſae thorique, ſaluo tamen vinculo matrimonii, quo de alia conditione ſibi proſpicere prohibeantur. Niſi forte ad tempus & in vicem caſtigationis ea ſeparatio ſit iniuncta, frangendae pertinaciae, & vt penitius exploretur, an aliqua morum emendandorum ſpes ſit. Abſurdum quippe eſt dicere; vinculum pacti adhuc ſubſiſtit, & tamen nulla pars eius debiti, quod ex eo pacto fluit, praeſtari poteſt aut debet. Et licet daremus, partem illam, penes quam culpa diſſidii haeret, fortaſſe hoc modo recte plecti; parti tamen innocenti ſit iniuria, quae alienum luere peccatum cogitur, & ad caelibatum ſibi fors moleſtiſſimum aut intolerabilem adſtringitur. Et hactenus naturaliter vtriusque coniugis conditio par eſſe videtur. Inde PLVTARCHVS in Romu-

§. XXII. 1) Cuius §. 2. integer adſcribi meretur. *Si qua igitur maritum ſuum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra noſtrum imperium aliquid molientem, vel falſitatis crimine condemnatum inuenerit, ſi ſepulchrorum diſſolutorem, ſi ſacris aedibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronem, vel latronum ſusceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum [ſui] domusue ſuae ipſa inſpiciente cum impudicis mulieribus (quod maxime etiam caſtas exaſperat) coetum ineuntem, ſi ſuae vitae veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem, ſi ſe verberibus (quae ingenuis aliena ſunt,) afficientem probauerit, tunc repudii auxilio vti neceſſario permittimus libertatem, & cauſſas diſſidii legibus comprobare.*

2) Secus apud Romanos & Iudaeos. Vid. H. GRO-

Romulo legem huius *σφοδρὸν duram* vocat, quae mulieri a viro vetat diuertere, aſt viro permittit illam repudiare *ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ, καὶ μοιχευθεῖσαν, propter veneno ſublatos liberos aut ſuppoſitionem clauium*, (etſi Xylander legere malit *παίδων*) *aut propter adulterium.* EVRIPIDES Andromach. [verſ. 672. & ſeqq.] *Idem tamen ius habet vir, & mulier iniuria affecta a viro: ſic etiam vir cum habet in aedibus mulierem impudicam. Et huic quidem viro magnum robur eſt in manibus. Huic vero mulieri in parentibus & amicis res ſunt poſitae.* Sicut apud Athenienſes lege Solonis tam vir vxori, quam vxor viro nuncium poterat remittere, quam in rem etiam diuerſa erant vocabula prodita. Si enim vir repudiaret vxorem, vocabatur *ἀποπομπή*; ſi mulier a viro diſcederet, dicebatur *ἀπόλειψις*. Scilicet ſponſa deducebatur in domum viri, vnde ipſa non poterat *ἀποπέμπειν τὸν ἄνδρα*, & aedibus eum eiicere: poterat tamen eundem *ἀπολείπειν*, & alio ab eodem diſcedere. Id tamen monendum, quamcunque ob cauſam diuortia in aliqua ciuitate tolerentur, praeſtare illa fieri cauſa iudici adprobata [2], quam vt ſoli coniugum conſcientiae res tanti momenti permittatur. Ratio enim, quam BODINVS de Republ. L. I. c. 3. in contrarium adfert, quod hoc modo alterutrius coniugum exiſtimatio laedatur, ſatis valida non videtur. Add. quoque PLATO de LL. L. XI. p. m. 974. & CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 46. n. 12. & SELDENVS de I. N. & G. L. V. c. 7.

§. XXIII. SED circa legem diuinam, primaeuam aut per Chriſtum repetitam, maior eſt difficultas. Vbi illud conſtat, Iudaeos credidiſſe diuortia lege diuina Deuter. XXIV. non permiſſa ſolum, ſed & praecepta fuiſſe, vbi marito vxor diſplicuerit. Quin ob ſterilitatem vtique debuiſſe aliquem vxorem dimittere, colligi poteſt ex PHILONE Iudaeo de Specialibus Legibus: [pag. 782. B. Edit. Pariſ.] *Qui puellas duxerunt incerti de futura foecunditate, ſi ſterilitate tandem deprehenſa non eis renunciant, & res ſuas ſibi habere agereque ſinunt, merentur veniam, quia victi diuturna conſuetudine, amoreque mutuo non valent vim inferre ſuis affectibus, impreſſis iamdudum in animum. Qui autem foeminas compertae ſterilitatis expetunt ad coniugium, ſuum hircorumque more quaerentes ſolam venerem, in impiorum album adſcribantur, vt Deo repugnantes, cui hominum genitura curae eſt.* Neque dubitari debet, eadem iſti genti frequentata fuiſſe, vtut in hiſtoria eiusdem ſacra & profana per annos plusquam DCC. nulla aut rariſſima eius rei exempla memorentur. Nam in annales non ſolent referri facta communibus moribus congruentia, ſed tantum quae ſingulare quid videntur continere. Imo apud Ieſai. L, 1. & Ierem. III, 1. 6. in taxandis populi peccatis adhi-

GROTIVS ad Matth. V, 31. Quanquam VALERIVS MAXIMVS L. II. c. 9. §. 2. memorat, L. Antonium Senatu motum a Cenſoribus, quod Virginem, quam in matrimonium duxerat, repudiaſſet, *nullo amicorum in conſilium adhibito*. At Athenis mulier, a viro diuertere volens, non per alium, ſed per ſe ipſa ferre libellum ad magiſtratus debuit. PLVTARCHVS Alcibiade. De communibus liberis notanda ſingularis conſuetudo in regno Siamenſi: eos diuidi hoc modo, vt mater ſemper habeat qui ſunt numeri imparis, puta primum, tertium, quintum & ita porro: maritus ſecundum, quartum, ſextum. Vid. LOVBERIVS Part. II. de Regn. Siam. c. 7. §. 12. Apud Ceylonenſes liberi maſculi marito, ſequioris ſexus vxori cedunt. Robert. KNOX Relat. Hiſt. de inſula Ceylon L. III. c. 7. H.

adhibentur ſimilitudines a diuortio petitae, tanquam ab actu in vulgus notiſſimo. Inde & IOSEPHVS Archaeol. L. XV. c. 9. tanquam inuſitatum, & a communi iure diſcrepans annotat, quod Salome libellum repudii miſerit Coſtobaro marito ſuo, Idumeae & Gazae praefecto; cum alias moribus Iudaeorum * non liceret mulieri ſponte a viro diuertere, niſi ab eo dimiſſae; excepto, ſi quis vxorem a ſe in primo concubitu virginem non deprehenſam fuiſſet calumniatus. Huic enim liberum erat abire an manere apud virum mallet; etſi marito, ſi ipſa vellet, eam retinere vtique neceſſarium erat, teſte PHILONE Iudaeo de Specialibus legibus. [pag. 789. D. Ed. Pariſ.] Idem IOSEPHVS L. XVIII. c. 7. narrat de Herodiade Ariſtobuli filia; quam reprehendit Ioannes Baptiſta Matth. XIV. Marci VI. Verum iſthanc diuortiorum licentiam a Saluatore noſtro penitus ſublatam plerique Theologi aſſerunt ex Matth. V, 32. XIX, 8. Marc. X, 4. Vbi GROTIVS L. II. c. 5. 9. addit, ſemper quidem ab initio Deo placuiſſe, vt matrimonium eſſet perpetuum: ſub veteri tamen foedere homines non fuiſſe ad hoc obligatos. Verum ſub nouo foedere Chriſtum id, quod ante erat conuenientiſſimum, Deoque gratiſſimum, expreſſa lege ſanxiſſe. SELDENVS tamen de Vxore Ebraea L. III. cap. 22. dictum Chriſti ſic explicat: eo ſeculo inter Iudaeos fuiſſe duas ſectas, vnam Sammaeanorum, Hillelianorum alteram. Priorem putaſſe, non licere ab vxore diuertere, niſi in ea fuerit deprehenſa aliqua foeditas: hos autem ſtatuiſſe, ob quamcunque diſplicentiam licite vxorem dimitti. Chriſtum igitur inter diſſidentes ſectas velut arbitrum captum pro Sammaeanis pronunciaſſe; fas ſcilicet non eſſe ita temere abrumpere ſocietatem ab ipſo Deo inſtitutam, niſi turpis aliqua cauſa, quam Ebraeae linguae genio πορνείαν vocari ſolenne eſt, ſubigat. Vid. VALERIVS MAXIMVS L. IX. c. 2. Addit, ne inter antiquiſſimos quidem Chriſtianos diuortia penitus fuiſſe illicita extra cauſam adulterii, id quod conſtet ex *L. 8. C. de Repudiis*, ab Imperatore religioſiſſimo lata. Donec Pontificum ſuperſtitione, & iniquitate connubii vinculum vtroque viuo inſolubile declaratum fuerit. BVXTORFIVS de Sponſal. & Diuortiis contra Iudaeos pleroſque oſtendit, in verbis Moſis Deuter. XXIV, 1. 2. 3. 4. vnicum tantum contineri praeceptum, nempe ne quis, quam ſemel repudiauit mulierem, in thorum denuo recipiat. Ipſum autem morem vxores dimittendi eo loco a Moſe neque adprobatum, neque diſerte improbatum, ſed velut in medio relictum. Quem dum Saluator noſter ob duritiem cordis illis indultum pronunciat, ſatis patere, eam permiſſionem Moſaïcam non ſignificare adprobationem, ſed nudam tolerantiam & conniuentiam, a poena in foro humano duntaxat liberantem. Addantur omnino, quae prolixe diſputantur a GROTIO ad Matth. V, 31. 32.

§. XXIV. INPRIMIS valde ſudat, domeſtica fortaſſe calamitate [1] irritatus, Ioannes MILTONVS, peculiari libro de Diuortiis, vt probet, etiam per principia religionis Chriſtianae mores intolerabiles, ac diſparitatem & re-

§. XXIII. * Vid. 1 Samuel. XXV. verſ. 44. ibique Io. CLERICVS.

§. XXIV. 1) Vid. Vita Ioannis MILTONI a Ioanne Tolando deſcripta, initio Collectionis Operum Miltoni, quae prodiit Amſtelod. 1698.

& renitentiam animorum inter coniuges ſufficientem eſſe diuortii cauſam: imo ſi qui tam male comparati deprehendantur, omnino ſeparari debere. Cuius praecipuas rationes recenſere diuidiae non erit. Initio igitur praeſupponit: *Ex verbis inſtituti diuinitus matrimonii adparere, nobiliſſimum ſcopum, quem Deus ob oculos habuerit, fuiſſe commodam & amicabilem conuerſationem viri cum muliere, medendis vitae moleſtiis: propagationem generis, cuius in ſequentibus demum verbis mentio fit, finem eſſe matrimonii, qui priori dignitate cedat.* Quae quidem hypotheſis nobis falſa videtur. Neque enim ſeparati ſunt fines, quando Deus Adamo vult creare & adiungere adiutorium, & dein creſcere ipſos & multiplicari iubet: ſed per poſteriora verba fructus potiſſimus, ſecundante benedictione diuina ex adiutorio illo mutuo proueniens, deſcribitur. Et ſane ſi iucunda conuerſatio primarius Dei fuerat ſcopus, quid opus erat diuerſitate ſexus? [a] Nam ſi remoueas procreationem ſobolis, & quam iſti promouendae diuerſorum ſexuum coniunctioni natura velut adſperſit iucunditatem; melius viris inter ſe erat conuenturum, & praeſtabilius inter ſe adiutorium iidem exhibere poterant. Inde pueri, antequam ſtimulos venereos ſentiant, & ſenes emeritorum ſtipendiorum magis conuerſatione ſui ſexus, quam foeminini capiuntur. Et neſcio quas delicias conuerſationis ſomniat MILTONVS, ſibique ipſe deformat ideam mulieris, viri ſapientis, & literati genio potiſſimum congruentis, quae ſtudiorum ſeſe conſortem ferre queat, aut meditationibus feſſum argutis iocis recreet, curisque ac triſtitia correptum eleganti oratione erigat. Enimuero vti voluptatem animi corporis titillationi infinitis modis potiorem nemo ſapientum abnuerit; ita cum tam paucae dentur foeminae, in quas ſublimior iſta ſapientia cadit, pauca inuenies matrimonia virorum ſapientum, quae ex ea cauſa non poſſint diſſolui. Quin ſi quis eo ſit animo, vt procreationem ſobolis in poſtremis ducat, & nullos ſentiat ſtimulos, qui non niſi per foeminas demulceri poſſunt; illi auctor fuerim, vt a ducenda vxore omnino ſe abſtineat. Nam vulgo foeminis eiusmodi hominum ſapientia eſt inuiſiſſima; quas & viciſſim eneruibus iſtis, & moroſis parum eſſe amabiles hautquidquam mirum eſt. Denique quicquid diſſimulent iſti homines, quare foeminae potius, quam viri amici conuerſationem in vitae ſolatium inſtitutam arbitrentur, nullam poſſunt afferre rationem, quam quia ſingulari inclinatione, ex differentia ſexus reſultante, mares ac foeminas inuicem natura conciliauit. Satius ergo fuerit, minus alte philoſophari; & communi mulierum genio conſiderato, pro ſat commoda compare habere foeminam, quae in generanda & educanda ſobole, ſimulque capeſſenda curae domeſticae parte viro operam praeſtat; vtut de caetero circa meditandam ſapientiam parum adiumenti queat afferre. Nec plane de nihilo eſt, quod IVVENALIS Sat. [IV. 448. & ſeqq.] dicit:

Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato

a) Diuerſitate tamen ſexus conſuetudo redditur iucundior: quum etſi abſit laſciuia, femina mari, mas feminae, inſtinctu duce placendi ſtudio feratur.

Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.
Sed quaedam ex libris & non intelligat. odi
Hanc ego quae repetit, voluitque Palaemonis artem,
Seruata ſemper lege & ratione loquendi.
Soloeciſmum liceat dixiſſe marito [3].

De Brachmanibus refert STRABO L. XV. [p. 490. Ed. Geneu. Caſaub.] eos *cum vxoribus non philoſophari, ne ſi improbae ſint, aliquid quod efferri nefas ſit, in profanos efferant: ſin probae, viros relinquant. Nam qui voluptatem ac dolorem, vitam ac mortem aeque contemnit, ſubditum ſe eſſe non patitur.* EVRIPIDES Hippol. Coron. [v. 640. 641.] Μὴ ἐν ἐμοῖς δόμοις Εἴη Φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρῆν. *Ne talis domi meae ſit, quae vltra quam deceat mulierem ſapit.* Circa *Ipſius* porro argumenta in vniuerſum eſt obſeruandum, illa nihil efficere, ſiquidem liquido conſtat, Chriſtum nullam praeter adulterium cauſam ad diuortium voluiſſe ſufficere. Heic enim obtinebit illud vulgare: durum quidem, ſed ita lex ſcripta eſt. Sicuti nec humanae leges ſtatim abrogantur, quae in vniuerſum reipublicae ſalutares deprehenduntur, licet vni vel alteri incommodi quid inde proueniat; quod pro fatali calamitate eſt habendum. Ergo hoc tantum efficit MILTONVS, vt, ſiquidem dictum Saluatoris aliam ferat interpretationem, manſuetudini doctrinae Euangelicae conuenientius videatur, molliorem, quam qui vulgo receptus eſt, ſenſum ſequi. Huc autem fere redeunt *Ipſius* argumenta. Diſparitatem animorum, peruicaciam ingenii, ſocietati cum certo aliquo homine colendae ineptam, & corrigi neſciam, quaeque praecipuum matrimonii bonum, adiutorium & recreationem intercipit, longe grauiorem eſſe cauſam diuortii, quam eſt naturalis defectus, aut morbus, aut corporis aliqua foeditas, ob quam tamen Iudaeis diuortia quondam permiſſa. Deuter. XXIV. Nullam praeterea ſocietatem ligare ſocios, contra primarium ſcopum inſtitutae ſocietatis, aut contra intentionem, & ſpem vtriuſque aut alterutrius ſocietatem ineuntium. Iam autem Deum voluiſſe viro adiungere adiutorium, non domeſticum tortorem, ſubſidio futurum non in ſola procreatione ſobolis, ſed & in eiusdem educatione, & totius vitae conſortio; quem finem vtique intolerabilis ingenii morumque aſperitas perimit. Abſurdum videri, quod, cum ius Canonicum frigiditatem ad matrimonium diſſoluendum citra ſcrupulum declarauerit ſufficientem [4], morum adeo nullam rationem habuerit; praeſertim cum illa ſtatim poſſit deprehendi; hi vero ad tempus alta diſſimulatione obtegi ſoleant, quouſque miſer in caſſes ſeſe perrumpi neſcias induerit. Eſſe contra legem caritatis, eſſe plenum inhumanitatis, vllo modo adſtringere hominem miſeriis non niſi morte finiendis; quibus citra duram illam legem poſitiuam facillime adhiberi poterat remedium; cum ipſe Deus in ferundis ſuis legibus imbecillitati humanae ſeſe videatur accommodaſſe. Sacras literas inter alias rationes matrimonium ſuadere propter declinandas tentationes, ex incontinentia vitae prouenientes.

Aſt

3) In omnium manibus eſt Comoedia MOLIERII, inſcripta, Femmes ſcauantes, in qua feminas eruditionis laudem falſo adfectantes perſtringit.

Aſt qui in matrimonio ſuo nihil inuenit, in quo animus poſſit adquieſcere, cui per vxorem perpetua taedia mouentur, illum longe grauioribus agitari tentationibus, quam ſi in caelibatu ſubſtitiſſet. Nam & animo ſemper male eſſe; & quia vxor diſplicet, alibi libidines prorumpere geſtire. MAIMONIDEM inter rationes legis de diuortiis hanc quoque ponere, vt in ſingulis domibus pax & tranquillitas eo melius conſeruetur. Sicuti & BODINVS de Republica L. I. c. 3. lege illa diuina de diuortiis nullam ſanctiorem eſſe, ait, poſſe, ſiue ad foeminarum ſuperbiam, ſiue ad maritorum iracundiam coërcendam. Quae ratio cum aeque iam in Chriſtianos, quam olim in Iudaeos cadat; non videri veroſimile, Deum illos, quam hos, duriori iugo voluiſſe adſtringere. (Sic de Iaponiis refert Bern. VARENIVS Deſcr. Iapon. c. 12. Diuortia in ea gente eſſe frequentiſſima, etſi nobiles faſtiditam vxorem in aedibus retineant, & de neceſſariis rebus eidem proſpiciant. Atque hinc foeminae annituntur omni ſtudio maritorum ſuorum mores cognoſcere, quo hisce cognitis ea faciant, quae grata & iucunda illis ſint, nihilque eorum omittant, quae ad animos iſtorum ſibi deuinciendos poſſint facere. Quin & alienatis abs ſe non querelas mouere, & dolorem diſſimulare, quo dulcedine conuerſationis & inſeruiendi promtitudine amorem eius ſibi rurſus concilient.) Mandari nobis in ſacris literis, vt remoueamus a nobis omnia impedimenta pietatis; inter quae vel praecipuum eſt moroſitas ſocii, quem nullo modo queas corrigere, aut amoliri. Naturae repugnare, animos inuicem conciliari neſcios inſolubili vinculo copulare. Inſidias vitae ſtructas ad diuortium ſufficere Imperatores Chriſtianos iudicare. Atqui quam multis perpetuas illas offenſas vitam abrupiſſe? Denique matrimonium eſſe ſocietatem inter homines. Atqui ſocietates humanas, cum vinculo morali contineantur, vtique magis animorum, quam corporum combinatione conſtare. Alias enim nihil reſtare, niſi corporum commixtionem pluſquam belluinam; cum in multis quoque brutis aliquod inſtar beneuolentiae inter compares cernatur. Quando igitur animus debitam coniunctionem quam in matrimonio quaerit, non inuenit, tam male comparatum par potius in carcere, quam in ſocietate humana viuere. Et cum vota etiam iuramento ſancita, inepta, aut in praeiudicium tertii tendentia ſolui poſſint; quare non & foedus connubiale? Fruſtra regeri, infauſta matrimonia a Deo imponi exercendae virorum patientiae. Nam & morbos & alias calamitates diuinitus immitti, quibus tamen vt humanis remediis reſiſtatur non eſſe interdictum. Multa deinde diſputat de permiſſione diuortii apud Iudaeos. Si enim, infert, in ſua natura adulterium ſit, repudiatam iterum alii viro nubere, aut poſt repudium aliam vxorem ducere, ſequi; Moſen adulterium velut ſancita lege auctoraſſe. Id tamen de iſta lege, quae Deum auctorem habet, cogitare abſurdum eſſe, atque impium. Arguit quoque eos, qui diſpenſationem diuinam circa Iudaeos interueniſſe arbitrantur. Vbi monet, diſpenſationem dici vel proprie vel improprie. Hanc eſſe ſingularem & exceptiuam legem, qua a generali quis lege ob iuſtam & aequam cauſam eximitur, qualis eſt, Numer. IX, 6. ſeqq.

4) c. 18. C. 27. qu. 7. c. 2. & 5. X. de Frigidis & Malefic. antea tamen ſeueriores hac parte fuiſſe Pontifices in admittenda ſolutione, adparet ex c. 2. C. 33. qu. 1.

6. ſeqq. Item lex de ducenda fratris ſine prole defuncti vxore. Proprie dictam diſpenſationem duntaxat locum habere in caſibus peculiaribus, & raro contingentibus, quique ideo in lege exprimi non ſolent, ſed caritati & prudentiae iudicum relinquuntur: verbi gratia, quod Dauidi licuerit veſci panibus propoſitionis, vrgente fame. Sic vt haec diſpenſatio nihil ſit aliud, quam interpretatio legis ex aequitate. (Vbi patet, confundi ab Ipſo diſpenſationem cum aequitate, quae multum differunt.) Quod ſi quis tamen in diuortiis Iudaeorum diſpenſationem interueniſſe velit defendere, ei probandum fuerit, tunc extitiſſe generalem legem circa inſolubilitatem matrimonii ex cauſa morum; quam legem vel naturalem fuiſſe oportet, vel diuinam poſitiuam. Nam circa verba illa, *& erunt duo in vna carne*, nonnulli monent; indicari quidem arctiſſimam ſocietatem, & quam temere diſſolui neque decorum humano generi, neque vtile fuerit. Inde tamen non ſequi, eam ſocietatem non poſſe diſſolui ex cauſis matrimonii naturam & finem ſubuertentibus. Sicuti non ſequitur: Deus coniuges coniungit; ergo non eſt in arbitrio hominum, quis cui coniungi velit, aut non debet pactum inter coniungendos intercedere. Sed potius ita inferri poſſe: Deus coniungit coniuges interueniente pacto; igitur ipſos non vult dirimi, niſi pactum illud fuerit violatum. Hinc inquirit IDEM in ſententiam eorum, qui dicunt; diuortia lege diuina permiſſa duntaxat, non adprobata. Id quod ille putat in Deum irreuerens eſſe; cum ſignum ſit infirmitatis in rectore, ſi ſubiectis quid permittat, quod ipſe non probat. Et quare, cum tam multae nationes Chriſtianae a multis ſeculis huic ſe legi potuerunt accomodare, ſola Iudaeorum σκληροκαρδία non potuerit? Ad verba illa, *ab initio non erat ſic*, aliqui ſic differunt; in ſtatu innocentiae mores hominum fuiſſe commodiores, quam vt tantis diſſidiis occaſio poſſet praeberi [5]. Igitur ſignum eſſe imperfectionis humanae, quod ad remedium diuortii inter coniuges ſit decurrendum. Denique illorum taxat ſententiam, qui diuortia Iudaeis permiſſa aſſerunt, quod in Aegypto illis adſueuerint. Nam tunc maxime opportunum tempus fuiſſe Iudaeos iſta dedocendi, cum ſenſus iugi Aegyptiaci adhuc recens eſſet. Et ideo tam accuratas circa vitandam idololatriam leges latas, quod eandem inter Aegyptios quotidie vidiſſent exerceri. Sed iſta quidem nos in medio relinquimus [6].

§. XXV. INTER illos porro, qui recte inter ſe matrimonium ſunt contracturi, iure naturali requiritur & aptitudo phyſica, & habilitas moralis. Per illam

5) Imo per breuius temporis ſpatium in Statu Innocentiae commorati videntur protoplaſti, quam vt fribuſculis & inde naſcenti diuortio locus vel fingi poſſit. Ipſe Saluator noſter haec verba optime interpretatur Marci X, 6. ſeqq. *Ab initio autem creationis maſculum & feminam fecit eos Deus, & dixit, eruntque duo in carnem vnam.* Indicans, hanc vnionem arctiſſimam eſſe debere, & quae diſſolui non debeat, niſi morte, aut alia cauſſa morti ſimili, quales, quia fini matrimonii penitus repugnat, eſt adulterium.

6) Commendandum tamen VARRONIS illud in Satyra Menippea:

Vxoris vitium tollas opus eſt, aut feras.
Qui tollit vitium, vxorem commodiuſculam
Sibi praeſtat: qui fert ſe ſemeliorem facit.

Quae expendens GELLIVS I. N. A. 17. ſubiicit, *vitium ferendum eſſe, quod ferri ſcilicet a viro honeſto poteſt: Vitia enim flagitiis leuiora eſſe.* H.

§. XXV. 1) Matrimonium eunuchi prohibuit Leo Imper. *Nouell. 98.* Non permittendum id eſſe, pronunciatum in Parlamento Pariſienſi anno DCLXV. menſe Febr. V. DIVRNA ERVDIT. GALLICANA ad d. A. p. 96. Quae alibi circa idem fere tempus pro huiuſmodi matrimonio fuere operoſe diſputata, piget repetere. H.

illam intelligimus eiusmodi conſtitutionem corporis, per quam idoneus quis ſit ad aſſequendum primarium matrimonii finem, qui eſt ſobolis procreatio. ZOSIMVS L. V. *παρ' ἡλικίαν εἰς μῖξιν ἐκδῦναι, φύσεως ἀδικίαν, καὶ ἐδὲν ἕτερον εἶναι· immaturam maritali conſuetudini tradere nihil aliud, quam naturae iniuriam facere*, dicit. Vnde fruſtra ad matrimonium adſpirant, qui impotentia perpetua & incurabili laborant [1] ſpadones praeterea, & ſimiles. Nam ſine dubio legi naturali repugnat, quod ſpadones in Aegypto coniuges ſumere ſolebant [2], vt non omnis voluptatis in venere expertes [3], quod tradit GROTIVS ad Deuter. XXIII, 2. argumento Geneſ. XXXIX, 1. Quo loco quaeri poſſet, num matrimonium proprie vocari queat, quando elumbis ſenex vetulam effoetam ducit? Equidem Dionyſius apud PLVTARCHVM in Apoph. [p. 175. E. Edit. Wechel.] matri effoetae, cum maritum ſibi dari peteret, reſpondit: *Τὲς μὲν τῆς πόλεως βιάσασθαι νόμες δύνασθαι. Τὲς δὲ τῆς φύσεως μὴ δύνασθαι. Se quidem vim inferre legibus ciuitatis poſſe, legibus naturae non poſſe.* Adplicari huc etiam poteſt illud QVINTILIANI Declam. 306. *Eſt quaedam & nubendi impudicitia* [4]. Apud multos quoque obtinet illud EIVSDEM Declam. 2. *Genus infirmiſſimae ſeruitutis eſt ſenex maritus, & vxoriae caritatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus.* Conf. VALER. MAX. L. VII. c. 7. §. 4. In pleriſque tamen ciuitatibus eiuſmodi ſenum matrimonia tolerantur, cum ſaltem alter finis, nempe adiutorium mutuum vtcunque heic obtineri queat. Vid. *L. 27. C. de Nuptiis.* Quae fortaſſe non incommode vocare poſſis honoraria: eo ſenſu, quo honorarii quandoque dicuntur, quibus titulus muneris ſine functione datur. Apud SVETONIVM Nerone c. 35. *vxoria ornamenta* vocantur, eo ſenſu, quo *triumphalia ornamenta* dici ſueuerunt [5]. Quo referre poſſis cohabitationem Abiſagis cum Dauide 1. Regum I. Etſi pro vero matrimonio id habuiſſe videatur Salomo, qui Adoniam eius nuptias petentem occidit, velut ducta regis vidua pluſquam ciuilia agitaret; & quod moribus eius populi nefas eſſet viduas regum ducere. GROTIVS ad 1. Reg. II, 17.

§. XXVI. ISTVD ex natura pactorum in vniuerſum circa matrimonium quoque praeſupponitur, quod, dum id contrahitur, ſufficiens vſus rationis adeſſe, nec minus abeſſe debeat error, ſubſtantiam eiuſdem tangens, & metus iniuſte incuſſus [1]. Circa hunc in legibus Ebraeorum ciuilibus id peculiare erat, quod ſi ſponſa vi aut metu coacta fuiſſet, irrita forent ſponſalia: non item ſi ſponſus coactum ſe diceret; quoniam neque de vi eidem illata, neque de ipſius metu aeque

2) Multo magis abhorret a ratione, Eunuchos, quibus genitalia ſunt exſecta, plures vxores ducere in Turcia. V. RIGALTIVS Hiſtor. ſtat. praeſent. Imper. Turcic. L. II. c. 21. H.

3) MARTIALIS de Eunucho:
Cum ſene communem vexat ſpado Dindymus Aeglen. H.

4) MARTIALIS III. Ep. 93.
Cum tibi trecenti Conſules Vetuſtilla,
Et tres capilli, quatuorque ſint dentes:
Gaudes ducentas nupturire poſt mortes,
Virumque demens cineribus tuis quaeris
Prurire. H.

5) Conf. HERTII Paroemiae Iuris German. L. I. c. 67.

§. XXVI. 1) V. ſupra L. III. cap. 6. §. 10. ſequ. QVINTILIANVS Declam. 306. *Compoſitis aetatibus coacta matrimonia, tamen facile faſtidiuntur: ſiue non habet omne quod licet, voluptatem: ſeu continuis vicina ſatietas: ſiue durum eſt, quod neceſſum eſt.* Sed quid, ſi in rebus venereis deprehenſus, incuſſo metu, fidem matrimo-

aeque praeſumebatur. Et repudiare eandem pro arbitrio poterat, ſi conditio diſpliceret. SELDENVS de Vxore Ebraea L. II. c. 4. Sic ſi error verſetur circa obiectum conſenſus, ſeu perſonam, aut circa qualitatem, quae vel ipſum matrimonium ſpectat [2], vel cui tanquam conditioni conſenſus fuit ſuperſtructus, praeſertim vbi ab altera parte fraus interuenerit, irritum eſſe contractum matrimonialem patet. Vnde ſi quae pro virgine ſe gerebat, poſt deflorata fuerit deprehenſa, etiam iure diuino non tantum licite repudiabatur, ſed & poenae inſuper erat obnoxia [3]. Etſi de flore virginitatis multis antiquorum barbarorum exigua cura. Videatur de moris Balearium DIODORVS SICVLVS L. V. c. 18. Armeniorum & Lydorum STRABO L. XI. Babyloniorum HERODOTVS Clio. Thracum IDEM Terpſichore, Adyrmachidarum & Naſamonum IDEM Melpomene. Sordide quoque Ariſtippus apud DIOGENEM LAERTIVM L. II. [in Ariſtippo §. 74.] Addantur, quae Boxhornius commentatur ad SVETONII Caligulam c. 40. in fine. IVSTINVS L. XVIII. c. 5. n. 4. M. PAVLVS VENETVS L. II. c. 37. de Incolarum prouinciae Tebeth, & dicto loco c. 39. prouinciae Caraiam moribus. Similem foeditatem apud Phoenices abrogauit Conſtantinus Magnus. SOZOMENVS Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 8. & L. V. c. 9. Sic ſi quis pacto connubiali hanc clauſulam expreſſe inſeruerit; ea lege ſibi aliquam fore vxorem, ſi nobili ſit genere, ſi tantum dotis attulerit; vtique non prius ad matrimonium conſummandum tenebitur, quam illa conditio adpareat. Quod ſi quis tamen, neglecta inquiſitione in conditionis iſtius exſiſtentiam, matrimonium conſummauerit; videbitur tacite iſti conditioni renunciaſſe; adeoque ſi quae ſperabantur, deinceps non repraeſententur, hautquidquam ſufficiens diuortio praebetur cauſa. Nam non ita fuerat contractum; repudiabo te, ſi tantum dotis mihi non attuleris: ſed ita; non ducam te. Quae diuerſa plane ſunt. Adeoque ſi cui circa matrimonium ineundum praecipua dotis cura eſt, ſtulte facit, ſi nuptias conſummauerit, antequam ſuper eadem ſibi ſatis cautum ſit. Praeſertim cum multi, qui nuptias conciliant, exprimant illud LIBANII Progymn. [p. 6.] Ὁ δὲ πολλοὺς καὶ καλοὺς μελετήσας λόγους, καὶ τὰ ὄντα ἄρας, καὶ τὰ οὐκ ὄντα προσθεὶς ῥᾷστα συνάπτει τὰ γένη. *Meditatus adueniens cum multis elegantibus verbis, quaeque adſunt auferens, quaeque abſunt addens, facile gentes conciliat.* Multo minus vel diſſoluere nuptias licebit, vel earum rite pactarum conſummationem detrectare, ſi quis non expreſſe de certa

trimonii dederit? Sunt qui huic ſuccurrendum putant, quorum ſententiam tum demum veram eſſe reor, ſi is dolo malo illicefactus fuerit. V. Anton. MATTHAEI Libr. de Nupt. Diſſ. 4. §. 14. Abraham a WESEL ad Nouellas Conſtit. Vltraiect. Art. 14. n. 17. ſequ. H.

2) Vid. quae de domina de Mazarin adtulit BAELIVS dans ſa Reponſe aux Queſtions d'un Prouincial. T. II. pag. 40. & ſeq.

3) Deuter. XXII, 21. Sane conditio caſtitatis tacite ſubintellecta, & dolus intolerabilis corruptum corpus pro intemerato tradentis, merito locum faciunt repudio, ſi tentata reconciliatio fruſtra fuerit. Idque ſtatuit Imp. Leo Nouell. 93. & hodie Dicaſteria ſequi ſolent. Vid. Nicol. HENELIVS de Dotalit. c. 10. §. 14. CYPRAEVS de Sponſal. c. 13. §. 39. n. 2. Adde CARPZOV. L. V. Reſponſ. Elect. 114. Apud Marocanos ſponſa, non reperta virgo, ornamentis nuptialibus ſpoliatur, & domum ad patrem remittitur, cui ſecundum legem ius eſt eam ſtrangulandi, ſi velit. St. OLON. Relatione de Imper. Marocano p. 86. H.

4) Apud Romanos inhoneſtum viſum eſt, vinculo poenae matrimonia obſtringi, ſiue futura ſiue iam contracta. Vt eſt in *L. Titia 134. pr. de Verb. Obligat.* Conf. *L. 2. C. de Inutil. ſtipulat. cap. Gemma 29. X. de Sponſal.* H.

certa dote conuenit, ſed tacita duntaxat ſpe ſponſae ſuae opes non inueſtigatas deuorauit. Inde recte Ephori multarunt eum, qui ſuperſtitis adhuc Lyſandri filiae fidem coniugii dederat, poſt cum ille mortuus pauper inueniretur, eam ducere recuſauit. Apud AELIANVM V. H. L. VI. c. 4. Et haec quidem iure naturali obtinent. Nam leges ciuiles prohibere poſſunt, ne eiusmodi clauſulae, ad matrimonium directe non facientes, eiusdem conſummationem ſuſpendant [4].

§. XXVII. MORALIS habilitas matrimonium contrahendi deficit illas, quae iam alteri viro ſunt nuptae. Nam ius mariti prioris in eam foeminam tamdiu durat, quamdiu eidem non renunciauerit. Vnde non illicitum ſolum, ſed & irritum matrimonium eſt cum nupta [1], & a priori viro nondum rite ſoluta, quia & poteſtas nouum ineundi matrimonium deeſt foeminae adhuc alteri marito adſtrictae, & tota cohabitatio inſtar continui adulterii habet. Sic & vbi polygamia eſt prohibita, vitioſe matrimonium contrahit vir, vxori iam alteri alligatus. In lege Ebraica nefas quoque erat in matrimonium denuo adſciſcere eam, cum qua quis ſemel diuortium fecerat. Deuter. XXIV, 4. Cuius ratio ſine dubio fuit, ne diuortia temere & ob quamcunque offenſam frequententur, ſi nulla ſpes ſemel domo eiectam recipiendi, vbi irae impetus deferbuiſſet. GROTIVS ad dictum locum hanc rationem affert: *quia ſpeciem habet vxoris alteri in vſum datae; omniaque lenocinia eo velo obtegi potuiſſent.* Alii tamen putant, licuiſſe reducere dimiſſam, antequam alteri denuo nupſiſſet, ex Ierem. III, 12. In ALCORANO licet reducere etiam ter dimiſſam, ſed ita, vt ter repudiatam recipere non liceat, niſi alius eam duxerit & repudiauerit [2]. Quod tamen parum honorificum eſſe, colligitur ex reſponſo, quod Amurathes Temiri dedit: *Si non veniat, quemadmodum minitatur, precor vxorem ſuam ter repudiatam recipiat.* Apud LAONICVM CHALCOCONDYLAM L. III. Alias quoque in *Alcorano* praecipitur, vt dimiſſurus vxorem, certum tempus ei ſtatuat, intra quod non debeat alteri nubere; quaſi intra quod deliberaturi ſint, an illas reducere velint. Notanda quoque illa lex Ebraica, quam refert IOSEPHVS Archaeol. IV. 8. *Qui virginem ducturus non eſt, ei non iungatur, quam diſcedere ſuaſit ab alio, neque contriſtet priorem maritum eius* [3]. Sed & ratio conſtat canonibus [4], quibus interdictum, ne quis vxorem ducat eam,

quam

§. XXVII. 1) Et maritus, qui credebatur mortuus, redux vindicare poterit, ſi volet, vxorem alteri licet ex iuſto errore nuptam. Can. Concilii ſexti in Trullo 93. REGINO L. II. de Eccleſ. diſcipl. c. 182. & 183. c. 2. X. de Secund. nupt. Nouell. 117. c. 11. Exempla vid. apud REIDANVM L. 18. Ann. Belgic. ad A. MDCI. CRVSIVM Part. III. Annal. Sueuicor. L. XII. c. 13. ad A. MDLXVII. Claudium de FERRIERE Inſt. Iur. Rom. & Gallic. L. I. tit. 10. & in Iurispr. Digeſtor. cum ordinat. Regiis & conſu. collata tit. de Nuptiis p. 522. H.

2) Vid. ſupra L. V. c. 10. §. 8. RIGALTIVS Hiſtor. ſtat. praeſent. Imper. Turcic. L. II. c. 21. in fine. CHARDINVS Itinerar. Perſic. p. 269. & ſequ. H.

3) Quae Lex, vt a Ioſepho refertur, Scripturae Sacrae minime conformis eſt: quemadmodum verſio, qua AVCTOR vtitur, contextui Ioſephi Graeco, parum reſpondet.

4) Ne, facta coniugii ſpe, moechus aut moecha ad conſilia neſaria delabantur. Conf. Nouell. 134. c. 12. Et forte ſatius erat, exceptiones non admittere, quas nimium indulgenter Pontifex in *c. 6. X. de Eo qui duxerit vxor.* poſtea recepit. Sane nullam adulteram non eandem eſſe veneficam

quam prius adulterio polluerat. Apud GRATIANVM Cauſ. 31. quaeſt. 1. c. 1. 2. ſeqq. Praeſertim cum fere obtineat illud EVRIPIDIS Electra. [v. 921. & ſeqq.] Ἴστω δ᾽ ὅστις τὶς διολέσας δάμαρτα τοῦ κρυπταῖσιν εὐναῖς, εἶτ᾽ ἀναγκασθῇ λαβεῖν, δύστηνός ἐστιν, εἰ δοκεῖ, τὸ σωφρονεῖν ἐκεῖ μὲν αὐτὴν οὐκ ἔχειν· παρ᾽ οἷ δ᾽ ἔχειν. *Sciat, quisquis alterius corruperit coniugem furtiuo concubitu, ſi poſtea eam ducere coactus fuerit, ſe infelicem eſſe, ſi putat eam, quae prius fuerit iſtic impudica, ſeruaturam apud ſe pudicitiam.*

§. XXVIII. CENSENTVR quoque impuras nuptias contrahere perſonae certis gradibus conſanguinitatis iunctae, aut affinitatis nexu (vid. *L. 4. §. 3. 4. 5. D. de Gradibus & affinibus*) copulatae; ſic vt non ſolum ab initio tale matrimonium contrahere ſit vetitum, ſed & idem contractum perpetuo vitio laboret. Hoc licet apud omnes gentes queis aliqua morum eſt cultura, communi perſuaſione receptum deprehendatur; eius rei tamen ſolidam rationem, & quae ex ſociali hominis natura, vti reliqua praecepta, liquido fluat, aſſignare oppido quam difficile eſt [1]. Nonnulli heic ſimpliciter ad abhorrentiam affectuum humanorum confugiunt [2], quaſi omnes, qui per prauam educationem aut vitioſum habitum non ſunt corrupti, in ipſis ſenſibus deprehendant aliquid, tali commixtioni repugnans; id quod claro ſit indicio, eandem naturali iure prohiberi. Enimuero neque iſta affectuum repugnantia apud omnes mortales, etiam quibus cultura ſui cordi eſt, aequaliter deprehenditur; & eandem iactantibus reponi non abſurde poteſt, ipſam non tam ex congenito principio, quam ex diuturnis moribus, qui naturae indolem mentiantur, prouenire. Neque vero circa ius naturae eruendum adeo tutum eſt ſolum iudicium ſenſuum atque affectuum conſulere; cum ex aduerſo concludi poſſet, illa quoque iure naturali praecipi, in quae ſenſus & affectus acerrime feruntur; quorum tamen pleraque iſti iuri aduerſari manifeſtum eſt. PLVTARCHVS Quaeſt. Roman. 108. poſtquam quaeſiuit, quare Romani cognatas ſuas non ducant vxores, pro more ſuo dubitabundus has rationes proponit: *An vt coniugiis augeant neceſſitudines, multosque ſibi parent cognatos, aliis dando, ab aliis accipiendo mulieres? An metuentes ſibi a diſcordiis coniugalibus, quae exortae inter cognatos, praeter coniugum debitum amorem etiam naturae iura eſſent abolitura?* (verbi gratia, quia valde frequentia ſunt ſocruum & nuruum odia, igitur non debuiſſe aliquem ducere talem, quae ipſius matri naturaliter reuerentiam debebat, id eſt, ſororem.) *Aut videntes mulieribus ob imbecillitatem opus eſſe multis defenſoribus, noluerunt cogna-*

eam dixit M. Cato apud QVINTILIANVM L. V. I. O. c. 11. AVSONIVS Epigr. 10. in Eunopinam:

Toxica zelotypo dedit vxor moecha marito. H.

§. XXXVIII. 1) Et tamen hae coniunctiones inceſtae viſae gentibus pleriſque, cum antiquis, tum recentioribus. Seuere admodum SENECA in Octauia, v. 141. 142.

Genitamque fratris, coniugem captus ſibi
Toris nefandis flebili iunxit face.

Sed fuit res aeſtimata ab eo, quod ſaepe fieri obſeruatum eſſet, qua ratione falſiloquium omne damnatum eſſe, quia ſaepe cum mendacio confunderetur, & omne iusiurandum pro ſeruando habitum eſſe, quia frequentia periuria fuerant, ſupra obſeruatum fuit. Scilicet obſeruatum fuerat, quamdiu inter propinquos ſpes eſſet nuptiarum, facile inde ſtupris & adulteriis natam fuiſſe occaſionem, quum homines conſuetudine quotidiana commouerentur, ad illecebras vagi concubitus. Biblis apud OVIDIVM L. IX. Metamorph. verſ. 557. ſeqq.

Dul

cognatas ducere, vt ipſis auxilio eſſe poſſent, ſi a maritis iniuria afficerentur? Quae poſterior ratio videtur expreſſa ex EVRIPIDIS Andromache v. 674. *Ἀνδρὶ μὲν ἔςιν ἐν χερσὶν μέγα σθένος. γυναικὶ δ' ἐν γονεῦσι καὶ φίλοις τὰ πράγματα. Viro magnum robur in manibus eſt, vxor autem in parentibus & amicis rerum fiduciam habet.* Priorem rationem de latius ſpargendis amicitiis per affinitates etiam probat AVGVSTINVS de Ciuit. Dei L. XV. c. 16. quem citat GRATIANVS Cauſ. 35. Qu. 1. c. 1. Cui conſpirat Rich. CVMBERLAND de Leg. nat. c. 8. §. 9. Vbi praeterquam quod minus vtile non ſtatim ſit illicitum, etiam illud vtile non ſemper hoc modo obtinetur, cum contingere queat, vt ex contrario maior vtilitas proueniat; puta, dum coniunctis inuicem cognatis prohibetur, ne opes in aliam familiam transferantur. Inde lex diuina Num. XXXVI. foeminis, bonorum immobilium dominis, ex ſua duntaxat cognatione maritos adſciſcere praecipit, ne agri de tribu in tribum deuoluerentur. Poterant tamen cuiuis Hebraeo nubere, ſi haereditatem ſibi delatam repudiarent. Quare nec Leuiticae gentis virgines ea lege tenebantur, quippe quae rerum ſoli capaces non eſſent. Vid. GROTIVS ad Matth. I, 16. Apud Peruuianos ſub imperio Yncarum lege cautum erat, vt quilibet vxores ducerent, ex ſua vrbe & ex ſua familia; contra ibidem nouis nuptis communitas ciuium domum exſtruebat, proximi cognatorum eam ſupellectile inſtruebant. Garcilaſſus de la VEGA Comm. Reg. L. IV. c. 8. Sic lege Attica virgines ἐπίκληροι, ſeu quae ſolae ſuis parentibus erant haeredes, a proximis cognatis duci iubebantur, vt auitae opes in familia conſeruarentur. Circa quales virgines cum ſaepe inter procos controuerſiae exſiſterent, per iudices definiendae, hinc eaedem ἐπίδικοι vocari ſolebant. Erat tamen Athenis alia lex in iſtius velut compenſationem, vt ſiquidem virgo ἐπίκληρος in re tenui eſſet, itidem proximus agnatus eandem ducere, aut pro dignitate dotare teneretur. Par Charondae lex extat apud DIODORVM SICVLVM L. XII. c. 18.

§. XXIX. INPRIMIS autem hoc loco conſiderandum, quare, vtut in ſe nobile ſit onus tam eximium animal propagaſſe, apud cultiores tamen gentes tum membris generationi deſtinatis, tum ipſi generationis actui tam tenera adhaereat verecundia, vt eam ſuperare non poſſint, niſi quibus per longam vitiorum adſuetudinem frons plane obduruit. Quam in rem memorabile eſt, quod PLVTARCHVS de Virtutibus mulierum. [pag. 249. C.] & POLYAENVS Strateg. L. VIII. [c. 63.] tradit de virginibus Mileſiis [1]; cum incertum,

 qua

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus.
Eſt mihi libertas tecum ſecreta loquendi,
Et damus amplexus & iungimus oſcula coram
Quantum eſt, quod deſit.

Igitur placuit, tanquam inceſtas interdicere nuptias, quae tolerari poterant, ſi boni homines fuiſſent: quum id curandum praecipue videretur, ne uniuscuiusuis patrisfamilias domus conuerteretur in lupanar.

2) Nec male; Vt enim in naturalibus dantur principia, quae a priori demonſtrari nequeunt, eo quod in ſenſus incurrant; ita in moralibus quoque deprehenduntur, quorum veritas absque ratiocinatione intellectui recte conformato ſe inſinuat. Et hoc admittere AVCTOREM ipſum ex §. 32. liquet. H.

§. XXIX. 1) Vid. AVCTOR §. 31. & BAELIVS Réponſe aux Queſtions d'un Prouincial T. II. pag. 92. 93. in margine, vbi plura exempla.

qua de cauſa eas furor corripuiſſet certatim ſeſe ſuſpendio necandi, isque nulla ratione ſiſti poſſet; tandem legem latam eſſe, quae iuberet omnes, quae ſibi ſuſpendio mortem conſciuiſſent, nudas per forum efferri. Sic quas mors non poterat, metus ignominiae poſtumae ad ſanitatem reuocauit. Quod ſi apud aliquas gentes nuditas, aut apertus concubitus in vſu fuit, illae a reliquis foedae barbariei nota fuerunt damnatae. Sicut de Moſſynis notat MELA L. I. c. 19. *promiſcue concumbunt, & palam.* Et de iiſdem APOLLONIVS RHODIVS L. II. Argonaut. *Diuerſum autem ius atque fas iſtis exſiſtit. Quae enim palam agere fas, aut in populo, aut foro, ea omnia in aedibus exercent. Quae autem nos domi patramus, ea foras impune mediis in plateis agunt. Neque thori pudor communis, ſed porci tanquam Altiles, ne minimum quidem veriti praeſentes. Miſcentur humi communi amore mulierum.* Idem tradit DIODORVS SICVLVS L. XIV. c. 31. Et XENOPHON. *περὶ ἀναβάσ.* L. V. & de Maſſagetis HERODOTVS CLIO ſub finem, & de Naſamonibus IDEM Melpomene. Iſtius porro ratio non ita in propatulo eſt. Nam neque membra iſta peculiari aliqua deformitate aut abſurda figura laborant; & propagationi humani generis nobiliſſimo vtique actui inſeruiunt. Quo nomine genitalia apud Aegyptios, & Athenienſes in myſteriorum ritibus religioſe habebantur. Vid. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 88. Quin & ipſe actus generationis in ſe naturae eſt conformis, ac neceſſarius, aptusque tantae dignationis animal producere. Quo coram aliis exercendo cur magis quis erubeſcere debeat, quam dum edit aut bibit; cum citra iſtum actum non magis ſpecies humana ſeruari poſſit, quam citra haec indiuidua. Nec rem conficit illud PLVTARCHI in Conuiuio VII. ſapientum. [p. 158. F.] *Nulla eſt corpori alia, qua innocentius frui poſſit, quam ab alimento voluptas, quod omnibus eſt compertum hominibus. Menſa enim in medio propoſita communicant coenis, rei venereae tenebras praetexunt denſas. Quia huius voluptatis communicationem belluinam impudentemque iudicant, perinde atque illius abſtinentiam.* Etſi apud XIPHILINVM Epit. Dionis in Seuero, vxor Argetocoxi Caledonii, cum Iulia Auguſta ipſi illuderet, quod eius nationis foeminae impudenter cum maribus verſarentur, ſat argute repoſuerit: *Nos multo melius explemus ea, quae naturae poſtulat neceſſitas, quam vos Romanae. Nam aperte cum optimis viris habemus conſuetudinem: vos autem occulte peſſimi homines conſtuprant.* Add. MONTAIGNE Eſſais L. II. c. 12. p. m. 398. & CHARRON. de la Sageſſe L. I. c. 22. Nec plane ſatisfaciunt rei, qui heic ad diuinas confugiunt literas, iſthaec verecundia ſtatim poſt lapſum ſeſe exſeruiſſe memoratur [a]. Nam nihilominus quaeſtio remanet, cur his potiſſimum in partibus pudor velut ſedem fixerit; cum manus, ac lingua hominis in turbidarum aut prauarum miniſteria cupiditatum praeſto ſint. Imo cum edendo primitus homo deliquerit, iſta opinio turpitudinis ori & manducationi potiſſimum adhaerere debere videbatur.

§. XXX. SVPER nuditate, & qui eam comitatur pudore, philoſophans AVCTOR de Principiis iuſti & decori, p. m. 59. ſeqq. initio ponit, *non omne, quod pudorem incutit, peccatum eſſe, & naturalis legis dictamine probiberi.* Id quod

a) Legendum videtur, *in quibus iſthaec* &c. H.

quod exemplis aliquot probat, verbi gratia, paupertatis, ſordidarum veſtium, erroris etiam innoxii, deformitatis, & ſimilium, quibus erubeſcimus, cum tamen in iisdem nihil ſit moralis turpitudinis. Cauſam autem, quare iſta defugiamus, eſſe, quia infirmitatem aliquam & imperfectionem arguunt, quam quiſque a ſe longiſſime abeſſe optat. Ipſa porro nuditas, atque reuelatio membrorum genitalium licet in ſe peccatum non ſit; non tamen licere cuiuis in conſpectu hominum ea detegere, niſi in ea detectione nihil ſit, quod honeſtati naturali repugnet. Id quod aliquando contingat. Tunc enim iuſte aliquem pudere, cum tales imperfectiones poſſidet, vel quas poſſidet, ita prodit, vt proximus iure meritoque eum ideo minoris facere, ſeu contemnere poſſit; ideo quod iſtae non conueniant cum dignitate perſonae, quam gerit. Hinc aliquid neſcire in ſe turpe non eſſe in eo, qui nulla vnquam vſus eſt diſciplina: ſed qui diu ſtudiis ſeſe dedit, nulloſque profectus fecit, ei ignorantia ſua rubori eſt. Sic ruſticum horridi mores non deformant; ſed qui ciues inter moratiores eſt enutritus, non ſine vitio rigidus eſt. Ita qui eas corporis partes detegit, quas conſuetudo gentis tectas eſſe vult, is in honeſtatem naturalem peccat, ſi eas conſpectui patere faciat. Vti apud HERODOTVM Clio [p. 3. Ed. H. Steph.] dicitur: Ἅμα κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. *Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit.* Quas tamen alius alibi terrarum, vbi nudi incedere homines ſolent, verbi gratia, inter Caraybes, ſine peccato aut petulantiae nota detectas habet. Et in quibusdam partibus regni Abyſſinorum [1] plebeiae foeminae omnibus partibus nudae incedunt. Quibus tamen viſis mares non magis moueri ſolent, quam ſi manus aut pedes nudos conſpicerent: teſte Franc. ALVAREZ Deſcript. Aethiop. c. 32. Add. Io. LERIVS Hiſtor Americ. c. 8. & ROCHEFORT Deſcript. Antillarum Part. II. c. 9. Imo apud Indos quosdam poena, ni fallor, adulterii fuit, tectis genitalibus incedere. Sic inter minus notos, aut honoratiores impudens habetur aliqua citra praefationem veniae agere, quae inter familiares libere exercentur. Et quod in ſolitudine pudorem non affert, inter honeſtos viros, aut in conuiuio honeſte non emiſeris, niſi forte Claudius edictum ſuum diu meditatum demum promulget; de quo eſt apud SVETONIVM Claudio c. 32. Adde DIOGEN. LAERTIVM L. VI. in vita Metroclis. Sic qui anatomiam docet palam exponit oculis, quae eidem extra eam rationem conſtituto ne nominare quidem decorum eſſet. Idem igitur dicendum de genitalium detectione. Licet enim illam gentem admodum a morum modeſtia deſciuiſſe oporteat, quae vitio non vertit iſta nuda habere, cum cultas inter gentes honeſtis etiam curae ſit εὐσχήμως πεσεῖν, *deconter cadere*, EVRIPIDES Hecuba v. 568. neque ſine graui peccato maiores talium gentium ad illum impudentiae gradum peruenerint; poſtquam tamen conſuetudo inualuit, vt ex communi gentis ſenſu nota turpitudinis ſit ablata a tali viuendi modo, totam gentem extra peccati labem genitalia detecta habere, quia nullam imperfectionem aut infirmitatem erubeſcendam homini in ea re ineſſe agnoſcunt: non magis quam nos in detectione vultus matronarum

§. XXX. 1) V. & LVDOLFI Hiſt. Aethiop. L. IV. c. 4. n. 22. & in Comment. n. 18. H.

narum, quae in publicum prodeunt, id quod tamen apud alias gentes matronis vitio vertitur [z]. Platoni apud Diogenem Laertivm L. III. legis ἀγράφε, & quae ab vſu proficiſcitur, (κατὰ ἔθη γενομένε) exemplum eſt, τὸ μὴ γυμνὸν πορεύεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν, *nudum in forum non ambulare.* Sed & inter populos, vbi nuditas proſcripta eſt, ea membra aliquando citra peccatum detegi, puta cum medicatrici manui ſunt committenda, aut cum tempus aut copiam rerum ad tegendum non concedit neceſſitas, aut cum infantes faſciis inuoluuntur. Scilicet quia in hiſce caſibus impudentiae nota adeſſe deſinit, ideo quod tunc ea membra patent abſque proteruia & oſtentatione. Quia igitur apud quoſdam barbaros infirmitatis aut imperfectionis nota non habetur nuditas genitalium, inde & citra impudicitiae crimen eadem apud illos deteguntur; nec eo nomine apud eosdem in contemtum quis incurrit; quod tamen maxime apud nos contingit. Sicut apud Pygmaeos, *vbi tota cohors pede non eſt altior vno,* breuitas illa ſtaturae rubori non eſt, quae tamen apud alios ludibrio patet. Quin & apud Cafares foeminae, ſi quid ipſis dono datum fuerit, pudenda detegunt; quod apud ipſas inſtar ciuilitatis habetur; apud Herbertvm Itiner. Perſ. & Indico. p. m. 21. Idem p. 240. iſta fere repetit; reuelationem genitalium in ſe turpem non eſſe, ſed tantum propter circumſtantias, quae petuntur vel a libidine proximi, vel eius dignitate, vel ab aeſtimatione propria, in qua vnusquisque tueri ſe debet. Cum autem notae externae, quibus proximo reuerentiam & honorem exhibemus, varient, multa apud gentem vnam cum proximi aut ſui ipſius probro fieri, quae mutatis circumſtantiis hoc vitio carent. Inde Ioann. XXI. 7. Petrus aduentante Domino, properat amiculo ſe cingere, cum inter piſcandum nudus cum ſodalibus verſari non erubuiſſet. Quia dignitas Chriſti, cui honorem debebat Petrus, requirebat, vt ipſi conuerſaretur cum modeſtia & grauitate, quae a nuditate ex opinione gentium veſtitarum abeſt. Inde Romae *cum parentibus puberes filii, cum ſocero generi non lauabantur.* Cicero Offic. I. Val. Max. L. II. c. 1. §. 7. Sic apud Livivm L. III. c. 26. legati L. Quintium *ſenatus mandata togatum audire iubent.* Sicut obſoleta veſte domi verſari non erubeſcimus, quibus tamen ad nuptias aut ſolennem conuentum accedere indecorum habetur. Matth. XXII, 12. Ita & in ſecreto aliqua commode agi, quae ſi palam fierent, in turpiſſimis haberentur; imo nec turpe habetur, ſi alii intelligant, quo fine ſecretum petamus. Denique & multa fieri a viris ſine probro, quae ſi virgines committerent, perfrictae frontis putarentur. Vlterius ex 2 Corinth. XI, 17. 19. colligit; cum poſt praefationem veniae ex conceſſione alterius recte quid dicatur, vel agatur, quod citra eam turpe erat; iſtud turpitudinem habere

z) Vt apud Moſcouitas, quorum foeminae, maxime autem virgines, magno velo faciem contegentes in publicum prodeunt. Vid. Comes Carlislivs Deſcript. Moſcouiae p. 345. Adde de foeminis Marocanis St. Olon. Relat. de Imper. Marocano p. 88. ſequ. De Orientis populis id conſtat. H.

a) Quae ſententia probabilis non videtur. Cur enim pudor propter nuditatem Adami & Euae animum occupaſſet, quum eſſent ſoli, & vterque alterius cauſſa, tales, quales erant a manu Dei conditi. Quando igitur Moſes ait, nudos ſe ſenſiſſe Protoplaſtos, Idiotiſmo Hebraico hoc demum ſignificare videtur, conſcientiae eos morſus ſenſiſſe, propter peccatum a ſe, dum fructum vetitum comederant, commiſſum. Vid. Clericvs ad Geneſ. III. 7. Exemplum ipſum infantium, quo

bere non in ſe, ſed tantum ex circumſtantiis; quae ſi auferantur, iam amplius eo nomine improbari non poſſe. Quia alter remittit velut reuerentiam, quae ipſi alias debebatur. Vbi tamen recte iſthaec limitatio additur; modo per conſuetudinem totius gentis liceat, ſingulis ſibi circa talia veniam indulgere. Hoc enim niſi ſit, nequidquam ſingulos impudicitiae notam effugere, ſi reuerentiam illam ſibi mutuo remittant. Sicut reprehenſionem non effugiunt aſoti, ſi mutuo conſenſu nudi inter ſe verſari velint in gente, vbi veſtium vſus publice receptus. Denique concludit, protoplaſtos ante commiſſum peccatum inſtar puerorum fuiſſe quoad pudoris affectum: peccato perpetrato, pudoris affectum animam eorum occupaſſe, ex quo pudore intelligebant indecens eſſe [2], genitalibus nudis incedere; ſicut idem iudicium formamus creſcentibus annis. Ex illis omnibus concludit, nullos gradus circa ineundum matrimonium prohiberi lege naturae; ſed honeſtati tamen naturali admodum congruere a quibusdam abſtineri. Confer. quoque MONTAIGNE Eſſais L. I. c. 35. & CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 6.

§. XXXI. ISTHAEC quanquam non plane de nihilo eſſe videantur: nobis tamen eius pudoris circa partes genitales, actumque generationis cauſam aſſignare potiſſimum duplicem placet. Primo quia homo eſt animal ſuperbum [1], gloriae, decorisque cupidum, & ab iſta deſtruentibus abhorrens. Iam vero per iſtas, vicinasque partes retrimenta cibi potusque natura eiicit; quae non ob foeditatem tantum ſuam homo auerſatur, ſed & quia ipſi conditionem ſuam exprobrare videntur, quod intra corpus humanum ſapidiſſimae res in tam tetram materiam mutentur. Inde ne iſta imbecillitatis indicia vllatenus pateant, ſolicite ſuperba hominis indoles cauere ſolet. Quo facit illud 1 Corinth. XII, 23. 24. CICERO Offic. I. [c. 35.] *Natura corporis noſtri magnam videtur habuiſſe rationem; quae formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu: quae autem partes corporis, ad naturae neceſſitatem, aſpectum eſſent deformem habiturae, atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia* [2]. Quae deſumta videntur ex XENOPHONT. Apomnem. L. I. Add. AMBROSIVS Offic. L. I. c. 18. HERODOTVS Euterpe [p. 64. in fine] de Aegyptiis: domi ventrem exonerant, foris in viis comedunt, reddens rationem, *quae ſunt turpia, ſed neceſſaria, ea in occulto fieri debere; palam vero, quae non ſunt turpia.* Etſi (vt hoc obiter addam) iidem irridebantur, quod lutum manibus, panem pedibus ſubigerent. Sic in Roſario Perſico SADI, c. 8. haec ratio affertur, quare ſiniſtra manus, dextra vtique minus digna, annulo exornetur, quia *dextrae*

quo hic vtitur VELTHVYSIVS indicat, pudorem hunc vnice educationi deberi, & conſuetudini ſatis ſapienter introductae, ne prolis ſuccreſcentis libidine violetur caſtitas domeſtica.

§. XXXI. 1) Vid. ſupra L. I. c. 2. §. 7. H.

2) *Quae enim Natura occultauit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis, ipſique neceſſitati dant operam, vt quam occultiſſimae pareant: quarumque partium corporis vſus ſunt neceſſarii, eas neque partes, neque earum vſus ſuis nominibus adpellant: quodque facere turpe non eſt, modo occulte: id dicere obſcoenum eſt. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obſcoenitas.*

dextrae manui ſummum decus ipſa dexteritas. Inde & incolae inſulae Borneo dicuntur ſiniſtra manu podicem abſtergere, quia dextra, inquiunt, eſt pro ore. Huc etiam facit, quod de Azenagis, incolis regni Senegae refert Aloyſtus CADAMVSTVS in Nauigat. ſua c. 10. *ipſos pudere oris aeque vt inguinum, idque circumferre tectum vt rem pudendam, argumento, quod velut ſentina quaepiam halitum tetrum ſemper emittat: nec detegere, niſi ſumendi cibi gratia.* Simile refert LEO AFRICANVS L. I. cui iſti homines dicuntur Zenagates. Deinde quia affectibus per lapſum corruptis, praua libido per eas partes magno velut cum impetu erumpere ardet; & vero cardo quaſi omnis decori ordinis in ſocietate humana in hoc vertitur, vt propagatio ſobolis ſanctis legibus circumſcribatur; igitur dignitati ſuae conſeruandae ſimulque praeſcindendis illicitae aut intempeſtiuae Veneris occaſionibus ſtudens natura iſtum pudorem commenta eſt, quo & ſollicite iſta membra tegerentur, ne oculis ſemper expoſita irritarent libidinem quouis tempore paratam; & eo magis Venere illicita abſtineretur, quod & legitimam non niſi tecte & remotis arbitris obire pudoris teneritas ſubigeret [3]. Inde protoplaſti poſt deprauatam affectuum harmoniam, cum illis partibus inordinatam libidinem ſibi velut portam ſtruere animaduerterent, merito pudore ſuffundebantur, tanta in ſe imperfectione iam deprehenſa, cui vtcunque a tegumentis nonnihil remedii arceſſitum ibant [4]. Sed quod multas apud gentes iſte nuditatis pudor exoleuerit, id initium ſumſiſſe crediderim ab egeſtate, dum in regiones incultas delati homines, detritis quas habebant veſtibus, materiam aliis tegumentis non inuenirent, nec per temperiem coeli valde deſiderarent. Inde cum veſtibus pudor hiſce paulatim periit; cuius veſtigia tamen retinuerunt, qui exiguo velamento pudenda obtexerunt; vnde ad plenam nuditatem facilis eſt tranſitus. Iſte porro pudor inſigniter intenditur aduerſus illas perſonas, quibus natura reuerentiam quandam debemus [5], aut aduerſus quas grauitatem quandam prae nobis ferre debemus, quales praecipue ſunt parentes & liberi: ita, vt qui per eundem non reprimatur, quo minus in familiarem iſtam corporum commixtionem deſcendere non vereatur, effronti prorſus ingenio, & qui nullum aliud facinus ſit formidaturus iudicetur: quique adeo *maximo inter homines morbo* laboret *impudentia*, vti eam vocat EVRIPIDES Medea v. 471. [6] Aliam rationem pudoris iſtius adfert HVARTVS Scrutin. ingen. c. 10. ab init. quam ad obruſſam reuocare iam non vacat.

§. XXXII.

3) AVGVSTINVS L. XIV. de Ciuitat. Dei c. 18. *Paſſim*, inquit, *pudoris cauſa in more poſitum eſt, vt concubitus etiam corporis remotum ab arbitris cubile requirat; omnes famulos, ipſos etiam paranymphos & quoſcunque ingredi quaelibet neceſſitudo permiſerat, ante mittat foras, quam vel blandiri coniux coniugi incipiat.* H.

4) Textus Hebraicus eum ſignificatum admittit, quo Adam, & Eua caſam occultandi ſeſe cauſſa exſtruxerint, poſtquam voluntati Diuinae rebelles fuiſſent.. Vid. CLERICVS ad Geneſ. III, 7. & nota 3. ad §. praec.

5) EPICHARMVS Comicus:
Ἔνθα δέος, ἐνταῦθα κ' αἰδώς.
Metus vbi eſt, ibidem eſt & pudor. H.

6) *Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων*
Πασῶν, ἀναίδει'
Impudentia omnium morborum maximus eſt.

§. XXXII. 1) PAVLLVS *L. 14. §. 2. D. de Ritu nupt. contra pudorem eſt, filiam vxorem ſuam ducere.* H.

2) Ideo certe inceſtum hunc concubitum non ambiiſſe, ne genus humanum periret, facile probare

§. XXXII. Hic igitur pudor non poſtrema cauſa videtur, quare ipſo iure naturae inter adſcendentes & deſcendentes in recta linea connubia cenſeantur prohibita [1], praeſertim cum nullus vnquam caſus extiterit, nec probabiliter exſiſtere poſſit, vt ſeruando generi humano eorum admittendorum neceſſitas foret. Nam feſtina minus erat ſolicitudo filiarum Lothi Geneſ. XIX, 31. Etſi Grotivs ad dictum locum putat, illas crediidiſſe id licitum, quod ab Arabibus vicinis fieri quotidie intelligebant [2], quibus vt & Perſis mos iſte fuerit [3]. Et in hunc ſenſum capienda quoque eſt illa ratio Grotii dicto loco, quod nec filius, lege matrimonii ſuperior, eam reuerentiam poſſit praeſtare matri vxori, quam natura exigit, nec patri filia, quae quamuis lege matrimonii inferior, tamen ob familiarem illam conſuetudinem iſtius neceſſitudinis reuerentiam exhibere prohibeatur [4]. Alias enim, ſi pudor ille, quem diximus, remoueatur, non adeo abſurdum erat, matrem cum filio ſui iuris iungi; cum non repugnet, maritum vxori ob virtutem, ſapientiam, aut nobilitatem reuerentiam exhibere. Sicut de ſoceris ſuis Tacitvs Agricola dicit: *Vixerunt mira concordia, per mutuam caritatem, & inuicem ſe anteponendo.* Multo magis cum obſequio coniugali etiam filialem reuerentiam patri marito filia vxor exhibere poſſet, ni pudor iſte obſtaret. Quod autem Socrates comminiſcitur apud Xenophontem L. IV. de Dictis & factis Socratis, [c. 4. §. 22. Ed. Oxon.] oppidoquam ieiunum eſt; quaſi in coniugiis parentum & liberorum nihil aliud ſit culpandum praeter aetatis diſparitatem, vnde ſequatur aut ſterilitas, aut male conformata ſoboles. Quaſi vero non ſaepius occurrant matrimonia inter tales, quorum aetas plena pubertate, ſeu tot annis diſtat, quot annis parentes liberos poſſunt praecedere. Caeterum laudanda heic legum Romanarum caſtimonia, qua ob ſolam paterni nominis reuerentiam illicitas declarabant nuptias inter patrem & filiam adoptiuam, etiam poſtquam per emancipationem adoptionis iura fuerant ſoluta. Vid. *L. 55. D. de Ritu nuptiarum* [5]. Et non pro caetera ſtoliditate Claudius, cum foemina quaedam filium ſuum agnoſcere nollet, dubia vtrinque argumentorum fide, ad confeſſionem eam compulit, dum ipſi matrimonium iuuenis indixit. Svetonivs Claudio c. 15. Oſtendere quoque eiusmodi coniunctionum foeditatem exinde quidam voluerunt, quod per eam diuerſa plane neceſſitudinum vocabula confundantur. Apud Ovidivm Metamorph. X. [v. 346. & ſeqq.] ita Myrrha: *Nec quod confundas & iura & nomina ſentis? Tune eris & matris pellex, & adultera patris? Tu ne ſoror*

bare potuit Clericvs in nota ad d. l. Geneſeos.

3) Adde de aliis quoque populis Freinshemivm ad L. VIII. Curtii c. 2. n. 19. H.

4) Ipſe legiſlator diuinus obſeruante id Io. Clerico ad Leuit. XVIII. 7. hanc rationem ſuppeditare videtur. Ait enim: *Nuditatem patris tui, & nuditatem matris tuae non reuelabis: mater enim tua haec, ideo non reuelabis nuditatem eius.* Accedit alia contemplatio, de qua dictum in nota 1. ad §. 28. & qua, ex inordinatis amplexibus ſaepe intempeſtiue naſceretur proles, cuius educationi non aeque commode proſpici poſſet, ac ſi nata eſſet ex conſuetudine, deliberato ſuſcepta. Quod a pudore Avctor petit argumentum, id parum ad rem facere videtur per ea, quae monita fuerunt in nota 3. ad §. 30. Adde quod, ſi Auctoris ſententiae ſubſcribamus, inceſtus apud eas ſaltem gentes non eſſet illicitus, quae nudae incedunt, vtpote quae pudorem hunc penitus ignorant.

5) *Quin etiam nefas exiſtimatur, eam quoque vxorem ducere, quae per adoptionem, filia neptisue eſſe coeperit: in tantum, vt, etſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem iuris maneat.*

ſoror nati? genetrixque vocabere fratris? Apud SENECAM Phoeniſſis [v. 134. & ſeqq.] Oedipus [6]: *Aui gener, patrisque riualis ſui, Frater ſuorum liberorum, & fratrum parens; Vno auia liberos peperit viro, Ac ſibi nepotes.* Apud EVNDEM Agamemn. [v. 34. & ſeqq.] Thyeſtes: *Verſa eſt natura retro, Auo parentem, patri virum, natis nepotes miſcui.* IBIDEM. *Per ſcelera natus, nomen ambiguum ſuis. Idem ſororis gnatus, & patris nepos.* VETVS EPITAPHIVM: *Herſilus hic iaceo, meeum Marulla quieſcit, Quae ſoror & genetrix, quae mihi ſponſa fuit. Vera negas, frontemque trahis, aenigmata ſphingis Credis? ſunt Pythio vera magis tripode. Me pater e nata genuit, mihi iungitur illa; Sic ſoror & coniux, ſic fuit illa parens.* PHILO IVDAEVS de Specialibus legibus, [p. 778. C. Ed. Pariſ.] dum inuehitur in Perſas, connubia cum matribus admittentes, addit: *Quo nihil excogitari poteſt magis impium, conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam reuerentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim vxoris nomen aſſumere, communes liberos patris quidem fratres, matris vero nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuae matrem ſimul eſſe ac auiam, illum filiorum patrem & fratrem vterinum.* Non minus deteſtabile eſt, quod de incolis inſulae Zeylon referunt, patrem ibi nubentis filiae virginitatem delibare, addita ratione oppido quam inficeta; aequum eſſe, vt ex arbore, quam ipſe plantauit, primos fructus carpat. Quem foedum colorem etiam inceſto ſuo praetexuit Chach-Iean apud BERNIER de Reb. in regno Mogolis.

§. XXXIII. CAETERVM Ebraei heic non tam ad naturalem rationem, quam ad interdictum Dei primaeuum confugiebant. Tradebant enim, ab initio mundi ſex genera concubitus fuiſſe a Deo prohibita; cum matre ſua, cum nouerca, cum vxore aliena, cum ſorore vterina, cum maſculo, & cum beſtia. Idque deducunt ex verbis Geneſ. II, 24. *Et deſeret homo cubile patris ſui* (id eſt, abſtinebit ab vxore patris, ſeu nouerca,) *Et matris ſuae*, (id eſt, abſtinebit a matre ſua) *& conglutinabitur vxori ſuae*, (non alienae vxori, non puero) *& erunt duo in carnem vnam*, (ergo a beſtia abſtinendum, quia cum hac homo in vnam carnem non poteſt coaleſcere.) SELDENVS L. V. c. 1. 2. Mirum tamen, quod IDEM refert dicto loco c. 18. ipſos crediciſſe, quando gentilis fiebat proſelytus iuſtitiae, omnem cognationem, qua ipſe erat antea conſtrictus hominibus gentilibus per ſanguinem aut affinitatem, euaneſcere. Imo ſi qui antea conſanguinei erant, verbi gratia, mater, filius, ſoror, ſimul in Iudaiſmum cooptarentur, inter eos itidem tradebant ius cognationis expirare, ſic vt deinceps inter ſe tanquam alieni eſſent. Iſta enim religionis Iudaicae receptione putabant aliquem penitus regenerari, & velut infantem recens natum fieri *. Id quod obſcurius videtur innuere TACITVS Hiſt. V. 5. *Transgreſſi in morem eorum idem vſurpant, nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Vnde proſelyto

6) Idem apud SOPHOCLEM Oedipo Tyranno:

Ὦ γάμοι, γάμοι,
Ἐφύσαθ' ἡμᾶς, καὶ φυτεύσαντες, πάλιν
Ἀνεῖτε ταὐτὸν σπέρμα, κ' ἀπεδέξατε
Πατέρας, ἀδελφὺς, παῖδας,, αἷμ' ἐμφύλιον,
Νύμφας, γυναῖκας, μητέρας τε, χὠπόσα
Αἴσχισ' ἐν ἀνθρώποισιν ἔργα γίνεται.

O nu-

ſelyto iam nec mater erat, nec nouerca, ſororque, adeo vt nomine naturalis cognationis nulla ei vetita foret; idque propter vim regenerationis, per quam alter plane velut nouus homo conſtituebatur, extinctis omnibus iuribus, quae ex vetere & gentili natiuitate reſultarent. Idque ex lege diuina procedere arbitrabantur. Etſi ex traditionibus ſapientum vetitum erat proſelyto matrem ſuam, aut filiam, aut ſororem itidem proſelytam ducere. Et ſi quis adhuc gentilis matrem, nouercam, aut ſororem ſuam duxiſſet, proſelytus factus eam dimittere cogebatur. Pari ratione apud eosdem ſeruus in Iudaiſmum receptus cum conditione ſeruili, nullam intelligebatur habere cognationem, aut ius ſanguinis. Vnde non nefas habebatur talem contubernio iungi cum matre, filia, aut ſorore ſua, licet id non minus gentilibus, quam Iudaeis ingenuis eſſet interdictum. Nam ſeruus pro nullo habebatur. Quemadmodum & ipſorum matrimonia ſolo dominorum arbitrio ſtabant, aut diſſoluebantur. Romanorum tamen legibus ſeruiles cognationes heic non minus, quam ingenuorum obſeruabantur. Vid. *L. 2. §. 1. D. Vnde cognati. L. 8. L. 14. §. 2. 3. D. de Ritu nuptiarum. L. 32. de Reg. iuris.* SELDENVS L. V. c. 16. Obiter quoque notandum, quod de Chinenſibus referunt, eos ab iſtis foeminis ducendis abſtinere, quae eadem cum ipſis cognomina habent, etſi de caetero ſanguine ſe non contingant. Et modo diuerſa habeant cognomina, parum ipſos curare, quam propinquo ſanguine ſponſus cum ſponſa iungatur; adeo vt filiae ex ſororibus auunculis nubere non vereantur. Vid. MARTINIVS Hiſt. Sinicae. L. I.

§. XXXIV. VIDENDVM porro eſt de aliis gradibus conſanguinitatis in limite transuerſo, nec non de affinitate. Ac ibi quidem proxime ſibi inuicem ſunt iuncti fratres & ſorores. Inter quos itidem inſignis quaedam verecundia deprehenditur, ſic vt fratres & ſorores, qui ſunt frontis tenerioris, non lubenter ſimul interſint conſortiis, in quibus blandimenta amatorum vel admittere, vel deferre contingit. Imo ipſi quoque fratres de rebus venereis petulantius inter ſe iocari fere abhorrent. Cuius rei cauſam aſſignat PLATO de LL. L. VIII. [p. 912. A. Ed. Wechel.] *Quod nemo aliter praedicat, ſed ſtatim ab ineunte aetate & ioco ſimul & ſerio dicta, & saepius in tragoediis haec eadem audiuntur, quando vel Thyeſtes, vel Oedipodas, vel Macareos quosdam, qui rem cum ſororibus furtim habuerant, conſpectos continuo mortem ſibi, debitam ſceleris poenam, conſciuiſſe narrant.* Et SIMPLICIVS ad Epictetum c. 47. *Iam cum lex & conſuetudo ſororis & fratris conſuetudine interdicat: appetitiones non ſecus ac ipſius naturae imperio ſuppreſſae ita prorſus ſunt immobiles; niſi forte aliquos furoris intemperie, & dirae ſcelerum vltrices agitarint.* Conf. CHARRON de la Sageſſe L. II. c. 8. n. 6. Quo minus tamen horum connubia per ſe contra ius naturae eſſe dicamus, id maxime ſcrupulum mouet, quod, prout origines humani generis ſa-

O nuptiae! nuptiae!
Genuiſtis nos, & poſtquam genuiſtis, rurſum
Remittitis idem ſemen, atque exhibuiſtis
Patres, fratres, liberos, ſanguinem cognatum,
Sponſas, vxores, matresque, & quae
Turpiſſima inter homines cenſentur. H.

§. XXXIII. * Hinc proſelyti dicti *recens nati* a R. Iſrael apud H. GROTIVM ad Ioann. III, 3. H.

crae nos literae docent, inter protoplaſtorum liberos, fratres vtique ac ſorores, neceſſario matrimonium fuerit contrahendum. Non autem vero fit ſimile, Deum eiusmodi caſum procuraſſe, vt omnino vis legi naturae eſſet inferenda [1]; dum ſpeciem humanam propagari iubet, & tamen non aliud ad eam rem praebet medium, quam iſthaec connubia. Praeſertim cum nulla neceſſitas Deum ſubigeret, vnum duntaxat mortalium par creare. Nec video, quare nonnulli hanc rationem tanto cum ſupercilio petulantiae arguant; praeſertim cum, quas ipſi in contrarium afferunt rationes, grauiores non ſint. Dicunt: *Deum voluiſſe, vt ex vna ſtirpe totum genus humanum originem duceret, ſicque cognationem inter eos conſtitueret.* Atqui vti prius pro nobis eſt; Ita ſat cognationis erat, eundem Creatorem, eandemque naturam habere, & qui ex horum mixtis inuicem connubiis generati fuiſſent, non minus cognati inuicem futuri erant. Neque magis *bella cum ipſo mundo coepiſſent, & mundus inter initia ſua extinctus eſſet*; cum nunc primorum fratrum vnus alterum occiderit. Igitur vtique ex poſitiua lege interdictum iſtiusmodi connubiorum videtur deſcendiſſe. Add. Rich. CVMBERLAND de Leg. nat. c. 8. §. 9. & SELDENVS de I. N. & G. L. V. c. 8. Cui anſam videtur dediſſe, tum qui inter fratres & ſorores deprehenditur pudor; tum quod eorum conuictus quotidianus & inobſeruatus ſtupris & adulteriis occaſionem valde pronam eſſet daturus, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari. Vid. OVIDIVS Metamorph. IX. v. 458. 535. 558. ſeqq. [2] Quo loco adduci meretur ſententia veterum Ebraeorum ex SELDENO L. V. c. 1. qui inter ſex genera concubitus, a Deo primitus interdicta, referebant quidem connubia cum ſorore vterina. Sed addebant; id praeceptum tunc demum vim ſuam exeruiſſe, poſtquam multiplicato genere humano aliarum, praeter ſorores, foeminarum copia foret. Eſt autem apud orientales antiqua traditio, praeter Sethum omnes Adami liberos fuiſſe gemellos. Cum igitur neceſſarium foret, fratres ducere ſuas ſorores, id eos obſeruaſſe, vt non ſibi gemellam ducerent, ſed alio partu genitam; a gemellis refugiſſe. Credebant porro Ebraei arctiore vinculo connexam fratri ſororem vterinam, quam conſanguineam duntaxat. Vid. Deut. XIII, 6. vbi frater ex matre poni videtur vt coniunctior. Vnde & illo praecepto primaeuo putabant interdictas ſorores tantum vterinas, non autem conſanguineas: quod maius videatur intra eadem viſcera coaluiſſe, quam eodem patre ſatum eſſe. Adeoque ex eorum mente ſoror non vterina, ſed conſanguinea recte coniungebatur Noachidae, ſeu gentili, qui tantum iure naturae & gentium regitur. Hinc & ante legem Moyſis Abrahamum duxiſſe ſororem conſanguineam Saram. Nam ne quis credat, ſororis vocabulum ibi pro quauis cognata ſumi, diſerte dicit ipſe: *Reuera eſt ſoror mea, filia patris mei, non autem filia matris meae.* Geneſ. XX, 12. Add. GROTIVS ad dictum locum. Etſi apud vicinas gentes eam coniunctionem inuſitatam fuiſſe, indicio eſt, quod Abrahamus crediderit, ſe non habitum iri Sarae maritum, ſi eandem ſororem ſuam ferret. Ni dicere malimus, ſororis vocabulum in famoſo ſignificatu

§. XXXIV. 1) Et genus humanum vniuerſum ex nuptiis inceſtis propagaretur. H.

2) *Illa quidem primo nullos intelligit ignes*
Nec peccare putat, quod ſaepius oſcula iungat,
Quod ſua fraterno circumdet brachia collo.

3) Vid. SELDENVS de I. N. & G. ſec. Hebraeos

ficatu pro ſorore germana accipi. Occurrit porro heic ſcrupulus 2 Samuel. XIII, 13. vbi Thamar Ammoni, fratri conſanguineo, ſtuprum ipſi intentanti dicit: *Loquere ſuper me ducenda cum rege, ille me tibi non denegabit.* Neque enim probabile eſt, ipſam ignoraſſe legem diuinam, qua expreſſe connubium fratris cum ſorore conſanguinea vetatur. Et fruſtra erat hoc modo vim fratris declinare velle, ſi ſalua lege diuina iſti iungi non poterant; quod tamen arbitratur IOSEPHVS Archaeol. VII. 7. Heic ita reſpondent Ebraei; Maacam matrem Thamaris & Abſalonis captam fuiſſe a Dauide in bello contra regem Geſſuris, & cum nondum proſelyta eſſet facta, ex Dauide ſuſcepiſſe Thamarem; poſt factam proſelytam genuiſſe Abſalonem. Quia igitur credebant, quando quis ex gentiliſmo in Iudaiſmum tranſiret, omnem cognationem, quam antea habebat, extingui [3], & vero proles Iſraëlitae ex muliere gentili ſuſcepta matrem, non patrem ſequebatur, gentiliſque & ipſa habebatur; Thamar porro & ipſa poſt proſelyta eſſet facta; extinctam fuiſſe omnem cognationem, quam antea adhuc gentilis habuerat cum Ammone, ex eodem cum ipſa patre ſuſcepto. Adeoque ipſam reuera credidiſſe, cum per regenerationem omnis cognatio foret extincta, per legem diuinam ſeſe rite Ammoni potuiſſe nubere. Aliarum gentium mores quod attinet, apud OVIDIVM L. IX. Metamorph. [v. 457. 458. 537 - 558. Biblis queritur, humanis legibus iſta connubia interdicta, quibus tamen ipſi Dii fuerint vſi. *Dii ſuas habere ſorores, vt Saturnus Opim iunctam ſibi ſanguine iunxit, Oceanus Thetyn, Iunonem rector Olympi.* Apud HOMERVM Odyſſ. x. [v. 7.] Aeoli filiae cum eiusdem filiis maritatae traduntur. THEOCRITVS Idyll. 17. [verſus finem] de vxore Ptolomaei Regis: Ἐκ θυμῶ στέργοισα κασίγνητόν τε πόσιν τε. Ὧδε καὶ ἀθανάτων ἱερὸς γάμος ἐξετελέσθη. *Ex animo diligens fratrem atque maritum. Sic & deorum ſacra connubia contracta ſunt.* Sic Artemiſia Mauſoli ſoror & coniux erat. LVCIANVS in Dial. Diogenis & Mauſoli. Sic Hidrieus Adan ſororem *Carum lege* ſibi vxorem coniunxiſſe dicitur apud ARRIANVM de Exped. Alex. L. I. Apud Peruuianos quondam Yncis ſolis connubia cum ſororibus erant recepta [4], inter alios prohibita. Garcilaſſus de la VEGA Comm. Reg. L. IV. c. 9. Romanis contra tales nuptiae deteſtabiles habebantur. PLVTARCHVS in Quaeſt. Romanis, [p 265. C.] quando rationem reddit, quare mulieres oſculo ſalutent ſuos cognatos, addit: *Cum eſſet legibus interdictum cognatarum nuptiis, vſque ad oſculum tamen amori permiſſum progredi, eaque fuit conſanguinitatis teſſera & communicatio. Antiquitus enim ſanguine iunctas Romani ſibi non copulabant matrimonio, vt ne nunc quidem materteras aut Sorores. Sero conceſſum fuit, vt ducere conſobrinas liceret.* Occaſionem dicto loco expoſitam videre licet. Athenis tamen ex inſtituto Solonis ducebant ſorores germanas ſeu conſanguineas, non autem vterinas. Hinc PLVTARCHVS Themiſtocle ſcribit, ipſius filium Archetolim duxiſſe Mnaſiptolemam ſororem, οὐκ ὢν ὁμομήτριος, *cum iſte alia eſſet matre genitus.* Apud DEMOSTHENEM contra Eubulidem: Ἀδελφὴν ὁ πάππος οὑμὸς ἔγημεν, οὐχ ὁμομητρίαν. *Sororem*

braeos L. V. c. 18. Potius tamen cum GROTIO dicendum videtur, Thamarem aut Legem Diuinam ignoraſſe, aut ſaltem ſubterfugia quaeſiuiſſe, falſo commento.

4) Vt & olim in inſulis fortunatis, de quibus H. GROTIVS L. VIII. Hiſt. Belg. ad A. MDXCIX. *Sorores vxores ducere ius Regibus tantum, vt apud Inchas Peruanos.* H.

Digitized by Google

rorem duxerat auus meus non vterinam. Apud CORNELIVM NEPOTEM [in Praef. & in Cimone c. 1.] Cimon memoratur habuiſſe in matrimonio ſororem germanam; id *quod Athenienſium moribus lieuerit.* Vbi vide quae notauit BOECLERVS. Videtur tamen obſtare locus apud ANDOCIDEM Orat. contra Alcibiadem [Orat. IV. p. 308.] *Maiorum memores eſtote, quam fortes & prudentes erant, qui Cimonem oſtraciſmo relegarunt propter legum tranſgreſſiones, quia cum ſorore propria conſueſcebat.* Cui conſpirat ATHENAEVS L. XIII. c. 21. PLVTARCHVS Cimone, [p. 480. E.] varius eſt, dum tradit, a quibuſdam inſimulatum Cimonem, quaſi ſorori illuderet; alii nuptias inter ipſos veras interceſſiſſe dixerunt, quod illa maritum alium ob inopiam inuenire non poſſet. Verum Spartae contrario Athenienſibus more licebat ducere ſorores vterinas, non conſanguineas teſte PHILONE IVDAEO de Specialibus legibus [p. 779. E. Ed. Pariſ.] Ex PLATONE quoque L. V. de LL. adparet, ipſum nuptias inter fratres & ſorores habuiſſe licitas; dum connubia tantum inter adſcendentes & deſcendentes prohibet. Apud Aegyptios, auctore DIODORO SICVLO L. I. c. 27. connubia cum ſororibus lege ſancita, quod Iſidi hoc feliciter ſucceſſiſſet. Eum quoque morem Phoenicibus tribuit ACHILLES TATIVS L. I. Aliis tamen eadem connubia diſplicuerunt. PHOCYLIDES. [V 171.] Μὴ δὲ κασιγνήτης ἐς ἀπότροπον ἐλθέμεν εὐνήν. *Neque ſororis nefandum conſcendas thorum.* OCELLVS LVCANVS de Natura vniuerſi c. 4. [p. 536. init. Ed. Amſt. 1688.] *Μήτε μητρὶ συγγενέσθαι, μήτε θυγατρὶ, μήτε ἐν φανερῷ τόπῳ. Neque cum matre rem habeas, neque cum ſorore, neque in aperto loco.* Et in vniuerſum in Graecia connubia cum ſororibus valde rara fuiſſe, ex EVRIPIDIS Andromache v. 173. colligitur, vbi Hermione ita in Andromacham inuehitur: Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος, Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται, Κόρη τ' ἀδελφῷ. καὶ τῶν δ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος. *Tale eſt omne barbaricum genus. Pater filiae, & filius matri miſcetur Sororque fratri, & horum nihil probibet lex.* Quin eorum vſum poſterioribus plane exoleuiſſe, colligitur ex SEXTI EMPIRICI Pyrrhon. hypotyp. L. I. c. 14. Παρ' Αἰγυπτίοις τὰς ἀδελφὰς γαμοῦσιν· ὃ παρ' ἡμῖν ἀπείρηται νόμῳ. *Apud Aegyptios cum ſororibus contrahunt nuptias, quod apud nos lege interdictum eſt.* IDEM L. III. c. 24. Ἀθέσμιον τέ ἐστι παρ' ἡμῖν μητέρα, ἢ ἀδελφὴν ἰδίαν γαμεῖν. *Nefas eſt apud nos, matrem aut ſororem ducere in vxorem.* Add. SELDENVS de I. N. & G. L. V. c. 11. De Perſarum nuptiis cum matribus & ſororibus SEXTVS EMPIRICVS dicto loco. STRABO L. XV. [pag. 505. Ed. Geneu. Caſaub.] DIOGENES LAERT. in Prooemio, CVRTIVS L. IIX. c. 2. LVCIANVS de Sacrificiis [T. I. p. 364. Ed. Amſt.] teſtantur. Etſi quid cordatiores ſuper talibus cenſuerint, colligi poteſt ex reſponſo iudicum regiorum Cambyſi dato; apud HERODOTVM Thalia. Add. quae de Thruſcis, incolis montis Libani neſcio qua fide ſcribit Leon. RAVCHWOLF. Itiner. orient. L. II. c. 15. in fine. Id quoque heic admonendum, Ebraeos antiquos in connubiis prohibitis fratrum & ſororum nihil putaſſe intereſſe, vtrum ſoror illa forte ex adulterio fuerit concepta, an ex legitimo concubitu. Adeoque quantum ad prohibitionem matrimonii pro ſorore habebatur, quae ex alicuius nouerca & adultero genita erat. Add. *LL. 54. D. de Ritu nupt.* Vtut iidem alias ſtatuerint, inceſtum tantum com-

committi per matrimonium, non autem per ſtuprum aut adulterium. Vnde iuxta illos inceſtus non fuit, ſi quis cum matre, & poſt cum filia ſtupri conſuetudinem habuiſſet: cum tamen inceſtus foret, ſi quis matrem & poſt filiam in vxorem duceret. Sic poterat quis eam ducere, quam eius pater, frater, aut patruus ante ſtuprauerat; cum tamen alias citra inceſtum non liceret ducere nouercam, patrui viduam, aut vxorem fratris extra ſpecialem caſum, quando frater ſine prole erat defunctus. Conf. *L. 1. §. 3. D. de Concubinis. L. 4. §. 8. D. de Gradibus & affin.* Sic iuxta eoſdem matrimonio ſibi quis poterat iungere Seiam, etſi antea eius matrem, ſororem, auiam, materteram, filiam, aut neptem ſtupraſſet. Ex traditionibus tamen magiſtrorum tale quoque matrimonium habebatur pro illicito: iam autem contractum reddebatur irritum, ſed qui contraxerat verberibus plectebatur. Vnde colligitur, ipſos ſtatuiſſe, affinitatem non per ſimplicem corporum commixtionem, ſed per matrimonium contrahi. SELDENVS dicto loco. Apud NICETAM ACOMINATVM cum Andronicus Comnenus matrimonio iungere vellet Alexium & Irenem, ex Theodora inceſto vtrumque concubitu genitos, & ſuper eo connubio iudices interrogaret, quidam horum *eas perſonas inter ſe cognatas negabant; propterea quod ex illicitis nuptiis procreatae, nihil cum iure cognationis commune haberent, ac alieniſſimae putarentur.* Etſi AVCTOR eos iudices vocet *homines auaros, & qui res diuinas cauponari ſint ſoliti, ac ſuffragia diuitum conuiuiis condonare.*

§. XXXV. CIRCA reliquos gradus, qui prohibentur Leu. XIIX. difficilius adhuc fuerit rationem inuenire, quare iidem ipſo quoque naturali iure nuptias impedire debeant. Etſi eiuſmodi nuptiae multis quoque gentilibus deteſtabiles habitae ſint. De nouerca effato Apoſtoli 1 Cor. V, 1. conſpirat PHOCYLIDES [v. 169. 170.] *Μητρυιῆς μὴ ψαῦεγε δεύτερα λέκτρα γονῆος. Μητέρα δ' ὡς τίμα τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν. Nouercae ne attinge ſecundos parentis tui lectos. Sed vt matrem cole, matris inſiſtentem veſtigiis.* Notiſſima eſt hiſtoria de Stratonice, quam Seleucus pater filio Antiocho perdite amanti conceſſit, apud PLVTARCHVM Demetrio [p. 907. Ed. Wechei.] vbi tamen Seleucus pater dixiſſe legitur: *Εἰ δ' ἡ γυνὴ τῷ μὴ νενομισμένῳ δυσκολαίνοι, παρακαλεῖν τοὺς φίλους, ὅπως διδάσκωσιν αὐτὴν καὶ πείθωσι, καλὰ καὶ δίκαια τὰ δοκοῦντα βασιλεῖ μετὰ τοῦ συμφέροντος ἡγεῖσθαι. Quod ſi vxor ſua ab re inuſitata abhorreat, orare amicos, vt doceant & inducant eam, vt omnia, quae regi videantur, & ſint ex vſu publico, recta habeat & iuſta.* APPIANVS quoque in Syriacis [p. 127.] amorem Antiochi vocat *ἀθεμιςίαν πάθους, nefarium affectum.* Add. SENECA Excerpt. controu. L. VI. Declam. 7. VALER. MAX. L. V. c. 7. §. 1. ext. Sic CICERO pro Cluentio [c. 6.] nuptias ſocrus cum genero grauiter deteſtatur: *O mulieris ſcelus incredibile, & praeter hanc in omni vita inauditum.* Apud ANDOCIDEM Orat. 1. *Καὶ συνῴκει ὁ πάντων σχετλιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρί. Omniumque hominum ſceleſtiſſimus cum matre & filia concubuit.* Add. *L. 5. §. 1. D. de Condict. ſine cauſa. L. 12. §. 1. 2. 3. L. 15. L. 39. D. de Ritu nupt.* Etſi apud Tartaros ſolenne ſit, filium defuncto patre nouercam in vxorem ducere, teſte HAYTHONO de Tartaris. c. 48. &

M. Pavlo Veneto L. I. c. 55. Ebraei veteres, teſte Grotio, dicto loco, duas heic potiſſimum rationes allegant, vnam deſumtam a naturali pudore, qui non ſinat auctores ortus, ſeu parentes cum ſua ſobole aut in ſeipſis, aut etiam per perſonas ſanguine aut nuptiali commixtione proxime cohaerentes miſceri. Quae ratio vti inter adſcendentes & deſcendentes valde; ita cum ille pudor inter collaterales, ſaltem vltra ſecundum gradum disiunctos, valde euaneſcat, ad conficiendum aliquod naturale ius ſufficere non poteſt. Etſi ciuilibus legibus ratio conſtet, quae prohibitionem graduum latius extenderunt, obiiciendae velut ſepi iſtis [1], qui ipſo naturali ac diuino iure interdicti habentur. Alteram rationem inde deducunt, ne quarundam perſonarum conuictus quotidianus & inobſeruatus ſtupris atque adulteriis anſam daret, ſi tales amores nuptiis poſſent conglutinari. Quae itidem legi poſitiuae occaſionem dare poteſt, ius naturale non euincit. Eadem tamen non abſurde videntur vti Ebraei, quare Leuit. XVIII. interdictum ſit matrimonium amitae, non autem filiae fratris, cum tamen vtraque pari videatur gradu diſtare. Nam dicunt iſti, viros iuuenes aſſidue frequentare domos auorum & auiarum, aut etiam in iisdem ſimul cum amitis habitare; ad domos vero fratrum minus frequentem ipſis eſſe aditum, nec ibi tantundem habere iuris. Idem tamen gradus moribus Romanorum erat illicitus, quod adparet exemplo Claudii, Agrippinam ducere volentis. vid. Tacitvs Ann. XII. Quanquam plurimi dicto loco Leuit. non perſonas, ſed gradus prohibitos eſſe aſſerant; quorum rationibus tamen fortaſſe non deeſt, quod reponi poſſit. Caeterum qui omnes & ſingulos gradus Leuitici dicto loco expreſſos iuri naturali repugnare ſtatuunt, vrgent verba v. 27. Cum enim transgreſſio praeſupponat legem, oportet vt tales nuptias contrahendo gentiles iſti violarint vel legem aliquam naturalem, vel diuinam poſitiuam, omnes gentes ſtringentem. Quarum hanc liquido demonſtrare arduum fuerit. Seldenvs L. V. c. 11. reſpondet, vocabula iſta eſſe duntaxat capienda de iis peccatis [2], quae in gentiles quoque cadere poterant. Argumento eſſe, quod ibidem prohibitum legatur, ne quis duas ſorores ſimul ducat; id quod tamen fecit Iacobus vir ſanctiſſimus. Quanquam non abſurde poteſt dici, aemulationem inter illas ſorores inter eiusdem legis rationes fuiſſe. Sic & Amram pater Moyſis duxit amitam ſuam Iochabedam, qui gradus tamen eodem capite expreſſe vetatur. De gradibus conſanguinitatis apud Indos memorabilia quaedam habet Abr. Rogerivs de Braminibus Part. I. c. 12. In Alcorano cap. de Vxoribus harum perſonarum nuptiae prohibentur: matris, nouercae, filiae, ſororis, amitae, neptis, nutricis, ſororis collactaneae, ſocrus, priuignae, nurus, duarum ſororum, filiae eius, quam quis cognouit, foeminae alteri iam nuptae, niſi bello ſit capta. Add. Seldenvs de I. N. & G. L. V. c. 11.

[1] §. XXXV. 1) Pythagoreis valde probabantur leges gentium Graecarum, quibus illicita cenſebatur coniunctio omnis cum matre, filia, aut ſorore, aut quibus & cum alia femina rem habere nefas erat in Templo, aut palam, coram aliis, e re enim eſſe cenſebant, his amplexibus omnibus praepedimentum obiici. Ἐπαινεῖσθαι δ' αὐτοῖς ἔφασαν καὶ τὰ τοιάδε τῶν προϋπεχόντων νομίμων ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πόλεσι, τὸ μήτε μητράσι συγγίνεσθαι, μήτε θυγατρί, μήτ' ἀδελφῇ, μήτ' ἐν ἱερῷ, μήτ' ἐν τῷ φανερῷ, καλὸν τε γὰρ, εἶναι καὶ σύμφορον τὸ ὡς πλεῖστα γίνεσθαι κωλύματα τῆς ἐνεργείας ταύτης. Iamblichvs de Vita Pythag. §. 210. Ed. Kuſteri.

c. 11. circa finem. Id quoque obiter notandum, vim affinitatis apud multos credi expirare, quando moritur perſona, in qua illa fundata erat, & qui ex eadem naſcebantur. EVRIPIDES Medea: [verſ. 76.] *Παλαιὰ καινῶν λείπεται κηδευμάτων. Veteres nouis cedunt affinitatibus.* ISOCRATES in Aeginetico: [in princ. p. 663.] *Tantopere patris mei amicitia delectatus eſt, vt cum amita mea ſine liberis deceſſiſſet, rurſus patris conſobrinam duxerit, quo neceſſitudo inter nos, & affinitas permaneret.* CICERO pro Quinctio: [c. 6.] *Affinitas liberis iſtius viuis diuelli nullo modo poterat.* IDEM Philippica XI. [c. 4.] de Dolabella, ſuo olim genero: *Et hic, dii immortales, aliquando fuit meus amicus.* FLORVS L. IV. c. 2. *Morte Iuliae Caeſaris filiae, quae nupta Pompeio, generi ſocerique concordiam matrimonii foedere tenebat, ſtatim aemulatio erupit.* PHILO Iudaeus de legatione ad Caium. [pag. 1002. B. Ed. Pariſ.] *Connubia familiis externis ſunt pro vinculo, quo ſoluto ſoluitur & affinitas.* Contra de Tartaris refert M. PAVLVS VENETVS L. I. c. 58. Parentes defunctos filios caelibes, ac filias innuptas connubio inter ſe iungere, ac eiusmodi poſtumo contractu credere, inter iſtorum ſuperſtites parentes atque conſanguineos affinitatem contractam, non ſecus ac ſi ab illis viuentibus nuptiae forent celebratae.

§. XXXVI. ADDENDVM denique eſt aliquid de vxoribus velut ſecundariis, quae multis populis in vſu fuerunt [1]. Tales nimirum, quae reuera fidem coniugalem viro dant, & in arctiſſimam ſocietatem cum eodem coaleſcunt: ita tamen, vt vel propter inaequalitatem conditionis, generisque, vel alias ob rationes in iuſtae matris familias dignationem non adſciſcantur, nec earundem proli omne ius ſit, quod alias filiisfamilias communiter competit. Vid. SELDENVS de I. N. & G. L. V. c. 7. Ex quo patet, eiusmodi vxorum diſcrimen a iuſtis vxoribus per ius duntaxat poſitiuum, aut pactis ſingulorum eſſe introductum. Nam diſcrimina generis iure poſitiuo ſunt conſtituta; & principali pacto matrimonii a ſponſis pro arbitrio adiici poſſunt, quae eiusdem naturam non euertunt. Patet autem illud potiſſimum introductum ob conſeruationem illuſtrium familiarum, aut in fauorem priorum liberorum, (Apud IVLIVM CAPITOLINVM [c. 19. & vlt. in fine.] Imper. Marcus *Fauſtina mortua concubinam ſibi adſciuit procuratoris vxoris ſuae filiam, ne tot liberis ſuperduceret nouercam.*) vel denique ob melius tolerandos ſumtus, qui ex moribus ciuitatum alias in iuſtas vxores erant faciendi. Nam ad conſeruationem illuſtrium familiarum etiam illud facit, ſi ex iisdem oriundae in paris dignationis domos adſciſcantur. Quod vt fieret, alicubi leges ciuiles ſanxerunt, vt ſi quis inferiori foeminae iungeretur, illud matrimonium non haberet omnes effectus, qui alias iuſtum matrimonium in ea ciuitate conſequuntur. Easdem quoque inſigniter debilitat patrimonii diuiſio; cui prohibendae conducit ad-

I 2 ſciſcere

2) Quae obſeruatio Critica, iam adducta a GROTIO L. II. c. 5. §. 14. num. 2. ſententiam eorum proiicit, qui huic capiti Leuitici ſuperſtruunt leges Diuinas poſitiuas vniuerſales, praeterquam quod publicatio legum Diuinarum vniuerſalium, quae populis & gentibus omnibus facta ſit, doceri nequeat. Vid. BVDDEVS in Hiſtoria Iuris Naturalis §. 43.

§. XXXVI. 1) Quo pertinet matrimonium ad Morgengabicam quod dicitur. Vid. LEGES LONGOBARD. L. II. tit. 4. c. 4. II. Feud. 29. GROTIVS II. de I. B. & P. c. 7. §. 8. n. 3. H.

ſciſcere vxores ſecundarias, ne ſi ex iuſta matre-familias natis minores portiones aſſignarentur, ipſi iuſtam querendi cauſam acciperent. Et ſtolidus eſt, qui vxorem ducit, cuius ſumtibus ad mendicitatem ſit redigendus. Vnde patet, iniuriam fieri eiusmodi vxoribus ſecundariis, ſi vile concubinarum nomen ipſis imponatur [2]. Hae enim proprie ſunt, quae cum aliquo ſolam ſtupri conſuetudinem habent, citra datam fidem coniugalem; quae a meretricibus gradu duntaxat differunt. Nec ab iſto cenſu eximuntur, ſi vel maxime aliqua paciſcatur, quod ad certum tempus vni ſoli ſe velit ſeruare. (Vid. AELIANVS V. H. L. X. c. 18.) Nam in fide coniugali longe ſanctius & amplius quid eſt, quam ſolius mercedis aut mutuae libidinis intuitu alicui ſoli corpus ſeruare. Etſi & aliquando concubinae vocabulum ignominia videatur carere. Vid. *L. 49. §. 4. D. de Legatis.* Et *L. 3. C. de Natural. liberis*, quidam concubinatus *inaequale coniugium* vocatur [3]. Add. GOTHOFREDVS ad d. l. De Imperatoribus Turcarum refert BVSBEQVIVS Epiſt. 1. poſt Baiazetem nullum eorum in matrimonio iuſtam habuiſſe vxorem. *Nam cum ille praelio victus in Tamberlanis poteſtatem vna cum vxore veniſſet, nihil viſum fuit indignius, quam ludibria & contumeliae, quibus in eius oculis vxor afficiebatur. Cuius rei memoria ſequentes Imperatores a ducendis vxoribus ſe abſtinuerunt, tantumque liberos ex ſeruilis conditionis mulieribus, in quas minus iniuriae cadere, quam in legitimas vxores videbatur, ſuſceperunt. Neque vero minus honoris Turcae deferunt natis ex concubinis aut pellicibus, quam ex vxoribus; neque illi minus in bona paterna iuris habent.* Etſi aliam rationem ei contumeliae declinandae inuenerat Rex Perſarum Abbas, qui cum gynaeceum ſuum in expeditionem ſecum duxiſſet, Eunuchis in mandatis dederat, vxores Regis capite truncare, ſi praelio ipſe victus foret. Petrus de VALLE Itin. Part. II. Epiſt. 5. Apud Chinenſes, vbi ex iuſta vxore proles deſperatur, concubinae ſuperinducuntur; quippe apud quos miſerrimum habetur, absque liberis eſſe, qui defunctum luctus & ſepulturae honore proſequantur. MARTINIVS Hiſtor. Sin. L. VI. c. 1. p. m. 201. Denique & hoc obſeruandum, vti leges ciuiles alios quoque contractus certis ſolennibus ac ritibus veſtire ſolent, qui vbi abfuerint, iidem in foro ciuili pro inualidis cenſentur; ita & matrimonio talia quaedam in ciuitatibus nonnullis deprehendi adiuncta, vt ſi illa abfuerint, pro legitimo idem non habeatur aut ſaltem quibusdam effectibus in foro ciuili careat. Vid. CONSTITVT. SICVLAE L. III. tit. 20. Illa ſolennia etſi a iure naturali ignorentur; tamen cum idem ius leges ciuiles obſeruari iubeat ab illis, qui iisdem ſubiiciuntur, indifferentiam iuris naturalis heic nequidquam allegant, qui poteſtatem ferendi, aut abrogandi leges ciuiles non habent.

CAPVT

2) Vid. CVIACIVS Obſ. L. V. c. 6. vbi Romanorum Inſtituta de Concubinis perluſtrat, & oſtendit, quo loco apud eos fuerit hoc genus mulierum.

3) Et AVGVSTINVS in Can. ſolet. cauſ. 32. Quaeſt. 2. putauit, non abſurde hoc appellari concubium, *ſi vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamuis non ea cauſa coniuncti ſint, non tamen vitauerint, vt vel nolint ſibi naſci filios; vel etiam opere aliquo malo agant, ne naſcantur.* Hinc apud Romanos etiam concubina poterat adulterii accuſari. *L. Si vxor. 13. pr. ad L. Iul. de Adulter.* H.

§. I. 1) Hanc ſententiam refellit HOBBESIVS c. 9. de Ciue §. 1. quoniam nulla ſit connexio inter duo haec: generare & dominium acquirere. Adde, quod meum fiat quicquid ex re mea naſcitur, eius cauſam non eſſe generationem, ſed rerum

CAPVT II.

DE POTESTATE PATRIA.

I. *De origine imperii patrii ſententia communis.*
II. *Ex mente Hobbeſii primaeua poteſtas in prolem eſt penes matrem;*
III. *Quae ab hac deinde in alios deriuatur.*
IV. *Quibus rationibus imperium paternum nitatur.*
V. *Quatenus patris ius potius, quam matris.*
VI. *Quanta poteſtas in prolem competat patri vt tali;*
VII. *Et quidem tempore infantiae ac pueritiae.*
VIII. *Hoc tempore quatenus liberi ſint capaces dominii.*
IX. *An filium poſſit vendere pater.*
X. *De obligatione liberorum emancipatorum.*
XI. *Quid, patribus competat poteſtatis in adultos filios extra ciuitates:*
XII. *Quid in ciuitatibus.*
XIII. *Quomodo haec poteſtas diſſoluatur.*
XIV. *An liberis conſenſus parentum ſit neceſſarius ad ineundum matrimonium.*

EX MATRIMONIO prouenit proles, in quam conſtituta eſt poteſtas patria, antiquiſſimum iuxta ac ſanctiſſimum genus imperii; quo parentum iuſſa venerari, eorundemque prae ſe eminentiam agnoſcere liberi tenentur. Circa cuius originem GROTIVS L. II. c. 5. §. 1. & plerique tradunt, idem oriri ex generatione [1], qua parentes quodammodo Deum referant, dum eum, qui nondum fuit, exſiſtere faciunt. Sed cum ad eandem vterque parentum aeque concurrat, originarie vtrique ſimul in prolem ius quaeri: quod ſi tamen inter ſe imperium contendant, nec vtrique ſimul queat ſatisfieri [2], praeferendum eſſe imperium patris, non ſolum ob praeſtantiam ſexus, ſed & quia imperium ipſe in matrem obtinet.

§. II. EIVSDEM imperii originem ita inueſtigare inſtituit HOBBES de Ciue [1] c. 9. Etſi fortaſſe vera ſit haec conſequentia, hic eſt pater, ergo eſt & dominus filii; non eſſe tamen eam ita manifeſtam, vt ſtatim per ſe eiusdem

rum iſtarum indolem, ceu quae ad hominum vſum conditas eſſe, in propatulo eſt. Conf. AVCTOR infra §. 4. H.

2) Quod enucleate dicitur a QVINTILIANO: *Duo* [Pater & Mater] *vnum vocabamus: videamus quo ire debuerit. Poteram quidem fortiter dicere, Pater iuſſi. Hoc nomen omni lege maius eſt - - - Neceſſe habent parere - - - Sint ſane iura paria, ſedeatque medius inter duos iudex: non comparabo perſonas, quamuis apud omnes Gentes plus iuris habeat Pater: ſit ſane natura communis, non imputabo, quod nomen dedi, quod familiam, quod impenſas.* Declam. VI. p. 86. Ed. Lugd. Bat.

§. II. 1) Et Leuiath. c. 20. Cui multa opponi poſſunt: nam primo Hobbeſius ipſe homines naturaliter in libertate naſci ſtatuit. Atqui hoc fieri nequit, ſi natos in dominium matris protinus redactos

dem neceſſitas elucefcat; quemadmodum ſunt illa, quorum vnus terminus continetur in definitione alterius; ſed aliis probationibus ipſam eſſe adſtruendam. Praeterea cum ſummum imperium ſit indiuiſibile, quamdiu regularis forma eidem conſtare debet, ſic vt nemo duobus dominis non ſubordinatis ſimul ſeruire queat; ad generationem autem duae perſonae concurrant; non videri ſola generatione imperium adquiri. Igitur hanc rem ex ſtatu naturali ita deducendam. In illo quippe cum omnia in omnes liceant, quatenus quiſque ad ſui conſeruationem facere iudicat, victorem fieri dominum victi [2]. Ex quo ſequi, iure naturae dominium infantis ad iſtum primo pertinere, qui eundem primus in ſua poteſtate habuerit. Manifeſtum autem eſſe, eum, qui modo naſcitur, prius eſſe in poteſtate matris, quam cuiuſuis alterius. Quae ſi eundem decreuerit educare, [id quod vtique facere tenetur [3],] ea lege id facere intelligetur, vt ne adultus hoſtis fiat, id eſt, vt ipſi obediat. Nam ex IPSIVS hypotheſi hoſtes inuicem ſunt, qui inter ſe non imperant & parent, aut communem dominum non agnoſcunt. Non enim praeſumi, quenquam ita alicui dediſſe vitam, vt poſſit ſimul & aetate vires adquirere, & iure hoſtis eſſe. Hoc modo igitur in ſtatu naturae omnem puerperam ſimul & matrem fieri, & dominam. Praeſtantiam autem ſexus non efficere, vt patri potius prae matre ius in prolem ſit. Nam inaequalitatem virium inter marem & foeminam minorem eſſe, quam vt ille ſtatim citra reluctantiam in hanc poſſit imperium nanciſci, adeoque bello quoque opus fore ad eandem ſubiugandam. Accedere, quod ſi non nobiliorem, ſaltem magis laborioſam & moleſtam operam ad prolis generationem foemina prae mare contulit; [quippe quae eandem intra corpus ſuum diu geſtauit, & ex ſua ſubſtantia aluit.] [4]. QVINTILIANVS Declam. 338. *Alia eſt horum ratio, quos breuis tranſitus voluptatis fecit parentes, quos liberis ſuis extra poſitae voluptates conciliant. Aliter amant quae pepererunt, quae memoriam decem menſium, quae tot periculorum, tot ſollicitudinum recordationes afferunt.* Medea apud ENNIVM: *Ter ſub armis malim vitam cernere, quam ſemel modo parere.* Quod expreſſum ex illo apud EVRIPIDEM Medea: [verſ. 250. 251.] *Ὡς τρὶς ἂν παρ᾽ ἀσπίδα ςῆναι θέλοιμ᾽ ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ.* De foeminis tamen in regione Paria in America memorant, illas abſque omni dolore parere, nec debilitatem aliquam ſentire, ſed ſtatim a partu ad conſuetum opus redire. Idem fere de foeminis regionis Chili traditur [5]. Ac Hiſpanicae foeminae, ſi ibi diu habitent, pari modo indurantur. Etſi Oreſtes apud

redactos ſtatuamus: Deinde homo non aeque occupationi eſt obnoxius, vt caeterae res, quas natura vſibus humanis deſtinauit & largita eſt. Adde ſolam poſſeſſionem aut detentionem ius non tribuere, niſi aliud accedat. Et cur non potius obſtetrici, quae infantem primum excipit, dominium eius adiudicaremus quam matri? Nec dicam, nullum heic bellum, nec proinde ius victoriae eſſe poſſe. H.

2) Quod *πρῶτον ψεῦδος* Hobbeſii refutatum fuit ab AVCTORE L. I, c. 6. §. 10. & L. II. c. 2. §. 5. & ſeqq.

3) Verba haec Hobbeſii non ſunt, neque menti eius conueniunt. Ait enim in fine §. 2. c. 9. matrem infantem vel educare, vel exponere, ſuo arbitrio & iure poſſe. Sententiam tamen Hobbeſii, qualis a Puffendorfio proponitur, deſcripſit BVDDEVS in Diſſertatione de comparatione obligationum, quae ex diuerſo hominum ſtatu oriuntur, §. 16. Idem quoque in Leuiathane prae ſe fert, philoſophus Malmesburienſis, nec quid aliud exſpectari ab eo poterat, quum infantem naſci fingeret in ſtatu belli. Sed miſcet hoc loco vbiuis AVCTOR ſuas cogitationes ſine vlla diſcriminis nota, commentis Hobbeſii. Quare Em-

apud EVRIPIDEM [in Oreſt. verſ. 552. [6] & ſeqq.] cauſae ſuae ſeruiens pro patre calculum videatur ponere. Πατὴρ μὲν ἐφύτευσέ με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς, τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα. Ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον οὐκ εἴη ποτ' ἄν. Ἐλογισάμην οὖν, τῷ γένους ἀρχηγέτῃ μᾶλλον μ' ἀμύναι, τῆς ὑποστάσης τροφάς. *Pater quidem plantauit me, tua autem peperit filia, ſemen ceu terra ab alio ſuſcipiens: Absque patre vero haut vnquam eſſe queat filius. Exiſtimaui igitur, me potius auctori generis opem ferre debuiſſe, quam ei, quae praebuit alimoniam.* Quid quod in ſtatu mere naturali, vbi nullae ciuitates, aut familiae, quibus vterque ſubiectus foret, intelliguntur, ſciri nequeat, cuius patris ſit filius, niſi indicio matris. Eius igitur, eſſe quem mater vult, & proinde matris eſſe. Inde & iure Romano conſtitutum, vt qui extra matrimonium concipitur partus, ventrem ſeu matrem ſequatur. Lex quoque erat apud Lycios: *Si qua ingenua ſeruo nupſerit, liberi, qui ex his ſuſcipiuntur ingenui ac nobiles exiſtimantur: ſin autem vir vel inter ciues primarius vxorem duxerit externam, aut pellicem, ſuſcepti ex his liberi putantur non ingenui.* Apud quos etiam ſe de nominibus matrum appellabant, non patrum. HERODOTVS Clio. [pag. 44. Ed. H. Stephani.]

§. III. A MATRE porro in alios ius diuerſis modis ex mente HOBBESII tranſit. I. Si mater ius ſuum dereliquerit, ſiue abiecerit filium exponendo. Is igitur qui expoſitum educauerit, idem habebit dominium, quod habebat mater. Quam enim vitam mater proli alendo dederat, eandem, quantum in ſe, exponendo iterum tollit. Ergo & obligatio prolis erga matrem, quae orta erat ex vitae donatione, per expoſitionem eſt ſublata. Ei autem, qui ipſum alendo conſeruauit, omnia debet conſeruatus, & nomine alumni, tanquam matri, & nomine ſerui, tanquam domino. Quo adplicari poteſt illud Admeti apud EVRIPIDEM Alceſtide. [verſ. 666. & ſeqq.] Τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπὶ σ', εἰ δ' ἄλλου τυχὼν σωτῆρος, αὐγὰς εἰσορῶ, κείνου λέγω καὶ παῖδά μ' εἶναι, καὶ φίλον γηροτρόφον. *Mortuus enim ſum, quantum in te eſt: ſi vero nactus alium ſeruatorem, lucem aſpicio, huius dico & filium me eſſe, & charum ſenectutis alumnum.* LIBANIVS Orat. 13. Ὅστις ἄνθρωπον ποταμοῦ ῥύμης ἐξήρπασε, πατὴρ ἂν εἰκότως εἶναι τοῦ σεσωσμένου δοκοίη. *Quisquis hominem e fluminis aeſtu eripit, merito pater eius, qui ſeruatus eſt, videri queat.* Heic licet forte concedamus [1], eiusmodi

Emblemata eius, ſuo quoduis loco, cum Cl. BARBEYRACO notabimus.

4) Quae Ratio ipſa quoque AVCTORIS, non Hobbeſii eſt, etſi BVDDEVS dicto loco eam quoque tanquam Hobbeſianam referat. SIDONIVS APOLLINARIS IV. ep. 21. *Et quidem princeps, in genere monſtrando, patris praerogatiua; ſed tamen multum eſt, quod debemus & matribus. Non enim a nobis aliquid exilius fas eſt honorari, quod pondera illarum, quam quod iſtorum ſemina ſumus.*

5) Americus VESPVCIVS in Epiſtola ad Renatum Iheruſalem & Siciliae Regem, Lotharingiae Ducem in nauigatione Africana prima A. MCCCCXCVII. obſeruauit regionem, *in qua foeminae leuiſſimo minimoque dolore pariant, ita vt in craſtinum alacres ſanataeque vbique ambulent, ac poſt partum integrae ac ſolidae appareant, ac ſi nunquam peperiſſent.* H.

6) Et apud AESCHYLVM Diris vertente H. GROTIO in Excerptis:

Non mater illi quem ſuum gnatum vocat
Genitrix, ſed altrix imbris eſt genitabilis.
Gignit rigator: illa velut hoſpes, Dei
Si cura faueat, hoſpitis ſeruat genus. H.

§. III. 1) Verſus hic, perinde ac is, qui ſequitur,

di prolem animum habere debere obſeruantiam aduerſus matrem exhibendi, ſecutaque ipſius poenitentia neceſſitudinem naturalem velut inſtaurandi: id tamen aliter fieri non poterit, niſi conſenſu & ceſſione educatoris, cui alimenta, & ſi quid praeterea impendit, ſunt refundenda. Atque hic ſolus videtur caſus, quo imperium in hominem per occupationem adquiratur [2]. II. Si mater bello capta eſt, natus ex ea, vbi ſimul captus fuerit, etiam eſt capientis: propterea quod qui dominium habet in perſonam, dominium etiam habet in omnia, quae ſunt eius, & ſic quoque in filium. Vbi tamen monendum [3] hoc caſu a victore diuerſum poteſtatis genus in prolem captam adquiri, quam mater habuerat. III. Si mater ſit ciuis cuiuſcunque ciuitatis, is, qui in ea ciuitate ſummum habet imperium, dominium quoque habebit eius, qui ex eo naſcitur. Vbi tamen itidem obſeruandum [4] diuerſam poteſtatem eſſe, quam ciuitas habet ab ea, quae parentibus competit. Neque extingui ſtatim poteſtatem matris per imperium ciuile, ſed alicubi certis limitibus circumſcribi, alicubi etiam ſatis illibatam relinqui. IV. Si mulier viro ſe tradiderit in vitae ſocietatem, ea lege, vt imperium apud virum ſit, qui naſcitur ex ambobus patris eſt, propter imperium in matrem. Sed ſi foemina imperium habens filios ex ſubdito ſuſceperit, ſuſcepti matris ſunt. Aliter enim ſaluo imperio mulier filios habere non poteſt. Et in vniuerſum, ſi maris & foeminae ſocietas talis ſit vnio, vt alter alterius imperio ſubiiciatur, liberi ſunt imperantis. Caeterum in ſtatu naturali, ſi quidem mas & foemina ſocietatem cohabitandi contrahant, ita vt alter alterius imperio non ſubſit, nati ex iis matris ſunt, niſi aliter fuerit inter ipſos conuentum. Nam pactis de iure ſuo poteſt diſponere mater, prout velit. Vti factum ab Amazonibus quidam tradunt, quod ſuſcepta ex vicinis prole, mares quidem illis remiſerint, foemellis ſibi ſeruatis. In ciuitatibus vero, ſi contractus ſit inter marem & foeminam ad cohabitationem, liberi ſunt patris, quia in omnibus ciuitatibus, vtpote conſtitutis a patribusfamilias, imperium domeſticum viri eſt. Qualis contractus ſi fiat ſecundum leges ciuiles, & ſolenniter, vocatur matrimonium. Si vero contrahant concubinatum duntaxat, aut cohabitationem minus ſolennem, filii erunt vel patris vel matris, prout legibus ciuilibus diſpoſitum fuerit.

§. IV. Nos heic, vt in aliis ſimilibus rebus, vniuerſalem cauſam, Deum optimum maximum praeſupponimus. Nec minus tamen fas arbitramur, cauſas

tur, AVCTORIS eſt, ac ex Ipſius Principiis, ſupra expoſitis manat. Addi autem oportebat, locum, quae dicuntur, non minus in patris, quam matris perſona habere.

2) V. ſupra L. IV. c. 6. §. 14. & ibi dicta. H.

3) Hoc quoque monitum AVCTORIS eſt.

4) Qui hanc obſeruationem quoque de ſuo inſeruit.

§. IV: 1) Frideric. HORNIVS L. I. de Ciuitat. c. 2. §. 3. H.

2) Conſtat equidem, Educationem, quod infra pluribus ab AVCTORE comprobabitur, cauſſam proximam eſſe poteſtatis paternae, & mutuorum inter parentes & liberos officiorum. Neque tamen ideo ſequeſtranda eſt Generatio, quae ſi res ex vero aeſtimetur, Educationi commode adiungi poteſt. Eſt enim onus educandi ſequela generationis, & vtrumque finem ante oculos habere debeat, qui nuptias contrahunt. Quod adeo verum eſt, vt AVCTOR ipſe, quum, ſupra L. IV. c. 11. §. 4. probatum iret, liberis parentes alimenta debere, dixerit, parentes generando vltro ſeſe obſtrinxiſſe ad dandam operam, vt, quam liberis dederint vita, conſeruetur. Quo pertinent

ſas ſecundas & proximas inueſtigare. Quod enim aliqui iactant [1], *omne imperium, quod homini in hominem competit, iſti a Deo communicari per quandam commiſſionem diuinam; & hominem non habere niſi poteſtatem delegatam*; id nobis in Deum contumelioſum videtur, vtut, qui ſimiles ſententias in ore habent, eximium pietatis ſtudium prae ſe ferant. Qui enim delegatam poteſtatem exercet, eandem vtique cum eo, qui delegauit; habet, niſi quod hic eam, vt propriam, ille vt alienam poſſidet. Atqui abiecte valde de infinita Dei maieſtate ſentit, qui idem ſpecie imperium, quod in Deo eſt, in homunciones cadere arbitratur. Vid. Matth. X, 28. His praemiſſis illud primo extra dubium ponendum videtur, generationem praebere occaſionem ius aliquod in prolem adquirendi; quod non tantum valeat aduerſus alios non parentes, (vt quemadmodum dominus eſt fructuum, qui eſt dominus rei; ita proximum habeat gradum ad imperium in prolem quaerendum, qui eſt dominus corporis, ex quo illa fuit generata:) ſed etiam quod aduerſus ipſam prolem vim obtineat. Dico *occaſionem*. Nobis quippe ſola generatio non videtur ſufficere ad titulum imperii, in ſobolem humanam conſtituendi [2]. Etſi enim ex ſubſtantia noſtra excitetur proles: tamen quia abit in perſonam nobis ſimilem, & quae quantum ad iura hominibus naturaliter competentia nobis eſt aequalis; inde vt nobis fiat inaequalis, ſeu vt noſtro imperio ſubiiciatur, alio vtique titulo videtur opus eſſe. Praeſertim cum illa tali actu exerceatur, quem fere noſtrae delectionis cauſa ſuſcipimus, quemque adeo tanti imputare proli non poſſumus, vt ea nolens volens nobis ſubeſſe teneatur. LACTANTIVS Diu. Inſtit. L. V. c. 18. *Qui filium generat, non habet poteſtatem vt concipiatur, vt naſcatur, vt viuat. Vnde apparet, non* (tam) *eſſe illum patrem, ſed tantummodo* (quam) *generandi miniſtrum.* Duplici igitur titulo ius parentum in liberos fundatur [3], primo, quia ipſa lex naturae, dum ſociabilem eſſe hominem iuſſit; parentibus curam liberorum iniunxit; quae vt eo minus negligeretur, tenerrimum ſimul affectum in prolem iisdem implantauit. Ni enim prolem a parentibus educari ponas, vita ſocialis plane intelligi nequit. Non poteſt autem illa cura recte exerceri, niſi poteſtatem habuerint parentes liberorum actiones dirigendi ad horum ſalutem, quam ipſi propter iudicii defectum nondum intelligunt. Vid. Sirac. VII, 25. XXX, 1. ſeqq. Igitur eo ipſo a natura iniungitur parentibus, vt imperium vtique in liberos exerceant, quantum ad iſtum finem ſufficit. Nam qui obligat aliquem ad finem, cenſetur eidem quoque ſimul contuliſſe poteſtatem vſurpandi media, ſine quibus iſte

tinent quae Crito Socrati reſpondet in dialogo Critone [p. 45. D. T. I. Edit. Serr.] Ἢ γὰρ οὐ χρὴ ποιεῖσθαι παῖδας, ἢ ξυνδιαταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα. Aut gigni non oportebat ſobolem, aut ſubeundae ſunt curae, quas victus & educatio eorum exigit.

3) Fundamenta haec, quibus AVCTOR vtitur, aliqui non temere reiiciunt: quoniam ex cura liberorum officium parentum, non ius ſiue poteſtas ad dirigendas liberorum actiones tam eximia intelligatur; & conſenſus nequeat praeſumi, vbi per naturam non eſt locus expreſſo. Mihi planius ſimpliciusque dici poſſe videtur, vt homo actionum ſuarum omnium eſt dominus; ita & totam illam progenerandae ſobolis actionem ita penes parentes eſſe, vt non tantum gignant, ſed & partum ad maturitatem ſuam perducant, donec ſpecies exſiſtat ipſis ſimilis; hoc eſt, qui ſuopte ingenio ſe regere, res ſuas adminiſtrare, vitam ſocialem agere, ac inprimis Deum colere norit. Quae omnia ſine poteſtate, ad finem illum conſequendum neceſſaria, haud dubie fruſtra forent. Adde quae notabimus ad §. 11. infra. H.

iſte obtineri nequit. Haec porro poteſtas parentum, ex iniuncta ipſis cura liberorum reſultans, neceſſario in liberis ponit obligationem ſubmittendi ſeſe parentum directioni; cum haec citra illam ſit fruſtranea. Deinde parentum imperium ipſorum quoque liberorum praeſumto conſenſu, adeoque pacto tacito niti videtur [4]. Quemadmodum enim parens eo ipſo, quod infantem tollit, declarat, ſeſe obligationem a natura iniunctam impleturum, infantemque quantum in ſe bene educaturum: ita contra infans, etſi propter latitantem adhuc rationis vſum reciproca officia, parentum obligationi ex aduerſum reſpondentia, expreſſe nequeat promittere; ex ipſa tamen parentum opera obligationem erga eosdem contrahit, non minus, quam ſi expreſſus ipſius conſenſus acceſſiſſet. Add. *L. 2. D. de Negot. geſtis.* Eaque obligatio ſeſe exſerit, quamprimum quid a parentibus erga ipſum ſit geſtum, poteſt intelligere. Praeſumitur enim, ſi vſum rationis eo, quo ſublatus eſt, tempore habuiſſet, ac perſpexiſſet, vitam ſeſe citra parentum curam, iunctumque illi imperium ſeruare non poſſe, lubenter ipſum in idem conſenſurum, commodamque ſibi educationem ab iisdem viciſſim fuiſſe ſtipulaturum. Qui conſenſus cum ratione praeſumtus pro expreſſo valet. (Conf. SENECA Conſol. ad Marciam c. 18.) Non ſecus atque is, cuius abſentis & ignorantis negotia alter geſſit, obligationem velut ex contractu tacito contraxiſſe intelligitur iſti penſandi, quod in ipſius vtilitatem impendit. Vnde patet, imperium in prolem parenti actu conſtitui, quando illam tollit, nutritque, & in commodum humanae ſocietatis membrum eandem formandam pro virili ſuſcipit. Neque obſtat, quod non nemini [5] videtur, obligationem inter parentes & liberos nullo modo ex conſenſu & pacto tacito deriuari poſſe, *ideo quod conſenſus quocunque titulo veniat, locum habere proprie non poſſit, niſi in actionibus ante conſenſum liberis. Atqui nec patri liberum eſſe, nec filio educationis illa iura cum annexo cuique debito declinare.* Nam haec ſibi non repugnant, aliquid oriri ex praecepto legis naturalis, & oriri ex conſenſu tacito. Sane enim homini non eſt liberum, Deo non parere, & tamen Deus a fidelibus obſequium foedere ſtipulari voluit. Sic ciuis vtique munia militaria Reipublicae debet, & tamen, dum miles ſcribitur, conſenſus eius accedit, & ſacramentum. Sic quare dici non poſſit, infantis conſenſum tacitum intelligi, dum parens actu eius educationem ſuſcipit: cuius hic ſit effectus, ne querendi cauſam habeat, quaſi imperium paternum inuito ſibi & fruſtra ſit impoſitum.

§. V. QVANDO autem vlterius quaeritur, vtrius parentum Ius in prolem ſit potius, diſtinctione praemiſſa res eſt expedienda. Vel enim viuitur

4) Praeſumi quidem poteſt conſenſus infantis futurus, ſed tacitus nulla ratione fingi poteſt. Qui enim tacite conſentiat infans conſenſus omnis expers. Vid. nota 5. ad §. 2. c. 6. L. III. Sola igitur praecedens ratio ſufficit. Eo enim ipſo, quod ſic naſcuntur liberi, vt ſine aliorum ope nulla ratione adoleſcere queant, & quod hoc onus parentum eſt, ſatis indicatur, liberos obſtringi ad ſubeundum obſequium, ſine quo educatio comprehendi animo nequit: vnde recte ſe habet argumentum GROTII, Genui, ergo impero.

5) Iacobo puta THOMASIO in Diſſertatione de Patria Poteſtate. §. 49.

§. V. 1) Et ſpurii nullum habere patrem intelliguntur. Vid. NICETAM in Alexandr. Comnen. H.

2) *Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare*

tur in ciuitate, vel extra eandem; inter eos autem, qui genuerunt, pactum interceſſit, vel non. Extra ciuitatem in naturali libertate, ſi generantes citra pactum aliquod duraturum mixti fuerunt, proles matris eſt. Nam in eo ſtatu pater niſi indicio matris cognoſci non poteſt [1], ſaltem tali certitudine, qua res facti ſolent probari; cum in eo ſtatu alios quoque mares mater potuerit admittere. Conf. *§. 31. 32. Inſt. de Rerum diuiſ.* & *L. 7. §. 13. D. Adquir. rer. dom.* Eam ob rationem ex legibus Romanis vulgo quaeſiti [2] ſunt matris [3]. Etſi in contrarium erat inſtitutum veterum Aegyptiorum, apud DIODORVM SICVLVM L. I. c. 80. qui *nullum filiorum pro ſpurio habebant, etiamſi ex ancilla emtitia ſit procreatus. Solum enim patrem procreationis auctorem eſſe, matremque alimenta tantum & locum infanti praebere arbitrantur. Arbores etiam quae fructum edunt, mares, ſed quae non ferunt, foeminas, contra quam Graeci, nominant.* Similis ſententia occurrit apud THEAGEM Pythagoricum de Virtutibus. [in opuſculis Mythologicis, Phyſicis & Ethicis excuſis Amſterod. 1688. p. 683. 684.] *Pater animum gignit, mater duntaxat materiam gignendo ſuppeditat.* Vbi vero pactum inter marem & foeminam anteceſſit, in quo ſuper prole diſpoſitum, ex eodem ſatis conſtabit, vtri in prolem imperium competat. Nam vt ſummum imperium in eundem duo indiuiſim obtineant, irregulare eſt. Iſtud igitur pactum vel nude tendit ad quaerendam ſobolem, vel inuoluit etiam imperium in foeminam, adeoque iuſtum matrimonium continet: vbi ſine dubio imperium in prolem eſt penes patrem. In prioris autem generis pactis etſi regulare ſit, vt illa incipiant a mare, & hic ſibi, non foeminae prolem quaerat, vtque adeo & hic in prolem ſibi imperium fuerit pactus: tamen praeter ordinem contingere poteſt, vt mulier ſibi adſciſcat virum; non vir mulierem. Id quod quondam inter Amazones factum; & hodieque contingere neceſſum eſt circa foeminas, ſummum imperium in ciuitate habentes, vbi eodem ſaluo maritis iunguntur; qui proprie loquendo non tam reges, quam mariti reginarum fiunt [4]. Neque vero eo nomine talia pacta iuri naturae repugnant, quod alteruter coniugum abs ſe videatur remouere curam liberorum, quam tamen natura indiſtincte parentibus iniunxit. Nam illud vtique non ita praeciſe requirit natura, vt vterque parentum per ſe & immediate educandae proli operam nauet; ſed ſufficere poteſt, vt alterutri eadem per pactum praecipue committatur. Sicuti mater non praeciſe tenetur propria vbera proli praebere, ſed eandem nutrici alendam committere poteſt [5]. (Etſi contrarium ſuadeat PLVTARCHVS de Educ. Liber. & Fauorinus apud GELLIVM L. XII. c. 1. Add. Ferdin. PINTO Itin. c. 54. vbi refert, quam religioſe obſeruetur apud Iauanenſes, vt matres propriis vberibus prolem ſuam alant. In ALCORANO

praeci-

ſtrare non poſſunt: vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet: qui & Spurii *appellantur - - - Lex naturae haec eſt, vt qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur, niſi Lex ſpecialis aliud inducit.* L. 23. 24. D. de Statu hom.

3) Eadem fere circa eos habentis iura, quae pater. Et iam dudum apud Germanos fuit prouerbium: *Matrem non procreare ſpurios.* Vid. Matth. VOSSIVS Annal. Holland. & Zeeland. L. III. ad A. MCCXLIV. Vbi in controuerſia de ſucceſſione inter Margaritam Flandricam & eius liberos, ex Bochardo Auennione ſuſceptos, id allegatur. H.

4) Vid. ſupra c. 1. §. 9. circa extrem. H.

5) Imo lac primum ab ipſa matre infanti inſtillari debere, egregie docet HEINECCIVS L. II. §. 61. in Scholio.

praecipitur, vt foeminae integros duos annos prolem ſuam lactent [6]. Quomodo & patres ingenium, & mores filiorum formandos aliis idoneis viris recte credunt. Aſt vero in ciuitatibus per viros conſtitutis, vti regulariter viri ſunt capita familiae; ita priuatum inter liberos imperium eſt penes patres [7]; ſic vt matrum iuſſa in ſe conſiliorum fere vim habeant; plenam autem vim obligandi ex communicata abs patre poteſtate mutuentur. Nam vti vxores in adminiſtrationis domeſticae partem vtiliter admittuntur: ita imperium patris curam matris circa prolem non excludit. Etſi per leges ciuiles peculiariter heic poſſit diſponi. Sic Petrus de VALLE Itin. Part. I. Ep. 17. memorat, apud Babylonios ſupremam poteſtatem in filios quidem eſſe penes patrem, ſed in filias penes matrem. Patre autem defuncto, ſi penes matrem maneat gubernatio familiae, par quoque eſt poteſtatem patris in liberos eidem accreſcere. Conf. Geneſ. XXI, 21. cum XXIV, 4. Et vbi alter ipſius maritus in curam educandi priuignos ſuccedit, in reuerentiam quoque genitori debitam admittetur. De Chinenſibus tamen referunt [8], ſi vxor poſt mariti mortem ad ſecundas nuptias tranſeat, eam vnica tantum cum veſte a ſuis liberis diſcedere; quod apud ipſos liberi nullum vitricum tolerare, multo minus eidem obtemperare velint. NEVHOFIVS in Legat. pag. 281.

§. VI. PROXIMVM eſt, vt diſquiramus, quanta ſit parentum in liberos poteſtas. Heic diſtinguendum eſt inter patresfamilias adhuc extra ciuitates conſtitutos, & illos, qui ciuitates iam ſubierunt: tum inter poteſtatem, quam habet pater, qua talis, & qua eſt caput familiae ſegregis. Poteſtas, quae patri vt tali competit, cum ſit neceſſaria ad explendam obligationem aduerſus liberos a natura iniunctam, tanta quoque eſſe intelligitur, quanta ad eum finem obtinendum ſufficit. Officium porro parentis vt talis in eo potiſſimum vertitur, vt liberos commode educet, id eſt, nutriat & gubernet, quousque ſibi ipſis proſpicere, & ſuas actiones pro modo ingenii temperare ipſi queant, vtque

6) Quemadmodum apud Hebraeos infantes ante triennium ab vberibus non depellebantur. 2 Maccab. VII. 7. 28. *L. 9. C. de Patria poteſt.*

7) Vetuſtiſſimo Iure Romano matribus poteſtas nulla in liberos competiiſſe videtur, quod pedetentim mutatum eſt. *L. 4. D. de Curator. furioſ. Pietas enim parentibus, etſi inaequalis eſt eorum poteſtas aequa debetur.* Dum enim inaequalem dicit hanc poteſtatem Vlpianus, aliquam adgnoſcere videtur.

8) Et de Romanis notum eſt, eos matri, quae vitricum adſciuit, liberorum educationem denegauiſſe *L. 1. C. Vbi educari debeant. Nouell. Iuſtiniani 22. c. 38.* Huiusmodi enim matres nouis maritis non ſolum res filiorum, ſed & vitam addicere, eſt in *L. 22. C. de Adminiſtr. tut.* H.

§. VI. 1) Et quod eſt apud SENECAM Thyeſte;

Peiora iuuenes facile praecepta audiunt.

Hinc non male XENOPHON Epiſtola ad Catonem: *Qui filiis de multis opibus proſpiciunt, vt autem boni aut egregii euadant, negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus: quos belli diſciplinam non docent, iis vero multum pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed rerum, quas praeſtare oportebat, imperitos.* ISOCRATES in Areopagitico: Τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους, καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν· τοὺς δ᾽ καλῶς πεπαιδευμένους καὶ τοῖς ἁπλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν. *Nam homines male inſtitutos leges etiam exquiſitiſſimas negligere audere: qui autem recte & conſtanter educati ſint, eos demum bonis legibus velle obtemperare.* EVRIPIDES Iphigenia in Aulide:

Τροφαί θ᾽ αἱ παιδευόμεναι,
Μέγα φέρουσ᾽ εἰς ἀρετάν·
Ad virtutem graue momentum
Aeuo a tenere recta doceri.

Conf. infra L. VII. c. 1. §. 4. H.

2) Οὐκοῦν - - - καὶ τὰς ψυχὰς οὕτω φῶμεν τὰς

Digitized by Google

que in commoda humanae ſocietatis membra euadant. Nam generatio non eſt pars officii paterni, ſed eiusdem occaſio. Illud autem officium eo diligentius parentibus eſt obeundum, quo verius eſt, quod PLVTARCHVS de Educat. liber. [pag. 4. B. Ed. Wech.] dicit: Πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας τοῦ νομίμου τυχεῖν παιδείας; *fons & radix probitatis eſt, decentem ſortiri inſtitutionem.* Praeſertim cum vtplurimum obtineat illud PLATONIS [1] de Republ. L. VI. [p. 676. D. Edit. Wech.] *Animi praeſtantiſſimo ingenio praediti, ſi male fuerint educati, peſſimi fiunt. An putas infanda ſcelera, & extremam nequitiam, ex ignauo potius ingenio, quam generoſo educatione corrupto procedere? Imbecillem vero naturam ingentium vel bonorum vel malorum quandoque cauſam fore* [2]*?* IDEM quoque de LL. L. VII. puerum vocat δυσμεταχειριστότατον πάντων θηρίων, *intractabiliorem quauis beſtia.* LIBANIVS Declam. 20. Μέγα ταῖς ψυχαῖς ἡ παίδευσις ἀγαθόν. *Magnum animabus bonum inſtitutio.* HORATIVS L. IV. Ode 4. *Doctrina ſed vim promouet inſitam, Rectique cultus pectora roborant: Vtcunque defecere mores, dedecorant bene nata culpae.* ANONYMVS POETA: Γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν· ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ. Add. STOBAEVS Serm. 81. [3] Ex quo patet, hautquidquam poteſtatem patriam ſe eousque extendere, vt prolem vel intra materna viſcera haerentem queat elidere [4], (vid. *L. 4. D. de Extraord. crimin. L. 8. D. ad L. Cornel. de Sicariis. L. 38. §. 5. D. de Poenis.* niſi vbi matri alias prolique ſimul foret pereundum. Vid. Ant. MATTHAEVS de Crimin. ad L. XLVII. D. t. 5. §. 5. Et GROTIVS in Flor. ſparſ. ad L. 39. *D. de Poenis.*) vel recens editam abiicere, aut necare, multoque minus, ſi iam viuendo aliquo vsque proceſſerit [5]. Nam vtut ex ſubſtantia parentum excitetur ſoboles; in aequalem tamen cum illis conditionem ſtatim collocatur, ſaltem hactenus, vt iniuriae abs quouis capax ſit [6]. PLINIVS L. IX. Epiſt. 12. *Ita hoc quod es pater vtere, vt memineris & te hominem eſſe, & hominis patrem.* Vid. PHILO Iudaeus de ſpecialibus legibus, & LACTANTIVS Diuin. inſtit. L. VI. c. 20. & DIODORVS SICVLVS L. I. c. 77. Add. GROTIVS ad

Exod.

τὰς εὐφυεστάτας, κακῆς παιδαγωγίας τυχούσας, διαφερόντως κακὰς γίγνεσθαι; ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα, καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν, ἐκ φαύλης, ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν, μεγάλων οὔτε ἀγαθῶν οὔτε κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι.

3) Aurea caeterum de educatione liberorum praecepta tradunt praeter Plutarchum l. c. MONTAGNE dans ſes Eſſais L. II. c. 8 CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 14. & in primis LOCKIVS de Educatione infantum, quod opus aliquoties Anglice & Gallice recuſum eſt. Inter reliquas editiones Cl. BARBEYRACVS eam commendat, quae Gallica, cura Coſtii V. CL. prodiit A. MDCCVIII. cum propter verſionis elegantiam, tum propter eximias Editoris adnotationes.

4) Cuius poena apud Romanos erat exilium *L. 8. D. ad L. Cornel. de Sicar. L. 14. D. de Extraordin. crimin.* Id quod ex diſciplina Stoicorum creditur profectum, qui foetum in vtero materno non animal, nedum hominem eſſe exiſtimabant. In Poenitentiali Romano eſt tit. 1. c. 33. *Si qua mulier abortum fecerit voluntarie, tres annos poeniteat.* Poſtea id multo leuius expiari inualuit, de quo non pauci conqueruntur. Vid. PICCARTVS Dec. 8. Obſ. Pol. 9. Quanto grauior eſt lex Synodi ſextae in Trullo c. 92. homicidii poenam in tales ſtatuens. CICERO pro A. Cluentio: *Memoria teneo, Mileſiam quandam mulierem, cum eſſem in Africa, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuria: quae ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiae, deſignatum reipublicae ciuem ſuſtuliſſet.* H.

5) Neque enim permittendum eſt parentibus, vt pro lubitu in liberos ſuos ſaeuiant, aut ſaginatos eos comedant, quod Carybaeis in more poſitum eſſe, VOSSIVS refert de Nili Origine c. 18.

6) Vid. ſupra L. I. c. 1. §. 7.

Exod. c. 21. 22. Lex WISIGOTHORVM L. VI. tit. 3. c. 7. SELDENVS de I. N. & G. L. IV. c. 1. Abſurdiſſimus eſt Formoſanorum mos, apud quos turpe habetur a foemina prolem ante annum aetatis trigeſimum quintum aut ſextum concipi. Quod ſi ante iſtud tempus praegnantes fiant, foetum tundendo, verberando & comprimendo, non ſine maximis doloribus elidunt. Vnde damnandum eſt dogma ARISTOTELIS Polit. L. VII. c. 16. (21.) *De exponendis autem & alendis foetibus eſto lex, vt nihil alatur mancum, & membris orbatum. Determinanda eſt procreandorum liberorum multitudo. Sed ſi quibus fuerit aliquid praeterea genitum, abortionem ante ſenſum & vitam facere conueniet. Quatenus enim fas ſit, progredique liceat, ſenſu & vita terminabitur.* Nec multo humanius inſtitutum Lycurgi apud PLVTARCHVM Lycurgo: [p. 49. T. I. Ed. Wech.] *Arbitrium tollendi partus non erat penes parentem, ſed portabat eum in locum Leſchen nomine, vbi tribulium natu maximi conſidentes infantem ſpectabant. Qui ſi membris compactis & robuſtis eſſet, tolli iubebant eum. Debilem & diſtortum amandabant in locum voraginoſum propter Taygetum, quas Apothetas nuncupabant: quaſi nec illi ipſi, nec ciuitati, qui non eſſet a primordio ad bonum habitum comparatus, expediret viuere.* Conf. *L. 4. D. de Agnoſcendis liberis* [7]. Quod DIODORVS SICVLVS L. I. c. 58. de Taprobanenſibus circa explorandam puerorum indolem memorat, neſcio an fidem mereatur. Quae quidem immanitas recens natam prolem exponendi tam frequens antiquis erat, vt STRABO L. XVII. [p. 1180. Ed. Amſt.] de Aegyptiis tanquam *peculiare* quid memoret, quod *omnes filios educauerint.* Add. DIODOR. SICVLVS L. I. c. 80. Id quod & de Aboriginibus facit DIONYS. HALICARNASSEVS L. I. [c. 16. p. 13.] *κτείνειν οὐδένα τῶν ἐκγόνων ἠξίουν, ἄγος οὐδενὸς ἔλαττον τοῦτο τιθέμενοι, natorum quenquam necare nolebant, rati facinus id eumprimis exſecrabile.* Ac TACITVS Hiſt. L. V. c. 5. de Iudaeis [8]. *Necare quenquam ex agnatis nefas putant.* Caeterum parem cum Spartanis morem in regno Sophitis apud Indos obſeruatum refert CVRTIVS L. IX. c. 1. *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque, ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitum cura mandata eſt. Si quos ſegnes, aut aliqua membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent.* Idem de Catheis memorat STRABO L. XV. [pag. 481. Ed. Gen. Caſ.] Apud Chinenſes frequens eſt [9], vt impune parentes pauperes foemellas praecipue necent. Et quia metempſychoſin ſtatuunt, quae ab omnibus fere gentilibus in oriente creditur, arbitrantur ſeſe de iis bene mereri, dum ad meliorem naſcendi conditionem ipſis aditum hoc modo ſternunt. Sed nec ad ius vitae & necis, ex occaſione delicti exercendum, eadem poteſtas, vt talis, videtur porrigi, ſed ad modicam duntaxat caſtigationem; quippe cum verſetur circa aetatem teneram, in quam vix cadunt delicta eiusmodi immedicabilia, quae capitis ſupplicio debeant expiari. Inde & moris fuiſſe

7) Cuius legis verba haec ſunt: *Necare videtur non tantum is, qui partum perforat: ſed & is, qui abiicit: & qui alimonia denegat: & is, qui publicis locis miſericordiae cauſſa exponit, quam ipſe non habet.* Quam eleganti Commentario illuſtrauit Ger. NOODT caſtiſſimus Iuris Romani interpres in Iulio Paullo, litem ideo nactus cum Cornelio van BYNKERSHOEK, de qua ſupra dictum.

8) Et de Moribus Germanorum: *Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur.* Vid. plura apud FREINSHEMIVM ad Curt. d. l. Conf. H. GROTIVM L. II. de Ver. Relig. Chriſt. §. 12. *n.* 9. H.

fuiſſe apud Romanos tergore anguillarum verberari praetextatos, *& ob id multam bis non inſtitutam.* PLINIVS N. H. L. IX. c. 23. Et potius eſt, vt quis eum abs ſeſe expellat, longeque faceſſere iubeat, qui curam in ipſius vtilitatem impenſam per petulantiam & malitiam animi, corrigi neſciam, pertinaciter adſpernatur. Sic vt abdicatio & exhaeredatio extremum videatur ſupplicium, quod a patre, vt tali, filio queat infligi [10].

§. VII. ET DE iſthac poteſtate patria, preſſe accepta, intelligendus eſt GROTIVS L. II. c. 5. §. 2. quando in liberis tria tempora diſtinguit: quorum primum eſt imperfecti iudicii, & quando abeſt plena προαίρεσις; ſecundum perfecti iudicii, ſed dum filius adhuc manet pars familiae paternae, neque ſuas res ſibi ſeorſim gerit; tertium, poſtquam ex familia exceſſit, ſiue ipſe propriam familiam ſibi conſtituerit, ſiue alterius familiae factus ſit acceſſio. Quae diſtinctio quare ZIEGLERO ad Grotii dictum locum, diſpliceat, nondum ſatis cauſae diſpicere poſſum. Nam licet ſacrae literae indiſtinctim liberis obſequium erga parentes inculcent; Epheſ. VI, 1. Coloſſ. III, 20. nequidquam tamen eaedem prohibent *, quo minus diuerſo modo tractetur tener puſio, & plena aetate iuuenis. Sicuti nec eaedem requirunt, vt nunquam viuis parentibus adultus filius paterna familia excedat. In primo igitur tempore, ex mente ILLIVS, omnes liberorum actiones directioni parentum ſubiacent; cum aequum ſit, vt qui ſeipſum regere non poteſt, aliunde regatur; naturaliter autem inueniri nequeat, cui propius competat regimen, quam parentes.

§. VIII. HEIC quaeritur, an iſthoc tempore proles iure naturali ſit capax dominii, aduerſus ipſum patrem valituri? Vbi diſtinguendum videtur [1] inter bona per propriam induſtriam parta, & quae aliorum liberalitate, puta per teſtamentum aut donationem transferuntur. In iſta aetate quantillum eſt, quod propria induſtria poſſit adquirere puer? Saltem non maius idem erit, quam quod a parente in ipſius educationem impenditur, aut impenſum fuit. Vnde recte pater in penſationem ſuorum laborum ac ſumtuum id ſibi vindicat. Quanquam enim iure naturali ad alendam ſobolem adſtringebatur; non tamen ipſi erat vetitum, ſi quem poſſet ex ea educatione fructum percipere. Non magis quam parentibus eſt interdictum ex ſua prole voluptatem capere; quae ſaepe tanta eſt, vt quantiuis eam redimere velint. Vid. SENECA Conſol. ad Marciam c. 12. Vnde & impudens foret filius, ſi in ea aetate mercedem laboris, quem patri praeſtitit, poſtulare velit. SOPHOCLES Oedipo Colon. [p. 289. Ed. H. Steph.] *Τοῖς τεκοῦσι, οὐδ' εἰ ποιεῖ τις δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν. Parentum cauſa etſi quis laborat, laborum tamen meminiſſe non debet.* Apud Peruanos filii ad annum aetatis vigeſimum quintum parentibus miniſteria praeſtare teneban-

9) De Ceylonenſibus memorat Robertus KNOX Narrat. Hiſtor. de Inſul. Ceylon. L. III. c. 7. eos necare liberos praetextu, quod ſub infelicibus aſtris nati ſint. H.

10) Vid. L. IV. c. 11. §. 7. & 11.

§. VII. * Nimirum diſtingui debent ius & iuris exercitium, quod variare poteſt. H.

§. VIII. 1) Diſtinctionem hanc ciuilis non naturalis iuris eſſe, exiſtimat KVLPISIVS Coll. Grot. Ex. 4. §. 2. tit. 1. Ego mallem cum AVCTORE facere: donator enim in filium, non in patrem liberalitatem conferre voluit, & nomine filii ſit acceptatio. H.

tenebantur. Garcilaſſ. de la VEGA Comm. Reg. L. IV. c. 19. Quando autem ex aliorum liberalitate in filium quid eſt transferendum, eo quidem nomine translatio illa non videtur valida, quod hcic requiratur acceptatio; quae citra conſenſum delibcratum, adeoque vſum rationis fieri nequit. Quia tamen valde durum foret, propter aetatis teneritatem, quae maxime aliorum auxilio indiget, ad eiuſmodi commoda capeſſenda viam ipſis intercludi; ideo aequiſſimum eſt; vt alius talium nomine acceptationem faciat, ſimulque bona illa adminiſtret, quouſque ipſi rebus ſuis ſupereſſe queant. Quam ad rem patre nemo eſt propior. [2] Ex quo adparet, naturale hautquidquam eſſe, vt patri adquiratur dominium eorum bonorum, quae tali modo in filium transferuntur: id tamen aequitati non repugnare, vt ſaltem tantiſper, quouſque filius eorundem adminiſtrationem ipſe ſuſcipiat, pater illis vti frui poſſit, & ex iiſdem filium alere. Vnde & illud adparet, aequiſſima ratione niti illa, quae leges Romanae ſuper peculio filiorum familias profectitio & aduentitio, ſimulque caſtrenſi tradunt [3].

§. IX. Hoc loco & illud quaeri poteſt, an imperium & officium paternum a patre auelli, & in alium transferri queat? Vbi ſciendum, etſi actus perſonalis, qui ab vno in alterum tranſire nequit, officio & imperio paterno dederit anſam; (LIBANIVS Declam. 20. Ὀυ τὸ παρ' ἐμοῦ τε γεγονέναι δύναται λυθῆναι νόμῳ. *Non quod ex me genitus ſit, lege ſolui poteſt:*) id tamen non obſtare, quo minus, vtilitate prolis, aut neceſſitate id exigente, eiusdem adminiſtratio alteri delegetur & commendetur. Vt tamen obſeruetur illud PLVTARCHI de Lib. educat. *Culpandi ſunt parentes nonnulli, qui poſtquam filios ſuos paedagogis magiſtriſque commendauerunt, ipſi quid diſcatur neque inſpiciunt vnquam, neque inaudiunt: magno ſane cum errore. Oportebat enim ipſos interuallo paucorum dierum ſubinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarii voluntate omnem ſpem collocare. Qui & ipſe maiorem diligentiam pueris inſtituendis erat impenſurus, ſi identidem muneris ſui rationem ſibi reddendam fore ſentiret.* De caetero neque id iuri naturali repugnat, ſuam prolem bono viro adoptandam concedere [1], ſiquidem exinde aliquod emolumentum in eandem eſt redundaturum. Add. GELLIVS L. V. c. 19. EVRIPIDES Ione [verſ. 1535.

2) *L. 18. C. de Iure deliberandi. L. 3. C. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* H.

3) Peculium erat puſilla pecunia, quam filius familias ſeparatam habebat a rationibus patris. Diuidebatur id in Militare & Paganum, quorum illud rurſus in Caſtrenſe & Quaſi-Caſtrenſe, hoc in Profectitium & Aduentitium diſpeſcebatur. Ad peculium *Caſtrenſe* referuntur res mobiles, quae eunti in militiam filio a parte, matreue, vel aliis propinquis, aut amicis, militiae cauſſa data ſunt. Contra peculii *Quaſi-Caſtrenſis* pars ſunt, quae filius familias acquiſierit occaſione militiae togatae, qualia ſunt acquiſita ex patrocinio cauſſarum, vel profeſſione artium liberalium itemque donata a Principe vel Auguſta. Vtrumque pleno Iure filii eſt. Peculium *Profectitium* eſt, quod e re patris proficiſcitur, vel contemplatione patris filio obuenit. *Aduentitium* contra dicitur, quo ex alia cauſſa, veluti liberalitate matris, aliorumue, vel proprio labore, proſperaue fortuna, auctus ſit filius. Peculium profectitium pleno iure patris eſt, Aduentitii *proprietas* ordinarie penes filium eſt, *vſusfructus* autem & *adminiſtratio* penes patrem. Vid. Interpr. ad tit. Inſt. *Per quas perſonas cuique adquiritur* & Pand. *de Peculio.*

§. IX. 1) Improbat tamen TERTVLLIANVS Apologetic. c. 9. *Inprimis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua praetereunte miſericordia extranea;*

1535. 1536.] *Καὶ γὰρ ἂν φίλος φίλῳ δοίη τὸν αὐτοῦ παῖδα δεσπότην δόμων* *Amicus amico ſane dederit filium ſuum haeredem domus.* Sed vt pater filium oppignorare, aut etiam vendere poſſit, id nullo caſu natura videtur permittere, niſi vbi alia ratio eum alendi non ſuppetat. Heic enim praeſtat, filium in ſeruitutem tolerabilem tradi, ex qua emergendi iterum aliqua ſpes eſt, quam fame extingui. Huc ſpectat lex Thebanorum apud AELIANVM V. H. L. II c. 7. *Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in ſolitudinem abiicere, capitis ſupplicio conſtituto: Verum ſi extrema mendicitate pater laboret, ſiue mas ſit, ſiue foemina infans, iubet lex. eum ſtatim a materno partu ad magiſtratum cum ipſis faſciis adferre: qui accepto leui pretio alicui tradit, cum quo pactum & conditiones intercedunt, vt bona fide infantem alat, & adultum ſerui aut ſeruae loco habeat, receptis eiuſdem operis in mercedem educationis.* Quae lex inde defenditur, quod natura ipſa cenſeatur ius dare ad omne id, ſine quo obtineri nequit, quod ipſa imperat. Sic imperator Conſtantinus in *L. 2. C. de patribus, qui Fil. ſuos diſtrax.* [2] permittit patri propter nimiam egeſtatem paupertatemque victus cauſa (pueri ſcil. non patris) filium filiamue ſanguinolentos vendere [3]; ita tamen, vt ſi pretium domino offeratur abs quolibet, iterum ingenuitati poſſint reſtitui. Cap. 94. & 95. in Edicto THEODORICI, & Lex WISIGOTHORVM Lib. V. tit. 4. c. 12. vendere liberos alimentorum gratia vetans, intelligenda videtur de alimentis, in vſum parentum cedentibus. Plus iuſto tamen indulſiſſe parentibus videtur inſtitutum Romuli, *qui patri conceſſit terna filii venditione pecuniam quaerere; maiorem largitus poteſtatem patri in filium, quam hero in mancipium. Seruus enim ſemel venditus, deinde libertatem adeptus, inpoſterum ſui iuris eſt. Filius vero a patre venditus, ſi liber fieret, rurſum ſub patris poteſtatem redigebatur. Iterum quoque venundatus & liberatus, ſeruus vt ante patris erat. Poſt tertiam demum venditionem eximebatur e patris poteſtate.* DIONYS. HALICARN. L. II. [c. 97. pag. 94. Ed. Ox.] Quam legem pauliſper mitigauit Numa, dum a venditione excepit eos, qui in matrimonio eſſent, ſi nuptias patris iuſſu, aut conſenſu contraxiſſent. PLVTARCHVS Numa [p. 71. E.] Neque tamen Decemuiri eandem penitus abolere auſi ſunt; etſi ipſa paulatim in deſuetudinem abierit, demum plane interdicta, *L. 1. C. d. t.* Ex priſco autem more retentum, vt in emancipationibus filiorum emancipandus filius ter imaginarie vende-

tranea: vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Conf. *L. I. aduerſ. Nation. c. 16.* Nimirum quia parentes eos liberos exponant quodammodo, quos aliis in adoptionem dant, eorum curam & ſolicitudinem iam deponentes; quinimo & inceſtis materiam praebentes, non minus quam expoſitis liberis. Caeteroquin adoptio nihil in ſe vitii habet, compluribus quoque populis vſitata. Antiquiſſimum exemplum habes in Iacobo, duos Ioſephi filios, Ephraimum & Manaſſem, adoptante. Geneſ. XLIIX, 16. De Graecis vide ISOCRATIS Aegineticum & PLVTARCHVM in Theſeo. Leges Athenienſium circa adoptionem congeſſit ex Demoſthene Vbbo EMMIVS Deſcript. Reip. Athenienſ. p. 155. ſq. H.

2) Haec lex deſumta eſt *ex L. vnic. C. Theodoſ. de His, qui ſanguinolent. emt. vel nutriend. accep.* vbi multa erudite notat Iacob GOTHOFRED. in Commentar. Conf. *L. Vnic. C. Theodoſ. de Patrib. qui filios diſtrax.* vbi idem GOTHOFREDVS variationes legum hac in re oſtendit. H.

3) Quum antea liberos alienare omni ratione interdictum eſſet: *Liberos a parentibus, neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris iure, nec alio quolibet modo, nec ſub praetextu ignorantiae accipientes, in alium transferri poſſe, manifeſtiſſimi iuris eſt.* L. 1. C. de Patribus, qui filios ſuos diſtrax.

venderetur. Id quod a Iuſtiniano ſublatum in *L. vlt. C. de Adoptionibus.* Ex Plvtarcho in Solone [p. 85.] quoque patet, Athenis ſaltem ante Solonis tempora filium potuiſſe vendi, quo pater aes alienum diſſolueret. Conf. Matth. XIIX, 25. 2 Reg. [4] IV, 1. [5] Philostratvs in vita Appollonii Thyanaei L. IIX. [c. 3. p. 401. A. Ed. Morelli. c. 7. §. 12. Ed. Olear.] *Phrygibus familiare eſt, proprios etiam filios vendere; & ſi captiui in ſeruitutem ducantur, ne ad eos quidem reſpiciendos ſe conuertunt.* Add. Plvtarchvs Lucullo. Apud Moſcouitas filium a patre quater poſſe vendi, & poſt quartam demum venditionem nihil amplius in ipſum iuris competere patri, tradit Sigiſm. Baro in Herberstein. Add. Ad. Olearivs Itin. Perſic. L. III. c. 6. Chinenſibus quoque in vſu eſt [6], vt liberos vendant, quos ſeſe alere poſſe non confidunt; vt tamen cuilibet concedatur iterum in libertatem ſe vindicare, exſoluto pretio, pro quo fuit emtus.

§. X. Enimvero vt intelligatur, quid poteſtatis patri in filium in ſecundo [1] tempore competat, obſeruandum eſt, patres quoque obtinere aliquod imperium, quatenus ſunt capita ſuarum familiarum. Quod tamen aliud eſt in iis, qui extra ciuitates viuunt, aliud in iis, qui ciuitatibus ſeſe adiunxerunt. Sane enim familiae ſegreges vti aliquod inſtar ciuitatum habent; ita earundem capita aliquid analogum imperio regio obtinent. Nam quominus illas cum Hobbesio ciuitates vocemus, cauſa eſt; quod diuerſus familiarum, ac ciuitatum finis, ac proinde multae partes imperii regii in familias non cadant [2]. Quin & ipſe Hobbes Leuiath. c. 20. fatetur, familiam proprie ciuitatem non eſſe, niſi tantae ſit potentiae, vel per numerum ſuum, vel per alias opportunitates, vt ſubiici ſine bello non poſſit. Locum tamen in illis habet ius vitae & necis, ex delicto exercendum aliquod inſtar poteſtatis legislatoriae, nec non ius armorum, & foederum faciendorum [3]. Conſtituitur autem iſthoc imperium patris in liberos iam adultos ex pacto tacito, dum pater iuſſa ſua extendit etiam ad talia, quae educationem filii non ſpectant; filius autem obſequium capeſſit [4]. Id quod & lex aequitatis, gratique animi ſuadet, vt filius illi potiſſimum vires ſuas accommodet, per quem ipſe habet, quod talis iam eſt; donec ipſius patris conſenſu iſthoc imperio ſoluatur.

§. XI. Ast poſtquam in ciuitates fuit diſceſſum, patribusfamilias alia quidem iura ſunt ademta alia circumſcripta. Vbique tamen fere relictum, quantum ad educationem liberorum ſufficit; niſi quod Plato in ſua republica etiam

4) Add. Leuit. XXV, 39. Deuter. XV, 12. ibique Clericvs. Quod ad reliqua, prodiit A. MDCCVIII. liber ſub titulo, Diſſertatio iuridica de Iure patrio, Auctore Abrahamo a Kerkraad, qui bonae Frugis plenus eſt.

5) Ex quo vtroque loco docemur, moribus Hebraeorum liberos homines cum vxoribus & prole, vbi ſoluendo non eſſent, ſeruos factos creditorum. Vt ad vtrumque locum annotauit H. Grotivs, Athenienſium, Romanorum & Aſiaticorum id illuſtrans inſtitutis. Adde de Ceylonenſibus Robert Knox Narrat. Hiſtorica de Inſula Ceylon. L. III. c. 9. H.

6) At apud Siamenſes paterfamilias, vti poteſtas eius in familiam herilis eſt, ita vxores ſecundarias & liberos vendere poteſt. Lovberivs Deſcript. regni Siamenſ. Part. II. c. 7. §. 14. Idem de Sinenſibus tradit le Comte Nouis commentar. de Statu praeſent. Chinae ep. 9. Paraphraſtes Aristotelis IIX. Ethic. 14. de veteribus Perſis: τῶν υἱῶν ὡς δούλων ἄρχουσι, *filiis vt ſeruis dominantur.* H.

etiam poteſtatem patrum vt talium valde acciſam reddiderit. Neque multum relictum patribus apud veteres Perſas, ſi ex veritate hiſtorica ſunt ſcripta, quae apud XENOPHONTEM de Educ. Cyri L. I. habentur. Alibi parum de poteſtate patrum familias detractum. Sicuti Romae ius vitae & necis patribus in liberos competebat; quod exercebant fere ad modum iudicii cuiusdam, vocatis in conſilium cognatis & amicis, atque ex eorum ſententia ſupplicio irrogato. vid. VALERIVS MAX. L. V. c. 8. §. 2. 3. 5. & SENECA de Clementia L. I. c. 15. Apud LIVIVM L. I. c. 50. Turnus dicit: *Nullam breuiorem eſſe cognitionem quam inter patrem & filium, paucisque verbis tranſigi poſſe; ni pareat patri, habiturum infortunium eſſe.* Circa quod ius, quale alios non habere profitetur IVSTINIANVS §. 2. Inſtit. de Patr. poteſtate, dicam ipſi ſcribit BODINVS de Rep. L. I. c. 4. vbi oſtendit, Perſas quoque, & antiquos Gallos apud CAESAREM L. VI. de B. G. [c. 19.] ius vitae & necis in liberos habuiſſe. (Cuius moris veſtigia adhuc circa Annum Chriſti 1301. apud Burdegalenſes extabant, quorum legibus conſtitutum erat, vt patres haberent ius vitae & necis in liberos, & mariti in vxores. Et vir vxorem ex ira aut doloris impatientia occidens, modo ſolenni iuramento poenitentiam declararet, omni poena erat exemtus.) Eamque poteſtatem ſublatam multis malis apud Romanos cauſam dediſſe. Cui adſtipulatur Franciſcus CONNANVS Comment. Iur. ciuil. L. II. c. 13. ſicuti & illa inſigniter commendatur a DIONYSIO HALICARN. L. II. [c. 26. 27. p. 96. 97. Ed. Sylb.] Alii contra ſolicite defendunt Imperatorem Byzantinum iactantes, nullibi patres tam ſtrictam habuiſſe poteſtatem in liberos, quam Romae; quippe quae nec finem nec modum habuerit. Pro qua ſententia videtur facere DIONYS. HALICARN. L. II. Alii dicunt, Imperatorem eo reſpexiſſe, quod patria poteſtas certa quaedam attributa apud Romanos habuerit, quae alibi non fuerint; puta quod eadem ſublata fuerit minima capitis diminutione & deportatione, qua tamen non amittantur ea, quae ſunt iuris gentium. Et cum iuſtae nuptiae ſint iuris ciuilis, patriam quoque poteſtatem, quae illarum conſequens eſt, talem fore. Quae eſt ſententia MAESTERTII L. I. de Iuſtitia Rom. LL. c. 27. Fortaſſis ſimpliciſſime dicitur, in imperio Romano nemini, qui ciuis Romanus non eſſet, licuiſſe ius vitae & necis in liberos exercere. Caeterum qui hoc ius patribus intra ciuitates degentibus reliquerunt, id habuere rationis, quod reuerentia liberorum erga iſtos hoc modo vehementer intendatur; ſimul patribus optime poſſe conſtare de delictis per illos patratis, qui ſub ipſorum oculis degerent; nec ob

 tene-

§. X. 1) Paragraphus hic cum duobus ſequentibus alio ordine comparet in Editionibus anterioribus. In his enim decimus eſt vndecimus; vndecimus duodecimus, duodecimus autem decimus. Qua ratione AVCTOR, nulla cogente neceſſitate, de tertio ſtatu infantum, ante ſecundum locutus erat. Eadem confuſio olim hoc loco regnabat in Officiis hominis & ciuis. Sed ibi eam AVCTOR ipſe ſuſtulit.

2) Aliter rationes ſubduxit Robertus FILMERVS, Eques Anglus, in libro, inſcripto, *Patriarcha*, vtpote in quo contendit, poteſtatem parentum Maieſtati ſimilem eſſe. Sed late eum refutauit LOCKIVS in libro de Gubernatione Ciuili. Rationes quibus vtitur in compendium miſit Cl. BARBEYRACVS in nota 2.

3) Exemplo Abrahami. Vid. Geneſeos XIV, 13. XVII, 23. XXI, 22. ſequ. H.

4) Quod ſi non capeſſeret? Hoc vero argumentum inſigne eſt, patriam poteſtatem in pacto tacito non fundari: id enim nullum eſſet, ſi filius refragaretur. H.

teneritudinem paterni affectus ad crudelitatem quenquam eadem poteſtate abuſurum, cum tenera illa aetas magis clementia, quam ſaeuitia opus habet. Sic Phinaeus apud DIODORVM SICVLVM L. IV. c. 45. *Nullum patrem eſſe*, inquit, *qui ſeucrioris poenae exemplum in filios ſtatuat, niſi delictorum magnitudine naturalem erga liberos amorem ſuperarint.* Sopater de lege, quae patri permittit liberos interficere: Ὁ νόμος τοῦτο εἰδὼς ὡς εἰλικρινὴς γένοιτ' ἂν δικαστὴς ὁ πατὴρ, τοῦτο προέταξεν. *Lex ita diſpoſuit, quod noſſet, quam ſincerus pater ſit iudex.* Add. AELIANVS V. H. L. I. c. 34. Contra qui ademerunt, ea forte ratione moti ſunt, quod quosdam patres illa abuſos cernerent, cum ſaepe tenerrimus affectus, vbi ſupra modum irritatus fuerit, vt truculentus efferetur. LIBANIVS Declam. 33. *Ne putetis ſatis firmum eſſe naturae vinculum, pollet enim vt plurimum: ſed quando animi aegrotationes validiores factae ſunt, diſcinditur, proinde qui pater eſt, aliud quid eſſe adparet, animi perturbatione cogente.* Μὴ ἱκανὸν οἴεσθε δεσμὸν εἶναι τὴν φύσιν. ἀλλὰ κρατεῖ μὲν ὡς τὰ πολλά. ὅταν δὲ τὰ νοσήματα τῆς ψυχῆς ἐῤῥωμενέστερα γένηται, διακόπτεται. καὶ ὁ πατὴρ ἄλλο τι φαίνεται, τοῦ τῆς ψυχῆς ἀναγκάζοντος πάθους. Superuacua quoque eadem videbatur, cum delicta morte digna facile a magiſtratibus vindicari queant; durumque ſit, paterni affectus mollitiem eo adigere, vt in nocentem, filium tamen, capitalem ſententiam ipſe cogatur pronunciare. Vid. AELIANVS V. H. L. I. c. 34. VALER. MAXIMVS L. V. c. 9. §. 4. Add. CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 43. [47.] LIBANIVS Declam. 35. Τὸ ἐπὶ τῶν παίδων τι δρᾶν ἴσον ἐστὶ καὶ πάσχειν. *In liberis aliquid facere, idem atque pati eſt.* Nihil tamen ad rem facit, quod vulgo afferunt ex *L. 5. D. ad L. Pompei. de Parricid.* quod patria poteſtas in *pietate, non in atrocitate conſiſtat.* Nam Adrianus patrem in inſulam deportauerat, qui filium cum nouerca adulterio pollutum in venatione occiderat. Vbi recte reprehenditur, quod latronis in morem, & velut per inſidias nocentem intercepiſſet; cum per modum iudicii domeſtici capite ipſum plectere potuiſſet, adhibitis in conſilium amicis. Ni dicere malimus, verba illa emblema Triboniani ſapere [1]. Iure Ebraico pars poteſtatis paternae erat, poſſe filii filiaeque familias vota declarare irrita [2]. Cuius ratio non haec ſolum fuit, ne imprudens aetas, inconſulta pietatis ſpecie mota, ſeipſam nimia vouendo fortunis euerteret; ſed etiam ne vel paterna bona votis eiusmodi onerarentur, vel operae debitae interciperentur. Sic vt iſthaec poteſtas hactenus non ex lege poſitiua, ſed naturali ratione profluat; cum nemo, qui alteri ſubiectus eſt, valide diſponere queat circa eas res, in quibus alterius poteſtati ſubiacet. Legem Deuter. XXI, 18. ſeqq. GROTIVS ad dictum locum, duram vocat, quae ideo ſtrictam receperit interpretationem. Eam quippe non extenſam ad filiam; excludi quoque aetatem nondum doli capacem; & eum, qui plenioris eſt aetatis, & ſeorſim a patre res ſuas agit [3]. De quantitate vero eſcu-

§. XI. 1) Conf. SPANHEMII Orbis Romani Exercit. II. c. 23.

2) Vid. Numer. XXX, 4. & ſqq. iunctis obſeruationibus GROTII & CLERICI.

3) Imo haec lex Moſaica huc non pertinet, quum ſatis contra Grotium oſtenderit CLERICVS, hanc poenam non aliter, quam praeeunte iudicii ſententia inflictam fuiſſe.

4) VARENIVS Deſcript. Iapon. c. 18. ait: *Omnes dominos & patresfamilias, ne infimae ſortis quidem cive excepto, ſubditos & miniſtros ſuos* pro

eſculentorum & potulentorum, quam opus ſit prodactam eſſe, vt legi locus ſit, variant interpretes. Requiri etiam volunt, vt pater & mater viuant; quia patre aut matre qui orbus eſt, plerumque habet bona aliqua, vnde damnum ſarciri poſſit. Hodie apud Iaponios rigidiſſimum ius vitae & necis parentibus in liberos competit [4]. Ex hiſce & illud adparet, quando GROTIVS dicto loco, tradit: *In ſecundo tempore, cum iam iudicium aetate maturuit, ſubeſſe parentum imperiis non alias actiones, quam quae ad familiae paternae aut maternae ſtatum aliquid momenti habent; cum aequum ſit, vt pars conueniat cum ratione integri; in caeteris autem actionibus habere liberos* ἐξουσίαν *ſeu facultatem moralem agendi, ita tamen vt teneantur ſemper curare, quo parentibus placeant; non tamen ideo irritas eſſe eorundem actiones, ſi quid contra fecerint:* iſthaec capienda eſſe de poteſtate patrumfamilas, prout illa iam in pleriſque ciuitatibus Chriſtianis ſeſe habet. Vbi imperium paternum circa ea potiſſimum occupatur, quae educationem liberorum concernunt. Sicuti & id aequum eſt, vt ſiquidem liberi velint paternis bonis ſuſtentari, inque illa deinceps ſuccedere, voluntati patris obtemperent, quatenus illa nihil abſurdi aut incongrui continet. Cui ſi citra ſufficientes cauſas reluctati fuerint, deprecari non poterunt, quo minus parentes officio educationis nihil praeterea ſuperaddant, eosque exhaeredes eſſe iubeant. Quanquam & heic, ne parentes forte ſtolidae magis pertinaciae, quam rationi obtemperantes haereditate liberos inhumaniter excluderent, leges ciuiles prudenter cauerunt. Sicuti & PLATO de LL. L. XI. [pag. 973. E.] abdicationem filii non vult a patre ſuſcipi ſine conſenſu propinquorum. Add. SENECA Controu. 1. & 9. QVINTILIANVS Declam. 9. Et in vniuerſum, vti alia priuatorum iura ad commodum & decus publicum attemperari e re ciuitatium fuit; ita ne parentes auctoritate ſua in liberos abutantur in fraudem boni publici, aut iniquam eorundem oppreſſionem, legiſlatores ciuiles prouidere ſolent. Sic in genere pater pro ſuis facultatibus tenetur liberos formare, vt idonea ciuilis ſocietatis membra fiant. Quo ſpectat lex Solonis, ne filius patrem, qui nullam artem ipſum docuiſſet, alere cogeretur. PLVTARCHVS Solone. [p. 90. T. I. Ed. Wech.] Sed cum in ciuitatibus diuerſi ſint ſtatus, ac diuerſa viuendi genera, recte quidem in illis deligendis auctoritatem patrum ſequuntur liberi, ſiquidem ad nihil abſurdi aut turpis ducant; praeſertim vbi ad iſtos fines a parentibus ſumtus praebeantur. Stolidum tamen ſimul, & iniquum, inuitos liberos compellere ad genus vitae, a quo ipſorum genius abhorret: nefarium, eosdem adigere ad vitae genus turpe, quale eſt meretricium; aut communi hominum indoli intolerabile; vti eſt caelibatus citra donum continentiae, & vita monaſtica.

§. XII. IN tertio tempore, quando filius familia paterna exceſſit, patriaque poteſtate ſolutus eſt, in omnibus αὐτεξούσιος, ſuiſque iuris eſt; manente

pro delicti grauitate puniendi poteſtatem, & formidabile vitae neciſque eorum arbitrium habere. Apud Sinenſes patribus id quidem non licet, ſed tamen eorum teſtimonio ſoli creditur, ſi liberos ſuos apud Mandarinum accuſent, etiam in delictis capitalibus. Le COMTE Nouis Commentar. de Statu praeſent. Chin. ep. 9. Vbi etiam narrat, ſi liberorum aliquis in parentes fuerit iniurius, vel verbis, vel factis, quam grauis & atrox poena in talem ſtatuatur, quae poena maneat eius propinquos, Mandarinos etiam, & vniuerſam ciuitatem, vbi id facinus patratum. H.

nente tamen ſemper pietatis & obſeruantiae debito; cuius cauſa eſt perpetua, orta quippe ex antegreſſis parentum meritis [1]. Quam in rem grauiter PLATO de LL. L. IV. *Parentibus fas eſt prima & maxima debita, omnium antiquiſſima debitorum, perſoluere. Putare enim quisque debet, omnia quae poſſidet eorum eſſe, qui genuerunt & educarunt, ita vt illis haec omnia pro viribus miniſtrare debeant; primum quidem externa bona, deinde etiam corporis, poſtremo quae ad animum pertinent, haec omnia videlicet mutuo data perſoluens, & pro curis doloribusque priſcis parentum, in ſenecta recentes reddens, quando maxime indigent. In verbis quin etiam per totam vitam parentes venerari maxime decet. Oportet itaque iratis, animumque explentibus cedere, ſeu verbis, ſiue rebus id faciant, non ignorantes, patrem iure admodum filio valde ſuccenſere, ſi quando iniuriam ab eo ſibi fieri arbitretur.* [2] Conf. *L. 11. ſ. 1. D. de Accuſat. & inſcript.* Addit demum de monumento conueniente mortuis extruendo, recolendaque eorum memoria. Vid. IDEM L. XI. de LL. p. m. 975. ARRIANI Epictetus L. II. c. 10. *Memento te eſſe filium, cuius profeſſio ſit exiſtimare, patria bona omnia ſua eſſe, omnibus in rebus dicto ei eſſe audientem, nunquam eum apud quenquam vituperare, neque vel dicere, vel facere quidquam, quod ei incommodet, atque etiam cedere illi in omnibus, & dare locum, pro virili adiuuantem.* OPPIANVS Halieut. L. V. [v. 89.] Πατρὶ δὲ γηράσκοντι νεὸν σθένος υἱεῖς εἰσίν. *Patri ſeneſcenti nouum robur ſunt filii.* Apud Chinenſes ſi cui parentes moriantur, ſtatim quod in aula gerit munus non militare ad triennium abdicare cogitur, domumque proficiſci, ac per triennium iſtos lugere. Nam & primi tres anni maximam moleſtiam in educatione liberorum parentibus pepererunt. NEVHOF in Legatione. Plura luctus ſigna recitat MARTINIVS Hiſt. Sinicae L. I. in octauo Imperatore. Apud eosdem filius humiliore quam pater ſella, & nunquam ex aduerſo, ſed ad latus eidem ſedet. Et ſane liberos cum parentum meritis paria facere non poſſe tralatitium eſt. ARISTOTELES Nicom. IIX. c. 16. Τοῖς γονεῦσιν οὐδεὶς τὴν ἀξίαν ποτ᾽ ἂν ἀποδοίη· εἰς δύναμιν δὲ ὁ θεραπεύων ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ. *Parentibus nemo dignam gratiam retulerit; ſed qui pro viribus colit, is eſſe probus videtur* [3]. Add. XENOPHON Memorabil. L. II. [c. 2. Ed. Oxon. p. 431. 432. Ed. H. Stephani.] & STOBAEVS Serm. 77. Quanquam filium quandoque parentis beneficia vincere poſſe prolixe diſputet SENECA de Benefic. L. III. c. 29. 30. ſeqq. Recitat quoque dictum Alexandri ARRIANVS L. VII. [c. 12. p. 290. Ed. Gron.] Βαρὺ δὴ τὸ ἐνοίκιον τῶν δέκα μηνῶν εἰσπράττεσθαι αὐτὸν τὴν μητέρα. *Graue decem menſium habitationis pretium a matre exigi.* Et quantumcunque ſit illud meritum, ad ſcelus tamen imperandum valere non poteſt. Inde IDEM *vrgenti matri, vt occideret quendam inſontem, & dictitanti, eum ſe per nouem menſes vtero portaſſe praegnantem, reſpondit: aliam parens optima poſce mercedem; hominis enim ſalus beneficio nullo penſatur.* AMMIAN.

§. XII. 1) Et quia inde ſocietatis omnis eſt coagulum. *Nam,* vt bene GROTIVS ad Decalogum ſub quarto praecepto obſeruauit, *qui parentes reueretur amatque: is fratres amat, vt iisdem ortos parentibus: alios propinquos ob auos proauosque communes; vnde tota illa fluit neceſſitudinum ſeries, eademque antiquiſſima ciuitatum ac pagorum origo.* H.

2) Γονέων δὲ μετὰ ταῦτα τιμαὶ ζώντων, ὡς θέμις, ὀφείλοντας ἀποτίνειν τὰ πρῶτά τε καὶ μέγιστα ὀφειλήματα, χρεῶν πάντων πρεσβύτατα· νομίζειν δὲ ἃ κέκτηται καὶ ἔχει πάντα εἶναι τῶν γεννησάντων, καὶ θρεψαμένων, πρὸς τὸ παρέχειν κατὰ τὴν ὑπηρεσίαν ἐκείνοις κατὰ δύναμιν πᾶσαν, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς οὐσίας· δεύτερα τὰ τοῦ σώματος· τρίτα, τὰ τῆς ψυχῆς· ἀποτίνοντα δανείσματα ἐπιμελείας

MIAN. MARCELLINVS L. XIV. c. 10. Add. GELLIVS L. II. c. 7. HOBBES de Ciue c. 9. §. 8. debitum illud reuerentiae non ex ſola de grato animo lege deriuandum arbitratur, ſed ex pacto quoque tacito, quod nempe non praeſumatur, qui alterum ex ſua poteſtate dimittit, eum ita ſibi voluiſſe aequare, vt ne beneficii quidem reus eſſet: ſed ſemper eſſe intelligendum, eum, qui ſubiectione liberatur, promittere ſaltem externa ſigna, quibus ſuperiores ab inferioribus ſolent honorari. Illa tamen nimia eſt ſuperſtitio, quam refert Conſtantinus L' EMPEREVR in Babakama c. 8. §. 3. Iudaeos non permiſiſſe, ex metu, ne filius paternum ſanguinem effunderet, filium patri venam ſecare, imo ſpinam educere, aut vlcus aperire, ne forte ſanguis ſequatur. Add. SELDENVS de I. N. & G. L. VII. c. 2. Inter eos tamen, qui in ciuitatibus degunt, contingere poteſt, vt propter officium publicum pater filio reuerentiam exhibere debeat, ſalua tamen patris inter priuatos reſpectus praerogatiua. Sic ipſe pater Fabius Cunctator probauit factum filii Conſulis, quod ipſum ſibi obuium equo deſcendere iuſſiſſet. PLVTARCHVS Fabio, & in Apophth. VALER. MAXIMVS L. II. c. 2. §. 4. GELLIVS L. II. c. 2. *L. 13. §. vlt. L. 14. princ. D. ad SCtum Trebell.* 4) Add. BOECLERVS ad Grot. dictum locum. §. 6. Enimuero, an illa obligatio liberorum perpetua, quae etiam ſoluto imperio paterno durat, magis ex actu generationis, an ex fideli & laborioſa educatione oriatur, inter quoſdam eruditos non conuenit. Alii quippe generationi fauent; per hanc enim parentem vitam dare, bonum vtique praeſtantiſſimum & caeterorum omnium occaſionem; ac gignendo parentes quodammodo Deum referre. Alii malunt pro educatione calculum ponere, per quam demum quis hominis dignationem implere diſcit, & quae magna ac diuturna cura pari labore ac ſumtu conſtat. Idque alii hoc modo illuſtrant, quod inter bruta mas, qui genuit, nullo fere affectu erga ſobolem tangi deprehendatur; mater autem eousque duntaxat, quoad ſe prolem alere ipſa queat: hominum autem ϛοϱγὴ perpetuo duret. Id quod indicio ſit, & affectum parentum, & ei reſpondentem filiorum obligationem non, ſaltem praecipue, prouenire ex illis, quae hominum generatio cum brutis habet communia, ſed quod liberi per parentes ad vitam ſocialem formentur. Equidem ARISTOTELES Nicom. VIII. c. 13. Ὁ πατὴρ αἴτιον τοῦ εἶναι, δοκοῦντος μεγίϛου εἶναι, καὶ τροφῆς, καὶ παιδείας. *Pater auctor eſt exſiſtendi, quod maximum videtur eſſe, & nutritionis, & educationis.* IDEM dicto loco c. 14. *Eſt amicitia filiis erga parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam, atque excellens. Beneficia enim maxima contulere, quippe cum ſint in cauſa, vt & ſint, & enutriti atque educati fuerint, poſteaque in lucem venerint.* Vbi priori quidem loco ponitur generatio & vita, vt tamen cum educatione expreſſe non comparetur. PHILO IVDAEVS L. II. Allegor. [pag.

μελέας δὲ καὶ ὑπερπονέσαντος ὠδῖνας παλαίας ἐπὶ νέοις ἀνανεωθείσας· ἀποδίδοντα δὲ παλαιοῖς ἐν τῷ γήρᾳ σφόδρα κεχρημένοις· παρὰ δὲ πάντα τὸν βίον ἔχειν, τε καὶ ἐσχηκέναι χρὴ πρὸς αὐτοῦ γονέας εὐφημίαν διαφερόντως - - θυμουμένοις τε ὅσον ὑπείκειν δεῖν, καὶ ἀποπιμπλᾶσι τὸν θυμόν, ἐάν τ' ἐν λόγοις ἐάν τ' ἐν ἔργοις δρῶσι τὸ τοιοῦτον, ξυγγιγνώσκοντα ὡς εἰκότως μάλιστα πατὴρ υἱῷ, δοξάζων ἀδικεῖσθαι, θυμοῖτ' ἂν διαφερόντως τελευτησάντων τὸ γονέων ταφὴ μὲν ἡ σωφρονεστάτη καλλίστη - - - τῶν δὲ μὴ παραλείπειν μνήμην ἐνδελεχῆ παρεχόμενον τούτῳ μάλιστ' ἀεὶ πρεσβεύειν.

3) Οὐδὲν δὲ ποιήσας [υἱὸς] ἄξιον τῶν ὑπηργμένων δέδρακεν. ὡς καὶ ἔφυλη.

4) *Nam quod ad ius publicum attinet, non ſequitur [pater] ius poteſtatis.*

[p. 58. in fine] *Ne parentibus quidem dignam referre valemus gratiam, quandoquidem non poſſumus eis gignendi vicem reddere.* QVINTILIANVS Declam. V. *In hunc te diuinorum humanorumque conſpectum de noſtra protulimus anima. Maria, terrasque, & infatigabiles ſiderum curſus, & cuncta ſacro fulgore lucentia nos, vt fruereris, oſtendimus.* Nihilominus nobis verius iudicatur, plus obligationis ex educatione, quam nuda generatione reſultare. Sicut etiam eodem inclinare videtur PLATO *in* Critone: [p. 34. B.] Ἢ ȣ̓ χρῆν ποιεῖσθαι παῖδας, ἢ ξύνδια ταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα. *Oportebat non genuiſſe filios; aut in eis educandis erudiendiſque laborem non recuſare.* Apud EVNDEM in Theage [init.] Demodocus dicit: Ἐμοὶ ἡ τȣ̃ ὑέος τȣτȣῒ, εἴτε φυτείαν, εἴτε παιδοποιείαν δεῖ αὐτὴν ὀνομάζειν,, πάντων ῥάςη γέγονεν. ἡ δὲ τροφὴ δύσκολός τε καὶ ἀεὶ ἐν φόβῳ, περὶ αὐτȣ̃ δεδιότι. *Haec mihi mei filii ſiue plantatio, ſeu generatio appellanda ſit, omnium facillima extitit: educatio autem difficilis, & plena timoris ſemper, maximum metum ipſius cauſa ſubeunti, fuit.* Et IBIDEM Socrates: Οὐκ οἶδα ὑπὲρ ὅτȣ ἄν τις νοῦν ἔχων μᾶλλον σπȣδάζοι ἢ ὑπὲρ υἱέος αὐτȣ̃, ὅπως ὡς βέλτιςος ἔςαι. *Non video vbi maiore diligentia opus ſit, ſi quis mentem modo habeat, quam vt filium optimum reddat.* Nam vti eſt apud EVRIPIDEM Hecuba: Ἔχει τὸ θρεφθῆναι καλῶς δίδαξιν ἐσθλȣ̃. *Habet recta educatio doctrinam boni.* Ap. QVINTILIANVM Declamat. 285. ita pater: *Non iam imputo illa vulgaria, lucem, & ius libertatis, & vſum vitae. Hoc imputo: quod fortiter feciſti, roboris & corporis mei, meum eſt: animus iſte ad contemnendum periculum paratus ex meo fluxit. Ego te diu praeceptis feci virum fortem: proxime quidem etiam exemplo.* Add. IDEM Declamat. 278. & PHAEDRVS L. III. Fab. 16. Scilicet non crediderim, parentem generando tam magnum dediſſe beneficium proli, ſi eam in lucem editam abiiciat, aut nutritam citra culturam animi adoleſcere patiatur pecudis in morem, vt vitam agat ſibi erubeſcendam, aliis inutilem: ac ſi *res nulla minoris conſtet patri quam filius.* IVVENALIS Sat. 7. [v. 184. & ſeqq.] [5] Quo ſpectat lex Solonis apud PLVTARCHVM Solone [pag. 90.] *qua ad alendos parentes non adſtringebantur ex meretricibus procreati. Quippe nuptiarum decus qui praetereat, profitetur, ſe non liberorum gratia, ſed voluptatis adſciſcere mulierem; habetque mercedem ſuam, neque locum ſibi quaerendi reliquit de genitis, quibus ipſam reddidit probroſam natiuitatem* [6]. Add. VITRVVIVS de Archit. praefat. L. VI. IVVENALIS Sat. 14. [verſ. 17. & ſeqq.] *Gratum eſt, quod patriae ciuem populoque dediſti, Si facis, vt patriae ſit idoneus, vtilis agris; Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis. Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu Moribus inſtituas.* ARISTOTELES apud DIOGENEM LAERTIVM [L. V. §. 19. Ed. Amſt.] *parentes qui liberos erudiendos curaſſent, longe honorabiliores eſſe iis, qui ſolum genuiſſent: eos enim viuendi tantum, illos etiam bene beateque viuendi auctores eſſe.* Quo nomine etiam quantum venerationis praeceptori, qui ſancti parentis eſt loco, a diſcipulis deferatur apud Sinenſes, tradit MARTINIVS Hiſt.

5) *Quanticunque domus, veniet, qui fercula docte*
Componat; veniet qui pulmentaria condit
Hos inter ſumtus ſeſtertia *Quintiliano*
Vt multum, duo *ſufficient: res nulla minoris*
Conſtabit patri quam filius.

6) Ἐκεῖνο δ' ἤδη σφοδρότερον, τὸ μηδὲ τοῖς ἐξ ἑται-

Hiſt. Sinicae L. IV. c. 2. IDEM L. VI. c. 1. p. 212. memorat [7], apud eoſdem vſitatum eſſe, vt filius nunquam ad altiorem dignitatis gradum, quam pater, adſcendat. Vnde, ſi ſuis in rempublicam meritis honores filius adipiſcatur, queis patri fungi non obtigit, ii defuncto quoque patri poſtuma velut promotione communicantur. Apud eoſdem quippe obſequium & reuerentia erga parentes maxima & prima virtus habetur. Deinde ſequi non videtur; vita eſt maximum bonum: ergo actus parentis quo eam dat, eſt maxime aptus ad excitandam in prole obligationem. Nam ſi factum aliquod meum alteri magnopere velim imputare, neceſſum eſt vt ſciam, cui dem, & an ad ipſum meum beneficium ſit peruenturum. Nec illud parum ad rem facit conſideraſſe, an intentionem habeam alterum beneficio mihi obſtringendi; quanti factum illud mihi conſtet; an id ſuſceperim magis, vt alteri prodeſſem, quam vt mihi vtilitatem aliquam aut delectationem parem: num ad idem ſuſcipiendum ratione aut deliberato animi propoſito, an vero affectuum ſtimulis, aut ſenſuum illecebris ſim impulſus; an denique id, quod dedi, vllo modo alteri prodeſſe queat, niſi alia quaepiam acceſſerint. Iſta qui preſſius conſiderauerit, facile iudicabit, actum educationis longe efficaciorem eſſe ad producendam obligationem, quam generationis. Etſi hautquaquam omnia probauerim, quae circa hanc rem diſputat SENECA de Beneficiis L. III. c. 30. ſeqq. Nam illud ſine dubio tolerari non poteſt, quod vitam hominis, cui Deus immortalem animam dedit, vocet rem, quae *cum feris, & animalibus quibusdam minimis, etiam foediſſimis communis eſt:* item *muſcarum ac vermium bonum.* Reliqua tamen non adeo cenſuram cordatorum metuant. *Illud quod natus ſum, per ſe intuere quale ſit: animaduertes exiguum, & incertum, & boni malique communem materiam. Sine dubio primum ad omnia gradum, ſed non ideo maiorem omnibus, qua primum. Nec enim ideo prima maximorum inſtar ſunt, quia ſine primis maxima eſſe non poſſunt.* Item: *Ad bene viuendum minima portio eſt viuere. Puta me vitam pro vita reddidiſſe. Sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim ſentienti, cum ſentiens me dare, cum vitam tibi non voluptatis meae cauſa, aut certe per voluptatem dederim. Vis ſcire, quam non ſit magnum beneficium, vitam ſic dare? expoſuiſſes: nempe iniuria erat genuiſſe. Quo quidem colligo, minimum eſſe beneficium patris matrisque concubitum, niſi acceſſerint alia. quae proſequerentur hoc initium muneris & aliis officiis ratum facerent. Idem* paulo poſt generandi beneficium vocat *vulgare; paternum munus & ſimplex & facile, & in quo* (ſaltem vulgus patrum) *ſpectat omnia potius, quam eum, cui dabat.*

§. XIII. DENIQVE vti pater prolem familia eiicere non debet citra grauiſſimas cauſas: ita & proles non niſi bona cum venia patris in aliam familiam tranſibit. Quod ſi autem liberi iuſtam habeant migrandi cauſam, nec tamen parens per animi duritiem annuere velit; putauerim, eoſdem non obligari,

ἑταίρας γενομένοις ἐπάναγκες εἶναι τοὺς πατέρας τρέφειν . . . ὁ γὰρ ἐν γάμῳ παρορῶν τὸ καλὸν οὐ τέκνων ἕνεκα δῆλός ἐστιν, ἀλλ' ἡδονῆς ἀγόμενος, γυναῖκα. τὸν δὲ μισθὸν ἀπέχει καὶ παῤῥησίαν αὐτῷ πρὸς τοὺς γενομένους οὐκ ἀπολέλοιπεν οἷς αὐτὸ τὸ γενέσθαι πεποίηκεν ὄνειδος.

7) Add. CLERICVS ad Exodi XX, 12. & Deuteron. V, 16.

gari, quo minus rebus ſuis, etiam ringente duro patre, proſpiciant; inprimis vbi paternam haereditatem negligere velint. Nam leges ciuiles vti auctoritatem parentum recte fulciunt; ita moroſitatem ineptam haut temere obfirmabunt. Quin nec capita familiarum ſegregum inuitos liberos videntur retinere poſſe, vbi iuſtam ſcilicet migrandi cauſam habuerint; cum nec in iuſtis ciuitatibus hominibus liberis facile migratio denegetur, ſi nullo alio, quam communi ciuium vinculo ſtringantur.

§. XIV. Hvc quoque pertinet quaeſtio: An liberis liceat nuptias contrahere inuitis parentibus? Circa quam putamus diſtincte conſiderandum eſſe, quid requirat officium pietatis; quid obſequium imperio reſpondens; quid iuris ſit patribus vt talibus, quid vt capitibus familiarum. Poteſtatem patriam, vt talem, diximus naturaliter tantam eſſe, quanta opus eſt ad liberorum educationem & gubernationem, quouſque ipſi rebus ſuis commode queant proſpicere. Ergo illa non videtur eouſque ſe extendere, vt matrimonia liberorum poſſit declarare irrita; quippe quae praeſupponuntur iniri abs talibus, qui iam plenum rationis vſum obtinent. Equidem officium pietatis ac reuerentiae requirit, vt & conſilium parentum heic adhibeant liberi, nec ipſorum voluntati reluctentur [1]. Catvllvs [Carm. 63. in fine.] *Non aequum eſt pugnare, pater quos tradidit ipſe, Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt. Virginitas non tota tua, ex parte parentum eſt. Tertia pars matri data, pars data tertia patri; Tertia ſola tua eſt; noli pugnare duobus, Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.* Apud Evripidem in Andromache [verſ. 987. 988.] Hermione: *Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε. Deſponſationis quidem meae pater meus curam habebit, & non eſt meum ſtatuere hoc.* Sic & Cyrum abſque parentum conſenſu noluiſſe matrimonium contrahere apud Xenophontem L. IIX. [c. 5. §. 10. Ed. Oxon.] habetur. Non tamen ſtatim irritum eſt & nullum, quod contra officium iſtud fuit admiſſum [2]. Nam obligatio audiendi & reuerendi alterius conſilium, non ſtatim poteſtatem de re ſua diſponendi adimit. Accedit & illud apud Qvintilianvm Declam. 256. *Nuſquam libertas tam neceſſaria, quam in matrimonio eſt. Quis enim amare alieno animo poteſt?* Add. *L. 21. L. 22. L. 25. D. de Rit. nupt.* Sed quid dicemus de poteſtate patrum, quam habent, vt capita familiarum? Equidem in multis ciui-

§. XIV. 1) Maxime cum matrimonium ſit manumiſſio liberorum, & quaſi in nouam coloniam traductio: praeterea parentum intereſit, quales generos & nurus & nepotes ſortiantur: quin dotes ipſae & patrimonia, quae occaſione nuptiarum in alias familias transferri conſueuerunt, liberos officii huius ſatis admonere videantur. H.

2) Bene Grotivs ad Matth. XXVII, 30. *Quam multa ſunt, quae non recte, id eſt, non ex officio fiunt, & tamen ſi facta ſint, pro non factis nequaquam habentur? Certe ſi maneamus intra limites naturalis iuris, actus irritus dici eo non poteſt, niſi accedat poteſtatis defectus, aut actus turpitudo permanens, quae hic locum habere dictu quidem eſt facile, at ex certis principiis demonſtratu difficile. Nam ex iure naturae aucteritas magis parentum naſci videtur, quam poteſtas, id eſt ἐξουσία, vt quam videmus pro populorum inſtitutis & moribus mutari.* H.

3) Vt loquitur Tacitvs IV. Ann. 53. Henricus IIX. Angl. Rex apud Guil. Prynnevm Tom. II. Libertat. Anglicanar. p. 602. *Cum per experientiam didicimus, quod quam plures Dominae regni noſtri ſpreta ſecuritate, quae per legem & antiquam conſuetudinem regni Angliae capi ſolet & debet, ne ſe maritari permitterent, ſine conſen-*

ciuitatibus facultatem matrimonia contrahendi leges ciuiles varie circumſcribunt. Sicut alicubi regio ſanguine ortis, inconſulto rege, matrimonium contrahere non licet, cum notum ſit, quantum per eiuſmodi connubia ſaepe e republica petatur [3]. Sic & apud Iaponios magnatibus vxorem, ex qua procreandi ſunt ſucceſſores, ipſe Caeſar attribuit, coniugiumque ratum eſſe iubet. Bern. VARENIVS Deſcr. Iaponiae c. 12. Add. Conſtitut. SICVLAE [4] L. III. tit. 21. Alicubi inter ciuem, & peregrinam, inter illuſtrem & plebeiam [5] quae contrahuntur nuptiae pro iuſtis non habentur. Enim vero vti in ciuitatibus libera matrimoniorum inter quoſcunque facultas, vt & migrandi licentia, intelligitur, vbi in contrarium expreſſa non extat lex, aut legi aequipollens conſuetudo: ita cum in familiis ſegregibus pleraeque rationes legum ciuilium circa matrimonia, inter certas perſonas contrahenda, ceſſent; hautquidquam patrifamilias ius videtur eſſe [6] prohibendi aut reſcindendi matrimonia ſuorum liberorum, quae nullo alias vitio laborant; ſi modo iſti parati ſint familia paterna faceſſere. Nam vt inuiſam ſibi nurum in domo ſua toleret paterfamilias, nemo ab ipſo poſtulauerit. Geneſ. XXVI, 34. 35. Quod ſi tamen ſuam auctoritatem a liberis citra grauiſſimas rationes (vid. *L. 12. §. 1. de Sponſal.*) ſpretam viderit pater, poenae loco familia & haereditate excludere immorigeros non prohibetur. Vid. Lex WISIGOTHORVM L. III. Tit. 2. c. 8. Lex BVRGVNDIONVM Tit. 12. c. 5. Quid iuris heic competat patribusfamilias, qui in ciuitatibus degunt, ex ſingularum legibus eſt cognoſcendum [7]. Apud Iaponios omnia matrimonia per vtriuſque partis parentes contrahuntur [8], quod ſi parentes iam defuncti ſint, proximis conſanguineis hoc officium incumbit. B. VARENIVS Deſcript. Iapon. c. 12. Sic apud Peruanos quondam ſub imperio Yncarum matrimonia a liberis citra parentum conſenſum contracta habebantur illegitima, & proles inde nata ſpuria, niſi deinceps parentes conſenſiſſent. Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. VI. c. 36. Vbi certum eſt, quemadmodum leges ciuiles efficere poſſunt, vt inualide ineantur contractus quidam, vel quia ſolennibus quibuſdam deſtituuntur, vel quia certis perſonis eoſdem inire interdicitur: ita poſſe eaſdem validitatem matrimonii, inter filiosfamilias initi, a parentum conſenſu ſuſpendere, vt illo non accedente matrimonium ciuiliter pro nullo habeatur, ac reſcindi queat. Vid. *L. 2. D. de Ritu nupt. L. 7. D. ad L. Iuliam de Adulteriis.* Nam copula carnalis, & conſenſus cohabitantium, vbi leges

 ciui-

conſenſu & voluntate noſtra, non requiſito ſuper hoc noſtro aſſenſu, vnde tam nobis, quam coronae noſtrae damnum & opprobrium emerſerunt. H.

4) Guilielmus I. Rex Siciliae lege ſanxit, virginibus nobilibus ſine ſua venia nubere haut licere. Thom. FAZELLVS L. XXVII. Hiſtor. Siculae. H.

5) V. ſupra c. 1. §. 8. & in not. H.

6) Obſeruare tamen eſt in hiſtoriis, patresfamilias ſegreges pro lubitu diſpoſuiſſe de matrimoniis filiarum. V. Geneſeos XXIV, 50. Quod & apud Hebraeos manſit, vt liquet ex Ioſuae XV, 16. Vbi GROTIVS notat: *Ingens poteſtas patria apud illas gentes in filiarum matrimoniis. Similia in Graecorum hiſtoriis habes de Oenomao, Schoeneo & aliis.* Conf. 1 ad Corinth. VII, 36. H.

7) Apud Francos Ludouici Balbi matrimonium cum Anſgarde nobili foemina, quum eam ſine aſſenſu patris Caroli Calui duxiſſet, diſſolutum, etſi duos ex ea ſuſcepiſſet filios. Vt memorat REGINO L. II. Chronic. ad A. DCCCLXXXIIX. Add. THVANVM L. XIX. Hiſt. ad A. MDLVII. & de vita ſua L. II. H. GROTIVM Ep. ad Martinum Ruarum 327. H.

8) Et apud Moſcouitas v. Comes CARLISLIVS Deſcript. Moſcouiae p. 343. & apud Siamenſes v. LOVBERIVS Part. II. de Rego Siamenſ. c. 7. §. 3. & 15. H.

ciuitatis obſtant, non magis validum reddunt matrimonium, quam per contractum pupilli, & traditionem, citra auctoritatem tutoris factam, valide & irreuocabiliter dominium rei pupillaris transfertur. Quanquam recte cordatiores monent, parentes, etiam vbi talis poteſtas ipſis indulgetur, circa eiusdem exercitium circumſpectos, nec rigidos nimis eſſe debere. Add. Boeclerus & Ziegler. ad Grot. dictum locum §. 10.

* *

CAPVT III.

DE POTESTATE HERILI.

I. *Societas herilis quae?*
II. *Seruitus actu ab ipſa natura non conſtituitur.*
III. *Neque immediate a Deo.*
IV. *Seruitutis primaeua origo videtur ex contractu.*
V. *Seruorum dein numerus bello valde auctus.*
VI. *Bello captorum vnde obligatio erga dominos.*
VII. *Iidem rebus certo modo aequiparantur.*
VIII. *Poteſt tamen illis fieri iniuria.*
IX. *De prole ſeruili.*
X. *Incommoda ſeruitutis.*
XI. *Quibus modis ſeruitus tollatur?*

QVEMADMODVM familiae ex marito & vxore tanquam primariis partibus conſtant, quorum coniunctione ſoboles excitatur: ita ſecundario iisdem accedunt ſerui, quorum opera in obeundis miniſteriis capita familiarum vtuntur. His cum rigidius fere ſoleat imperari, quam liberis; inde aſperioris cuiusdam regiminis ſpeciem in ſocietate herili volunt exprimi, quam in paterna, vbi liberi fere indulgentius ſolent haberi. Iſthanc autem ſocietatem minus proprie ciuitatem ab Hobbeſio vocari arbitramur *, tum quia fere ex paucioribus perſonis conſtat, quam quae ad ſecuritatem praeſtandam in naturali libertate viuentibus facere poſſint: vid. Geneſ. XXXII, 7. ſeqq. XXXIV,

§. I. * Plane vt Ariſtoteles III. Pol. 6. dixit, patremfamilias vti τῇ ἰδίᾳ οἰκίᾳ ὥσπερ πόλει, *propria domo tanquam ciuitate.* Differt autem domus, licet ſegrex & ſui iuris, a ciuitate, non tantum cauſa impellente ſiue προκαταρκτικῇ, ſed & ſubiecto. Quanquam fieri queat, vt domus procedente tempore coaleſcat in ciuitatem. Quomodo obſeruauit Plato in Politico, antiquiſſimis temporibus ex patribusfamilias paulatim factos Reges. Cuius rei indicium profecto non leue eſt, quod in plerisque orbis partibus ciuitates olim admodum paruae, ſiue anguſtis limitibus circumſcriptae fuerint, vt hiſtoriae nos docent. Hobbesius ipſe Leuiathan. c. 20. ſic ſuam temperat ſententiam, ſi familia tantae ſit potentiae, vt per numerum ſuum, vel per alias oportunitates, bello ſubiici nequeat. Conf. Avctor ſupra c. 2. §. 11. H.

§. II. * Vid. ſupra L. III. c. 2. §. 8. Dan. Heinſii Epiſtolam ad Georgium Richterum, Conſiliarium Noribergenſem, inſertam Variis Lectionibus Iani Rutgerſii. H. [Conf. L. III. c. 2. §. 8. nota 2. & Riccivs T. II. Theſ. Othon. pag. 605. Baſilivs de Spiritu ſancto c. 20. *Inter homines,* inquit, *ſeruus natura eſt nemo: nam aut vi ſuperati*

XXXIV, 30. tum quia dominus ſibi adiungit ſeruos non tam propter mutuam defenſionem; quam vt rem domeſticam commodius atque copioſius eorum opera curet.

§. II. Circa huius ſocietatis originem reiicienda eſt ſententia eorum, qui imperium herile & ſeruitium actu a natura conſtitutum autumant. Equidem maximam ingeniorum diuerſitatem inter homines deprehendimus. Vt alia praetereamus, ſane adparet, quosdam & ea eſſe mentis perſpicacia, vt per ſe cernant, quid rebus ſuis expediat; & ea alacritate, vt quod ſibi eſt vtile, proprio impulſu citra aliorum coactionem ſuſcipiant. Aliis contra ingenium eſt ita hebes, vt quid ex vſu ſit, citra aliorum ductum parum perſpiciant, magisque ſint idonei ad talia, quae viribus corporis conſtant, obeunda, quam ad quae ſubtilitas aliqua mentis requiritur. Tanta inſuper ſocordia, vt niſi coacti recte non faciant, nec parta commode ſeruare, aut diſpenſare norint. Quorum poſteriores natura ſeruos *Ariſtoteles* vocat *, non quod dominus & ſeruus actu per naturam conſtituatur, citra interueniens factum humanum; ſed quia eiusmodi hominibus, quos tali ingenio natura finxit, commodius eſt aliis ſeruire, quam proprio Marte rem gerere. Quo ſpectat, quod Ageſilaus dixit, τὺς τὴν Ἀσίαν κατοικῦντας, ἐλευθέρυς μὲν κακὺς, δύλυς δὲ ἀγαθὺς ἐιναι. *Aſiam incolentes liberos quidem prauos, ſeruos autem bonos eſſe.* Plvtarchvs Apopht. Laconicis. [T. II. p. 213. C.] Quod in Caligulam accommodauit Paſſienus: *Neque meliorem vnquam ſeruum, neque deteriorem dominum fuiſſe.* Tacitvs Ann. VI. [c. 20.]

§. III. Io. Frid. Hornivs de Ciuitate L. I. c. 3. ſolita ſibi chorda oberrat, dum communi ICtorum ſententiae contradicit, a iure gentium originem ſeruitutis repetentium [1]. Nam *modum* duntaxat conſtituendi ſeruitutem populos diuerſos inuicem accepiſſe; ſeu communem morem inualuiſſe captos bello in ſeruitutem redigendi. Imperium tamen herile neque a conſuetudine, neque a iure gentium arceſſendum; ſed ſemper cauſam *ſocietatis*, a cauſa *imperii* diſtinguendam. Adeoque Deum cauſam herilis imperii conſtituendum. Cum enim victoria ſit a Deo, hoſtisque diuinitus in manum victoris ſit traditus, id conſecutum victorem, vt hoſtem poſſit interimere. Cum

 vero

rati ſub iugum ſeruitutis ſunt redacti, vt ſit in captiuitatibus: aut propter egeſtatem ſerui ſunt facti, vt Aegyptii Pharaoni: aut ſapiente quodam & arcano conſilio, qui erant deteriores e liberis, edicto patris, prudentioribus & melioribus ſeruire damnati ſunt: quod beneficii loco, non condemnationis aequus rerum aeſtimator duxerit. Si quis enim mentis inopia, facultatem imperandi a natura inditam non habet, vtilius ei eſt, in alterius poſſeſſionem venire, vt dominantis ratione rectus, currus ſimilis ſit, qui aurigam recepit, & nauigio, ad cuius clauum ſedet gubernator.

§. III. 1) *Seruitus autem eſt Conſtitutio Iuris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. Serui autem ex eo adpellati ſunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent: qui etiam mancipia dicti ſunt, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur. Serui autem aut naſcuntur, aut ſiunt, naſcuntur ex ancillis noſtris: ſiunt aut Iure Gentium, id eſt, ex captiuitate; aut Iure Ciuili, cum liber homo maior viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus eſt*, §. 2. 3. 4. Inſt. de Iure perſonarum. In quibus verbis ſeruitus, perinde vt ab Avctore ſit, partim indigentiae, partim vi accepta fertur.

vero humanitatis intereſſet, ne inermem & proſtratum ſemper occideret, cum vſui eſſe poſſit, hanc poteſtatem retinuiſſe ſuperiorem in caput victum. Enimuero vti homines partim ob ſui defenſionem, partim ad vindicanda ſua iura bellum ſumſere: ita parta victoria, cum victis donare vitam placeret, in ipſorum arbitrio fuit, eosdem in ſeruitium redigere, aut in cuſtodiam tantiſper dare, quoad pacto aut dato lytro dimitterentur. Quae omnia, vt & poteſtatem in tales, quatenus cum recta ratione congruunt, Deus non immediate conſtituit, ſed ab hominibus conſtituta adprobauit [2]. Id quoque minus recte ab *Ipſo* dicitur; *ius vitae & necis in captum hoſtem, quod ſemel habuit, victorem retinere;* adeoque illud ius, quod victor habet in victum, antequam ipſum in fidem recipiat, idem eſſe cum eo iure, quo poſt ipſi tanquam dominus imperat. Nam iſthaec plane diuerſa ſunt. Victor in victum iure belli quaecunque placuerint poteſt ſtatuere; occidere, aut vitam relinquere; quam tamen licentiam, quantum nobis conſtat, nemo ius vitae & necis hactenus dixit. Sed ius vitae & necis, quod dominus in ſeruum habere dicitur, notat poteſtatem legitimam ob antegreſſum delictum capitale ſupplicium infligendi. Denique quod IDEM dicto loco §. 5. tradit, omne imperium, qualecunque ſit, inferre poteſtatem in caput; ergo nullam differentiam eſſe quaerendam in ipſa poteſtate, ſed tantum in exercitio poteſtatis; adeoque par eſſe imperium mariti in vxorem, patris in prolem, Regis in ciues, quam domini in ſeruum, niſi quod illi fere mollius, hic aſperius habeatur: id quidem vt credam, a me nondum impetrare potui.

§. IV.

2) Neque vero ſequitur, ſi victoria diuinitus contigit, quae victoriam conſequuntur facto humano non eſſe adſcribenda. Adde vltronea voluntate quem alteri ſe in ſeruitutem addicere poſſe. Quod Hebraeis quoque & Romanis vſitatum fuit. E Thracia mulieres voluntaria ſeruitute, ingenuae ortu quum eſſent, victum ſibi apud Erythraeos quaeritaſſe, notat PAVSANIAS Achaicis ſiue L. VII. c. 5. De plebe Gallica Iul. CAESAR L. VI. Bell. Gall. *Plerique quum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, ſe ſe in ſeruitutem dicant Nobilibus. In hos eadem omnia ſunt iura, quae dominis in ſeruos.* Add. LL. FRISIONVM tit. 11. BAIVVAR. tit. 6. c. 3. §. 1. Carol. CANGIVM Gloſſar. voce Obnoxiatio. AVCTOR infra L. VII. c. 6. §. 5. H.

§. IV. 1) GROTIVS L. II. c. 5. §. 30. ſeruitutem perfectam ab imperfecta diſtinguit, & hanc eam dicit, qua quis ad tempus tantum, aut ſub conditione certas operas ſuſcipit, prouti id cautum ſit vel Legibus Ciuitatis, vel conuentione partium. Exempla, quibus vtitur, apud ipſum euolui poſſunt. Nos ea ſubiicimus, quae ab AVCTORE de Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 4. §. 2. de ſeruis mercenariis temporariis, qui & famuli dicuntur, allata ſunt. *Mercenario*, inquit, *temporario dominus conuentam mercedem: iſte huic viciſſim conuentam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior eſt conditio, ideo etiam eiusmodi miniſter domino, pro ratione dignitatis reuerentiam exhibere tenetur: &, vbi malitioſe aut negligenter opus fecerit, eiusdem coërcitioni eſt obnoxius: quae tamen ad grauem corporis afflictionem, multo minus ad mortem propria auctoritate ſumendam procedere nequit.* Recte tamen TITIVS in Obſeru. DXXIX. animaduertere videtur, in ſtatu Ciuili contra ſeruum mercenarium hoc vix obtinere, vtpote in quo ſeruus delinquens ad reparationem damni ſolum teneatur; poena autem, ſi aliquam meruerit, Magiſtratus arbitrio relinquenda ſit. Quodſi porro ſeruus laſciuia domini iram prouocet, ab eoque plagis mulctetur, licite id fieri, ſi modus ſeruetur. Ceterum ſerui & famuli in iis tantum rebus Domino obtemperare debent, quae Legibus Diuinis aut Ciuilibus non refragantur. Vid. GROTIVS L. II. c. 26. §. 3.

2) Vbi cuſtodiendum eſt, inter praecipuas rationes inſtituti Sabbati hanc fuiſſe, vt ſeruis & ancillis quies pararetur. Vid. GROTIVS L. III. c. 14. §. 5. & CLERICVS ad Exodi XX, 10. & Deuter. V, 14.

3) Vid.

Digitized by Google

§. IV. Nobis ſuper origine ſeruitutis ita videtur. Ab initio cum homines a prima viuendi ſimplicitate diſcederent, vitamque operoſius excolere, ac rei augendae incumbere coepiſſent, valde probabile eſt, a ſolertioribus & paulo locupletioribus hebetiores & tenuiores ad operas ſibi locandas fuiſſe inuitatos. Mox cum vtrique illud commodum experirentur, paulatim hoſce adductos, vt iſtorum ſeſe familiis perpetuo adiungerent, iis ſub legibus, vt hi quidem alimenta, & quae alia vitae neceſſaria ſunt, illi autem eorundem miniſteria circa rem domeſticam, ex ipſorum praeſcripto curandam, ſibi ſtipularentur. Adeoque primam originem ſeruituti dediſſe vltroneum conſenſum hominum tenuiorum, & contractum, do vt facias; do alimenta perpetua, vt praeſtes operas perpetuas. In eiusmodi ſeruos quantum imperii domino naturaliter competat, facile ex fine huius ſocietatis colligitur [1]. Scilicet poteſt dominus tali ſeruo operas, quaſcunque velit, iniungere, habita ratione virium & dexteritatis ipſius [2]. Poteſt quoque negligentiam & ſocordiam ſerui aſperioribus remediis, prout indoles eiusdem exigit, coërcere [3], etſi hoc nomine ad mortem procedi nequeat. Sic vt ſummi inſtar ſupplicii eiusmodi ſit ſeruo, familia expulſum ſuae ſocordiae relinqui. Neque videntur tales ſerui inuiti potuiſſe aliis vendi; ſed vbi domino diſplicerent, vel familia erant expellendi, vel non niſi ipſorum conſenſu in aliam familiam transferendi. Cum reuera non niſi perpetui [4] ſint mercenarii, qui durante iſto ſtatu omnia domino adquirerent. Denique ſi atrox aliquod delictum admiſerint in alios extra familiam, ſiquidem intra illos duntaxat terminos, quos diximus, eorum ſubiectio conſtiterit, non videtur dominis ius vitae & necis competere [5]. Sed ne ipſorum

3) Vid. GROTIVS L. III. c. 14. §. 4. vbi tamen lex Diuina huc pertinens non recte adducitur. *Non opprimetis*, inquit Diuinus legislator, *vir proximum ſuum - - - Non dominaberis illi cum crudelitate*, Leuitici c. XXV. v. 17. 43. 53. non autem Deuteron. XV. v. 17. 45. & 53. Ipſa porro verba verſ. 17. non ad ſeruos pertinent, ſed ad proximum quemuis. Sic enim habet Contextus Hebraicus: *Non opprimetis vnus alterum*, quod occaſione alienationis terrarum a Deo dicitur, quam vllo ſub obtentu fieri vetat vltra annum Iubilaei. Similis error occurrit in §. 2. numero 2. vbi in ſecunda citatione etiam perperam Deuteron. XVIII. pro Leuitici XXV. legitur. Sunt autem duae in primis in Legislatione Diuina leges obſeruandae, quae inueniuntur Exod. 21. v. 20. 21. 26. 27. Prioris ſenſus is eſt, vt ſi dominus ſeruum verberet ad mortem, puniendus ſit tanquam homicida, niſi ſeruus vnum vel plures dies ſuperuixerit, vnde tractum videtur diſcrimen dierum in *L. vn. C. de Emendat. ſeru.* Ratio autem legis diuinae in eo ſita videtur, quod, ſi ſeruus non ſtatim exſpiraſſet, praeſumtioni locus videretur, dominum non habuiſſe animum occidendi, & inconſultae temeritatis ſatis punitum videri, qui ſerui ea pretium amiſerit vel operas. Quod, vt probe animaduertit CLERICVS ex verbis ſequentibus manifeſtum fit, *quia argentum ipſius eſt.* Altera lege praecipitur, vt, ſi dominus ſeruo oculum excuſſerit, aut dentem fregerit, damni dati ergo, manumittere eum cogatur, cui poenae ſine dubio etiam locus fuit, ſi damnum datum maioris momenti eſſet. Vid. laudatus Io. CLERICVS.

4) *Sin depauperabitur frater tuus tecum, vendeturque tibi: non coges illum, ad ſeruitium ſerui. Sed ſicut mercenarius & ſicut inquilinus erit tecum; vsque ad annum Iubilaei ſeruiet tibi.* Leuitic. c. XXV. v. 39. 40. Quod etiam Chryſippo viſum. SENECA de Beneſ. L. III. c. 22. Seruus, vt placet Chryſippo, perpetuus mercenarius eſt.

5) Imo quum pacto hoc imperium haud dubie transferatur, ſimul cum imperio conceſſa exiſtimari debent omnia, abs quibus illud conſiſtere nequit. Nam finis pro menſura eſt in moralibus. Quare verius eſt, ſi aduerſos alios extra familiam delinquat ſeruus, heic locum habere, quae inter diuerſas ciuitates obtinent; vt aut ipſe dominus pro merito puniat nocentem, aut eum permittat arbitrio interpellantis, cui nocitum: ſin vero aduerſus dominum crimen capitali ſupplicio dignum commiſit, talem non vt hoſtem, ſed vt rebellem tractari conuenit. Neque vero cauſam video, quamobrem in talem ius

ipſorum iniuriam defendendo lite ſe implicet dominus, noxios domo expellere poteſt & debet; id quod inſtar deditionis habet. Sed ſi in ipſum dominum eiuſque familiam atrociter delinquant, morte quidem affici poſſunt, non tamen velut ex vi imperii, ſed iure belli, tanquam hoſtes. Diſpari tamen modo, quam apud TACITVM de Moribus German. eſt. Occidere ſolent (ſeruos Germani) *non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu & ira, vt inimicum, niſi quod impune.* Et ad iſtum fere modum conditio ſeruorum, nec non poteſtas herilis deſcribitur Exod. XXI, 2. ſeqq. Leuit. XXV, 39. ſeqq. Deuteron. XV, 12. ſeqq. Exodi XXI, 26. 27. 32. Sirac. XXXIII, 25. ſeqq.

§. V. ENIMVERO poſtea deprehenſa commoditate ſuos lobores per alios expediendi, (quo nomine ARISTOTELI Polit. L. III. ſeruus *ὄργανον πρὸ ὀργάνων*, dicitur.) cum bella paſſim increbeſcerent, paulatim receptum, bello captis ea conditione vitam & libertatem corporalem relinquere, vt perpetuo captoribus ſeruirent. De cuius moris origine PLINIVS L. VII. c. 56. *Seruitium inuenere Leecedaemonii;* quod tamen admitti non poteſt, niſi hoc ſenſu, quod vel iſti inter Graecos hoc primum introduxerint, vel quod iſti Graecos quoque bello captos in ſeruitutem redegerint. Quanquam pro priore ratione facit, quod HERODOTVS Erato ſub finem, vbi Lemnum a Pelaſgis occupatam memorat, addit: *Nulla dum aut eis aut vllis Graecis per id tempus mancipia erant.* Sic Seſoſtres ad labores neminem Aegyptiorum admouit, ſed captiuorum opera cuncta perfecit. Ideo templis abs ſe extructis adſcripſit: *Indigenarum nemo huc laborem impendit.* DIODOR. SICVL. L. I. c. 56. Add. BVSBEQVIVS Ep. 3. p. m. 120. & Chriſtoph. RICHERIVS de Morib. Orientalium p. m. 101. In iſtos porro captos bello durius fere actum, quod hoſtilis adhuc irae in ipſos aliquid ſupereſſet. Et excuſari quoque credebatur ſaeuitia, in eos exercita, qui vitae fortunisque noſtris imminuerant, & paria nobis intentauerant; eouſque procedente licentia, vt tales occidere per iracundiam, aut ob quoduis delictum, impune haberetur. Add. GROTIVS L. III. c. 7. §. 2. Quae licentia ſemel introducta etiam ad illos, etſi minore praetextu, extenſa eſt, qui ex iſtis nati, aut per commercia traditi fuerunt. Etſi eadem in quibuſdam ciuitatibus deinceps reſtricta, alicubi plane ſublata *. Igitur ſeruitutis primaeua origo eſt ex vltroneo conſenſu, non ex bello, etſi occaſione belli ſeruorum numerus vehementer auctus, eorumque conditio durior fuerit reddita. Add. Boecl. ad GROTIVM L. II. c. 5. §. 27.

§. VI. VIDEAMVS, quomodo poteſtatem herilem, & ſeruorum conditionem, prout illa ex bello oritur, deducat HOBBESIVS de Ciue c. 8. Vbi

ius vitae & necis exerceri nequeat. AVCTOR ipſe ſupra c. 2. §. 11. patri, vt capiti familiae, ius vitae & necis in filiumfam. conceſſum eſſe aſſerit. Et L. III. c. 2. §. vlt. dixit, patresfamilias non accepiſſe poteſtatem a ciuitate, ſed eam intuliſſe. H.

§. V. * Vere enim AVGVSTINVS L. XIX. de Ciuitate Dei c. 16. *Quia omnis domus initium ſiue particula debet eſſe ciuitatis. Omne autem initium ad aliquem ſui generis finem, & omnis pars ad vniuerſi, cuius pars eſt, integritatem refertur: ſatis apparet, eſſe conſequens, vt ad pacem ciuicam pax domeſtica referatur: id eſt, vt ordinata imperandi obediendique concordia referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam*

Vbi id ab initio reiiciendum, quod ex ſolo ſtatu naturali, quem ille bellum omnium in omnes vocat, oriri putet ius aliquem inuadendi; & viribus ſuperatum in ſeruitium redigendi. Sed illud recte ſe habet, quod vti iure belli iuſti vita hoſti poteſt eripi; ita ſi quis in eodem viribus aliquem ſuperauerit, eidem poſſit vitam condonare, hac lege, ſi alter promiſerit, ſe ipſi ſeruiturum, id eſt omnia facturum, quae imperabit. In quo pacto bonum quod victus accipit, eſt vitae condonatio, quae iure belli poterat tolli; bonum autem quod idem promittit, eſt miniſterium & obedientia, & quidem quantum fieri poteſt, abſoluta. Nam qui mandatis cuiuſquam obedire ante obligatur, quam ſciat, quid iſte ſit imperaturus, ad omnia mandata ſimpliciter & ſine reſtrictione tenetur. Etſi quod heic temperamentum lex humanitatis adhibere iubeat, docet GROTIVS L. III. c. 14. Caeterum, quod recte HOBBESIVS monet, non omnis bello captus, cuius vitae parcitum eſt, paciſci cum victore intelligitur. Nam quorundam mors duntaxat differtur, arbitrio victorum, quandocunque placuerit, exigenda; vti Romae fiebat illis, qui triumpho aut ſpectaculis ſeruabantur; Et non-cuiuis ita creditur, vt relinquatur ei tantum libertatis naturalis, quo vel aufugere, vel miniſterium detrectare, vel machinari domino malum aliquod, aut damnum, ſi cupiat, poſſit. Nam talis ſeruit quidem, ſeu operas praeſtat, ſed citra fidem mutuo interuenientem, vinculis tantum naturalibus coërcitus, ergaſtulis, compedibus, aut acri cuſtodia; eodem modo, quo bruta nobis ſeruiunt. Igitur obligatio ſerui, bello parti, aduerſus dominum non naſcitur ex ſimplici vitae condonatione, aut necis dilatione, ſed ex eo, quod ipſum non incarceratum aut vinctum teneat. Quippe cum iſthaec obligatio, mutua praeſtatione conſtans, ex pacto oriatur; in omni autem pacto mutua verſari fides debeat. Cum beneficio ergo condonatae vitae coniuncta eſt fiducia, qua dominus eum in libertate corporali relinquit, ita vt niſi interueniſſent obligatio & vincula pactitia ſeu moralia, non modo aufugere, ſed & dominum conſeruatorem vitae, vita ſpoliare poſſit; durante vtique adhuc inter ipſos ſtatu belli. Ex quo conſequitur, ſeruos, qui carceribus, ergaſtulis, aut vinculis coërceantur, ab illis, qui pacto cum domino iungantur, diuerſos eſſe; qui ſeruiunt illi non pacto, ſed ne vapulent. Ideoque ſi aufugerint, aut dominum occiderint, nihil facere contra leges naturales [1]. Nam vinculis ligare corporalibus ſignum eſt, illum qui ligat ſupponere, ligatum nulla obligatione ſeu vinculo morali ſatis teneri. Illud tamen falſum eſt, non minus iuris habere dominum in ſeruum non vinctum, quam in vinctum: ſummum enim habere in vtrumque. Nam licentia bellica, quam ſibi in vinctum reſeruauit dominus, diuerſum quid eſt ab imperio. Per illam enim vita tolli poteſt, quandocunque victori placuerit, obtentu ſtatus bellici [2], cui vinctus

diam ciuium. Ita ſit, vt ex lege ciuitatis praecepta ſumere patremfamilias oporteat, quibus domum ſuam ſic regat, vt ſit accommodata ciuitati. H.

§. VI. 1) Non repugnabo, ſeruum talem, ſi occaſio ſit, fugere poſſe. At eundem occidendi domini ius habere, minime concedendum arbitror. Neque enim lex naturae hoc permittit contra ſeruatorem, cui ſe dedens hoſtilem animum profecto exuiſſe videtur. H.

2) Captiuus enim, quum occdii potuerit, iure ad

ctus nondum videtur exemtus. Sed quantumuis ſummum imperium directe ius non dat in vitam, niſi ex delicto.

§. VII. Caeterum etſi imperium, quod proprie eſt ius regendi alterius perſonam, vbi ſubiecti conſenſu vltroneo eſt conſtitutum, citra eiuſdem conſenſum regulariter in alium transferri nequeat; cum peculiares eſſe ſoleant rationes, quare quis ſeſe huic & non alteri ſubiecerit: in illis tamen imperiis, quae a vi coeperunt, receptum, vt eadem ſolius imperantis arbitrio alienari poſſent. Quamdiu tamen ſubiectis aliquid libertatis ſupereſt, proprie non ipſi homines, ſed ius eoſdem regendi alienari dicitur [1], in quantum illud eſt cum aliquo emolumento coniunctum. Licet enim quilibet imperans de ſubdito ſuo dicere queat, *hic meus eſt;* ea tamen proprietas diuerſa plane eſt ab ea, qua quis *rem* aliquam ſuam dicit. Priori enim locutione hoc tantum ſignificatur; mihi & non alteri competit ius hunc hominem regendi, ſic tamen, vt & mihi aduerſus eundem aliqua ſit obligatio, nec in infinitum illud ius exerceri queat. Aſt proprietas, quae rei tribuitur, inuoluit ius iſta re vtendi, abutendique, eamque conſumendi ex meo commodo aut lubitu; ſic vt qualitercunque eandem tractauero, iniuriae non ſim reus; ſed ad excuſationem ſufficiat dixiſſe; haec res mea eſt. Quanquam autem lex humanitatis non ferat, vt etiam aduerſus qualitercunque de nobis meritum omnia primaeuae aequalitatis veſtigia extinguantur, poſtquam in pacem nobiſcum rediit; vtque ad bruti inſtar aut rei inanimae poſſet tractari, aduerſus quam nulla nobis eſt obligatio: immanitas tamen multarum gentium eo proceſſit, vt inter res numerarentur ſerui, iique non tam per imperium, quam velut ex vi dominii tractarentur [2]. Sic vt eodem fere modo, quo quis de iumento ſuo dicit, hoc meum eſt, etiam de ſeruo diceretur, hic meus eſt. Inde & apud Quintilianum Declam. 6. qui captus ſeruitium ſubierat, dicit: *me ipſe perdidi.* Et in iure Romano fugitiui *furtum ſui facere* dicuntur. *L. 60. D. de Furtis* [3]. *L. 1. C. de Serv. fugit.* Et quae ſeruo a domino praeſtabantur, non tam in iſtius, quam huius commodum praeſtarentur, ne ſeruo pereunte dominus damnum pateretur; vtque adeo ipſum pretium duntaxat ſui miſerabilem faceret. Add. tamen Dio Chrysostomus Orat. XV. de Seruitute. p. 241. ſeqq. edit. Morelli. Non tamen inde recte infertur; quidquid ſerui erat ante ſeruitutem, id poſtea eſſe domini. Nam hoc tantum ſenſu id admittitur; quicquid ſerui poterat eſſe ante captiuitatem ex ſuis operis, id deinceps domini eſt. Vbi enim vltro quis in ſeruitium ſeſe tradit, poteſt quidem ſe & reculas ſuas domino ſimul tradere. Id tamen non ſemper neceſſarium eſt. Quin probabile videtur, eos, qui ipſi ſeſe vendiderunt, tam pretium ſui, quam res ſuas retinuiſſe, ſaltem per modum peculii, aut tradidiſſe illis, quos antea tene-

ad ſeruitutem cogitur, &, ſi domini in ſe voluntatem adeo deinde exaſperet, vt denuo perimere malit, ipſe vitae dulcedinem moeſtitiae ſeruitutis poſtpoſuiſſe videtur.

§. VII. 1) V. H. Grotius L. I. de I. B. & P. c. 3. §. 12. n. 2. H.

2) Florus L. III. c. 20. §. 1. de ſeruis loquens

tenebantur alere, puta liberis, aut parentibus ſenio confectis. Quanquam Ebraei ſtatuebant, non poſſe aliquem recte ſe ipſum vendere, niſi nihil prorſus ſupereſſet, vnde ſe aleret. Vid. SELDENVS L. VI. c. 7. Quod autem in iure Romano in verum ſeruitium redigebatur, qui ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus fuerat, id ita ſe habebat. Fingebat Caius, Seium ſibi ſeruum eſſe, qui tamen liber erat. Seius itidem ſeruum ſe ſimulabat, inita fiducia partem ſibi pretii pactus. Vbi deinde Seius venditus fuerat, ſubornabatur tertius, qui liberali cauſa venditum aſſereret. Hoc modo perdebat emtor & ſeruum, & pretium, poſtquam Caius aſtute ſe ſubduxiſſet. Exemplum eſt apud PLAVTVM Perſa Act. IV. Sc. 4. & 9. Quod ſi quis iure belli in ſeruitutem fuerit raptus, bona quidem capti, quae ſimul cum ipſo adprehendit victor, ipſius erunt. Sed quae iſte non ſimul cepit, perinde erunt, atque ſi captus naturaliter fuiſſet mortuus, ſaltem quousque libertatem recuperauerit. Illud autem liquidum eſt, quod quidquid in ſeruitute adquiſierit ſeruus, domino adquiratur. Ad quem enim ipſa perſona plene pertinet, ad eundem quoque pertinebunt omnia, quae per iſtam perſonam proueniunt. Adeoque nihil erit, quod ſeruus vt *ſuum* poſſit retinere contra *dominum*. Etſi quod dominus ipſi peculiariter aſſignauerit ad vſum, vel adminiſtrationem, retinere, & defendere poſſit contra conſeruum: vt ſunt cibaria, veſtimenta, cella, peculium. Add. PLINIVS L. IIX. Epiſt. 14.

§. VIII. QVOD autem *Idem* negat ſeruo poſſe fieri iniuriam, id cum grano ſalis eſt capiendum [1]. Nam ratio ab ipſo ſubiuncta, quod voluntatem ſuam ſeruus voluntati domini ſubiecerit, adeoque quicquid hic fecerit illo volente fiat; volenti autem iniuria non fiat; hoc tantum efficit, non poſſe queri ſeruum, qualiscunque opera, modo intra ipſius vires ea ſit, a domino ſibi iniungatur, licet forte eadem ipſi ad palatum non ſit. Quemadmodum ciuis non poteſt queri, ſi rex abſolutus ex ſuo iudicio Rempublicam gerat, vtut ciui iſta adminiſtratio diſpliceat. Non hactenus duntaxat illam voluntatis ſubiectionem valere alibi oſtendemus. De caetero quis neget, ſeruo iniuriam fieri, ſi ab ipſo exigatur opera vires excedens, ſi citra cauſam, aut quia impoſſibilia non praeſtitit, verberibus in eum ſaeuiatur, ſi victus denegetur. THEANO Ep. 3. [in Opuſc. Mythol. Phyſ. & Ethyc. Amſtelod. 1688. p. 746. 747.] *ad* δικαίαν χρῆσιν, *iuſtum vſum* ſeruorum requirit, ἵνα μήτε διὰ τὸν κόπον κάμνωσι, μήτε ἀδυνατῶσι διὰ τὴν ἔνδειαν. *Ne propter laborem deficiant ne propter indigentiam viribus frangantur.* Quo loco notanda Iudaeorum dira inhumanitas, qua credebant, ſe veſtitum victumque minime cogi praeſtare ſeruo e gentilibus; tametſi operas omnigena ſaeuitia exigere nefas non haberetur, teſte SELDENO L. VI. c. 8. Forte quia ipſi paria in Aegypto tolerauerant. Exod. V, 13. 14.

N 2 Nam

quens Romanorum: *Ipſi per fortunam in omnia obnoxii, tanquam ſecundum genus hominum ſunt.* H.

3) *Ancilla fugitiua, quemadmodum ſui furtum facere intelligitur, ita partum quoque contrectando, furtiuum facit.*

§. VIII. 1) Conf. infra L. VII. c. 8. §. 2. & ſequ. Idem de ſeruis iam olim pronunciauit ARISTOTELES, probationis loco adferens, Οὐκ εἶναι ἀδικίαν πρὸς τὰ αὑτοῦ ἁπλῶς. H.

Nam illud Leuit. XXV, 43. ad ſeruos ex Ebraeis tantum pertinere tradebant. Benigniores heic leges Romanae. Vid. *L. 1. §. 2. L. 2. D. de His, qui ſui, vel al. iur. ſunt. L. 1. §. 3. C. de Latin. lib. toll.* [2] Quo ſpectat, quod Cato apud PLVTARCHVM in eius Vita [pag. 339. A. 349. A. Edit. Wech. T. I.] dicere ſolebat: *Αἴσχιστον διὰ γαστέρα πρὸς οἰκέτας ζυγομαχεῖν, foediſſimum eſſe cum ſeruis ventris cauſa rixari.* Etſi alias idem ſatis duriter ſeruos, vbi conſenuiſſent, venundandos putabat, nec alendos inutiles. Id quod recte PLVTARCHVS dicto loco reprehendit, quod *beneficentia nonnunquam porrigatur & ad bruta animalia.* PLAVTVS Menaech. [Act. 1. ſcen. 1. verſ. 11. & ſeqq.] *Quem ſeruum tu aſſeruare recte, ne aufugiat, voles, eſca atque potione vinciri decet. Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.* Contra perſtringitur IVVENALI Sat. 14. [v. 126.] herus, qui *Seruorum ventres modio caſtigat iniquo.* Commendandum quoque decretum Claudii apud SVETONIVM cap. 25. *Cum quidam aegra & affecta mancipia in inſulam Aeſculapii taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini, ſi conualuiſſent: quod ſi quis necare quem mallet, quam exponere, caedis crimine teneri.* Idem narrat DIO CASSIVS [3] L. LX. Recte quoque ARISTOTELES Nicom. VIII. c. 13. *Erga ſeruum, qua homo eſt, amicitia eſt.* Δοκεῖ γὰρ εἶναί τι δίκαιον παντὶ ἀνθρώπῳ πρὸς πάντα τὸν δυνάμενον κοινωνῆσαι νόμου καὶ συνθήκης καὶ φιλίας δή, καθ' ὅσον ἄνθρωπος. *Quippe cum vnicuique homini ius quoddam eſſe videatur erga vnumquemque, qui cum ipſo legis ac foederis eſſe particeps poteſt, & amicitia igitur erit, quatenus homo eſt.* Add. IDEM Oeconom. L. I. c. 5. SENECA de Ira L. III. c. 4. & de Clementia L. I. c. 18. & Epiſtola 47. ARRIANI Epictetus L. I. c. 13. STOBAEVS Serm. LXII. [4] Caeterum vti alia iura patrumfamilias per leges ciuiles temperata aut reſtricta ſunt; ita & huic poteſtati herili contigit, quae alibi magis, alibi minus circumſcripta deprehenditur [5]. Verum vbi illa abſoluta & illimitata remanſit, a lege ciuili non conſtituta, ſed praeterita debet intelligi, & relicta, prout a patribusfamilias extra ciuitates potuit exerceri. Quanquam in quibusdam ciuitatibus

2) Addi poteſt Trimalchionis dictum apud PETRONIVM c. 71. Ed. Burm. *Amici*, inquit, *& ſerui homines ſunt, & aeque vnum lactem biberunt, etiamſi illos malus foetus oppreſſerit*, ad quem locum videantur interpretes. Ceterum recte AVCTOR de Offic. Hom. & ciu. L. II. c. 4. §. 5. monet, Vbi ſeruum alienare placeat, cauendum eſſe, ne iis data opera, aut praeter meritum addicatur, qui inhumaniter eum ſint habituri. Adiicimus, legem apud Graecos fuiſſe, qua ſerui, qui iuſto durius a dominis haberentur, petere poterant, vt hero mitiori venderentur. Vid. PLVTARCHVS de Superſtit. pag. 66. T. II. Ed. Wech. & POLLVX L. VII. §. 13. Ed. Amſt. Idem fere Antoninus Pius cauit in *L. 2. D. de His qui ſui vel al. iuris ſunt.*

3) Hinc MODESTINVS L. II. D. Qui ſine manumiſſ. ad libertat. peruen. *Seruo, quem pro derelicto dominus ob grauem infirmitatem habuit, ex edicto Diui Claudii competit libertas.* Conf. *L. 2. C. Theodoſ. de Expoſitis. Nouell. Iuſtiniani 153.* H.

4) Hecuba apud EVRIPIDEM in eius nominis tragoedia:

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς δ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.
Lex enim inter vos & liberis aequa
Et ſeruis de ſanguine poſita eſt.

Senex apud eundem in Ione:

Ἓν γάρ τι τοῖς δούλοισιν αἰσχύνην φέρει
Τοὔνομα· τὰ δ' ἄλλα πάντα τῶν ἐλευθέρων
Οὐδεὶς κακίων δοῦλος, ὅστις ἐσθλὸς ᾖ.
Solum enim adfert ſeruis dedecus
Nomen: caeteris enim omnibus in rebus, *liberis*
Nullus

tibus leges dominorum ſaeuitiam in ſeruos foueant, ac duriora in ipſos ſtatuant, quam ius naturae etiam abſoluto imperio tribuit. Quo ſpectat mos Romanorum [6], ex quo *familiam omnem, quae ſub eodem tecto manſitauerat, ad ſupplicium agi oportebat*, interfecto domino. Quem C. Caſſius quidem argumentis quibuſdam ab vtili petitis defendere fatagit, apud TACITVM Ann. XIV. [c. 45.] Eum poſt aliquantulum mitigauit Hadrianus apud Spartianum, [in Hadriano c. 18.] vt non de omnibus ſeruis quaeſtio haberetur, ſi dominus in domo interemtus eſſet, ſed *de his, qui per vicinitatem poterant ſentire.* Add. *tit. D. de SCto Silaniano.* Conf. tamen 1 Samuel. XXVI, 16. Scythas quoque ſeruis ſuis oculos eruiſſe, memorat HERODOTVS Melpomene in principio.

§. IX. CIRCA prolem ex ſeruis natam diſquiritur, tum an illa neceſſario matrem ſequatur, tum an aequum ſit & ipſam ſeruitio premi. De priore Romanae leges ſciſcunt, vt & in brutis, & in ſeruilis conditionis hominibus partus ventrem ſequatur *L. 24. D. de Statu hominum.* [1] Id quod GROTIVS L. II. c. 5. §. 29. iuri naturali non ſatis congruere iudicat, vbi pater aliqua ſufficienti ratione queat cognoſci. Nam cum in brutis quibuſdam animantibus patres non minus quam matres foetuum curam gerant, hoc ipſo oſtendi, foetum vtriusque eſſe communem; adeoque ſi lex ciuilis hac in parte tacuiſſet, partum non minus patrem quam matrem ſecuturum. Vid. Edictum Regis THEODORICI *c. 67.* Enimuero nobis ſecus videtur. Nam ſupra oſtenſum fuit [2], originarie prolem ad matrem pertinere, ſed patrem ſibi ex pacto matrimoniali ius in prolem quaerere. Verum cum ſerui, & quaecunque ex illis proueniunt, ad dominos ipſorum ſpectent, proles ſeruilis in eorundem erit poteſtate; poſtquam ſeruitus eo vsque extenſa fuit, vt non operae tantum, ſed & ipſum corpus ſerui ad dominum pertinere intelligeretur. Add. GROTIVS ad Exod. XXI, 4. vbi oſtendit, etiam ſeruiles nuptias ex arbitrio domini ſolutas. Quo facit etiam illud XENOPHONTIS Oeconom. [c. 9. §. 5. Edit. Oxon.] vbi inter praecepta oeconomica refertur,

Nullus ſeruus eſt deterior, qui bonus fuerit.
Philemon apud STOBAEVM d. l.

Κἂν δοῦλος ἦν τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
Ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Here, quisquis eſt homo natus, quamuis ſeruiat
Is ſeruitutem, tamen eſſe homo non deſinit.

SENECA III. de Benef 20. dixit: in ſeruis partem, quae non ſeruiat, meliorem exceptam eſſe, mentem ſcil. ſiue rationem, cuius compotes eſſe ſeruos, ipſe ARISTOTELES aſſeruit. I. Pol. 8. circa finem. H.

5) Apud multos populos optimis legibus vtentes ius ſummum in ſeruos valuiſſe, auctor eſt DIO PRVSAEVS Orat. 15. Adde de Perſis AMMIAN. MARCELLIN. L. XXIII. c. 6. p. 296. Lex Athenienſium e contrario vlciſcebatur iniuriam factam ſeruis, cuius legis praeter Demoſthenem meminere XENOPHON Lib. de Rep. Athenienſium & ATHENAEVS L. VI. Δειπνοσοφ. A Parthis *ſeruos pari ac liberos ſuos cura haberi*, auctor eſt IVSTINVS L. XLI. c. 2. Apud Siamenſes omnia domino in ſeruum licent, modo ne eum occidat. LOVBERIVS Deſcript. regni Siamenſ. Part. 30. c. 1. §. 1. Tyrannos ſeruis ſe indulgentes praebere, inter praecepta tyrannica ponit ARISTOTELES V. Pol. 11. Vid. Elem. Pr. ciuil. Part. II. ſect. 23. §. 16. H.

6) Add. Diſſert. de Herede occiſi vindice ſect. 2. H.

§. IX. 1) *Partum Ancillae Matris ſequi conditionem, nec ſtatum Patris, in hac ſpecie conſiderari, explorati iuris eſt*, L. 7. D. de Rei vindicatione. L. 42. D. de Liber. cauſſa & quantum ad beſtias L. IV. c. 7. §. 4.

2) L. IV. c. 7. §. 4. H.

tur, ne ſerui iniuſſu domini liberos procreent; addita ratione: *Nam boni ex eo plerumque fideliores atque amantiores fiunt; improbi vero cum vxore coniuncti proniores ad dolum euadunt.* Quare autem potior heic ſit dominus ancillae, quam dominus ſerui genitoris, non haec ſola ratio eſt, quod connubia ſeruorum non ſatis certa cuſtodia eſſent circumſcripta. Vid. PLAVTVS Caſina. Sed etiam, quia corpus ancillae ad dominum pertinet, quod per impraegnationem ad operas obeundas redditur aliquandiu inhabile; ſerui non item. Cui & illa ratio fauet, quod implantata ſolo cedant [3]. Quod ſi autem ipſe dominus ex ancilla prolem ferat, illa talis erit, qualem ipſe dominus, aut leges ciuitatis volent. Sicut & ex his potiſſimum erit ſtatuendum, quid de tali prole ſit futurum, quam ſerua mater concepit, libera in lucem edidit, aut vice verſa. Etſi humanitas ſemper libertati prolis faueat [4]. PLATO de LL. L. XI. [pag. 975. A.] ſuper prole ſeruili ita diſponit: *Serua ſi ſeruo, aut libero, aut liberto coniuncta peperit, ſeruae domino natus detur; ſin ex ſeruo libera peperit, ſerui dominus nati ſimiliter dominus eſto. Quod ſi quispiam ex ſerua ſua natum ſuſceperit, aut quaepiam ex ſeruo peperit proprio, idque pateat, natum quidem ex ſerua & libero mulieres in aliam regionem cum patre ſimul emittant. Natum vero ex libera & ſeruo legum cuſtodes vna cum matre extra fines expellant.* Caeterum ipſi proli, quae ex ſeruili ventre naſcitur, iniuriam non facit dominus, ſi & ipſam ſeruili eſſe conditione velit [5]. Nam cum ipſius parens nihil haberet proprii, nulla ratio eandem alendi ſupererat, niſi ex bonis herilibus. Cum autem dominus eiusmodi proli alimenta, & quae alia ad vitam ſunt neceſſaria, cogatur praebere diu ante, quam ipſius opera vtilis eſſe queat, & ſequentes operae ſui temporis alimenta, ſaltem initio, non multum excedant; effugere eidem ſeruitutem inuito domino non licebit. Idque non ſolum, quatenus adhuc in aere velut domini eſſe intelligitur; ſed & quia ea conditione alendam dominus ſuſceperat, vt perpetuo ſeruiret; in quam conditionem ipſa tacite praeſumitur conſenſiſſe: cum praeſertim illa plane naſcitura non fuerat, ſi licentia ſua dominus vti voluiſſet, occiſis iure belli parentibus. Libertas autem naturaliter omnibus

3) Vid. ſupra L. IV. c. 7. §. 5.

4) Aequiſſima hic eſt Iuris Romani diſpoſitio. *Sufficit autem liberam fuiſſe Matrem eo tempore, quo naſcitur, licet ancilla conceperit. Et e contrario, ſi libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit, eum, qui naſcitur, liberum naſci: quia non debet calamitas Matris ei nocere, qui in ventre eſt. Ex his illud quaeſitum eſt, ſi ancilla praegnans manumiſſa ſit, deinde ancilla poſtea facta peperit, liberum an ſeruum pariat?* Et Martianus *probat, liberum naſci: ſufficit enim ei, qui in vtero eſt, liberam Matrem vel medio tempore habuiſſe, vt liber naſcatur. Quod & verum eſt.* princ. Inſt. de Ingen.

5) BVDDEO in Philoſ. Pract. P. II. c. 4. ſect. 12. §. 5. & c. 5. ſect. 6. §. 12. haec ſententia iniuſta videtur. Putat enim, liberos, qui ex matribus ancillis naſcuntur, officio ſuo omni erga Dominum defungi, ſi grati fuerint. Sed fortiores videntur rationes GROTII & PVFENDORFII, quam eae, quibus ipſe vtitur, inprimis ſi temperamentum adhibeatur, quod AVCTOR addit de Offic. Hom. & ciu. L. II. c. 4. §. 6. *Manifeſtum tamen eſt, cum eiusmodi vernae, nulla ſua culpa, in ſeruitutem perueniant, nullum eſſe praetextum, quare iſti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.*

6) Idem ſtatuit CAROLVS CALVVS Capitul. tit. 36. ſiue in Edicto Piſtenſi cap. 34. in fine, & LOTHARIVS Imperat. LL. LONGOBARD. L. II. tit. 24. c. 3. Apud Siamenſes propter debitum ſeruituti addictus, exſoluto eo, fit liber: at liberi interea nati ſeruituti manent obnoxii.

Digitized by Google

bus hominibus competere intelligitur, quatenus nullum factum noſtrum aut alienum anteceſſit, quod inaequales nos alteri reddere idoneum ſit. Atque haec quidem de prole eorum, qui occaſione belli in ſeruitutem redacti ſunt, ſatis manifeſta videntur. Circa eos, qui vltro ſeſe alteri in ſeruitutem addicunt, vbi lex aut pactum expreſſum non extat, aequitas & fauor libertatis ſuadere videtur, vt prolis deinceps naſciturae alimenta ſub alimentis parentum, quae a domino debentur, contineri intelligantur, eoque nomine proles ſeruituti non ſit obnoxia [6]. Conf. BOECLERVS ad Grot. dictum locum.

§. X. VIDENDVM porro eſt, quidnam incommodi in ſeſe contineat ſeruitus, qua apud pleroſque nihil miſerius habetur, & quae etiam morte ſit effugienda. SADI Roſarium Perſicum c. 1. *Proprio pane veſci & ſedere melius eſt, quam aureo cingulo accinctum ſeruitio adſtare.* Habet igitur ſeruitus perſonalis hoc, vt quis perpetuas operas debeat pro alimentis & aliis, quae vitae neceſſitas exigit. Id quod ſi accipiatur, in terminis naturalibus, citra quorundam dominorum inhumanam ſaeuitiam aut legum ciuilium rigorem, nihil habet in ſe nimiae acerbitatis [1]. Nam perpetua illa obligatio compenſatur perpetua alimentorum certitudine [2], quam ſaepe non habent, qui diurnas operas locant, defectu conductorum, aut ipſorum ſocordia non niſi fuſtibus expellenda. Vid. ARRIANVS in Epicteto L. III. c. 26. p. m. 257. LVCANVS L. III. *Non ſibi, ſed domino grauis eſt, quae ſeruit egeſtas.* Add. GROTIVS L. II. c. 5. §. 27. Nec abſurde quidam iudicant, ſublatam apud pleroſque Chriſtianorum ſeruitutem inter cauſas eſſe, quare tanta colluuies furum vagabundorum, & validorum mendicorum paſſim occurrat [3]. Cui tamen malo quaedam ciuitates obuiam iuere, extructis publice ergaſtulis, in quibus ignauis nebulonibus laborandi neceſſitas afferretur. Add. BODINVS de Rep. L. I. c. 4. & BVSBEQVIVS Epiſt. 3. p. m. 118. HOBBES de Ciue c. 9. §. 9. circa diſcrimina ſeruitutis & libertatis ita philoſophatur: Libertas, inquit, nihil eſt

noxii. LOVBERIVS Deſcript. regni Siamenſ. Part. III. c. 1. §. 3. H.

§. X. 1) Nec Religioni Chriſtianae aduerſatur, quicquid Bartolus, Salicetus & alii dicant. Etenim Paulus Apoſtolus nuſquam ſuadet dominis, vt dominium in ſeruos abiiciant, in quo dominio poteſtas immenſa comprehendebatur, vt ex iure Romano diſcimus. Neque Philemoni controuerſiam mouit, quo minus ius habeat Oneſimum puniendi, ſed ex rationibus ſpecialibus vult ei poenam condonari, vt recte obſeruauit H. GROTIVS Appendic. epiſtol. 546. IGNATIVS, Ioanni Apoſtolo ſuppar, epiſtola ſecunda, quae eſt ad Polycarpum, Eccleſiae Smyrnenſis Epiſcopum, ex Editione Th. Ittigii: *Δούλους καὶ δούλας μὴ ὑπερηφάνει, ἀλλὰ μηδὲ αὐτοὶ φυσιούσθωσαν, ἀλλ' εἰς δόξαν Θεοῦ πλέον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας ἀπὸ Θεοῦ τύχωσιν. Μὴ ἐράτωσαν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ἐλευθεροῦσθαι, ἵνα μὴ δοῦλοι εὑρεθῶσιν τῆς ἐπιθυμίας. Servos & ancillas ne ſuperbe contemnas; ſed nec ipſi inflentur; Verum ad gloriam Dei plus ſeruiant, vt potiorem libertatem a Deo conſequantur. Non cupiant a Communi donari libertate, ne ſerui inueniantur cupiditatis.* Conf. ad Coloſſenſ. III, 22. ſequ. ad Epheſ. VI, 5. ſequ. 1 ad Timoth. VI, 1. ſequ. 1 Petr. II, 18. H.

2) Et qui ita ſeruiunt, vindices habent dominos, alioqui potentiorum iniuriis obnoxii futuri. H.

3) Homines tamen proprii vtique hodie ſerui ſunt, neque mitiori conditione vtuntur, quam ſerui Romani. Vid. POTGIESSER de Statu & Condit. ſeru. & THOMASII & HERTII Diſſertationes de Hominibus propriis.

eſt aliud, quam abſentia impedimentorum motus. Quae impedimenta ſunt vel naturalia & externa, vel moralia ſiue arbitraria. Secundum illa eſt cuique libertas maior aut minor, prout plus vel minus ſpatii eſt, in quo verſatur; vt maiorem habeat libertatem, qui in amplo carcere, quam qui in anguſto cuſtoditur. Sic poteſt eſſe homo liber verſus vnam partem, nec tamen verſus alteram; vt qui iter faciens ſepibus & maceriis hinc & inde coërcetur, ne vineas & ſegetes vicinas conterat. Iſthaec libertatis ſpecies corporalis & phyſica dici poteſt; quo ſenſu omnes *ſerui* & *ſubditi* liberi ſunt, qui non ſunt vincti, vel incarcerati. Impedimenta porro moralia abſolute motum non impediunt, ſed per accidens, nempe per electionem noſtram, quatenus melius iudicamus motu abſtinere, quam eundem exercere. Sic qui in naui eſt, non impeditur, quin ſeſe in mare praecipitare poſſit, modo velle poſſit. Sed ſi ſapit, melius iudicabit in naui manere, quam in vndis ſuffocari. Sic quantaecunque poenae ſint propoſitae, poterit tamen contra fieri ab eo, qui iſtud periculum ſubire non formidat. Atque haec eſt voluntatis libertas intrinſeca, ab eadem ſeparari neſcia, qua aeque ſerui, atque quiuis alii ſubditi gaudent. Ergo alibi iſtud diſcrimen eſt quaerendum. Ac primo quidem, licet vix vllus dominus ſit tam durus, qui ſeruum prohibeat, quo minus faciat, quae ad vitam & ſanitatem tuendam ſunt neceſſaria, circa quae praecipue curae humanae occupantur: fere tamen liberis heic conceditur mollius & copioſius ſibi conſulere, quam ſeruis, quorum valetudinem aſperior victus, & intempeſtiui labores quandoque non parum affligunt. Quo ſpectat & illud CICERONIS de Oratore [L. II. c. 6.] *Mihi liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit.* Deinde liberi homines prae ſeruis hoc habent eximium, quod illi miniſteria ciuitatis, aut familiae obeant honoratiora, & plus poſſideant rerum ſuperfluarum. Quorum vtrumque indoli hominum erectioris ingenii adprime conuenit. Nam laboris moleſtiam eiusdem nobilitas ſolatur; & rebus affluere dulce habetur, vel quia in futurum nobis prouiſum videtur, vel ad mollius inſtruendam vitam, vel vt materiam habeamus de multis bene merendi. Quod autem maximum eſt, liberi ſoli ciuitati, legibuſque generalibus parere debent, nec poenam, niſi quae in illis definitur, metuunt: ac de caetero voluntati ſuae obtemperare in dulciſſimis habent. Serui autem & conciui ſeruiunt, eiusque iuſſis peculiaribus, poenaeque, & coërcitioni priuatae ſunt obnoxii, eiusdemque moroſitatem ferre coguntur; quae eo moleſtior eſt, quo frequentius & propius ſeruis cum domino verſandum. Id quod eo durius eſt, quia raro leges publicae ſeruis contra dominos ſubſidium ferunt, niſi vbi ad immanem ſaeuitiam horum aſperitas proruperit. Quae tenerrimas quaſque animas maxime afficiunt. Quanquam plurimum referat, cui quis ſeruiat. Apud TERENTIVM Eunucho [Act. 3. ſc. 2. v. 33.] ex ſeruo coniectura fit, dominum eſſe pauperem & miſerum:

4) Apud AESCHYLVM Agamemnone eſt:
Ἑκὼν γὰρ οὐδεὶς δουλίῳ χρῆται ζυγῷ.
Seruile nemo nam volens patitur iugum.

IVLIVS CAESAR L. III. de Bell. Gall. ait: *Omnes homines natura libertati ſtudere & conditionem ſeruitutis odiſſe.* H.

rum: contra *maxima quaeque domus ſeruis eſt plena ſuperbis.* IVVENALIS Sat. V. [verſ. 66.] Addi quoque poteſt, ſeruitutis moleſtiam non parum exaſperari, per ſuperbiam humani ingenii, quo nemo non dignum ſe imperio putat; eoque cum ſeruus aeque aut magis aptum ſe ad imperandum, quam herum, putet, a fortuna iniuriam ſibi fieri iudicat, & conditionem ſuam quauis ratione mutare cupit [4]. Apud XENOPHONTEM Cyropaed. L. IIX. [c. 1. §. 1.] Chryſantas tale diſcrimen libertatis & ſeruitutis tradere videtur: *Quemadmodum ipſi dignum eſſe exiſtimatis veſtris ſubditis imperare; ita etiam nos pareamus, quibus decet. Tantum autem inter nos decet, ſeruoſque intereſſe, quantum ſerui ipſi inuiti heic miniſtrant. Nos autem vltro optima quaeque facere conuenit.* Huc pertinet quoque DIONIS CHRYSOSTOMI Orat. XIV. de Seruitute.

§. XI. LIBERATVR ſeruus variis modis: I. Si dominus eum libertate donauerit. Nam quod ius in ſe ſeruus in dominum tranſtulit, idem poteſt dominus ſeruo reddere. Etſi in multis ciuitatibus receptum [1], vt manumiſſus manumittenti reuerentiam praeſtet. Vid. Lex WISIGOTHORVM L. V. Tit. 6. c. 17. & 21. Quod ſi tamen dominus ſuperiorem habuerit, ſeruo non aliter libertatem dare poteſt, quam ſaluo ſemper iſtius ſuperioris iure, legibuſque ciuilibus ſuper manumiſſione conſtitutis. II. Si dominus a ſe ſeruum abigat; id quod in ciuitate exilium habetur. Neque differt a manumiſſione quoad effectum, ſed tantum quoad modum. Vtrinque enim poteſtati herili renunciatur, ſed libertas heic in poenam, illic in gratiam conceditur. Eſſe autem poenam, commodum & locupletem dominum amittere, etiam miniſtri liberi intelligunt. III. Seruus ſi captus ſit, ſeruitutem veterem noua abolet; idque ſiue ipſe ſolus, ſiue dominus cum ipſo fuerit captus. Sed ſi ſolus dominus fuerit captus, ſeruus in eum recidit ſtatum, quo futurus erat, ſi dominus naturali morte obiiſſet, ſaltem quouſque dominus priori libertati poſtliminio fuerit reſtitutus. IV. Liberatur ſeruus ignoratione ſucceſſoris; puta, ſi dominus moriatur, nec ius ſuum in alium tranſtulerit, quia nulla ipſi aduerſus quemuis ad ſeruiendum obligatio ſupereſt. Nemo enim obligari intelligitur, niſi ſcire poſſit, cui praeſtandum ſit, quod debetur. An vero in ciuitate quoque pro libero ac ciue talis ſe poſſit gerere, ex legibus ciuilibus erit iudicandum. Sicut aliqui referunt, apud Turcas manumiſſionem ſeruorum prodeſſe duntaxat contra veterem dominum, non autem contra alios, abs quibus iſte manumiſſus denuo in ſeruitium abſtrahi queat. Porro contingit iſtud, vt ſeruus ignoratione ſucceſſoris liberetur, ſi nullus domino haeres extiterit, naturaliter aut ciuiliter mortuo. Non enim, quemadmodum bona reliqua pro derelictis habita cedunt occupanti; ita eiuſmodi quoque ſeruus quaſi pro derelicto habitus, abs quouis in ſeruitutem poteſt abſtrahi.

§. XI. 1) Singulare erat apud Parthos, nulli manumittendi ſerui poteſtatem fuiſſe permiſſam. IVSTINVS L. XLI. c. 2. H.

ſtrahi [2]. Nam caeterae res nullo muniuntur iure, quo minus quiuis eas ſibi poſſit vindicare, niſi iam alteri in eaſdem ius fuerit quaeſitum. In hominem autem nullum ſibi ius aſſerere quis poteſt, niſi quantum ex ipſius conſenſu, aut antegreſſo facto, quod ipſum ſpectat, oriatur. Extincto itaque illo iure, quod victor ex bello peculiariter in ſeruum quaeſierat, redit naturalis libertas, etiamſi fors ingenio ipſius ſeruitium magis congruat. Inclinatio enim & aptitudo ingenii in ſe nemini ius dat, inuitum in ſeruitutem rapiendi; nec quod alteri fors vtile eſt, id ſtatim mihi licet per vim ipſi imponere. V. Vbi ſeruus non ex praecedente delicto, neque per modum poenae [3] in vincula conlicitur, aut quouis modo libertate corporali priuatur, obligatione illa ex pacto nata liberatur, qua ipſum dominus adſtringere amplius nolle cenſetur, dum phyſica eidem vincula iniicit. Neque enim exſiſtit pactum, niſi vbi paciſcenti creditur; neque violari poteſt fides, quae non eſt habita [4]. Inde eiuſmodi ſeruo aufugere nefas non erit.

2) Secus apud Romanos. Hi enim derelictionem inter modos, quibus quis liber fieret, non habebant. V. *L. vlt. D. pro Derelicto. L. vlt. D. de Stipulat. ſeruor.* H.

3) Quae reſtrictio probe notanda eſt. Inſeruit enim emendandae ſententiae Hobbeſii, ſi modo hic in ea opinione fuit, quam ipſi tribuit Richardus CVMBERLAND de Legib. Naturae c. 9. §. 14. Vid. Lib. III. c. 6. §. 9. & c. 7. §. 5. Totum autem §. huncce AVCTOR ex Hobbeſio deſcripſit.

4) V. ſupra §. 6. Velim tamen hoc cum grano ſalis accipi: nam in pactis rectoriis, ob malam tractationem fidei vinculum non ſtatim ſoluitur. V. infra L. VII. c. 2. §. 10. H.

SAMVE-

SAMVELIS PVFENDORFII

DE

IVRE NATVRAE

ET

GENTIVM

LIBER SEPTIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE CAVSA IMPVLSIVA CONSTITVENDAE CIVITATIS.

I. *Ingreſſus.*
II. *Homo natura magis amat ſe, quam ſocietatem.*
III. *Ex adpetitu tamen ſocietatis non ſtatim ſequitur adpetitus ciuitatis.*
IV. *In homine multa ſunt vitia, ciuilem ſocietatem perturbantia.*
V. *An ciuitas per conſecutionem naturalem producta?*
VI. *An indigentia fuerit cauſa conſtitutae ciuitatis?*
VII. *Genuina ciuitatis conſtituendae cauſa.*
VIII. *Sola legis naturae reuerentia pacem generis humani non continet.*
IX. *Neque ſoli arbitri; neque pacta.*
X. *Diſcrepantia iudiciorum pacem generis humani turbat.*
XI. *Coërcendis hominibus acriori fraeno quam ſola lege naturali opus eſt.*

POST ſocietates, quas vocant primas agendum iam de ciuitate [1], quae perfectiſſima habetur ſocietas [2], & qua incolumitas humani generis poſt ipſius multiplicationem maxime continetur. Hanc quare inſtituerint homines, antea per familias ſegreges diſperſi, manifeſte adparebit, ſi & indolem ſocietatis ciuilis, humanique inclinationes ingenii paulo curatius perueſtigauerimus. Ad

quod

§. I. 1) Quae pars diſciplinae huius nobiliſſima, quippe τὸ δίκαιον πολιτικόν, vt ARISTOTELES V. Eth. 10. vocat, complexa, ius publicum vniuerſale conſtituit nuncupari. Nam fruſtra vtique ſunt, qui id negant. H.

2) Siue vt CICERO I. Officior. loquitur, *ſocietatum omnium princeps eſt ſocietas ciuilis.* Conf. ARISTOTELES I. Pol. 1. Quod verum eſt, cum intuitu ſtatus naturalis, cuius mala ciuitas tollit aut corrigit; tum quia omnes aliae ſocietates (ſi magnam illam mundi ciuitatem ſiue ſocietatem humani generis excipias) ſocietati ciuili ſubiectae conſpiciuntur; & quia nulla eſt actio hominis externa, quae non ad hanc ſocietatem vel per ſe ſpectet, vel ex circumſtantiis ſpectare poſſit. Vt ait GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 5. §. 23. H.

quod illuſtrandum non parum proderit excuſſiſſe, quae vulgo ſuper hac re traduntur.

§. II. Plerique igitur ad naturam hominis heic confugiunt, quae ita ad ſocietatem ciuilem rapiatur, vt citra eam nec velit, nec poſſit viuere. Cui fini allegantur argumenta illa, quae ſupra pro ſociali hominis natura L. II. c. 4. adducta ſunt [1]; deſumta potiſſimum a ſolitariae vitae miſeriis, a taedio ſolitudinis, a ſermone, qui citra ſocietatem homini fruſtra datus eſſet, ab appetitu conuerſandi cum hominibus, ab vtilitate ex coniunctione cum aliis reſultante, & ſi quae ſunt alia. Exaduerſum Hobbes de Ciue c. 1. oſtendere conatur, reuera hominem eſſe animal, quod ſeipſum, ſuamque vtilitatem quam maxime & principaliter amat; (Isaevs Orat. 2. *Οὐδεὶς ἄλλους περὶ πλείονος ἑαυτοῦ ποιεῖται. Nemo pluris facit alios, quam ſeipſum.* Evripides Medea [2]. [v. 85. 86.] *Τίς δ' οὐχὶ θνητῶν ἄρτι γινώσκει τόδε· Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ; Quis vero mortalium iam non nouit hoc, Quod quisque ſeipſum magis quam proximum amet?* Isocrates de Pace: [p. 285. Edit. Pariſ.] *Ἐμοὶ δοκοῦσιν ἅπαντες μὲν ἐπιθυμεῖν τοῦ συμφέροντος, καὶ τοῦ πλέον ἔχειν τῶν ἄλλων. Mea ſententia vniuerſi mortales vtilitatis ſuae ſtudioſi ſunt, & in eo elaborant, vt plus poſſint aliis:*) ſocietatem autem & alios ſecundario duntaxat, & quatenus in ipſum aliqua inde voluptas aut vtilitas redundare poteſt. Idque inde oſtendit [3], quod vt quis alterius ſocietatem affectet, non ſufficiat id ſolum, quod homo ſit; ſed quod apud hunc potius quam alterum honorem aut vtilitatem obtenturum ſeſe ſperet. Idemque inductione a ſingulis ſocietatibus petita illuſtrat. Qui commerciorum cauſa coëunt, lucrum ſuum ſpectant, quod adſumtis ſociis melius ſeſe obtenturos ſperant, quam ſi ſeorſim ſua negotia gererent. Ea ſpes ſi ipſos deceperit, vecordes habebuntur, ni damnoſae ſocietati quantocyus renunciauerint. Illi, quos officii publici rationes iungunt, forenſem quandam amicitiam ineunt, plus mutui metus, quam amoris habentem, & cui potius exteriorum ſignorum fallax adparatus, quam ſincera animorum coniunctio adeſt. Sic vt inter tales quandoque factio, iunctis viribus in priuatum nitens commodum, vix vnquam liquida beneuolentia exſiſtat. Et qui propriis confidit opibus, de adſciſcendis ſociis parum ſolicitus eſt. Vbi hilaritatis, aut fallendi otii cauſa coitur, quisque ſibi maxime perplacet, ſi aliis aut ſibi riſum poſſit mouere. Aſt ille prouenire non ſolet, niſi oſtenſa aliorum turpitudine, aut indecentia; cum recte quis in alio ridere non poſſit, quod in ſeipſo deprehendit. Iuxta illud Ivvenalis Sat. 2. [v. 23.] *Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.* Igitur qui alios rident, non poſſunt non eosdem prae ſe deſpicere, & ex comparatione alienae ſtoliditatis gloriolam ſibi quaerere. Et quanquam riſus interdum captetur

citra

§. II. 1) Quamuis cauſſa Ciuitatum *immediata* in amore Socialitatis quaerenda non ſit, vt adparet ex iis, quae Auctor dicit §. 3. & ex nota noſtra 3. ad §. 7.; certiſſimum tamen eſt, hominem Natura Societatis amore duci, id quod ab Avctore ipſo ſatis probatum fuit loco ab ipſo adducto. Cum ſummo ceterum vtilitatis & iucunditatis fructu legi poteſt liber Anglicus, in Gallicum ſermonem transſcriptus, ſub titulo: *Eſſai ſur l' uſage de la Raillerie et de l' Enjoûment dans les Converſations qui roulent ſur les matieres ſur les plus importantes.*

2) Idem Creſphonte:

Σκαιὸν γὰρ εἶναι, ὅπερ πάντες βροτοὶ,
φιλῶν μάλισθ' ἑαυτὸν οὐκ αἰσχύνομαι.

Mihi

citra offenſam, & per iocos edentulos; patet tamen heic quoque aliquem magis voluptate ſua, quam ſocietate duci. Imo qui id ex profeſſo agunt, vt alios exhilarent, hoc praecipue ſpectant, vt per feſtiui oſtentationem ingenii gratiam aut commodum aliquod aucupentur. Quin plerisque hominum eſt natura inſitus maximus pruritus aliorum dicta aut facta examinandi, iudicandi, condemnandi atque exagitandi; quem ſi vbertim exſerere queant, iucundiſſimum ſibi vitae condimentum acceſſiſſe putant. Idemque aegre per diſciplinam aut caſtigationes reprimitur, aut extinguitur. Denique ſi coëatur philoſophandi cauſa inter eruditos, qui prae caeteris ſeſe profitentur ſapere, tot volunt magiſtri haberi, quot conuenerunt; & qui ſapientiam ſuam ab aliis repudiatam videt, non modo eis non fauet, ſed & acerrime indignatur. Quo facit illud ARRIANI in Epicteto L. III. c. 2. *Quod ſi quis tibi dixerit, orta diſputatione de praeſtantiſſimo philoſopho, quendam dixiſſe, vnum illum eſſe philoſophum: animula tua, quae antea digiti longitudine erat, nunc duos cubitos excedit. Si quis autem alius dicat, Nihil agis, non eſt operae pretium illum audire; quid enim ſcit? prima principia percepit. Praeterea vero nihil tenet, ſtatim velut attonitus adſtas, palles, vociferaris. Ego ei demonſtrabo, qui vir ſim, quantus Philoſophus.* [4] Add. CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 36. n. 6. Ex quibus liquido adparet, quod congreſſus omnis ſpontaneus concilietur vel ob indigentiam, vel captandae gloriae; vnde referre ſtudent congreſſi vel commodum aliquod vel exiſtimationem & gloriam apud ſocios, vel denique voluptatem. Idem alio argumento demonſtratur, ex ipſis definitionibus *Voluntatis, Boni, Honoris & Vtilis.* Societates ab hominibus ineuntur voluntario. Vbi autem voluntas, ibi quoque eſt ipſius obiectum, nempe bonum. In quod bonum autem adpetitus ſingulorum fertur, niſi quod quisque ſibi tale eſſe iudicauerit? Nam vt maxime res aliqua naturaliter bona ſit, tamen niſi ea ad nos reſpectum habeat, fere circa illam adpetendam & aeſtimandam torpere ſolemus. Si enim vel maxime regi Perſarum bene ſit, ego tamen id mihi bonum non duco. Bonum autem ſemper comitatur aliqua iucunditas, quae vel ad animum ſolum, vel ad corpus quoque pertinet. Animi voluptas omnis vel gloria eſt, vel ad hanc vltimo refertur. Quae corpus afficiunt, commodorum nomine veniunt. Ergo omnis ſocietas, vel commodi cauſa, vel gloriae, id eſt ſui, non ſociorum cauſa contrahitur. Enimuero gloriae ſtudio nulla iniri neque multorum hominum, neque diu duratura ſocietas poteſt; propterea quod gloriatio, ſicut & honor, ſi omnibus adſit, nulli adeſt; quippe quae praecellentia, & comparatione conſtat: neque vt quis cauſam gloriandi in ſe habeat, adiumentum vllum accedit ex aliorum ſocietate; niſi quod coniungi cum hominibus notoriae virtutis, paris aut aemulae

Mihi hoc quod aliis euenit mortalibus,
Minimum, inter omnes quos amo, noceo mihi.

SOPHOCLES Oedipode in colono:

Τίς γὰρ ἐσθλὸς οὐκ αὑτῷ φίλος;
Quis bonus nequam ſibi?

Conf. ARISTOTELES I. Rhetor. n. H.

3) Ampliat & circumſcribit, explicat & ſuo cogitandi more reddit hoc loco AVCTOR, vt in aliis compluribus, effata Hobbeſii.

4) Κἂν τις ἐλθὼν εἴπῃ σοι, ὅτι λόγου γινομένου, τίς ἄριςός ἐςι τῶν φιλοσόφων, παρών τις ἔλεγεν, ὅτι εἷς φιλόσοφος ὁ δεῖνα· γέγονέ σου τὸ ψυχάριον ἀντὶ δακτυλιαίου δίπηχυ. ἂν δ' ἄλλος παρὼν εἴπῃ, οὐδὲν εἴρηκας, οὐκ ἔςιν ἄξιον, τοῦ δεῖνος ἀκροᾶσθαι· τί γὰρ οἶδε; τὰς πρώτας ἀφορμὰς ἔχει, πλέον δ' οὐδὲν· ἐξέςηκας, ὠχρίακας εὐθὺς, κέκραγας, ἐγὼ αὐτῷ δείξω τίς εἰμι, ὅτι μέγας φιλόσοφος.

Digitized by Google

lae praeſtantiae argumentum habeatur. Alias enim tanti quisque eſt, quantum ſine aliorum ope ipſe poteſt. Commoda autem huius vitae manifeſtum eſt augeri poſſe mutua ope. Longe tamen mollius & commodius foret, ſi ſolo iuſſu alios in noſtra miniſteria liceret diſponere. Prout etiam inter reliqua vitae inſtrumenta tanto gratius quodque habetur, quo plura adfert emolumenta, minorique impenſa aut labore paratur, atque conſeruatur. Vnde ſine dubio homines magis ferrentur ad imperium, quam ad ſocietatem, id eſt, mallent aliis imperare, ipſi immunes, quam in mutuam operam conſpirare; niſi metu aliquo retraherentur, ſeu niſi proſpicerent, omnia pro imperio agere volentibus malum aliquod imminere. Conſpirat ARRIANVS Epicteto L. II. c. 22. *Nullum amimal alteri ita conciliatum eſt, vt ſuae vtilitati; cui quidquid obſtare videtur, ſiue frater ſit, ſiue pater, ſiue filius, ſiue amaſius, ſiue amator; odit, auerſatur, exſecratur. Ita enim natura comparatum eſt, vt nihil perinde amet, atque vtilitatem ſuam. Haec pater, haec frater eſt, & cognatus, & patria, & Deus. Quapropter ſi quis eodem conferat vtilitatem, & ſanctitatem, & honeſtatem, & patriam, & parentes, & amicos; ſalua ſunt haec omnia. Sin alibi vtilitatem, alibi amicos, patriam, cognatos, & ipſam adeo iuſtitiam collocauit; intereunt haec omnia, praeponderante vtilitate.* Ὅπου γὰρ ἂν τὸ ἐγὼ, καὶ τὸ ἐμὸν, ἐκεῖ ἀνάγκη ῥέπειν τὸ ζῶον. *Vbi enim Ego, & Meum eſt, eo inclinare neceſſum eſt animal.* Idem ſupra dixerat: *Catellos non aliquando vidiſti abblandientes inuicem, & inter ſe colludentes, vt dicas; nihil illis eſſe amantius? Sed vt videas, quis iſte ſit amor, carnem illis obiicito; & cognoſces.* CICERO Offic. III. *Sibi vt quisque malit, quod ad vſum vitae pertineat, quam alteri adquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura* [5].

§. III. QVANQVAM autem ſupra dicto loco oſtenderimus, ex hiſce hautquidquam conſequi, hominem non eſſe animal ſociabile, aut a natura non deſtinari, vt in ſocietate ſui ſimilium viuat: poſito tamen adpetitu ſocietatis in homine, non inde ſtatim ſequitur, hominem natura ferri ad ſocietatem ciuilem. Non magis quam hoc ſequitur: homo per naturam deſiderat aliquam occupationem, ergo natura fertur ad ſtudia literarum. Quippe cum ille adpetitus per ſocietates primas, iunctaque cum aequalibus amicitia, impleri poſſit. Quo facit illud ARISTOTELIS Nicom. L. VIII. c. 14. Ἄνθρωπος τῇ φύσει συνδυαστικὸν μᾶλλον, ἢ πολιτικὸν, καὶ ὅσῳ πρότερον καὶ ἀναγκαιότερον οἰκία πόλεως, καὶ τεκνοποιΐα κοινότερον ζώοις. *Homo coniugale magis quam ciuile animal eſt, quanto prior, magisque neceſſaria eſt familia, quam ciuitas, & filiorum quoque procreatio animalibus communior.* Add. Kenelmus DIGBY de Origine mundi c. 9. §. 8. ſeqq. Caeterum, quod diximus, ita probat HOBBES dicto loco, ſocietates ciuiles non meros eſſe congreſſus, ſed foedera, quibus ineundis fides & pacta ſint neceſſaria. Horum ab

5) Confer. PARRHASIANA T. II. p. 359. 360. & ſqq.

§. III. 1) Plane vt ASPASIVS in II. Ethic. Ariſtot. obſeruauit: *Ea quoque natura eſſe, quae in nobis natura diſpoſitis ſucceſſu temporis quidem proueniunt, indigent autem, ad perfectionem vt perueniant, adminiculo externo.* H.

2) Adiecimus hanc vocem, praeeunte Cl. BARBEYRACO, eo enim in loco Ariſtotelis, quem Auctor initio §. huius excitauit, ζῶον πολιτικὸν, animal ciuile, manifeſte opponitur ζώῳ συνδυαστικῷ, ſiue

ab infantibus quidem & indoctis vim; ab iis, qui damnorum ex earum defectu ortorum ſunt inexperti, vtilitatem ignorari. Vnde fieri, vt illi, quia, quid ſit ſocietas ciuilis non intelligunt, eam inire non poſſint; hi autem, quia neſciunt, quid eadem proſit, non curent; aut ſaltem in ea ita viuant, vt eiusdem praeſtantiam non aeſtiment. Ergo omnes homines, cum ſint nati infantes, ad ſocietatem ciuilem ineptos natos eſſe; plurimos per omnem vitam tales manere: diſciplina autem, non natura, hominem ad eam ſocietatem aptum fieri. Neque vero iſthaec deſtruuntur auctoritate Ariſtotelis, qui hominem φύσει, aut πεφυκέναι dicit *ζῶον πολιτικὸν natura* aut *aptum natum animal politicum.* Nam per illam locutionem quandoque notatur, aliquid actu ineſſe rei cuipiam per naturam, circa omne antegreſſum ipſius aut alterius factum; quo ſenſu verbi gratia piſcis aptus natus eſt, vt natet, auis vt volet, quercus vt glandes ferat. Interdum autem notatur, alicui rei ineſſe aptitudinem [1] ſeu habilitatem recipiendi perfectionem quampiam per culturam & diſciplinam, quae vt ipſi inſit, natura intendit, aut ſaltem tanquam ſibi congruum & non repugnans adprobat. Quo ſenſu natura aptus eſt, verbi gratia, equus, vt greſſus ſuperbos glomeret, id quod aſino negatum; pſittacus vt garriat, ager vt frumentum, collis vt vitem ferat; ipſe homo vt ſermocinetur, vt varias artes & ſcientias addiſcat. Quo ſenſu & eundem animal politicum eſſe, mox demonſtrabimus, non obſtante, quod omnes homines naſcantur infantes; quippe cum homines adulta aetate, & rationis vſu gaudentes ſupponere ſoleamus, quando inquiritur, quid homini natura competat, aut non competat. Add. Rich. CVMBERLAND. de Leg. nat. c. 2. §. 2. Deinde circa dicta Ariſtotelis obſeruandum, ipſum [interdum [2]] voce ζώου πολιτικοῦ latius vti, pro animali ſociabili, non preſſe pro tali, quod ad ſocietatem ciuilem feratur, aut ad eandem aptum ſit. Sic IDEM Polit. III. c. 4. (6.) *Φύσει μέν ἐστιν ἄνθρωπος ζῶον πολιτικόν· διὸ καὶ μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ' ἀλλήλων βοηθείας οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν. Homo natura eſt animal ciuile. Quare etſi nihil aliorum auxilio egeret, nihilominus conuictum expeteret.* Atqui ex ὀρέξει τοῦ συζῆν, ex adpetitu conuictus non ſtatim ſequitur, hominem ferri ad ipſam ciuitatem; cum iſti adpetitui per ſocietates primas, & familiarem cum aliis conuerſationem ſatisfieri queat; quae etiam ſine ciuitate intelliguntur. Sic IDEM Polit. L. I. c. 2. hominem eſſe animal politicum demonſtrare inde vult, quod alias ſermo illi fruſtra eſſet datus. Atqui ſermonis vſus etiam alibi quam in ciuitate poteſt eſſe; & homines vtique inter ſe ſermocinati ſunt diu, antequam ciuitates inſtituerentur. Pari modo accipitur ea vox Nicom. L. I. c. 5. *Perfectum bonum eſſe ſufficiens adparet. Sufficiens autem dicimus, non ipſi ſoli, qui vitam ſolitariam agit, ſed parentibus, ſed filiis, ſed vxori, amicis denique ac ciuibus:* ἐπειδὴ φύσει πολιτικὸν ἄνθρωπος, *quandoquidem homo ciuilis natura eſt.* Atqui etiam extra ciuitatem parentes, liberi, vxores, & amici exſiſtere poſſunt [3].

§. IV.

ſiue animali, facto ad Societatem coniugalem, & idcirco generaliter dici nequit, Ariſtotelem voce ζώου πολιτικοῦ latius vti, pro animali ſociabili, non preſſe pro tali, quod ad ſocietatem ciuilem feratur.

3) Quod porro ARISTOTELES I. Pol. 2. & I. Eth. 7. ac 9. adfert: Πᾶσα πόλις φύσει ἐστίν, εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι. *Natura omnis ciuitas eſt, ſiquidem & primae ſocietates:* non bene cohaeret. Quam multa enim ſeorſim natura generauit, etiam in rebus naturalibus. quae non niſi arte & arbi-

§. IV. Clarior res fiet, ſi conſideretur, quaenam conditio ex conſtitutis ciuitatibus apud homines proueniat; quidnam requiratur, vt aliquis vere dici queat animal politicum, id eſt bonus ciuis; quid denique ſit in natura hominis huic ipſi, vt ita dicam, ciuilitati repugnans. Ciuitatem qui ſubit, naturalis libertatis iacturam facit, ac imperio ſe ſubiicit, quod praeter alia ius vitae & necis in ipſum complectitur, & cuius iuſſu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat, & omittenda, quae vehementer adpetebat; ſic vt pleraeque actiones ad bonum ſocietatis referendae ſint, quod ſaepe a bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc naturaliter fertur homo, vt nemini ſubiectus eſſe, vt omnia ſuo agere arbitrio, vt proprio commodo in omnibus velificari velit [1]. Iſtas dulciſſimas ſane inclinationes vti vinceret, graues cauſas, & neceſſitatis vim habentes adfuiſſe oportuit: adeoque hominem in ciuitates non vltroneus quaſi naturae ductus, ſed grauiorum malorum euitatio compulit. Deinde animal vere politicum, id eſt bonum ciuem illum dicimus, qui iuſſis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, idque lubenter ante priuatum bonum habet; imo qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem tale quoque publico ſit [2]; qui denique aduerſus alios ciues commodum ſeſe praebet. Arrianvs Epict. L. II. c. 10. *Quae eſt igitur ciuis profeſſio? Ne quid priuatim vtile ducat, & nulla re tanquam emancipatus deliberet: ſed ita vt manus aut pes, ſi ratione vterentur, & naturalem ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter, nec deſiderarent quidquam, niſi ratione habita vniuerſi* [3]. Quo facit mos Perſarum, apud quos ſacrificans non pro ſe ſolo priuatimque vota nuncupat, ſed communiter vniuerſis Perſis bene precatur, inprimis autem Regi. Herodotvs Clio [p. 35. in fine Ed. H. Stephani.] Aſt quam maligne maximae partis hominum ingenia ad huncce finem ſint attemperata, nemo tam imperitus eſt, quin intelligat [4]. Paucis datum eſt, omnes boni ciuis numeros explere; maxima pars metu poenae vtcunque continetur; plurimi per totam vitam praui ciues & animalia non politica manent. Quin potius nullum homine animal ferocius aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pacem ſocietatis perturbare apta, ſit procliue. Pleraque animalium brutorum ad pabulum abiecta, cuius auiditas quandoque eadem inter ſe committit. Illius ſi affatim ſit, non temere quid litigii mouebunt. Nonnulla per Venerem quoque efferantur, in quam tamen certa duntaxat anni parte ſolent incaleſcere. Et quantacunque ſit eorundem feritas, in genus tamen ſuum raro ſaeuire ſolent. *Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam; ſaeuis inter ſe conuenit vrſis, Parcit cognatis maculis fera.* Aſt vero homines non ſolum cibi potusque deſiderium [5], & Veneris ſtimuli, nullo non

anni

arbitrio ſolo humano vnum in corpus concretiere, aut compagem in vnam componuntur? Vid. infra §. 5. H.

§. IV. 1) V. ſupra ad L. VI. c. 3. §. 10. H.

2) Omittat ſcilicet ciuis bonus, neceſſe eſt, quaecunque Egregio ciuitatis Publico obſunt, quamuis ipſi priuatim vtilia ſint. Quod tamen non impedit, quin dentur Negotia, quae ciuibus ſingulis vtilia ſint, ciuitatis commoda autem nec iuuent, nec peſſumdent, quorum contemplatione vtique ſingulis integrum eſt, curare vtilitatem priuatam. Ita accipiendus Cicero de Offic. L. III. c. 27. *Poteſt autem, quod* INVTILE *Reipublicae ſit, id cuiquam Ciui vtile eſſe?*

3) *Τίς οὖν ἐπαγγελία πολίτου; Μηδὲν ἔχειν ἰδίᾳ συμφέρον, περὶ μηδενὸς βουλεύεσθαι ὡς ἀπό-*

λυτον.

anni tempore promti, inuicem collidunt; ſed & alia vitia, brutis ignota, & ſaepe ſibi inuicem aduerſa. Quae inter primum locum occupant ſuperuacuarum rerum inſatiabilis cupido, & ſaeuiſſimum malorum ambitio [6], cuius ſenſum vti ſolus homo videtur habere, ita eodem quoque tenerrimo vtitur, cum contra bruta nihil afficiat, niſi quod corpori ipſorum aliquam noxam infert. SALLVSTIVS Catilin. [c. 10.] *Pecuniae, dein imperii cupido materies omnium malorum fuere. Namque auaritia fidem, probitatem, caeteraſque bonas artes ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalium falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere: amicitias, inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo aeſtimare, magiſque vultum, quam ingenium bonum habere.* Accedit viuaciſſima iniuriarum memoria, & vindictae ardor, quod malum rarius & ſegnius inter bruta deprehenditur. Et quod miſerrimum eſt, eo furore in proprium genus ſaeuire homo gaudet, vt maxima pars malorum, quibus humana conditio viuit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur. Nec abſurde quis dixerit, per Creatoris prouidentiam ideo tam tardis incrementis hominem adoleſcere, ſecus ac bruta, quo ingenii humani ferocia & aſperitas per longas moras vtcunque frangi, & in harmoniam cum aliis diſparibus ingeniis queat temperari. Nam ſubito in plenas vires adultus homo quauis beſtia intractabilior erat futurus. Vid. Prouerb. XIII, 24. XXIII, 13. 14. Sirac. XXX, 1. ſeqq. 12. Huc etiam pertinent, quae traduntur ab HOBBESIO Leuiath. L. XI. morem omnium hominum eſſe, vt perpetuo & indeſinenter potentiam vnam poſt alteram perſequantur; non quod quis maiorem ſemper ſperet, quam qua iam fruitur, neque quod modica potentia contentus eſſe non poſſit: ſed quod potentiam & bene viuendi facultates praeſentes conſeruare non poſſit, niſi adquirendo plura; quippe quae abſumuntur, niſi ſubinde ſuppleueris. Etiam quando hoc bene ſucceſſit, cupiditas oritur alia noua, aut famae aut voluptatum nouarum. Porro diuitiarum, honorum, imperii, vel potentiae cuiuſcunque cupiditas diſponit hominem ad contentionem, inimicitias & bellum. Competitorem enim interficere, aut quocunque modo repellere competitori alteri ad obtinendum quod cupit via eſt. Accedit & hoc, quod in quouis genere brutorum inclinationum, & adpetitus fere eſt ſimilitudo; aſt inter homines quot capita, tot ſenſus, & in pleriſque magna peruicacia ſtudium ſuum extollendi. Quod vel ſolum ſufficere poteſt ad perturbandam hominum multitudinem, quae in vnum coetum eſt iungenda. EVRIPIDES Phoeniſſis v. 502. *Si omnibus idem eſſet pulcrum, egregiumque ſimul, Non eſſet ambigua diſſenſio inter homines: Nunc vero nihil ſimile, nihil aequale hominibus eſt, Praeter nomina; res vero non eſt eadem.*

Ergo

λυτον· ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἡ χεὶρ ἢ ὁ ποὺς λογισμὸν ἔχων, καὶ παρακολουθοῦντες τῇ φυσικῇ κατασκευῇ, οὐδέποτ' ἂν ἄλλως ὥρμησαν ἢ ὠρέχθησαν ἢ ἐπανενεγκόντες ἐπὶ τὸ ὅλον.

4) Accius apud CICERONEM L. III. de Officiis c. 21.

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni.

Et ab omni aetate populi fuere eo ingenio,

Nec impoſitos vnquam ceruice volenti
Ferre Duces. Vt ait Papinius. H.

5) V. ſupra L. II. c. 1. §. 6. H.

6) Praecipuae iniuriarum cauſae ARISTOTELI II. Pol. 7. Tymon apud STOBAEVM ea vocat *prima elementa*, ſiue *ϛοιχεῖα malorum omnium*. V. ſupra L. II. c. 1. §. 6. & c. 2. §. 12. H.

Digitized by Google

Ergo tantum abeſt, vt homo natura ſit animal politicum, ſeu vt ſtatim per natiuitatem ſit idoneus ad gerendas partes boni ciuis; vt potius vix longam per diſciplinam aliqui ad illud vtcunque excolantur. Huc ſpectat illud PLATONIS de LL. L. VI. [p. 864. E. Ed. Wech.] Ἄνθρωπος δὲ, ὡς φαμὲν, ἥμερον. ὅμως μὴν παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φιλεῖ. μὴ ἱκανῶς δὲ, ἢ μὴ καλῶς τραφὲν, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. *Hominem manſuetum animal eſſe dicimus. Porro ſi eum natura felici rectam quoque diſciplinam fuerit aſſecutus, in diuiniſſimum, manſuetiſſimumque animal ſolet euadere: ſi vero non ſatis aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quae in terris naſcuntur, animal redditur.* ARISTOTELES Pol. L. I. c. 2.[7]. Ὥσπερ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν. οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης, χείριστον πάντων. *Vti perfectione ſuſcepta optimum cunctorum animalium eſt homo; ita ſi alienus fiat a lege & a iudiciis, peſſimum eſt omnium animalium.* Mox eundem vocat ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, *impiiſſimum & immaniſſimum ſine virtute.* IDEM Nicom. II. c. 1. *Non parum refert, ſic ne an ſic ab adoleſcentia conſueſcat aliquis, ſed quam plurimum; imo totum in eo penitus conſiſtit.* IDEM Nicom. VII. 7. Μυριοπλάσια γὰρ ἂν ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου. *Millies plura mala homo quam beſtia perpetraret.* Add. SENECA Epiſt. CIII. POLYBIVS L. XVII. c. 13. Τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος δοκοῦν πανουργότατον εἶναι τῶν ζώων, πολὺν ἔχει λόγον τοῦ φαυλότατον ὑπάρχειν. Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ζῶα ταῖς τοῦ σώματος ἐπιθυμίαις αὐταῖς δουλεύοντα, διὰ μόνας ταύτας σφάλλεται. Τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδεδοξοποιημένον, οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀλογιστίαν ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνει. *Hominum genus cum verſutia & calliditate caetera animalia ſuperare videatur, multa tamen dici poſſunt, cur deterrimum habeatur. Nam caeterae animantes, quae ſolis corporis cupiditatibus ſeruiunt, per has duntaxat in fraudem labuntur; at humanum genus variis praeterea opinionibus inductum, non pauciora per imprudentiam peccat, quam naturae vitio.* LACTANTIVS de ira Dei c. 12. *Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi demto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere?* PLVTARCHVS Cicerone [p. 884. D. Ed. Wech.] Οὐδὲν ἀνθρώπου θηρίον ἐστὶν ἀγριώτερον, ἐξουσίαν πάθει προσλαβόντος. *Nullum animal eſt homine ſaeuius, ſi libidini licentiam habeat coniunctam.* Ne nunc addamus, quae paſſim de vitiis vulgi, quae maxima generis humani pars eſt, iactantur. Add. MORNAEVS de Veritate Rel. Chriſt. c. 16. Sic vt malitiam & fraudes hominum noſſe, eo fine, vt caueri & eludi poſſint, magna ciuilis prudentiae pars ſit. Vid. Baco de VERVLAMIO de Augm. ſcient. L. VII. c. 2. Ex hiſce igitur ſatis patet, quo demum ſenſu homo natura animal politicum dici queat, nempe non quod omnibus & ſingulis per naturam inſit aptitudo gerendi perſonam boni ciuis; ſed quod per diſciplinam ſaltem aliqua pars hominum ad illud fingi queat; & quod multiplicati generis humani ſalus & incolumitas niſi per ſocietates ciuiles ſeruari nequeat. Ad quas natura, ſui conſeruandi ſtudioſiſſima, ineundas vtique homines impellit. Sicuti & hic ſocietatis ciuilis vel praecipuus eſt fructus, vt in ea homines ad vitam ciuilem decenter agendam adſuefiant.

§. V.

7) Apud eundem eſt V. Pol. 1. Ἀγαθοὶ οὐδαμοῦ ἑκατόν. *Nuſquam centum probi.* H.

§. V. Io. Frid. Hornivs de Ciuit L. I. c. 4. §. 6. ciuitatem opus naturae vocat, quae naturali ordine ac conſecutione ſit producta. Scilicet primum par mortalium, ex quo totum genus humanum fuit propagatum, amore coniugali fuiſſe coniunctum; natos quoque cum parentibus tenerrimo affectu fuiſſe copulatos. Inde familiam ortam; quae multitudine ſobolis abundans, & quotidianis auctibus creſcens, nouas colonias deduxerit, donec ciuitati ſufficeret. Idque omne praeſtitiſſe ingenitum ſocietatis amorem, qui conſanguineorum cohabitatione incrementum ceperit. Homines autem vnquam in ſyluas & ſolitudines diſperſos ſeceſſiſſe, & ad ferarum inſtar vagam degiſſe vitam, velut commentum eſſe explodendum. Enimuero per naturalem hanc conſecutionem cauſas impellentes, & pacta humana circa ciuitates conſtituendas excludere velle, perinde eſt, ac ſi quis dixerit: ex ſemine creſcit arbor, ex arbore fiunt tabulae & trabes, hae inter ſe rite compactae nauem conſtituunt; ergo naturali conſecutione atque ordine nauis facta eſt; neque aut peculiarem id genus aedificii habet cauſam aut nullae fabrorum operae interuenerunt. Igitur agnoſcimus quidem, fabuloſum eſſe, magnam hominum multitudinem initio congregatam, dein per ſyluas ac ſolitudines diſperſam, poſtea denuo in ciuitates collectam. Nec minus tamen illud gratis fingitur; ex vno hominum pari, aut poſt diluuium e quaternis familiis ita repente ciuitates coaluiſſe, nulla peculiari cauſa impellente, aut nullis pactis interuenientibus. Nam vtut liberos intra familiam paternam cura patris continuit, quouſque ad virilem aetatem ipſi peruenirent; tamen cum priſcis illis ſeculis ſola agricultura & pecuaria fere viueretur, nulla ratio erat, quare pater filios vxoratos diutius penes ſe vellet retinere. Quin potius ex hiſtoria ſacra colligitur *, filios, inprimis plures vnius patris, eo uſque prouectos, vt patrumfamilias vices ipſi obire poſſent, in diuerſa ſolitos diſcedere, peculiares ſibi ſedes poſituros; praeſertim cum vacuae paſſim terrae, & arridens regionum aliarum facies in diſſita interdum allicerent. Vid. Geneſ. XIII, 5. 6. 9. Neque antiquiſſimis ſeculis ſola Sicilia incolas tales habuit, quales deſcribit Homervs Odyſſ. ι. *Τοῖσιν δ' ὔτ' ἀγοραὶ βυληφόροι ὔτε θέμιςες. Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίυσι κάρηνα Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι. θεμιςέυει δὲ ἕκαςος Παίδων ἠδ' ἀλόχων ὐδ' ἀλλήλων ἀλέγυσι. Nec fora conciliis feruent, nec iudice: tantum Antra colunt vmbroſa: altis in montibus aedes Quiſque ſuos regit, vxorem, natoſque: nec vlli In commune vacat ſocias extendere curas.* Et eſt quidem inter fratres amor, ſed vt malint tamen inuicem aequales degere, quam vnus alterius imperio ſubeſſe; & conſtantius diligant, ſi rem familiarem inuicem implicitam non habeant. Sic vt primordia generis humani ſeſe multiplicantis magis ad id ſeparandum, & per diuerſa terrarum diſpergendum, quam ad idem in magnos coetus colligendum valuerint. Verum cum cordatiores animaduerterent, incommoda illa, quae familias ſegreges comitabantur, tolli poſſe, ſi plures in eundem coetum coaleſcerent, ciuitate conſtituta; inde non pacto ſolum & imperio eaſdem combinare placuit, ſed & maioris ſecuritatis & commoditatis gratia in eundem locum diſperſa antehac per campos ac ſyluas domicilia contrahi coepta. Et in hunc

§. V. * Non tamen negandum, olim ſaepius ex familiis regna euaſiſſe. V. ſupra ad L. VI. c. 3. §. 1. & quae Avctor ipſe habet infra c. 3. §. 6. H.

ſenſum interpretandi ſunt illi, qui a primis ciuitatum conditoribus homines per ſyluas diſperſos in vnum collectos tradiderunt.

§. VI. Mvlti arbitrantur, homines, vt in ciuitates coirent, per indigentiam fuiſſe motos, atque vt vitam redderent cultiorem iuxta atque copioſiorem, quae ſolitaria non poteſt non & inculta & egena exſiſtere. Vbi illud quidem certum eſt [1], vix miſerius fore animal homine, ſi ſinguli ſolis ſibi relinquantur citra vllam ab aliis hominibus accedentem opem. Sed nec illud negari poteſt, ad delicias vsque vitam humanam excoli coeptam, poſtquam in ciuitates fuit conceſſum. Lactantivs de Opificio Dei. c. 4. *Homo ſi haberet ad propulſanda pericula ſuppetens robur, nec vllius alterius auxilio indigeret; quae ſocietas eſſet? quae reuerentia inter ſe? quis ordo? quae ratio? quae humanitas? aut quid eſſet deterius homine? quid efferatius? quid immanius? ſed quoniam imbecillis eſt, nec per ſe poteſt ſine homine viuere, ſocietatem appetit, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior.* Nihilominus indubium nobis videtur, indigentiam hautquidquam ſolam, aut praecipuam cauſam ciuitatum conſtituendarum fuiſſe; vtut in eam ſententiam quoque inclinet Plato de Rep. L. II. [p. 598. & ſeqq. Edit. Wech.] Nam etiam antea, quando adhuc in familias ſegreges diſperſi agebant homines, ſatis conſultum erat neceſſitatibus vitae, inuenta agricultura, & pecuaria, vini cultura, veſtiaria, aliisque artibus. Vid. Geneſ. XIII, 2. XXIV, 35. Et ſane ponamus patremfamilias, cui affatim agri, pecorisque, ac ſeruorum; quid huic deeſſe poſſit ad tolerandam hancce vitam? Aut ſi quid deſit, per commercia id ſupplere poterit. Vid. Cornel. Nepos Attico c. 13. Sicut multae hodie ciuitates dantur, quae merces, neceſſitati aut voluptati inſeruientes, ab exteris petunt; nec tamen ideo cum illis in vnam ciuitatem

§. VI. 1) Vid. ſupra L. II. c. 2. §. 6. H.

2) De Samoiutis H. Grotivs L. IV. Hiſtor. Belgic. ad A. MDXCV. *Laetos paruo atque agiles non deliciae eneruant, non cura macerat. Qua pedibus inceſſit, quod manibus cepit, id cuique ſuum eſt; nec alius poſſidendi finis, quam animus paratis contentus & obuiis. Ita omnia habent, quia nihil concupiſcunt.* H.

3) Conſ. Diſſert. Avctoris de Statu hominum Naturali. §. 6.

§. VII. 1) Bene dicit *princeps cauſa.* Appetitum enim ſocietatis, indigentiam, de quibus Avctor ſupra egit, & cauſas alias occaſionesue nonnihil contuliſſe, vt ciuitates conſtituerentur, negari nequit. Vid. Elem. pr. ciu. Part. I. ſect. 3. §. 3. & 4. H.

2) Hinc *conſideratio malorum, quae naturalem ſtatum comitantur*, rectiſſime, ni fallor, cauſa princeps conſtituendarum ciuitatum aſſeritur. Nimirum vt vere ait Aristoteles I. Rhetor. 6. Κοινὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους. *Mala conciliant homines.* & V. Pol. 5. Συνάγει γὰρ καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος. *Communis metus etiam inimiciſſimos coniungit.* & VII. Pol. 13. Πολλὰ παρὰ τοὺς ἐθισμοὺς καὶ τὴν φύσιν πράττουσι διὰ τὸν λόγον, ἐὰν πεισθῶσιν ἄλλως ἔχειν βέλτιον. *Multa homines praeter mores & naturam propter rationem faciunt, ſi ſibi aliter eſſe melius perſuaſerunt.* H.

3) Originem igitur Ciuitatum Avctor a Metu deriuat, quae ſententia admitti poteſt, ſi dicamus, 1) Malos inferendae, & 2) Bonos auertendae iniuriae cauſſa in ciuitates coiiſſe. Dum enim ambitioſi & callidi homines, coadunatis copiis ſuos, aut vicinos oppreſſum eunt, pars cedere vi, tanquam molliores & imbelles voluerunt: aliis res ſuas ſibi habere, & electis Ducibus iunctisque viribus, vim vi repellere ſatius viſum. Poſſis tamen & alias coetuum ciuilium rationes fingere. Adeundum hic eſt Scripturae S. abditos atque reconditos fontes: quos ſi recludimus, adparet, non ab hominibus piis, ſed a Caino, viro improbo primam ciuitatem conditam fuiſſe. Geneſ. III, 17. Poſt diluuium Nimrodus, homo malus Regnum Babylonis excitare coepit. Geneſ. X, 8. ſeqq. *Coepit is potens eſſe in terra - - - quoniam fuit potens venatione: Fuit autem initium regni eius Babel, & Erech & Aibad & Kalneh in terra Sinear.* Coaluerint autem haec Regna vis & iniuriae illatae cauſſa, dum aliae vicinae gentes vel

tatem coaleſcere neceſſum habent. Vice verſa non pauci dantur populi [2], per multa iam ſecula vitam ciuilem degentes, hautquidquam ſplendidiorem aut copioſiorem, quam priſci quondam patresfamilias victitabant. Quique adeo iactent illud apud VALERIVM FLACCVM L. V. *Nec moenia nobis Veſtra placent: feror Arctois nam liber in aruis. Cuncta tenens mecum: omnis amor iacturaque plauſtri ſola; nec hac longum victor potiere rapina. Aſt epulae quodcunque pecus, quodcunque ferarum.* Sic vt deliciae illae, quibus iam multarum vita gentium ſcatet, non tam ciuitatibus, quam magnis vrbibus originem debeat. Vrbanum quippe vulgus, cui ex agro & pecore nullus prouentus, ad varias artes excolendas ſeſe conuertit, parando victu. Acceſſit inter vrbanos aemulatio cultus; inde in luxuriam itum, cui multis in locis non pauciora artificia, quam neceſſitati inſeruiunt. Quibus tamen carere vita ciuilis facile poterat [3].

§. VII. GENVINA igitur, & princeps cauſa [1], quare patresfamilias, deſerta naturali libertate, ad ciuitates conſtituendas deſcenderint, fuit, vt praeſidia ſibi circumponerent contra mala [2], quae homini ab homine imminent [3]. Nam vti poſt Deum optimum maximum homo homini plurimum *prodeſſe*, ita & non minus *obeſſe* poteſt; vti late deducit CICERO Offic. II. [c. 5. & ſeqq.] Scilicet cum variis malis genus mortalium infeſtetur, aduerſus ſingula aliquid remedii eiusdem ſolertia machinata eſt. Contra vim morborum artes medicorum inuentae. Iniuriis aëris tecta, veſtes, ignis reſiſtunt. Famem exculta per induſtriam hominum terra propulſat. Ferociam beſtiarum arma, aut inſidiae coërcent. Enimuero contra illa mala, quae prauitas humanae indolis ſibi inuicem gaudet intentare, efficaciſſima ex homine ipſo medicina petenda fuit, coniunctis in ciuitates hominibus ſummoque imperio conſtituto.

vel familiae auertendi metus ergo ſociantur, & e medio ſuorum ſibi Reges legunt, ne Nimrodo parere neceſſe ſit. Plurium certe Regum per hos tractus temporibus Abrahami mentionem fieri & ſic hodienum agere homines videmus, vt fortiores ſint vi vnita, ſi qua eis vis ingruat maior. In quo proinde exemplo Ciuitatum per vtrumque metus genus coniunctarum ſpecies praeſto eſt. Coit enim Nimrodus cum ſuis, vt reliquos opprimat. Secedunt hi, ſibique Reges conſtituunt, vt eiusdem Ciuitatis nexu libertati ſuae conſulant. Quidni enim interdum multitudo, quum ab iis premeretur, qui maiores opes habebant, iuſtitiae fruendae cauſſa confugerit ad vnum aliquem, fortem & virtute praeſtantem virum, qui praeſidium eſſet populi, & tenuiores iniuria prohiberet, dum ſummos cum infimis pari iure retineret. Forſitan quoque fera animalia, quae multas initio ſtrages fecerunt, primis hominibus anſam dederunt, vt vna viuere, vna mori decernerent. Exempla Gentium, quas nulla vinculi Ciuilis tenuerit communio, quales GRONOVIO ad Grotium L. I. c. 1. §. 1. fuiſſe dicuntur Aborigines, Gaetuli & Libyes falſis ſimilia dicimus. Blanditiis enim praeſentium Regnorum illecti ſcriptores, vbi Palatia & Domus Regias, ſatellitia Aularumque ſplendorem non viderent, Regna eſſe negauerunt, deſcribuntque gentes, quae eſſe non poſſunt, vt pictores tragelaphos, centauros & chimaeras. Perinde ſe habent, quae de Inſulanis quibusdam Africanis, de populis in monte Caucaſo habitantibus & de Cafris traduntur. Cafros certe Petrus KOLBIVS qui diutius inter eos verſatus eſt, deſcriptos eſſe ait in XVII gentes, quae in pagos diuiduntur, quorum ſingulis praeſit Praefectus, vt ſingularum gentium Praefectis Princeps. Quo Principe Praeſide, de Negotiis publicis omnes pagorum Praefecti in medium conſulere ait, Praefectorum autem Principes exercitibus praeeſſe. Primi quoque Reges omnes meri Iudices aut Duces exercituum fuerunt, vt adparet ex Hiſtoria Iudicum & primorum Regum, qui Iſaacidis & Iudaeis praefuerunt, vnde eſt, quod in vno populo plures ſaepe Reges fuerint, vt obſeruauit CLERICVS ad Heſiodi Theogon. verſ. 85. & ſequ. & Op. & dier. v. 38. 39. Quoniam autem occupata, ſibiue delata poteſtate ſaepe abuſi ſunt Reges, factum eſt, vt Regna in Ariſtocratias & Democratias conuerterentur.

ſtituto. Atque id ipſum demonſtratum iuere Perſae, apud quos cum Rex e vita exceſſiſſet, quinque deinceps dies absque lege vitam agebant: *Vt re ipſa diſcant*, ἥλικον κακόν ἐςιν ἡ ἀνομία, σφαγὰς καὶ ἁρπαγὰς καὶ εἴ τι χεῖρόν ἐςιν, ἐπάγουσα, *quantum malum afferat defectus legum & imperii, caedes, rapinas, & ſi quid deterius introducens, vt ſint regum cuſtodes fideliores*, apud SEXTVM EMPIRICVM aduerſ. Mathemat. L. II. [p. 70. D. Ed. Geneu.] Poſſunt quoque huc adplicari aliqua ex iis, quae HERODOTVS Clio memorat ſuper cauſis, ob quas Medi, antehac vicatim habitantes, Deiocem ſibi regem elegerint. Poſtquam autem ita diſpoſiti fuere homines, vt a mutuis laeſionibus ſecuri eſſe poſſent, facile conſecutum deinde fuit, vt eo vberius fruerentur commodis, quae ex hominibus in homines prouenire apta ſunt. [puta [4], vt moribus a puero imbuerentur commodioribus, & varias inuenirent, vtque excolerent artes, quibus vita humana copioſa & commoda fuit reddita.] Conſpirant nobiſcum, qui cauſam ciuitatum *metum* ſtatuunt; per quem hautquidquam intelligitur perturbatio trepidantis & conſternati animi, ſed quaeuis praecautio futuri mali. De qua recte pronunciat ARISTOPHANES Auibus: [v. 375] Ἡ εὐλάβεια σώζει πάντα, *cautio ſeruat omnia.* Quo ipſo eluditur quorundam argumentum, qui obiecerunt: tantum abeſſe, vt metus cauſam ciuitatibus conſtituendis dederit, vt potius, ſi homines mutuo ſe metuiſſent, ne conſpectum quidem mutuum potuiſſent ferre; ſed dum vnus hac, alius alia ſeſe proripit, perpetuo ſeparati manſiſſent. Quaſi vero metuere ſignificet ſolam fugam [5], ac non etiam diffidere, ſuſpicari, cauere. Imo & hoc eſt metuentis, prouidere, ne probabilem metus cauſam habeas. Vnde qui dormitum eunt, fores claudunt, quia metuunt fures; clauſis foribus, non amplius metuunt. Qui iter faciunt, cum telo ſunt, quia latrones metuunt, bene armati, eosdem non amplius metuunt. Quo ſpectat, quod THVCYDIDES L. I. tradit, morem geſtandi ferrum, pleriſque barbarorum receptum, quibusdam Graeciae populis adhaeſiſſe ex antiquorum temporum conditione, vbi nec munimento tuti habitabant, nec inuicem ſine metu congrederentur. Notatu dignum quoque eſt illud dictum Pyrrhi apud PLVTARCHVM in eius vita; cum Athenas ingreſſus in arcem adſcendiſſet, & ſacra feciſſet Mineruae, deſcendiſſetque eodem die, gratam ait ſibi eſſe populi erga ſe beneuolentiam, & quam ſibi haberent fidem; *ſed cauerent, ne vllum poſthac regem, ſi ſaperent, admitterent in vrbem, aut portas ei aperirent.* Ciuitates fines praeſidiis, vrbes munimentis firmant, armamentaria adparatu bellico complent, etiam in altiſſima pace: quod inutile eſſet, niſi vicinas ciuitates metuerent. Eaedem tamen bene inſtructae non amplius metuunt. Sic vt metus media comminiſci ſoleat [6], quibus ipſe expellatur. Pari ratione homines, quia ſe inuicem metuebant, abs ſe ipſis praeſidia ſunt mutuati, conſtituta ciuili ſocietate. Cuius vim illi demum penitus intellexerunt, qui dicunt: *Niſi iudicia eſſent, vnus homo alterum deuoraret.* Conf. HOBBES

4) Verba vncinulis incluſa exemplo Cl. BARBEYRACI ſuppleuimus, ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 5. §. 7.

5) Vid. ſupra L. III. c. 6. §. 13. H.

6) Et licet plurimae iniuriae a metu proficiſci quoque ſoleant, quod multis ſapientum dictis confirmat H. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 1. §. 5. tamen hoc ipſum non minus inter cauſas eſſe poteſt,

HOBBES de Ciue c. 1. §. 2. Quod autem homines affatim cauſae habeant, quare abs ſe inuicem ſibi metuant, caueantque, ſatis ſupra L. II. c. 2. §. 6. 12. fuit expoſitum. Contra quae ne quidquam ab HORNIO dicto loco, opponitur: *Aequales vixiſſe familiarum patres multis ſeculis ſine metu fictitiae inuaſionis. Ambitionem ſero inuaſiſſe genus hominum, & poſt ciuitates demum conſtitutas, quae honoribus & diſtinctis dignitatibus originem praebuerit.* Quaſi vero funeſtam inter primos fratres caedem ambitio non produxerit, dum Cainus indignatur, fratrem maiori apud Deum eſſe dignatione. Deinde non ſola ambitio cauſa mutui metus ſtatuitur, ſed & peruerſitas hominum, & concurſus circa eandem rem; quarum illa ſimpliciſſimis ſeculis barbariem giganteam, hic etiam inter coniunctiſſimos rixas produxit. Vid. Geneſ. XIII, 7. XXVI, 15. 20. 21. Et ſane acrioribus ſtimulis regum pectora ambitio agitat, ac maiori generis humani clade deſaeuit; ſed ita vt ne paſtorum quidem aut ruſticorum animi ab iſto malo penitus ſint immunes. Vid. VIRGILIVS Eclog. 3. v. 25. ſeqq. it. Eclog. 7. THEOCRITVS Idyll. 5. & 8. Subiungit: *Laceſſere alios maledictis, & ferro, non peſſimi tantum, ſed & ſtolidiſſimi fuiſſe. Laceſſitos quippe potuiſſe inuaſori meritam inferre mortem; praeterquam, quod nulla fuerit praeda expectanda inter inopes, aut qui fructus duntaxat haberent collectos, quos vbique terra exponit, nullo aut exiguo labore, & citra periculum parandos.* Quaſi non modici ſpes lucri ad ſuſcipienda ſcelera prauis hominibus ſufficiat; aut quaſi non olim hodieque frequententur latrocinia & furta inter populos, queis ſolus ex agricultura, & pecuaria quaeſtus. Quin nec ſolus latrociniorum metus homines in ciuitates compulit; ſed ne quibusuis iniuriis, quas mortales varias inuicem inferre & recipere apti ſunt, obnoxii forent. Id equidem fatemur, quod ſubiungit: *Vtut iuſta diffidentia fuiſſet, nullo tamen iure ob incertum metum alterum occupare fuiſſe indultum.* Verum ius illud in omnes & omnia, quod iuxta Hobbeſium ſtatum naturalem comitatur, non vltra eſt extendendum, quam recta ratio admiſerit, in hunc fere ſenſum [7]: homo in naturali libertate conſtitutus ius habet vtendi omnibus mediis, quae ſana ratio ad ipſius conſeruationem neceſſaria dictitat, aduerſus omnes, abs quibus ipſi periculum imminere itidem ſana ratio ſuggerit. Igitur ſi quis cautionem ſuam vlterius, quam ratio ſana admittit, extenderit, ſine dubio in legem naturae peccabit. Adeoque ſi alterum occidere ob incertum metum occupauerit, quem commodius licebat declinare, hautquidquam aliquid feciſſe cenſendus eſt, quod natura permittit. Vnde & ſine dubio praue ſentiunt, qui ex eodem fundamento rapinas & latrocinia aduerſus hoſtes non profeſſos defendi putant. Nam rapina & latrocinium in ſe denotat tale medium, quod ad conſeruationem hominis ſana ratio neceſſarium dictitare hautquidquam poteſt; ſed quod potius ob ſuperfluam auaritiam, & crudelitatem ſuſcipitur. Haut ſane enim latro viatores ſpoliat ideo, quod ſibi ab illis periculum imminebat. Illud autem ſatis inepte dicitur: *Si vel*

eſt, quamobrem animi ad ſocietatem ciuilem ineundam ſlectantur. H.

7) Vid. ſupra L. II. c. 2. §. 3. H.

vel maxime odium & diffidentia inter homines verſatur, id tamen ciuitatis cauſa fieri haut dicetur. Non enim inter ſe oderunt & diffidunt homines, vt ciuitates conſtituant: ſed ideo ciuitatem conſtituerunt, quia ſibi diffidebant: Et ſi vel maxime vnus paucos aliquos oderit, ſibi diſplicentes, alios contra amore proſequatur, caeteris faueat, aut ſaltem non iraſcatur: tamen ſi ſinguli vel ſingulos duntaxat inimicos habuerint, totum genus humanum odiis, & inimicitiis ſcatebit. Sic vt fruſtra contendatur, omnino *cohabitatione, & naturali multiplicatione ciuitates coepiſſe.* Dedit haec materiam ciuitatibus; illa occaſionem fortaſſe, vt vicini potiſſimum in eandem ciuitatem congregarentur. Sed cauſam, quae homines ad ciuitates conſtituendas impulerit, iſta, in ſe non continent.

§. VIII. NEQVE eſt, quod aliquis credat, ſolam reuerentiam legis naturalis, quae vtique omnes iniurias prohibet, efficere potuiſſe, vt quidquid eſt mortalium in naturali libertate ſecuri inuicem viuerent. Etſi enim forte [1] dentur homines, queis decus, honeſtum, innocentia, fides quam maxime cordi ſit, quae ne praeſtita quidem impunitate violare velint, alii quoque metu prouenturi inde mali cupiditates ſuas vtcunque compeſcant: magna tamen ex aduerſo eorum turba eſt [2], quibus omnia ſancta vilia ſunt, quotiens ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium, aut ſolertiae, qua repellere, aut eludere laeſos ſeſe poſſe ſperent. Talibus non diffidere, eſt ipſorum malitiae & ludibrio ſeſe vltro exponere. SALLVSTIVS Iugurth. [c. 14.] *Parum tuta per ſe ipſa probitas eſt.* Caeterum vti abs prauis mortalium cauere, ac idonea ſibi praeſidia mature circumponere rationis eſt: ita durum nimis eſt illud HOBBESII de Ciue c. 5. §. 1. *Spem vnicuique ſecuritatis, conſeruationisque ſuae in eo ſitam eſſe, vt viribus, artibusque propriis proximum ſuum vel palam, vel ex inſidiis praeoccupare poſſit.* Equidem ea eſt apud plurimos peruerſitas, vt quotiens maius bonum ſibi videtur profecturum a violatione legum, quam ab earundem obſeruatione, volentes eaſdem violent. Sicut & PLATO de Republ. L. II. [p. 593. B. Ed. Wechel.] ait: *Vbicunque iniuſte agere quiſque ſe poſſe confidit, agit protinus: prodeſſe enim quiſque priuatim multo magis exiſtimat iniuſtitiam, quam iuſtitiam* [3]. Vniuerſum tamen genus hominum iſtius peruerſitatis damnare, nimium fuerit. Quin, fatente ipſo HOBBESIO, dantur quoque ingenia modeſta, quae ſibi plus non arrogant, quam aliis relinquunt, quibusque adeo ob oculos obuerſetur illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ad hoſce opprimendos quomodo quis obtentu ſecuritatis ſuae ruere poſſit, ego non video. Nec ſana ratio hoc vnquam probabit, vt alterum, de cuius voluntate & conatu in meam perniciem nondum peculiariter conſtat, oppreſſum eam; cum longe aptiora ſint remedia, pacem cum ipſo firmandi. Nam ſola illa commu-

§. VIII. 1) Exhibemus hunc locum ad normam lectionis, quae occurrit in AVCTORIS Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 5. §. 8. omiſſis verbis Ariſtotelis, quae, monente Cl. BARBEYRACO de alia re omni agunt. Loquitur enim Philoſophus de eo *auarorum* genere, qui ab alienis bonis ideo abſtinent, ne de ſuo viciſſim praeſtare aliquid cogantur. Οἱ διὰ, inquit, φόβον ἀπέχονται τῶν ἀλλοτρίων, ὡς οὐ ῥᾴδιον, τὸ αὐτὸν μὲν τὰ ἑτέρων λαμβάνειν, τὰ δὲ αὐτοῦ ἑτέρους μή. ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸ μήτε λαμβάνειν, μήτε διδόναι, *Qui ob timorem ab alienis abſtinent, propterea quod facile*

communis hominum malitia, quae vtique gradus ſuos habet, non ſtatim hominem homini profeſſum hoſtem facit. Igitur fatemur quidem, in ſtatu naturae tantam non haberi ſecuritatem, quanta in ciuitatibus habetur, quod ab aliis officia legis naturalis aduerſus me ſint exercenda: non tamen vſque adeo nulla eſt, vt hoſtilem in modum aduerſus omnes ſit agendum. Sane enim vbi video vires meas alterius viribus pares eſſe aut maiores, vbi alter voluntatem pacifice mecum viuendi verbis & pactis conteſtatus eſt, & per edita quaedam ſpecimina confirmauit; quare hunc tanquam hoſtem habeam: Aut quomodo ſola ſuſpicio [4], ne amicitiam aduerſus me ſimulet, aut animum ſuum mutet, probabilem mihi cauſam praebeat eundem occupandi? Id quod multo clarius adhuc cernitur in integris ciuitatibus, quae inuicem in ſtatu naturali viuunt. Nam heic ſane omnium confeſſione nefas habetur, ſi vna ciuitas alteram, neque beneficio neque iniuria cognitam, nedum amicitiam aduerſus iſtam foedere & opere conteſtatam, vi aut inſidiis occupare velit: ideo tantum, quia communem cum eadem dominum non habet, abs quo compeſci poſſit, ſi ipſam aliqua laeſerit. Ex quibus adparet, hautquidquam in ſtatu naturali *ſilere leges naturales*; quod HOBBES vult; etſi longe maior ſit ſecuritas easdem exercendi in ciuitatibus, vbi officiis pacis mihi non reſpondentem per magiſtratum compellere poſſum. His omnibus tamen non obſtantibus, prudentia vtique dictitat, vt non ſolum contra profeſſam improborum malitiam mature nos muniamus, ſed & quae apud reliquos ſeſe exſerit, probitatem mutabilem eſſe cogitemus. Atqui heic in vniuerſum conuenientius praeſidium, quam ſocietas ciuilis, inueniri nequit.

§. IX. PORRO licet ius naturale dictitet, vt ſi quid controuerſiae oriatur, id vel amice componatur, vel arbitris decidendum deuoluatur; tamen ne ſic quidem paci ſatis cautum erit. Quam facile namque eſt homini in alias naturae leges peccare; tam facile quoque eſt, praeteritis arbitris, protinus ad arma conuolare. Quin & cum per ſolum pactum in arbitrum fuerit a partibus compromiſſum, vbi ſententia diſplicuerit, idem quoque proculcare non difficile fuerit illi, cui virium ſuarum fiducia impunitatem inter homines promiſerit: praeſertim cum arbiter pro imperio partes adigere non poſſit, vt ſententia ab ipſo pronunciata vtique ſtent. Hinc & prudentia omnino ſuadet, vt ne in naturali libertate nudis pactis, fideique aliorum nimis confidamus [1], ſed illa foedera credamus ſanctiſſime ſeruatum iri, quae mutua vtilitate ſanciuntur, quaeque adeo violaſſe vtrique damnoſum fuerit; aut vbi alter vi ad ſeruanda promiſſa facile adigi poteſt. Vbi perfidiae lucrum & impunitas eſt propoſita, temerarium habetur credere, ſalutem ſuam ſolius pacti vocabulo

facile minime eſt, vt ſi aliquis aliena acceperit, alii ab eo quidquam non accipiant: atque idcirco neque accipere, neque dare ipſis his placet. Nic. IV. 8.

2) PLINIVS III. Ep. 20. *Quotocuique eadem honeſtatis cura ſecreto, quae palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur.* H.

3) Et ARISTOTELES VI. Pol. 3. in fine. Ἀεὶ ζητοῦσι τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον οἱ ἥττους· οἱ δὲ κρατοῦντες οὐ φροντίζουσι. *Semper quaerunt aequum ac iuſtum infirmiores: qui autem ſuperiores, id inſuper habent.* H.

4) Bene ſola ſuſpicio. V. ſupra L. II. c. 5. §. 6. H.

§. IX. 1) V. infra c. 4. §. 9. H.

ſatis muniri. Atque id ipſum ſatis oſtendit praxis populorum, qui poſtquam cum vna ciuitate foedus abruperunt, aliorum populorum foedere ſe muniunt; quo ipſo non ſtatim damnant perfidiam ſuam, quod in aliorum fidem ſe recipiunt; ſed quia ciuitates ſolent foedera cumprimis vtilitate propria metiri, abdicato foedere inutili aut pernicioſo vtiliori ſeſe applicant. Et in hunc ſenſum emolliendum eſt dogma HOBBESII [2] de Ciue c. 2. §. 11. *pacta mutuae fidei in ſtatu naturae eſſe inualida.* Scilicet licet ſpecioſe iactetur apud Liuium L. XXII. c. 22. *Vult ſibi quisque credi, & habita fides ipſam plerumque obligat fidem:* in ſtatu tamen naturali longe tutius fuerit [3] cogitare tritum iſtud: *Fiſo res periit, diffiſo ſalua remanſit.* Πίστει χρήματ' ὄλεσσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα. THEOGNIS [verſ. 830.]

§. X. ACCEDIT & alia cauſa, quare ſola lex naturae pacem humani generis continere non poſſit. Scilicet habet hoc naturalis libertas, vt quemadmodum propriis viribus ſua cuique ſalus defenditur; ſic & circa obtinendum iſtum finem, & in regendis ſuis actionibus proprio quilibet iudicio vtatur. Quod quantopere apud diuerſos diſcrepet *, quis eſt, qui ignoret? Pauciſſimis ea eſt ingenii felicitas, vt quid generi humano ſingulisque ad diuturnitatem conducat, proprio Marte poſſint perſpicere, & perſpectum conſtanter ſequi velint. Plurimis prae ingenii hebetudine foedus error pro ratione imponit. Plerique inconſulto affectuum impetu feruntur, quo libido, aut fallacis ſpecies vtilitatis ſubegerit. In tanta opinionum atque ſtudiorum diſcrepantia, quae fida pax, aut concordia poteſt eſſe? Dum ſtolido aeque ac ſapienti ſententia ſua videtur pulcerrima, nec iſte magis huius, quam hic iſtius ductum ſequi dignatur. Cum autem ſola ratio, prout in ſingulis hominibus deprehenditur, tantam diſcrepantiam componere nequeat; alia ſane via qualiſcunque ſententiarum conſpiratio eſt obtinenda.

§. XI. DENIQVE etſi non ſolum res ipſa ſatis oſtendat, quantum felicitati ſuae, ope aliorum hominum promouendae officiant, quantaque mala ac pericula ſibi arceſſant legis naturalis violatores; ſed etiam ipſa lex naturalis conſcientiis hominum ſatis inſinuet [1], non impune laturos, qui contra ipſius ſcita alios petulanter laeſerint: CLAVDIANVS de IV. Conſ. Honorii: [v. 104. & ſqq.]

Extruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Cingite vos fluuiis, vaſtas opponite ſiluas.
Non dabitis murum ſceleri. . . . .

Ac licet vtilitas, quae obſeruationem legis naturalis, malumque quod eiuſdem viola-

2) V. ſupra L. III. c. 6. §. 9. H.
3) V. ſupra L. II. c. 2. §. 12. H.
§. X. * V. ſupra L. II. c. 1. §. 7. H.
§. XI. 1) V. ſupra L. II. c. 3. §. 21. H.
2) V. ſupra d. L. II. c. 3. §. 2. & c. 4. §. 3. H.
3) Homines autem quae longe abſunt, non metuunt. V. ARISTOTELES I. Rhetor. 7. & II. Rhetor. 5. H.
4) V. Malach. III, 14. 15. Conf. Iob. XXI, 7. ſequ. Pſalm. LXIII, 3. ſequ. Eccleſiaſt. Salomon. IX, 2. ſequ. Ierem. XII, 1 ſequ. EVRIPIDES in Bellerophonte; vertente Grotio:

Nonne

violationem circa promouendam aut impediendam cuiuſque felicitatem ſequitur, manifeſte oſtendat, praeſtare, vt ſociales ſeſe homines, quam diuerſo modo, gerant: ne iſthoc tamen intuitu ea ſat valida eſt ad procurandam generis humani tranquillitatem. Idque quia multitudo non ratione, ſed impetu viuit, ac libidinem pro ratione habet, educationis fere & conſuetudinis vitio, qua vis rationis velut obſurdeſcit [2]. Tum quod magna pars mortalium praeſentibus tantum imminet, futuri parum curioſa, ac illis fere mouetur, quae in ſenſus incurrunt, ad ſublimiora aegre adſurgat. Inde eſt, quod apud plurimos longe maior poenae humanae metus, quam diuini Numinis, quo tamen nihil magis metuendum. Scilicet quia lento fere pede diuina vindicta ſolet incedere [3], & ſaepe per occultas ſeſe vias explicat. CAESAR de B. G. L. I. [c. 14. n. 5.] *Conſueſſe Deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* Id quod prauis mortalium anſam praebet ad alias cauſas impiorum mala referendi; (add. Ecclеſ. IIX, 11.) praeſertim cum etiam improbiſſimis ſaepe affatim adſit, quibus vulgus felicitatem metiri ſueuit, & contra probi ſaepe multis calamitatibus premantur [4], ex quibus improbi & ſtolidi inefficaciam virtutis ad felicitatem colligere amant. Quo faciunt illa apud PLVTARCHVM de ſera numinis vindicta: [p. 548. D. E.] *Vltionem maleficio quam proxime adiunctam ſtatim viam intercludere iis, qui quamplurimum malitia bonos habente ſucceſſus vtuntur. Nihil enim aliud perinde, atque dilatio iuſtae vindictae, iniuria affectorum ſpes eneruat, animoſque eorum deiicit, contra improbos ferocia & audacia augens. Et hoc ipſo mali ſeſe ad capeſſenda flagitia exhortantur atque excitant; quod malitia fructum ſtatim maturum, & ante oculos ſitum praebeat, poena autem ſero demum, & longe poſt fruitionem ſubſequatur.* Accedit & hoc, quod ſtimuli conſcientiae, quae facinus antecedunt, non ita validi videntur, quam qui idem ſubſequuntur quando factum non amplius infectum fieri poteſt. CVRTIVS L. IIX. c. 2. *Male humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerumque non futura, ſed tranſacta perpendimus.* Et quod rationis dictamen flagrans ante factum cupiditas obtundebat; id hacce deferueſcente demum validiſſime animum percellit. PLVTARCHVS dicto loco: *Vbi homo aut ob auaritiam, aut gloriae potentiaeque ciuilis inuidiam, aut Venereae voluptatis cauſa facinus iniuſtum atque atrox commiſit: ac deinde furioſa ſiti libidinis ſuae diſſipata, ſumto tempore perſpicit, reliquos manſiſſe foedos & horrendos flagitii impetus, vtile autem, neceſſarium, aut conducibile nihil illis partum: nonne in eam ſaepenumero incidat cogitationem necesſe eſt, ſe vanae gloriae, aut illiberalis ingrataeque voluptatis cauſa, peruerſis pulcerrimis & maximis inter homines iuribus, vitam turpitudine, tumultibuſque impleuiſſe?* Scilicet vti IDEM dicto loco ait: *Quemadmodum malefici eum ad ſupplicium educun-*

Nonne vis Regum inſolens
Euertit illos opibus, hos tradit neci,
Et peierata dirimit portas fide:
Quique iſta faciunt multo agunt felicius,
Quam qui Deos pacemque perpetuo colunt?
Vrbes minores video, ſint quamuis piae,
Maioribus parere, compulſas iugum
Tolerare valido Marte numeroſi agminis.
Veſtrum quoque aliquis, ſi Deos pertenderet
Orare, victum ne ſibi pareret manu,
Documentum ab ipſis rebus acciperet breui,
Coeleſtis an vis calamitates arceat.

Conf. ſupra L. II. c. 3. §. 21. H.

*educuntur, *quiſque ſuam effert crucem; ſic vitioſitas ad ſingula peccata ex ſeſe fabricatur ſingula tormenta; ſolertiſſima opifex vitae miſerabilis: & in qua praeter turpitudinem terrores multi, animique motus graues, poenitentia, tumultusque continentes inſint.* Verum quia iſthaec interna tormenta in aliorum ſenſus non incurrunt; ideo eo minorem habent efficaciam ad aliorum malitiam reprimendam. Equidem recte HOBBESIVS Leuiathane c. 31. *Nulla fere eſt actio humana, quae initium non ſit catenae cuiusdam conſequentiarum adeo longae, vt ad finem eius proſpicere prouidentia humana nulla poſſit. Concatenantur autem accidentia iucunda & moleſta adeo inſolubiliter, vt qui iucundum ſumit, moleſtum quod adhaeret, quanquam improuiſum, neceſſario etiam accipiat. Quemadmodum vim inferentes punit vis aliena: intemperantiam puniunt morbi, & tales ſunt, quas voco poenas naturales.* Stoliditas tamen plerorumque hominum, & affectuum vehementia facit, vt iſta omnia pauciſſimis pro dignitate conſiderentur. Igitur fraenandae hominum prauitati efficacius remedium non ſupererat, quam quod ciuitates iam conſtitutae ſuppeditant. Sicut PLVTARCHVS aduerſus Colotem [p. 1124. D.] iſta Colotis verba haut recte reprehendat. *Qui vitam, qui leges compoſuerunt, atque iura, vtque regerentur vrbes & imperio magiſtratuum parerent, inſtituerunt, ii in tranquillo admodum & tuto nos collocauerunt, tumultibusque liberauerunt. Iſta ſi quis aboleret, ferarum porro vitam victuri eſſemus, & quiſque obuium quemque tantum non deuoraturus* [5]. Nam valde ſuperfunctorie indolem mortalium PLVTARCHVS inſpexit, ſi credidit; ſublatis legibus ciuilibus, *per decreta Parmenidea, Socratica, Platonica, Heraclitea*, decus ac pacem humani generis ſtare poſſe. Et ſi vel maxime verum eſſet illud Ariſtippi apud HESYCHIVM [6] ILLVSTRIVM, *τί πλέον ἔχουσιν οἱ φιλόσοφοι, qua re caeteros anteſtarent philoſophi;* reſpondit, *ἂν πάντες οἱ νόμοι ἀναιρεθῶσιν ὁμοίως βιώσομεν, ſi omnes leges ſublatae eſſent, ſimiliter viueremus:* quid tamen fiet maximae parti mortalium, qui ſibi relicti affectibus & libidinibus ſuis obtemperant? Quin potius ergo, qui *ratione traduci ad meliora non poſſunt, metu contineantur* QVINTILIANVS L. XII. c. 7.

5) Ὅτι τὸν βίον οἱ νόμους, διατάξαντες καὶ νόμιμα καὶ τὸ βασιλεύεσθαι τὰς πόλεις καὶ ἄρχεσθαι καταστήσαντες εἰς πολλὴν ἀσφάλειαν καὶ ἡσυχίαν ἔθεντο, καὶ θορύβων ἀπήλλαξαν· εἰ δέ τις ταῦτα ἀναιρήσει, θηρίων βίον βιωσόμεθα.

6) Et quod Ariſtoteles, vt eſt apud LAERTIVM L. V. Ἐρωτηθεὶς τί ποτ' αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη, τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἅ τινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσιν, *interrogatus, quid ſibi ex philoſophia magis eſſet acquiſitum, inquit, vt ageres ea quae legum metu quidam faciunt.* H.

CAPVT

CAPVT II.

DE INTERNA CIVITATVM STRVCTVRA.

I. *Contra malitiam hominum ab ipſis hominibus remedium eſt petendum.*
II. *Ad hunc finem multi ſeſe coniungere debent.*
III. *Illi multi conſentire debent.*
IV. *Quid coetus apum a ciuitate differat.*
V. *Ad ciuitatem requiritur vnio voluntatum, & virium.*
VI. *Vnio illa fit interuenientibus pactis.*
VII. *Pactum primum, & illud ſubſequens decretum.*
VIII. *Pactum alterum, complementum ciuitati afferens.*
IX. *Cauſa, quare Hobbeſius vnum tantum pactum agnoſcat:*
X. *Ea eſt inſufficiens.*
XI. XII. *Eius rationibus reſpondetur.*
XIII. *Quid ſit ciuitas?*
XIV. *In monarchia quod vult rex, id vult ciuitas.*
XV. *In aliis formis regulariter maior pars concludit:*
XVI. *Quod limitatur.*
XVII. *De paritate ſententiarum.*
XVIII. *De coniungendis & diuidendis ſententiis.*
XIX. *Quot homines minimum ad concilium requirantur.*
XX. *Quis ſit ciuis.*
XXI. *Quotuplicia ſint corpora ſubordinata?*
XXII. *Quid iuris iſtis corporibus competat?*
XXIII. *De corporibus illegitimis, & factioſis.*
XXIV. *De peculiaribus functionibus ciuium.*

CONSEQVITVR iam, vt ciuitatum intrinſecam ſtructuram curatius rimemur. Vt igitur ſecuritatem ſibi homines, quanta quidem in ipſorum conditionem cadit, contra malitiam aliorum hominum pararent, nihil aliud excogitari potuit, quam vt vnusquisque ſibi auxilia idonea circumponeret, quibus inuaſio alterius in alterum ita periculoſa redderetur, vt ſatius ſibi eſſe putaret manus cohibere, quam conſerere, pacem agitare, quam bello alterum laceſſere. Malitia quippe ingenii humani, & ad laedendos alios procliuitas nulla re efficacius reprimi poteſt, quam oſtentato cominus praeſentaneo malo, quod manſurum ſit eum, qui alterum aggreſſus fuerit, ac ſublata ſpe impunitatis. Tale porro auxilium hautquidquam praebere poteſt locus aliquis, natura aut arte munitus. Nam in tali ſolum haerere, carceris inſtar habet; neque ſolus quis eundem facile defendat. Receptis autem ſociis, ab his ipſis periculum imminet, ni alio praeſidio contra eosdem te munias. Equidem ab armis aliquid auxilii poteſt accedere; ſed non tantum, vt vnus homo ſibi diuturnam ſecuritatem etiam contra multos inde queat polliceri. Sic & quod ex animantibus brutis accedere praeſidium poteſt, exiguum eſt, aut anceps, nec repellendis iſtis periculis idoneum. Sicut vnius & alterius canis, qui ſtipendia

dia contra Americanos fecit [1], meminit GOMARA Hiſt. gen. Ind. occid. c. 44. & 65. Et Imperator inſulae Zeylon [2] in regia ſua Candy habere dicitur ſatellitium velut centum elephantorum, qui noctu per vrbem vigilias obeunt, & circa necandos fontes carnificum vice funguntur. Sed vt ad hunc vſum idonei fiant, auxilio multorum hominum opus eſt. Igitur contra pericula ab homine imminentia nullum commodius remedium peti potuit, quam ab ipſo homine, iunctis inuicem viribus, mutuoque implicita ſalute, & periculis communi conſpiratione propulſatis. Conf. HOBBES de Ciue c. 6.

§. II. MANIFESTVM eſt autem, quod duorum vel trium conſenſio talem ſecuritatem minime poſſit praeſtare; propterea quod ex altera parte, quae iſtos eſt inuaſura, additio vnius vel paucorum hominum ad certam & indubiam victoriam ſufficit, ac aduerſariis fiduciam dat ad aggrediendum, ſucceſſumque & impunitatem ſpondet. Igitur neceſſarium eſt ad ſecuritatem, quam quaerimus, obtinendam, vt numerus eorum, qui in mutuam opem conſpirant, tantus ſit, vt paucorum hominum ad hoſtes acceſſio non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam; adeoque vt inſignis aliqua hominum multitudo ſeſe coniungat. Inde & PLATO de LL. L. V. [p. 845. E. Edit. Wechel.] tantum ciuium numerum ad ciuitatem requirit, vt iniuriantes vicinos poſſint depellere, & iisdem iniuriam patientibus auxilia ferre [1]. Ex quibus & hoc colligitur, iuſtam ciuitatis magnitudinem ad vicinorum vires eſſe referendam [2]. Inde quae olim, cum mortalium genus in magnam ciuitatum multitudinem diſtingueretur, magnae erant ciuitates, poſt exortis magnis imperiis, iuſto minores ſunt. Nam *corpora quamlibet ardua & excelſa procerioribus admota decreſcunt.* PLINIVS Panegyrico. [c. 61. num. 2.]

§. III. DEINDE inter multos iſtos, qui hoc fine coëunt, oportet vt ſit conſenſus circa adhibenda media, ad eundem finem idonea. Quantuscunque enim alias iſtorum ſit numerus, ni tamen conſentiant de optima ratione, qua communis defenſio ſit inſtituenda, ſed ſi quisque ex proprio iudicio ſuis viribus vti velit, nihil efficietur. Nam diſtracti ſententiis, & in diuerſa tendentes impedimento inuicem erunt. Aut ſi maxime aliquando in vnam actionem ſpe victoriae, praedae, aut vindictae, impetu vel conſilio ſic ſatis conſentiant; id quod quandoque in plebe furibunda quoque cernitur, vid. TACITVS Ann. I. c. 32. v. 6. 7. poſtea tamen diuerſitate ingeniorum, conſiliorumque, vel aemulatione aut inuidia, quibus naturaliter homines inter ſe contendunt: vel leuitate & per inconſtantiam, ita diuellentur, vt deinceps neque mutuam opem ferre, neque pacem inter ſe habere velint. Conferantur, quae ſuper

§. I. 1) Veteres Galli, quod a Cl. BARBEYRACO additur, ipſi quoque teſte STRABONE L. IV. p. 305. Ed. Amſtelod. in bellis canibus Anglicis, non minus quam canibus ſuae regionis vſi ſunt. Alia exempla praeſto apud PLINIVM Hiſt. Nat. L. VIII. c. 40. POLYAENVM Strateg. L. IV. c. 2. §. 16. L. VII. c. 2. §. 1 AELIANVM Hiſt. Animal. L. VII. c. 38. POLLVCEM L. V. §. 47. Edit. Amſt. & SPARTIANVM in Vita Caracall. c. 6.

2) Vid. Robert. KNOX Narrat. hiſtor. de inſula Ceylon. L. II. c. 1. H.

§. II. 1) Ὄγκος δὲ πλήθους ἱκανὸς οὐκ ἄλλως ὀρθῶς γίγνοιτ' ἂν λεχθεὶς, ἢ πρὸς τὴν γῆν καὶ τὰς τῶν πλησιοχώρων πόλεις. γῆς μὲν, ὁπόση πόσους σώφρονας ὄντας

ſuper vitiis Reipublicae Athenienſis diſſerit Polybius L. VI. c. 45. Adeoque eiusmodi coitiones multorum hominum minime omnium ad diuturnitatem valebunt, niſi communi aliquo metu coërceantur, ne ab eo, quod ſemel placuit, poſtea pro lubitu diſcedere iterum queant. Vnde conſequitur, nudam conſenſionem plurium, etiam pacto firmatam, non praeſtare illam, quam quaerimus, ſecuritatem; ſeu non ſufficere, vt plures inter ſe ſocietatem mutui auxilii ineant, mutuoque promittant, quod actiones ſuas, viresque ad eundem finem, bonumque commune ſint directuri. Sed oportet, vt quid amplius accedat, vt qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium cauſa communis boni conſenſerint, metu prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum priuatum a communi diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

§. IV. Ad hocce illuſtrandum Hobbes preſſe examinat naturam quorundam brutorum, quae & ipſa aliquo modo ſocialia videntur, vti ſunt potiſſimum apes, & formicae. Haec enim, vtut ratione deſtituantur, per quam pacta facere, & regimini ſe ſubmittere poſſint; tamen conſentiendo, id eſt, eadem cupiendo, & eadem fugiendo ita actiones ſuas dirigunt ad finem communem, vt coetus eorum nullis ſeditionibus ſint obnoxii [1]. Id quare inter homines ſecus ſit, & quare magna hominum multitudo diu concorditer cohabitare ſine imperio nequeat, operae pretium erit diſpicere. Cauſa igitur, quare prouidentiſſima natura iſtas beſtiolas in coetus coniunxerit, haec videtur, quod illae per hyemem quoque perdurent, ciboque alantur; cum reliqua inſecta fere ſub hyemem moriantur, aut citra aſſumtum extrinſecus cibum degant. Longe commodius autem iſtorum cibus comportari, & aſſeruari poteſt, ſi plures operam iungant, quam ſi ſingulae ſeorſim laborent. Ex quo iſtud patet, illarum beſtiolarum coetus finem habere a ciuitatibus diuerſum, ſed in iisdem aliquod inſtar exſiſtere ſocietatis omnium bonorum, dum in commune laboratur, & ex communi omnes aluntur. Affert & aliam rationem eius diſcriminis Hobbes, quod iſtarum beſtiolarum regimen ſit tantum conſenſio, ſiue multae voluntates ad vnum obiectum, non vna voluntas, qualis in ciuitatibus eſt: ſeu quod iſtorum inſectorum ſingula ſeorſim ad opus cum aliis faciendum, cibariaque in vnum congerenda conſpirent; non autem omnium voluntates in vnam voluntatem coaluerint, prout in ciuitatibus fieri ſueuit, vt pro omnium voluntate habeatur, quod vel vnus, vel concilium aliquod conſtituit. Cauſae autem, quare in creaturis illis, ſolo ſenſu & adpetitu viuentibus, nuda conſenſio animorum ſit ita durabilis, vt ad eam nulla re alia praeterea opus ſit, hae fere ſunt. I. Inter homines certamen eſt honoris & dignitatis; inter beſtias non

τας ἱκανὴ τρέφειν· πλείονες δ᾽ οὐδὲν προσδεῖ· πλήθους δὲ ὁπόσοι τοὺς προσχώρους ἀδικοῦντάς τε αὐτοὺς ἀμύνασθαι δυνατοὶ, καὶ γείτοσιν ἑαυτῶν ἀδικουμένοις βοηθῆσαι μὴ παντάπασιν ἀπόρως δύναιντ᾽ ἄν.

2) Fit etiam interdum, vt parua ciuitas, aemulatione vicinorum potentium, libertatem retineat. Vid. de Palmyra vrbe Plinivm L. 5. Hiſtor. c. 25. de Saguntinis Livivm L. XXI. Hiſt. c. 3. H.

§. IV. 1) Niſi vbi apum Reges inter ſe diſcordant. Varro L. III. de Re ruſtic. c. 16. *Praeterea animaduertat, ne plures Reguli exſiſtant: inutiles enim fiunt propter ſeditiones.* Addit: *cum tria ſint genera ducum in apibus, nigrum, rubrum, varium: nigrum cum altero Rege eſſe ſeditioſum, & corrumpere aluum, vt fuget aut cum multitudine fugetur.* H.

non eſt: vnde, quae ex hoc fonte inter homines promanat inuidia, aemulatio, & odium inter beſtias non deprehenditur. II. Adpetitus apum naturalis, & ſenſuale velut iudicium conformia ſunt, & ad commune bonum feruntur, quod inter illas a priuato non differt. *Τὸ τῷ σμήνει μὴ συμφέρον, ὐδὲ τῇ μελίσσῃ συμφέρει. Quod examini non conducit, nec api conducit.* MARCVS ANTONIVS L. VI. §. 54. [2]. Vnicum deſiderium eſt plena habere aluearia. Inter homines autem quot capita, tot ſenſus; & nihil fere pro bono habetur, in quo poſſeſſori non ſit aliquid praecipui & eximii prae caeteris. III. Animantia ratione deſtituta nullum defectum vident, aut videre ſe putant in adminiſtratione [3] ſuorum coetuum; quippe quos non iudicio, ſed ſolo naturae inſtinctu conſtituerunt, nec cum aliis comparare norunt. Nec vlli apum lubido ſubit cellulas alia, quam ſexangulari figura formandi. Sed in coetu hominum plurimi ſunt, qui prae caeteris ſapere ſe exiſtimantes praeſentem ſtatum faſtidiunt, & res nouare inſtituunt. Ob diuerſitatem autem iudiciorum diuerſi nouatores diuerſis modis nouant; ex quo diſtractio ciuitatis, & demum bellum ciuile oritur. IV. Animalia bruta, vtcunque poſſint vocis ſuae aliquem habere vſum [4], ad ſignificandum inter ſe affectus ſuos ſaltem concitatiores; carent tamen arte illa verborum lenociniis res fucandi, quae neceſſario ad perturbationes animi concitandas requiritur; qua nempe bonum melius aut vilius, malum peius aut leuius, aut vtrumque diuerſa plane facie, quam reuera eſt, repraeſentatur. Verum hominis lingua quaedam belli & ſeditionis tuba quandoque eſſe ſolet [5] quae non ſolum falſas viuendi & agendi regulas poteſt promulgare, ſed etiam illas multo cum verborum lenocinio aliis inſinuare & commendare, animoſque eorum pacificae ſocietatis indoli reddere infeſtiſſimos. Nec immerito quondam Pericles a Comico dictus fuit tonuiſſe, fulguraſſe, & confudiſſe totam Graeciam. V. Non diſtinguunt bruta contumeliam aut contemtum a damno; vel potius nullum contemtus habent ſenſum. Igitur dum ipſa neceſſitates corporis ſui inueniant, de ſociis vltra nihil querelarum mouent. Verum illi homines maxime Reipublicae moleſti ſunt, quibus maxime licet eſſe otioſis. Neque antea ſuper exiſtimatione, aut dignitate certant, quam de fame & iniuriis aëris victoriam reportauerint. VI. Denique conſenſio creaturarum illarum brutarum naturalis eſt, hominum pactitia tantum, id eſt artificioſa; ſeu moralis potius, vinculis moralibus duntaxat contenta, quae naturalem ingeniorum diuerſitatem atque aſperitatem, & in contrarium tendendi facultatem hautquidquam extinguunt. Addi poſſet & hoc, in coetu apum imperium proprie non eſſe; ideo enim rex apum aculeo caret; cum tamen illud velut anima ſit ciuitatis. Etſi hoc ſane ingens naturae miraculum ſit; quod *rege incolumi mens omnibus vna eſt: Amiſſo rupere fidem.* Add. XENOPHON Cyrop. L. V. Probe tamen obſeruandum,

2) Quibus quidem verbis id tantum indicat Imperator Antoninus, quae ciuitati noxia ſint, nec priuatis vlla ratione conducere poſſe. Imitantur enim tantula animalia, Apes, Ciuitatis quodammodo coetum & Reipublicae inſtar habent.

3) Niſi tamen haec adminiſtratio, quanquam adeſt communionis Ciuilis ſimulacrum, inter inania Phyſicorum referenda eſt commenta. Vid. SIDNEII libellus de Gubernatione, c. 2. ſect. 8.

4) VARRO dicto loco. *Duces conficiunt quae*

dum, iſthanc comparationem inter multitudinem hominum & apes eo tantum fine adduci, vt oſtendatur, quare in magno coetu hominum diuturna conſpiratio & concordia ſperanda non ſit, vbi imperium abſuerit. Nequaquam autem hoc volumus, quaſi hae inclinationes, quae diſcordiae ſemina continent, apud ſingulos homines aeque efficaces deprehendantur, aut quaſi non ſana ratio ex ipſa natura hominis talia ſuggerat argumenta, quae hominem magis ac vllum aliud animal ad concordiam & mutuam beneuolentiam inclinare iubeant. Vnde noſtrum ſcopum hautquidquam interuertit Rich. CVMBERLAND de Leg. nat. c. 2. §. 22. qui ſex iſtas rationes HOBBESII retorquere inſtituit, oſtendendo, ab homine amari honorem, qui e beneficentia naturaliter prouenit, eundem publici boni vim ad tutandum bonum ipſius priuatum perfectius intelligere; ratione vti, quae & ad obedientiam & ad imperandum, prout fors tulerit, ipſum pariter diſponit; verbis aptiſſimis rationis ſuae vim acuere noſſe atque exornare; legem noſſe, cuius vi iniuriam a damno citra iniuriam illato diſtinguit; denique conſenſioni inter homines ſemel factae non tantum a natura accedere conſtantiam, ſed & artem naturae auxiliatricem varias cautelas aduerſus caſus minus inopinatos, & durationem vltra aetatem hominis per ſcripturam impertire. Enimuero nihil agit, antequam oſtenderit, magnam multitudinem hominum, nullo imperio contentam a paucis quoque non poſſe perturbari, & omnes homines ſapere, ac dictata ſanae rationis liquidiſſime intelligere, omneſque affectus & prauas libidines plane eneruaſſe. Et ſane ruinoſa valde ciuitatibus fundamenta ſubſternit, qui modeſtiae mortalium nimium tribuit, ac de probitate ſui animi alios omnes, & praecipue fecem vulgi metitur.

§. V. CAETERVM quid ſit illud, quod conſenſum multorum diu continere aptum ſit, humani indolem ingenii penitus rimanti facile adparebit. In quo duo occurrunt vitia, quae potiſſimum impediunt, quo minus multi diu in communem aliquem finem poſſint conſpirare. Vnum eſt diuerſitas inclinationum & iudicii circa diſcernendum, quod ad finem communem eſt vtiliſſimum: cui in plurimis coniuncta eſt hebetudo ad diſpiciendum, quod ex pluribus ſit vtiliſſimum; & peruicacia mordicus defendendi, quod ſemel vtcunque arriſerit. Alterum eſt torpor, & auerſatio vltro faciendi, quod vtile eſt, vbi deſit aliqua neceſſitas, quae tergiuerſantes velint nolint ad officium faciendum ſubigat. Priori malo remedium ſit, vnitis in perpetuum voluntatibus omnium, ſeu vt deinceps vna ſit omnium voluntas circa ea, quae ad finem ſocietatis faciunt. Poſteriori autem; ſi conſtituatur aliqua poteſtas, quae praeſens, & in ſenſus incurrens malum infligere poſſit communi vtilitati reluctantibus. Quo ſpectat illud CICERONIS Tuſc. Quaeſt.

quaedam ad vocem, vt imitatione tubae: tum id faciunt, cum inter ſe ſigna pacis ac belli habeant, H.

5) EVRIPIDES Hippolyto coronato:
Τοῦτ' ἔσθ', ὃ θνητῶν εὖ πόλεις οἰκουμένας
Δόμους τ' ἀπόλλυσ' οἱ καλοὶ λίαν λόγοι.
Hoc eſt, quod bene conſtitutas hominum ciuitates
Et familias euertit, nimis ſplendidi ſermones. H.

Idem Hippolyto obtecto:
Φεῦ, Φεῦ, τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
Φωνὴν, ἵν' ἦσαν μηδὲν, οἱ δεινοὶ λόγοι.
Eheu! quod non ipſis datum eſt rebus loqui,
Vt nil valeret erudita oratio. H.

L. IV. [c. 20.] *Ipſam aegritudinem non ſine magna vtilitate a natura dicunt conſtitutam; vt homines caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui & ignominiam & infamiam ferunt ſine dolore.* Vnio voluntatum hoc ſane modo fieri nequit [1], vt naturaliter omnium voluntates in vnum confundantur, aut vt vnus tantum velle incipiat, reliqui omnes velle deſinant: aut vt naturalis voluntatum diſcrepantia, & in diuerſa inclinatio vllo modo plane tollatur, in & perpetuam harmoniam combinetur. Sed hoc demum modo multae voluntates vnitae intelliguntur, ſi vnusquisque voluntatem ſuam voluntati vnius hominis, aut vnius concilii ſubiiciat, vt pro voluntate omnium & ſingulorum habendum ſit, quicquid de rebus ad ſecuritatem communem neceſſariis ille voluerit. Nam & illud quisque velle cenſetur, quod in alium contulit, ſi ipſe velit. Ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τῆς αὐτῦ γνώμην τέταχε τῷ διοικῦντι τὰ ὅλα. καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολῖται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως. *Vir bonus ſuum animum gubernatori vniuerſitatis ſubmittit: quemadmodum boni ciues legi ciuitatis.* ARRIANI Epictetus L. I. c. 12. Pari ratione talis potentia, quae omnibus metuenda ſit, conſtitui non poteſt, vt omnes & ſinguli ſuas vires naturaliter in vnum transfundant, ipſi deinde plane enerues. Sed hoc duntaxat modo unus omnium vires poſſidere intelligitur, ſi omnes & ſinguli ſeſe obligauerint, quod eo modo vires ſuas adplicaturi ſint, ſicut ille voluerit. Iſthaec voluntatum atque virium vnio vbi facta fuerit, tunc demum ciuitas, validiſſima ſocietatum & perſonarum moralium, inde emergit. Diſtinctius iſta intelligentur, ſi cogitemus, per ſubmiſſionem voluntatum apud ſubditos non extingui naturalem libertatem voluntatis, per quam de facto velut retrahere poſſunt, quod ſemel dederunt, & detrectare obſequium, quod polliciti ſunt, neque vires & facultates ſubiectorum naturaliter in imperantem transfundi, ita vt verbi gratia robur, quod fuit in lacertis omnium ſubditorum tranſeat in lacertos imperantis: igitur duplici velut pondere librari voluntates, viresque ſubditorum, vt ad nutum voluntatis imperantium ſe componant. Quorum prius poſitum eſt in ipſo pacto, quo iſti ſeſe hiſce ſubmiſerunt; cui maximam addit vim praeceptum Diuini Numinis, & religio iuriſiurandi [2], quibus tanto maior efficacia ineſt flectendis hominum animis, quo magis hi bonam diſciplinam a puero ſortiti ſunt [3], & neceſſitatem atque vtilitatem imperii ciuilis perſpectam habent. Qui autem per animi prauitatem preſſioni huius ponderis renituntur, dum vel imperium ſtolide aeſtimant, velut rem paucorum libidini, caeterorum vexationi repertam, vel torpent & auerſantur vltro facere id, quod officium requirit: iſti altero pondere ad capeſſenda imperantium iuſſa adiguntur, nempe metu poenae & extrinſeca coactione. Cum autem qui alterum coacturus eſt, robuſtior ipſo eſſe debeat, & vero id robur, quo imperantes ſingulorum hominum robur excedunt, inde ſit, quod ciues

§. V. 1) Verbo: translatio voluntatum & virium intelligitur moralis. H.

2) XENOPHON. L. IV. Memorabil. refert, *vbique in Graecia moribus & vſu receptum eſſe, vt iurent ciues, velle ſe concordiam colere; idque Sacramentum vbique praeſtari.* H.

3) Qua-

ciues ad nutum ipſorum vires ſuas adplicent: inde quod prauos ciues cogere & coërcere poſſint imperantes, ab obſequio bonorum ciuium eſt. Caeterum vt maior virium pars in ciuitate in manu imperantis ſit, illi, cui imperium legitime partum, & qui vel mediocre ſtudium circa officium ſuum praeſtandum oſtendit, in procliui eſt efficere. Nam & ſemper ſperare poteſt, maiorem partem ciuium diuini praecepti, fideique datae & iuramenti memorem fore; & nunquam non maioris & melioris partis ex populo intereſt ciuitatem tranquillam & ſaluam eſſe, ac legitimis imperantibus auctoritatem ſuam conſtare. Sed & in promtu ſunt aliquot velut machinae, quibus imperantium potentia inſigniter augetur, vti ſunt loca bene munita, miles perpetuus ſingularibus vinculis imperanti obſtrictus; per quae quantumuis magna multitudo coërceri poteſt, inermis praeſertim & per lata terrarum ſpatia diffuſa; & vbi caute ab imperantibus proſpiciatur, ne in factionem ciues coniungantur.

§. VI. Vt autem iſthaec vnio penitius intelligatur, ſciendum eſt, quod plures perſonae phyſicae, quamdiu in vnam perſonam moralem non coaluerunt, quicquid agunt, aut quaſcunque obligationes contrahunt, tanquam ſinguli agant & contrahant, adeo vt tot numero ſint actiones & obligationes, quot ſunt perſonae phyſicae. Et quanquam ſaepe multi homines, vocabulo *multitudinis*, quod vnitatem videtur notare, ſoleant exprimi; tamen ſi quis accuratius conſideret, multitudo non eſt vox aliqua collectiua, ſeu quae notat vnum ex pluribus conſtans, vti eſt verbi gratia exercitus, claſſis, concio, ſenatus. Sed reuera nil niſi multas res notat, abſtrahendo an homogeneae illae ſint, an heterogeneae, collectae, an diſperſae. Adeoque multitudo hominum reuera non eſt vnum aliquid *, ſed plures homines, quorum vnusquisque ſuam ſibi habet voluntatem, & ſuum circa omnia proponenda iudicium. Et proinde multitudini, prout contradiſtinguitur ſingulis, vna & ſeparata a ſingulis actio, aut peculiare ius tribui non poteſt. Vnde etiamſi quis in aliqua multitudine extiterit, ſeu multos circa ſe homines habuerit, in vnum corpus non coniunctos, quorum plerique aut caeteri omnes aliquid agant, aut contrahant, nec tamen ipſe in id conſenſerit, aut alio modo de iſto actu participauerit, idem actus ad ipſum nullo modo pertinebit. Enimuero vt multitudo aliqua, ſeu multi homines vna fiant perſona, cui vna actio queat tribui, & cui certa iura competant, quatenus ſingulis opponitur, & quae iura ſibi ſinguli tribuere non poſſint, neceſſarium eſt, vt voluntates viresque ſuas vniuerint interuenientibus pactis, ſine quibus plurium natura aequalium coniunctio nequit intelligi.

§. VII. Pacta illa, quibus interuenientibus ciuitas coaleſcit, quot & qualia ſint, hoc modo inueſtigatur. Si igitur animo concipiamus multi-

 tudinem

3) Quare bene apud Cl. Barbeyracum in nota 1. Io. Clericus monet, principes modo cupiditates coërcere & domitas habere libidines ſtudeant, nec volucrum illarum ſimiles videri velint, quae libero coelo volantes, ſanguine ſe paſcant, facillime a ciuibus ſuis, Numinum ritu, ore obuoluto adorari.

§. VI. * V. infra §. 14. in fine. H.

tudinem hominum, naturali libertate & aequalitate gaudentium, qui vltro ciuitatem nouam conſtitutum eunt; neceſſum eſt, vt futuri ciues primo omnium inter ſe ſinguli cum ſingulis pactum [1] ineant [2], quod in vnum & perpetuum coetum coire velint, ſuaeque ſalutis, ac ſecuritatis rationes communi conſilio ductuque adminiſtrare. (Quanquam in iſthoc pacto vt plurimum ſinguli ſibi licentiam emigrationis [3] reſeruent [4].) Pactum hocce initur vel pure, vel ſub conditione. Prius fit, quando quis ſeſe obſtringit adhaerere iſti coetui, quaecunque demum regiminis forma pluribus arriſerit. Poſterius, quando hanc conditionem adiecit; ſiquidem introducatur forma regiminis ipſi probata. Hoc porro pactum quando initur, neceſſum eſt, vt omnes & ſinguli conſentiant. Qui non conſenſerit, vtut in eodem cum caeteris loco tantiſper verſetur, extra futuram ciuitatem manet, neque per reliquorum conſenſum, quanquam plures iſti ſint, adſtringitur, vt omnino coetui ſeſe iſti adiungat: ſed in libertate ſua naturali perſiſtit, in qua ipſi licebit de ſua ſalute proprio ex iudicio ſtatuere. Poſtquam autem eiusmodi coetus, rudimenta & primordia ciuitatis prae ſe ferens, memorato pacto coaluit, neceſſum vlterius eſt, vt decretum fiat, qualis forma regiminis ſit introducenda. De hac enim antequam conſtitutum ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat. Heic illi, qui abſolute ſeſe iſti coetui adiunxerunt, per conſenſum plurium tenebuntur adquieſcere formae regiminis, quae pluribus placuit, licet ipſi aliam maluiſſent, ſiquidem velint in loco, quem coetus iſte inſedit, perſiſtere. Dum enim in pacto nihil exceperunt, intelliguntur ſeſe hac ſaltem in parte ſubmiſiſſe voluntati plurium; cum nulla ratione poſtulare queant, vt reliqui omnes pauciorum iudicium ſuo antehabeant [5]. Qui autem cum conditione ei coetui ſeſe adiunxerit, niſi expreſſe in formam regiminis introducendam conſenſerit, membrum futurae ciuitatis non fiet, neque maioris partis conſenſu obligabitur.

§. VIII. Post decretum circa formam regiminis nouo pacto opus erit [1], quando conſtituuntur ille, vel illi, in quem vel quos regimen coetus confertur: quo hi quidem ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his praeſtandum ſeſe obſtringunt; cui ſimul ſubiectio illa & vnio voluntatum ineſt, per quam ciuitas vna perſona intelligitur. Ex quo demum pacto perfecta ciuitas reſultat. Caeterum vbi democratia fuit inſtituta, non ita liquido poſterius hocce pactum adparet; quippe cum iidem diuerſo reſpectu ſint imperantes & parentes: in pacto autem duae diſtinctae perſonae requirantur, neque videatur ſufficere diuerſus reſpectus, verbi gratia, vnus & idem Titius

§. VII. 1) Hoc pactum proinde primum vocari poteſt. H.

2) Crediderim, tacite plerumque conciliatos fuiſſe, qui eiusdem Iuris & Imperii conſociatione frui vellent, ex qua tamen tacita voluntatis inclinatione, perinde, exſtincta familia regnatrice obligantur ciues, ac ſi id expreſſe inter eos conueniſſet. Solet hoc pactum adpellari pactum *primum.* Similiter *voluntas* populi Principibus praeſtandi obſequium ex facto ſaepius quam e conuentione expreſſa elici ſueuit, & pleraeque ideo Respublicae pacto tacito inter eos, qui regerent, & regerentur, coaluerunt. Quae conuentio pactum *ſecundum* appellari ſolet.

3) Vid. Lib. VIII. c. 11. §. 2.

4) Vid. infra L. VIII. c. 11. §. 2. ſeqq. H.

5) Si tamen qui numero ſuperantur, ad caeteros nolint accedere, & defectu ſummae poteſtatis bellum oriatur, ex iure victoriae ſubſequentibusque pactis res erit decidenda. Ipſe Avctor infra

Titius diuerſo reſpectu poteſt eſſe pater, & filius, & maritus, & gener, & ſocer, & mercator, &c. vbi ſane nullum erit pactum, ſi Titius qua mercator aliquid promiſerit eidem Titio, qua eſt pater. Enimuero ſciendum eſt [2], in Republica populari ſingulos ciues, & concilium, penes quod eſt ſumma rerum, non nudo duntaxat reſpectu differre, ſed eſſe reuera diuerſas perſonas, etſi diuerſi generis, quibus diſtincta voluntas, diſtinctae actiones, & iura competant. Quod enim ſinguli ciues volunt, id non ſtatim vult populus. Et quod ſinguli ciues agunt, non ſtatim habetur pro actione populi, & vice verſa. Neque ſinguli habent ſummum imperium, aut aliquam eius partem, ſed populus illud habet. Aliud quippe eſt, habere partem imperii; aliud, habere ius ferendi ſuffragium in concilio, penes quod ſummum imperium eſt. Vt hactenus nihil videatur obſtare, quo minus inter concilium populi & ſingulos ciues pactum intercedat. Illud fortaſſe non inepte vrgeri poſſet; inutile fore tale pactum inter populum imperantem, & ciues parentes, quod eo ipſo, dum quis in formam democraticam conſentit, ſuam quoque voluntatem voluntati maioris partis intelligatur ſubieciſſe; ſimulque iam cuiuis per amorem ſui rerumque ſuarum ſat neceſſitatis videatur iniunctum, bono publico pro virili inuigilandi, cui ipſius quoque ſalus eſt innexa. Nihilominus etſi fortaſſe in democratiis non ita neceſſarium eſt, vti in aliis Rerumpublicarum formis, illud pactum, ſeu mutuam promiſſionem circa exercendum officium imperantis & ſubiecti expreſſe fieri: omnino tamen ſaltem tacite illud interueniſſe eſt intelligendum. Nam ſiue decretum illud de introducenda democratia concipiatur per modum nudi placiti multarum voluntatum in vnum conſpirantium, ſiue per modum pacti ſingulorum cum ſingulis; ſubmittam voluntatem meam concilio vniuerſorum, ſi & tu idem feceris: tamen ex hoc preſſe conſiderato nulla alia reſultat obligatio, quam vt ſinguli teneantur adquieſcere in illa Reipublicae forma, quamdiu ab vniuerſis eadem non fuerit mutata. Atqui in democratiis plus vtique obligationis in ciuibus reperitur. Nam & ſinguli tenentur ſtare decretis & iuſſis, a concilio vniuerſorum profectis; & ſimul in ſingulis eſt obligatio curam Reipublicae pro virili capeſſendi, & priuatum commodum poſt publicum bonum habendi. Quo enim praetexto alias reprehendi aut multari poſſet ciuis, ideo quod in concilio infrequens deprehendatur? Adparente autem obligatione, neceſſum eſt eius quoque originem exſiſtere; quae nulla alia eſt praeter pactum, quod innuimus. Sic apud THVCYDIDEM L. II. [c. 40. Ed. Oxon.] ciuis democraticus, ſtatus Reipublicae ignarus, *inutilis ciuis* iudicatur [3]. Add. quae cum Charmide diſputat Socrates apud XENOPHONTEM Memo-

infra c. 5. §. 6. in conſtitutione democratiae ius maioris partis valere negat. H.

§. VIII. 1) Quod plerumque magis perſpicuum eſt, & ſecundum non male nuncupaueris. H.

2) Breuiter dici poteſt: cum ſinguli inter ſe pacti ſunt de mutua coniunctione cum voluntatum tum virium, & iidem porro decernunt, ac paciſcendo ſe obligant, ſummam rerum penes vniuerſos fore, iam ſingulos in conditionem ſubiectorum coniici, manente tamen pacto primo, qua id ſtare poteſt cum pacto altero, & vt ARISTOTELES IV. Pol. 4. Μόναρχος γὰρ ὁ δῆμος, σύνθετος εἷς ἐκ πολλῶν. Οἱ γὰρ πολλοὶ κύριοί εἰσιν, οὐχ ὡς ἕκαστος, ἀλλὰ πάντες. *Princeps enim populus fit, iunctus vnus e multis. Multi namque domini ſunt, non ſane vt ſinguli, ſed vniuerſi.* Conf. infra §. 12. H.

3) Ἔνι τε τοῖς αὐτοῖς οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν ἐπιμέλεια, καὶ ἑτέροις πρὸς ἔργα τετραμμένοις, τὰ πολιτικὰ μὴ ἐνδεῶς γνῶναι· μόνοι γὰρ τόν τε μηδὲν τῶνδε μετέχοντα οὐκ ἀπράγμονα ἀλλ' ἀχρεῖον νομίζομεν.

Memorabilium L. III. p. m. 486. Aſt vero vbi ariſtocratiam aut monarchiam conſtitui placuerit, longe liquidius poſterius iſthoc pactum cernitur. Deſignatis enim optimatibus aut rege, fides vtique mutuo datur & accipitur, mutuaeque praeſtationes vtrinque oriuntur. Imperio quippe delato & acceptato non minus rex & optimates, quam ciues, ad munia antehac indebita adſtringuntur. Ante iſtud pactum non magis ciues ad parendum vni aut paucis tenebantur, quam iſte aut hi ad ſalutem ciuitatis curandam. Mutua autem fides & ad munia antea indebita obligatio vnde niſi ex pacto ortum traxerit? Quae hactenus de duobus pactis & vno decreto diximus, illuſtrari poſſunt per illa, quae circa conſtitutionem regni Romani memorat Dionys. Halicarnasseus ſub init. Ibi enim primo multitudo hominum ſtruendae nouae ſedis cauſa confluxit; inter quos vtique pactum ſaltem tacitum interuenit. Inde deliberatur ſuper forma Reipublicae & cum regnum placeret, Romulo demum ſumma poteſtas defertur. Sic & interregno emergente, per quod primo duntaxat pacto coetus continetur, ſaepe ſuper forma Reipublicae deliberari ſolet. Vid. deliberatio principum Perſarum apud Herodotum Thalia; Bruti & ſociorum apud Dionys. Halicarnasseum L. IV. Eſt tamen probe notandum, iſthunc modum generandi ciuitatem, interuenientibus duobus pactis & vno decreto, eſſe maxime naturalem [4]; & omnibus formis Rerumpublicarum communem. Fieri tamen poteſt, vt monarchia conſtituatur per vnicum duntaxat pactum, ſi nempe multi citra antegreſſam inter ipſos conuentionem quisque pro ſe, ſimul aut diuerſo tempore, vni ſeſe ſubiecerint; ad eum fere modum, quo exercitus ex conuenis & mercenariis conſtantes colliguntur. Sicuti & illis, qui ciuitati iam conſtitutae poſtea accedunt, vnica tantum conuentione opus eſt, qua ipſi quidem recipi in ciuitatem petunt, qui autem ciuitatis perſonam gerunt, eosdem, obſequium ſtipulati, recipiunt. Caeterum non eſt, quod quis fingi iſthaec de pactis ciuitatem generantibus a nobis exiſtimet, ideo quod plerarumque ciuitatum origines primae ignorentur, aut ſaltem non ita liquido conſtet, illas hoc modo coaluiſſe. Nam id certum eſt, omnem ciuitatem aliquando ſuam habuiſſe originem. Ante conſtitutionem autem ciuitatis, neceſſum erat, vt illi, ex quibus ciuitas conſtat, eiusmodi vinculo inter ſe non connecterentur, quo poſt ciuitatem inſtitutam connectuntur. Vtque iidem nondum ſeſe ſubiecerint illis, quibus poſtea ſunt ſubiecti. Cum autem coniunctio illa & ſubiectio citra antedictas pactiones facta intelligi nequeat, neceſſum eſt, in coalitione ciuitatum easdem ſaltem tacite interueniſſe. Nihil autem obſtat, quo

minus

4) Alii tria pacta malunt, Decretum ipſum quoque pacti nomine complectentes. Aiunt enim, conſenſum populi 1) eo tendere, vt ciues vna viuant, 2) vt imperium adgnoſcant, 3) vt in perſonam quae imperet, conſpirent. Sed Buddeus Philoſophiae Pract. P. II. c. 4. ſect. 13. §. 4. obſeruat, in Hiſtoria vix vnius Reipublicae exemplum reperiri, quae eiusmodi conſtituta ſit pactis. Pari ratione Titius Obſ. DLV. n. 3. ternarium horum pactorum numerum Philoſophorum fabulis accenſet, quae vtut ſubtiles ſint, parum tamen intelligantur. Nam ſi quis imperium per vim adipiſcatur, quae ciuitatum plerarumque origo ſit, cum eo tantum ſingulos, non cum reliquis paciſci. Verum quamuis deficiat Hiſtoriarum fides contemplatione pactorum expreſſorum, & ſine primo & ſecundo expreſſo ciuitas intelligi poſſit in Republica occupata; tacite tamen ea interueniſſe & fingi poteſt, & fingi debet, cum gentes omnes id agere videamus, vt & 1) idem populus permaneant & 2) ſemel placita Reipublicae forma vtantur, &, ſi contingeret, vt hodie populus

relicta

Digitized by Google

minus alicuius rei origines ratiocinando inueſtigari poſſint, vtut de iisdem nulla literarum monumenta extent.

§. IX. Hoc loco fuerit operae pretium, ſententiam *Hobbeſii* paulo preſſius expendiſſe; qui in generatione ciuitatum vnum duntaxat agnoſcit pactum ſingulorum cum ſingulis; ac paſſim inculcat, inter regem optimatesue, & ciues nullum pactum intercedere. Equidem quid cauſae iſtum ad talia adſerenda mouerit, ſatis colligitur ex ſcopo librorum ipſius politicorum, quem in *Leuiathane* non obſcure prae ſe fert. Scilicet oppugnatum id potiſſimum ſeditioſos illos homines, qui ſuperioribus luſtris poteſtatem regiam in ordinem redigere, ſubiectisque ſubiicere, vel potius penitus extinguere laborabant. Quibus vt iſthoc rebellionis praetextum eriperet, fidem inter regem & ciues eſſe reciprocam; vbi ille, quae pacto promiſerit, non ſeruarit, hos quoque obſequio liberari: neue turbulenti ciues quaeuis regis facta ipſis diſplicentia in crimen violatae fidei trahere poſſent; negare inſtituit, vllum pactum inter regem & ſubiectos exſiſtere. Et cum in animum induxiſſet, omnibus regibus vere talibus abſolutam & illimitatam poteſtatem adſtruere; conſequens erat omne pactum hinc exterminare, quippe quod praecipuum videbatur limitandae poteſtatis inſtrumentum. Enimuero quanquam poteſtatem regiam ſacroſanctam praeſtari, & ab importunorum hominum vellicationibus vindicari generis humani quam maxime interſit; non tamen ideo neceſſarium fuerit ea, quae in manifeſta luce ſunt poſita, abnegare, & pactum nolle agnoſcere, vbi extat mutua promiſſio circa praeſtanda ea, quae antea erant indebita. Dum vltro principi me ſubiicio, obſequium ipſi promitto, defenſionem mihi ſtipulor. Princeps dum me ciuem recipit, defenſionem mihi promittit, obſequium a me ſtipulatur. Ante eam promiſſionem neque ego ipſi obſequi, neque iſte me defendere, ſaltem ex obligatione perfecta, tenebatur. Quis eiusmodi actum ex claſſe pactorum velit excludere? Neque ideo tale pactum redditur ſuperuacuum, quod inter eos, qui vltro ſibi regem imponunt, prius conuentio videatur extare de hoc vel illo in ſolium euehendo. Nam vti nuda electio citra electi acceptationem huic in eligentes nihil poteſtatis confert: ita ex negotii natura ſatis intelligitur, eos, qui alteri vltro in ſe poteſtatem conferunt, velle, vt hicce, in eius exercitio tendat ad finem iſti poteſtati praefixum: & hunc quod delatum fuit ea lege ſuſcepiſſe, vt ne per ipſum fine ſuo eligentes excidant. Igitur qui alicui imperium deferunt, vt ipſi ſimul promittunt, quae natura

relicta libertate naturali Imperio ſe ſubiiceret ciuili, alia id via fieri non poſſet. Quidam pactum primum & ſecundum pulpitis & contignationibus comparant, quibus vtimur, quando aedificia exſtruimus. Vt enim haec perfectis aedibus tolluntur, & abiiciuntur; ſic inutiles has conuentiones eſſe arbitrantur, quamprimum iis decretum, ſiue pactum tertium acceſſerit. Sed hi quoque experientia refelluntur, qua populus exſtincto Principe idem populus manet & eodem plerumque Reipublicae ſyſtemate delectatur. Pactum autem tacitum AVCTOR ipſe admittit, p. 135. & pag. praec. 136. nec diffitetur, fieri poſſe, vt primum & ſecundum ſuperuacua videantur, ead. pag. praec. Memorabilia ceterum ſunt, quae ratione ſilentii Hiſtorici de his pactis pro recepta ſententia diſſerit LOCKIVS de Gubernatione Ciuili, c. 7. § 101. & ſeqq. cui addendus SIDNEIVS in libello *de Gubernatione* eiusdem argumenti, c. 3. Sect. 25. & 33. pag. 262. & ſqq. verſionis Gallicae.

natura ſubiectionis requirit; ita ſibi contra ſtipulantur ab ipſo procuranda ea, propter quae imperia ciuilia conſtituuntur. Quod quid aliud eſt, quam pactum inire?

§. X. Neqve vero, admiſſo pacto inter regem & ciues; illa incommoda, quae Hobbesivs videtur ob oculos habuiſſe, neceſſario conſequuntur. Equidem id habent omnia pacta, vt ad certi quid praeſtandum neceſſitatem aliquam afferant. Verum quam maxime differunt, illa pacta [1], quibus quis ſeſe alteri ſimul ſubiicit, ab iſtis, per quae neuter in alterum imperium accipit. Pacto vtique conſtituitur ius domini in ſeruum, ſaltem qui vltro ſeruitio ſuccedit; poteſtas patria in eum, qui ſeſe arrogandum praebet; imperium ducis in milites mercenarios. Et tamen hoc non obſtat, quo minus illis imperandi facultas competat, his obſequii neceſſitas incumbat; neque his ſtatim licet, fraenum excutere, ſi iuſſa imperantium parum arriſerint. Xiphilinvs Epit. Dionis in vita Neronis: *πᾶσα ἰσχὺς αὐταρχος παρ' ἰδιώτου δοθεῖσα τῷ τοῦτε δόντος αὐτὴν εὐθὺς ἀπαλλάττεται, καὶ τῷ λαβόντι κατ' ἐκείνου προσγίνεται.* *Summum imperium, poſtquam eſt a priuato alicui delatum, ſtatim tranſit ab eo qui detulit, & illi, qui accepit, contra eum qui dedit, accedit* [2]. Scilicet in pactis, a quibus ſubmiſſio voluntatis & virium abeſt, certae & definitae praeſtationes deſignantur, inuicem exhibendae ex intrinſeco conſcientiae impulſu: & vbi quis vltro iſtas implere detrectauerit, nil niſi bellum, aut communis vtrique domini coactio ſupereſt. Sed in pactis, vbi vnus alteri ſubiicitur, penes hunc eſt definire, quid ab illo debeat praeſtari; ſimulque facultas in eundem collata nolentem ad iſta compellendi; qualis facultas hautquidquam reciproce illi in hunc competit. Vnde imperans violati pacti nequit argui, niſi aut omnem Reipublicae curam abdicauerit, aut hoſtilem in ſuos animum induerit [3], aut manifeſte a regulis gubernandi, abs quarum obſeruatione tanquam a conditione ciues obſequium ſuum ſuſpenderunt, dolo malo diſceſſerit. Quae cuiuis imperanti in perpetuum euitare facillimum eſt, modo cogitare velit, ne ſummos quidem mortalium humanae ſortis legibus eſſe ſolutos; *neque vnquam deceptum eſſe principem, niſi qui prius ipſe decepit.* Plinivs Paneg. [p. 66. in fine] Denique aut deterrimum aut ſtolidiſſimum oportet eſſe principem, quid id non poſſit efficere, vt maioris aut validioris partis de populo interſit, ipſius ſtatum ſaluum eſſe. Ad quod obtinendum vt omnibus viribus connitatur princeps, mouere ipſum debet illud apud Livivm L. IIX. c. 21. *An credi poſſe vllum populum, aut hominem denique in ea conditione, cuius eum poeniteat, diutius quam neceſſe ſit, manſurum?* Si porro maioris partis populi interſit, principis ſtatum ſaluum eſſe, quod non poteſt non contingere, ſi iuſtitiam & prudentiam in conſilium adhibuerit, eius fortuna ſat firmo nixa ſtat talo [4]. Si quis iſtud obtinere nequeat, is cuiuis potius negotio, quam imperio idoneus exſiſtit.

§. XI.

§. X. 1) Quae ſupra ad L. III. c. 9. §. 8. H.
2) Valentinianus Imperator militibus, qui ſe Imperatorem fecerunt, poſtulantibus, quod ipſi non probabatur, reſpondebat, referente Theodoreto L. IV. c. 5. Ὑμέτερον ἦν, ὦ στρατιῶται, βασιλέως μὴ ὄντος, ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας. Ἐπεὶ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγώ, ἐμὸν λοιπὸν οὐχ ὑμέτερον τῶν περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι πραγ-

§. XI. Examinemvs paulo curatius rationes, quibus aſſertionem ſuam Hobbesivs ſuperſtruit. Vbi initio quidem arbitramur inconueniens eſſe, quod obligationem ciuium aduerſus imperantes deriuatum it ex tali pacto, *quo vnuſquiſque vnicuique caeterorum ſeſe obliget ad non reſiſtendum voluntati illius hominis, cui ſe ſubmiſerit*; de Ciue cap. V. §. 8. Equidem qui inter ſe conuenerunt de conferendo in aliquem imperio, intelliguntur quoque in id conſenſiſſe, vt omnes ſuam voluntatem iſti ſubiiciant, ſeu vt iſtius voluntas voluntatem omnium in gerenda Republica repraeſentet. Nec infrequens eſt eiuſmodi conſenſum de conferendo in aliquem imperio, vt & leges, ſub quibus imperium alicui defertur, mutuis populi pactis, & iuramentis ſtabiliri. Diſtincta tamen vtique ſunt, inter ſe conſpirare de imperio in Caium conferendo, & imperium Caio deferre fide data acceptaque. Porro quo minus ciues quoque mutuo inter ſe fidem dent de obſequio regi praeſtando, nihil repugnat. Sicuti & talia pacta dantur, vbi omnes pro vno, & vnus pro omnibus ſeſe obligant. Vt tamen illud omnino fiat, non eſt neceſſarium, neque vſu adeo frequentatum. Qui in ciuitatem recens recipitur, regi ipſi fidem dat: nullibi quantum nobis conſtat, exigitur, vt cum reliquis ciuibus ſuper obſequio regi praeſtando paciſcatur. Denique & valde periculoſum videtur, ex eiuſmodi pacto cum quolibet conciue obligationem erga regem deriuare; ius meum in tuam gratiam in regem transfero, vt & tu ius tuum in eundem transferas in meam gratiam. Nam hoc modo quilibet ciuis obſequii ſui neceſſitatem videbitur ſuſpendiſſe ab obſequio cuiuslibet ciuis; & conſequenter, altero non praeſtante obſequium, & reliqui liberi forent. Atqui vel eam ob cauſam neceſſarium eſt, quemlibet ciuem pro ſe, & citra conditionem obſequii alieni ſummo imperanti obſtringi, vt ſi maxime vnus vel alter fraenum mordeat, imperans caeterorum viribus vti queat, ad refractarium iſtum in ordinem redigendum. Neque minus incongruum eſt, quod Idem c. 6. §. 13. tradit: *obligationem ad praeſtandam ſummo imperio ciuili obedientiam non immediate naſci ex eo pacto, in quo ciues omne ius ſuum ad ciuitatem transtulerunt; ſed mediate, nempe ex eo, quod ſine obedientia ius imperii fruſtra eſſet, & per conſequens ciuitas omnino conſtituta non fuiſſet.* Sed quid ambagibus opus, vbi recta & plana via licet incedere? Nam quae ipſum mouiſſe videtur ratio inanis eſt. Scilicet tacite praeſupponit; de quibus pacto fuit conuentum, illa non poſſe iure detrectari. Atqui poſſe a Rege aliqua iure iuberi, quae ciuis iure poſſit detrectare, exempli gratia, ſi rex iubeat, vt me, aut ipſum regem, aut patrem condemnatum interficiam. Ergo ex alio fonte, quam ex pacto cum rege, obſequium ciuium deriuandum. Enimuero nos examuſſim ſibi inuicem reſpondere aſſerimus poteſtatem regis legitimam, & officium ciuium; adeoque pernegamus, a rege iure quid poſſe imperari, quod ſubiectus iure poſſit detrectare. Neque enim rex plura iure iubere poteſt, quam quae cum fine ſocietatis ciuilis inſtitutae congruunt, aut congruere iudicantur.

πραγμάτων. Veſtrum fuit, milites, cum Imperator nullus eſſet, mihi tradere imperii huius habenas. Eas ex quo adeptus ſum, de caetero non veſtrum, ſed meum diſpicere, quid Reipublicae expediat. H.

3) V. infra c. 8. §. 7. & 8. H.

4) V. Aristoteles V. Pol. 8. Conf. IV. Pol. 12. V. Pol. 9. VI. Pol. 5. H.

§. XI. 1) Hovtvyni eandem ſententiam tuentis argumenta expendi Diſſertat. de Mod. conſtit. ciuitat. ſect. 2. §. 2. H.

tur [2]. Si quid contra huius finem dolo aut per veſaniam iuſſerit hautquidquam iure id facere cenſebitur. Verum an quibuſuis eiusmodi iuſſis ſubiecti poſſint reſiſtere, alia quaeſtio eſt, quam alio loco excutiemus [3]. Quae exempli cauſa adferuntur, ad rem nihil faciunt. Sane ſi contingeret, vt rex alicui talia iure poſſet iniungere, id eſt, vt tale quid a ciue patrari ad ſalutem Reipublicae facere videri queat, ſubditus iure iuſſa non detrectabit. Vid. Iudic. IX, 54. 1 Samuel. XXXI, 4. ZONARAS Part. III. memorat, cum Theophilus Imperator timore tanquam compedibus vinctus ſtaret, Manuel ſtricto enſe; niſi me, inquit, ſecutus fueris, te perimam. Praeſtat enim, te mori, quam ab hoſtibus captum Romanae Reipublicae tantum imprimere dedecus. Quibus minis aegre ſoluto ſtupore, eum ſecutus euaſit. Quin & *βασιλεῦσιν ἄμεινον τεθνᾶμεν ἐν πολέμῳ, ἢ χείροσιν ἀμφιπολεύειν*, *regibus ſatius eſt in bello occumbere, quam vilioribus ſeruitutem ſeruire* [4]. QVINTVS CALABER L. XIII. Vbi autem talia iuſſa ratione deſtituuntur, & ob ea recuſata ciuis interfectus fuit, nemo ſanus puto iure iſtum caeſum dixerit. Quod porro IDEM c. VI. §. vlt. ius in regem a ciuibus collatum dicit per modum *donationis*, id ne ad ipſius quidem tradita congruit. Donatio eſt, cum ex vna duntaxat parte ius in alterum transfertur. vid. IDEM c. 2. §. 8. 9. Atqui quando in regem confertur imperium, eſt mutua iuris translatio, ſeu reciproca promiſſio. Ciues ſpondent obſequium, rex procurationem Reipublicae; ad quae ante iſtum actum neuter tenebatur. Vti enim ante collationem imperii licebat ciuibus reſiſtere iuſſis Caii, quem poſtea regem conſtituerunt; ita Caius iisdem defenſionem aut curam ſui poſtulantibus itidem poterat reſiſtere, ſeu eandem ipſis tanquam indebitam denegare. Conf. Lucae XII, 13. 14.

§. XII. NEQVE maior efficacia ad tollenda pacta inter imperantes & ſubiectos ineſt illis rationibus, quae adducuntur c. 7. §. 7. ſeqq. Vbi probare primo vult, democratiam non conſtitui per pacta ſingulorum cum populo, ſed mutuis pactis ſingulorum cum ſingulis. Argumento vtitur, quia in omni pacto prius debent exſiſtere perſonae paciſcentes, quam ipſum pactum. Atqui ante conſtitutam ciuitatem populus non exſiſtit, vtpote vbi non erat vna perſona moralis, ſed multitudo perſonarum ſingularium. Igitur ante ciuitatem conſtitutam non potuiſſe pactum iniri inter populum & ciues. Poſt conſtitutam autem ciuitatem tale pactum iniri fuiſſe inutile; quia populus voluntate ſua voluntatem ciuis illius, cui ſupponitur obligari, complectitur, ideoque ſe poteſt liberare arbitrio ſuo, & conſequenter actu liber eſt. Enimuero patet, tertium adhuc dari. Ante conſtitutam ciuitatem multi homines non ſunt populus, id eſt coetus democraticus. Ergo non poteſt cum ipſo, vt tali, pactum iniri. Poſt ciuitatem conſtitutam fruſtra eſt iniri pactum, hoc ſenſu, vt vnus vel alter ciuis velit peculiariter paciſci cum populo circa adminiſtrationem Reipublicae. Nam cui democratica forma probatur, is intelligitur eo ipſo ſeſe

2) Aliter tamen ſupra rationes ſubduxiſſe videtur AVCTOR ipſe L. I. c. 5. §. 4.

3) Infra c. 8. §. 1. H.

4) Qui locus Zonarae parum ad rem facit. Non enim

ſeſe obligaſſe ad parendum decretis, a maiori parte populi profectis; cui obligationi per peculiare pactum derogaretur. Aſt vero in ipſa conſtitutione ciuitatis democraticae potuit iniri, & eſt reuera initum pactum mutuum inter populum, & ſingulos; quod quale ſit, iam fuit expoſitum. Pari modo nihil aget, qui ſic colligit: maritus cum vxore nullum potuit inire pactum; quia ante nuptias illa nondum fuit vxor; poſt nuptias paciſci fruſtra eſt, vbi iam ſuam voluntatem ſubiecit voluntati mariti. Potuit quippe pactum iniri eo ipſo, dum vxor fit vel deſignatur. Non multum diſpari ſophiſmate quondam ludebat Epicurus: *Quando nos ſumus, mors non eſt, quando mors eſt; nos non ſumus; mors ergo nihil ad nos. Quam argute nos feſellit. Quaſi vero tranſacta mors timeatur, quia iam ſenſus ereptus eſt; ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur. Eſt enim tempus aliquod, quo & nos iam non ſumus, & mors tamen nondum eſt. Idque ipſum videtur miſerum eſſe, cum & mors eſſe incipit, & nos eſſe deſinimus.* LACTANTIVS Diu. inſtit. L.III. c.17. Deinde ſi vel maxime quis in democratia tale pactum non poſſit animo concipere [1], aut inutile id arbitretur, tamen exinde non licebit idem excludere ab aliis Rerumpublicarum formis, vbi qui regunt, & qui reguntur, tanquam perſonae naturales differunt. Nam heic vtique pactum requiritur, quo illi obſtringantur curam Reipublicae capeſſere, & ſalutem populi pro ſumma lege habere: hi vero obſequium iisdem promittant. Inde conſtat, quid ſentiendum ſit de illa theſi HOBBESII de Ciue c. 7. §. 9. *Quoniam ciues non paciſcentes cum populo, ſed mutuis inter ſe pactis tenebantur ad omnia, quae populus faceret, tenebantur inde ad factum populi transferentis ius ciuitatis in optimates aut regem.* Neque enim ſequitur: ſi concilio populi placuit ſummam rerum transferre in optimates aut regem, ſinguli eo decreto ſtare tenentur; ergo inter populum transferentem imperium, & optimates aut regem, in quos idem transfertur, nullum pactum intercedit. Sed nec validius eſt alterum *Eiusdem* argumentum: regem quanquam a populo electum non potuiſſe ad quidquam ab eo obligari; nam eo electo *populum* ſimul diſſolui, perireque rationem illam, quam habebat vt *perſona*; quare perire quoque vna & diſſolui, quae ad perſonam facta erat, obligationem. Enimuero quod fundamenti loco heic ſubſternitur, ſublata perſona, tolli quae aduerſus illam erat obligationem; intelligendum eſt de illis caſibus, quando perſona naturali morte extinguitur, aut quando qualitas illa, ſuper qua obligatio vnice fundabatur expirat. Atqui quando populus liber in regem transfert imperium, neque ipſe populus naturali morte extinguitur, neque obligatio regis eſt fundata in ea qualitate populi, qua liber intelligitur, ſed qua deinceps erit coetus ciuium vnius imperio ſubiectus. Quemadmodum procus paciſcens cum virgine poſt conſummatum matrimonium non poteſt excipere, obligationem aduerſus eam periiſſe, quod non amplius virgo ſit, qualis erat cum pactum iniretnr. Nam obligatio proci non fundabatur ſuper qualitate virginitatis, ſed contrahit cum virgine, qua deinceps conditionem vxoris eſt ſubitura. Et rege conſtituto,

S 3 popu-

enim, vt vel ſola inſpectio eius docet, de iuſſu principis duriore, ſed de inſolentiore ciuis reſponſo agit.

§. XII. 1) Vt Vlricus HVBERVS, de cuius ſententia diſquiſiui Diſſertat. de Mod. conſt. ciuit. ſect. 2. §. 6. H.

populus diſſoluitur hactenus tantum, quod ſummum imperium non amplius ſit penes concilium, ex vniuerſis conſtans; hautquidquam autem diſſoluitur in multitudinem nullo vinculo connexam, ſed manet vnus coetus, quem vnum imperium, ſimulque primogenium illud pactum continet [2]. Scilicet imponit *Hobbeſius* ſimplicioribus ambigua ſignificatione vocabuli *populus*. In democratiis populus notat vniuerſitatem ciuium, quae diuerſo reſpectu ſimul regit, & regitur: in ariſtocratiis & regnis notat vniuerſitatem ciuium, quae regitur. Vid. IDEM de Ciue cap. 13. §. 2. Atqui quis negare velit aduerſus eiusmodi populum, monarchae aut optimatibus ſubiectum, poſſe ſubſiſtere obligationem, etſi contracta fuerit eo tempore, quo ille adhuc liber erat, ſed in euentum & intuitu futurae ſubiectionis? Denique ipſe HOBBESIVS Leuiath. in calce [3] expreſſe dicit, Deum Iudaeorum Regem fuiſſe factum vi pacti inter ipſum & hos initi. Quare igitur pactum inter regem, hominem & ciues negare velit? Et paulo ante tradiderat; quando quis ſeſe victori ſubmittit? is neceſſario tanquam verus ſubditus obligatus tenetur; nam *contractus* legitime initus recte violari abrumpiue nequit.

§. XIII. PER iſthaec igitur pacta hominum multitudo vnita ciuitatem conſtituit, quae ad modum vnius perſonae concipitur, intelligentis & volentis, aliasque actiones peculiares a ſingulorum actionibus ſeparatas edentis. Vnoque nomine ab omnibus hominibus particularibus diſtinguitur atque dignoſcitur; (STATIVS Achilleid. L. I. [v. 457. 458. & ſeqq.] *Sparſa ac diſſona moles In corpus vultumque coire, & rege ſub vno Diſpoſita eſt.*) nec minus peculiaria iura habet, ac res proprias, quae neque ſinguli, neque multi, neque adeo omnes ſimul, remoto eo, qui ſummum habet imperium, aſſerere poſſint; abs qua itidem peculiares actiones proficiſcuntur, quae ſinguli hautquidquam ſibi tribuere aut arrogare queant. *L. 6. §. 1. D. de Diuiſ. rerum. L. 10. §. 4. D. de in Ius vocando L. 7. §. 1. D. Quod cuiusque vniuerſ. nom. L. 1. §. 7. D. de Quaeſtionibus.* Add. SENECA de Beneficiis L. VI. c. 19. 20. Vnde ciuitatis haec commodiſſima [1] videtur definitio [2], quod ſit perſona moralis compoſita, cuius voluntas, ex plurium pactis implicita & vnita, pro voluntate omnium habetur, vt ſingulorum viribus

2) Siue in quo populus eſt pacto primo colligatus; & ſubiecti pariter ac ſummus imperans pacto ſecundo inuicem deuincto. Quod igitur HOBBESIVS opponit porro, ita ciuitatem ſibimet ipſi obligatum iri, facile refellitur: Nam quod abſurdum ipſi videtur, non eſt in ſubſtantiis compoſitis, qualis eſt ciuitas, idem agere in ſe ipſum, diuerſa tamen ratione. Id quod exemplo hominis liquidum fit, cuius animae partes in ſe mutuo, & tota anima in corpus, & corpus in animam, & corporis pars vna in aliam agat. Conf. infra c. 5. §. 8. & c. 6 §. 13. H.

3) Locum hunc Hobbeſii in Diſſert. de Interr. §. 7. ſic laudat Auctor, *Hobbeſius Leuiath. concluſ.* Neque tamen quicquam, his, quae adferuntur, ſimile, vel in capite extremo, vel in Appendice legitur. Is igitur adhuc veſtigandus erit ab iis, quibus otium eſt. Quod autem ad Regnum Dei in Iſraëlitas attinet, conſulendum c. 35. & 40. & ratione conuentionum inter victorem & victos c. 20. Leuiathanis.

§. XIII. 1) Mutuam, obſeruante id TITIO Obſ. DLVII. hanc definitionem Auctor ſumſit ab HOBBESIO de Ciue c. 5. §. 9. confunduntur ea tamen ciuitas & Princeps, atque de illa quamuis auſpicetur Auctor; in hoc tamen deſinit deſcriptio eiusdem. Melior eſt ea CICERONIS L. III. de Republica, qua Ciuitas dicitur multitudo iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociata. Dilatauit eam Celeb. OTTO ad Offic. L. II. c. 6. §. 10. vtpote cui ciuitas eſt conſociatio multorum patrum-

bus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem vti poſſit. Illa enim definitio, quae extat apud DIONEM PRVSAEVM in Boryſthenica: [Orat. 36. p. 443. Edit. Pariſ. Morell.] *Πόλις ἐστὶ πλῆθος ἀνθρώπων ἐν ταυτῷ κατοικούντων, ὑπὸ νόμου διοικούμενον*, ex Graecanicae politicae principiis [3] extructa, alio fortaſſe loco a nobis diſcutietur. Qua non multo melior eſt definitio ciuitatis Platonicae tanquam perfectiſſimae apud APVLEIVM de Philoſophia: *Ciuitas eſt coniunctio inter ſe hominum plurimorum, in quibus ſunt regentes, alii citeriores, coniuncti inter ſe concordia, & inuicem ſibi opem atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen, officia ſua temperantes, vnamque ciuitatem, iisdem manibus illam futuram, & eadem velle atque eadem nolle incolarum mentes aſſueuerunt.* Ciuitatem porro, tanquam hominem aliquem artificialem, ingenioſe delineauit HOBBESIVS in Prooemio Leuiathanis, in quo *is, qui ſummam habet poteſtatem*, eſt pro *anima*, totum corpus viuificante & mouente: *magiſtratus & praefecti*, artificiales *artus* ſunt: *poenae & proemia*, ſummae poteſtati appenſa, & a quibus membra ad ſuum cuiusque opus perficiendum incitantur *nerui;* qui idem faciunt in corpore naturali: *diuitiae ſingularium hominum*, pro *robore: ſalus populi* pro *negotio: conſiliarii*, per quos ea, quae cognitu neceſſaria illi ſunt, ſuggeruntur, pro *memoria: aequitas legesque* pro artificiali ratione. *Concordia*, *ſanitas* eſt, *ſeditio morbus*, *bellum ciuile*, *mors.* Denique *pacta*, quibus partes corporis huius politici conglutinantur, imitantur diuinum illud verbum *fiat*, ſeu *faciamus homines*, a Deo prolatum in principio, cum crearet mundum. Vnde & obiter adparet, ISOCRATEM in Areopagitico & Panathenaico *non recte formam Reipublicae pro ciuitatis anima venditare* [4], *cuius ea vis ſit, quae mentis in corpore.* Cum forma Reipublicae potius ſit in ciuitate idem, quod in corpore humano eſt ſtructura & diſpoſitio omnium membrorum & partium.

§. XIV. CAETERVM voluntas ciuitatis exſerit ſeſe vel per vnam perſonam ſimplicem, vel per vnum concilium, prout in illam, aut hoc ſumma rerum fuit collata. Vbi penes vnum hominem eſt imperium, ciuitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini, (cui ſanam rationem conſtare praeſupponitur [1],) placuerit, & quidem circa negotia, quae ad finem ciuitatum ſpectant;

patrumfamilias, inaequalis & rectoria, per vnionem voluntatum & virium, ſub eodem ſummo imperio, iuris fruendi & communis ſalutis cauſſa contracta.

2) A qua non longe abit, quam habet HOBBESIVS de Ciue c. 5. §. 9. Quod ſi quis alio, quam perſonae, reſpectu ciuitatem conſiderare velit, poterit eam definire hoc modo: eſt ſocietas multorum hominum, mutuis eorundem pactis conflata, ac poteſtate inſtructa, quae ſingulorum viribus ac facultatibus ad vitam ſecuram & beatam vti poſſit. H.

3) Imo haec definitio non Graecanicae tantum Politicae principiis, ſed Imperio Ciuili *omni* ſatis conuenit, vt Orationem totam perlegentibus ſtatim manifeſtum erit.

4) Verba eius ſunt: *Ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἄλλο, ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις.* Quae male vertit Hieronymus Wolfius: *Nec enim vlla alia ciuitatis anima eſt, quam forma Reipublicae* &c. cum verti debuiſſet: *quam Reſpublica*, hoc eſt, ordo ciuitatis. Quod ARISTOTELES quoque dixit IV. Pol. 12. & eſt veriſſimum. H.

§. XIV. 1) Quod tum demum admittit TITIVS Obſ. DLIX. ſi & priora omnia adſint, & ſecundum praeſcriptum legum fundamentalium agat Princeps. *Sed vbi*, addit Titius, *illa in tanta libertate obſeruantur? vt facile liqueat, quanto periculo vita & fortunae ſubditorum, imo & vicinorum imbellium, hoc rerum ſtatu ſint expoſitae.*

Digitized by Google

ctant; non item circa alia. Sic, verbi gratia, ſi rex bellum decernat, ſi pacem faciat, ſi foedus ineat, ciuitas hoc voluiſſe & feciſſe dicitur, non item, ſi edat aut bibat, ſi dormiat, ſi vxorem ducat, ſi vitia patret. EVRIPIDES Supplicibus [v. 1188. & ſeqq.] *Τόνδε δ᾽ ὀμνύναι χρεὼς Ἄδραστον· οὗτος κύριος τύραννος ὢν, πάσης ὑπὲρ γῆς Δαναϊδῶν ὁρκωμοτεῖ. Iurare conuenit Adraſtum. Is Dominus & rex exſiſtens iurabit nomine vniuerſae terrae Danaidum.* Vnde & inter voluntatem Monarchae publicam, quae voluntatem ciuitatis repraeſentat, & eiusdem voluntatem priuatam, qua velut quiuis alius homo circa negotia non-publica vtitur, diſtingui poteſt. Vbi quaeſtio oritur, quid ſi ille, penes quem voluntas ciuitatis eſt, ſecus velit, quam debebat, adeoque in exercitio voluntatis publicae peccet, num & quae abs eiusmodi deprauata voluntate prodit actio, pro actione ciuitatis habenda ſit? Nam qui voluntatem ſuam Principis voluntati ſubmiſit, idem feciſſe intelligitur ea intentione, vt ille nihil velit, niſi quod e re ciuitatis, iuſtumque ſit. Heic dicendum videtur, actionem ex abuſu ac prauitate voluntatis publicae procedentem, in ſe quidem eſſe actionem publicam, & ciuitatis; quia ab imperante ſuſcipitur, vt tali. Sic ſi Monarcha aut Senatus malas leges ferat, male ius dicat, ineptos magiſtratus conſtituat, iniuſta bella moueat, actus vtique publicos exercet. Si auriga currum euertat, aurigae illa actio eſt, ſed imperiti aut negligentis. Enimuero in foro diuino[2] de tali actione nemo tenetur, niſi qui conſenſu ſuo poſitiuo & efficaci ad eam influxit. Vnde de publico delicto rei non ſunt ſubditi, aut qui ex concilio imperante diſſenſerunt, & a maiore parte victi ſunt. Quae tamen incommoda in ciues immerentes ex eiusmodi delictis publicis redundant, inter illa mala ſunt referenda, quibus humana conditio in hac mortalitate obnoxia eſt, quaeque adeo vt ſterilitas, aut nimii imbres, & caetera naturae mala toleranda ſunt. Quanquam ad iſta incommoda praecauenda non exiguam habere efficaciam deprehenduntur leges fundamentales, bona diſciplina, & cumprimis religio. Ex aduerſo autem conſequens eſt, quidquid vel ſinguli ciues, vel multi, vel etiam omnes, excluſo rege, aut citra vel contra eius auctoritatem & iuſſum voluerint aut egerint, non ſolum circa poſterioris, ſed & circa prioris generis negotia, id hautquidquam pro voluntate aut actione ciuitatis eſſe habendum; ſed pro voluntate & actione priuata: imo tot erunt voluntates, tot actiones, quot numero ſunt homines, qui aliquid voluiſſe aut egiſſe dicuntur. Idem quoque cenſendum eſt, ſi quid a ſingulis aut multis fiat priuato auſo citra auctoritatem & iuſſum eius concilii, penes quod ſumma rerum eſt. Vnde inter ſeditioſas opiniones, & quae ad internam ciuitatis compagem ſoluendam faciunt, in monarchia cumprimis, ab HOBBESIO de Ciue c. 12. §. 8. refertur, quod vulgo non ſatis diſtinguant inter ciuitatem ſiue *populum*, & *multitudinem*. Nam populus ſiue ciuitas eſt vnum quid [3], vnam habens voluntatem, & cui vna actio tribui

2) Vid. infra c. 6. §. 6. H.

3) Nimirum populus, perinde vt ciuitas definitur a Cicerone apud AVGVSTINVM L. II. de Ciuit. Dei c. 21. *coetus multitudinis, iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatus.* At vox populi interdum aliter accipitur. Vid. ſupra §. 12. H.

§. XV. 1) Quod apud Belgas ſub principatu haut imprudenter introductum, libertati periculoſum eſſe, ſcribit H. GROTIVS L. IV. Annal. Belgicor. ad A. MDLXXXIV. ni pro iure ſuccedant prudentia & publici amor. Apud Hollandos ſane in rebus minoribus ad plurima ſuffragia attendi-

tribui poſſit. Quorum nullum de multitudine ſubditorum, imperium habenti homini aut concilio contradiſtincta, dici poteſt. Etſi quod dicto loco ſequitur: *Populus in omni ciuitate regnat*, affectatione argutiarum inane euadat. Nam *populus* vel notat totam ciuitatem, vel multitudinem ſubditorum. Priori ſenſu reſultat inepta locutio; *populus, id eſt, ciuitas in omni ciuitate regnat:* poſteriori falſa: *populus, id eſt, ciues regi contradiſtincti in omni ciuitate regnant.* Pro eo autem, quod ſequitur; *in monarchiis populus imperat; vult enim populus per voluntatem vnius hominis;* planius dicendum fuerat; in ciuitate monarchica id voluiſſe cenſetur ciuitas, quod voluit monarcha. Nec in alium ſenſum explicandum illud paradoxum: *Rex eſt populus.* Caetera ſatis recte ſeſe habent; quod nempe vulgus de magno hominum numero ſemper loquatur tanquam de populo ſeu ciuitate, dicatque, rebellaſſe ciuitatem contra regem, quod eſt impoſſibile: & populum ſeu ciuitatem velle & nolle, quod volunt & nolunt moleſti & muſſitantes ciues, ſub praetextu populi ciues contra ciuitatem, ſubditos contra imperantem animantes.

§. XV. Ast vbi ſumma rerum eſt collata in concilium, ex pluribus hominibus conſtans, quorum quisque ſuam ſibi retinet voluntatem; definiendum prius eſt, quota pars in vnum conſpirans voluntatem totius concilii, adeoque & ciuitatis repraeſentet. Nam alias vti nemo tenetur alterius potius, quam ſuam ſententiam ſequi, niſi voluntatem ſuam iſtius voluntati ſubiecerit; ita licet quis ſocietatem cum aliis inierit circa negotia communi conſilio tractanda, ſi tamen ſibi expreſſe reſeruauerit, quod ad nihil velit teneri, in quod non ipſe conſenſerit, hautquidquam ipſum ſtringet, quod a pluribus fuit decretum. Hinc & collegia dantur [1], vbi vnius diſſenſus caeterorum omnium conſenſum reddere irritum poteſt. Etſi, vbi quis rationem plane audire nolit, & per ſolam pertinaciam caeteris recte ſentientibus obnitatur, tanquam incommodus ſocietate eiici, aut quandoque etiam malo coërceri queat. Quanquam enim hic non teneatur ex ſuo conſenſu ad ſequendam maioris partis ſententiam; tenetur tamen ex generali lege, vt caeteris ſeſe commodum praebeat, & vt pars ſeſe conformet ad bonum totius. Quo loco & addi poteſt, quod apud Petrum Svavem Hiſt. Concil. Trident. L. IV. p. m. 788. diſputatur, Gallos decretis Concilii non teneri, quod contra id proteſtati eſſent; vbi Parlamenti Pariſienſis ſententia quoque adducitur: *Totius vniuerſitatis auctoritatem ad maiorem partem transferri, cum cauſa omnium eſt communis, & ſingulos non attingit: verum quando tota cauſa ad omnes ſpectat, & ſua ſingulis pars debetur, hoc caſu vniuscuiusque aſſenſum eſſe neceſſarium, & prohibentis conditionem potiorem, atque abſentes niſi ſuffragantes minime obligari. Ex hoc genere eſſe coetus Eccleſiaſticos, in quibus quantumuis frequens ſit Concilium, Eccleſias quae non adſint, minime ad eius decreta obligari, niſi ipſis*

attenditur; at in negotiis maioribus, puta foederibus, tributis, ſimilibusue omnium conſenſus requiritur, adeo vt ſi vna vel minima ciuitas diſſentiat, nihil concludi poſſit. Vid. Groeneweg. ad L. 1. C. *Vectigalia noua inſtitui non poſſe.* Apud Polonos irrita Regis electio habetur, ſi vel vnus ex infima Nobilitate diſſentiat. Vid. Hartknoch. L. II. de Polon. c. 1. §. 15. H.

ipſis recipiendum videatur. Fatendum tamen eſt in eiusmodi conciliis, inprimis vbi ea ex multis hominibus conſtiterint, difficillime negotia expediri; ſaepe & illa exitum omnino reperire non poſſe, ob diſcrepantiam iudiciorum, ex nonnullorum peruicacia inexpugnabili. Et regulariter vbi quis abſolute & citra exceptionem ſeſe alicui coetui aut concilio adiunxerit, cum non poſſit poſtulare, vt reliqui omnes ipſius ſententiam ſequantur, aut propter vnius diſſenſum intermittant, quod ſibi vtile aut neceſſarium videtur; praeſumitur ſeſe obligaſſe ad ſequendum & ratihabendum, in quod maxima pars ſociorum conſpirauerit. Nam ſi hoc graue videbatur, debuerat id ab initio, quando in ſocietatem ſe conferebat, excepiſſe. Nunc ambitioſum nimis & importunum eſt, ſuam caeteris omnibus praeferre ſapientiam. Quod ſi cui moleſtum ſit, quod ſuam ſententiam reliquis inuitis obtrudere nequeat, coetum iſtum deſerere licebit. Nequaquam autem fas eſt, vbi numero ſententiarum fueris ſuperatus, imitari id, quod eſt apud AGATHIAM L. IV. [c. 5.] *Vnusquisque aegre ferens ſuam ſententiam non valuiſſe, negligentius ſegniusque ad rem gerendam accedebat, & ſiniſtris euentibus magis gaudebat, vt in poſterum gloriari, liberiusque apud ſuos iactare, nullamque aliam ſiniſtri euentus cauſam fuiſſe demonſtrare poſſet, quam quod priuatum ſuum conſilium ſecuti non eſſent.* Inde regulariter in omnibus conciliis plurium ſuffragia vim habent vniuerſorum; non quod naturaliter ita fieri neceſſum ſit, ſed quia vix alia via eſt ibi negotia expediendi. Vid. *L. 7. §. vlt. L. 8. D. de Pactis. L. 19. D. ad Municipalem* [2]. PLINIVS L. II. Epiſt. 12. *Numerantur ſententiae, non ponderantur; nec aliud in publico conſilio poteſt fieri, in quo nihil eſt tam inaequale, quam aequalitas ipſa; nam cum ſit impar prudentia, par omnium ius eſt* IDEM L. VI. Ep. 13. *ſingulos, re integra, diſſentire fas eſt; peracta, quod pluribus placuit, cunctis* [3] *iucundum.* Sicuti & de eo, quod regulariter fit, capiendum eſt illud ARISTOTELIS [4] Polit. IV. c. 8. *Hoc autem, quod pluribus probatum fuit, in omnibus reperitur. Nam & in oligarchia, & in democratia, & in populis, quod maiori eorum, qui Reipublicae ſunt participes, parti viſum fuerit, hoc eſt ratum.* Quanquam aliquando contingat, vt pauciorum ſententia, Reipublicae magis proficua aut decora, numero ſuperetur. Scilicet in conſtitutionibus eiusmodi vniuerſalibus circa expedienda negotia humana, quae magnam ſaepe varietatem recipiunt, cum nullum per homines excogitari poſſit medium, quod omni incommodo careret, ſequendum eſt, quod vtplurimum expedit. Add. BODINVS de Republ. L. III. c. 4. p. m. 456. Hinc fruſtra iactatur; cum naturae conueniens ſit, vt quod a prudentioribus profectum eſt, praeualeat ei, quod ab imprudentioribus profluxit; naturae repugnare, vt ſententia imprudentior plurium praeualeat ſententiae prudentiori pauciorum; adeoque vt illi hos obligare queant ad aliquid imprudentius ſuſcipiendum. Equidem in decidendis veritatibus theoreticis ſententiae non numerantur, ſed ponderantur. Imo

2) *Quod maior pars Curiae effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint.* Addatur GROTIVS L. II. c. 5. §. 17. GRONOVIVS ad d. l. Grotii his reſtrictionibus vtitur. I. Si ſint vera ſuffragia, hoc eſt res integra, nec coitione ac conſpiratione plurium iam ante definita, quam in conſultationem deferatur. II. Si maiorem numerum non faciant, quos ex lege & more, tanquam ſuſpectos excedere, nec in ſua cauſa ius dicere oportet. III. Vt maior numerus cenſentium non valeat

Imo ſaepe ipſa multitudo adſtipulantium erroris indicium habetur. SENECA de Beata vita c. 2. *Cum de beata vita agitur, non eſt, quod mibi illud diſceſſionum more reſpondeas, baec pars maior eſſe videtur. Ideo enim peior eſt. Non tam bene cum rebus bumanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt.* Phocion cum ipſius ſententia communi adplauſu reciperetur, ad amicos conuerſus dixit: Ὀυ δή πȣ κακόν τι λέγων ἐμαυτὸν λέληθα; *Numnam mibi imprudenti aliquod prauum dictum excidit?* PLVTARCHVS Apopth. [p. 188. A.] IDEM de Liber. educ. [p. 6. A. Ed. Wechel.] Τὸ πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐςὶν, ἀπαρέσκειν. *Vulgo placere eſt ſapientibus diſplicere. Teſtimonium mibi praebet Euripides bis verbis: Ad turbam ego verba facere ſum imperitior, Inter ſed aequales paucosque doctior,* οἱ δ' ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μȣσικώτεροι λέγειν *Qui inter doctos nil valent, Gratior apud vulgum eſt eorum oratio.* Eoque *qui ſtultis videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur.* QVINTILIANVS Inſt. Or. L. X. c. 7. Eſt νȣ̃ν ἔχοντι ὀλίγοι ἔμφρονες πολλῶν ἀφρόνων φοβερώτατοι. *Cordato pauci prudentes magis ſunt formidandi, quam multi inſipientes.* PLATO in conuiuio. Add. VALER. MAXIMVS L. III. c. 7. §. 1. ext. DIO CHRYSOSTOMVS de Ilio non capto: [p. 190. D. Ed. Pariſ. Morell.] Τὸ πιςεύεϑαι πολὺν χρόνον ὑπὸ ἀνθρώπων ἠλιθίων, ȣ̉δὲν ἐςιν ἰχυρόν. *Aliquid credi multo tempore ab ſtolidis bominibus nihil babet roboris.* Enimuero iſthoc ad expedienda negotia in concilio aliquo, cuius membra aequali iure pollent, adplicari nequit. Quis enim heic iudicium feret, vtra ſententia ſit prudentior? Non ſane ipſae partes diſſidentes. Neque enim in propria cauſa pro arbitrio ſeſe ingerentem is, qui in diuerſam abit ſententiam, admittet. Et quotusquisque eſt, cui non ſua magis prudentia, quam aliena placet? Imo quam multi ſunt, qui ideo tantum vel optimam ſententiam obtrectare gaudent, quia ipſi auctores non fuerunt? Nec facile eſt iſtas lites tertio decidendas concedere; cum ipſius quoque arbitri prudentia aut integritas facile in controuerſiam vocari poſſit, vt ad hanc diſcutiendam alio arbitro opus ſit. Quid quod plerumque iſtae res ita ſunt comparatae, vt commode ad arbitros extra ſocietatem deferri nequeant. Igitur commodiſſimum viſum, eiusmodi inire rationem, quae nihil difficultatis, aut obſcurae haberet diſceptationis: qua nulla expeditior inueniri poteſt, quam vt ſententiae numerentur. PLINIVS Panegyr. [c. 62. in fine.] *Melius omnibus quam ſingulis creditur. Singuli enim decipere & decipi poſſunt: nemo enim omnes, neminem omnes feſellerunt.* Et cui in concilio aliquo ſuffragium conceditur, in eo tantum ineſſe prudentiae iudicatur, vt ſufficiat perſpiciendis negotiis, quae ibi diſceptantur. Id quod ſaltem de illis conciliis obtinet, in quae non ſine delectu aliquo homines admittuntur. Neque ſemper conſultum foret; ſi verbi gratia, praeſidi concilii haec daretur poteſtas, vt is ſuo ſuffragio poſſet declarare, quaenam ſententia melior ſit. Data enim hac poteſtate licebit ei

 partem

leat ad ſtatuenda, quae iuri diuino & ſanae rationi repugnant. IV. Nec ad fundamentales leges ſubuertendas aut formam Reipublicae ex libidine mutandam. V. Nec ad priuatorum iura, priuilegia veteres & in publicam vtilitatem receptas conſuetudines abolendas.

3) Addatur LIVIVS L. XXXII. c. 20. POLYBIVS L. V. c. 49. extremo.

4) In ochlocratia id iniuſtitia non carere, ipſe docet VI. Pol. 5. H.

partem minorem anteferre maiori, imo licebit vtramque eo obtentu, quod neutra bona ſit, reiicere; & ſic reuera in talem praeſidem ſumma rerum conferretur. Sicuti abſoluti Principes etiam minorem partem ſuorum conſiliariorum ſequi poſſunt; imo & diuerſam ab iiſdem ſententiam ſequi.

§. XVI. Est tamen circa pluralitatem ſuffragiorum obſeruandum, in quibuſdam conciliis non ſufficere, vt vno aut paucis ſuffragiis ſententia praeualitura alteram ſuperet; ſed alicubi certo numero vna ſententia alteram excedere debet. Sic in cap. 6. X. de Electione & electi poteſtate, ille demum Pontifex fieri iubetur, quem duae tertiae partes Cardinalium elegerint. Idem circa electionem & decreta decurionum obtinuiſſe [1] adparet ex *L. 3. 4. D. Quod cuiusque vniuerſ. nomine.* & *L. 45. de Decurion.* Prvdentivs L. I. contra Symmachum [v. 604. & ſeqq.] *Sic conſulta Patrum ſubſiſtere conſcriptorum. Non aliter licitum priſco ſub tempore, quam ſi Tercentum ſenſiſſe ſenes legerentur in vnum Seruemus leges patrias, infirma minoris, Vox cedat numeri paruaque in parte ſileſcat.* Ap. Andr. Mavrocenvm Hiſt. Venet. L. XVII. SCto, quo Ieſuitae ditione Venetorum eiiciuntur, adiicitur haec clauſula, vt illi SCto non derogaretur, niſi praeſentibus 180. Senatoribus, & conſentientibus quinque ſenis partibus. Vbi tamen hoc ita peculiariter definitum non eſt, pro maiore, & vniuerſis aequiualente parte reputabitur, quae alteram etiam vno ſuffragio ſuperauerit. Add. Grotivs L. II. c. 5. §. 17. & in Annotat. & Boeclervs ad dictum locum. item *L. 17. §. 6. D. de Receptis.* Fruſtra opponitur cap. quod omnes [2], de Reg. iur. in VI. *Quod omnes tangit, id ab omnibus adprobari aequum eſt.* Nam inde non ſequitur; ergo iniquum eſt, vt ob commodiorem rationem expediendi negotia pauci diſſentientes debeant cedere pluribus. Deinde regula illa non pertinet ad ſocietates ſeu concilia, quibus publicae res ſunt adminiſtrandae; ſed ad ſocietates, priuatas, quae pacto tantum, aut coniunctione ad eiuſdem rei poſſeſſionem conſtant. Qualis ſane coniunctio conſortibus non dat ius, vt vno inuito aliquid in re communi ſtatuant, quod iſte in detrimentum ſuum vergere credit. Ex quibus explicanda *L. 11. D. de Seru. praed. ruſt.* & *L. 28. D. Communi diuidundo.* Quod autem in d. c. 6. X. de Elect. & El. poteſt. additur, quod ibi de duabus tertiis partibus in electione Pontificis conſtituitur, non debere praeiudicare aliis eccleſiis, in quibus maioris & *ſanioris* partis ſententiae debeant praeualere; eius ratio eſt, quod per ſuperiorem, nempe Pontifi-

§. XVI. 1) Qua quidem in re vehementer fallitur Avctor. Dicitur enim in cc. ll. duas partes adeſſe, non autem, duas partes conſentire debere, vt ſententiae locus ſit. *Nulli permittetur nomine ciuitatis vel curiae experiri: niſi ei, cui Lex permittit, aut Lege ceſſante Ordo dedit, cum* DVAE PARTES ADESSENT, *aut amplius, quam duae. Plane vt duae partes decurionum adfuerint, is quoque quem decernent, numerari poteſt,* L. 3. 4. D. Quod cuiusque vniuerſ. nom. *Nominationum forma vacillare non debet, ſi omnes, qui albo curiae detinentur,* ADESSE *non poſſunt: ne paucorum abſentia, ſiue neceſſaria, ſiue fortuita debilitet, quod a maiore parte ordinis ſalubriter fuerit conſtitutum: cum duae partes ordinis in Vrbe poſitae totius curiae inſtar exhibeant.* L. 46. C. de Decurion. in X. Add. L. 2. 3. D. de Decr. ab ordine fac. In eadem cauſſa eſt locus Prudentii, qui deinde ab Auctore recenſetur. Prae ſe fert enim Poëta CCC. Senatores *adeſſe*, non autem, *conſentire* debere, vt SCtum fieri queat. Sufficiebat enim, ex his CCC. Senatoribus maiorem partem in eadem ſententia eſſe. Quod ex ſequenti loco Livii L. XXVI. c. 33. in fine extra dubium

Digitized by Google

Pontificem, (ex iſtorum hypotheſi) poſſit declarari, quae pars *ſanior* ſit, ſi ſuper eo dubium oriatur. Ergo *ſanioris* partis, ni eadem & maior ſit, ratio haberi non poteſt, niſi vbi ad ſuperiorem prouocatio patet. Add. GRATIANVS c. 36. diſtinct. 63.

§. XVII. QVODSI pares ſint ſententiae diſcrepantes, nihil agetur, ſed res in priori ſtatu manebit; quia ad mutationem non ſatis eſt momenti, & par vtrinque pondus aequilibrio velut rem ſuſpendit. Hinc & in iudiciis, vbi pares ſunt ſententiae, reus abſoluitur [1]. Etſi nec hoc in caſu ſi quae conſtitutae ſunt in calumniatores aut temere litigantes poenae, locum videantur habere [2]. QVINTILIANVS Declam. 254. *Pares ſententiae periculo proſunt.* ANTIPHON. Orat. XIV. *Τὰ ἐξίσου γενόμενα φεύγοντος ἐστὶ μᾶλλον ἢ διώκοντος. ἐπεί γε καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξίσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ἀφελεῖ ἢ τον διώκοιτα. Quae aequalia ſunt, magis reo quam actori proſunt; quando & calculorum numerus par cum ſit, reum magis quam actorem iuuat.* Add. ARISTOTELES Problem. Sect. 29. c. 13. *L. 39. D. de Re iudicata. M.* SENECA L. I. Controu. 5. *Alter iudex damnat, alter abſoluit; inter diſpares ſententias vincat mitior.* Quod ius Graeci vocant *calculum Mineruae.* De quo videatur peculiaris Diſſertatio BOECLERI. Quanquam apud Ebraeos ne tunc quidem reus damnatus cenſebatur, ſi iudices damnantes eos, qui abſoluebant, vno duntaxat ſuffragio vincerent. Cuius rei ratio ſine dubio haec erat; quod cum pari religione iudices debeant pronunciare, quo teſtes; igitur vti vnus teſtis ad conuincendum, ita nec vnus iudex ad condemnandum ſatis momenti afferret. Nam caeteri iudices contradictoria ſtatuentes auctoritatem ſuam velut mutuo deſtruxerant. Addendum & hoc, vbi ſententiae feruntur curiatim aut tributim, illos pauciores, qui in aliqua tribu per maiorem partem vincuntur, aliarum tribuum diſſentientientium numerum augere non poſſe.

§. XVIII. DENIQVE quando plures, quam duae ſententiae extiterint, quaeſtio eſt, an ſingulae ſeorſim ſint numerandae, vt illa vincat, quae plura, quam caeterarum ſingulae, ſuffragia habuerit, an vero duae pluresue, diſcrepantes licet, coniungi poſſint ad vincendam tertiam, qua eliſa & ipſae poſtea inter ſe comparentur, vt demum illa vincat, quae ex poſterioribus plura ſuffragia habuerit? Heic, ſi meram aequitatem naturalem, citra pactiones aut leges

 ſpe-

dubium ponitur: *Plebes ſic iuſſit*, Quod Senatus iuratus MAXIMA PARS CENSEAT, QVI ASSIDETIS, *id volumus iubemusque*, ad quem locum videatur. I. Fr. GRONOVIVS. Sui quoque immemor AVCTOR, leges hic adductas in §. 19. ſenſu ſuo laudat.

2) Vnde vulgatum illud: Quae ad ſingulos qua ſingulos ſpectant, in iis non vincere maiora ſuffragia. V. STRVVIVM Ex. 7. Syntagm. iur. ciuil. §. 43. H.

§. XVII. 1) EVRIPIDES Electra:

Καὶ τοῖσι λοιποῖς ὅδε νόμοις τεθήσεται,
Νικᾷν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' ἀεί.

Idemque cunctis iuris eſſe, in poſterum,
Certante numero iudicum, vt vincat reus.

AESCHYLVS Diris:

Ἀνὴρ ὅγ' ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην.
Ἴσον γάρ ἐστι τ' ἀρίθμημα τῶν πάλων.

En iſte poenam caedis effugit reus:
Nam calculorum cernimus numeros pares. H.

2) *Inter pares numero Iudices, ſi diſſonae ſententiae proferantur, in liberalibus quidem cauſſis (ſecundum quod a* D. Pio *conſtitutum eſt,) pro libertate ſtatutum obtinet: in aliis autem cauſſis pro reo: quod & in iudiciis publicis obtinere oportet.* L. 38. pr. D. de Re iudic.

ſpeciales, reſpiciamus, diſtinguendum videtur inter ſententias, quae totis rebus differunt, & illas, quarum altera partem alterius continet, ſeu quae tantum quantitate differunt; vt hae coniungendae ſint in eo, quo conueniunt, illae non item. Sic qui in XX. condemnant, & qui in X. coniungentur in X. contra ſententiam abſoluentem, & reus condemnabitur in decem, quia in hoc maior pars iudicum conuenit, cum in XX. etiam X. comprehendantur. Quo ſpectat *L. 38. §. 1. D. de Re iudicata* [1], & *L. 27. D. de Receptis* [2], & *c. 1. de Arbitris in VI.* Vbi nequidquam a deciſione dicti loci 27. Grotius in Sparſ. flor. diſcedit, dum in decem condemnandum putat reum, quia in hanc ſummam maior pars conſenſit, reiecto in quo diſcrepabant. Nam in quinque omnes conſentiunt [3]. Maiore autem parte tunc ſtatur, quando aliqui diſſentiunt. Hinc & in ſenatu Romano moris erat, vt ſi quis ſenator ſua ſententia duo complexus eſſet, quorum vnum probabatur, alterum non, iuberetur *ſententiam diuidere.* Vid. Cicero Epiſt. fam. L. I. Ep. 2. Seneca Epiſt. 21. *Quod fieri in Senatu ſolet, faciendum ego in philoſophia quoque exiſtimo: cum cenſuit aliquis, quod ex parte mihi placuit, iubeo, illum diuidere ſententiam & ſequor* [4]. At vero ſi, verbi gratia, aliquem reum pars iudicum releget, pars morte multet, pars abſoluat: ſane neque illi, qui relegant, coniungi poterunt cum his, qui mortem decernunt, contra abſoluentes; nec hi, & relegantes contra mortem decernentes. Nam illae ſententiae plane inter ſe ſunt diuerſae [5]: quia vtique in morte non eſt relegatio, nec relegatio eſt pars mortis. Ac licet abſoluentes & relegantes in hoc conueniant, quod reus non ſit necandus; hoc tamen directe non efficit ipſorum ſententia, ſed duntaxat per conſequentiam. In ſe autem reuera ſunt diuerſae. Nam qui abſoluit, reum omni poena liberat; qui relegat, poenam vtique decernit. Vid. Plinivs L. VIII. Ep. 14. Polybivs Excerpt. legat. 129. refert, cum quidam Achaei Romae captiui tenerentur, & quid iis fieri placeret, ad ſenatum eſſet relatum, tres ſententias extitiſſe, quarum vna dimittendos cenſebat, altera damnabat, tertia ad tempus retinendos cenſebat; ita tamen, vt ſententia abſoluens duas reliquas ſeparatim ſumtas numero vinceret. Heic praetor Poſthumius, qui tunc Senatum habebat, Achaeis iniquior, verſutia in ipſorum fraudem vſus eſt. Cum enim diſceſſio facienda foret, Praetor vna ſententia praetermiſſa, de duabus tantum perrogauit, hoc modo: *Qui euocatos ſentitis dimittendos*, in hanc partem, *qui alia omnia*, in illam partem ite. Sic accidit, vt qui retinendos in praeſentia cenſuerant, iis ſe adiungerent, qui abſoluendos negabant; & ita hi praeualerent illis, qui dimittendos cenſebant. Apud Gellivm L. IX. c. 15. argumentum controuerſiae tale proponitur: *De reo ſeptem iudices cognoſcant, eaque ſententia ſit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Quum ſeptem iudices cognouiſſent, duo cenſuerunt reum exilio multandum, duo alii pecunia, tres reliqui capite puniendum.*

§. XVIII. 1) *Si diuerſis ſummis condemnent Iudices, minimam ſpectandam eſſe* Iulianus *ſcribit.*

2) *Si ex tribus Arbitris vnus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent - - -* Iulianus *ſcribit, quinque debere praeſtari: quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt.*

3) Si numeri arithmetice ſpectentur, non & morali aeſtimatione: Etenim ſi interrogentur, qui in viginti condemnarunt, mauolent profecto ſe coniungere cum illis, qui in decem, quam qui in quinque condemnarunt. H.

4) Grotivs vbi ſupra §. 19.

5) Diſſentit non temere Hvbervs L. III. de

Iure

niendum. Petitur ad ſupplicium ex ſententia trium iudicum, & contradicit. Qui caſus tanquam ἄπορος ſeu inexplicabilis tunc fuit propoſitus. Idem argumentum habet Declamatio 365. apud QVINTILIANVM. Vbi inter alia recte dicitur: *Non idem ſentientes non potes iungere. Idem ſentientes compara.* Vid. quoque argumentum Declamationis 30. apud LIBANIVM. Apud HELIODORVM Aethiop. L. I. Cnemon a mille ſeptingentis ad mortem, a mille exilio damnatus dicitur. Quia tamen illorum aliqui lapidibus reum obruendum, alii in barathrum mittendum cenſuerant, mille iſti exilium decernentes maiorem numerum efficiebant. Add. CVIACIVS Obſ. XII. c. 16. & ZIEGLERVS ad Grot. L. II. c. 5. §. 17. Id quoque monet GROTIVS dicto loco §. 22. quando plures inter ſe non proprie dictam vniuerſitatem conſtituunt, ſed tantum intuitu certae rei inuicem connectuntur, de qua non omnes aequaliter participant; tunc non tantum ordinem ſumendum ex modo participationis, ſed & ſententias aeſtimandas ad proportionem geometricam. Quo ſpectat *L. 8. D. de Pactis. L. 14. D. Depoſiti. L. 16. D. de Reb. aut. iud. poſſid.* Vbi tamen obſeruandum, cum talis ſocietas tantum fundetur in re aliqua communi, & non in eiusmodi pacto, quo proprie vniuerſitas conſtituitur, & quo quisque ſuam voluntatem voluntati maioris partis ſubiecit; ita quidem praeualere votum eius, qui maiorem in ea re portionem habet, voto illius, qui minorem portionem habet, vt tamen ille hunc per ſuffragium ſuum nequaquam iure ſuo poſſit exuere, aut eidem praeiudicare. Atque ſic intelligitur, quid ciuitas velit, vbi ſumma rerum penes plures vno eſt.

§. XIX. ILLVD autem manifeſtum, ad eiusmodi concilium, in quo de communibus rebus deliberandum, & ſtatuendum eſt, minimum tres homines requiri. Vid. *L. 85. D. de Verb. ſignif.* [1] Si enim duo duntaxat fuerunt, vbi eos diſſentire contigerit, nemo praeterea adeſt, qui alterutrius ſententiae momentum poſſit addere. Vnde eo caſu nihil expediri poſſet. Vid. *c. 1. X. de Arbitris.* Neque obſtat, quod etiam duo, verbi gratia, Conſules, collegae vocentur. Nam eo vocabulo ſaepe paritas duntaxat numeris notatur. Vid. *L. 173. D. de Verb. ſignif. L. 14. D. de Admin. tut. L. 101. D. de Solut.* Sicuti & apud Latinos auctores dicitur *Collegium Tribunorum*, in quo tamen vnus ſuo diſſenſu reliquorum decretum poterat irritum facere. Neque ſemper, qui collegarum nomine ſe inuicem ſalutant, tale concilium conſtituunt, in quo voluntates omnium pacto aliquo in vnam voluntatem coaluerint. Sed contingere poteſt, vt inter plures ſit ſocietas, in quo tamen ſinguli ſuam retineant voluntatem, ab aliorum voluntate hautquidquam dependentem. Vnde ad rem nihil facit, quod contractus ſocietatis inter duos iniri poſſit. *L. 7. §. 2. D. Quod cuiusque vniuerſit. nomine* [2], non illud vult, quaſi collegium ab initio poſſit ab vno conſti-

Iure ciuitat. ſect. 2. c. 6. §. 5. & 6. quoniam vis & poteſtas ſuffragiorum ab intentione iudicantium pendeant, &, vbi dubia res eſt, in mitiorem ſemper partem inclinari, aequitas iubeat. Sic duos pecunia, totidem exilio puniri reum iudicantes, coniungendos aduerſum tres, qui vltimum ſupplicium dictitarunt. Idem dicendum, ſi duo abſoluant, & duo relegandum reum pronuncient; nam & hi praeualebunt tribus illis ad mortem condemnantibus. H.

§. XIX. 1) Neratius Priſcus *tres facere exiſtimat collegium: & hoc magis ſequendum eſt.*

2) *Si vniuerſitas ad vnum redit, magis admittitur,*

conſtitui; ſed quod, deficientibus caſu aliquo reliquis membris, iam conſtitutum ab vno ad tempus poſſit conſeruari [3], quousque alii in locum caeterorum ſurrogentur. Abſentium autem regulariter in eiusmodi conciliis non habetur ratio [4], vbi legitime vocati fuerint [5]; (vid. *c. 36. X. de Electione & electi poteſt.*) ſed ius eorum praeſentibus velut accreſcit. Quo poſſis adplicare illud SENECAE Excerpt. controu. VII. 4. *Quotiens duobus eſt communio, poteſtas eius tota fit, qui praeſens eſt.* Putauerim tamen, id reſtringendum ad quotidiana negotia, & quae moram non ferunt. Sicut & haec exceptio eſt; niſi praeciſe certum numerum collegarum leges requirant. Vid. *L. 3 D. Quod cuiusque vniuerſ. nomin. L. 45. C. de Decurion.* Alicubi abſentes vices ſuas praeſentibus delegare, & per eos, vel ſcripto quoque ſuffragium ferre poſſunt. Vid. *cap. 46. de Electione & electi poteſtate* in VIto.

§. XX. DENIQVE ciuitate ita conſtituta, ille, in quem imperium eſt collatum, prout eſt vel vnus homo, vel vnum concilium paucorum, aut vniuerſorum, monarcha, ſenatus, aut populus dicitur; reliqui ſubditi cluent. Vbi obſeruandum eſt, duplici modo aliquem ciuitatis cuiuſpiam membrum fieri, pacto nempe expreſſo, aut tacito. Scilicet qui ciuitates ab initio conſtituerunt, non ſane hoc cenſentur egiſſe, vt illae ſingulis, qui ab initio eas conſtitutum ibant, extinctis, ſimul extinguerentur: ſed potius longa atque aeterna ſibi commoda per eandem obtinenda ob oculos poſuerunt, quibusque adeo ipſorum liberi ac tota poſteritas gauderent. Igitur hoc quoque ſimul egiſſe cenſendi ſunt, vt liberi ipſorum poſterique, ſtatim atque naſcerentur, commodis atque emolumentis communibus ciuitatis gauderent. Quae cum ſine imperio, quo ciuitas velut animatur, obtineri nequeant, eo ipſo quoque omnes, qui in ciuitate naſcuntur, imperio iſti ſeſe ſubieciſſe intelliguntur. Inde eſt, quod qui ſemel imperium in aliqua civitate acceperunt, non neceſſum habeant denuo ſibi expreſſe ſubiectionem a recens ſubnata ſobole ſtipulari, vtut omnes illi ſint extincti, qui initio imperium in ipſum contulerant. Deinde cum quaelibet ciuitatum certam orbis terrarum partem inſederit, in qua ciues ſe ac fortunas ſuas in tuto collocarent; quarum ſecuritas facile periclitatura eſſet, ſi quibuslibet ibi liceret verſari, qui ciuitatis imperium non agnoſcerent: igitur omnium ciuitatum communis lex intelligitur [1], vt, qui ſeſe in alicuius ciuitatis ditionem contulerit, multoque magis ſi eiusdem commodis frui velit, natura-

titur, poſſe eum conuenire & conueniri: cum ius omnium in vnum ceciderit, & ſtat nomen vniuerſitatis.

3) Vid. MEVIVM Part. IV. Dec. 152. Part. VII. Dec. 140. H.

4) Vid. REINKING. L. I. de Reg. Sec. & Eccl. cl. 5. c. 8. n. 7. vbi de comitiis Imperii. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 5. §. 20. H.

5) Vid. MEVIVS Part. IV. Dec. 201. H.

§. XX. 1) Vid. ſupra L. III. c. 3. §. 10. Eſt autem *incolae officium*, iuxta CICERONEM I. de Officiis, *nihil praeter ſuum negotium agere; nihil de alio inquirere; minimeque in aliena Republica eſſe curioſum.* Adraſtus, laudans quem ex ſeptem heroibus, apud EVRIPIDEM in Supplicibus:

Πρῶτον μὲν, ὡς χρὴ τοὺς μετοικοῦντας ξένους,
Λυπηρὸς οὐκ ἦν, οὐδ' ἐπίφθονος πόλει.

Et mox

- - X' ὁπότ' εὖ πράσσοι πόλις
Ἔχαιρε· λυπρῶς δ' ἔφερεν, ἤν τι δυστυχῇ.
Primum, quod omnes incolas ſumme decet,
Vrbi moleſtus aut grauis nunquam fuit.
- - *Laetus vbi ſors proſpera*
Acciderat Vrbi, triſtis vbi contraria. H.

2) Vbi iuris eſt, ni aliud conuenerit, ita allectos eadem, qua veteres ciues conditione frui. Perti-

naturalem ſuam libertatem abdicaſſe, ac imperio eiusdem ciuitatis, ſaltem quousque ibi degere placet, ſubieciſſe ſe iudicetur. Quod ſi hoc agnoſcere nolit, hoſtis numero habeatur, ſaltem hactenus, vt extra fines ciuitatis expelli iure poſſit. Sicuti & illud manifeſtum eſt, non minus imperio ciuili ſubiici, qui ciuitati conſtitutae poſt accedunt [2], quam quorum coitione ab initio ciuitas fuit conſtituta. Eſt denique & illud heic monendum, circa definitionem *ciuis* quibusdam eruditis parum conuenire. Equidem HOBBESIO de Ciue c. 5. §. 11. *ſubditus & ciuis* videtur aequipollere [3]. Quo modo foeminae, pueri & ſerui ciues forent. Mihi videtur, cum ciuitas conſtituatur ex ſubmiſſione voluntatum vni homini vel concilio facta, ciues primario illos eſſe, quorum pactis ciuitas initio coaluit, aut qui in horum locum ſucceſſerunt. Id quod cum fecerint patresfamilias, igitur his praecipue ciuium nomen competere iudicauerim; foeminis autem, pueris & ſeruis, quorum voluntates iam ſub voluntate patrisfamilias continebantur, nonniſi conſequenter, quatenus & ipſi communi ciuitatis protectione, & quibusdam iuribus eo nomine fruuntur. Inquilini autem, peregrini, & ſimiles temporarii incolae ciues non ſunt; quia morari tantum ad tempus, non autem ſtabilem ſecuritatem ac fortunarum ſedem ibi quaerere volunt. Definitio ARISTOTELIS Polit. L. III. c. I. qua ciuem metitur *τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς*, *participatione iudicii & magiſtratus*, ad democratias duntaxat quadrat. Sicut & IPSE ſubiungit; *Ὥστε καὶ τὸν πολίτην ἕτερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν καθ᾽ ἑκάστην πολιτείαν. Itaque ciuem pro ſingulis Rebuspublicis alium eſſe oportet. Διόπερ ὁ λεχθεὶς ἐν μὲν δημοκρατίᾳ μάλιστα ἐστὶ πολίτης, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἐνδέχεται μέν, οὐ μὴν ἀναγκαῖον. Quare explicatus* ſeu hoc modo definitus, *maxime quidem in democratia eſt ciuis: in aliis vero* Rerumpublicarum formis *contingere quidem poteſt*, vt magiſtratuum & iudiciorum ſit particeps, *non tamen id eſt neceſſarium.* IDEM Polit. III. c. 8. *Ἐπεὶ πλείους εἰσὶν αἱ πολιτεῖαι, καὶ εἴδη πολίτου ἀναγκαῖον εἶναι πλείω. Cum plures ſint Reſpublicae, plura quoque ciuium genera eſſe neceſſe eſt.*

§. XXI. CIVIBVS porro in plerisque Rebuspublicis duo praecipue accidere animaduertimus vincula peculiaria, per quorum vnum quidam ipſorum in peculiaria corpora, ciuitati tamen ſubordinata, coaleſcunt; per alterum a ſummis imperantibus in partem aliquam regiminis publici adſciſcuntur. Corpora illa ciuitati ſubordinata, ſiue collegiorum, ſiue ſocietatum, aut quocunque

Pertinent huc inſignes controuerſiae, de quibus egi Diſſert. de Mod. conſtit. ciu. ſect. 2. §. 8. H.

3) Qui error quoque Bodini fuit, & poſtea Huberi. Sane ſummus imperans, qua primum quoque pactum cum caeteris iniuiſſe cenſetur, ciuium numero excludendus non eſt, neque ſemper vt caput ciuitatis, ſed interdum vt pars communitatis conſideratur. Vid. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 4. §. 12. & in not. c. 14. §. 1. 2. & 5. c. 20. & 24. Porro incolae ſubditi ſunt, non ciues. ARISTOPHANES Acharnenſibus:

Τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.
Quippe incolas eius ciuium paleas voco.

Quanto minus ſerui inter ciues referri queunt, ceu *qui ſunt extra Rempublicam*, vt SENECA in Controuerſiis loquitur. Caeterum in Rebuspublicis herilibus nulla eſt diſtinctio inter ciues & ſubditos. In his enim *certa dominorum domus eſt, caeteri ſerui*, vt eſt apud TACITVM I. Hiſtor. 16. EVRIPIDES Helena:

Τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός.
Nemo, niſi vnus, liber eſt in Barbaris. H.

cunque nomine veniant, poſſunt diuidi primo in ea, quae ciuitates anteceſſerunt, & quae poſt eas conſtitutas prouenerunt. Corpora ciuitate antiquiora ſunt familiae, in quibus quid imperii & iuris fuerit patribusfamilias, ſupra expoſitum fuit [1]. Ex quo iure illud ipſis ſupereſt, quod per naturam ciuitatis, aut per leges ciuiles, publicosque mores ipſis non eſt ademtum. Eorum, quae poſt ciuitates conſtitutas orta ſunt, quaedam poſſunt vocari publica, quaedam priuata. Publica ſunt illa, quae auctoritate ſummi imperii ciuilis conſtituta ſunt. Priuata autem, quae vel ipſorum ciuium conuentione coaluerunt, vel ab extranea aliqua auctoritate dependent, quae in ciuitate aliena non niſi pro priuato aliquo iure aut conatu haberi poteſt. Priuata corpora ſunt iterum vel legitima vel illegitima, quorum illa ciuitati probantur, aut probari debent; haec ſecus. Dico *probari debent.* Nam ſi in aliqua ciuitate, vbi cultus diuinus deprauatus eſt, aliqui ſenſu verae religionis imbuti ſuos coetus priuatim habeant [2] absque turbis, & machinationibus in ſtatum publicum, vtut ſummi imperantes improbent, quicquid a ſua perſuaſione alienum eſt: tamen illos coetus nemo illegitimos dixerit, cum ipſi ſummi imperantes teneantur eam veritatem agnoſcere & probare [3]. Sic ſi in barbara ciuitate, vbi omnis literarum cultus publice ſpernitur, aliqui priuatim coëant ſapientiae inquirendae cauſa; ſane nemo horum collegium illegitimum pronunciauerit. Vtraque ſunt vel regularia, vel irregularia. Illa ſunt, vbi iuxta certa conuenta voluntas omnium vnita eſt: haec autem, vbi non tam vnio voluntatum, quam vinculi expers conſenſio aut conſpiratio deprehenditur, ex communi aliquo affectu, puta, ſpe, cupidine lucri, vindictaeque, ambitione, ira, & ſimilibus orta.

§. XXII. Circa omnia corpora legitima obſeruandum, quicquid iuris illa habeant, & quicquid poteſtatis in ſua membra, id omne a ſumma poteſtate definiri [1], & nequaquam huic poſſe opponi aut praeualere. Alias enim ſi daretur, corpus, limitationi ſummi imperii ciuilis non obnoxium, daretur ciuitas in ciuitate. Vnde ſi aliqua ciuitas ex pluribus corporibus abſolutis & independentibus coaluit [2], neceſſum fuit, iſta de priori ſua poteſtate & iure tantum remiſiſſe, quantum ad indolem ciuitatis neceſſarium ſuit; cum alias fine ſuo, quem ſibi propoſuerant, excidiſſent. In ciuitate autem iam conſtituta videndum eſt, quid agere voluerit ſummum imperium, eiusmodi corpus fundando aut adprobando. Si enim expreſſis verbis abſolutum & independens ius circa certum genus negotiorum, ſtatum ciuitatis ſpectans, eidem contulit & confirmauit, ſane parte ſui imperii ſeſe abdicauit, ac ciuitatem fecit irregularem & bicipitem. Quod niſi ſumma neceſſitas ſubigat, nemo ſanus fecerit. Vbi autem ſummus imperans poteſtatem ſuam illibatam & inte-

§. XXI. 1) L. VI. c. 1. §. 11. c. 2. §. 11. 12. c. 3. §. 6. H.

2) Quales primorum Chriſtianorum, de quibus Plinius L. X. Ep. 97. H.

3) Recte hic ſe habet auctoris opinio, quandoquidem & Princeps veritati perſpectae ſine controuerſia locum relinquere tenetur. Quodſi autem ſua ſacra bona fide puriora imperans credat, ſubſcribimus ſententiae Cl. Barbeyraci cenſentis, eum adhuc nullo iure gaudere impediendi, quo minus quilibet ciuium Deum ex ſui animi ſententia colat, quia religio a vinculis Imperii Ciuilis libera eſt.

§. XXII. 1) Et hactenus etiam perſonam gerere. *L. 22. D. de Fideiuſſor.* H.

2) Conſiderandi tamen ſimul varii coalitionum modi, de quibus infra L. VIII. c. 12. §. 6. H.

Digitized by Google

integram retinere voluit, neceſſum eſt, vt iſtud corpus ſubordinatum ſua iura ita temperet, ne ſummo imperio praeiudicet, nec vllas extenſiones aut conſequentias nectat, quae huc ſpectent, vt id non amplius eidem ſit ſubordinatum. Quo pacto autem iſtiusmodi corporum poteſtas ſit circumſcripta, ex literis, quibus quoduis fundatum aut confirmatum fuit, eſt cognoſcendum, vel etiam ex communibus ciuitatis legibus, quae omnes & ſingulos ciues obſtringere cenſentur, in quantum expreſſe iſtis non fuit derogatum. Vnde conſequitur, ſi adminiſtratio iſtius corporis ſit collata in vnum hominem, quicquid ille egerit iuxta fundationem, aut leges ciuitatis communes, id habebitur pro actione totius corporis. Sed extra illa quae agit, ea propria ipſius eſt actio, quae caeteros non tangit, & de qua ipſe ſolus rationem reddit [3]. Quodſi autem regimen eiusmodi corporis ſit penes coetum ex pluribus conſtantem, vbi ab ipſo aliquid contra leges & fundationem actum fuerit, ſoli illi eo nomine poenae ſunt obnoxii; qui conſenſerunt, diſſentientes aut abſentes innocentes ſunt. Quibus ad ſui ſecuritatem expedit proteſtari contra caeterorum decretum, & proteſtationem actis inſerere, ne forte alienorum delictorum poenis inuoluantur [4]. Cum contra aduerſus decretum coetus independentis membro proteſtari non liceat, cum eo ipſo ſumma ipſius poteſtas abnegetur. Circa debita autem eiusmodi corporum videndum primo eſt, cuius nomine ea contracta ſint. Nam quod quisque ex membris ſuo nomine debere coepit, id non debet totum corpus. Niſi quod eo ad ſoluendum condemnato execution poſſit fieri non ſolum in reliqua eius bona, ſed & ea, quae intuitu eius corporis ad ipſum ſpectant. Quae porro a Rectoribus corporis vno aut pluribus contracta ſunt, iuxta leges fundationis, ea totum corpus, vt tale ſtringunt [5], ac niſi communia bona poſſideat id corpus, ſingulos pro rata. Niſi quod creditores, qui extra ciuitatem corporis iſtius ſunt, vbi ſolutio abnuitur, quos ex eo corpore deprehendunt, non aliter eos tractent, quam ſi ſinguli ſeſe obligaſſent in ſolidum. Sicuti & alias quiuis ciuis pro alterius debito apud extraneos obnoxius eſt repreſſaliis [6]. Aſt quae praeter fundationis leges contracta ſunt debita, illos ſolos onerant, qui expreſſe conſenſerunt, non autem eos, qui diſſenſerunt, niſi quantum facti ſunt locupletiores. Atque id debitum, qua communitatis opes non pertingunt, ex ſingulorum bonis, qui conſenſerunt. pro rata eſt exſoluendum. Sed ſi membrum pecuniam credat corpori, vt tali, non habet quod vlterius vrgeat praeter bona communitatis; quae ſi non ſuffecerint, habet quod ſibi imputet. Conf. HOBBES Leuiath. c. 30. Quodſi controuerſia oriatur alicui membro cum toto corpore, non corpus iudex erit, ſed ciuitas, cui corpus iſtud ſubeſt. Nam cum heic communis iudex detur, inconueniens fuerit, in propria cauſa ſententiam ferre.

3) Qua in parte notabile eſt diſcrimen inter rectorem ciuitatis ſummum & rectorem vniuerſitatis. Nimirum huius poteſtas pendet a tenore mandati, quod dedit ſummus imperans, a quo ius ſuum habet vniuerſitas: At populus liber, translato imperio, imperantes ita ſuo loco ſtatuit, vt nullo remedio ſe vtique aduerſus externos, qui id, quod ob oculos eſt, ſequuntur, tueri queat. H.

4) Nam & integrae vniuerſitates delinquere cenſentur, vel non reſiſtendo, cum poſſint, vel conſpiratione. Vid. infra L. VIII. c. 3. §. 28. H.

5) Apud Romanos ſi adminiſtrator pecuniam mutuam accepiſſet, ciuitas non aliter obligabatur, quam ſi probaret creditor pecuniam in vtilitatem ciuitatis eſſe verſam. *L. 27. D. de Reb. credit.* H.

6) Vid. infra L. VIII. c. 6. §. 13. H.

§. XXIII. Corpora illegitima ſunt non ea tantum, quae manifeſti ſceleris cauſa coiuerunt, vti ſunt ſocietates furum, mendicorum, Cingarorum, piratarum, latronum. Sed etiam quaeuis coniunctiones inter ciues, peculiaribus pactis firmatae, abſque conſenſu ſummorum imperantium * initae, & fini ciuitatum repugnantes. Quae coniurationum, aut factionum vocabulo venire ſolent. Quorum varius ſcopus eſt. Nam interdum iſti factioſi ſummam rerum ad ſe trahere laborant; aliquando hac via negotia publica ad ſuum placitum & emolumentum dirigere inſtituunt. Alii ex publico rem priuatam augere ſtudent, alii impunitatem ſcelerum ſibi ex factione quaerunt. Imo etiam quae plauſibilem praetextum oſtentant, puta defenſionem, emendationem quorundam abuſuum, remotionem prauorum miniſtrorum, item quorum cauſa occultatur, ſuſpectae & periculoſae ſunt. Nam & inuaditur id, quod curare penes rectores ciuitatum erat, & vbi factioſis ſuae vires placuerint, facile in ipſam ciuitatem verti poſſunt. Otho apud Tacitvm Hiſt. I. [c. 84. princ.] *Vos quidem iſtuc pro me. Sed in diſcurſu, ac tenebris, & rerum omnium confuſione pateſieri occaſio etiam contra me poteſt.* Vnde & multa per ſpeciem factionis agere illicitum eſt, quae in ſe alias nihil iniuſti habent. Sic ſupplicationem offerre imperanti, accuſare aliquem, non illicitum eſt; ſed facere id coetu magno coacto ſpeciem factionis, & ſeditionis induit. Sic in legibus militaribus ſub poena capitis interdici ſolet, ſtipendia coetu coacto flagitare. Add. Actor. XIX, 39. 40. Hobbes de Ciue c. 13. §. 12. 13. & Leuiath. c. 30. vbi legitima corpora *muſculis* in corpore humano, illegitima *tuberibus, apoſtematibus, tumoribuſque a confluxu humorum noxiorum generatis*, comparat.

§. XXIV. Pecvliari autem vinculo, praeter illud commune omnes ciues ſtringens, nectuntur ſummis imperantibus, qui ab hiſce adſciſcuntur, ad partem aliquam imperii ipſorum nomine & auctoritate exercendam; ac miniſtrorum publicorum, magiſtratuumque vocabulo veniunt. A quibus diuerſi ſunt miniſtri Principis priuati, qui ipſi, vt cuicunque alii, circa negotia, quae vt reliqui omnes exercent, inſeruiunt. Circa eos autem, qui ſummo imperanti, vt tali, miniſtrant, diſcrimen aliquod deprehenditur, quod quidam particulam aliquam imperii, munerique rectorii exerceant, adeoque certo modo perſonam imperantis repraeſentent, qui proprie & ſtricte miniſtrorum publicorum nomine deſignantur: alii ſimpliciter negotiorum publicorum expeditioni & exſecutioni inſeruiunt. Ad priorem claſſem pertinent tutores & adminiſtratores regni, rege minorenni, aut captiuo & mente moto; Praeſides deinde prouinciarum, vrbium, diſtrictuum; tum militiae terreſtris & maritimae; praefecti aerarii, qui iuri dicundo, & exſequendae iuſtitiae praeſunt, cenſores doctrinarum, Legati ad exteros, & ſi qui ſunt alii. Ad alteram autem claſſem

§. XXIII. * De Romanis Livivs teſtatur L. VII. c. 16. eos, *ne quis populum ſeuocaret, capite ſanxiſſe.* Apud Evndem eſt L. XXXIX. c. 5. *Maiores veſtri, ne vos quidem, niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſa exercitus eductus eſſet, aut Plebi comitium Tribuni edixiſſent, aut aliquis e magiſtratibus ad concionem vocaſſet, forte temere coire noluerunt, & vbicunque multitudo eſſet, ibi & legitimum multitudinis rectorem dicebant eſſe.* Add. *L. 3. pr. D. de Colleg. & corporib*

claſſem pertinent conſiliarii, quippe qui nullam imperii partem exercent, ſed tantum quid ſibi videatur imperanti exponunt; item qui aliam operam circa negotia publica ponunt, vti ſunt ſcribae, qui reditus publicos colligunt, aſſeruant, aut erogant, milites item, & qui exercendae iurisdictioni manus praebent, & ſi qui alii ſunt; quorum ordinem & varietatem in quauis ciuitate cognoſcere in procliui eſt. Conf. HOBBES Leuiath. c. 30. & BODINVS de Republ. L. III. c. 7.

* *

CAPVT III.

DE GENERATIONE SVMMI IMPERII CIVILIS, SEV MAIESTATIS.

I. *Summum imperium reſultauit ex pactis, quibus ciuitas coaluit.*
II. *Id quod volente & probante Deo factum.*
III. *An maieſtas ſit immediate a Deo?*
IV. *Quibus rationibus id aliqui probare conentur?*
V. *Imperium ciuile non fuit productum per bella.*
VI. *An ex patrefamilias poſſit fieri princeps?*
VII. *Quomodo, qui vaſalli vinculo exſoluitur, maieſtatem accipiat?*
VIII. *An liber populus, aut monarcha, imperium in alterius manus reſignans, efficiens cauſa maieſtatis ſit?*
IX. *Penes quem ſit, tribuere titulum regium?*

VIDEAMVS porro, vnde ſummum imperium, quod in omni ciuitate exſiſtit, & quo velut anima illa viuit ac libratur, immediate & proxime producatur. Vbi initio praeſupponimus, vt imperium effectu ſuo potiatur, requiri tum vires naturales, queis ſubiectus, ſi forte quod iniungitur detrectare praeſumſerit, repraeſentato aliquo malo poſſit cogi; tum titulum, ex quo iure aliis praeſtandum quid aut omittendum queat iniungi; cui in iſtis reſpondet obligatio eiuſdem iuſſis obſequendi. Horum vtrumque proxime ex pactis, per quae ciuitas coaleſcit, promanat. Nam etſi vires ſuas naturaliter in alterum nemo transfundere queat: ille tamen vires aliorum poſſidere intelligitur, ad cuius arbitrium iſti eadem adplicare tenentur, ita vt in ipſis non ſit poteſtas reſiſtendi, ſeu iuſſum eius detrectandi. Alia quippe virium translatio inter homines non datur. Cum autem omnes, dum voluntates

 ſuas

perib. L. 1. ad L. Iul. maieſt. Athenis myſteria facere in aedibus, ad coniurationem pertinere videbatur. Cornel. NEPOS Alcibiade c. 3. Chriſtophorus THVANVS apud Thuanum L. LXIII. ad A. MDLXXVII. ſuadet Regi, *vt granibus edictis ſanciat, ne qui deinceps delectus, ſocietates, coitiones & ſecreta conſilia iniuſſu ſuo & ſine expreſſo Regis aut publico magiſtratus mandatu faciat: qui contra fecerint, in perduellionis crimen incurrant.* H.

ſuas vnius voluntati ſubmiſerunt, eo ipſo ſeſe obſtrinxerint, quod velint non reſiſtere, ſeu parere illi, vires & opes ipſorum adhibere volenti ad bonum publicum; adparet, ſummum imperium habenti tantas eſſe vires, vt quoslibet ad iuſſa ſua adigere poſſit. LIVIVS L. II. c. 59. *Imperii vis omnis in conſenſu obedientium eſt.* Sed & illud ipſum pactum luculentum praebet titulum, quo imperium iſtud non violentia, ſed vltronea ciuium ſubiectione & conſenſu legitime conſtitutum intelligitur. Haec igitur eſt proxima cauſa, ex qua ſummum imperium tanquam qualitas moralis reſultat. Poſita quippe in vno ſubmiſſione, & in altero ſubmiſſionis acceptatione, ſtatim prouenit in hoc ius iſti quid iniungendi, ſeu imperium. Et vti per pacta ius ad rem noſtram [1], ita & per ſubmiſſionem ius circa libertatem viresque noſtras diſponendi in alterum conferri poteſt. Vnde, verbi gratia, ſi quis vltro ſeſe in ſeruitutem mihi pacto tradat, reuera poteſtatem herilem in me confert. Aduerſus quae imperite tritum illud: quod quis non habet, non poteſt in alterum conferre, occinitur [2]. Sed vt peculiarem efficaciam & ſanctimoniam nanciſcatur imperium, aliud principium praeter ſubmiſſionem ſubiectorum accedere oportet. Eoque hautquidquam ſanctitati ſummi imperii ciuilis aliquid detrahit: aut iure duntaxat humano, non diuino quoque Principis imperare ſtatuit, qui imperium proxime ex pactis reſultare tradit.

§. II. ID tamen extra dubium eſt, ſanam rationem ſatis dictitaſſe, poſt multiplicatum genus humanum decus, pacem atque incolumitatem eiuſdem ſubſiſtere non potuiſſe, niſi conſtitutis ciuitatibus, quae ſine ſummo imperio intelligi nequeunt. Quo ipſo etiam ciuitates & ſummum imperium a Deo, tanquam legis naturalis auctore, profecta cenſentur. Nam non ea tantum a Deo ſunt, quae ipſe immediate, & citra vllum factum humanum, interueniens inſtituit: ſed & quae homines ductu ſanae rationis pro conditione temporum atpue locorum recepere ad implendam obligationem, ſibi abs Deo iniunctam. Conf. 1 Timoth. II, 2. Et cum in magna hominum multitudine lex naturalis commode exerceri nequeat citra imperium ciuile; patet, Deum, qui iſtam hominibus iniunxit, praecipere quoque, vt ſocietates ciuiles inſtituantur, quatenus tanquam media excolendae legi naturali inſeruiunt [1]. Inde & Deus in ſacris literis expreſſe id imperium probat, & pro ſuo agnoſcit, eiuſque ſanctimoniam & venerationem ſeueriſſimis legibus ſancit. Num autem diſerte Deus iuſſerit heic & nunc ciuitatem conſtitui, non liquet [2]. Nam praeceptum Noachidarum de iudiciis, quod forte huc trahi poſſet, certum tempus ac locum

§. I. 1) V. ſupra L. III. c. 5. §. 4. H.

2) Quam multa enim etiam a rebus naturalibus proficiſcuntur, quae iis non niſi virtute inſunt; quae iis inſunt, vt in ſcholis loquimur, non formaliter, ſed virtualiter? Sol indurat, Sol etiam liquefacit, vbi commodam materiam inuenerit. V. infra §. 4. & L. VIII. c. 3. §. 1. H.

§. II. 1) Vere CICERO in Somnio Scipionis: *Nihil eſt illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia coetuſque hominum iure ſociati, qui coetus ciuiles vocantur.* H.

2) Liquet vtique exemplo Reipublicae Hebraeorum, quam Deus a fundamentis extruxit & ſanctiſſimis legibus exornauit H.

3) Nimis liberaliter Auctor Cl. BARBEYRACO quartum hoc praeceptum ad Principes & ſummas poteſtates trahere videtur, etſi Theologis

locum eorundem conſtituendorum non exprimit. Sic vt eius ſenſus eſſe poſſit: iudicia eſſe exercenda, vbi conſtituta fuerint. Nec multum abit BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 3. §. 6. quando ſuper origine ſummi imperii ciuilis ita tradit. *Summam poteſtatem non ab humano tantum facto, ſed & a iuſſu diuino & lege naturae ſiue tali facto humano, quo iuri naturae obtemperatum itur, arceſſendum eſſe. Qui enim ſocietatem praecipit, is ſocietatis ordinem praecipit; ſocietatis autem anima eſt imperium, & inter ſocietates ciuitas perfectiſſima.* Quae recte ſeſe habent, dummodo addatur: iuſſum diuinum circa conſtituendas ciuitates ſeſe exſeruiſſe per dictamen rationis, quo homines intellexerunt, decus atque pacem, quam pro fine habet ius naturale, ſine ſocietate ciuili ſubſiſtere non poſſe; idque praecipue poſtquam genus humanum inſigniter erat multiplicatum. Et hoc ipſo ciuitas ab aliis inſtitutis humanis differt, quae itidem ſana ratio introduci ſuaſit, ſed non ita, velut citra eadem decus, ſalus atque incolumitas generis humani ſeruari nequiret. Circa *quartum* autem *praeceptum Decalogi* [3], quo obſequium erga imperium ciuile ſancitur, obſeruandum eſt: per illud non excludi cauſas proximas, queis imperium productum fuit: ſicut praeceptum de furto non faciendo originem dominii hautquidquam excludit. *Dei* autem *vice in terris fungi* imperium ciuile gerentes, eo ſenſu, ni fallor, commode dici poteſt, quod quatenus pacem, bonumque ordinem in genere humano ſola reuerentia erga legem naturae, eiusque auctorem plene non praeſtabat, per imperii ciuilis vim iſte iam finis producatur [4]. Quo ſenſu & ſequentia plana ſunt: Ergo *vt ciuitas ſit ciuitas, finemque ſuum conſequatur, inſtitutus a Deo lege naturae ordo imperandi & parendi, in quo ex ipſa Dei voluntate & naturalis rationis dictamine aliquid ſummum ſit, ac a nemine dependens, neminis arbitrio ſubiectum, Deo vni vt ſubditum, ita ſecundum & vicarium; quae eſt ſumma poteſtas ciuilis. Id tamen meri eſſe facti humani, an ſummam illam poteſtatem velint vni committere, an pluribus, & quibus ſeorſim modis ſtatum Reipublicae deſcribere inſtituant.* Grotii autem ſententia ſuper origine ſummi imperii L. I. c. 4. §. 7. non adeo profana eſt, quin addita dextra explicatione tolerari poſſit. *Homines*, ait, *non praecepto Dei expreſſo*, quale ſane nullum extat, *ſed ſponte adductos*, non tamen citra dictamen rectae rationis, placitumque Dei, *experimento infirmitatis familiarum ſegregum aduerſus violentiam*, gliſcente mortalium numero, *in ſocietatem ciuilem coiiſſe: unde orta ſit poteſtas ciuilis, quam ideo* PETRVS I Epiſt. c. II. 13. *ordinationem humanam vocat*, quaſi proxime per homines conſtitutam. Sed quod GROTIVS eandem alibi *diuinam* vocari dicit, *ideo, quia ſalubre hominum inſtitutum Deus probauit:* id hautquidquam ſic admiſerim, quaſi conſequenter & velut ex poſtfacto Deus conſtitutionem imperii

gis quoque quibusdam patris & matris nomine Superiores omnes veniant. Adparere enim, ait, ex appendice, *Vt prolongentur dies ſui ſuper terra, quam Iehouah Deus tuus dat tibi*, hoc praeceptum ad ſolos parentes pertinere. Parentum enim precibus, quas hi fundere ad Deum pro liberis ſoleant, ſi hi iuſſibus ſuis obſequantur, vitam eorum prolongari. Verum excuſandus hoc loco videtur, AVCTOR, cum conſentientibus Theologis, quia ſententiam ſuam ratione ſine dubio ſimilitudinis fulciunt, qua, vt precibus parentum pro liberis obſequentibus, ſic precibus piorum Principum pro ſubditis ad parendum paratis, vita vtrorumque prolongetur.

4) Scilicet in naturali ſtatu, ſi homo malum patrabat, obnoxius nemini, praeterquam Deo, erat: nunc autem, quando ductu rectae rationis in ciuitatem ſe contulerunt homines, in ea parte vicem Dei gerit, qui ſummam habet poteſtatem. H.

imperii ciuilis adprobauerit [5]; ſicuti ſeruilem conditionem, quae ſine dubio humanum eſt inuentum, ſancire dignatus eſt. Epheſ. VI, 5. 6. 7. 8. Coloſſ. III, 22. 1 Timoth. VI, 1. Tit. II, 9. Sed omnino addendum, antecedenter homines potuiſſe voluntatem diuinam intelligere, conditione multiplicati generis humani expenſa: cuius ſalus vti extra ciuitates in vita ſegrege ſubſiſtere non poterat; ita mortales, dum ductum heic rationis, ad ſcopum legis naturalis congruentem, ſequuntur, voluntatem diuinam impleſſe ſunt cenſendi.

§. III. Isthaec quanquam ſufficere iudicemus tum ad originem imperii ciuilis conſecrandam, tum ad pignorandam ciuium aduerſus imperantes venerationem: operae pretium tamen fuerit expendiſſe, quid ſolidi ſubſit argumentis I. F. Hornii [1] de Ciuitate L. II. c. 1. qui altius heic aſſurgendum contendit. Hic igitur ponit, *cauſam ciuitatis* non eſſe etiam *cauſam Reipublicae & imperii ſummi*; adeoque admittit quidem, ipſas ciuitates per pacta conſtitui; ſed contra aſſerit, imperium ſummum ab ipſo Deo immediate in principes conferri, neque ad id producendum quidquam ab hominibus proficiſci [2]. Adeoque liberos populos, dum regem ſibi vltro eligunt, non conferre in ipſum maieſtatem, ſed tantum deſignare perſonam, in quam illa diuinitus conferatur. Sicuti in plurimis municipiis electio magiſtratuum eſt penes ordinem; & tamen illi poteſtatem ſuam non ab iſto ordine, ſed a ſummo imperante obtinent. Quae aſſertio etſi multis ſpecie pietatis blandiatur; in aperto tamen eſt, per eandem conuelli omnes conuentiones [3], legesque fundamentales, quae inter reges, ac ſubditos circa adminiſtrationem imperii ineuntur. Vbi primo ferri non poteſt, *Illum maieſtatem* ſolis regibus tribuere, Rebuspublicis liberis eandem plane detrahere [4]. Equidem vſus proximorum ſeculorum vocabulum maieſtatis inter ſolennes regum titulos ſepoſuit. Nec minus tamen eodem ſummum imperium in quauis Reipublicae forma notatum. Sicuti & definitio maieſtatis, ſatis ieiuna quidem illa, quae eam deſignat *ſummam poteſtatem in ciuitatem vbique* aeque ſenatui, aut concilio populi competit. Etſi in hoc aliqua regum ſit praeeminentia, quod ſinguli ex ſenatu, aut concilio populi ſummo imperio

5) At viro docto nunc magis placet Grotiana ſententia, quoniam ciuitates originem ab hominibus improbis ſumſerint. Quam quidem hypotheſin tam difficulter probatum iri reor, quam facile fuit, viris bonis iuſtique amantibus, conſideratione malorum ac incommodorum, quae naturalem ſtatum fere ſubſequi ſolent, in ſocietatem ciuilem ſe conferre. Accedit ciuitatum inſtitutum, vt humanae res ſunt & erant, eſſe incomparabile, & vere dictum ab Aristotele I. Pol. 2. *Qui primus inſtituit ciuitatem, maximorum bonorum auctorem extitiſſe.* H.

§. III. 1) Quo ſcopo is ſententiam, quam Avctor oppugnat, tam operoſe propugnarit, locus commorationis & rerum ſtatus, qui tum erat, facile liquidum faciunt. H.

2) Nunquam aliquid, infirmioribus argumentis adfirmatum fuiſſe, ait, Cl. Barbeyracvs, quam quod hic adfirmet Hornius. Praeiudicatis tamen opinionibus, vtilitate priuata & habitu animorum & Rerumpublicarum ſeductos, Aduocatos huic cauſſae acceſſiſſe addit Boeclervm de Auſpicio Regio, Diſſertat. Academ. Vol. I. & Thomam Creech in notis Anglicis ad verſionem Lucretii, quae prodiit 1683. Angliam regente Iacobo II. p. 52. & ſeqq. Poſterior loco alieno per excurſum de hac quaeſtione diſſerit, & 5 paginas huic digreſſioni impendit, eoque duodecimam partem totius Commentarii ſui abſoluit. Ipſe autem, temporibus ſe tantum inſeruiiſſe, locupletiſſimus teſtis eſt, quum in Animaduerſionibus ſuis prolixioribus, quibus Lucretium Latine editum interpretatus eſt, excurſionem hanc penitus omiſerit. Efficacius rem agere viſus eſt Hector Godefridus Masivs, Hafniae manu carnificis comburi curans librum Chriſtiani Thomaſii, quo is probatum

imperio ſubſint; cum regis perſona in terris neminem ſuperiorem agnoſcat. Ipſa tamen vis imperii in ſubiectos in quauis Reipublicae forma par vtique exſiſtit. Huius porro maieſtatis *Ille* vnicam cauſam Deum laudat, qui *electione a populo facta eandem immediate in reges effundat.* Vbi fallor, an maieſtatem per modum qualitatis phyſicae conceperit; id quod aperte faciunt, qui imperium ciuile *Dei creaturam* praedicant, *vt nulla alia creatura in pari aut ſuperiore cauſae genere, neque ex principiis ſecum natis quidquam ad inſtitutionem huius regiminis contulerit.* Quo ipſo craſſa rerum moralium ignorantia proditur. Nam illud argumentum, quomodo ex obſcuro loco in ſolium prouectos repente inuſitatus quidam ſplendor circumfulſerit, qui non niſi diuinitus oriri potuit; apud illos declamari debet, qui inania a ſolidis diſcernere nequeunt. Deo peculiariter curae reges eſſe, ad theſin *Ipſius* probandam nihil facit. Et circa alios quoque, generi humano cumprimis vtiles futuros, Prouidentia diuina non minora velut ſpecimina edidit. Neque pauci tamen reges venenum gemma biberunt, aut ſuorum inſidiis ceciderunt. De temperamento quorundam regum, aliquod miraculi inſtar producere ſolito, medicos conſulere optimum fuerit [5]. Sed nec probant, quod *Iſte* vult, poena aut regum inſolentium, aut ſubiectorum contumacium, & rebellium: aut teſtimonia, magno numero cumulata quae ipſa tamen non minus ariſtocratici, quam regii imperii auctorem Deum agnoſcunt; aut diuinae praedictiones circa geſta nonnullorum regum, quae neque de populis liberis deſunt. Et quod in populo Iudaico factum [6], id de origine imperii regii in vniuerſum hautquidquam teſtatur; cum dudum ante inſtitutum illud regnum plurima regna exſtiterint. Quin potius ad modum collati in hunc vel illum imperii certo in populo pertinet.

§. IV. Expendamvs argumenta, quibus *Iſte* probare fatagit, omnes humanas cauſas longe inferiores eſſe producendae maieſtati, rei auguſtiſſimae. Inter quae palmarium eſt; quod *cum neque ſinguli homines, neque multitudo diſſoluta maieſtatem habeant, eandem non poſſint in regem conferre.* Atqui & fieri poteſt, & ſolet, vt qualitas moralis, qua claſſe imperium cenſetur, in alio producatur.

tum ibat, Deum non eſſe cauſſam immediatam Maieſtatis. Vtitur autem Thomaſius ſimilitudine euidentiſſima. Concedit enim Maieſtatem eſſe a Deo, vt ab Adamo ſint omnes homines, vnde per ſe ſtatim manifeſtum eſt, contingere id per alios homines. Ipſe Thomasivs Iurisprud. Diu. L. III. c. 6. §. 68. & ſeqq. obſeruat, in Generali, apud Gallos Cleri Conuentu, olim probandam propoſitam fuiſſe hanc ſententiam, *Reges auctoritatem ſuam omnem immediate a Deo habere*, ſed quae res exitu caruerit, quoniam plerisque viſum fuerit, ſalutem Galliae inde minime pendere, diſcuſſionemque ideo quaeſtionis huius *Scholis* relinquendam eſſe, quod relatum retulit Gramondvs Hiſt. Franciae L. I. Cauſſa Princeps, qua moti homines in hanc ſententiam deſcenderunt Maieſtatem immediate a Deo eſſe, repetenda ex arcanis dominationis rationibus, quibus hinc Principes ambitione ducti, illinc Clerici aſſentandi ſtudio, Maieſtatem ſine medio a Deo deriuarunt, vt iugum ſeruitutis, tanquam diuinitus iniectum, ſubditi patientius tolerarent.

3) Vid. infra c. 6. §. 9. Inde etiam floſculus ille: ſummo imperanti eandem quam Deo poteſtatem competere. Vid. Hornivs L. II. c. 4. §. 10. Quo nihil magis periculoſe dici potuit. Simul autem hinc liquet, quaeſtionem hanc non eſſe mere theoreticam, vt viro docto viſum. H.

4) Vid. infra c. 5. §. 5. H.

5) Vid. Morhofii Princeps Medicus. H.

6) Vid. Sidneii libellus de Gubernatione c. 2. ſect. 9.

ducatur conſpiratione illorum, qui illud antea formaliter in ſe non habebant. Sic vt hi iſtius qualitatis cauſa productiua recte cenſeantur. Vid. *L. 46. D. de Acquir. rer. dom.* Sicuti & multorum voces inuicem temperatae harmoniam producunt [1], quae in ſingulis non extabat. Inde probari non poteſt illud ratiocinium Socratis, quo Alcibiadem animare conabatur, vt in concionem populi prodire non dubitaret: *Si ſingulos*, inquit, *contemnis, contemnendi tibi ſunt etiam, ſi vna ſint congregati.* Apud AELIANVM V. H. L. II. c. 1. Et cum imperium reſultet ex non-reſiſtentia ſubiectorum, & conceſſione, vt imperans circa vires, opesque ipſorum diſponat; facile adparet, in ſingulis velut diſperſa latere ſemina ſummi imperii, quod per pacta combinantia excitatur & progerminat. Sic vt craſſum valde ſit negare, ideo ſummum imperium ab hominibus non ſumere originem, quia in facultatibus hominis naturalibus illud non deprehendatur: prorſus quaſi de qualitate aliqua phyſica ageretur; aut quaſi praeter phyſicas qualitates morales non darentur [2]. Equidem neſcio, an cordati ac iidem Chriſtiani reges valde delectentur eiusmodi elogiis: *Deum transſcripſiſſe principi ius regendi hominem, quod ipſe vi creationis ſolus tenebat*, ita tamen, vt Deus priſtinum quoque ſuum ius adhuc retineat, & ſic *per cumulationem*, non *per omnimodam abdicationem* potentiam regibus conceſſerit: & quibus aliis per contumeliam Diuini Numinis faſtigium principum extollere gaudent paraſiti. Credas iſtos dubitare, num adhuc aliquod ius Deo in mortalium genus ſuperſit poſt reges conſtitutos; & an hi iſtum ſuperiorem ferre debeant. Sane imperium ſummum ciuile diuerſi plane generis eſſe ab imperio Dei, quod hic vi creationis obtinet, manifeſtiſſimum eſt; eoque abſurde & blaſpheme dicitur, *imperium Dei, quod ipſe ſolus vi creationis tenet, ex ſingulari beneuolentia hominibus communicari.* Deinde quando vlterius probare vult, maieſtatis *immediatam* cauſam eſſe ſolum Deum, diſtinguit inter *cauſam efficientem immediatam, & modum conſtituendi immediatum.* Nam maieſtatem duntaxat immediate a Deo conſtitutam contendit, vtut reges plerique mediate ſceptrum capeſſant. Vnde ſeparandas eſſe illas formulas: *Deus eſt cauſa maieſtatis immediata; & Deus immediate conſtituit principem* [3], ſeu *Deus confert immediate maieſtatem.* Nam tolerari poſſe, ſi quis dicat: Deus mediante ſeu intercedente populi ſuffragio, ſucceſſione, occupatione confert maieſtatem. In quem ſenſum THEMISTIVS dicit Orat. XVI. *Μὴ οἴεσθε τοὺς στρατιώτας κυρίους εἶναι τηλικαύτης χειροτονίας, ἀλλ' ἄνωθεν αὐτὴ κάτεισιν ἡ ψῆφος, ἄνωθεν ἡ ἀνάῤῥησις τελειοῦται ταῖς τῶν ἀνθρώπων διακονίαις.* *Neque vero exiſtimetis, veſtrae huius electionis milites eſſe auctores. E ſuperis illa ſuffragatio deſcendit, e ſuperis illa imperii renunciatio, hominum duntaxat opera accedente, perfecta eſt.* Sed in ipſa maieſtatis productione Deum non ferre aliam cauſam efficientem ſecundam, & proximam. Enimuero ſi quis

§. IV. 1) Adde de ſymbolis collatis ARISTOTELEM III. Pol. 7. & 12. H.

2) Inde cadit argumentum, quod aliqui velut Achilleum iactitant, ius vitae & necis in ſe habere neminem. Ergo & ſummum imperantem eo cariturum, niſi id a Deo acceperit. Nimirum cum vniuerſorum interſit, vitam innocentum & res in tuto eſſe, noxios vero & ſceleratos meritas poenas luere, aut pro delicti ratione e medio tolli, in ciuitatem ciuitati ſpoſpondiſſe omne illud credendi ſunt, abs quo tranquillam teneri Rempublicam vel difficile vel impoſſibile futurum erat. Appoſite ARISTOTELES VII. Pol. 13. loquutus de poenis animaduerſionibusque, ſi *certas eas eſſe*

Digitized by Google

quis penitius conſideret, videbit, iſtos homines concepiſſe maieſtatem tanquam ens quoddam phyſicum, quod a Deo productum velut incerta ſede, & ſine ſubiecto per orbem vagetur, donec deſignato per populum regi ſuperueniat, eumque auguſto ſuo ſplendore cumulet. Vbi ſine dubio aqua haerebit, ſi quis importunius quaerat; illa maieſtas, antequam in rege aliquo ſedem inueniat, ſubſtantia ſit, an accidens; & ſi ad accidentium claſſem referatur, quomodo ſine ſubiecto exſiſtere queat. Quo porro tempore creata ſit illa; initio mundi, an poſtea? Item an vna per vniuerſum orbem ſit maieſtas, cuius particulae in ſingulos reges ſint diſtributae; an ſinguli reges peculiarem & integram habeant maieſtatem; an rege defuncto, maieſtas ſimul pereat; an vero eidem ſuperſtes exſiſtat, velut anima a corpore ſeparata, aut per quandam quaſi metempſychoſin nouum apud regem receptaculum inueniens. Add. quae apud Petrum SVAVEM Hiſt. Concil. Trident. L. II. p. m. 213. de natura characteris ſacramentalis diſputantur; vbi Patres propter ignorantiam rerum moralium mire ſe torquent. Enimuero de cauſa immediata maieſtatis ſeu ſummi imperii abſtractiue ſumti quaerere ineptum eſt, cum illud nunquam niſi concretiue exſiſtat. Prorſus ac ſi peculiariter quaerere velim de cauſa humanae naturae abſtractiue conſideratae, cum de cauſa hominum concretiue ſumtorum conſtet. Et cum *Hornius* vtique populo relinquat poteſtatem, antequam vlli adhuc ius ad imperium ſit quaeſitum, quem & quando velint regem conſtituendi, aut quamlibet formam Reipublicae introducendi; vid. Deut. XVII, 14. ſcire cuperem, quidnam circa maieſtatem futurum eſſet, ſi omnibus populis ariſtocratico, aut democratico regimine vti placuiſſet. Equidem nouimus, electionem proprie & preſſe eſſe modum imperium adquirendi. Sed quin vno & eodem actu & deſignetur certa perſona, & in eandem imperium, tunc primum exſiſtere incipiens, conferatur, nihil obſtare videtur. Nam valde puerile eſt credere, in rebus moralibus, quando ius quodpiam, aut quaeuis qualitas moralis in alterum collata dicitur, neceſſum eſſe, vt eadem prius alicubi ſeparata exſiſtat. Quin potius iura, & alias qualitates morales mutua voluntatum conſpiratione per pacta reſultare, in apricó eſt. Conf. HOBBES de Ciue c. 2. §. 4. & ſupra L. III. c. 5. §. 2. 3. 4. Neque vero difficile eſt illum ſcrupulum remouere: *Populus ſi cauſa ſecunda maieſtatis eſt, debebit a Deo accepiſſe poteſtatem, per quam imperium producat. Id autem factum probari non poſſe.* Atqui cum Deus mortalibus curam ſui implantauerit, & pacis decorique ordinis conſeruationem iisdem iniunxerit, ſimulque rationem dederit, vt media ad iſtum finem facientia poſſint diſpicere, quae inter principem locum obtinet conſtitutio imperii ciuilis: quis vltra dubitabit, hominibus facultatem iſtud conſtituendi diuinitus conceſſam? Quae paſſim *Iſte* inculcat axiomata philoſo-

X 2 phica

eſſe dicit, *quia neceſſariae. Quanquam expetibilius foret, nulla eiusmodi re egere, neque virum quempiam, neque ciuitatem.* Imperantes igitur ius in vitam ſibi ſubiectorum, qua ad finem & ſalutem ciuitatis pertinet, voluntate vniuerſorum, ceu qui iam pacto primo colligati ſunt, & translatione conſequuntur. Hinc & ſubditos in hoſtes & praelia ducunt, etiamſi plurimos mortem hac vita oppetere contingat. Conf. infra c. 4. §. 3. L. VIII. c. 3. § 1. H.

3) Quaſi populus ſummi imperantis perſonam tantum deſignet, maieſtatem ei infundat Deus. Imo vero compluribus exemplis eſt teſtatum, Deum ſubinde extra ordinem hunc vel illum ciuitati imponere Rectorem. Vid. Diſſert. de Modis conſtituendi ciuitates ſect. 2. §. 3. H.

phica partim ſubleſtae ſunt fidei, partim imperite a rebus naturalibus ad morales transferuntur; quae ſigillatim excutere nobis heic non vacat. Quae OVIDIVS Faſtorum L. V. [princ.] ſuper origine maieſtatis tradit, Poëtica commenta ſunt.

§. V. NEC minus IDEM operoſus eſt in confutandis eorum ſententiis, qui ex diuerſo fonte imperia ſumma deriuarunt. Vbi multa quidem recte ſe habent; quaedam tamen cenſuram merentur. Illud recte, quod imperii ſummi originem bella, per ambitionem aut libidinem tyrannorum excitata, hautquidquam dederint. Nam *bella per tyrannos excitata*, ciuitates iam praeſupponunt. Potuit tamen patribusfamilias ſparſim viuentibus complurium gliſcens paſſim violentia, aliosque opprimendi libido occaſionem dare, vt coniuncti ciuitates conſtituerent [1]. Sed & illud patet, pleraque magna imperia, ſi non omnia, bellis ſua debere incrementa. Neque tamen ideo productio ſummi imperii bellis eſt aſſignanda. Nam ſaltem prima illa manus, quae initio ad alios inuadendos conſpirauit, ſponte in ducis imperium conſenſit. In illos autem, qui bello ſunt petiti, non prius imperium legitimum fuit exortum, quam pacto & fide data obſequium victori promitterent [2].

§. VI. NON tamen adeo impoſſibile eſt, quin ex imperio patrisfamilias, complures ſub ſe vicos habentis, ſummum imperium ciuile potuerit [1] emergere [2]. Equidem paternum imperium proprie ad educationem liberorum, herile ad rem quaerendam ſpectat, neque per ſolam multitudinem liberorum aut ſeruorum mutatur. Tantus tamen inter imperium patrumfamilias, & ciuile non eſt hiatus, vt ab illo ad hoc non pateat tranſitus, niſi noua maieſtas a Deo procreetur. Nam ſi paterfamilias, numeroſa prole & ſeruitio praeditus, vtrosque ſpecie quadam emancipationis aut manumiſſionis ſuas ſibi res habere, familiasque peculiares conſtituere permittat ea lege, vt ad communem ſecuritatem ipſius deinde regimini ſubſint; quid iſti deinceps ad principis dignationem defuturum ſit, non video, modo tantas habeat vires, quae ad finem ciuitatis aſſequendum ſufficiant. Iſto autem mortuo, ſi quid ipſe ſuper ſucceſſore diſpoſuerit, ſaltem conſentientibus filiis, id erit vtique ſequendum. Sin minus, velut per interregnum vniuerſi ſtatuent, quo regimine aut rectore deinceps vti placeat. Vbi ius naturae hautquidquam violabitur, ſi per libera ſuffragia etiam minor natu in parentis locum ſurrogetur. Vid. Geneſ. XXVII, 29. 37.

§. VII. VLTERIVS oſtendere IDEM conatur, ne illum quidem cauſam maieſtatis poſſe vocari, qui, cum ipſe eam habeat, in aliquem ſibi ſubiectum dignitatem regiam confert, remiſſo iſti aduerſus ſe in poſterum omni ſubiectionis vinculo, verbi gratia, ſi rex vaſallo ſuo vinculum remittat, & quod tanquam feudum obtinebat, ei ipſum tanquam ſupremum principem praeeſſe concedat

§. V. 1) Vid. nota 1. ad §. 7. c. 1.
2) Et quod victoria atque occupatio in modis acquirendi imperii ponantur, id inde eſt, quia conſenſum plerumque poſt ſe trahunt, vid. ſupra L. IV. c. 6. §. 14. & infra hoc Libro c. 7. §. 3. & 4. H.

§. VI. 1) Vid. ſupra L. VI. c. 2. §. 10. nota 2. & ſecundus tractatus LOCKII de Gubernatione Ciuili c. 8. §. 105. & ſeqq. Editionis Anglicae.

cedat. At ſi quis ciui ſuo prouinciam conferat, ab omni deinceps ſubiectione exemtam. Nam eiuſmodi ceſſionem eſſe tantum modum conſequendi imperium, & ad electionem poſſe referri. Sed penitius inſpicienti facile patebit, vnde tali in caſu imperium proueniat. Scilicet rex vaſallum, & ſubiectum ipſi feudum iure ſuo exſoluens, efficit, vt ſit aliquis capax ſummi imperii, nec minus vt ſint, in quos illud exerceri queat. Non enim poteſt ditio illa feudalis vaſallo deinceps tanquam abſoluto & independenti principi ſubeſſe, niſi a ſubiectione ſenioris plane exſoluta. Quo facto ipſum imperium ſummum reuera a conſenſu populi prouenit. Nam ſi iſte ſenior propria auctoritate eam prouinciam, in quemcunque velit, conferre poteſt, vtique iſtam poteſtatem ab initio accepit, conſenſu populi vltroneo, aut per violentiam iuſti belli elicito. Sed ſi ſenior propria id auctoritate facere nequeat, in praeſens expreſſo populi conſenſu opus erit.

§. VIII. DENIQVE vltimo loco IDEM contendit, ne iſtum quidem populum cauſam maieſtatis in rege eſſe, qui, cum antea regimine populari vteretur, monarcham adſciſcit. Neque enim prius conferri imperium in Monarcham, quam vbi ſuo ſe iure populus abdicauerit: eo ipſo autem momento, quo populus ſeſe abdicat, eundem imperium non habere: igitur ipſum duntaxat eligere, qui a Deo accipiens poteſtatem in poſterum regnet. Sed eodem argumento poſſis negare, dominium ab vno tranſire in alium. Nam vtique rei meae non poteſt alius fieri dominus, niſi ego dominio me meo abdicauero. Quo facto, dominium ipſe non habeo, & conſequenter in alium transferre non poſſum: ſed eligo duntaxat perſonam, in quam dominium, neſcio vbi recens iam enatum, ſit infundendum. Super vltronea autem abdicatione monarcharum ita cenſet: *Prouinciarum imperia abdicari, iuratam fidem populis remitti; mox ipſam maieſtatem ad primum auctorem redire, reducendam iterum, & communicandam deſignato haeredi.* Haec quidem eſt manifeſta maieſtatis metempſychoſis. Super qua vt verba faciamus, nemo cordatus a nobis poſtulauerit. Imo qui abdicat imperium, ſucceſſori locum praebet, vt populus ſe ſubmittendo ipſi conferre imperium queat; aut vt actu capeſſere poſſit imperium, ad quod decreto populi, ſucceſſionis ordinem ſancienti, ius ipſi iam datum fuerat.

§. IX. Hoc loco quoque non inconueniens fuerit paucis inquirere, penes quem ſit regium titulum & inſignia in aliquem conferre, ſeu qualecunque nomen, quo ſumma & independens in ciuitatem poteſtas, vni homini inhaerens exprimitur? Vbi manifeſtum eſt, conferre nomen & titulum eſſe penes eosdem, qui rem ipſam, ſeu ſummum imperium conferre poſſunt. Adeoque populus, qui vel ab initio in ciuitatem coit, vel relicta priore forma Reipublicae regnari deinceps vult, dum in vnum imperium in ſe confert, eo ipſo ius ipſi tribuit nomen & titulum regis gerendi, & inſignibus decentibus faſtigium ſuum exprimendi [1]. Et eiusmodi rex vti nemini extraneo imperium

 & di-

2) Vid. ſupra ad L. VI. c. 3. §. 1. H.

§. IX. 1) Apud Iudaeos ARISTOBVLVS Hyrcani filius *διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται, primus diadema ſibi impoſuit*, teſte IOSEPHO L. XIII. vet. Hiſtor. 19. Agathocles Siciliae Tyrannus vltro ſe Regem nominauit, quod potentiae ſuae praeter eum titulum nihil deſſe videret. Vid. DIODORVM SICVLVM L. XX. Biblioth. c. 55. H.

& dignitatem ſuam debet; ita vt pro rege ſe gerat, & talis habeatur, non demum a conſenſu & adprobatione aliorum regum aut Rerumpublicarum eſt obtinendum. Sed quemadmodum cum iniuria eſt coniunctum, eiusmodi regis imperium ac extraneo in controuerſiam vocari: ita & iniurium foret, eidem titulum regium denegare [2]. Neque obſtat, quod iſte modicis contentae finibus ciuitati imperet. Nam regnum non notat certam quantitatem territorii [3], ac potentiae, ſed certam ſpeciem ciuitatis, quae amplior aut anguſtior eſſe poteſt. Sed vt rex eſſe queat, qui antea alterius ſuperioris imperium agnouit, neceſſum eſt, vt ſuperioris conſenſus accedat, qui & ipſum, & ditionem eiusdem vinculo, quo ante ipſi tenebantur, exſoluat. Vnde & qui nexu feudali ſtringitur, ſine conſenſu ſenioris pro rege ſe non gerit. Et ni eo nexu ſoluatur, dignitatem regiam poſſidebit delibatam, licet nomen ex conceſſione Senioris vſurpet. Sic & ſucceſſores Alexandri M. non audebant prius regium titulum aſſumere, quam Alexandri familia extincta, cui iure competebat imperium. Etſi ad hoc neceſſarius ipſis erat conſenſus ſubiecti populi, quem denegare copiae militares, quibus ſtipabantur, non ſinebant. Vid. Cornel. NEPOS Eumene, PLVTARCHVS Demetrio. IVSTINVS L. XV. c. 2. APPIAN. ALEXANDRINVS Syriaco. DIODOR. SICVLVS L. XX. c. 54. & 55. Sic qui armis ditionem aliquam ſubigit, vti iure belli imperium, ita & nomen regium ſibi adquirere poteſt. Vid. IVSTINVS L. XLI. c. 4. 5. In regnum autem rex aliquam ſuam prouinciam euehere poteſt, ſi a reliquo corpore ipſam plane ſeparet, & peculiari, & independenti ab altero regimine ipſam gubernet. Caeterum Senatum quondam Romanum titulum regis & amici honoris loco tribuiſſe tralatitium eſt [4]. Quod iure potuit fieri circa eos, quibus vel ipſe regnum dedit, vel in quorum regna ſuperius aliquod ius obtinuit. Sed aliis independentibus principibus titulum hunc imputare, inſolens vſurpatio erat. Qualem etiam Pontifex Romanus ſibi arrogare non erubuit [5], etiam in liberas & independentes Europae ciuitates. Vid. Petrus SVAVIS Hiſt. Concil. Trident. L. V. p. m. 354. vbi memorat, qua ratione Paulus IV. Hiberniam in regni dignationem euexerit. Et THVANVS Hiſt. L. XLVI. de titulo Magni Ducis in Coſmum collato.

CAPVT

2) Contrarium TITIVS contendit Obſ. DLXI. liberumque eſſe putat gentibus extraneis, agnoſcere nouum Regem, vel non agnoſcere. Solere enim huic dignitati certas inhaerere praerogatiuas, quae aliis Principibus praeiudicio eſſe poſſint. De titulo Imperatoris Ruſſorum videatur eruditiſſima diſſertatio Euerardi OTTONIS; de Regia autem dignitate a Friderico I. Pruſſiae Rege aſſumta, exaſciatiſſimum opus Dn. Io. Petri a LVDEWIG.

3) Errant enim, qui vt regnum ſit, requirunt plures ei ſubeſſe Epiſcopos vel Duces. Vid. LIMNAEVM ad Aur. Bull. Caroli IV. prooem. Obſ. 9. H.

4) Vid. TACITVM in Agricola c. 14. Elem. Pr. ciuil. Part. I. ſect. 6. §. 13. in not. H.

5) Vid. de Regibus Poloniae LIMNAEVM Tom. Addit. 2. ad L. II. I. P. c. 9. n. 21. H.

§. I. 1) Quod verbis GROTII exprimitur L. I. c. 3. §. 17. num. 1. cuius tamen ſententia falſa hypotheſi niti videtur, qua Maieſtas Enti Phyſico comparatur, quod partibus quidem deſtitutum ſit, ſed pro diuerſitate obiectorum, quorum contemplatione agat, diuerſis nominibus inſigniatur. Quam ſententiam AVCTOR ipſe refutauit in capite

CAPVT IV.

DE PARTIBVS SVMMI IMPERII, EARVMQVE NATVRALI CONNEXIONE.

I. *Quo ſenſu ſummum imperium partes habere dicatur.*
II. *Poteſtas legiſlatoria.*
III. *Poteſtas poenas ſumendi.*
IV. *Poteſtas iudiciaria.*
V. *Poteſtas belli & pacis, idemque foederum feriendorum.*
VI. *Ius magiſtratus conſtituendi.*
VII. *Ius tributa indicendi.*
VIII. *Examen doctrinarum.*
IX. *Imperium fortius ſtringit quam pactum.*
X. *Quis proprie dicatur partem imperii habere?*
XI. *Cohaerentia partium ſummi imperii demonſtratur,*
XII. *Et illuſtratur.*
XIII. *Etſi multi illas partes ſeparare velint.*
XIV. *Inter quos & Grotius; qui examinatur.*

SVMMVM imperium ciuile, etſi in ſe vnum quiddam ſit, & indiuiſum [1], tamen quia per diuerſos ſeſe actus exſerit, prout occupatur circa diuerſa media, ad ſeruandam ciuitatem neceſſaria, communiter plures habere partes intelligitur [2], ad analogiam partium, quas vocant, potentialium [3]. Hautquidquam enim eiusmodi totum ſummum eſt imperium, quod ex partibus heterogeneis conſtat, quae inter ſe coniunctae, vinculoque aliquo nexae in vnum coaluerint, ita tamen, vt ſeorſim quoque ſingulae partes ſubſiſtere poſſint. Sed vti anima quidem vnum eſt, in totum corpus vitam vigoremque diſpenſans, quae, prout diuerſas operationes pro diuerſitate obiectorum & organorum producit, partes habere potentiales concipitur. Ad iſthoc inſtar etiam ſummum imperium, prout occupatur circa praeſcribendas gene-

pite praecedente. Reapſe Maieſtas complexus eſt plurium iurium, tendentium ad eundem finem, qui eſt ſalus Reipublicae: quae, ſi in ſe conſiderentur, ſeparari commodiſſime, & a diuerſis perſonis adminiſtrari poſſunt. Conf. TITIVS Obſ. DLXIX. num. 2. & Specim. Iur. Publ. L. VI. c. 8. §. 26. adiectis iis, quae contra Auctorem noſtrum adtulit OBRECHTVS in diſſertatione de Vnitate Reipublicae in S. Rom. Imperio §. 5. Eſt ea decima quarta inter opuſcula iunctim edita a Khunio Argentorati 1729.

2) Quae iura ſummi imperii, vulgo autem regalia appellantur. H.

3) Quo nomine in Philoſophia Scholaſtica ſpecies eiusdem generis veniunt. Totum enim potentiale ibi eſt, quod alias vocatur totum Logicum vel vniuerſale, qua de re videri poſſunt Metaphyſici. Maieſtas igitur genus eſſe fingitur, cuius ſpecies ſint iura Maieſtatica, veluti ius Belli, ius Pacis, Ius Puniendi, Ius Vectigalium & ſimilia. Sed melius haec Iura Maieſtatis, tanquam Tertius partes dixeris. Opponuntur his partibus potentialibus partes Maieſtatis ſubiectiuae, quae ſunt perſonae, quibus Maieſtas inhaeret, quales, verbi gratia, tempore Triumuiratus Romae erant Auguſtus, Antonius & Lepidus.

generales agendi regulas, vocatur poteſtas legiſiatoria [4] quatenus controuerſias ciuium ad eas regulas decidit, eſt poteſtas iudiciaria; cum ciues in exteros armat, aut eoſdem quieſcere iubet, eſt ius belli & pacis; quatenus miniſtros ſibi adſciſcit circa negotia publica, ius magiſtratus conſtituendi dicitur; & ſic deinceps.

§. II. Qvaenam autem ſint illae partes ſummi imperii, ex natura ciuitatum, & earundem fine planiſſime perſpicitur. Eſt ciuitas corpus morale, quod vnam voluntatem habere intelligitur. Sed cum illa ex pluribus perſonis phyſicis conſtet, quarum cuique peculiaris ſua voluntas, & inclinatio; illae autem voluntates naturaliter in vnam confundi, aut in perpetuam harmoniam temperari nequeant, inde vna voluntas in ciuitate hoc modo producitur, dum omnes ſuam voluntatem ſubmittunt voluntati illius hominis vel concilii, cui imperium ſummum fuit delatum. Cum autem ad voluntatem ciuitatis ſinguli ciues ſeſe componere debeant, neceſſum eſt, vt illa hiſce per liquida ſigna innoteſcat. Inde ſummi imperii eſſe intelligitur omnibus ſignificare & praeſcribere, quid agendum ſit, quidue omittendum. Et quia impoſſibile foret in tanta hominum multitudine ſingulis, & circa ſingulas actiones peculiaria iuſſa promulgare; ideo generales regulae praeſcribuntur, vnde omnibus, & in perpetuum de agendis, omittendisue conſtet. Praeterea quia maxima inter homines diuerſitas iudiciorum & adpetituum deprehenditur, ex qua infinita controuerſiarum ſeges oriri poteſt; inde pacis quoque intereſt publice definiri, quid cuique ſuum, quid alienum cenſeri debeat, quid in ciuitate pro licito [1], quid pro illicito, quid pro honeſto aut inhoneſto habendum. Item, quid cuique ex libertate naturali ſuperſit; aut quomodo cuique iurium ſuorum vſus ad tranquillitatem ciuitatis ſit temperandus [2]. [Quid [3] denique & quo modo quiſque ſuo iure ab altero exigere queat.]

§. III. Porro ciuitatum is potiſſimus eſt finis, vt homines mutua conſpiratione & ope tuti eſſent aduerſus damna, & iniurias, quae ab hcminibus

4) De partium harum diſtributione diuerſae admodum ſunt ſententiae. V. Elem. pr. ciuil. part. 1. ſect. 6. §. 18. H.

§. II. 1) Quamuis Auctor hic vtatur verbis Hobbesii c. 6. §. 9. tamen a ſententia, qua is Ius omne ex voluntate Principis metitur, longiſſime recedit, & recte praeponit, Leges Principis nihil continere contrarium Legibus Diuinis, tam naturalibus, quam promulgatis, vtpote quod dicendum eſſe, ipſe validiſſime contra Hobbeſium probabit in c. 1. Libri ſequentis.

2) Accedit, naturam primo & per ſe non inſtituiſſe ſocietatem ciuilem, ſed vniuerſa iſtius coetus humano arbitrio & prudentiae reliquiſſe. Quanquam enim homini quaedam iuris naturae inſint principia: tamen prima, aut primis proxima numero ſunt exiguo: maior copia eſt illationum; in his autem, ſi remotiores ſint, facile committi error poteſt. Iam homines etiam optimos ira interdum aut amor transuerſos a recto agit: & imperium perſonae eſt, ac propterea inviſum, quia vis eſt. At leges cum omnibus voce vna loquuntur, & lex eſt rationis quam quiſque amat, quippe eius compos. Eapropter lex ab Aristotele III. Pol. 12. ſcite nuncupatur νοῦς ἄνευ ὀρέξεως, *mens ſine appetitione.* Bene Cicero IX. Ep. 16. *Omnia ſunt incerta, cum a iure diſceſſum eſt, nec praeſtari poteſt, quale futurum ſit id, quod poſitum in alterius voluntate, ne dicam libidine.* Conf. infra L. VIII. c. 1. H.

3) Quae vncis incluſa ſunt, praeeunte Cl. Barbeyraco ſuppleuimus ex Officiis Hom. & Ciu. L. II. c. 7. §. 2.

§. III. 1) Horativs II. Satyr. 7.

Tolle

bus inuicem inferri poſſunt & ſolent; vtque adeo pace fruantur, aut contra infeſtos idonea praeſidia habeant. Paci autem id inprimis neceſſarium eſt, vt vnuſquiſque in tantum contra caeterorum violentiam protegatur, vt ſecure queat viuere, id eſt, ne iuſtam habeat cauſam metuendi a caeteris, quamdiu ipſe alios iniuria non laceſſierit. Equidem vt tuti praeſtentur homines a mutuis laeſionibus, ſeu vt iniuria laedi omnino nequeant, rerum humanarum conditio non fert. Sed ne probabilis ſit metuendi cauſa, proſpici poteſt. Et haec ſecuritas finis eſt, propter quem homines ſeſe aliis ſubiiciunt. Quae ſi non maior habeatur ex coniunctione cum aliis, quam ſi quis propriis duntaxat viribus protegatur, ſtultum foret naturali libertati renunciare, in qua quilibet ſuo arbitrio defenditur. Enimuero ad hanc ſecuritatem non ſufficit, vt vnusquiſque eorum, qui in ciuitatem coalituri ſunt, cum caeteris verbo aut ſcripto paciſcatur, de non occidendo, non furando, aut alia noxa non inferenda. Manifeſta eſt enim ingenii humani apud pleroſque prauitas; & experientia nimis cognitum, quam parum valide plurimi homines ſola fidei ſuae reuerentia ac ſanae rationis dictamine, in officio contineantur, vbi metum poenae remoueris [1]. Quam ob cauſam etiam non ſufficit, vt aliquis ſit, qui agendorum regulas praeſcribat, ſi nihil praeterea poteſtatis habeat. Quo poſſis adplicare illud COLVMELLAE de Re Ruſtica L. I. c. 3. *Imbecilliorem agrum, quam agricolam eſſe decet, quoniam ſi ſit colluctandum cum eo, ſi fundus praeualeat, dominum allidi.* Igitur vt homines & communia legis naturalis praecepta, & quae peculiariter ad bonum ciuitatis ſtatuuntur, obſeruent, metu poenae opus eſt, & facultate eandem repraeſentandi [2]. Quae poena vt huic fini ſufficiat, tanta eſt conſtituenda, vt aperte maius malum ſit leges violaſſe, quam obſeruaſſe, & ſic poenae grauitas delectationem aut lucrum, quod ex iniuria capitur, aut ſperatur, ſuperet. Non enim poſſunt non homines ex duobus malis, quod ſibi minus videtur, eligere. Et ſic aliena capita cuſtodiunt meum caput. Et licet aliquos interdum temeritas, aut enormis animi commotio eo propellat, vt facinoris perpetrationem omiſſioni flagitii anteponant: tamen hoc inter minus frequentia habetur, quae euitaſſe conditio humana non patitur. Haec porro facul-

Tolle periclum,
Iam vaga proſiliet frenis natura remotis. H.

2) Hinc poteſtas vindicatiua, cuius praecipue meminit Apoſtolus Paulus ad Roman. XIII, 4. Hinc gladii ius, ſiue ius publicarum animaduerſionum, in *L. 3. D. de Iuriſdictione.* Quod ius vtendi gladio eum HOBBESIVS ipſe d. c. 6. §. 6. neceſſarium ad pacem vocet, ferri profecto nequit, quod idem ſcribit Leuiathan. c. 14. *Ius ſe defendendi contra mortem naturalem, vulnera, carcerationem, deponere neminem poſſe: quia eorum cauſa ius in omnia naturale depoſitum ſit.* Subiicit: *Hoc noſſe omnes, qui damnatos, ſiue ad mortem, ſiue ad carcerem ducunt.* Et cap. 21. *Quid autem, ſi multi ſimul contra ſummum imperantem crimen aliquod committant capitale, propter quod, niſi ſe defendant, expectant mortem, quaeret aliquis, vtrum libertatem illam coniunctis viribus ſe mutuo defendendi habeant? habeant certe: nam vitas ſuas defendunt tantum, id quod & innocenti & nocenti aeque licet. Iniuſtitia quidem erat officii violatio prima, ſed quod arma poſtea ad ſe defendendos ſumſerint, crimen nouum non eſt.* Conf. c. 2. de Ciue §. 18. & c. 5. §. 7. Quibus occurri poteſt ex illis, quae annotauimus ſupra ad c. 3. §. 4. Equidem ius defendendi ſe naturale eſt, ſed contra vim iniuſtam. Et quaeſo, quid non molientur nefarii homines, ſi iniuſtum non eſt, iniuſta facta, coniurationes aut ſimilia oppoſita vi defendere? Conf. infra c. 8. §. 5. circa finem. H.

facultas poenas infligendi iuſſa imperantis transgreſſis eo ipſo data intelligitur, dum virium ſuarum vſum ſinguli ciuitati ſubmittunt. Quo ipſo ſeſe obligant ad coërcendos iuſſu imperantis noxios, aut ſaltem, quod defendere nolint eos, qui poenas daturi ſunt. Nam vt quis ſeſe obliget ad poenam citra reluctantiam tolerandam, id propter naturalem hominum auerſionem ab iis, quae vitam noſtram deſtruunt, fruſtra eſt. Caeterum id recte Hobbes de Ciue c. 6. §. 6. quod ampliorem homini in hominem poteſtatem competere negat, quam hancce, qua quis aliis praeſcribere poteſt, quaecunque ex vſu ciuitatis arbitratur, & ad ea obſeruanda poenis detrectantes compellere. Verum dicto illi; *qui poenas ſuo arbitrio iure ſumit, iure omnes cogit ad omnia, quae ipſe vult;* limitatio eſt addenda ex fine ciuitatum; vt ſcilicet ſummum imperium habens non alia velle poſſe intelligatur, quam in quibus ſana ratio aliquam conuenientiam ad iſtum finem inuenire poteſt.

§. IV. Praeterea quia etiam vbi accuratiſſimae leges ſunt conſcriptae, ſaepenumero controuerſia ſuper recta earundem adplicatione ad facta ſingularia oriri ſolet; ac multa ſaepe expendenda occurrunt, ſi quid contra leges factum eſſe dicatur: inde vtrique poteſtati iam dictae ſuccenturiari intelligitur poteſtas iudiciaria *. Cuius eſt lites ciuium cognoſcere & decidere, ſingulorumque facta, quae legibus contraria arguuntur, examinare, ac poenam legibus conuenientem dictitare. Hobbes autem dicto loco §. 8. poteſtatem iudiciariam improprie videtur accipere; cum facultas iudicandi de vſu & exercitio alicuius partis imperii cuique parti incluſa intelligatur.

§. V. Etsi autem iſthoc modo ſecuritati ciuium aduerſus conciues cautum ſit; hoc tamen nondum ſufficit ad obtinendum ciuitatum finem. Nam fruſtra inter ſe pacem colunt, qui ſe contra externos tueri non poſſunt: id vero efficere nequeunt, quorum vires non ſunt vnitae. Quod enim multi vno ſunt robuſtiores, id ex vnione eſt. Alias enim vel mille ſeparati vno validiores non ſunt. Igitur ad vniuerſorum ſecuritatem & ſalutem neceſſarium eſt; vt in ciuitate exſiſtat poteſtas, cuius ſit congregare, vnire & armare tot ciues *, aut eorum loco conducere, quot pro incerto numero & viribus hoſtium ad communem defenſionem opus viſum fuerit; rurſumque cum hoſtibus, vbi expedierit,

§. IV. * Quam aliqui minus accurate extremae prouocationis iure deſignant. Equidem ex hoc iure inprimis cognoſcitur ſumma poteſtas. Hinc, vt ab aliquo nulla ratione prouocari poſſit, cum perſona ſubditi pugnare, ac proinde ad ſummum imperium aut partem eius pertinere, ait H. Grotivs L. II. de I. B. & P. c. 4. §. 13. & Maecenas Auctor erat Auguſto apud Dionem Libr. LII. neminem quenquam tanta in iudicando poteſtate eſſe prorſus debere, vt ab eo prouocari nequeat. Enimuero prouocatio eſt tantum pars iudicii. At ſummae poteſtatis vis haut dubie in omnem rem iudiciariam ſe porrigit. Aristoteles VII. Pol. 8. iudicia omnium maxime neceſſariam Reipublicae partem dixit. Idem IV. Pol. 16. obſeruauit, niſi iudicia de rebus ciuilibus recte fiant, exiſtere rerumpublicarum mutationes. H.

§. V. * Quae poteſtas ad neminem alium, quam ad ſummum imperantem ſpectare poteſt. Veriſſime Aristoteles VII. Pol. 9. Οἱ τῶν ὅπλων κύριοι, καὶ μένειν καὶ μὴ μένειν κύριοι τὴν πολιτείαν. *Qui in manu ſua arma habent, in eorundem arbitrio eſt, maneat an non maneat Reſpublica.* Conf. V. Pol. 9. Magiſtratibus nedum priuatis, ius belli faciendi non competit. Vid. infra L. VIII. c. 6. §. 10. H.

§. VI. 1) Aristoteles IV. Pol. 4. Ἔτερ

Digitized by Google

pedierit, pacem facere. Cum autem & pacis & belli temporibus inſeruiant foedera, vt & commoda diuerſarum ciuitatum melius communicari poſſint, & validior hoſtis iunctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat: penes ſummum imperium erit, vtrique tempori inſeruientia foedera inire, vniuerſosque ſubditos ad eadem ſeruanda obſtringere, ſimulque exinde redundantia commoda in ciuitatem deriuare.

§. VI. Cvm vero ciuitatis negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia, ab vno homine ſine miniſtris, & magiſtratibus ſubordinatis, adminiſtrari, & exſecutioni dari nequeant: opus quoque erit in ciuitate tali poteſtate, quae homines conſtituat [1], qui controuerſias ciuium examinent, (vid. Exod. XVIII, 15. Philo Ivdaevs de Creation. princip. Iosephvs Archaeol. III. 3.) vicinorum conſilia expiſcentur, milites gubernent, opes ciuitatis colligant, & diſpenſent, ac denique vtilitati ciuitatis vndiquaque proſpiciant. Quae ipſa poteſtas eosdem iam conſtitutos ad officium faciendum compellere, & geſtorum rationes poſcere poteſt [2]. Add. Boeclervs ad Grot. L. I. c. 3. §. 6. p. m. 218.

§. VII. Porro quia nec pacis nec belli tempore ciuitatis negotia ſine ſumtibus geri poſſunt [1]: igitur in ea requiritur poteſtas, quae in tales vſus partem aliquam bonorum, aut prouentum regionis a populo inſeſſae ſeponat, aut ſingulos ciues adigat, de bonis ſuis tantum conferre [2], quantum ad tolerandos ſumtus requiri iudicatur; nec minus, ſi operae ciuium requirantur, easdem imperet & exigat. Quo ſpectat etiam poteſtas alia media licita circumſpiciendi, quibus opes ciuitatis augeantur. Inter quae praecipuum eſt ius vectigalia imponendi mercibus [3], quae importantur, & exportantur; vt & de pretio rerum quae conſumuntur, modicam partem decidendi.

§. VIII. Deniqve etiamſi intrinſecam voluntatis libertatem tollere, ſimulque hominum de rebus iudicia per intrinſecum aliquod medium in perpetuam harmoniam componere ſupra humanam ſit facultatem: vt tamen iſthaec, licet diſcrepantia, tranquillitatem ciuitatis non perturbent, omnino prouidendum eſt. Cum enim omnes actiones voluntariae initium habeant, & dependeant,

ως ἄνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. Siquidem fieri nequit, vt absque magiſtratibus ciuitas perſiſtat. H.

2) Poteſtates enim a ſumma poteſtate ſecundae in Republica ſingulari intuitu ſummi imperantis ius habent fiduciarium & dependens. Hactenus recte Henricus V. Imperator, lectus inter Lotharium & Azonem ſponſionis arbiter, pronunciauit, magiſtratibus etiam ſublimioribus merum imperium proprietate non competere. Vid. Bodinvs Method. hiſtor. c. 6. & 3. de Rep. 5. H.

§. VII. 1) Quod D. Pavllvs ſignificat ad Rom. c. XIII. v. 6. *Propter hoc enim etiam tributa penditis: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum incumbentes.* Neque enim ſuarum rerum curam monente Clerico ad h. l. abiicere, & pro Republica ſolliciti eſſe incipere poſſunt ſine compenſatione, neque dignitatem primariorum Societatis miniſtrorum tueri eamue contra turbatores aut inuaſores defendere, ſine impendio. Quae ratio praecipua eſt omnium Tributorum, ſoluendorum ideo, quia vnusquisque ſymbolam conferre tenetur fulciendae ſocietati, in qua tranquille ei viuere, & ſub legum praeſidio ſaluo eſſe licet. Ceterum ad hanc partem Maieſtatis adhuc referri poſſunt Ius Cudendi monetam, Ius Venationis & piſcationis, & Ius occupandi res communes, quae commode inter priuatos diuidi nequeunt.

2) Vid. infra L. VIII. c. 5. §. 4. 5. H.

3) Vid. ſupra L. III. c. 3. §. 7. H.

deant a voluntate; voluntas autem faciendi vel non faciendi dependeat ab opinione boni vel mali, praemii vel poenae, quam ſibi quisque conceperit ex facto vel omiſſo ſecuturam eſſe, adeoque actiones omnium a ſuis cuiusque opinionibus regantur: ſane externis mediis opus erit, vt iſtae opiniones, & iudicia, quantum fieri poteſt, conſpirent, aut ſaltem, ne earundem diſcrepantia ciuitatem perturbet. Inde expedit, vt publice ciuitas eiusmodi doctrinis velut perſonet, quae cum fine & vſu ciuitatum congruunt, ſimulque animi ciuium a puero iſtis imbuantur. Quippe cum plerique mortalium ita de rebus ſoleant ſentire, prout aſſueuerunt, & prout communiter iudicari vident. Pauciſſimi ex proprii acumine ingenii, quid in rebus humanis ſolidi ſubſit, dignoſcere valeant. Equidem nullum fere datur dogma, neque circa cultum Dei, neque circa ſcientias humanas, vnde diſſenſiones, diſcordiae, conuicia, & demum bella oriri non poſſint. Idque non contingit propter dogmatis falſitatem, aut quod contrario eius admiſſo, tanta incommoda in genus humanum aut ciuitates ſint redundatura; ſed propter ingenium hominum, qui ſapientes ſibi viſi, idem videri volunt omnibus, & in diſſentientes vehementiſſime exaſperantur. Quod facile agnoſcet, qui vel obiter inſpexit rixas eruditorum circa res titiuillitii, non minori motu agitatas, ac ſi pro aris & focis pugnaretur. Verum huiusmodi diſſenſiones, quanquam impediri non poſſint, ne oriantur; attamen ne turbent pacem publicam, per ſummum imperium effici poteſt, poena in conuiciatores ſancita. PLATO de LL. L. XI. [pag. 977. D. Ed. Wech.] *Nemo alicui conuicietur. Sed quicunque cum alio de re quapiam ambigit, diſcat potius doceatque tam ambigentem, quam praeſentes, ita vt omni conuicio prorſus abſtineat. Cum enim ſibi inuicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur: & inprimis ex verbis, quae certe leuiſſima res eſt, odia grauiſſima & inimicitiae ſaepe naſcuntur.* Verum de hiſce dogmatibus proprie ſermo non eſt; ſed de talibus, quae, ſiue ſub ſpecie religionis ſiue alio modo obtrudantur, ius naturale, ac principia ſanae politicae conuellunt, adeoque exitiabiles morbos in ciuitate producere apta ſunt. Neque exinde vlli verae doctrinae periculum eſt. Nam nulla vera doctrina paci repugnat: & quae paci repugnat vera non eſt, niſi etiam pax & concordia contrariae legibus naturalibus dicantur. Igitur ſaltem eiusmodi doctrinarum examen, easdemque e ciuitate proſcribendi poteſtas

§. VIII. 1) Equidem TERTVLLIANVS ad Scapulam ſcripſit: *Humani iuris & naturalis poteſtatis eſt, vnumquemque quod putauerit colere: nec aliis prodeſt aut obeſt alterius religio: ſed nec religionis eſt cogere religionem, quae ſponte ſuſcipi debet, non vi, non armis, cum & hoſtiae ab animo libente expoſtulentur.* In eandem ſententiam & alii Patres diſſeruerunt, quorum dicta iam collegit IVO Part. I. c. 277. Part. XIII. c. 94. & GRATIANVS Diſt. 45. Quibus & illud patrocinari videtur, religionem eſſe opus intellectus & voluntatis, ac proinde imperium non agnoſcere. Enimuero penes quemque eſſe quod putauerit colere, aduerſatur ſententiae pene omnium Rerumpublicarum, quae vnquam fuerunt. Omnes quippe circa cultum diuinum nonnulla conſtituerunt, poenis etiam in refractarios aut delinquentes ſancitis. Diagoram Melium, qui omnino Deos eſſe negabat, & Epicureos ex bene moratis ciuitatibus eiectos legimus. Socrates apud XENOPHONTEM L. IV. Memorabil. Deos colere legem eſſe ait, quae apud omnes homines valeat. Hinc vetus illa formula, cum quis populus alteri populo aut Regi ſe ſubiiceret, dedere diuina & humana. Vid. LIVIVM L. VII. c. 31. vbi de Campanis. Conf. GROTIVS L. I. de I. B. & P. c. 3. §. 8. n. 3. L. II. c. 5. §. 31. L. III. c. 5. §. 2. Vlpianus ius publicum etiam in ſacris dixit conſiſtere. Equidem in naturali ſtatu recte dicitur, vniuscuiusque arbitrio Deum coli: Verum conſtitutis ciuitatibus, viden-

ſtas recte ſummo imperio ciuili tribuitur [1]. Apud DIOGENEM LAERTIVM in Theophraſto [§. 38.] Sophocles Amphiclidae filius legem tulerat: *Ne quis philoſophorum praeeſſet ſcholae, niſi id ſenatus ac plebs decreuiſſet; qui ſecus faceret, capitale eſſet.* PLATO de LL. L. VII. [pag. 888. C. Ed. Wechel.] *Nemo Poëta praeter ciuitatis leges, & iuſta vel honeſta, vel bona fingere quidquam audeat. Nec liceat quae compoſuerit, vlli priuatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re iudices legumque cuſtodes & viderint, & adprobauerint* [2]. Huc ſpectat praefatio CASAVBONI in Exercitat. contra Baronium, & EIVSDEM Epiſtola ad Frontonem Ducaeum, quae eſt n. 624. Edit. Graeuii. Nec inſuper habendum illud HOBBESII de Homine c. 13. §. 8. *Sunt libri ſcripti a Romanis ciuibus florente democratia aut recens extincta, nec non a Graecis florente Republica Athenienſi, tum praeceptorum, tum exemplorum pleni, quibus ingenium vulgi regibus ſuis infeſtum redditur, idque ob nullam aliam cauſam, quam quod ab hominibus perfidis perpetrata flagitia in illis libris laudari vident, nimirum regicidia, ſi modo reges, antequam occidant, tyrannos vocent. Verum ingenium vulgi corrumpitur adhuc magis a lectione librorum, & auditione concionantium eorum, qui regnum in regno, Eccleſiaſticum in ciuili eſſe volunt. Hinc enim pro Caſſiis & Brutis oriuntur Raualliaci & Clementes, qui cum reges ſuos occidendo ambitioni inſeruirent alienae, Deo ſe ſeruire arbitrabantur.* Add. EIVSDEM Praefatio ad librum de Ciue & Leuiath. c. 21. vbi memorantur mala, quae ex doctrina Ariſtotelis de libertate orta ſunt; & ibid. c. 29. & 46. 47. Conf. HOBBES de Ciue c. 6.

§. IX. PROXIMVM eſt, vt oſtendamus, partes illas ſummi imperii naturaliter ita eſſe vnitas, & inuicem velut implexas, vt, ſi fingamus, earum quaſdam independenter penes vnum, quaſdam penes alios eſſe, regularis forma ciuitatis plane deſtruatur. Quae res vt ſolide intelligatur, obſeruandum eſt, duo eſſe potiſſimum vincula, quibus plurium hominum aut coetuum voluntates connectuntur, vt in vnum conſpirent, pactum, & imperium; quorum hoc tamen illo longe fortius ſtringit. Qui ſolo pacto continentur, iure naturae tenentur, vt ſponte praeſtent id, de quo fuit conuentum, manente de caetero naturali inter ipſos aequalitate *. Quamdiu autem vtrinque conuenta ſeruantur, concordia & vnio ſic ſatis inter ipſos poteſt ſubſiſtere. Aſt vbi

quis

videndum, quid illi, qui ſummam poteſtatem tranſtulerunt, voluerint fieri, aut voluiſſe ſaltem credantur. Vbi primum conſideranda vis religionis in animis humanis, quae tanta eſt, vt eius ope homines huc illuc pro libidine actos, ſeditiones turbaſue excitatas, mutationes factas, ſeculorum omnium hiſtoriae teſtentur: deinde finem conſtituendarum ciuitatum praeter rerum ſufficientiam eſſe ſtudium virtutum, quarum praecipua eſt religio. Hactenus igitur ius ſummorum erit imperantium, vt aliqua circa religionem ſtatuant, vel ad vitandas mali occaſiones, vel ad virtutum adminicula. Et licet religio ex parte ſit opus intellectus, ac proinde legem non audiat, tamen cum intellectus ſaepe erret ideo, quod noluerit, operam dare, vt eximeretur ab errore (Vid. 2 Corinth. IV, 2. 3. 1 Timoth. IV, 1. 2 Timoth. III, 1 ſequ.) errores circa religionem merito dicuntur voluntarii. Voluntas autem licet cogi nequeat, coërceri tamen vel poenis vel aliis rationibus poteſt. Vid. ſupra L. I. c. 3. §. 2. H.

2) Τὸν ποιητὴν παρὰ τὰ τῆς πόλεως νόμιμα, καὶ δίκαια, ἢ καλά, ἢ ἀγαθὰ μηδὲν ποιεῖν ἄλλο· τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνύναι πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς καὶ τοῖς νομοφύλαξι δειχθῇ καὶ ἀρέσῃ.

§. IX. * Nam foedera ſtatum naturalem non tollunt, ſed tantum temperant. H.

quis dolo malo a pacto reſiluerit, iuris quidem naturalis violati eſt reus; caeteris autem, quorum intererat pactum illud ſeruari, nihil ſupereſt, quo violatorem in ordinem redigant, praeter violentiam bellicam; qua ſaepe non minus pollet, qui iniuriam fecit, quam accepit. Sic inter aequaliter foederatos concordia eſt, quamdiu quisque, quod promiſit, ſponte praeſtat; vbi vnius perfidia interuenerit, perit vinculum, & bello praebetur cauſa. Ex quo adparet, ſola pacta non eſſe vincula ſat valida, ſaltem vt plures in vnum corpus morale diu colligentur; praeſertim cum non ſemper pauciores & imbecilliores a pacto diſcedant in fraudem plurium & validiorum; ſed etiam plures in fraudem pauciorum. Et licet ponamus, principali pacto aliud fuiſſe adiectum, vt caeteri omnes violatorem pacti quemcunque iunctis viribus perſequantur; tamen (praeterquam quod inutile hoc erit, vbi plures ſimul a pacto diſceſſerint,) niſi imperium democraticum inter ſocios ſit conſtitutum, ſeu niſi illi, qui antea ſocii fuerant, in vnam ciuitatem coaluerint, alio iterum pacto opus erit, quo modo ſit coërcendus ille, qui pacto iſti adiecto ſtare detrectauerit; & ſic in infinitum. Aſt vero imperium longe validius eſt vinculum, quo plures in vnum corpus queant colligari. Non enim qui eodem imperio continentur, manent aequales illi, penes quem eſt imperium, ſed dum in vnum hominem aut concilium confertur poteſtas praeſcribendi, malumque aliquod per modum poenae repraeſentandi illis, qui praeſcripta obire neglexerint, omnibus longe maior incumbit obſequii neceſſitas, quam ſi ſolo pacto necterentur, quo aequalitas inter ſocios, & ius proprio ex arbitrio ſuper rebus ſuis ſtatuendi non forent ſublata.

§. X. NOTANDVM & hoc, ſi qui ſtatuere velint, partes imperii potentiales, quas vocant, in vna & eadem ciuitate radicaliter & diuiſim eſſe penes plures perſonas aut concilia, id quoque admittant neceſſe eſt, vt is, cui aliqua pars imperii competit, ſit inſtructus poteſtate tum adigendi ciues ad obſeruanda ea, quae ex vi iſtius partis ſtatuuntur, tum illud ius ſuum defendendi, ſi quis idem inuadere aut turbare velit, etiam vbi penes alterum eſt ius belli: & denique vt proprio ex iudicio, & ſuo iure poſſit ſtatuere, quo tempore & modo pars illa imperii ſit exercenda. Nam quiduis potius, quam imperium eſt, habere duntaxat ius indicandi aliis, quid optes ad ipſis fieri, & tamen deſtitui poteſtate etiam reluctantes compellendi ad obſeruandum, id quod ſignificatum fuit. Et precario obtinemus, quod contra alterum defendere nobis non licet. Et miniſter eſt alterius, atque exſecutor duntaxat, qui ius aliquod alieno ex arbitrio exercet.

§. XI.

§. XI. 1) Scite H. GROTIVS in Apologetic. c. 2. *Eſt ſummum imperium, quod coronae comparari eaque imagine depingi ſolet, eius naturae, vt parte amiſſa ſubſtantiam ſuam amittat.* Vnde fluit, quod vulgo ICti dicunt, ſi cui regalia conceduntur, ea non abdicatiue, ſed cumulatiue conceſſa cenſeri, ſiue vt clarius efferam, communicando duntaxat alteri, non adimendo ſibi. H. [Locus GROTII facilior eſt ad intelligendum, ſi obſeruemus, coronae nomen, parte circuli amiſſa, ſeneſcere.]

2) Vid. Diſſertatio AVCTORIS noſtri de concordia verae Politicae cum religione Chriſtiana §. II. & famigeratiſſimus liber, Anglice primum ſcriptus, *Des Droits de l' Egliſe Chretienne.*

3) Heic diuerſae oppido ſunt ſententiae. Etenim Pontifex Romanus illimitatam circa ſacra poteſtatem ſibi arrogat: Epiſcopi Vltramontani Ponti-

§. XI. His poſitis facile adparebit, tantam eſſe inter omnes partes ſummi imperii coniunctionem, vt vna ab altera non poſſit auelli [1], niſi regularis forma ciuitatis corrumpatur, & irregulare corpus reſultet, male firmo duntaxat pacto cohaerens. Nam ſi vni demus poteſtatem legislatoriam, alteri vim punitiuam, vtrique radicaliter & independenter; neceſſum erit, aut priorem eſſe inanem, aut poſteriorem prioris miniſtram, Leges quippe ferre, quas exequi nequeas, inane eſt. Et vires habere, queis alios cogere poſſis, ſed non niſi ex alieno arbitrio adplicandas, miniſtri eſt, & nudi exſecutoris. Quod ſi autem & huic dederis cognitionem & iudicium de ſuarum virium adplicatione, eadem opera in nihilum redegeris poteſtatem legislatoriam. Ergo neceſſum eſt, vt vtraque facultas ab vna & eadem voluntate dependeat. Manifeſtum porro eſt, ab iſthoc iure non poſſe ſeparari ius belli & pacis, neque ius indicendi tributa. Nam nemo ad arma, nemo ad ſumtus belli, pacisque ciues iure poteſt cogere, niſi qui iure immorigeros punire poteſt. Abſurdum porro fuerit, ius feriendi foedera, paci belloque inſeruientia, alteri aſſignare, quam cui de pace belloque ſtatuendi ius eſt. Nam alias aut hic merus erit miniſter, aut alter circa comparanda media, iuri ſuo exſerendo inſeruientia, ab alieno arbitrio dependebit. Sic ſi alicui negotium quoddam velis committere, neque tamen eidem ſimul dederis poteſtatem conſtituendi, rationemque poſcendi miniſtros, ſine quibus id expediri nequit, reuera & ipſum miniſtris parem feceris. Ergo poteſtas magiſtratus conſtituendi abs reliquis partibus ſummi imperii ſeparari nequit. Denique & penes eandem erit examen doctrinarum, inprimis earum, quae ad finem ciuitatum aliquo modo ſpectant, & quae in conſcientias hominum efficaciam habet obſequio aduerſus ſummum imperium promouendo, aut impediendo. Si enim aliquis imperet facere ſub poena mortis naturalis, alius perſuadeat ciuibus, ipſos eo facto poenam mortis aeternae incurſuros, vterque ſuo iure, ſeorſim & independenter [2] ſibi competente; ſequitur, non tantum ciues, etſi innocentes, puniri iure poſſe, ſed & in irregularem ac bicipitem ſtatum diſſoluetur ciuitas. Neque enim quisquam duobus dominis ſeruire poteſt: neque is, quem ſequendum eſſe credimus metu damnationis aeternae, minus dominus eſt, quam cui metu mortis temporalis obeditur. Et iure regulandi doctrinas amiſſo, animabuntur ciues ſuperſtitioſi ad rebellionem a ſuis ipſorum phantaſiis. Conf. HOBBES dicto loco, & Leuiath. c. 29. & I. F. HORNIVS L. III. cap. vn. §. 3. Quaenam de caetero ſummi imperii ciuilis in Rebuspublicis Chriſtianis poteſtas circa ſacra ſit, aliis diſtinctius definiendum transmittimus [3]. Add. cumprimis GROTIVS de

Pontificem concilio ſubeſſe volunt: At nonnulli reformatae religionis Presbyteris omnia ſubiiciunt, & nullam imperanti circa ſacra conſtituendi, aut ſuper ſynodorum decretis cognoſcendi poteſtatem relinquunt (quae opinio, qua occaſione in foederato Belgio exorta ſit, tradit H. GROTIVS L. XVII. Hiſtor. Belgic. ad A. MDCIIX. Conf. EIVSDEM Apologet. c. 7) Veriſſime autem ſentiunt, qui & hanc poteſtatem ſummo imperanti adiudicant: quoniam ſine ea ciuitas ſalua eſſe nequit, & vt bono viro, ita cumprimis bono Principi incumbit, curare, quantum fieri poteſt, vt ſuis etiam aeternum bene ſit. In Hebraeorum regno pii Reges Aſa, Ioſaphatus & Ezechias eam curam, etiam collaudante Deo, ſuſceperunt & exercuerunt. Poſtea cum religioni Chriſtianae aſſociarentur Reges, hi regimen eius, Epiſcopis minime refragantibus, ſibi vindicauerunt. De Roma-

de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, c. I. Sicuti nec nunc vacat diſcutere illud PHILONIS Iudaei de praemiis & poenis, qui, cum oſtendiſſet, Moſen eundem fuiſſe *regem*, *legiſlatorem*, *prophetam*, *&* *pontificem*, addit; *haec cum ad idem genus pertineant* [4], *debent contineri coaptarique mutuis vinculis, & in eodem requiruntur homine, vt ſi cui quoduis deſit horum quatuor, claudicantis Reipublicae imperfectus princeps cenſendus ſit* [5].

§. XII. ISTHAEC liquidius adparebunt, ſi qualescunque ſpecies eiusmodi diuiſionis excutiamus. Sit ergo penes principem poteſtas belli & pacis, penes ſenatum ius leges ferendi, & iudicia exercendi, penes concilium populi ius indicendi tributa. Heic ſi rex ciues ad arma vocet, & ipſi parere nolint, aut ius habebit rex eos poenis per ſe cogendi, aut ſenatui iudicandos tradere debebit. Si prius admittamus, non patet, quomodo poenas ſit exacturus a ciuibus nondum militiae adſcriptis, qui non habet exſecutionem legum. Si dicas, in hoc ſolo caſu ius eſſe regi poenas immorigeris imponendi, eadem opera ius regi das omnes ciues pro libidine vexandi, adeoque caeterorum iura ad nihilum redigis. Vbi enim arma induere iuſſerit, ni paruerint, ſuppliciis eos afficiet: vbi in expeditionem eduxerit, ratio diſciplinae militaris ius vitae & necis in ipſos illi dabit. Et nihil facilius duci, quam militem inuiſum perdere. Vid. LIVIVS II. 23. 32. 58. III. 10. 20. 24. IV. 1. 5. 58. V. 2. 10. & paſſim. DIODORVS SICVLVS L. XIV. c. 73. CVRTIVS L. VII. c. 2. POLYBIVS L. I. c. 9. Sin autem rex ſacramentum detrectantes ad ſenatum adducere neceſſum habet, hic aut nude ex praeſcripto regis ſententiam damnatoriam pronunciabit, atque poenam exſequetur; quod eſt contra hypotheſin: aut ſuper intentato ciuibus crimine quoque cognoſcet. Quae cognitio inanis eſt, ni idem poſſit inqui-

Romanis Imperatoribus teſtatur SOCRATES L. V. Hiſtor. Eccl. ex quo illi Chriſtianiſmum profiteri coeperunt, res Eccleſiae ab ipſis dependiſſe. Et verum dicit. Vid. de Conſtantino M. EVSEBIVM in Libris de eius vita, & alios hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores. Adde VEDELIVM Libro de Epiſcopatu Conſtantini M. De ſucceſſoribus eius Codex Theodoſianus & Iuſtinianeus abunde loquuntur. Res quoque nota de Francorum Regibus, ceu quorum auſpiciis Canones in Synodis aut Capitularia in placitis facta. Et ſane cum religio Chriſtiana omnes alias exſuperet, ſeu praemiorum poſt hanc mortem excellentia, ſeu ſanctitate praeceptorum, & conſentaneis cum ſociali & ciuili vita inſtitutis, danda vtique opera ſummis imperantibus, vt eam introducant, introductam conſeruent ac moderentur. Vbi praecipue monendum, non eſſe fas, vt poenis illos ſubdant, qui religionem Chriſtianam amplecti nolunt, quantum ad dogmata attinet, coeleſti patefactione nota, & religioni naturali ſuperaddita: nam haec ad felicitatem ciuilem per ſe non pertinent, ſed alium multo nobiliorem habent finem, ac proinde a ſumma poteſtate imperari nequeunt. Sed nec Chriſtus vnquam tale ius in ſummos imperantes transtulit, imo potius, ne quisquam vitae huius poenis aut eorum metu ad ſuam religionem adigeretur, conſtituit Matthaei XIII, 29. 30. Lucae IX, 54. & ſequ. ad Romanos IIX, 15. ad Hebraeos II, 15. Iudaeis certe ſub Romanis Imperatoribus religionis ſuae vſus nunquam vetitus fuit, dum a contemtu Chriſtianae religionis & traducendis ad ſuam ſectam Chriſtianis abſtinerent. Quin Archiſynagogis eadem iura quae Chriſtianorum Epiſcopis Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus & poſt illos Honorius & Arcadius Impp. indulſerunt. Ex celebrioribus Epiſcopis ipſe Gregorius M. crebro pro Iudaeis reſcripſit nullum iis negotium faceſſendum a Chriſtianis, ſed benignitate potius ac beneficiis alliciendos, vt oſtendunt varia ex eius epiſtolis loca apud BARONIVM ad A. CCCLXXXIIX. n. 91. Conſtantinus M. Chriſtianus factus apud ZONARAM L. III. promiſſa per praeconem Chriſtianis ſecuritate, publice edixit: nemini ſe vim adhibiturum, ſed eos libenter ſuſcepturum, qui ſponte ad Chriſtianam religionem ſe contuliſſent. Multo autem iniuſtius poenae, inprimis grauiores, in illos

inquirere, ex vſu Reipublicae ſit, nec ne, bellum iam a rege ſuſcipi. Hoc modo ius regis in nihilum recidet. Quod ſi in eiusmodi ſtatu inuicem comparemus ius regis, & ius populi, eadem incommoda deprehendemus. Sane enim, prout hodie bella geri inter pleroſque populos moris eſt, *neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* TACITVS H. IV. 34. Ergo ſi regi non ſit poteſtas ad tributa praeſtanda pro imperio ciues adigendi, ipſius ius belli nihil aliud erit, quam nuda facultas ſuadendi ciuibus, heic & nunc commodum eſſe Reipublicae arma ſumere. Quod ſi autem populo non ſit facultas cognoſcendi, vtile ſit bellum, nec ne, cui ſuſcipiendo tributum ſit conferendum; quid aliud hic habebit, quam laborioſum miniſterium deſcribendi & colligendi tributum? quorum vtrumque eſt contra hypotheſin. Neque melius res procedet, ſi alio modo partes ſummi imperii diſtribuamus. Add. BODINVS de Republ. L. II. c. 1. p. m. 287. circa quem tamen non de nihilo eſt, quod monet ARNISAEVS de Republ. L. II. c. 6. ſect. 1. §. 56. Vsque adeo huc adplicari debet illud Aſinii Galli * apud TACITVM A. [L. I. c. 12.] *vnum eſſe imperii corpus, atque vnius* hominis aut concilii *animo regendum.* Illuſtrari haec poſſunt exemplo animae humanae, cuius inſtar aliquod ſummum imperium in ciuitate gerit. Nam ſi fingamus, partes potentiales animae rationalis, intellectum & voluntatem, eſſe ſeparatim in diuerſis ſuppoſitis, quorum vni ſolus fuerit intellectus, alteri ſola voluntas; neque homo dici poterit tale ſuppoſitum, neque humanae actiones ab eodem erunt expectandae, vno velut immobili ſemper torpente, altero tanquam coeco nequidquam ſatagente. Quo facit epigramma in ANTHOLOG. L. I. *Πηρὸς, ὁ μὲν γυίοις, ὁδ᾽ ἄρ᾽ ὄμμασιν· ἀμφότεροι δὲ εἰς αὐτοὺς τὸ τύχης ἐνδεὲς ἠράνισαν. Τυφλὸς γὰρ λιπόγυιον ἐπωμάδιον βάρος αἴρων, ταῖς κείνου φωναῖς ἀτραπὸν ὀρθοβάτει.* *Vnus*

illos vſurpantur, qui Chriſtianam Religionem profeſſi, a receptis ſententiis diſſident aut aberrant, vulgo dicti haeretici, vti a compluribus iam eſt demonſtratum. Vid. GROTIVM II. de I. B. & P. c. 20. §. 49. ſequ. Nec obſtat Dei praeceptum Numer. XXV. Deuter. XIII. Nam hoc illos duntaxat ferit, qui malitioſo propoſito hoc agebant, vt homines ab vno vero Deo abducerent, quem & natura docebat, & tot miracula, apertiſſime teſtabantur. At Chriſtianae religionis pleraque non natura nobis nota ſunt, ſed diuina reuelatione; & miracula, quibus ea religio quondam obſignata eſt, ad ſummam doctrinae pertinebant, non ad ſingula capita. Sed nec exempla Imperatorum Chriſtianorum etiam ex vetere aeuo obſtant. Licet enim diffiteri non poſſimus, multos haereticorum exilio, mulcta pecuniaria, aut ſimili vel leuiori poena, ſubinde mulctatos fuiſſe ab Imperatoribus, quos vel pietatis perſuaſio, vel ambitio Epiſcoporum & importunitas, vel ipſa etiam haereticorum malitia eo extimulauerunt, fuere tamen alii, qui diuerſos a religione ſua tolerarent: imo liberam religionis functionem habere permitterent, quod itidem ab aliis iam fuſe eſt demonſtratum. Vid. EICHELIVM in Animaduerſ. ad ἀνεκδ. Procop. p. 91. ſequ. Poenae autem capitales adeo inuiſae erant, vt in Gallia Epiſcopi, qui auctores poteſtatibus fuerunt, vt in Priſcillianiſtas, praiuiſſimorum dogmatum auctores, & vitae inquinatae, animaduerterent, eam ob cauſam ab Eccleſiae amoti ſunt communione. Vid. SVLPIT. SEVERVM Hiſtor. ſacr. Libr. II. cum not. Sigonii. Plura de hoc argumento adſerre, non licet. Vid. AVCTORIS librum ſingularem de habitu religionis Chriſtianae ad vitam ciuilem. H.

4) Conf. AVCTOR de habitu religionis Chriſtianae ad vitam ciuilem, NOODTIVS de Religione ab Imperio, Iure Gentium, libera & CLERICVS dans ſa Bibliotheque vniuerſelle T. XV. p. 403. & ſeqq.

5) Adiicere poterat AVCTOR hanc ſententiam, vtpote ſola auctoritate Philonis nixam, talem eſſe, vt ne refutari quidem mereatur.

§. XII. * Et quod Salluſtius Criſpus monebat Liuiam apud TACITVM I. Annal. 6. *Ne Tiberius vim principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando. Eam conditionem eſſe imperii, vt non aliter ratio conſtet, quam ſi vni reddatur.* H.

Vnus luminibus captus, pedibus fuit alter: Alter ab alterius ſorte leuamen habet. Nam captum pedibus dum portat coecus, ab illo Diſcit, quae pedibus ſit via recta ſuis. Hi vtique naturae defectus vtcunque ſupplere poterant, quamdiu vtrique mutuas tradere operas placuit. Poſt abruptum foedus; ortaque diſcordia, neque coeco, neque mutilo rectum carpere iter amplius dabatur. Vnde ſi quis omnino partes imperii ſeparare velit, hautquidquam regularem ciuitatem conſtituet, ſed irregulare corpus, cuius membra, partes imperii ſeparatas poſſidentia, non communi imperio, ſed per conuentionem duntaxat contineantur. Quo in coetu vtcunque concordia ſeruari poterit, quamdiu ſingulorum ſententiae circa bonum publicum amice conſpirauerint, & quilibet, quod ad hunc finem facit, vltro ſit paratus implere. Vbi diſſenſio fuerit orta, nihil reliquum eſt, quam vt ad arbitros eatur, aut bello res diſceptetur.

§. XIII. Haec quanquam manifeſtiſſima ſint; dantur tamen non pauci, qui diuiſionem partium ſummi imperii propugnant, vt exinde neſcio quas mixtiones Rerumpublicarum concinnent, quae vbi rite temperatae fuerint, feliciſſimam, ſi diis placet, Rempublicam producere aptae ſint. Cui fini quidem Ariſtotelis auctoritas nequidquidquam imploratur *, qui Polit. L. IV. c. 8. 9. de longe diuerſa mixtura, quam quae ad diuiſionem partium ſummi imperii ſpectet, loquitur. Quo magis mirandum eſt, quoſdam Eivs interpretes, & inter eos Mich. Piccartvm ad dictum locum de iſta mixtura talia miſcere, de quibus Aristoteli nunquam fortaſſe in mentem venerat. Qui etiam iſthanc temperationem vnice exoptandam, & expetendam iactat, *ſi rex habeat ius belligerandi, cudendae monetae, paciſcendorum foederum, imperandi tributa, diſtribuendi praemia; ſenatus ea occupet iura, quae prudentiam requirunt, puta leges ferat, & exſequatur, iudicia publica procuret; denique plebs ea tractet, quorum rationem didicit, aerarii publici rationes repetat, agris diſtribuendis praeſit, creet magiſtratus, aedificiis, viis publicis, aquae ductibus, rei frumentariae, & aliis Reipublicae ſubſidiis praeſit.* Sic neque id aliquam ſummi imperii diuiſionem arguit, ſi, verbi gratia, condemnare ſit penes ſenatum, liberare penes principem, vel populum. Sic enim princeps ſuo iure omnes poteſt abſoluere, in quos alius ſententiam damnatoriam dixit, hic ſane nudi iudicis pedanei partes ſuſtinet, eiuſque ſententiae ab iſto firmitatem mutuabuntur. Vnde ſatis adparet, ſi in aliqua ciuitate capitalia iudicia ſunt penes ſenatum, penes regem autem ius, quod vocant, aggratiandi, ſenatum reuera a rege poteſtatem habere delegatam cognoſcendi ſuper criminibus, & ſententiam legibus conformem pronunciandi; idque arcendae a iuſtitia gratiae, & odio, deriuandaeque a rege inuidiae; radicaliter tamen ius vitae & necis penes regem eſſe. Nonnulli in ipſa poteſtate iudiciaria diuiſionem aliquam comminiſcuntur,

§. XIII. * Loquitur ille non de mixtione proprie dicta, qua iurium ſummi imperii fit partitio, ſed de temperamentis ſiue ſimulacris, quae pro veris rerum momentis & pro iure Reipublicae venditari inter artes politicas ſolenne eſt. V. infra c. 5. §. 12. H.

§. XIV. 1) Plane vt Achilles apud Evripidem Iphigen. in Aulid.

Καὶ τοῖς Ἀτρείδαις, ἢν μὲν ἡγῶνται καλῶς,
Πεισόμεσθ', ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πείσομαι.
Et Atridis, ſi recte praefuerint,
Parebimus; quando autem non recte, non parebo. H.

2) V. infra c. 8. §. 6. H.

3) V. infra c. 6. §. 10. ſequ. H.

ſcuntur, ſi nempe rex habeat ius vitae & necis in peregrinos ſolos, populus autem in ciues. Sed ſi penes populum ſint iudicia in ciues, tanquam penes pedaneos iudices, regis poteſtati nihil decedit. Sin radicaliter & independenter eadem obtineat populus, inane nomen habebit rex, & praetoris duntaxat peregrini munus exercebit. Nam quod de diuerſo monetae genere additur, ineptius eſt, quam vt repeti debeat. ARNISAEVS Rel. pol. L. I. c. 6. Sect. 1. valde heic operoſus eſt, & praeter complura, quae accurate obſeruat, recte quoque reiicit ſpurias quaſdam mixturae ſpecies. Ad extremum tamen §. 57. nullum commodius potuit excogitare exemplum, quam vt regi tribuat ius belli & pacis, tributa imperandi, monetam cudendi, & praemia diſtribuendi; ſenatum circa iudicia & prouocationes recipiendas occupari iubeat, eidemque reformationem morum per leges faciendam, & ius vitae & necis aſſignet; populo curam aerarii, & creationem magiſtratuum iniungat. De quo exemplo ex iam dictis iudicium ferri poteſt.

§. XIV. IPSE quoque GROTIVS L. I. c. 3. §. 9. 17. aliquid pro diuiſione partium ſummi imperii molitur. Vbi illud quidem recte, quod diuiſionem ſummi imperii inter regem & populum negat poſſe fieri hoc modo, vt ſimpliciter conueniatur; ſiquidem *bene* imperauerit rex, populum ipſi obtemperaturum; ſin *male*, fore vt a populo in ordinem redigatur [1]. Sed potius fines poteſtati vtriuſque aſſignari debuiſſe tales, qui ex locorum, perſonarum, aut negotiorum diſcrimine facile cognoſci poſſent. Solam autem bonitatem & malitiam actus conſiſtentem in adplicatione idonei medii ad ſalutem publicam, quae ſaepe obſcuram habet diſceptationem, aptam non eſſe ad partes diſtinguendas [2]. Quippe ex quo ſummam oriri confuſionem neceſſum ſit, cognitionem de eadem re ſub obtentu, bene aut ſecus circa ipſam a rege eſſe actum, hinc ad ſe trahente rege, inde populo. Sed & illud recte [3], non ſtatim diuidi ſummum imperium, ſi rex quaedam iurato promittat populo, etiam talia, quae ad rationem imperii adminiſtrandi faciunt. In reliquis vulgatum errat errorem. Ac diuiſionem quidem partium imperii vno modo fieri putat, *ſi expreſſe inſtituatur partitio.* Quam in rem exempli loco adfertur, quod Probi Imperatoris tempore ſenatus firmarit principum leges [4], de appellationibus cognouerit, proconſules creauerit, legatos conſulibus dederit. Quaſi vero ignotum ſit, quomodo Caeſares, qui modeſtiores videri volebant, imperium ſub larua antiquae Reipublicae exercuerint, & ſenatui reliquerint negotia modica, & ad ſummam rerum parum facientia, ſibi vero vim imperii, in militibus potiſſimum conſiſtentem, ſolicite retinuerint. Alterum modum diuidendi imperii ita exprimit: *Si populus adbuc liber futuro regi imperet per modum manentis praecepti.*

 Vbi

4) V. VOPISCVS in Probo. PROBVS ipſe ad Senatum: *Vos eſtis mundi Principes, & ſemper fuiſtis, & in poſteris veſtris eritis.* Verba profecto magnifica, ſed re inania. Plane vt apud CLAVDIANVM:

Neglectum Stilico per ſecula morem
Rettulit, vt Ducibus mandarent praelia Patres,
Decretoque togae felix legionibus iret
Teſſera.

Nimirum & hoc erat mere politicum ſchema hominis imperium affectantis, quod mox cum ipſo Stilicone periit. V. CONRINGIVS ad Part. 2. Lampadii de Rep. Rom. Germ. §. 10. H.

Vbi non adparet, qualis res ſit praeceptum permanens eo tempore, quo vim praecipiendi quis non amplius habet. Nam omne praeceptum praeſupponit vim coactiuam, exſerendam, vbi idem fuerit violatum. Hanc ergo populus regem conſtituens in eundem aut retinebit, aut non retinebit. Si prius, penes regem inane nomen, vis imperii penes populum erit. Sin poſterius, praeceptum inane erit. Ergo ita debuerat loqui; populum adhuc liberum poſſe regem adſtringere, vt in gerenda Republica certas regulas ſequatur. Sed ex hoc non ſequi diuiſionem imperii, infra oſtendemus. Denique & ita diuidi putat imperium, *ſi in eiuſdem delatione quid additum ſit, ex quo intelligatur, regem cogi, aut puniri poſſe.* Enimuero non diuiditur imperium, ſed populus illud reuera in ſolidum habet, regi autem ſub illuſtri nomine magiſtratus duntaxat eminentis munus committitur, ſi populus ius quacunque ex cauſa regem cogendi aut puniendi habeat. Poena quippe a ſuperiore vt tali proficiſcitur. Coactio autem fit duplici modo, moraliter, & phyſice, id eſt, per modum imperii, & per modum violentiae bellicae. Imperium non datur in aequalem, vt talem. Ergo quando GROTIVS infert, quod ſaltem populus regi ſit par aut aequalis, quia certo caſu eum poſſit cogere; id quoque ſimul admittere neceſſum habet, neutri in alterum eſſe imperium; quod naturae ciuitatis repugnat. Aſt coactio per violentiam bellicam vtique inter aequales, ſeu quorum neutri in alterum eſt imperium, locum habet. Sicut & de tali coactione capiendum eſt exemplum a GROTIO ſubiunctum, quod creditor naturaliter ius habeat cogendi debitorem. Sane per modum imperii, quod in ipſo creditore haereat, naturaliter creditor debitorem cogere non poteſt. Alias enim neceſſum eſſet, quemlibet, qui alteri quid debere incipiat, ipſius imperium ſubire. Cogi tamen omnino debitor a creditore poteſt ad ſoluendum debitum vel per ſubſidium iudicis, (qui inter regem & populum non datur,) vel ſi in libertate naturali viuant, per violentiam bellicam. Atqui ſi hunc modum cogendi populo velimus tribuere, admittendum fuerit, tam regem quam populum in naturali libertate viuere, id eſt, ciuitatem eſſe diſſolutam. Denique & illud concedimus GROTIO, in ciuilibus inſtitutis nihil eſſe, quod omni ex parte incommodis careat; adeoque propter incommoda, ex diuiſo imperio prouentura, non ſtatim inferri debere, iſtud plane non poſſe dari. Ius quippe metiendum eſſe non eo, quod optimum huic aut illi videtur, ſed ex voluntate eius, vnde ius oritur. Nobis tamen viciſſim & illud erit concedendum, ſi cui populo eiuſmodi diuiſio arriſerit, eum non regularem ciuitatem, ſed corpus ſatis male concinnatum atque morbidum conſtituere [5].

CAPVT

5) V. ſupra §. 12. Atqui AVCTOR infra c. 5. §. 14. irregularitatem morbum eſſe Reipublicae negat. Et ſane partitio ita fieri poteſt, vt populus non nimis feliciter ſub tali Republica viuat. Quod exemplis probare, loci huius non eſt. H.

§. I. * Ita quoque H. GROTIVS L. I. de I. B. & P. c. 3. §. 7. Quod impugnat ZIEGLERVS in not. & L. I. de Iur. mai. c. 1. §. 44 perſuaſus hoc ipſo ſtabiliri reiectam alias diſtinctionem

* *

CAPVT V.
DE FORMIS RERVMPVBLICARVM.

I. *Accidentia ciuitatum non conſtituunt nouam ſpeciem.*
II. *Dantur & formae irregulares ciuitatum, ac ſyſtemata.*
III. *Tres ſunt formae ciuitatis regularis.*
IV. *Democratia videtur Reipublicae forma antiquiſſima.*
V. *In democratia non minus eſt ſummum imperium, quam in monarchia.*
VI. *Quomodo democratia conſtituatur.*
VII. *Democratiae requiſita ordinaria.*
VIII. *Quomodo ariſtocratia conſtituatur?*
IX. *Et quomodo monarchia?*
X. *In Rebuspublicis occurrunt vitia hominum & ſtatus.*
XI. *Quae tamen peculiarem Reipublicae ſpeciem non conſtituunt:*
XII. *Sicuti nec varia accidentia democratiarum & ariſtocratiarum.*
XIII. *De recentiorum mixta Republica.*
XIV. *In quo conſiſtat natura irregularium Rerumpublicarum.*
XV. *Irregularitas maxime perſpicitur ex exemplis.*
XVI. *Imperia, quae habent prouincias, non ſtatim ſunt ſyſtemata.*
XVII. *De ſyſtematibus, quae oriuntur propter communem regem.*
XVIII. *De ſyſtematibus, quae foedere coaluerunt.*
XIX. *Quomodo negotia in iſtis communicentur?*
XX. *An maior pars ibi obliget minorem?*
XXI. *Quomodo talia ſyſtemata diſſoluantur?*
XXII. *De comparatione formarum Reipublicae.*

SVMMVM imperium vti in qualibet ciuitate tanquam in ſubiecto communi reperitur *, ita prout illud vel in vno homine, vel in vno concilio ex paucis aut vniuerſis ciuibus conſtante, tanquam in ſubiecto proprio haeret, diuerſas formas Rerumpublicarum producit. Vbi primo omnium arbitramur, integrum adhuc nobis fore, vocabulum *formae* retinere ad exprimendam illam ciuitatum habitudinem, quae ex diuerſitate ſubiecti, in quo imperium ſummum radicaliter haeret, reſultat. Abs qua quod ſaepe *actualis Reipublicae adminiſtratio* diſcedit; puta, vt in *democratia* quaedam *monarchice* quaedam *polyarchice* gerantur; quando certa negotia vni aut paucis a populo expedienda committuntur, tralatitium eſt. Et quia plurimum intereſt, vtrum quis exerceat poteſtatem propriam, an vero alienam, & precariam, qua ſtatim ab altero exui valeat; inde valde ἀκύρως loquitur, qui iactat: *reuera polyarchiam* eſſe, *vbi rex a paucis, patientia ipſius abutentibus*; aut *monarchiam, vbi ab vno demagogo*

nem maieſtatis in perſonalem & realem. Verum obiectioni huic AVCTOR occurret infra c. 7. §. 4. Quod porro vrget ZIEGLERVS: mortuo Principe expirare imperium, non ad populum reuerti, quippe quod ab ipſo non ſit profectum: hypotheſis eſt, quam AVCTOR ſupra c. 3. §. 3. & ſeq. ſatis confutauit. Et fac imperium expirare, habet tamen populus ius nouam ex ſe poteſtatem excitandi. H.

populus naſo ſe duci patitur; vel etiam *vbi in ſenatu ſupremo vnus prudentia, eloquentia, aut metu potentiae reliquos temperat:* ac primo caſu nil niſi *inane nomen*, & *externam ſpeciem* monarchiae, altero democratiae, tertio polyarchiae ſupereſſe. Sicuti & nemo cordatus crediderit, formam Reipublicae mutatam, vbi perſonae, aut numerus miniſtrorum mutantur; non magis quam interregnum exiſtit, vbi a ſucceſſore miniſter, penes quem rerum adminiſtratio ſub priori principe fuerat, praeceps aula exturbatur. Capacitas autem & inclinationes eius vel eorum, qui imperium ſuo iure aut delegatnm exercent, adminiſtrationem quidem afficiunt, ac variant, ipſam tamen formam Reipublicae nequaquam. Sic & licet imperium alicubi egregie, alicubi praue adminiſtretur; tamen ex diuerſo velut exercitio eiuſdem poteſtatis non ſtatim noua ſpecies ciuitatis producitur. Vnde quemadmodum ſanus ab aegroto non ſtatim ſpecie differt, neque membra praue conformata alios ſpecie homines efficiunt: ſic vitia imperantium aut parentium, aut prauitas legum aliam ſpeciem Reipublicae hautquidquam conſtituunt.

§. II. Deinde & hoc obſeruandum, pleroſque qui de ciuili ſcientia tradiderunt, ſategiſſe circa explicandas regulares Rerumpublicarum formas, de formis irregularibus multi ne cogitaſſe quidem videnter, pauci ſat ſuperfunctorie attigerunt. Inde factum, vt ſi quando occurreret corpus ciuile, quod ad vnam ex tribus illis, quas vulgo ſimplices vocant, formis non quadraret, vix aliud quam mixtae Reipublicae vocabulum ſuperfuerit. Atqui praeterquam quod mixtura illa male quibuſdam Rebuſpublicis adplicetur, etiam valde ſimplex eſt credere, praeter regulares illas tres formas, alias irregulares non dari *. Neque enim ſi conſtat, quamnam aedificiorum diſpoſitionem leges architectonicae requirunt, omnes ſtatim homines ſua domicilia ad eas leges extruxerunt. Regularitatem autem ciuitatis in hoc conſiſtere arbitramur, vt omnes & ſinguli ab vna velut anima videantur regi, ſeu vt ſummum imperium indiuiſum,

§. II. * At *non defuere*, ait KVLPISIVS ad Monzamb. c. 6. §. 9. *qui quaerendum exiſtimauerunt, quis homini politico auctoritatem concedere poſſit ſtatuendae regulae in examinandis Rerumpublicarum formis, hoc effectu, vt quaecunque iſti non reſpondeant, inter irregularia corpora & monſtra ciuitatum illico detruderentur? Nam regulare & irregulare aliquid dicitur, non in ſe & abſolute, ſed reſpectu regulae, ad quam exigatur, ita vt quicquid ab ea diſcrepet, irregulare dicendum ſit. Procul dubio autem talis regula non poteſt definiri ſecundum conceptum aliquem generalem ſcientiae ciuilis, ſed ad vſum vitae reſpitiendum erit.* Quibus reſponderi poteſt: regulam ſumi a communi hominum inclinatione, quam habuerunt, cum e naturali ſtatu emigrarent. Et ſi veteres Philoſophi Reſpublicas quaſdam dixere *προτέρας*, quippe *ἡμαρτημένας καὶ παρεκβεβηκυίας* *aberrantes & recta via exeuntes.* V. ARISTOTELES III. Pol. 1. quid vetat & alia ratione declinantes in irregularium Rerumpublicarum numerum referre? V. Elem. Prud. ciu. part. 1. ſect. 2. §. 5. H.

§. III. 1) Adiicit Cl. BARBEYRACVS alia duo loca, *alterum* ISOCRATIS, in Panathen. p. 448. Ed. Pariſ. Ἐγὼ δὲ φημὶ τὰς μὲν ἰδέας τῶν πολιτειῶν, τρεῖς εἶναι μόνας, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, μοναρχίαν· *alterum* SENECAE in Epiſt. 15. *Interdum* POPVLVS *eſt, quem timere debeamus: interdum, ſi ea ciuitatis diſciplina eſt, vt plurima per* SENATVM *tranſigantur, gratioſi in eo viri; interdum* SINGVLI, *quibus poteſtas Populi & in Populum data eſt.* Tres quoque Rerumpublicarum formas TACITVS adgnoſcit. Nam, *cunctas*, inquit, *Nationes & Vrbes* POPVLVS, *aut* PRIMORES, *aut* SINGVLI *regunt.* Annal. L. IV. c. 33. n. 1. Ed. Rycquii. Quae & QVINTILIANO probantur, Inſt. Orat. L. V. c. 10. p. 286. Ed. Obrecht. Nam, *Partes incertas eſſe* ait, *vt: quibus conſtet Respublica: formas certas, vt: quot ſint ſpecies Rerumpublicarum:* quas

uiſum, & inconuulſum ab vna voluntate per omnes ciuitatis partes, atque negotia exerceatur. Exinde quid irregularis ſit ciuitas collectu non eſt difficile. Deinde & dantur ſyſtemata ex pluribus perfectis ciuitatibus compoſita, quae apud imperitos ſpeciem vnius ciuitatis mentiuntur; quae & ipſa in explicandis Rerumpublicarum formis inſuper non ſunt habenda.

§. III. Civitatis regularis tres duntaxat dantur formae; quae reſultant ex ſubiecto proprio ſummi imperii, prout illud eſt vel vna perſona ſimplex, vel vnum concilium, ex paucis aut vniuerſis conſtans. Nam imperium ſummum committitur vel vni homini, vel vni concilio plurium hominum. Hoc concilium rurſus eſt vel omnium ciuium, vel minoris, ſed ſelectae partis. Igitur prima ſpecies eſt, vbi ſummum imperium eſt penes concilium ex vniuerſis conſtans, & vbi quilibet ciuis ius ſuffragii ferendi habet: & vocatur *Democratia*. Altera vbi ſummum imperium eſt penes concilium, ex ſelectis ciuibus conſtans, & dicitur *Ariſtocratia*. Tertia, vbi ſummum imperium eſt penes vnum hominem; & appellatur *Monarchia*, ſiue regnum. In prima is, qui rerum potitur, vocatur *Populus*; in ſecunda *Optimates*, in tertia *Monarcha*. Pindarvs Pyth. Od. 2. [v. 157. & ſeqq. Edit. Oxon.] Παρὰ τυραννίδι, χ' ὁπόταν ὁ λαῦρος στρατὸς, χ' ὅταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέοντι. *Apud dominatum vnius, & cum impetuoſa multitudo, & cum prudentes vrbem* [1] *cuſtodiunt* [2].

§. IV. Primo autem loco videbimus de democratia, non quidem, quod eam dignitate aut ſplendore extrinſeco, aut commoditate caeteris formis anteſtare arbitremur; (Philo Iudaeus de mundi opificio [in fine] multorum deorum aſſertores perſtringit, *quos non pudet, deterrimam* [1] *Reipublicae ſpeciem ex terra in coelum transferre, vulgi potentiam:)* ſed quod illam pleraſque inter gentes antiquiſſimam [2] conſtet [3], ſimulque ratio oſtendat, conuenientius eſſe, vt plures homines naturali libertate & aequalitate gaudentes, dum in vnum corpus

quas tres accepimus, quae POPVLI, *quae* PAVCORVM *quae* VNIVS *poteſtate regerentur.*

2) Strabo L. I. de Geograph. Τὰς τῶν πολιτειῶν διαφορὰς ἀπὸ τῶν ἡγεμονιῶν διακρίνομεν· ἄλλην μὲν ἡγεμονίαν τιθέντες τὴν μοναρχίαν, ἣν καὶ βασιλείαν· ἄλλην δὲ, τὴν ἀριστοκρατίαν· τρίτην δὲ τὴν δημοκρατίαν· Τοσαύτας δὲ καὶ τὰς πολιτείας νομίζομεν ὁμωνύμως καλοῦντες, ὡς ἂν ἀπ' ἐκείνων τὴν ἀρχὴν ἐχούσας τῆς εἰδοποιίας. *Rerumpublicarum formas a principatibus ſecernimus, aliam principatum ſtatuentes monarchiam, quod & regnum dicitur: aliam optimatum: aliam populi poteſtatem: totidemque Reipublicae genera indicamus iiſdemque ea nominibus afficimus, quod ab iis habeant principium ſuae informationis.* Aeschynes *contra Timarchum ab init.* Ὁμολογοῦνται τρεῖς εἶναι πολιτεῖαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, τυραννὶς καὶ ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία· διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων· αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις. *Conſtat inter omnes, tres eſſe formas Rerumpublicarum: principatum vnius, poteſtatem paucorum & populare imperium. Ac duo priora genera eorum arbitratu reguntur, qui rerum potiuntur: liberae autem ciuitates vſitatis legibus.* Conf. Evndem Orat. aduerſus Cteſiphontem ab initio. H.

§. IV. 1) Imo de abuſibus tantum loqui videtur Philo, qui in Ochlocratiis obuii ſunt. Idem enim in opere de Creatione Principis in fine adgnoſcit, Democratiam optimam et maxime probabilem Reipublicae formam eſſe. Ἐν δ' ἄστεσιν ἡ ἐννομωτάτη καὶ πολιτειῶν ἀρίστη δημοκρατία.

2) Vid. c. 1. §. 7. nota 1.

3) Contrarium plerique veterum credidere. Cicero III. de Legibus *Omnes antiquae gentes Regibus quondam paruerunt.* Pavsanias Boeoticis ſiue Lib. IX. ab init. locutus de Boeotis ait: Ὅτι μὲν δὴ καὶ οὗτοι τὸ ἀρχαῖον ἐβασίλευοντο, δῆλά ἐστι. Βασιλεῖαι γὰρ πανταχοῦ τῆς Ἑλλάδος, καὶ οὐ δημοκρατίαι πάλαι καθεστή-

corpus coire conſtituerunt, prius voluerint rem communem communi conſilio adminiſtrare; adeoque democratiam conſtituere. Neque praeſumendum eſt, patremfamilias liberum, qui animaduerſis vitae ſegregis incommodis, vltro ſeſe cum aliis ſui ſimilibus in ciuitatem congregabat, vno velut momento potuiſſe obliuiſci priſtini ſtatus, in quo omnia circa ſalutem ſuam proprio arbitrio diſponebat, vt confeſtim vnius ſeſe arbitrio circa rem communem, cui & ipſius ſalus innectebatur, voluerit ſubdere. Quin potius illud ab initio aequiſſimum creditum: quod omnes ſpectat, ab omnibus curari debere; donec ab eo ſtatu plerique diſceſſerunt vltro, aut per neceſſitatem, a quibusdam ciuibus aut externis admotam. Facit huc PLATO in Menexeno. [p. 519. B.] vbi de Republica Athenienſium diſſerit: *Cauſa nobis gubernationis huiusmodi*, (in qua ſumma rerum eſſet penes populum, magiſtratus autem mandarentur praeſtantiſſimis) *ex aequalitate generis eſt. Aliae ſiquidem ciuitates ſunt ex variis, diſſimilibusque generibus conſtitutae: quo ſit, vt inaequales ſint gubernationes, & tyrannides, paucorumque potentiae. In quibus ita homines viuunt, vt ſe inuicem partim dominos, partim ſeruos exiſtiment. Nos autem noſtrique vna ex matre omnes fratres geniti, haut arbitramur, nos inuicem dominos & ſeruos eſſe: ſed generis aequalitas nos inducit, vt & legis quaeramus aequalitatem, neque rei prorſus vlli, niſi opinioni virtutis prudentiaeque cedamus* [4]. Atqui ciuitates pleraſque initio ex genere iunctis coaluiſſe adparet. Conſpirat ISOCRATES Panegyr. *Iniquum nobis* (Athenienſibus) *videbatur, multos paucorum imperio regi; & eos qui re quidem tenuiore, caetera vero nihilo deteriores eſſent, magiſtratibus & honoribus excludi: & cum patria ſit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum eſſe loco, & natura ciues Reipublicae functionibus lege priuari.* Add. LIBANIVS Progymn. loc. com. contra tyrannum. Neque antiqua hiſtoria abnuit; quae licet frequentem regum mentionem faciat; pleroſque tamen magis ſuadendi auctoritate, quam iubendi poteſtate gauiſos conſtat. Sicuti & IVSTINVS [5] initio Libri 1. regnum Ariſtoteli heroicum dictum deſcribit [6], quod democratiam hautquidquam tollit. THVCYDIDES L. I. [c. 13. pag. 8. Ed. Oxon.] de antiquiſſimis regnis: *Prius haereditaria erant regna* [7], *& certis honoribus conditionibusque definita.* Inde paſſim gentes populari regimine, & libertate vſae: donec paulatim maxima illa multitudo paruularum Rerumpublicarum fere per vim & bella in pauca imperia praegrandia redigeretur. Equidem pro antiquitate regni ita ARISTOTELES L. I.

στήκασιν. *In Regum & hos fuiſſe priſcis temporibus imperio, ſatis omnibus conſtat. Tota enim Graecia olim Regibus paruit, quum nondum Respublicae inſtitutae fuiſſent.* In eandem ſententiam alii loquuntur. Si diuinas literas conſulimus, ab inſtaurato poſt diluuium Orbe de compluribus regnis ac Regibus legimus. Status popularis vix in vno aut altero populo fit mentio. Vid. Elem. Pr. ciuil. Part. I. Sect. 10. §. 5. H.

4) Ὁ δόξας σοφὸς ἢ ἀγαθὸς εἶναι, κρατεῖ καὶ ἄρχει. αἰτία δὲ ἡμῖν τῆς πολιτείας ταύτης ἡ ἐξ ἴσου γένεσις. αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι πόλεις ἐκ παντοδαπῶν κατεσκευασμέναι ἀνθρώπων εἰσὶ καὶ ἀνωμάλων ὥστε αὐτῶν ἀνώμαλοι καὶ αἱ πολιτεῖαι τυραννίδες τε καὶ ὀλιγαρχίαι· οἰκοῦσιν οὖν, ἔνιοι μὲν δούλους, οἱ δὲ δεσπότας ἀλλήλους νομίζοντες· ἡμεῖς δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι, μιᾶς μητρὸς πάντες ἀδελφοὶ φύντες, οὐκ ἀξιοῦμεν δοῦλοι οὐδὲ δεσπόται ἀλλήλων εἶναι· ἀλλ' ἡ ἰσογονία ἡμᾶς ἡ κατὰ φύσιν ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν, κατὰ νόμον, καὶ μηδενὶ ἄλλῳ ὑπείκειν ἀλλήλοις, ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως.

5) *Principio rerum, Gentium Nationumque imperium penes Reges erat.*

6) Politic. L. III. c. 14.

7) Πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι.

§. V. * Abſurda profecto & inepta, ſi quae vnquam. Ecquis enim inficiari poterit, quae a paucis aut populo circa leges, poenas, magiſtratus

L. I. Polit. c. 1. *Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον· πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται.* [ὑπὸ τῦ πρεσβυτάτȣ.] *Quare & primum in regum imperio erant ciuitates, & nunc etiam gentes: ex iis namque, qui in regum imperio eſſent, conueniebant. Omnis enim domus regio imperio adminiſtratur* [a ſeniore.] Quae vltima verba illuſtrantur dicto Lycurgi, qui alteri, democratiam vt introduceret in ciuitatem monenti, regeſſit: *Σὺ γὰρ πρῶτος ἐν τῇ οἰκίᾳ σȣ ποίησον δημοκρατίαν. Tu vero primus in tua domo fac democratiam.* PLVTARCHVS Lycurgo. [p. 52. A.] Verum conſequentia in argumento Ariſtotelis nulla eſt. Quin potius, quia iſti antiqui patres-familias imperio iam erant adſueti, ad democratiam potius eos inclinaſſe veroſimile eſt, vt & ipſi occaſionem haberent ſententiam ſuam ſuper negotiis exponendi. Neque rem conficiunt, qui diſputant, antiquiſſimum inter mortales imperii genus fuiſſe paternum, quod initio mollius, poſt gliſcentibus familiis ſimul, ac vitiis, ad ius vitae necisque eualuerit; quod imperium in familiis per primogenitos fuerit continuatum, quibus velut naturali iure competierit ius ſacrorum, & ciuilis adminiſtrationis. Inde capita familiarum paulatim in regulorum inſtar adoleuiſſe. Indicio eſſe, quod tanta olim regulorum multitudo in terra Canaan deprehenſa fuerit. Vid. Ioſuae XII. & Iudic. I, 7. Enimuero neque primogeniturae tanta fuit vis, vt imperium etiam regium in fratres citra ipſorum conſenſum daret, atque eosdem cum primogenito familias coniunctas habere ſubigeret. Et antiquiſſimi illi ſub regio nomine principes fere & eminentes magiſtratus in coetibus democraticis erant; etſi is honor frequentiſſime ad praecipuum ſtirpis deferretur, ſiquidem ex cognatis familiis ille coetus coaluiſſet, vt tamen non ſemper ius primogeniturae & velut maioratus obſeruaretur.

§. V. QVO LOCO ſub examen reuocanda eſt ſententia Io. Frid. HORNII * de Ciuitate L. III. cap. VII. vbi de ariſtocratiis & democratiis, quas nomine liberae Reipublicae complectitur, ita cenſet: *Dari ciuitatis genus, quod confuſionem promiſcuae multitudinis declinet, & ordinem aliquem concinnum aſſequatur, pactis atque conuentionibus proſpiciens communi omnium ſaluti, citra ſubiectionem, & diſpendium eius libertatis, quam monarchia extinguit.* Heic tot pene errores, quot verba. Ordinem, qui in ciuitatibus liberis deprehenditur, tantummodo valere

ſtratus, bellum, pacem, foedera, aut caetera ſummi imperii iura ſtatuantur, iure ſummae poteſtatis fieri?

Apud AESCHYLVM Perſis eſt:

Ατ. Τίς δὲ ποιμάντωρ ἔπεστι κ' ἀπιδεσπόζει στρατοῦ;
Χο. Ου τινος δῦλοι κέκληνται φωτὸς, ὐδ' ὑπήκοοι.

AT. *At quis imperiis coërcet regiis exercitum?*
CH. *Liber ignarusque domini, iuris is populus ſui eſt.*

Apud SOPHOCLEM *Oedipode in colono* quaerit Oedipus,

Ἄρχει τις αὐτῶν, ἢ 'πὶ τῷ πλήθει λόγος;
Vnusne regit, an populus imperium obtinet?

Theſeus quaerenti Praeconi, quis illic eſſet tyrannus terrae? reſpondit apud EVRIPIDEM Supplicibus:

Ου γὰρ ἄρχεται
Ἑνὸς πρὸς ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
Δῆμος δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
Ἐνιαυσίαισιν.

Non enim regitur haec vrbs
Ab vno viro, ſed eſt libera ciuitas:
Populus enim imperat ſucceſſione per vices
Annua. H.

lere ad declinandam confuſionem multitudinis promiſcuae. Pactis ſolis & conuentionibus citra imperium contineri liberas ciuitates. Minus addicte ſingulos ſubiici concilio populi, aut optimatium, quam in monarchia regi. Minus illic, quam heic exerceri omnes partes ſummi imperii. Minus ius vitae & necis a populo in ſingulos exerceri, quam ſub rege. Deinde tantum abeſt, vt *diſperſi adhuc quidam patresfamilias a vicinis regnis formam ciuitatis ſpeculati ſint*; vt potius in prima gentium coalitione plerique coetus fuerint populares: inde animaduerſis eius regiminis incommodis, aliqui vltro, ſerius aut citius, imperium vnius arripuere; quidam vi adacti idem ſubiere. Sic & illud vanum: *Vti ars quidem naturam conetur imitari, nunquam autem aequet, aut ſuperet: ita in factitiis hiſce formis Rerumpublicarum aliquo modo repraeſentari regnorum indolem, quoad efficaciam communis vtilitatis, ipſam vim imperii, quod inſtruit monarchiam, tanquam opus Dei omnipotentis, per homines non potuiſſe produci.* De origine maieſtatis iam ſupra actum; quae cur non poſſit aeque competere perſonae morali coniunctae, quam vni homini? Neque enim vlla eſt contradictio; omnes proceres inter ſe aequales eſſe, vt ſingulos, & eosdem tamen ſummo vniuerſorum imperio ſubeſſe. Et vel mediocriter ingenioſus capere poteſt diſcrimen inter vniuerſos & ſingulos, inter concilium populi, & ſingulos, per domos ſuas diſperſos. Inde nequidquam argutatur: *Vbi imperium vniuerſis aſſignatur, ibi aut omnibus adeſt, aut aliquibus. Si omnibus, neminem habebunt ſubditum: quod imperium & obſequium non inhabitent vnam perſonam. Si ſingulos faciunt ſubditos, non habebunt deinceps vniuerſos imperantes; eo quod ex ſingulis parentibus non poſſit multitudo confici niſi obtemperans. Nihil enim aliud quam obtemperantia a ſingulis vniuerſitati confertur.* Enimuero in corporibus moralibus compoſitis vtique aliquid poteſt tribui vniuerſis, quod neque omnibus, id eſt, ſingulis diuiſim ſumtis, neque vni alicui ex illis ſingulis queat tribui: adeoque vniuerſitas reuera eſt perſona moralis, a ſingulis diſtincta, cui peculiaris voluntas, actiones, & iura tribui queant, quae in ſingulos non cadunt. Euaneſcunt quoque ſcrupuli, qui ſuper eo mouentur, quod maior pars in comitiis popularibus praeualeat. Nam ea ipſa eſt moralis affectio vniuerſitatis, vt conſenſus maioris partis eorum, qui in concilium coeunt, habeatur pro voluntate vniuerſitatis: cum alia ratione voluntas plurium perſonarum phyſicarum in voluntatem moraliter vnam coaleſcere nequeat, vbi contigerit, ſingulorum voluntates non exacte conſpirare. Vnde in democratiis & ariſtocratiis ſubiectum ſummae poteſtatis hautquidquam eſt obſcurum aut vagum; vtut indiuidua illa, quorum ſuffragia iam maiorem partem faciebant, alia vice ſint inter eos, qui numero vincuntur. Haec enim omnia vnitatem voluntatis, quae vniuerſitati tribuenda eſt, hautquidquam deſtruunt. Nam ſi contingat, vt, verbi gratia, in ſenatu tot ſenatores non conſpirent, quot ad maiorem partem faciendam requiruntur, ſenatus intelligitur nihil velle, adeoque nihil noui erit ſuſcipiendum. Quod etſi ſaepe non ſine incommodo ſit ciuitatis, ex eo tamen non ſequitur; ſenatum non habere ſummum imperium. Praeterea & illud falſum, *multitudini non poſſe tribui verum imperium ob defectum neceſſarii obſequii; cum multitudo non teneatur ſententiam paulo ante placitam perpetuo ſeruare, & vniuerſa multitudo non obligetur.*

Aſt

Aſt vti per hoc imperium regis non tollitur, quod rex mutata voluntate prius decretum abolere poſſit; quo facto obligatio ciuium ad iſtud decretum perit: ita vtut vniuerſitas propria decreta mutare queat; iisdem tamen ſinguli tantiſper aeque tenentur, quam decreto regis. Aut oſtendatur, non aeque transgreſſores legum in Rebuspublicis liberis, quam in regnis plecti. Add. LIVIVS L. II. c. 3. Sic & illud fruſtra iactatur: *Si indiuiſim penes plures reſidet maieſtas, neceſſario ſinguli aliquam eius particulam habebunt, quarum particularum collectione tota demum maieſtas conſtet. Atqui illam particulam oportebit vtique ſummam eſſe: Ergo in vna ciuitate ſumma plura vno dabuntur: quod eſt abſurdum.* Enimuero in moralibus hautquaquam abſurdum eſt, particulares illas voluntates, ex quarum conſpiratione voluntas vniuerſitatis reſultat, deſtitui aliqua facultate, quae huic ineſt. Adeoque non ſequitur: maieſtas eſt ſummum ius; ergo ſinguli habent aliquam eius particulam, quae & ipſa ſumma eſt. Vti non ſequitur: ſingulorum ſuffragia, per ſe & ſolitarie conſiderata, ſunt in efficacia ad producendam legem; ergo ſi plura conſpirent, non poſſunt ad legem producendam valere. Denique addit: *Cum in ſenatu optimatium nemo ſit, qui in Rempublicam delinquens a collegis ad ſupplicium non poſſit rapi; ergo ſi omnes optimates in Rempublicam delinquant, per ciues ab iſtis poenam fore ſumendam. Atqui ſingulis remotis & punitis, vniuerſorum nullibi poſſe ſubſiſtere imperium.* Ad hanc difficultatem facile eſt reſpondere, ſi recte explicetur, quid ſit in Rempublicam delinquere. Id enim proprie facit is, qui contra iuſſa legesque eius, penes quem ſummum eſt imperium, perpetrat aliquid, quod in detrimentum ciuitatis tendit. Ergo vniuerſi optimates in Rempublicam peccare non poſſunt, niſi vel violent leges, ſub quarum obſeruandarum conditione imperium ipſis delatum eſt; aut hoſtilem in vniuerſos ciues animum induerint: quo caſu pari cum regibus paſſu ambulabunt. Reliqua, quae in fraudem liberarum Rerumpublicarum comminiſcitur, falſitatis manifeſtiſſima ſunt. *Diuerſum plane imperium eſſe, quod monarchae exerceent ab eo, quod in Rebuspublicis liberis cernitur, vtut ſimiles affectus hoc cum illo edat. Monarchis quippe* praeter dignitatem & ſplendorem perſonalem, qui nemini in Republica libera adeſt, *adſiſtere maieſtatem, qua Respublicae liberae careant.* Enimuero nobis certum videtur, non maiori iure Deum monarchiarum, quam ciuitatum liberarum auctorem afferi: neque minus illas, quam has per pacta produci; ex quibus & heic & ibi imperium reſultat, proxima vtrinque obſequii cauſa in ciuibus :. ad paria in Republica quam in regno ciuem vt talem obligari; non minus addicte parere, & ſubiectum eſſe, qui in Republica libera, quam qui in regno viuit; parique iure vtrinque de fontibus ſupplicium ſumi. Nam quis gratis crediderit, *in regno de ſonte ſupplicium ſumi ex iure in caput, quod in ciuitatibus liberis non datur: in Republica libera delinquentes in leges ciuitatis tanquam hoſtes plecti?*

§. VI. VIDENDVM iam eſt de conſtitutione democratiae, ſimulque quid illa prae aliis Reipublicae ſpeciebus peculiare habeat. Quamprimum itaque multitudo aliqua liberorum hominum in unum congregatur, pactum initura circa coniunctionem ſui in vnam ciuitatem, iam tum coetus iſte inſtar

aliquod democratiae obtinet, eam proprie ob cauſam, quod cuique liberum ſit proferre, quid ſuper re communi ipſi videatur. Hautquidquam tamen antea plurium ſuffragio quis tenebitur ad id, quod maiori parti viſum fuerit, vbi ipſe diſſenſerit, antequam altero quoque pacto forma regiminis democratica fuerit ſancita. Quae duo pacta cum non diſtinguat HOBBES de Ciue c. 7. §. 5. paulo confuſius rem iſtam tradit. Nam ſuperius oſtenſum [1], nequidquam aliquem plurium ſuffragiis teneri, antequam in eiusmodi formam rem communem adminiſtrandi conſenſerit. Ergo falſum eſt, quod ISTE tradit: *Ex eo quod volentes conuenerunt, intelligi eos obligatos ad id, quod conſenſu maioris partis decernetur.* Illa autem, quae *dicto loco* ſequuntur, diſtinctius ita explicantur. Vbi multi homines conuenere, mutuis ſe inuicem pactis obſtringentes de coniungendis viribus opibusque, aut ſtatim in illo ipſo congreſſu decretum ſit, circa formam Reipublicae introducendam, aut minus. Vbi neque decretum ſuper forma Reipublicae factum, neque de loco aut tempore denuo ſeſe congregandi fuerit conuentum, congreſſus iſte irritus intelligitur [2], & quilibet in naturali libertate, vt antea, manet. Nam plures in vnum corpus coaleſcere nequeunt, niſi ſuper conſtanti modo rem communem adminiſtrandi conuentum fuerit. Sed vbi diſceſſum ſit, iſthac quidem re nondum definita, indicto tamen tempore & loco, vbi vlterius ſuper eadem deliberetur & ſtatuatur; prima duntaxat rudimenta ciuitatis heic exſiſtent, quae democratia proprie vocari nondum poterunt. Non enim ſtatim democratia eſt, vbi quilibet ſententiam ſuam exponendi ius habet, aut vbi ad alium conuentum tempus, locusque condicitur; cum id circa quarumuis ſocietatum, & conuentionum primordia vſu veniat; ſed ea demum democratia eſt, vbi ius de rebus ſalutem communem ſpectantibus ſtatuendi in concilium ex vniuerſis conſtans in perpetuum fuit collatum.

§. VII. IN democratia autem haec inprimis videntur neceſſaria; primo, vt certus locus, certumque tempus conſtituatur conuentibus, vbi ſuper ſumma rerum ſit deliberandum & ſtatuendum. Neque enim ſingulorum res priuatae ferunt, vt perpetuo in iſto conuentu haereant; & niſi de loco ac tempore conuentum fuerit, poſſunt, qui de eodem coetu ſunt, vel diuerſis locis & temporibus conuenire, (quo ipſo factiones exſiſtent,) aut plane non conuenire; quo caſu non erit populus, (δῆμος,) ſed diſſoluta multitudo, cui neque actio, neque ius tanquam vni perſonae competens, attribui poteſt. Huc facit, quod THVCYDIDES L. II. [c. 22. princ. Edit. Oxon.] tradit, cum Pericles animaduerteret, Athenienſes circa modum belli gerendi non recte ſentire, ipſum neque in concionem populum vocaſſe, neque concilium habuiſſe, necubi

§. VI. 1) Imo c. 2. §. 7. & hic plura ſuffragia ius habere integri dixit. H.

2) Nam pactum primum eſt duntaxat foedus, per quod homines ex ſtatu naturali non exeunt. Opus ergo vtique eſt adhuc pacto altero. H.

§. VII. 1) Vid. ſupra c. 2. §. 15. H.

2) Senatum perpetuum, qualis olim Areopagiticus Athenis, & apud alios Graeciae populos, hodie in aliquibus Heluetiae Pagis. Quoties concio in poteſtate ſua habet omnia, magiſtratus autem nihil vel pauciſſima, reuera eſt Ochlocratia. ARISTOTELES VI. Pol. 2. H.

§. VIII. 1) C. 2. §. 12. H.

Digitized by Google

necubi ira potius quam ratione in medium conſulentes peccarent. Secundo, vt maioris partis ſuffragia valeant pro vniuerſis [1], poſtquam niſi rariſſimo contingere ſolet, vt magna hominum multitudo circa eandem rem idem ſentiat. Denique cum alia Reipublicae negotia ſint quotidiana & minoris momenti, alia rariora, & quae ſummam rerum tangunt; & vero integro populo commodum non ſit, vt propter iſta expedienda aſſidue in concilium coeat, aut ita modicis interuallis, vt nihil eiusmodi curam ipſius effugere queat: igitur neceſſarium fuerit, certos magiſtratus, tanquam delegatos conſtitui [2], qui auctoritate totius populi quotidiana negotia expediant; circa grauia mature explorent, & ſi quid maioris momenti occurrat, ad populum conuocatum referant; ſimulque decreta populi exſecutioni dent, poſtquam & ad hoc magnus hominum coetus fere ineptus eſt.

§. VIII. Aristocratia conſtituitur, quando coetus, qui per primum pactum in aliquod rudimentum ciuitatis ſeſe vniuit, decretum condit de committenda ſumma rerum concilio ex paucis conſtanti. Hi poſtquam ſuis nominibus, aut a genere, aliaue nota, qua a caeteris dignoſci queant, per eum coetum fuerint deſignati, & ipſi eam deſignationem acceptauerint, caeteris illorum ſeſe voluntati ſubmittentibus, ſummum accipere imperium intelliguntur. Vbi obſeruandum, minus recte Hobbesivm d. l. §. 8. originem ariſtocratiae abs democratia arceſſere, ſi iſte ſenſus ſit, quaſi omnes ariſtocratiae conſtitutae & mutatae fuerint ex perfectis democratiis. Nam & experientia probat, & nulla ratio repugnat, abs primo illo pacto, citra interuentum democratiae, ad ariſtocratiam aut monarchiam tranſitum fieri potuiſſe. Sed & ſupra oſtenſum [1], ludere Hobbeſium, quando ideo inter ciues & ſenatum negat pactum intercedere; quia translato in ſenatum imperio, populus, vt perſona vna, non amplius exſiſtat. Nam vt quis obligationem aduerſus alterum gerat, ſufficit, ſi hic exſiſtat adhuc tanquam perſona phyſica, vtut perſona moralis, quam antea geſſerat expirauerit. Adde, quod populus, translato abs ſe imperio, non quidem deinceps exſiſtit tanquam perſona perfecta, quatenus capiti ſuo recens adſcito contradiſtinguitur; non tamen ideo fit multitudo diſſoluta [2], quia vtique iam cum ſenatu tanquam capite ſuo perſonam conſtituit. Sed & falſum eſt, quod §. 9. Idem infert, vti in democratia populum, ſic in ariſtocratia curiam optimatum omni obligatione liberam eſſe. Nam ſi vel maxime daremus antecedens [3], ideo quod fortaſſe non videatur ſufficere reſpectus ille inter vniuerſos & ſingulos ad ſuſtinendam inter ipſos obligationem mutuam: exinde tamen non ſequitur: ergo neque inter ſenatum & ciues mutua obligatio exſiſtit. Sicuti non

 ſequitur;

2) Manet enim pactum primum, quatenus id conſiſtere poteſt cum pacto altero. H.

3) Quod tamen dari ſalua veritate nequit: nam & in democratia duplex pactum continetur. vid. ſupra §. 6. & c. 2. §. 8. Hinc Avgvstinvs L. l. de Libero Arbitrio c. 6. *Si paulatim depravatus populus rem priuatam Reipublicae praeferat, atque habeat venale ſuffragium, corruptusque ab iis, qui honores amant, regimen in ſe flagitioſis conſceleratisque committat, nonne item recte, ſi quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum poſſit, adimat huic populo poteſtatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam vnius, redigat arbitrium?* H.

ſequitur; ego nulla obligatione teneor, dum proprias res per me ipſum adminiſtro; ergo ſi earum rerum curam in alterum transferam, hic quoque nulla obligatione tenebitur. Illud recte ab EODEM dicto loco §. 10. monetur; cum democratia hoc habere commune ariſtocratiam, quod ſine conſtitutione certorum temporum & locorum, ad quae optimates conuenire poſſint, non amplius ſit curia, neque perſona vna, ſed diſſoluta multitudo ſine imperio ſummo. Quippe cum citra congreſſum perſonarum ſingularium, ex quarum voluntatum conſpiratione voluntas curiae reſultare intelligitur, iſtarum voluntas cognoſci non poſſit. Nam vt circummiſſa ſcheda ſuffragia ſenatorum exquirantur, plurimum habet incommodi. Deinde illud aeque in ariſtocratia, quam democratia neceſſarium eſt, ne tempora conuentuum longis interuallis disiungantur, niſi exercitium ſummi imperii, ſaltem circa negotia quotidiana, interea in vnum aut paucos quosdam magiſtratus transferatur.

§. IX. MONARCHIA denique conſtituitur, quando in vnum hominem ſummum imperium confertur [1]. Quod interueniente pacto vtique fieri contra HOBBESIVM ſatis demonſtratum. Quo loco etiam notari debet peſtilens dogma Scriptoris Belgici ANONYMI in Bilance politica; cum omnis delatio ſummi imperii facta ſit ad commodiorem amolitionem malorum tam intrinſecus quam extrinſecus prouenientium; praeſumi non poſſe, vnquam coetum democraticum ad id auctoraſſe vnum hominem, ipſiusque poſteros in aeternum. Cum enim ſpes commodioris protectionis vnice fundata fuerit in praeſentibus virtutibus, quae in electo adparebant, & vero omnibus conſtet, quam mutabiles, quam mortales ſint homines, & quod breui aut ſenio ad imperium inutiles ſint futuri, aut nullam vel impuberem prolem relicturi, aut ſi proles adulta relinquatur, illa aptitudine naturali ad imperium praeſtantior aliis non ſit futura, aut voluntatem bene protegendi coetum non habitura: inde nullo modo poſſe praeſumi, vnquam intentionem fuiſſe coetus popularis ſibi adimendi facultatem, in locum inepti aut praui imperantis meliorem eligendi. Verum ſemel imperio potitos, adiuncta ſuis partibus magna populi parte, ac praeſertim militibus, ita opes ſuas ſibi ſuiſque liberis potuiſſe ſtabilire, vt etiam in inuitos imperium retinere potuerint. Ad quae reponimns: ſi alicui coetui in mentem venerit, ea lege in aliquem conferre imperium, vt quotieſcunque viſus fuerit populo non felicius communem protectionem procurare, quam regimen democraticum ſolebat, dimoueri munere ſuo queat; non monarcham fuiſſe conſtitutum, ſed eminentem magiſtratum [2], qui a mobili plebis aura dependeat;

§. IX. 1) Et hic vniuerſi populi perſonam refert. Quod ita extulit Argiuorum populus, Regem affatus, apud AESCHYLVM ſupplicibus:

Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
Πρύτανις ἄκριτος ὤν,
Κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονὸς,
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.
Tu res populi, tuque vrbs tota es,
Non iudiciis ſubditus vllis,
Regni ſolio fultus vt ara,
Vnoque regens cuncta arbitrio. H.

2) V. infra c. 8. §. 8. H. GROTIVM L. 1. de I. B. & P. c. 3. §. 11. & in notis. H.

3) Hinc anus orans pro Dionyſio tyranno, & ob id increpita, excuſabat factum, quod comperiſſet, raro meliores prouenire, teſte VALERIO MAXIMO L. VI. c. 2. H.

4) Quam-

pendeat; adeoque ſummum imperium non accepiſſe. Deinde cum conſtet, quam non ex vſu Reipublicae ſint crebrae principum mutationes, ac fere magis alii homines, quam alii mores ſuccedant [3], quamque graui cum concuſſione Reipublicae imperio deuoluantur, quibus proprias opes ſtabilire, dum publicas adminiſtrant, licuit; facile praeſumi poteſt, populum voluiſſe ſimul & ſemel cum fortuna decidere, irreuocabiliter conſtituto principe; cum longe certius metuenda ſint illa mala, quae ex nutante iſto & deſultorio ſtatu redundare apta ſunt, quam quae degenerans rex dare poteſt. Praeſertim cum per leges fundamentales iſtius exorbitatura libido circumſcribi queat. Denique hautquaquam omnes actus, circa quos ſpei noſtrae euentus non examuſſim reſpondet, licet retractare; cum in negotiis humanis plurima alea verſetur, ac nihil ſit, quod omni incommodo careat. Add. GROTIVS L. I. c. 3. §. 9. In eo autem monarchia a prioribus ſpeciebus differt, quod heic vt deliberari & decerni, id eſt, vt actu imperium exerceri queat, temporibus & locis condictis opus ſit: in monarchia vero ſaltem abſoluta omni tempore & loco deliberari & decerni poſſit. (HERODIANVS L. I. c. 6. Ἐκεῖ ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Roma illic eſt, vbi Imperator eſt.)* Nam populo & optimatibus, qui non ſunt vnum corpus naturale, congreſſu opus eſt. Monarcha, qui vna quoque perſona phyſica eſt, ſemper in potentia proxima ad actus imperii exercendos exſiſtit. Id quoque recte ab HOBBESIO monetur, in populo vel curia optimatum, ſi quid contra legem aliquam naturalem decretum fuerit, non peccare ipſam ciuitatem, ſeu perſonam illam moralem, ſed ciues illos, quorum ſuffragiis decretum eſt factum. Peccatum enim ſequitur voluntatem naturalem & expreſſam, non moralem ſeu politicam, quae artificioſa eſt [4]. Alias enim peccarent & illi, quibus decretum diſpliceret. Vid. Luc. XXIII, 51. Aſt in monarchia ſi quid monarcha decreuerit contra leges naturales, ipſe vtique peccat, quia in ipſo voluntas ciuilis cum naturali eadem eſt.

§. X. HISCE regularibus ciuitatis formis plerique nonnullas *vitioſas* aut *corruptas* adiungere ſueuerunt *. Vbi illud quidem certum eſt, morborum atque vitiorum multis in Rebuspublicis non minus, quam in ſingulis hominibus vberrimam dari ſegetem; ſic vt minimis vrgeri inſtar perfectionis habeatur. Porro morborum, quibus ciuitates infeſtantur, alios videmus oriri ex malitia hominum, alios ex praua diſpoſitione ipſius ciuitatis. Inde alia vocari audias vitia hominum, alia vitia ſtatus. Speciminis cauſa nonnulla tangemus. In regno vitium hominum eſt, ſi quem ſors naſcendi aut infelicia ciuium ſuffragia ſolio

4) Quantum attinet ſingulos ſub illa perſona morali comprehenſos: Nam ſi quid maior pars in ariſtocratia aut politia decreuerit, id toti ciuitati haut dubie imputatur. V. ſupra c. 2. §. 13. H.

§. X. * Quorum tamen aliqui inter eas perperam referunt Reſpublicas heriles: hae enim iuſtae ſunt, ſi legitimo titulo conſtitutae, ad ſui conſeruationem non egent inhoneſtis artibus; quicquid dicat VASQVIVS Controuerſ. illuſtr. prooem. n. 102. & L. 1. c. 30. n. 2. qui ipſemet concedit Lib. 1. c. 1, n. 3. & 9. Principem eſſe legitimum, in regionem ſuam incolis vacuam recipientem habitatores, quos proinde alienare, quibuſque ad ſuam principaliter vtilitatem vti poſſit. Quanquam fateamur, eas Reſpublicas eſſe irregulares. Quo referri poteſt illud ANAXANDRIDAE Anchiſe:

Οὐκ ἔστι δούλων, ὦ 'γαθ', οὐδαμοῦ πόλις.

Nulla vſpiam ſeruorum, amice, eſt ciuitas.

Et quod Graeci in Prouerbio vſurparunt δούλων πόλιν, de re, quae fieri nequeat. Add. quae AVCTOR infra habet c. 6. §. 5. & 6. & c. 8. §. 6. in fine. H.

ſolio admouerunt, regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut exigua Reipublicae cura tangitur, eamque prauorum miniſtrorum ambitioni aut auaritiae lacerandam proſtituit; ſi ſaeuitia aut iracundia idem eſt terribilis, nec hominem ſe, aut hominibus praeeſſe meminit; ſi citra neceſſitatem Rempublicam in caſum dare gaudet; ſi quae ad tolerandos Reipublicae ſumtus conferuntur, luxu aut per inconſultas largitiones diſſipat. (DREPAN. Paneg. [c. 27. num. 1. Edit. Cellar.] *Eſt improborum principum poſtrema defenſio, auferre donandi gratia.*) ſi pecunias ciuibus extortas praeter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi iniuſtus eſt; (memorabile eſt, quod de veteribus Indis refertur apud PHILOSTRATVM de Vita Apoll. Thyan. L. III. c. 9. futuros regum ſucceſſores nullo honore affectos, addita ratione: Δεῖ αὐτὰς ὑπερορωμένυς παιδεύεσθαι τὸ μὴ ὑπερορᾶν. *Oportet ita negligendo monere, ne nimis ſuperbiant.*) & quae ſunt alia, per quae mali nomen principis comparatur. Qualia quoque notantur CLAVDIANO de Bello Gildonico. [v. 157. & ſeqq.] Quaecunque *profunda Traxit auaritia, luxu peiore refundit: Inſtat terribilis viuis, morientibus heres, Virginibus raptor, thalamis obſcoenus adulter. Nulla quies. Oritur praeda ceſſante libido, Diuitibusque dies, & nox metuenda maritis.* Facit quoque huc illud THEMISTII Crat. X. Κολοβὸς καὶ βασιλεὺς καὶ νομοθέτης, ὃς πολεμεῖν μὲν ἱκανὸς, εἰρήνην δ' ἄγειν ὐκ οἷός τε. *Mancus eſt & rex & legiſlator, qui ad bellum quidem idoneus pacem non poteſt agere.* Vitia hominum in ariſtocratia ſunt, ſi per ambitum, prauasque artes via in Senatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus, ſi optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis vti, & bona ciuitatis augendo priuato patrimonio interuertere ſtudent. In democratia vitium hominum eſt, ſi inepti homines turbulenter & importune ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiae, & Reipublicae non praegraues virtutes per inuidiam opprimuntur; ſi per leuitatem leges temere figuntur atque refiguntur, & quae modo placuerunt, mox citra rationem diſplicent; ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis praeficiuntur. Apud PLVTARCHVM Dione [p. 978. E.] δημοκοπία, *ambitio popularis* dicitur νόσημα ἐπιμανὲς, τυραννίδος ὐκ ἔλαττον, *veſanus morbus tyrannide non minor.* Vitium porro hominum, quod in quamuis ciuitatis ſpeciem cadere poteſt, eſt, ſi quibus imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut praue funguntur; & ſi ciues, quibus ſola obſequii gloria relicta, fraenum mordent. Add. quoque HOBBES Leuiath. c. 29. circa finem, vbi de quibusdam morbis ciuitatum ingenioſe tradit. Aſt vitia ſtatus in vniuerſum dicere poſſis, vbi leges & inſtituta ciuitatis non ſunt attemperata ad genium populi aut regionis; aut vbi eadem ciues diſponunt ad turbas internas, aut ad iuſta vicinorum odia incurrenda; aut vbi eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quae Reipublicae ſeruandae ſunt neceſſariae: puta ſi per leges ciuitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolui, aut inidonei ad ferendam pacem reddi; [aut [a] ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitae, vt per eas negotia publica non poſſint non tarde aut difficulter expediri.] aut denique vbi in principalia verae doctrinae ciuilis ſcita impingunt; quae tanto pernicioſiora ſunt, ſi religionis ſpeciem induerint. Qualis erat ſacerdo-

a) Quod exemplum AVCTOR adiecit in Offic. hom. & ciu. L. II. c. 8. §. 10.

ſacerdotum auctoritas apud Meroënſes, quorum libidini etiam regum vita erat obnoxia. Vid. DIODORVS SICVLVS L. III. c. 6. & STRABO L. XVII. [p. 566. Ed. Geneu. Caſaub.]

§. XI. ETSI autem plurimum interſit inter Rempublicam ſanam atque morbidam; non tamen ideo multiplicandae ſunt ſpecies Rerumpublicarum & ſingulis formis rectis vna aut duae vitioſae, tanquam ſpecies proprie dictae, ſunt opponendae. Per iſthaec quippe vitia neque natura poteſtatis in ſe, neque ſubiectum eiusdem proprium variatur. Et hactenus recte HOBBES de Ciue c. 7. §. 2. negat, *anarchiam oppoſitam democratiae, oligarchiam ariſtocratiae, tyrannidem monarchiae, eſſe tres alias ſpecies ciuitatis.* Et in Leuiath. L. II. c. 19. *neminem puto credere*, ait, *vitium regiminis nouam & peculiarem ſpeciem Reipublicae eſſe.* Illud tamen non in vniuerſum, ſed aliquando duntaxat verum eſt, quod dicto loco ſubiungit: *Anarchiam, oligarchiam, & tyrannidem eſſe tria nomina diuerſa, quae illis indidere ii, quibus vel regimen, vel regentes diſplicuerunt. Solent quippe homines per nomina non res tantum, ſed & proprios affectus, puta, amorem, odium, iram*, & quanti illas aeſtiment, *vna ſignificare.* Scilicet quod in aliis rebus contingit, vt vnus amet, abs quo alter vehementer abhorret; ita & eadem forma Reipublicae vni arridet, alii faſtiditur. Idque non ideo tantum, quod aliqui ex vna magis, quam alia Reipublicae forma vtilitatem capiunt; ſed & ob peculiarem ingenii inclinationem. Sic vt in vniuerſum probari nequeat illud LYSIAE Orat. XXIV. *Nemini a natura inſitum eſſe, vt aut popularem ſtatum, aut paucorum principatum amet; ſed quicunque Reipublicae ſtatus cuique maxime confert, hunc quemlibet conari ſtabilire.* Cui conſpirat ISOCRATES de Pace: [pag. 320.] *Φύσει μὲν ὐδεὶς ὐδέτερον τύτων ἐςὶν· ἐν ᾗ δ' ἂν ἕκαςοι τιμῶνται, ταύτην βύλονται καθιςάναι τὴν πολιτείαν. Nemo natura vel popularis vel paucorum potentiae eſt ſtudioſus, ſed eam quisque Reipublicae formam expetit, in qua maxime honoratur.* Sane ſuperbo homines ingenio, & quibus aequalitas popularis inuiſa eſt, vbi in democratia pari omnes iure de Republica ſuffragia ferre vident, cum tamen in quauis ciuitate plebis maximus ſit numerus, *ochlocratiam* id vocant, quaſi dicerent, ſtatum, vbi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua relinquitur praerogatiua. Et tamen id vocabulum, contemtum notans, non immerito imponeretur ciuitati, qualis quondam Epheſiorum erat, qui cum Hermodorum ciuitate expellerent, ita locuti ſunt: *Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊςος ἔςω, εἰ δὲ τις τοιῦτος, ἄλλοθι, μετ' ἄλλων. Nemo de nobis vnus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit.* Quos vniuerſos eo nomine morte multandos Heraclitus aiebat. CICERO Tuſcul. V. DIOGENES LAERTIVS L. IX. Heraclito. [§. 2.] STRABO L. XIV. [p. 441.] Si cui dolet ſenatu ſe excludi, cum tamen aliis ſenatoribus inferiorem ſe hautquidquam arbitretur, per contemtum, & inuidiam *ὀλίγυς* illos vocat, quaſi diceret, paucos quosdam, qui cum nulla re caeteros emineant, in pares tamen aut meliores imperium exerceant. Ac ſubinde ipſi in ore querela Aiacis apud QVINTVM CALABRVM L. V. *Ὀυ γὰρ ἔτ' ἐσθλὸς ἔχει γέρας, ἀλλὰ χερείων τιμήεις τε πέλει καὶ φίλτερος. Non vir bonus amplius praemiis afficitur, ſed longe*

deterior & honoris & fauoris fructum praecipit. Sic gentes erectiore iuxta ac teneriore indole, heros & dominos vocant reges populorum, qui ſtrictiori ſunt obſequio adſueti; cum tamen eadem ſpecie poteſtas patria praefracto puerum ingenio aſperius, tenero mollius tractare ſoleat. Idem iudicandum de tyranni vocabulo, quod indelebile odium comitatur ex Graecorum vſu, queis ſumma ciuitatum felicitas in libertate populari fere conſiſtere iudicabatur. Vnde apud LVCIANVM in Phalaride I. [p. 735. Tom. I. Ed. Amſt.] dicitur: *In vniuerſum populi non perpendentes, qualisnam ille ſit, qui ſummae rerum praeeſt, ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus,* αὐτὸ ἁπλῶς τὸ τυραννίδος ὄνομα μισοῦσι· *ſimpliciter ipſum tyrannidis nomen oderunt.* Quin multis Graecorum imperium vnius in genere τυραννίδος vocabulo notare in vſu eſt. Sic AESCHINES Orat. contra Cteſiphontem. Τρεῖς εἰσι πολιτεῖαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, τυραννὶς, καὶ ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία. Add. Cornelius NEPOS Miltiade c. 8. Hinc & MNEMON c. 5. de Heracleae tyrannis apud Photium memorat de Dionyſio, quarto Heracleae tyranno: Οὕτως γοῦν εἰς μέγα δόξης ἀνελθὼν, καὶ τὸν τύραννον ἀπαξιώσας, τὸ βασιλέως ἀντέλαβεν ὄνομα. *Sic igitur magnam gloriam adeptus, tyranni nomen dedignatus, regis aſſumſit.* Scilicet quod hocce nominis minus inuidiae, & plus dignationis haberet. Et nemo tamen eſt, quin intelligat [1], aliquando non immerito inuidioſa iſta vocabula adhiberi, vt adeo prauorum principum & procerum regimen a bonorum, turbulentae & leuis plebeculae a modeſti regimine populi ipſa adpellatione diſcernatur. Neque ab hiſce multum diuerſus abit Ariſtoteles, qui tyrannidem, oligarchiam, & democratiam (nam ſanam Rempublicam popularem ipſe πολιτείαν vocare ſueuit,) παρεκβάσεις, ſeu aberrationes & degenerationes regni, ſtatusque optimatium, & popularis adpellat. Vid. Polit. L. III. c. 7 8. Quis autem nudam παρέκβασιν ad peculiarem ſpeciem conſtituendam ſufficere iudicauerit [2]? Quanquam cum vocabulum εἶδος laxius poſſit accipi, ſuper eo non adeo pertinenter litem alicui mouendam putamus. Add. quoque SALLVSTIVS Philoſophus de Diis & Mundo c. 11. & paria tradens THEMISTIVS Orat. XVI. p. 336. Edit. Petauii.

§. XII. ENIMVERO vbi occurrerit aliqua Reſpublica quae neque ad regulares, ſanasque referri, neque tamen diſcrimen, quo ab iſtis diſcedit, per nudum morbum aut παρέκβασιν poſſit explicari, operoſior inter eruditos oritur diſceptatio. Plerique breuiſſimam iudicant viam hac difficultate defungendi, ſi eiusmodi Reſpublicas vocent mixtas, & ex ſimplicibus formis, velut refractis & inter ſe temperatis, compoſitas. Quam mixturam cum multi ex Ariſtotele adſtructum eant, operae pretium puto fuerit diſpicere [1], quid *Iſti* heic videatur. Ac primo quidem, quae ab IPSO Polit. L. IV. c. 3. ſeqq. ſuper variis

§. XI. 1) Hactenus ergo AVCTOR concedit, corruptas Reſpublicas ſpeciem a caeteris diuerſam conſtituere. Nos corruptas Reſpublicas inter irregulares referimus, ex defectu tituli: nam ſi vnus vel pauci imperium vi inuadant, aut ſummi imperantes ita praue adminiſtrent Rempublicam, vt propterea expelli iure ſumma poteſtate poſſint (vid. infra c. 8. §. 7. & §. 9.) ecquis inficiari poterit, eas Reipublicae ſpecies ſingulares, & a reliquis ſeparatas eſſe? H.

2) Quem locum Ariſtotelis illuſtrat PERIZONIVS in nota 4. ad Aeliani V. Hiſt. L. II. c. 20.

§. XII. 1) Breuiter dicas Ariſtotelem loqui de

ris ſpeciebus democratiae & ariſtocratiae traduntur, ad mixturam recentium nihil pertinent. Ibi quippe enumerantur potiſſimum quaedam accidentia, quae in illis deprehenduntur, qui ad concilium populi, vel optimatium ſint admittendi. Quo ipſo neque imperium vllatenus variatur, neque partes eiusdem diuelluntur, neque in duo pluraue corpora ciuitas diſtrahitur, ſed ariſtocratiae & democratiae accidentibus duntaxat quibusdam variantur. Sic etſi democratia definiatur, vbi ſumma rerum eſt penes concilium ex omnibus conſtans, & non minus puerorum & foeminarum interſit, vt Reipublicae bene ſit: tamen quis nouam ſpeciem ciuitatis conſtitui dicet, vbi foeminae, filiifamilias, & ſerui a deliberationibus publicis excluduntur. Quanquam ſufficere ad Democratiam conſtituendam arbitremur, ſi illi habeant ius ſuffragii, qui initio eam ciuitatem ſua coitione effecerunt, & qui in horum locum & iura ſucceſſerunt. Atqui manifeſtum eſt, ciuitates ab initio conſtitutas per patresfamilias, qui ſub imperio domeſtico vxores, liberos ac ſeruos habebant; quos nequaquam ſibi aequare, aut omnem in eos poteſtatem abdicare placebat. Igitur hos a iure ſuffragii cum patribusfamilias ferendi neceſſum erat excludi. Democratia ſemel conſtituta, in poteſtate ſane ciuium erat alios in ciuitatem recipere, vel non, pleno aut minus pleno iure, eosque ſecum aequare in cura Reipublicae vel ab eadem excludere. Vnde contingere poteſt, vt in ciuitatibus liberis non pauci iure ſuffragii careant, ſalua tamen forma Reipublicae democratica. Etſi & hoc fieri poteſt, vt quae ab initio democratia erat, ſi deinceps adſciti a ſuffragio & honoribus excludantur, poſt ingentia incrementa demum ariſtocratiae faciem induat. Sic neque diuerſas ſpecies ariſtocratiae ſtatuemus, ſi alicubi quidem, vt quis in Senatum recipiatur, ſola virtus ſufficiat, alicubi praeter eam requiratur cenſus aut nobilitas generis. Sicuti nec plures erunt democratiarum ſpecies, vtut alicubi ad obtinendum ſuffragii ius ſufficiat, quod quis ingenuus ſit; alibi certus cenſus requiratur, alibi certum vitae genus inde excludat. Multo minus diuerſae ſpecies proprie dictae emergunt ex diuerſitate legum, quae circa creandos magiſtratus in diuerſis democratiis variant; puta quod alicubi omnibus promiſcue ad magiſtratus pateat via, alicubi cenſus habeatur ratio. Sicut nec illud mixturae quid in forma Reipublicae nouamque ſpeciem efficit, ſi verbi gratia diuitibus impune liceat abeſſe a concionibus, pauperibus non item, aut vice verſa. Sed haec quidem plana ſunt. Quid autem circa mixturam in Republica Spartanorum & Cretenſium, prout illae ab Ariſtotele deſcribuntur, ſit iudicandum [2], alibi excutietur. Reſpublica Athenienſis, quam IDEM Polit. L. II. c. 10. & ISOCRATES in Areopagitico deſcribit & commendat, reuera popularis erat. POLYBII L. VI. iudicium ſuper mixtura in Republica Romana alibi expendimus.

de modo adminiſtrandi, ſiue de temperamentis Rerumpublicarum, quae non minus in regnis, quam in ariſtocratiis & politiis deprehenduntur. Vid. de regnis AVCTOR ſupra c. 4. §. 14. & infra c. 6. §. 12. Elem. Pr. ciuil. Part. I. Sect. 6. §. 19. n. 4. de Ariſtocratiis & Politiis Elem. Pr. ciuil. Part. I. Sect. 10. §. 17. & §. 19. Innuit hoc ARISTOTELES ipſe III. Pol. 11. loquutus de regno Laconico, quod ait: Νόμων ἔχειν μᾶλλον εἶδος, ἢ πολιτείας, *non Reipublicae ſed inſtituti ſpeciem habere*, & addit: Ἐν ἁπάσαις γὰρ ἐνδέχεται γίγνεσθαι τοῦτο ταῖς πολιτείαις. *In omnibus enim Rebuspublicis hoc vſu venit.* H.

2) Vid. Elem. Pr. ciuil. Part. I. Sect. 6. §. 13. H.

§. XIII. Ex recentioribus quidam complures mixtas ſpecies fingunt, vt tamen, pleriſque tanquam incongruis reiectis, duos cumprimis miſcendi modos commendent. Vnus eſt, cum partes ſummi imperii diuiſim & independenter ſunt penes diuerſas perſonas & corpora eiusdem Reipublicae, ita vt ſingula, quam partem habent, eam ſuo iure obtineant, & proprio ex iudicio adminiſtrent; quod ad reliquas imperii partes ſubditorum inſtar ſunt. Ad eum fere modum, quo regnum Numidiae poſt mortem Maſiniſſae a Scipione diſpoſitum refert Appianus in Lybico: [p. 64. Edit. H. Steph.] vt tres ipſius filii legitimi regio nomine gauderent; ſed inter eos maior natu Micipſa Cirtham regiam obtineret, alter Guluſſa bello pacique praeeſſet, tertius Manaſtabales ius diceret. Alter, cum ſummum imperium indiuiſim eſt penes plures vno [1], vt tamen neque plerique ſine paucis, neque caeteri omnes ſine vno diſſentiente quid efficaciter ſtatuere, partesque imperii exercere poſſint. Idque iterum dupliciter, vel vt omnes heic ſint aequales, vel vt vni alteriue eximia quaedam iura competant, quae ipſe ſine caeteris exercere poſſit. Citantur inſuper multi antiquorum, apud quos mixtarum Rerumpublicarum frequens eſt mentio. Circa quos illud iam monitum fuit, plurima, quae illi ſuper mixtura Rerumpublicarum tradunt, hautquidquam ad diuidendas ſummi imperii partes inter diuerſas perſonas, aut concilia pertinere; ſed vel ad rite temperanda requiſita perſonarum, ex quibus concilium imperans componitur, vel ad inſtituta diuerſarum Rerumpublicarum probe combinanda. Deinde putauerim, nonnulla mixtionum exempla commode poſſe explicari ope diſtinctionis inter ipſum imperium, & modum adminiſtrationis. Vt illae Respublicae ex aliis admixtum quid habere dicantur, quarum modus adminiſtrandi ex alia forma petitus videtur: puta, ſi in ciuitate, vbi ſumma rerum eſt penes populum, pleraque per principem aliquem, aut ſenatum expediantur; aut ſi in ariſtocratia vnus magiſtratus inſigni auctoritate polleat, vel ſuper multis negotiis populus conſulatur; aut ſi in regno ardua negotiorum ad ſenatum, populumue referantur. Quod ſi iſthaec ad aliqua veterum, quae afferuntur, loca non quadrent, quae ſequuntur, rem expedient. Nempe oſtenſum eſt ſupra, ad eſſentiam ciuitatis perfectae & regularis requiri, vt in ea ſit talis vnio, per quam omnia, quae ad ipſam regendam faciunt, velut ab vna anima proficiſci videantur. Igitur manifeſtum eſt, per priorem mixturae modum conſtitui corpus, quod non vinculo vnius imperii, ſed pacto duntaxat contineatur, quodque adeo hautquidquam inter ciuitates regulares, ſed inter irregulares Respublicas ſit cenſendum; ſat debile, & internis conuulſionibus valde obnoxium. Circa alterum mixtionis modum conſiderandum putem, an illi, penes quos ita indiuiſim eſt ſummum imperium, conſtituant ſenatum perpe-

§. XIII. 1) Quae ſpecies frequentior eſt, eoque haut dubie pertinent regna limitata, de quibus infra c. 6. §. 12. in med. Quanquam Auctor recte inter irregulares Respublicas eam referat. Vid. Elem. Pr. ciuil. Part. I. Sect. 11. § 8. H.

2) De modo temperandi Ciuitates mixtas, vid. Baelius T. I. de ſa Réponſe aux Queſtions d'un Prouincial p. 611. & ſeqq.

§. XIV. 1) Nimis ſtricta irregularium ciuitatum notione Auctor vtitur. Nam & irregulares ſunt ob finem, puta, ſi latam dominationem appetant, ſi Mercurium colant & in diuitiis ſummam felicitatem collocent, aut luxum numen ſuum faciant.

perpetuum, qui vniuerſam ciuitatem, tanquam vnum, & quaſi continuum corpus gubernet. Quo caſu ariſtocratia erit, ſed ad negotia expedienda valde inconcinna, dum vnus, paucique refragantes reliquorum placita reddere inania poſſunt. Quod ſi autem ad ſingulos iſtos, de caetero pari iure gaudentes, ſingulae partes Reipublicae integrantes peculiariter pertineant, ſed actus ſummi imperii nemini liceat exercere, niſi vniuerſis vnanimiter conſentientibus, erit ſyſtema proprie dictum, ſed quod propter nimiam & ſuperuacuam arctitudinem ad res expediendas itidem ſit ſatis inhabile. Verum vbi vnus reliquis auctoritate & nonnullis ſummi imperii particulis inſigniter praepolleat, erit irregularis Reſpublica inter monarchiam ex procerum mole laborantem, & ſyſtema velut interiecta [a]. Eo maior autem erit irregularitas, ſi plures vno reliquos emineant.

§. XIV. Enimvero vti nemini, cui mordicus mixtae Reipublicae vocabulum retinere ſtat, conſtantiae laudem inuidemus; ita commodius nobis & planius, ſimulque ad demonſtranda in certis Rebuspublicis quaedam quaſi phaenomena expeditius videtur, ſi irregulares potius vocemus illas Reſpublicas, in quibus neque vna ex tribus regularibus formis deprehendatur, neque nudus morbus aut παρέκβασις locum habeat, & quae ad ſyſtemata accurate referri nequeant. Circa quas in vniuerſum id obſeruandum, quod a regulari ciuitate in eo abeant, dum in iis non omnia ab vna anima, ac voluntate procedere, neque omnes & ſinguli communi imperio regi videntur [1]. A ſyſtematibus autem differunt, quod illae non ex diſtinctis & perfectis ciuitatibus, vti haec, componuntur. Sed a morbis atque aberrationibus in eo diſcrepant, quod morbus ſemper velut illegitimam, & erubeſcendam faciem prae ſe ferat; quippe qui ex commodae formae praua adminiſtratione, aut ex male concinnis legibus atque inſtitutis proueniat. Verum irregularitas non ipſam ſolum formam intrinſece afficit, ſed & publice ac velut legitime ſancita palam ſeſe, & citra pudorem oſtendere audet. Adeoque morbus ex intentione eorum, qui Rempublicam conſtituerunt, abeſſe debebat, & ſemper tanquam prauum quid in Republica adparet; irregularitas autem voluntate aut adprobatione eorum, ex quibus Reſpublica componitur, emerſit, aut confirmata eſt. Sicuti alia eſt ratio aedificii; cuius deſignatio quidem regulis architectonicis congruit, ſed vbi ipſa materies eſt vitioſa, aut ſocordia incolentium tectum hiat, parietes ruinam minantur, trabes gemunt, fundamenta labant: & cui per ipſum architectum a communibus diſcedens regulis vltro forma eſt aſſignata, aut ingruens vitium extraordinario quodam modo ſolidatum. Deinde irregularitatum aliae ab initio conſtitutae Reipublicae ſtatim extiterunt; aliae ſucceſſu temporis, & tacitis momentis irrepſerunt [2]. Scilicet contingere potuit.

ciant. Deinde a ſumma poteſtate multae exſiſtunt irregularitates, vel in eius fine, ſi ſummus imperans ad ſua praecipue commoda reſpiciat, populi vero vtilitates inſuper habeat, aut ſaltem per accidens curet; vel in ſubiecto, ſi duo vel tres teneant imperium; vel in forma eius, quo pertinent mixtae, ſyſtemata foederatorum populorum, & his affines Reſpublicae, item clientelares, vectigales, feudales; vel in titulo ſiue in modo parandi aut habendi ſummam poteſtatem, quo referas Reſpublicas patrimoniales & tyrannides. Ex quibus liquet, ciuitatum irregularium aliquas eſſe vitioſas, aliquas vitio aut labe carere. H.

2) Vti fieri conſueuit in Rebuspublicis mixtis, aut quae finitimae ſunt Achaicis ciuitatibus, ſiue ſyſtematis proprie dictis. H.

tuit, vt ab initio Reipublicae conditae, aut circa inſignem eius mutationem, per conditores, aut mutationis auctores, regularis forma non potuerit introduci, inſcitia, aut quia res praeſentes non ferebant de ſtatu rite concinnando cogitare. Add. HOBBESIVS Leuiath. c. 29. poſt princip. Aliquando etiam qui praecipui fuere adiutores & duces regni adquirendi, eiusmodi ſibi ditiones ac priuilegia ſtipulantur, vt pro veris ſubditis haberi nequeant. Saepe quoque ſocordia imperantium, aut alia occaſione morbus Rempublicam inuadit; qui vbi tantas radices egit, vt ſine exitio Reipublicae expelli nequeat, nihil reliquum eſt, quam vt ſanctione publica ille vitium velut exuat, & quod hactenus vſurpatio, factio, aut contumacia erat, deinceps ius aut priuilegium audiat.

§. XV. CAETERVM irregularium Reipublicae formarum neque certus iniri numerus [1], neque certae conſtitui ſpecies queunt, propter magnam varietatem, quae heic reuera occurrit, aut animo fingi poteſt. Igitur vix ſupereſt aliud, quam vt irregularitatis indoles ex illuſtribus exemplis penitius perſpiciatur. Quale exemplum nos conati ſumus exhibere in Republica [2] Romana. Aliud in imperio Germanico molitus eſt Seuerinus [3] de MONZAMBANO [4]. Hoc loco tantum monuiſſe ſuffecerit circa irregularitatem, quae a nonnullis in vetere imperio Romano obſeruatur, dum illud aliquando viſum fuit bimembre aut trimembre, quando vnus Auguſtorum Orientem, alter Occidentem tenuit, aut etiam tres Auguſti orbem Romanum tripertito rexerunt. Interdum idem adparuit biceps aut triceps, dum duo vel tres Auguſti collegae indiuiſim rerum potiti ſunt. Enimuero circa prius eſt obſeruandum, quotiens duo Imperatores, vnus orientale, alter occidentale imperium tenuerunt, diuiſim, & vt neuter ab altero dependeret, tunc reipſa duo fuiſſe regna diſtincta, quibus coniunctim Romani Imperii nomen remanſit, quod ex vno iſto orta fuiſſent. Acceſſit legum morumque ſimilitudo, & regnantium, populorumque cognatio, foeduſque & mutua velut ſubſtitutio, quae aliquid vnionis adhuc prae ſe ferret. Sed quomodo ſit adpellanda illa Reipublicae forma, quando duo aut tres Auguſti indiuiſim imperium adminiſtrarunt, non ita in expedito eſt pronunciare. Sane duo conſtituere Ariſtocratiam nequeunt [5]. Cum enim vterque pari ſit poteſtate inſtructus, (quod ſupponitur,) non niſi pacto inter ſe poſſunt connecti; & nulla eſt ratio expediendi negotia, ſi iſtos diſſentire circa eadem contigerit, dum nemo adeſt, qui momentum alterutrius ſententiae poſſit addere. Et quamuis idem incommodum videatur comitari collegium, quod ex pari numero aſſeſſorum conſtat; non tamen ita frequenter eueniet,

§. XV. 1) Conf. AVCTORIS Diſſertatio de Republica irregulari, in qua latius hoc argumentum exſequitur. Eſt ea inter Diſſertationes eius Academicas ſelectiores iunctim editas, & diuerſis vicibus typis repetitas.

2) Sine in Diſſertatione, quae inſcribitur de forma Reipublicae Romanae, & in laudata collectione reperitur.

3) Quod opus AVCTORIS eſſe, hodie iam nemo dubitat. V. TITIVS in nota (a) ad Praefat. Nouiſſimus eius editor, eſt Ioa. Gottfr. SCHAVMBVRGIVS V. Cl. Prodiit eius editio poſt eas THOMASII, TITII, & aliorum, Lipſiae 1734. in 8.

4) At eſſe ac fuiſſe exempla, oſtendi Part. I. Elem. Pr. ciuil. ſect. 12. §. 9. H.

5) Vt putauit BOECLERVS ad Grotium L. I. c. 3. p. 254. eam vocans ariſtocratiam duumviralem

niet, vt diſſenſione oborta, paria ſint ſuffragia. Ac facile eſt, vt inter plures vnus in alteram partem trahatur. Aut ſi id fieri nequeat, proximum erit, vt illa ſententia obtineat, quae nihil innouandum, ſed rem in antiquo ſtatu relinquendam cenſet. Deinde ne vbi tres quidem Auguſti ſimul imperium tenuerunt, videtur proprie loquendo ariſtocratia conſtituta. Non enim iſti triumuiri, aut tres Auguſti in tale corpus aut collegium coaluerunt, in quo perplurium ſuffragio de negotiis imperii ſtatueretur, duoque conſentientes poſſent tertium pro imperio adigere ad ſequendam ipſorum ſententiam. Quod ſi autem exiſtat collegium, in quo maior pars ad ſe nequeat trahere minorem, illud vinculo potius nudi pacti, quam imperii videtur contineri. Ergo dicemus, ſummum imperium reuera & radicaliter fuiſſe [6] penes illum ſolum, qui alterum ſibi collegam aſſumſit, etiamſi quod ad exteriora inſignia iſte hunc ſibi videretur exaequaſſe. IVLIVS CAPITOLINVS de Lucio Vero [in vita eius c. I.] dicit, eum *vixiſſe non in libero principatu, ſed ſub Marco in ſimili ac pari maieſtatis imperio.* Nec facile erat metuendum, aliquem fore animo tam ingrato, vt illius voluntati reluctaretur, abs quo ad id faſtigii fuit prouectus. Accedebat, quod vt plurimum adſciſceretur a parente filius, aut a ſocero gener, aut a fratre frater, vt cognationis aut affinitatis quoque vinculo coërceretur alter, ne poteſtate data contra dantem abuteretur. Vnde iſta collegae aſſumtio non erat diuiſio ſummae poteſtatis, ſed conſtitutio velut vicarii alicuius generalis ſimul & ſucceſſoris, qui ſtatim ab altero in partem curarum admitteretur, vnaque cum ipſo res imperii adminiſtraret, inſignibus auguſtalibus praefulgens. Ad quod conſilium eos adigebat mobilitas militum, queis frequens erat, duces ſuos Imperatores conſalutare. THEMISTIVS Orat. XVI. de Valentiniano, qui fratrem Valentem imperii conſortem adſciuerat: Ὁ δὲ τέλεια μὲν λαβὼν, τέλεια δὲ νείμας. ἀδελφὸς καὶ πατὴρ, τὸ μὲν ἐκ τῆς φύσεως, τὸ δὲ αὐτὸν ποιήσας, ἴσα μὲν ἐδωρήσατο, σύμπαντα δὲ ἔχει δι' εὐπείθειαν τοῦ κοινωνήσαντος. *At is ſiue frater ſiue parens, integra accipiens, integra tribuens (quorum alterum a natura eſt, alterum ipſe ex ſe facit,) licet aequalia fuerit, largitus vniuerſa tamen retinet, propter eius, quem imperii participem reddidit, in ſe obedientiam.* SOLINVS c. 8. de Aenea: *tribuſque mox annis cum Latino regnauit ſocia poteſtate.* Quod ſi haec alicui non ſatisfaciant, aut ad ſingula exempla nequeant adplicari, nil aliud reſtat, quam vt in illo imperio irregularitatem tunc interueniſſe dicamus, dum plures vno velut monarchiam indiuiſim obtinuerunt, qui pacto duntaxat aut factione iungerentur. Quos inter ſi diſſenſio aut odia fuerint orta, ſuſpiciones mutuaſque inſidias, & bella demum ciuilia ſurgere neceſſum fuit. LVCANVS L. I.

lem vel triumuiralem. Sed nec Monarchia eſt, ſecus ac viſum HVBERO L. II. Iur. public. vniuerſ. c. 30. quanquam is in noua editione L. I. ſect. 7. c. 2. §. 1. Monarchiae vocabulum minus commodum eſſe ipſe fateatur. H.

6) Id quod liquet exemplo Diocletiani Maximinianum Auguſtum, Conſtantium autem atque Galerium Caeſares creantis, vt tamen ipſius nuto omnia gererentur, teſte Aurelio VICTORE in Caeſaribus. Et, vt ait POMPONIVS LAETVS in Diocletiano & Maximiniano, *tanta fuit in gubernanda Republica inter Principes concordia, vt alter alteri, quamuis ſemper honeſta cupiebant, nunquam repugnauerit: verum Maximinianus, vt filius, patri Diocletiano obtemperabat.* Sane Caeſareanum imperium (quod δευτέρου βασιλείας σχῆμα vocat LIBANIVS Orat. funebr. in Iuliano, loquutus de Gallo, Caeſare aſſumto a Conſtantino) neque imperatorio nomine deſignabatur, neque id efficiebat, vt Orientis imperium ab Occidentali diſtingueretur. H.

L. I. [v. 92. ſeqq.] *Nulla fides regni ſociis omniſque poteſtas Impatiens conſortis erit.* S T A T I V S Thebaid. I. [v. 130.] *Sociis comes diſcordia regnis.* Qualis irregularitas manifeſte Romae contigit, Romulo & Tatio ſimul regnantibus. Vid. P L V T A R C H. Romulo. Add. Erycius P V T E A N V S Hiſt. Inſubricae L. II. de Pertharito & Gundeberto regibus Longobardorum ſimultaneis. Huc ſpectat & illud P R O C O P I I Hiſt. Gothicae L. I. *Gothi Odoacri milites ita inter ſe comparant, vt pari iure Rauennae imperent & Theudericbus & Odoacer. Manſit pactis aliquamdiu fides: ſed exitus is fuit, vt Odoacrum inſidiarum, vt quidem dicebatur, compertum, ad epulas vocatum, Theudericus dolo occideret.* Scilicet vti eſt apud E V R I P I D E M Andromache [v. 471. & ſeqq.] Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι δίπτυχοι τυραννίδες μιᾶς ἀμείνονες φέρειν, ἄχθος τ' ἐπ' ἄχθει καὶ στάσις πολίταις. *Neque enim in vrbibus duo imperia facilius poſſunt ferri quam vnum. Eſt enim onus ſupra onus, & ſeditio ciuibus.* P L I N I V S Panegyr. *Quantillum refert deponas, an partiaris imperium? niſi quod difficilius hoc eſt.* Add. H E R O D I A N V S L. IV. c. 1. ſeqq. Ac in vniuerſum ad imperia eiuſmodi polyarchica adplicatur ſententia Selymi, qui Imperium Germanicum *teſtudini* comparabat, quae multo labore in harmoniam temperatur, non diu duraturam. Caeterum ad irregularitatem ſpectare non arbitramur, quod de Dayro in Iaponia refert F R A N C I S C V S C A R R O N [7], legitimo regni haerede, ſed cui a poſſeſſore imperii nil praeter ſplendor adparatus, & inania honoris relicta ſunt. Sic in regno Tunquin, prout refert Alexand. de R H O D E S Itiner. Part. II. c. 6. duo reges ſunt, quorum vnus Bua, alter Choua vocatur; ſed vt penes illum titulus duntaxat, penes hunc reuera imperium ſit, excepto quod Bua titulum doctoris confert, & iusiurandum ciuium, quod ſingulis annis renouatur, recipit; de caetero tempus in otio veteri palatio incluſus exigit.

§. XVI. S Y S T E M A T A ciuitatum [1] a nobis adpellantur plures vna ciuitates, vinculo aliquo peculiari & arctiſſimo ita inter ſe connexae, vt vnum corpus videantur conſtituere [2], quarum ſingulae tamen ſummum in ſeſe imperium retineant. Ex quo primum adparet [3], non ſtatim, ſi quae ciuitas ex pluribus corporibus ſubordinatis ſit compoſita, eam ideo inter ſyſtemata referendam; vtut eam H O B B E S I V S Leuiath. c. 22. ſyſtematis vocabulo nuncupet, & partes iſtas cum muſculis in corpore humano comparet. Sicuti nec

7) Et Bernhardus V A R E N I V S Deſcript. regni Iaponiae c. 5. Aut quae de primae ſiue Merouingicae Stirpis Francorum Regibus ſub euecta ſupra regale faſtigium Maiorum Domus poteſtate memorant Annales Francorum. H.

§. XVI. Latius hoc argumentum A V C T O R tractauit in Diſſertatione de Syſtematibus ciuitatum, quae quarta eſt inter Diſſertationes eius Academicas ſelectiores.

2) Quod A V C T O R in laudata diſſertatione de Syſtematibus Ciuitatum fieri exiſtimat vel *mediante communi Rege*, quando plura ſeparata Regna Conuentione, aut occaſione matrimonii, hereditatis vel victoriae vnum & eundem Regem habere incipiant, ita tamen, vt in vnum Regnum non coaleſcant, ſed ſingula ſecundum ſuas Leges fundamentales a communi Rege adminiſtrentur; vel etiam per foedus: quae principia etiam ſequitur H E R T I V S Elem. Prud. Ciu. L. 12. 6. ſeqq. Enimuero aut omne Regnum alteri ita ſubiicitur, vt in communi Imperio nullae ſint eius partes, qualia olim erant Regna Macedonicum, Syriacum, Aegyptiacum Romanis ſubiecta, aut ſuas quodlibet res ſibi habet, vt hodie Hungaria & Bohemia. Aut ita vnita ſunt, vt veluti vnum Regnum conſtituant, quale hodie efficiunt Anglia & Scotia, Polonia & Lithuania. Primo caſu Regnum perdomitum in Prouinciae formam redigitur, nec cum

nec ſtatim ſyſtemata ſunt magnae ciuitates, quae incrementa ſumſerunt, abſorptis aliis ciuitatibus, & in vnum ſecum corpus redactis. Id quod duplici potiſſimum modo fieri videmus. Vno, vt victor deuictarum ciuitatum ciues in ſuas quoque ſedes transferat, aut iure prioribus ciuibus exaequet: altero, vt deuictae ciuitates antiquis in ſedibus relinquantur, & extincto, quod penes ſe antea habebant, imperio, victrici ciuitati mere fiant ſubditae. Vtrinque victa ciuitas eſſe deſinit; ſed illic victi victoribus exaequantur, heic fere deteriore conditione eſſe iubentur, in formam prouinciarum redacti. Etſi frequenter etiam bello deuictis prouinciis [4] aliqua pars antiquorum priuilegiorum aut legum relinquatur, vtut a legibus aut moribus victricis ciuitatis diſcrepantium. Vid. HOBBESIVS Leuiath. c. 26. Nam ad vnitatem ciuitatis non requiritur, vt omnes eiuſdem partes integrantes iiſdem vtantur legibus poſitiuis, aut pari omnes conditione habeantur; ſed ſufficit, ſi ab vno omnes imperio dependeant. Et ſaepe inter artes victoris eſt, de priſtino more eorum, quos vicit, nihil immutare aut ad iſtum ſeſe pauliſper attemperare. Caeterum circa adminiſtrationem prouinciarum expendenda ſunt, quae tradit HOBBESIVS Leuiath. c. 19. *Quando Romani quondam verbi gratia Iudaeae per praeſidem imperabant, Respublica Iudaica ideo non erat democratica; quia non regebatur per eiuſmodi concilium, in quo quilibet Iudaeorum comparere poterat; ſed nec ariſtocratia erat, quia non regebatur ab eiuſmodi concilio, in quod pauci electi ex ipſis Iudaeis admittebantur. Verum imperabatur ipſi ab vno praeſide, qui intuitu populi Iudaici, cuius nullae in imperio partes, pro monarcha erat habendus. Quanquam enim, vbi populus regitur per concilium, quod ex ipſo conſtat, aut eligitur, Reſpublica vocetur ariſtocratica & democratica; tamen vbi populus regitur a concilio, quod ipſe non elegit, pro monarchia haberi oportet, non vnius hominis in alios homines, ſed vnius populi* [5] *in alium populum.* Sic igitur HOBBES pro monarchiis videtur habere [6] etiam illas prouincias, quae ciuitati ariſtocraticae aut democraticae ſubſunt. Enimuero etſi facile admittamus, frequentius eſſe, vt prouinciae regantur ab vno homine, quam concilio ex pluribus conſtante, id quod IDEM dicto loco c. 22. latius oſtendit: tamen ſuperuacuum nobis videtur diſquirere, quaenam forma Reipublicae ſit in aliqua prouincia. Nam prouinciae ciuitates eſſe deſierunt, factaeque ſunt aliarum ciuitatum appendices, quae in ſeipſis nihil imperii habent. An autem eiusmodi prouincia ab vno praeſide, an ab aliquo concilio regatur, ad ipſum impe-

cum altero Syſtema aliquod conſtituit. Nec altero caſu dici poteſt, duo Regna in Syſtema coiiſſe, quum nihil commune inter ſe habeant, ſed Princeps tantum duas perſonas ſuſtineat. Supereſt ergo tertius tantum caſus, quo duo Regna, vel duo populi, voluntatibus viribusque ad communem defenſionem coadunatis, vnam omnino ſocietatem maiorem conſtituunt, ideoque Syſtematis nomen iure meritoque ferunt Conf. HEINECCIVS Iur. Nat. & Gent. L. II. §. 119. *

3) Sane veteres vocem σύστημα non vſurparunt, niſi in ciuitatibus, quae in arctum idque perpetuum foedus coiuerant. Ita a POLYBIO vocatur τὸ τῶν Ἀχαιῶν σύστημα L. II. Hiſtor. c. 41. Adde de Amphictyonibus STRABONEM L. IX. Geograph. p. 289. & EVNDEM de Lyciis L. XIV. p. 457. Συνέδριον Ἀχαϊκὸν dixit PAVSANIAS in Achaicis ſiue L. VII. paſſim. H.

4) V. GROTIVM L. III. de I. B. & P. c. 15. §. 9. ſequ. H.

5) Exhibentur hic verba HOBBESII adiuncta AVCTORIS Periphraſi.

6) Plane vt VIRGILIVS L. VII. Aeneidos. Romanos intuitu prouinciarum *populum late Regem* dixit, & hodie Veneta Reſpublica Signoria nuncupatur. Quod non niſi ἀναλόγως fit: nam monarchia proprie non ab iis, qui reguntur, ſed a ſummi imperii compote denominatur. H.

imperium nihil intereſt; cum tam ille, quam hoc, delegata duntaxat poteſtate vtatur. Sic vt quod in prouincias ſiue appendices ciuitatum exercetur imperium vniforme videatur, & non niſi improprie monarchicum aut ariſtocraticum dici queat; quippe cum iſthaec formarum Reipublicae diſcrimina ad ciuitates proprie dictas pertineant, & quae ſuum in ſe ipſis imperium poſſident.

§. XVII. SYSTEMATVM proprie dictorum duas potiſſimum deprehendimus ſpecies; vnam, ſi duae pluresue ciuitates vnum & eundem habeant regem [1], alteram, ſi duae pluresue ciuitates foedere in vnum corpus connectantur. Circa priora ſyſtemata obſeruandum, in corporibus moralibus vtique fieri poſſe, vt plura corpora vnum duntaxat habeant caput; vtque adeo vna perſona caput eſſe poſſit plurium & diſtinctorum corporum. Id quod in corporibus naturalibus monſtroſum erat futurum. Quia autem vnio eiusmodi ſyſtematum in ſola perſona regis, aut eius familia fundatur; inde fit, vt iſta extincta, ad ſingulos populos ſeorſim redeat ius de ſuo regimine pro arbitrio ſtatuendi, neque ipſis neceſſarium ſit deinceps eodem capite vti. Quin & durante iſto capite, ſingulae ciuitates reuera diſtinctae manent. Poſſunt porro eiusmodi ſyſtemata oriri variis ex cauſis; quas inter frequentiſſimae videntur matrimonia principum, & ius hereditarium. Sunt enim ciuitates, in quibus ſummum imperium etiam ad foeminas, ex familia regnatrice oriundas, deuoluitur, non ſolum quando omnes maſculi ex eadem deficiunt, ſed & vbi in propiore, aut pari gradu nullus maſculus extiterit. Heic igitur ſi contingat, foeminam regni dominam nubere viro itidem regi, ſaltem in ipſorum ſobole regnorum fiet coniunctio. Nam in eiusmodi matrimoniis non eſt neceſſum, vt vxor mariti ſeſe imperio vna cum regno ſuo ſubiiciat. Sic ſi contingat in regno indiuiſibili, vbi ſucceſſio hereditaria ſimplex, aut linealis eſt recepta [2], vt ex remotioribus regni haeredibus aliquis nouum ſibi regnum quocunque modo adquirat; ſi propioribus extinctis, illum lex ſucceſſionis ad regnum vocet, nouiter quaeſitum regnum vtique cum auito copulabitur. Idem accidit, ſi populus regem eligat [3], qui iam antea regnum aliud poſſidet, aut quem alterius regni ſucceſſio manet. Poſſunt quoque duo aut plura regna foedus inire, vt eundem regem concordibus ſuffragiis eligant; & tamen de caetero ſingula regna ſeparata maneant, nec negotia ſua in communi aliquo concilio expediant. Denique exſurgit quoque eiusmodi ſyſtema, ſi rex aliquis, libera populi voluntate conſtitutus, armis ſibi ſubiiciat alium populum, proprio nomine ac periculo, propriisque ſumtibus, non nomine aut ſumtibus populi, cui praeeſt. Id enim fieri poſſe contra HOTOMANNVM Quaeſt. illuſtr. I. ſatis oſten-

§. XVII. 1) Qualia ſunt Regna Angliae, Scotiae & Hiberniae. Vid. laudata AVCTORIS Diſſertatio de Syſtem. Ciuitatum §. 9. 10.

2) Vid. infra §. 12. 13.

3) Quomodo Imperium Romano-Germanicum ſub Carolo V. regnis Hiſpaniae fuit copulatum. Poteſt etiam Princeps electus ab alio populo eligi; id quod fieri conſueuit in coniunctione Epiſcopatuum Germaniae. H.

4) Quas ob cauſas Sigismundo Poloniae Regi imperium in Succiam renunciaſſe Ordines, pluribus narrat Ioan. LOCCENIVS Hiſtor. Suecian. L. VII. & ad A. MDXCIX. & ad A. MDCIII. H.

5) Vid. GROTIVS L. I. c. 3. §. 16. num. 5. Legis

oſtendit Grotivs L. I. c. 3. §. 12. Diſſolutionem eiusmodi ſyſtematum fieri patet, extincto rege, in cuius ſolius perſona vnio fundata erat; aut extincta familia regnatrice, ſi ſingula ad eam iure haereditario pertineant. Tunc enim ad ſingula regna ſeorſim redit ius nouum ſibi regem conſtituendi, aut quam velint Reipublicae formam introducendi, inconſultis reliquis. Ponimus enim, nullo praeterea vinculo iſta regna fuiſſe coniuncta. Sic ſi contingat, regem vnum quidem regnum iure haereditario poſſidere, in alterum autem adſciſci per liberam electionem, iſthoc rege mortuo diſſoluta erit regnorum coniunctio; nec neceſſum erit, vt poſterius regnum regis defuncti filium ſibi imponat. Quod ſi autem vnio iſta nitatur foedere, inter regna vnita inito, apertum eſt, capitibus foederis ſaltem praecipuis violatis, vnionem abrumpi poſſe ab illis, qui per alios laeſi ſunt. Vbi tamen accurate diſtinguendum eſt inter obligationem, qua ſingula regna regi tenentur, & qua ipſa regna inter ſe connectuntur. Rex ſemel a ciuibus electus, & cui fides data fuerit, deſtitui ob quaeuis praue facta, aut conuentioni ſuae contraria non poterit, quamdiu ſeſe apertum regni hoſtem non tulerit [4]. Niſi forte pacto inter regem & regnicolas clauſula commiſſoria [5] ſit expreſſe inſerta [6], ac omne ſubditorum obſequium ab impletione omnium & ſingulorum pacti capitum tanquam a conditione ſit ſuſpenſum. Aſt obligatio, quae regnis vnitis inuicem intercedit, abrumpi poteſt ex parte eius, in cuius fraudem leges vnionis ſunt violatae, vtut laeſio non adeo enormis fuerit; ſi modo alia regna ad eam laeſionem concurrerint, aut illa in horum vſum ſuſcepta aut conuerſa ſit. Vnde rege defuncto, regnum laeſum vnioni poterit renunciare, ſalua actione aduerſus auctores, adiutoresue laeſionis, rerumque ablatarum vindicatione. Quod ſi autem per matrimonia principum vtrinque haereditariorum coniungantur plures ciuitates, in quibus diuerſus ſuccedendi ordo eſt receptus, diſſoluetur vnio, ſi talis emergat caſus, vt eadem perſona in ſingula regna ſuccedere per leges publicas non ſit idonea. Ponamus vnita eſſe duo regna, in quorum vno ſit recepta ſucceſſio linealis agnatica, in altero cognatica. Heic ſi contingat, communem regem mori ſine prole maſcula, relicta tantum filia, poſterius regnum deuoluetur in filiam, prius in proximum agnatum. Quod ſi autem vnio, quae ab initio occaſione matrimonii contracta eſt, poſtea confirmetur & perpetua eſſe iubeatur, foedere inter omnia & ſingula regna inuicem inito, aut ſanctione communis regis, ab omnibus & ſingulis regnis adprobata; eo ipſo varietas, quae antea circa ſucceſſionem deprehendebatur, ſublata eſſe intelligetur. Deinceps autem ſequendus erit ille ſuccedendi ordo, qui expreſſe in foedere vel ſanctione eſt deſignatus, vel quem auctorem vnionis maxime probaſſe conſtat, aut qui rationi, & regnorum ſaluti maxime congruit. Aſt vbi contingat, vt vnum regnum al-

 teri

gis autem commiſſoriae nomine in genere pactum venit, quo id agitur, vt conditione non exſiſtente, res, quae defertur, amittatur. Exempla ſupra adlata ſunt L. V. c. 5. §. 4. obuia in emtione, venditione, & c. 10. §. 14. obuia in pignoribus & hypothecis. Hoc loco igitur lex Commiſſoria eſt conditio, cui niſi ſtetur, Princeps Regno excidit. Similiter etiam Feudo priuatur Vaſallus, ſi Homagium iurare detrectet, aut ſeruitia, quae ab eo debentur, non praeſtet, aut Feloniae reus ſiat. Publicatur enim tunc Feudum & cum Dominio Directo coniungitur, propter legem Commiſſoriam tacitam, quae Feudi collationi ineſt.

6) Vid. infra c. 6. §. 10. in med. H.

teri tanquam prouincia ſubiiciatur, vnio ex foedere reſultans exſpirat, & in eius locum arctior coalitio in eandem ciuitatem ſubit.

§. XVIII. Alterum genus ſyſtematum eſt, quod conſtat ex pluribus ciuitatibus foedere perpetuo inter ſe nexis [1], cui fere occaſionem dedit, quod ſingulis quidem ciuitatibus αὐτονομίαν ſuam retinere placeret, nec tamen ſingulis ſat virium eſſet communibus hoſtibus repellendis. In eo foedere conueniri ſolet circa exercendam communi conſenſu vnam aut alteram partem ſummi imperii. In hoc enim foedus, ſyſtema producens, potiſſimum videtur differre ab illis foederibus, quae alias frequentiſſima inter ciuitates iniri ſueuerunt; quod in hiſce ſinguli foederati proprio ex iudicio ſeſe determinent ad mutuas quasdam praeſtationes, ita tamen, vt de caetero exercitium iſtius partis imperii, ex qua praeſtationes illae fluunt, hautquaquam ſocii conſenſui velint alligare, nec de pleniſſima & illimitata ſua poteſtate Rempublicam gerendi quidquam delibare. Sicut & ſimplicia foedera vt plurimum particularem duntaxat diuerſarum ciuitatum vtilitatem; in vnum conſpirantem, ſibi habent propoſitam; nec perpetuam aliquam coniunctionem in negotiis ſummam rerum ſpectantibus producunt. Quae in foederibus ſyſtematicis ſecus ſunt; quorum is eſt ſcopus, vt in perpetuum diſtinctae ciuitates ſummam ſalutis ſuae inuicem habeant implicitam, atque eo nomine exercitium certarum partium ſummi imperii ex mutuo ſociorum conſenſu ſuſpendant. Longe aliud quippe eſt; ego tibi in iſthoc bello auxilium feram, & qua ratione hoſtis ſit inuadendus, communiter ſtatuemus: &, nemo noſtrum, qui ſocietatem coiuimus, ius belli & pacis exercebit, niſi de communi omnium conſenſu. Diximus autem, per iſtiusmodi foedera certarum duntaxat partium ſummi imperii exercitium a conſenſu ſociorum ſuſpendi. Nam vix videtur contingere, plurium ciuitatum rationes ita eſſe inuicem innexas, vt omnium & ſingularum interſit, nullam partem ſummi imperii niſi conſenſu vniuerſarum exerceri. Aut ſi tales dentur, praeſtabat ipſas in vnam potius ciuitatem coaleſcere, quam foedere duntaxat necti. Igitur conueniens erat, ſingulas ciuitates liberum ſibi ſeruare exercitium illarum partium ſummi imperii, quae quomodo gerantur, reliquarum parum aut nihil, ſaltem directe, intereſt. Item quae circa negotia quotidiana occurrunt, aut quae moram non patiuntur, vt ſuper iis cum aliis conſultetur. Enimuero illa negotia, ex quibus omnium ſociorum ſalus coniunctim

§. XVIII. 1) Veluti Prouinciae Belgii Vniti, & Foederati Pagi Heluetici.

2) Et maxime quae ad communem defenſionem ſpectant. H. Grotius in Apologetico c. 1. ea tantum communicari exiſtimat, quae ex foederis formula aut conſenſione ſpeciali communi conuentui attribuuntur: ita vt quaecunque illi nominatim attributa non reperiantur, in iis ius ſummum maneat penes ſingulas ciuitates: in regalibus enim verba, quantumuis generalia, effectu carere, niſi ſpecialis nominatio acceſſerit, omniaque excepta intelligi, quae non apparent translata. Ego vero etiam manifeſtas coniecturas ſufficere puto: quae enim facta eſt communitas, vulgaris foederis terminos longe egreditur, & ex parte in ſpeciem ciuitatis tranſit perpetuo duraturae; pro ea igitur velut toto coniectura vtique eſt fauorabilis. H.

3) Cui annexum ius circa milites. Quanquam ciuitatibus quoque ſingulis ius in milites, qui in earum territoriis verſantur, aut in praeſidiis ſunt collocati certa ratione competat, eaedemque etiam imparentes ſiue refractarios ſubditos opera militum ad obſequium cogere queant. Vid. H. Grotius in Apologetic. c. 10. & 11. H.

ctim pendet [2], communi conſilio tractari omnino par fuerit. Quae inter primum videtur locum occupare bellum [3], tam quod, ab aliis propulſatur, quam quod aliis vltro infertur, & qua iſtud finitur, pax. Cui adiungenda ſunt tributa, quantum communi bello inſeruiunt & foedera cum exteris, ad communem ſalutem ſpectantia. Quo & illud pertinet [4], vt ſi quid controuerſiarum inter ipſos ſocios oriatur, reliqui, quorum nihil intereſt, ſtatim tanquam mediatores interueniant, nec ad arma rem peruenire patiantur. Apud POLYBIVM L. IV. c. 24. ita Philippus rex dicit: *Iniurias, quas ſibi inuicem ſocii inferrent, in tantum ad ſe pertinere, vt verbis apud praeſentes, & literis ad abſentes malo medeatur; at quae communem ſocietatem attingant, ea eſſe, quae ſola ad totius concilii curam pertinerent, vt iis proſpiciant, atque remedium afferant.* Reliqua autem, quae communi conſilio exerceri non adeo neceſſarium videtur, vt ſunt foedera commerciorum, tributa, quae ad ſingularum ciuitatum neceſſitates requiruntur, conſtitutio magiſtratuum, leges, ius vitae & necis in ciues, ius circa ſacra [5], & quae ſunt alia, in ſingularum ciuitatum arbitrio relinqui nihil obſtat. Etſi & iſta quaelibet ciuitas ita moderabitur [6], vt ne totum ſyſtema inde perturbetur. Ex quibus illud liquet, vnum atque alterum ſociorum a reliquis non poſſe impediri, quo minus pro ſuo arbitrio exerceat illas partes ſummi imperii, de quibus communi conſilio exercendis in foedere nihil conuentum fuit. Super iure tamen vitae & necis ſcrupulus poteſt oriri ex *L. 7. §. 2. D. de Captiu. & poſtlim.* [7] *At ſiunt apud nos rei ex ciuitatibus foederatis, & in eos damnatos animaduertimus.* Eum vt eximat operoſe ſatagit GROTIVS L. I. c. 3. §. 21. quem tamen nihil agere, facile agnoſcet, qui penitius locum inſpexerit. Sane enim nihil ibi reſpondetur [8] ad hoc dubium: quomodo illa ciuitas libertatem illibatam retinere queat, cuius ciues alia ciuitas ſuo iure ad tribunal ſuum euocare, inque eos ibi poſſit animaduertere. Sane maximum detrimentum iudicabatur cepiſſe libertas Achaeorum, quando proditione Callicratis, praeſtantiſſimi eius gentis viri, inſimulabantur rebus Perſei contra Romanos ſtuduiſſe, iique Romam ad dicendam cauſam euocabantur, occaſione arrepta, quod Xenon conſcientia innocentiae fretus dixiſſet: ſe paratum eſſe, ſi quis ipſum accuſare velit, in ipſo Achaeorum conſeſſu, vel ipſos apud Romanos iudicium ſubire. Qua de re latius PAVSANIAS Achaicis. Eandem quoque tangit POLYBIVS Excerpt. Legat. CV. Sicuti & in eo Achaei videntur leges regularis ſocietatis transgreſſi,

4) Apud Achaeos praeterea lex viguit, ne cui ciuitati ſocietatis Achaicae participi fas eſſet ſeorſim ad caeteros vllos mittere legatos, non ad Romanos, non ad alios, teſte PAVSANIA in Achaicis. Conf. Vbbon. EMMIVM de Rep. & fortuna Achaeorum. H.

5) Quod de foederato Belgio fuſe demonſtrauit H. GROTIVS in Apologetico eorum, qui Hollandiae praefuerunt. H.

6) Ita in Foederati Belgii Vnione Vltraiectina A. MDLXXIX. art. 12. eſt: *Eandem monetam probanto omnes, & eandem omnes improbanto. Quod monetariam rem ſpectat, de ea ex communi omnium conſenſu leges quum primum promulgantor, easque omnes ſequuntor.* Vid. tamen H. GROTIVS L. IV. Hiſtor. Belgic. ad A. MDXCV. H.

7) Loquitur ea de populis inaequaliter foederatis, qui alterius populi maieſtatem comiter (id eſt, benigne, non grauate, vt explicat CICERO Orat. pro Cornelio Balbo) conſeruare ſunt obligati. Quorum ſocietatem ſi ſyſtematis quoque annumerarit AVCTOR, recte legem hancce huc attulit. At neſcio, an quiſquam veterum ea notione vocem *σύστημα* acceperit. H.

8) Quae Obſeruatio iisdem fere verbis repetitur L. VIII. c. 9. §. 4.

greſſi, quod eos Spartanos, qui auctores fuerant, vt Las vicus oppugnatus eſſet, ſibi dedi poſcerent ad ſupplicium, apud Livivm L. XXXIIX. c. 31. Cum prius diſceptanda in communi concilio cauſa eſſet, & crimine comperto poſtulandum, vt Spartani ſuos ciues aut ipſi punirent, aut dederent. Nobis planiſſima reſponſio ad dictum locum videtur [9], cum in antecedentibus verbis dictum fuerit, quid natura foederum ferat, & quid debeat fieri, allegatis verbis exponi, quid poſterioribus temporibus factum fuerit; quando Romani, ſuperbiam addente fortuna, ſocios, qui vltro ipſorum amicitiae per foedera acceſſerant, pari modo ac bello deuictos tractabant. Qua de iniuſtitia queritur ipſe Cicero Offic. II. Addatur exempluum de Decio Magio ab Hannibale victo apud Livivm L. XXIII. c. 7. 10. & quod Scipio diſſuadet, ne Romani delatores Hannibalis audiant, apud Evndem L. XXXIII. c. 47.

§. XIX. Qvia autem in hiſce ſyſtematibus inuicem communicari debent certa negotia, foedere expreſſa, atque id circummiſſis literis ita commode fieri nequit; neceſſum eſt, certum locum tempusque conſtitui agendis conuentibus; & ſi quid extra ordinem inciderit, moram non ferens, vnum pluresue deſignari, penes quos ſit, ſocios conuocare. Quanquam longe compendioſius fuerit, ſi certo in loco reſideat perpetuum aliquod concilium *, ex delegatis ſingulorum ſociorum conſtans, cui poteſtas ſit, quotidiana aut minoris momenti negotia ex formula mandati expediendi: quodque ſi grauius quid inciderit, ad ſingulos ſocios referat, & quae ipſis placuerunt, promulget atque exſequatur; cui directe exponantur, quae abs communibus ſociorum miniſtris apud exteros agentibus referuntur; quod item cum exterorum legatis tractet, & communi omnium ſociorum nomine cum iſtis negotia concludat. Sed abs quo nihil, mandati ſui limites excedens, decernatur, niſi prius ad omnes ſocios ſuper eo fuerit relatum. Quantum autem eiusmodi concilio deputatorum poteſtatis competat, ex ipſo foedere, aut mandatis eorundem cognoſcendum erit. Id ſane conſtat, quidquid id eſt, alienum eſſe, & a ſociis delegatum; & quanquam decreta ab eodem promulgata ipſius ſolius nomen prae ſe ferant; vis tamen omnis, atque auctoritas a ſociis, qui id conſtituerunt, promanat. Sic vt iſti deputati ſint duntaxat miniſtri ſociorum, neque hiſce pro imperio magis aliquid poſſint iniungere, quam legatus illi, abs quo mittitur.

§. XX. Caetervm dubitari adhuc poſſit, an non vniuerſitati ſociorum, aut maiori parti ſit poteſtas in ſingulos aut pauciores circa illa negotia, ob

9) Eaque melior illa Kulpiſii ad Grotium d. l. Verba dictae legis non definitiue ſed oppoſitiue accipientis, de inaequaliter ſcilicet foederatis cum diminutione imperii. H.

§. XIX. * Vt Hagae in Hollandia Collegium Ordinum Generalium & Senatus Ordinum. Vid. H. Grotivm L. V. Ann. Belg. ad A. MDLXXXIIX. & L. XVI. Hiſt. Belgic. ad A. MDCIIX. Add. Boxhorn. de Foederat. Belgio c. 4. 5. 6. 7. 8. 10. In foedere Prianſiorum & Hieropotamiorum apud Prideavx Marmor. Oxonienſ. 57. memoratur etiam κοινοβούλιον, item δικαστήριον & κοινὸν δικαστήριον. H.

§. XX. 1) Mihi diuerſum placet: quoniam illa, quae ſyſtemati vniuerſo ſunt communia, non vulgarium foederum iure cenſentur, vt Avctor ipſe ſupra §. 18. recte docuit, & proinde ſecundum alio-

ob quae ſocietas fuit inita, & quae vt communi conſilio gerantur, expreſſe in foedere fuit deſignatum; hactenus vt ad id, quod maiori parti placuit, pauci quoque diſſentientes nolentes volentes teneantur. Id quod nobis negandum videtur, ſiquidem agatur de ſyſtematibus regularibus [1], & vbi ſingulae ciuitates ſuam ſibi libertatem reſeruant illibatam. Nam quo minus tale quid obtineat in ſyſtemate aliquo irregulari, & quod propius ad naturam ciuitatis accedit, nihil impedit. Scilicet libertas ciuitatis, quae nihil aliud eſt, quam facultas ex proprio iudicio de negotiis ad ſui conſeruationem ſpectantibus vltimato ſtatuendi, nequit intelligi, vbi ipſa pro imperio ad aliquid ſuſcipiendum inuita ab alio poſſit adigi. Neque obſtat, quod in foedere conuentum fuit de certis partibus ſummi imperii non niſi communi conſilio exercendis. Aliud enim eſt, ſi dicam: ego non exercebo meum ius, niſi vobis volentibus: aliud, ſi dicam, vobis facultas erit, etiam inuitum me adigendi ad ius meum exercendum. Prius duntaxat, non poſterius in foedere continetur. Ea res vt penitius intelligatur, probe obſeruandum eſt, vt plurium hominum voluntates in vnum teneantur conſpirare, id oriri vel ex nuda conuentione, vel ideo, quod vnus voluntatem ſuam alterius voluntati ſubmiſerit. Conſpiratio voluntatum ex nuda conuentione libertatem illam, de qua innuimus, hautquidquam tollit. Nam vel in anteceſſum communi conſenſu ſtatuitur de negotiis iunctim expediendis; vel ſi quid deinceps ſtatuendum eſt, ad id ſinguli non imperio, ſed per ſolas rationes volunt adigi. Aſt vero quando voluntatem meam alterius voluntati ſubmiſi, eoque ipſi eidem in me imperium contuli, etiam ad illa poſſum obligari, quae fortaſſe mihi diſplicent. Neque eſt, quod quis nobis occinat ius illud maioris partis. Vid. ſupra L. VII. c. 2. §. 15. Nam primo maior pars ad ſe trahit minorem in coetibus duntaxat conſtitutis, non in iis, qui adhuc ſunt conſtituendi. Deinde reuera ex inſtituto & conuentione hominum, non a natura eſt, quod in coetibus conſtitutis maior pars obliget vniuerſos; etſi naturalis ratio illud tanquam conuenientiſſimum ſuadet recipi in coetibus numeroſis, & vbi varia & quotidiana negotia ſunt expedienda. Atque hoc vt fiat, neceſſum erit ſingulos ſuam voluntatem ſubmittere voluntati vniuerſorum, aut maioris partis hactenus, vt illi etiam diſſentientes teneantur omnino ſequi, quod hi decreuerint: id quod ſine imperio horum in illos nequit intelligi. Neque vero in conuentibus ſociorum iure illo maioris partis adeo videtur opus, cum & iſti ex populis non ita multis ſoleant conſtare, & communi vtilitate maxime iungantur, cui nemo ſanus pertinaciter reluctari praeſumitur. Quod ſi tamen alicuius malitioſa [2], & rationi cedere abnuens peruicacia, caeterorum

aliorum ciuilium coetuum inſtituta aeſtimari debent, ni aliud conuenerit. Apud H. GROTIVM L. XVI. Hiſtor. Belgic. ad A. MDCIIX. Ianinus Legatus Regis Gall. *Hoc vno, vt pauciores pluribus cedant, ſtare populorum imperia, aliter caſura. Sic apud Heluetios maiori parti placita, etiam qui contradixerunt, exequi.* Adiiciebat SPENSERVS Angliae Legatus: *Rempublicam, in qua ius plurium ſententiarum non valeat, virgini eſſe ſimilem, quam priſci auctores memorent diſcerptam contendentium inter ſe riualium manibus.* Apud Lycios gentem Aſiae, quae ex viginti tribus ciuitatibus conſtabat, in concilio id decernebatur, quod pars maxima comprobaſſet, teſte STRABONE L. XIV. Geograph. H.

2) Vid. de arce vrbi Groeningae impoſita, & poſt aliquot

rorum ſalubri conſilio ſeſe adiungere adſpernetur, communemque ſalutem aut vtilitatem hoc modo proditum eat, licebit adhibere illa media, quae in naturali libertate viuentibus contra violatores pactorum competunt. Niſi magis placeat eiuſmodi intractabilem ſocieate penitus excludere. Quid quod & ſaepe magna cum iniquitate coniunctum foret, ſi in ſyſtemate ſociorum plura ſuffragia reliquos ſtringerent; quando nempe ſocii diſparibus ſunt opibus, adeoque vnus plura confert ad communem ſalutem, quam alius. Quanquam enim aequalia videantur conferre, qui pro ratione ſuarum opum conferunt: ſaepius tamen contingere poteſt, vt quis modicas ſuas fortunas periculo malit exponere, quam alter opimas. Sic ponamus, in aliquo ſyſtemate vnam ciuitatem ad defenſionem communem plus conferre; quam reliquas omnes coniunctim ſumtas, ſane iniquum foret, iſthanc inuitam per reliquas conſentientes adigi poſſe ad aliquod negotium, cuius onus ipſi maxime eſt incubiturum. Vide Grotii Apologeticum c. 1. ſub finem. Quod ſi autem ſuffragia debeant valere prout quiſque ad ſocietatem confert, eo ipſo praeualidae illi ciuitati in reliquas imperium dabitur. Add. Diodorvs Sicvlvs L. XV. c. 28. Ex quibus omnibus colligitur, ſicubi negotia ex maiori numero ſuffragiorum deciduntur, ita vt diſſentientes quoque obligentur, a regulari forma ſyſtematum diſcedi, & vel irregulare corpus, vel ciuitatem vnam effici.

§. XXI. Dissolvvntvr eiuſmodi ſyſtemata, vbi quidam ſocii a foedere vltro diſcedunt, ſuaſque ciuitates ſeorſim adminiſtrant; quod fere ob eam rationem contingit, ſi plus vtilitatis ex ſeparatione, quam ex coniunctione ſperant, & ſocios oneri magis, ſibi, quam ſubſidio iudicant eſſe. Add. Livivs L. XXXIIX. c. 31. 32. Eadem quoque abrumpunt bella inteſtina, ni cum pace iterum leges foederis renouentur. Vbi bello externo ſyſtema infeliciter fuerit defunctum, quandoque inter artes victoris eſt, foedus diſſoluere, ſingulisque ciuitatibus αὐτονομίαν imperare. Id quod Romani Achaeis quondam faciebant. Conf. Xenophon L. IV. [c. 8. §. 14.] & V. [c. 1. §. 28. Ed. Oxon.] Rerum Graecarum, vbi de pace Antalcidae agit. Eſt praeterea obſeruandum circa diſſolutionem ſyſtematum, quae per vim externam fit, quod vbi vna vel altera ſociarum ciuitatum ab hoſte fuerit occupata, eo ipſo hautquidquam is ad reliquas ius aliquod nanciſcatur, aut ſtatim ex vi foederis, quo victa ciuitas reliquis iuncta erat, in ſocietatem ſit recipiendus. Sed noua omnino conuentione opus eſt, vt quis in locum victae ciuitatis de foedere participet [1]. Sicuti quondam Philippus decreto Amphictyonum in eorum conſeſſum loco Phocenſium adſciſcebatur, apud Diodorvm Sicvlvm L. XVI. c. 61. Quanquam enim foedus, quo plures ciuitates in ſyſtema iunguntur, reale videatur [2]; & ciui-

aliquot annorum decurſum iterum diruta H. Grotivm L. IX. Hiſtor. Belgic. ad A. MDC. & L. XVI. ad A. MDCVII. Exempla vetera de Lacedaemoniis, de Cyrrhaeis, de Phocenſibus, habes apud Diodorvm Sicvlvm L. XV. Biblioth. Aeschynem Orat. contra Cteſiphontem, Demosthenem Orat. de Corona, & Pavsaniam L. X. H.

§. XXI. 1) Si tamen ciuitas ſocia vi hoſtili ſubacta, dein a ſociis recuperata fuerit, aequitas vult, talem in priſtinam libertatem & rerum ſuarum

& ciuitas, mutata Reipublicae forma, eadem eſſe non deſinat: tamen foedus illud expiraſſe cenſebitur, quando ciuitas vi ſub iugum redacta, aut alterius imperii acceſſio facta fuerit. Cum enim foedus initum ſit inter ciuitates vt tales, igitur foedere excidit, quae ciuitas eſſe deſierit. Et ſi vel maxime in foedere ſit cautum, vt ob mutationem Reipublicae a foedere quis non excidat; tamen illa mutatio praeſupponitur debere fieri via legitima, per vltroneum conſenſum populi. Adeoque neque inuaſori iniuſto, neque hoſti extraneo in concilio ſociorum locus erit. In perfectam autem ciuitatem coaleſcere talia ſyſtemata contingit, ſi omnes ſocii ſummo imperio vnius concilii aut hominis vltro ſe ſubiiciant. Item, ſi vnus populus, potentia praepollens, reliquos in prouinciarum conditionem redegerit. Quod fere contingit, quando imbecilliores validiori permanentem aliquam praelationem deferunt, & inaequaliter foederati fiunt. Vid. GROTIVS L. I. c. 3. §. 21. circa finem. Denique ſi vnus fauore militum, aut populari aura, vel per factionem praepotens, imperium inuadat.

§. XXII. SOLET denique hoc loco diſceptari ſuper praeſtantia formarum Reipublicae, quaenam alteri praeferri mereatur eo nomine, quod vel per illam ſalus ciuitatis expeditius & certius procurari poſſit, vel quod vis imperii minus ad abuſum pateat. Vbi hoc quidem apertum eſt [1], nullam formam Reipublicae ita accurate poſſe legibus adornari, quin per ſocordiam aut malitiam imperantium ex illo ipſo regimine, quod in ſalutem ciuium inſtitutum eſt, aliqua incommoda in eoſdem redundare queant. Cuius rei cauſa eſt, quia ſummum imperium eſt inſtitutum ad repellenda mala, quae mortalibus abs ſe inuicem impendent. Atqui illud ipſum imperium fuit conferendum in homines; qui vtique ab iis vitiis, queis homines ad ſe mutuo infeſtandos proritantur, non ſunt immunes. *Vitia erunt, donec homines.* Sic vt aliquando ab his illud experiamur, aduerſus quod iidem praeſidio nobis eſſe debebant. Vnde & contingit, vt *quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.* Ergo vti plenam perfectionem conditio rerum humanarum non admittit; ita, in qua Reipublicae forma minimum malorum ſit metuendum, multi diſputant. Ita tamen, vt plerique pro monarchia calculum ponant. Vid. ISOCRATIS Nicocles. HERODOTVS Thalia, vbi Principes Perſarum poſt interfectos Magos de forma Reipublicae introducenda deliberant. EVRIPIDES Supplicibus verſ. 405. ſeqq. BODINVS de Republica L. VI. c. 4. ARNISAEVS Relect. Polit. L. II. c. 7. ſect. 2. & paſſim plurimi. Ex aduerſo nihil, quod in monarchas maligne aut inuidioſe dici queat, videtur omiſiſſe SCRIPTOR BELGICVS Bilancis politicae. Quorum tamen non pauca retundi poſſunt per c. 10. HOBBESII de Ciue, & Leuiath. c. 19. Sin-

ſuarum dominia reſtitui. Aliud dicendum, ſi pactionibus vltro ſe hoſti dediſſet. Vid. ſub exemplo memorabili Vlric. HVBERVM ad tit. D. de Captiu. & poſtlim. reuerſ. §. 9. & 10. H.

2) Vid. infra L. VIII. c. 9. §. 6.

§. XXII. 1) Bene GROTIVS L. I. de I. B. & P. c. 3. §. 8. n. 1. Qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis. H.

Singula excutere extra noſtrum eſt inſtitutum [2]. Id duntaxat monendum fuerit, iſtorum argumentis tantam hautquidquam ineſſe vim, vt quae inde colliguntur, ſemper & vbique neceſſario euenire debeant. Neque vnius vel alterius facta vniuerſo ordini imitandi neceſſitatem imponunt. Sed & iudicauerim, boni atque commodi ciuis eſſe, meditari illud MARCELLI apud TACITVM H. IV. *Se meminiſſe temporum, quibus natus ſit, quam ciuitatis formam patres auique inſtituerint, vlteriora mirari, praeſentia ſequi: bonos imperatores voto expetere, qualeſcunque tolerare* [3]. Non alienum autem ab hoc loco fuerit, paucis oſtendiſſe, quare tam inuiſi olim fuerint apud Graecos, qui monarchicum imperium in ciuitatibus democraticis & ariſtocraticis inuaſerant, & quare per eiusmodi malas artes conſeruare ſtatum ſuum inſtituerint, quae ab ARISTOTELE & aliis deſcriptae inueniuntur, ob quas tyrannorum vocabulo perpetua velut deteſtatio adhaeſit. Nam ciuitates Graecanicae fere ambitu vnius oppidi continebantur [4]. Qualibus ciuitatibus quam optime competit democratia, aut ariſtocratia modeſte exercita, aut denique regnum, ARISTOTELI dictum heroicum, ſeu principatus auctoritate potius ſuadendi & opinione excellentis virtutis, quam imperio ſubnixus. Et propter erectum & irrequietum ingenium natio Graeca maximopere deperibat illum ſtatum, in quo quilibet partem Reipublicae facere poſſet. In tali ergo ciuitate qui monarchiam, inuiſiſſimam ciuibus, ipſisque inuitis inuaſerat, vt ſe conſeruaret, neceſſum habebat arce vrbem premere, & ſatellitium ſibi validum circumponere, idque exteris conſtans, cum neque ciuibus ſuis fidere poſſet, nec permutatis diuerſorum locorum militibus vnam prouinciam per alteram coërcere. Iſtius exteri ſatellitis fides ſola ſtipendiorum magnitudine erat pigneranda; inde vt ſumtus ſuppeterent, ciues tributis erant attenuandi; tum iidem exarmandi & ad imbelliam redigendi, ſumma papauerum capita demetenda, conuentus ciuium prohibendi, inquiſitores alendi. Vnde non iniuſti ſolum, ſed & veſani erant iſti tyranni, qui tale imperium affectabant, quod per malas artes, quae ad diuturnitatem non facerent, erat conſeruandum, & vbi ciuium amorem adquirere non dabatur. Et aeque incongruum in ciuitate monopoli monarchiam inſtituere, quam in aliquo populo, latam regionem inſidente democratiam. Enimuero cum monarchiae, magna terrarum ſpatia amplexae, hiſce artibus ad ſui conſeruationem non indigeant; quippe in quibus vna prouincia per alteram librari poſſit; ideo non minus turpiſſime peccant, qui monarchis magnorum populorum iſtas tyrannorum artes exercendas ſuggerunt, quam qui odium tyrannorum iſtorum Graecanicorum in quosuis monarchas transfundere ſatagunt. Ex

2) Forte autem controuerſia haec componi poteſt diſtinctione inter ciuitatem ex voto & plerumque optimam. De quo alibi. H.

3) Add. MAXIMVS TYRIVS Diſſert. VI. p. 66. Edit. Dauiſianae, vbi is Ariſtocratiam quidem Democratiae, ſed hanc Monarchiae praeferendam eſſe docet, & MONTAGNE, L. III. c. 9. p. 711. Edit. Pariſ. in fol. & SIDNEIVS in libello de Gubernatione Sect. 16. c. 11. vsque ad finem capitis, denique PARRHASIANA T. II. p. 161.

4) Verior ratio eſt, populos liberos ideo auerſari Reges; quoniam ipſi parent legibus, in quibus libertatem contineri, & e contrario ſub Regibus ſeruitutem eſſe putant. Accedit in liberis ciuitatibus, etiam qui de plebe ſunt, partem facere

Ex quibus & hoc patet, in magna ciuitate longe ſecurius degere monarchas, quod non ita facile communicari inuicem & coniungi poſſint refractarii ciues, caeteroſque contactu ſuo inficere; ſicut in ciuitate, quae vno oppido continetur, fieri poteſt, vbi pauci repente & antequam imperans deprehendat, furorem ſuum in vniuerſos diffundere poſſunt [5].

* *

CAPVT VI.

DE AFFECTIONIBVS SVMMI IMPERII.

I. *Imperium in ciuitate quare ſummum dicatur?*
II. *Illud qui habet eſt ἀνυπεύθυνος,*
III. *Et legibus humanis ſuperior.*
IV. *De diſtinctione inter maieſtatem realem & perſonalem.*
V. *Reges vniuerſo populo ſuperiores eſſe poſſe, oſtenditur.*
VI. *Et rationes in contrarium diſſoluuntur.*
VII. *Imperium abſolutum quid?*
VIII. *Non deprehenditur aeque in omnibus Rerumpublicarum formis.*
IX. *Imperia limitata vnde?*
X. *Quibus pactis illa exſiſtant.*
XI. *Qua ratione diuerſae partes imperii limitentur.*
XII. *De poteſtate ordinum.*
XIII. *Hobbeſio reſpondetur.*
XIV. *Modus habendi imperium quotuplex?*
XV. *An detur ſummum imperium temporarium?*
XVI. *De regnis patrimonialibus.*
XVII. *De regnis libero conſenſu populi conſtitutis.*

INTER affectiones imperii primo loco occurrit, quod idem ſit, & dicatur *ſummum.* Cuius denominationis potiſſima cauſa haec videtur, quia maior quam iſthaec poteſtas homini in hominem nequit competere, quam vt hic ad iſtius arbitrium vires opeſque ſuas adplicare ad bonum publicum teneatur, ac iuri vitae, & necis obnoxius ſit. Quo & hoc accedit, quod, vti ſingulorum hominum nulla maior libertas, poſito Dei imperio, intelligi poteſt, quam vt proprio ex iudicio de actionibus, viribus, & faculta-

tibus

cere Reipublicae, horum vero proprium eſſe, vt alto loco poſitos oderint: Reges e diuerſo illos deſpicere. Hinc Ordines Foederati Belgii apud H. GROTIVM L. VI. Hiſtor. Belgic. ad A. MDXCVII. aiunt: *Reipublicae nomen nunc non minus inuiſum, quam olim populo Romano praepotente regium nomen erat.* Idem GROTIVS dicto Libro 6. in calce obſeruauit: *Reges inter, certam legem concordiae, abſtinere in poſterum iniuriis, factorum impunitatem accipere & dare: Principem & populum ſi recomponas, alterum potiri regum arbitrio; alterum lucro, quod vtrique peccatum eſt.* In imperio late patente aeque tyrannicis artibus locum eſſe poſſe, exemplum Tiberii & ſucceſſorum in Imperio Romano liquidum faciet. Adde de Rege Ceylonenſium Robertum KNOX Narrat. de Inſula Ceylon L. II. c. 3. H.

5) Conf. GRAVINAE Origines Iuris Ciuilis L. III. §. 11. p. 313. editionis meae Lipſienſis.

tibus ſuis poſſint diſponere; ita in coetu aliquo ſumma libertas inde ſit metienda, quod iſte proprio, & aliunde non dependente iudicio [1] poſſit decernere de illis, quae ad commodum & ſalutem ipſius facere videbuntur [2]. Ex quo & illud conſequitur, quia id imperium eſt ſummum, ſeu a ſuperiore homine in his terris non dependens; ideo non poſſe ipſius actus alterius voluntatis humanae arbitrio irritos reddi. Nam vt quis propriae voluntatis decreta mutare queat, id ipſum ex libertate eſt [3].

§. II. Eandem quoque ob rationem ἀνυπεύθυνος erit, qui ſummum imperium obtinet, id eſt, neque rationibus reddendis, neque poenae humanae obnoxius. Vtrumque enim ſuperiorem praeſupponit, qualis heic citra contradictionem intelligi nequit; cum ſummo ſuperius in eodem ordine dari nequeat. Sallvstivs Iugurth. [c. 36.] *Impune quidlibet facere, id eſt regem eſſe.* Plinivs Panegyr. [c. 6. num. 1.] *Illud in principatu beatiſſimum, quod nihil cogitur* [1]. Obſeruandum tamen eſt, duplici modo rationem reddi; vel vt ſuperiori, qui niſi eandem ipſi adprobauero, acta mea reſcindere & poenam infligere inſuper queat; vel vt aequali, & cui ſimpliciter mea geſta probari volo, eo duntaxat fine, vt vir bonus & prudens ab ipſo habear. Priori modo ſummum imperium nemini homini [2] rationem tenetur reddere, poſteriori modo ſaepe conantur famae curioſi principes [3] rerum ſuarum rationes vniuerſo orbi reddere, tuendae exiſtimationis cauſa; id quod nihil ſubiectionis arguit. Sic de propria pecunia erogata facere mihi licet quod lubet; & tamen interdum rationes meas extare volo, vt ne pro diſſoluto, aut ſtolido patrefamilias habear. Sic nec poena in eo poteſt locum habere, pro quo nullum extat forum, neque iudex, qui ſententiam ferre poſſit, & exſequi. Nam fora,

§. I. 1) Quod ſi eſt, Princeps, qui poteſtatem habet limitatam, non erit ſummus imperans, quoniam in negotiis ab arbitrio eius exceptis nihil valide agere poteſt, niſi populus antea, vel ii, qui populum repraeſentant, conſulti conſenſerint. Ipſe tamen Avctor noſter contrariam ſententiam tuetur in §. 10. huius capitis. Debebat igitur talibus verbis vti, per quae Maieſtas & limitatam & abſolutam habentibus poteſtatem ſalua eſſet. Melius igitur ſimpliciter dicemus, Quod actus imperantis a nemine, tanquam a ſuperiore irriti reddi poſſint.

2) Adde, ne detur progreſſus in infinitum, conſiſtendum eſſe in aliquo coetu vel homine; qui ſuperiorem agnoſcat neminem. H.

3) Vid. ſupra L. I. c. 6. §. 6. *Neque imperare ſibi, neque ſe prohibere quemquam poſſe*, eſt in *L. 51. D. de Recept. arbitr.* H.

§. II. 1) Vid. Grotivs L. I. c. 6. §. 2. num. 2. Ceterum quicquid hic ab Avctore dicitur, id cum reſtrictione accipiendum eſt, niſi iure ſuo iam exciderit Princeps. Conf. c. 8.

2) Vid. Commentarius Avctoris noſtri ſub Monzambani nomine editus de Statu Imperii Germanici c. 6. §. 7.

3) Promulgando cauſas belli, aut calumnias ab inimicis vulgatas diſpellendo. H.

4) Vti in Galliae regno aliisque, nec non in Principatibus Germaniae. Vid. Bodinvm L. III. de Republ. c. 6. vbi tradit, in Gallia regium nomen reticeri, & cauſas huiusmodi procuratorio nomine agi. Bvsivs *ad L. 10. D. de Iurisdict.* Strvvivs Ex. 4. Syntagm. iur. Ciuil. §. 56. Ioan. Scheffer Memorab. Sueticae gentis c. 11. §. 4. & 5. H.

5) Vid. infra L. VIII. c. 10. §. 6. H.

6) Et Hebraeorum Regum, qui male regnaſſent, cadauera extra proprium Regibus locum ſepulta, 2 Paralip. XXIV, 25. & XXIIX, 27. Iosephvs L. VIII. Antiqu. Hiſtor. c. 3. & 5. H.

§. III. 1) Et tamen Hobbesivs non dubitauit pronunciare c. 12. de Ciue §. 4. *ſummos imperantes peccare non poſſe, adeoque nec cum ratione vnquam culpandos eſſe, quoniam non ſubiiciantur legibus ciuilibus & nemo obligetur ſibi.* Nimirum is perſuadere voluit, leges naturae proprie vim obli-

Digitized by Google

ra, quae in ciuitatibus extant, ad ſubditos tantum ſpectant, & omnem vim ab ipſo ſummo imperio mutuantur. Quod ſi autem principes alicubi in proprio ſeſe foro conueniri patiuntur [4], ſuper debitis, & ſimilibus cauſis, id non fit, quaſi forum iſtud agnoſcerent ſe ſuperius, & cuius poteſtate cogi poſſent: ſed tantum liquido actoris praetenſionem cognoſcere cupiunt, de qua vbi conſtiterit, vltro obligationem ſuam explere volunt [5]. Eſt tamen ſermo proprie de poena humana, quam iudex humanus tanquam ſuperior infligit. Nam diuina poena variis ſeſe modis ſolet exſerere erga violatores legis naturalis, quibus alias tribunalia humana hautquidquam metuenda ſunt. HORATIVS L. III. Od. I. [v. 6.] *Reges in ipſos imperium eſt Iouis.* Quod autem Aegyptii defunctis regibus, qui imperium praue geſſerant, ſepulturae honorem denegabant [6], vix poenae rationem videtur habere. Vid. DIOD. SICVLVS L. I. c. 72.

§. III. EO IPSO quoque, dum imperium ciuile ſummum fertur, legibus humanis ſolutum, aut potius ſuperius intelligitur. De diuinis enim & naturalibus legibus quaeſtionem mouere ſtolidum fuerit [1]. PLVTARCHVS ad Principem indoctum. [p. 780. C.] *Quis ergo imperabit principi? Lex, omnium rex mortalium atque immortalium, vt ait Pindarus, non ea foris ſcripta in libris, aut lignis inſculpta: ſed viua in ipſius corde ratio, ſemper vna habitans atque excubans, & animum nunquam ſinens eſſe principatus vacuum* [2]. SENECA Thyeſte. [v. 612.] *Omne ſub regno grauiore regnum eſt.* Humanae autem leges nihil aliud ſunt, quam ſummi imperii decreta [3] circa ea, quae ſubiectis ad ſalutem ciuitatis obſeruanda ſunt. [Iſtae [4] enim leges a ſummo imperio tam in origine, quam in duratione dependent.] Hiſce directe non obligari ſummum imperium patet [5]. Summum enim eſt: ergo a ſuperiori homine obligatio ipſi non poteſt

obligandi non habere, niſi eam a iure ciuili acceperint. Quod etiam de ſecunda Decalogi tabula aſſerit. Vid. c. 14. §. 9. ſequ. c. 17. §. 10. Conf. Leuiath. c. 33. Quae AVCTOR infra ex profeſſo refutat L. VIII. c. 1. §. 2. & 3. CVMBERLAND. Diſquiſ. de Iure natur. c. 9. §. 18. Conf. infra c. 8. §. 2. H.

2) Ἀλλ' οἱ πολλοὶ κακῶς φρονοῦντες οἴονται πρῶτον ἐν τῷ ἄρχειν ἀγαθὸν εἶναι, τὸ μὴ ἄρχεσθαι - - - τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, (ὥς φησι Πίνδαρος) οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένος οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τὴν ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας. Addatur BVDDEI Diſſertatio de Principe legibus humanis, ſed non Diuinis ſoluto.

3) Eundem hic errorem errat AVCTOR, qui in nota 1. ad §. 1. notatus fuit. Neque hoc enim Principibus, quorum poteſtas limitata eſt, conuenit, quoniam, etſi ab iis confirmentur populi ſcita, aut Senatus populum repraeſentantis Conſulta, eoque his actibus vis & robur addatur negotiis, quorum plena diſpoſitio Principi non fuerit relicta; ipſorum tamen non eſt, ea reuocare, aut mutare ſine conſenſu populi vel Senatus. Dicta praeterea AVCTORIS nonniſi ad actiones Principum pertinent, non autem ad effectus, quos Leges, quas abrogat, inter ciues iam produxerunt. Vid. ſupra L. I. c. 6. §. 6.

4) Haec verba vncis incluſa adiiciuntur ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 9. §. 3.

5) Vbi tamen excipiendi actus, qui a ſummo imperante, non qua tali, ſed quouis alio fieri ſolent, vt contra Vaſquium recte diſputat H. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 14. §. 6. n. 2. AVCTOR infra L. VIII. c. 10. §. 4. Quanquam heic coactio locum non habeat, & ſummus imperans, vt aliorum, ita ſuos quoque actus legibus hiſce ſoluere poſſit. Quod an facere voluerit, ex circumſtantiis diiudicandum, & ſi fecerit, aeſtimanda res ex mero iure naturali. Exemplum eſt in *L. 26. de Donat. inter vir. & vxor.* Ex qua lege mendoſe quidam colligunt, contractus Principis inſtar legis eſſe, & vim legis obtinere: cum ibi potius leges & contractus ab Imperatore initi inter ſe contendantur, quatenus vtrobique nudum placitum ſine ſolennitate ſufficiat. H.

eſt accedere. Seipſum autem per modum legis, id eſt, per modum ſuperioris obligare nemo poteſt. Vid. HOBBES de Ciue c. 6. §. 14. [6] Etſi velut per reflexionem ſua obligari lege quandoque legislatorem conſtet, ex aequitate naturali, & decoro publico [7], vt quod in moribus ciuium tanquam bono publico expediens exigit, ipſe quoque ſeruet, excitando ſubiectorum obſequio, & ne vetando vitia, in quibus ipſe volutatur, eorundem dulcedinem aliis inuidere videatur. Vid. 1 Samuel. XIV, 40. PLINIVS Paneg. [c. 45.] *Vita principis cenſura eſt, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe infidelis recti Magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quae inprimis hoc in ſe boni habent, quod adprobant, quae praecipiunt fieri poſſe.* Nec erubeſcendum regibus, quod ATHENAEVS L. X. [c. 10.] ex Cteſia tradit; apud Indos regi non licere inebriari; apud Perſas vero id concedi regi die vno, quo ſacrificant Mithrae. CLAVDIANVS de IV. Conſul. Honorii. [v. 296. & ſeqq.]

In commune iubes ſi quid, cenſesque tenendum,
Primus iuſſa ſubi, tunc obſeruantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

LIVIVS L. XXVI. c. 36. *Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas.* PLINIVS L. IV. Epiſt. 22. *Vt in corporibus, ſic in imperio, grauiſſimus eſt morbus, qui a capite diffunditur.* IVSTINVS III. 2. 8. Roſarium Perſicum c. 1. *Si rex ex ſubditi horto vnum pomum comederit, ſerui ipſius arborem ipſam eruerint. Si rex quinque ouorum iniquitatem licitam duxerit; Continuo milites eius mille gallinas veru fixerint.*

§. IV. AD vindicandam huius imperii ſummitatem, in monarchiis cumprimis, excutienda eſt vulgata diſtinctio maieſtatis in *realem* ac *perſonalem* [1]. Quam

6) Et GROTIVS L. II. c. 4. §. 12. num. 1. ad quem Sophiſticae cauillationis virum ſummum accuſat I. Fr. GRONOVIVS in notis, cuius vanam eriminationem ſuſtulit Cl. BARBEYRACVS in nota 4.

7) Exemplo THEODOSII & VALENTINIANI, qui in *L. 68. C. Theod. de Appellat.* reſcripſere: *Salua noſtrae reuerentia maieſtatis, ius nobis cum priuatis non dedignamur eſſe commune.* Vid. plur. Iacob. GOTHOFRED. *ad L. 2. C. de Teſtam.* H.

§. IV. 1) Vid. Elem. Prudent. ciuil. Part. I. ſect. 6. §. 5. H.

2) Eſt haec doctrina Franc. HOTMANI in Franco-Gallia, Stephani Iunii BRVTI in Vindiciis contra tyrannos, & aliorum Monarchomachorum. Conf. OBSERV. HALENS. VI. 1. BOEHMERI Introductio in Ius publicum vniuerſale p. 124. & BVDDEVS Hiſt. Iur. nat. & gent. §. 52.

§. V. 1) Et inprimis Politic. L. III. c. 16. Edit. Pariſ. vbi rationes eorum recenſet, qui Monarchiam Naturae contrariam eſſe putant. Monarchia autem *plena* & *abſoluta* huic Philoſopho adpellatur ciuitas, in qua Rex negotia publica eadem, pro lubitu, auctoritate regit, qua paterfamilias familiam & libera Respublica ſemet-ipſam. Αὕτη δ' ἐστι (Παμβασιλεία) καθ' ἣν ἄρχει πάντων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεὺς - - ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν, ὥσπερ ἕκαστον ἔθνος, καὶ πόλις ἑκάστη τῶν κοινῶν, τεταγμένη κατὰ τὴν οἰκονομικήν· ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστιν, οὕτως ἡ βασιλεία

Quam quidem nos non abſurde modo, ſed & perniciofe ad imperium adplicari iudicamus eo ſenſu, vt reali & perſonali maieſtati ſimul & eodem tempore in ciuitate monarchica locus praebeatur; adeoque in regno regi tribuatur imperium perſonale, populo, prout regi contradiſtinguitur, reale [a], & quidem hoc illi par, aut ſuperius; prout alias iura realia perſonalibus nobiliora fere habentur. Hoc enim contradictionem inuoluere, & ciuitates facere bicipites, non ſine exitiabili conuulſione, in aprico eſt. Neque ideo neceſſum eſt duplicem maieſtatem fingere, quod extincto rege, aut familia regnatrice, populus ſui iuris euadat, hactenus, vt pro lubitu alium regem aut aliam Reipublicae formam poſſit conſtituere. Non magis quam fingendum eſt in ſeruo imperium reale, imperio domini perſonali contradiſtinctum, ideo quod extincto ſine haerede domino, ſeruus ſui iuris fit. Neque ad rem facit, quod GROTIVS L. I. c. 3. §. 7. aliique ſubiectum ſummae poteſtatis faciunt *commune*, vel *proprium*, quorum illud ſit ciuitas, hoc vnus homo, aut concilium vniuerſorum, vel paucorum. Nam ſenſus iſte eſt: ſi quaeratur confuſe, vbinam ſummum imperium reperiatur, reſpondetur, illud exſiſtere in quauis ciuitate: ſi quaeratur diſtinctius, quaenam perſona imperium in ciuitate habeat, reſpondetur, vel rex, vel ſenatus, vel populus. Sed quis inde inferat, dari duo diſtincta imperia, quorum vnum reale in ciuitate reſideat, alterum perſonale in rege? Sicuti ineptus fuerit, qui duos diſtinctos viſus in homine fingere velit; vnum, qui ſit in homine tanquam in ſubiecto communi, & alterum, qui in oculo tanquam in ſubiecto proprio.

§. V. FVERVNT, qui aſſerere non dubitarent; imperium regis vniuerſo populo nec poſſe nec debere eſſe ſuperius. Cui non parum patrocinari videtur ARISTOTELES Pol. L. III. c. 15. [in fine.] [1] Qui IDEM dicto loco c. 11. tradit: Δεῖ γὰρ τὸν βασιλέα μὲν ἔχειν ἰσχύν· εἶναι δὲ τοσαύτην τὴν ἰσχὺν, ὥστε ἑκάστου μὲν καὶ ἑνὸς καὶ συμπλειόνων, κρείττω, τοῦ δὲ πλήθους, ἥττω. *Poteſtatem quidem regem habere oportet; tantam vero poteſtatem eſſe, vt ſingulis quidem, & vno, & pluribus ſit maior, multitudine vero minor.* Iſtos homines ſibi oppugnan-

ἀλλὰ πόλεως καὶ ἔθνους ἑνὸς, ἢ πλείονος οἰκονομία. c. 16. in princip. & c. 14. in fine. In capite deinde 17. Princeps Philoſophorum quaeſtionem ſecundum principia ſua decidit, & dicit: Quemadmodum cuiuis populo pro indole ipſius certa conueniat Reipublicae forma, ſic, ſi in gente quadam, quae Monarchiam ferre poſſit, ciuis aut familia quaedam exſiſtat reliquas omnes virtute praecellens, tunc aeque iuſtum eſſe, vt huic ciui vel familiae abſolutum deferatur imperium. Βασιλευτὸν μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστι πλῆθος, ὃ πέφυκε φέρειν γένος ὑπερέχον κατ' ἀρετὴν πρὸς ἡγεμονίαν πολιτικήν - - ὅταν οὖν ἢ γένος ὅλον, ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἕνα τινὰ συμβῇ διαφέροντα γενέσθαι κατ' ἀρετὴν, τοσοῦτον, ὥστ' ὑπερέχειν τὴν ἐκείνου τῆς τῶν ἄλλων πάντων τότε δίκαιον τὸ γένος εἶναι τοῦτο βασιλικὸν, καὶ κύριον πάντων, καὶ βασιλέα τὸν ἕνα τοῦτον - - ὥστε λείπεται μόνον τὸ πείθεσθαι τῷ τοιούτῳ καὶ κύριον εἶναι μὴ κατὰ μέρος τοῦτον ἀλλ' ἁπλῶς. Minime itaque Ariſtoteles, Regem vnquam abſoluto gaudere imperio poſſe, negat, quod AVCTOR prae ſe ferre videtur. Equidem conſtat, virtutes, quas Ariſtoteles a tali Principe exigit, rariſſime in eadem perſona inueniri, vnde SIDNEIVS c. 3. ſect. 23. contendit, talem hominem ab eo quaeri, qui nusquam reperiatur, vt manifeſtum ſit, nunquam imperium abſolutum, vni ciui, vel vni familiae deferendum eſſe. Sed Philoſophus non de virtute vsque quaque perfecta, ſed de tali loquitur, qualis in hominibus deprehendi ſoleat, modo enormiora abſint vitia, quibus tyranni dignoſcuntur. In loco Ariſtotelis, qui ab AVCTORE adducitur, non agitur de imperio populi imperio Regis ſuperiore, ſed potius de viribus, quae in Principis manu poſitae ſunt ad vim tribuendam legibus, & reprimendos ſubditos rebelles.

gnandos ſumſit GROTIVS [a] dicto loco §. 8. Vbi primo oſtendit, licuiſſe alicui populo penitus & ſine exceptione imperium in ſe aliis tranſcribere; cum & ſingulis liceat in ſeruitutem perſonalem alteri ſeſe addicere. Vid. Exodi XXI, 6. Leuit. XXV, 39. add. SELDENVS L. VI. c. 7. *L. 37. D. de Liberali cauſa. L. 10. C. d. t. L. 7. §. 3. L. 33. D. d. t. L. 4. D. Quib. ad libert. proclam. non licet. §. 4. Inſtit. de Iure perſon. & L. 6 §. 5. D. de Iniuſt. teſtam.* Nouella LEONIS LIX. De antiquis Gallis CAESAR de B.G. L.VI. [c. 13.] *Plerique de plebe, cum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſeruitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia ſunt iura, quae dominis in ſeruos.* Etſi de caetero indignum videatur, ciues ſub abſoluto monarcha viuentes mancipiis comparare. CLAVDIANVS L. III. de Laudib. Stiliconis: [v. 113. & ſeqq.]

Fallitur, egregio quisquis ſub principe credit
Seruitium; nunquam libertas gratior extat,
Quam ſub rege pio - - - -

Huc facit illud Apollonii Thyanaci apud PHILOSTRATVM L. V. c. 12. *Ὥσπερ εἷς ἀρετῇ προὔχων, μεθίστησι τὴν δημοκρατίαν ἐς τὸ ἑνὸς ἀνδρὸς τοῦ ἀρίστου τὴν ἀρχὴν φαίνεσθαι, οὕτως ἡ ἑνὸς ἀρχὴ πάντα ἐς τὸ ξυμφέρον τοῦ κοινοῦ προορῶσα, δῆμός ἐστιν. Sicut vir vnus alios virtute ſuperans popularem gubernationem ita transmutat, vt vnius hominis imperium eſſe videatur: ita vnius hominis principatus ad communem vtilitatem omnia dirigens inſtar popu'i merito habendus eſt.* Add. HOBBESIVS de Ciue c. 10. §. 8. Deinde afferuntur occaſiones & cauſae, quibus compulſus populus aliquis ius totum imperandi abs ſeſe abdicare, & alteri tradere potuerit. Quarum complures complectitur CICERO Offic. II. [c. 6.] *Atque etiam ſubiiciunt ſe homines imperio alterius, ac poteſtati pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut beneuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praeſtantia, aut ſpe ſibi vtile futurum, aut metu, ne parere cogantur: aut ſpe largitionis, promiſſionibusque capti: aut poſtremo, vt ſaepe in noſtra Republica vidimus, mercede conducti.* Grotio iſtae adducuntur; ſi accidat, vt populo ab hoſte excidium immineat, ad quod effugiendum nulla alia pateat via, quam ſi citra reſeruationem ſub alterius ditionem concedat. Vid. LIVIVS L. VII. c. 31. ſi inopia preſſus aliter non habeat, vnde ſe ſuſtentet. Vid. Geneſ. XLVII, 19. Si paterfamilias latifundia poſſidens neminem alia lege in ſuas terras habitatum recipere velit, quam abſolutam ab ipſo ſubiectionem ſtipulatus: aut ſi quis magnam ſeruorum copiam ea lege manumittat. Quin & eiusmodi regiminis forma genio alicuius populi congruere poteſt. Neque vero ſemper degeneris eſt, aut abiecti indicium animi, abſoluta monarchia gaudere; quod plerisque in democratia natis videtur; apud quos eo nomine Cappadoces male audiunt, quod oblatam a Romanis libertatem adſpernati ſint. Vid. STRABO L. XII. [p. 540. Ed. Pariſ. 815. Ed. Amſt.] & IVSTI-

2) Idem argumentum pecul. differt. *an ſumma rerum ex inſtituto naturae ſemper ſit penes populum* excolui Tom. I. Comment. atque Opuſcul. II.

§. VI. 1) Refellitur hiſce in primis AVCTOR Vindiciarum contra tyrannos. Vid. Quaeſtio III. huius libri pag. 67. & ſeqq. Edit. Francof. 1622.

2) Ver-

IVSTINVS L. XXXVIII. c. 2. EVRIPIDES Helena [v. 283.] ex communi Graecorum opinione: Τὰ βαρβάρων δῦλα πάντα. πλὴν ἑνός. *Omnes barbari ſerui, excepto vno rege.* Quin populis, in quibus multi ſunt homines impotentes, ambitioſi, elati, & aequalitatis impatientes libertas popularis eſt pernicioſiſſima: iidem regnum facile patiuntur. Nam malunt vni parere, & reliquos eminere, quam aequali cum omnibus conditione degere; *& dominari vt poſſint ſeruire, volunt.* AVSONIVS [Eidyll. XV. v. 37. 38.] Imo *Oriens* vsque adeo *Regibus ſuetus* & olim & nunc, vt NEVHOF in Legatione referat, *Chinenſes non potuiſſe animo concipere, quid rei eſſent Ordines Hollandiae*, quod praeter monarchiam nullum regiminis genus norint. Et Rex Pegu, cum ipſi referretur, imperium apud Venetos eſſe penes Senatum, effuſiſſime riſit, velut rem plane abſurdam, vti refert Caſpar BALBI Venetus, in Itinerario. Aſt popularem libertatem bene ferre non poſſunt, niſi temperato ſpiritu homines, ſedatis affectibus, & aequo animo intra aequalitatem ſate regnari. Saepe denique ciuitates liberae per turbas inteſtinas eo rediguntur, vt niſi ſub vnius abſoluto imperio ſaluae nequeant eſſe; & *cum domino pax iſta venit.* LVCANVS L. I. [v. 670.]

§. VI. POTIVS eſt excutere rationes eorum, qui realem iſtam, quam fingunt, maieſtatem populi ſupra reges euehere gaudent. Iactant omnes reges a populo conſtitutos [1]. Atqui naturale eſſe, vt conſtituens ſit conſtituto ſuperior. Verum licet ad quorumlibet regum conſtitutionem populi conſenſus interueniat; inter modos tamen, quibus ille elicitur, magna eſt differentia. Quidam enim populi vltro ſibi regem ſumunt; reliqui bello aut alia neceſſitate ſubacti regem accipiunt, quem extra iſtiusmodi caſum hautquaquam optabant. Atqui communis loquendi vſus fert, vt illi demum reges a populo dicantur conſtituti, quos iſte vltro ſibi ſumſit. Qui per vim bellicam, aut ſimili modo conſenſum extorquent, non a populo conſtituti, ſed populum ſibi ſubiecisse dicuntur. Deinde tunc demum conſtituens conſtituto eſt ſuperior, ſi penes iſtum ſemper ſit, quousque hic eo, quo poſitus eſt, loco debeat ſubſiſtere. Sed quandoque ab initio quidem vltroneae voluntatis eſt, quem velis conſtituere; conſtitutione ſemel facta, [1] conſtitutum ferre neceſſitatis ſit. Aliqui ſic reſpondent. Conſtituit quis aliquem vel in caput tertii, vel in caput proprium. Prior conſtituto ſane ſuperior eſt. Praeſupponitur enim, iſtum tertium ſub huius eſſe poteſtate, & deinceps quoque manere. Vnde neceſſarium eſt, conſtitutum quoque ab iſtius voluntate dependere. Cum enim non poſſit vnus duobus dominis non ſubordinatis ſeruire, non poſſum ſubiecto meo dominum imponere, vt non in hunc mihi maneat poteſtas; adeoque hic ſubordinatus duntaxat fiat dominus. Sic populus liber, qui ducem ſuis militibus imponit, & illo, & his ſuperior eſt, & manet. Aſt qui aliquem conſtituit in ſeipſum [2], ſeu qui imperium alteri in ſe confert, non magis eo ſuperior

2) Verbo, axioma illud non procedit in pactis rectoriis. Vid. ſupra c. 2. §. 10. Id quod etiam exemplo ſerui, ſe in ſeruitutem addicentis, & litigantium in arbitros compromittentium intelligitur. Vid. ſupra L. V. c. 13. §. 4. circa extrem. H.

rior manere poteſt, quam idem eodem tempore imperare & parere. Pergunt, cum omne regimen ſit eorum cauſa, qui parent, non qui imperant, ſeu quia rex eſt propter populum, non populus propter regem; ideo populum vtique rege ſuperiorem eſſe. Id enim ſane, propter quod aliud eſt, nobilius videri eo, quod in iſtius gratiam eſt inſtitutum. Enimuero non omne imperium, puta herile, eſt introductum in eorum gratiam, qui parent. Quanquam ſi dominus ex ſuo imperio fructum capere velit, neceſſum eſt, vt ſerui quoque curam agat [3]. Deinde non id quaeritur: pluris ſit perſona regis, an totus populus, ſi alterutri vtique ſit pereundum; ſed an quia imperium ciuile repertum eſt ad emolumentum vniuerſitatis, iudicium de procurando iſto fine ſit potius penes eos, qui ſuam voluntatem voluntati regis ſubdiderunt, an vero penes eum, cuius iudicio atque conſcientiae ſumma rerum fuit concredita. Aliqui ex eo, quod populi ob peccata regum puniti leguntur [4], inferunt, penes populum fuiſſe eosdem peccantes coërcere; id quod ſine poteſtate, quae regium ius ſuperet, intelligi nequit. Hautquidquam enim imputari mihi factum alterius poteſt, ad quod ego nihil contuli. Iam autem fingi non poteſt, quomodo populus de reatu peccati regii, quod inprimis iſti diſplicuit, participare potuerit, niſi quia regem plectere omiſit. Verum id pro certo habemus [5], peccata regum in ſe non deriuare aliquem reatum in ſubditos, niſi ipſi poſitiue quid ad iſta contulerint. EVRIPIDES Supplicibus: [v. 879. 880.] Ὀυδὲν αἰτία πόλις κακῶς κλύουσα διὰ κυβερνήτην κακόν. *Culpa vacat res publica, male audiens propter gubernatorem malum.* Ex omiſſione autem prohibitionis aut poenae hautquidquam iſti poſſint reatum contrahere; quippe cum ipſi tanquam inferiores regum peccata neque poſſint, neque teneantur prohibere, aut punire. Nam vti facultas, ita & obligatio alterius delicta prohibendi ex poteſtate in alterum prouenit, ſeu ex imperio, quod ius alterius actiones dirigendi inuoluit. Vnde neque antequam rex conſtitueretur, caeteri ex eius facto teneri poterant, cum aequalis in aequalem non habeat imperium; neque poſtquam rex eſt conſtitutus. Abſurdum quippe eſt dictu, illos, qui ante collatum in aliquem imperium velut in aequalem non habebant poteſtatem pro imperio aut violenter ipſius peccata prohibendi, eandem accepiſſe, poſtquam eidem in ſe dederunt imperium. Sed neque ex illo pacto, quo ſubditi in regem abſolutum imperium contulerunt, peccata regum ſubditis imputari poſſunt. Nam illo pacto impunitatem ciues regi non dederunt, ſed quam antea ex libertate naturali habebat, ipſi reliquerunt; cum alias nulla ratione imperium ſummum gerere poſſet, niſi a poenis humanis foret exemtus. Ad exemplum 2 Samuel. XXIV. a GROTIO dicto loco ſat reſponſum. Notabilis quoque locus eſt apud MARTINIVM Hiſt. Sinicae L. III. c. 1. qui ad d. cap. XXIV, 17. facit. Quod aliqui dicunt; vti qui ſe in ſeruitutem dedit, ius retinet, ex ſeruitute iterum ſeſe eripien-

3) Ὀυ γὰρ ἐνδέχεται, φθειρομένου τοῦ δούλου, σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν. *Fieri enim nequit, vt, intereunte ſeruo, conſeruetur familiare imperium.* ARISTOTELES III. Pol. 4. H.

4) Vid. Iunii BRVTI Vindiciae contra tyrannos p. 29. & ſeqq.

5) Intelligendum hoc de foro diuino. Vid. ſupra c. 2. §. 14. infra L. VIII. c. 6. §. 13. H.

6) Commoda quaedam eius eſſe, praeſertim quod percuſſores falſorum numorum eosue radentes ſiue circumcidentes, item raptores in viis publicis

eripiendi; ita par ius competere populo, qui monarchicum iugum ſubiit: id nemo ſanus admiſerit, niſi addatur, vt id fiat bona cum venia domini, aut regis, quaeſito ſibi iure vltro cedentis. Add. XENOPHON Cyrop. L. III. princ. Falſum quoque eſt, populum, cuius ingenio abſolutum quondam imperium congruebat, vbi ſucceſſu temporis ſeruilem indolem exuerit, imperium recte excutere, & in popularem ſeſe libertatem vindicare. Nam ſi talis caſus emerſerit, principi incumbet, ad mutatum populi genium regimen prudenter attemperare. Inepte dicitur; cum dominus re ſua abutens coërceri poſſit, aut eidem bonis interdici, principem quoque poteſtate ſua praue vtentem in ordinem poſſe redigi. Nam prioris ratio eſt, quod principi ſuperius ius competat in bona ciuium, quae ne inutiliter dilapidentur Reipublicae intereſt. At quis dixerit; ſubditis competere eminentius quoddam ius in iura principis, id eſt, eosdem domini ſui dominos eſſe? Ad dicta principum, quorum nonnulla ad iactantiam compoſita ſunt, reſpondetur; principem vtique debere omnia referre ad ſalutem populi. Sed ex eo nondum conſequitur; ciues coërcere poſſe principem, quando iudicauerint, ipſum media parum idonea iſti fini adhibere. Abſurde traditur; cum populus non habeat ius ſeipſum extinguendi; aut in corpus ſuum atrociter ſaeuiendi, in regem quoque non poſſe tale ius transferri. Quis enim regi ius extinguendi populum aſſeruerit? Abſolutum imperium non eſſe rem adeo formidabilem, mox oſtendetur [6]. Quid autem liceat populo, vbi rex aperte ad perdendum populum ruit, alibi diſpiciendum erit [7]. Nequidquam allegantur conſules, & quiuis alii magiſtratus [8], qui itidem ſupra populum conſtituti dicuntur, & tamen a populo quandoque in ordinem redacti ſunt. Quod ex ſacris hiſtoriis afferunt; Ebraeos iugum vicinarum gentium excuſſiſſe, poſtquam Deo ſat poenarum dediſſe viſi fuerunt: ad id ſic habendum. Aut in ſtatu belli adhuc verſabantur cum iſtis populis, neque fide data iſtorum ſeſe regibus tanquam ciues ſubiecerant, & hoc caſu oppreſſores ſuos tanquam hoſtes iure belli tractare poterant: aut expreſſum Dei mandatum ſuper ea re acceperant, quod ſiquidem a communi iure abierit, aliis imitari non conceditur. Add. Rob. SANDERSONVS *de Oblig. conſcient. Praelect. IX. §. 16. ſeqq. & Praelect. X. §. 13. 16. 22. 23.*

§. VII. ILLVD praeterea ſatis clare patet, in quibusdam ciuitatibus imperium, cumprimis regium, circa exercendos ſuos actus eſſe liberum [1], alicubi ad certum agendi modum reſtrictum. Vnde orta fuit diſtinctio imperii in *abſolutum* & *limitatum*. Vbi accurate prius exponendum, quid vocabulum *abſoluti* proprie notet; quod magno odio laborat apud eos, qui in liberis ciuitatibus ſunt educati. Ac poteſt idem ſiniſtre explicatum malis principibus ad Rempublicam vexandam, & plurima ſcelera patranda animos addere; frigi-

blicis, aut expilatores aedium heic fere nulli ſint, diſſiteri non potuit Auctor Anglus de Statu Daniae c. 15. H.

7) Infra c. 8. §. 7. H.

8) Neque enim hi Conſules & Magiſtratus ſummi Imperantes erant, ſed meri populi miniſtri.

§. VII. 1) Quod a Graecis vocatur παμβασιλεία. Quam definit ARISTOTELES, III. Pol. 12. καθ' ἣν ἄρχει, πάντων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεύς. *In qua Rex pro arbitrio ſuo imperium habet in omnia.* H.

frigidam ſubinde ſuffundentibus adulatoribus, queis ambitionem, & alia principum vitia alere eius vocis iactatione in procliui eſt. Abſolutus es: ergo ſi libet licet: ergo bellis non neceſſariis ciues iuxta tuos, & vicinos attere, vt ipſe magnus bellator clueas: ergo contumeliis inſulta quibuslibet: ergo exactionibus atque rapinis exhauri ciues, vt ambitioni aut luxui materia ſuppetat. Quo ſpectat adulatio Anaxarchi ad Alexandrum, ob Clyti necem dolentem: *Τὴν δίκην τῶν θεῶν πάρεδρον, ἵνα πᾶν πραττόμενον ὑπὸ βασιλέως, θεμιτὸν δοκῇ καὶ δίκαιον. Ius & fas Ioui aſſidere, vt quicquid rex agat, id fas iuſtumque putetur.* Plvtarchvs ad Principem indoctum [p. 780.] Item illud Sophoclis Antigone [p. 234. Ed. H. Steph.] *Ἡ τυραννὶς πολλά τ' ἄλλ' εὐδαιμονεῖ, κἄξεστιν αὐτῇ δρᾶν λέγειν θ' ἃ βούλεται. tyrannis cum aliis in rebus beata eſt, tum quia licet ei dicere & facere quae vult* [2]. Quin & dantur, qui abſolutum ius regum eiusmodi argumentis & ſententiis adſtructum eunt, vt idem ſola ſcelerum impunitate, vexandique populi licentia metiri videantur. Igitur vti ſingulorum hominum ſumma haec, & abſoluta libertas intelligitur, quando non ad alienum, ſed proprium arbitrium & iudicium ſtatuere poſſunt de ſuis rebus & actionibus, ſalua tamen ſemper obſeruatione iuris naturalis: eaque libertas naturaliter omnibus hominibus competit, qui alterius hominis imperio non ſunt ſubiecti: ita vbi plures homines in ciuitatem perfectam coaluerunt, ibi vtique neceſſum eſt exſiſtere tanquam in ſubiecto communi eandem libertatem, ſeu facultatem proprio ex iudicio ſtatuendi de mediis, ad ſalutem ſocietatis ſpectantibus. Quam libertatem comitatur imperium ſummum, ſeu ius iſta media ciuibus praeſcribendi, eosque ad obſequium adigendi. Vnde in omni ciuitate proprie dicta exſiſtit imperium abſolutum, ſaltem habitualiter, ſi non ſemper exercitio. Implicat enim eſſe nemini obnoxium, & non habere ius ſtatuendi de rebus ſuis ex proprio iudicio & arbitrio. Imperium autem abſolutum in ſe nil inuoluere iniquum aut intolerabile, ex fine ciuitatum inſtitutarum facile eſt perſpectu. Sane enim non ideo ciuitates conſtituimus, vt neglecto iure naturali, omnia ex praua libidine fierent; ſed vt ſecuritati & ſaluti ſingulorum, iunctis multorum opibus, commodius proſpiceretur, vtque adeo iuris naturalis exercitio tuto vacare liceret.

§. VIII. Caetervm quando ſummum imperium conſideratur, prout eſt collatum in vnum hominem, vel in vnum concilium, ex paucioribus aut vniuerſis conſtans, tanquam in ſubiectum proprium, non vbique ita abſolutum & liberum, ſed alicubi certis legibus alligatum obſeruatur. Equidem in democratiis non ita manifeſte diſcrimen inter imperium abſolutum & circumſcriptum videtur deprehendi. Quanquam enim in quauis democratia oporteat exſiſtere certa inſtituta vſu recepta, aut ſcriptis ſancita legibus, quo tempore, & per quos populus conuocari; atque negotia publica proponi, & exſecutioni dari debeant: (citra talia enim ciuitas non poteſt intelligi:) tamen cum ex vniuerſis

2) Item Seneca in Agamemnone:
Id eſſe regni maximum ſignum putant,
Si quicquid aliis non licet, ſolis licet.
V. infra L. VIII. c. 1. §. 2. H.

§. VIII. 1) Haec ratio nihil facit: nam & pacta Regum cum Ordinibus mutua voluntate tolli poſſunt. Sane negari nequit, politiam vnam prae altera eſſe adſtrictiorem. Sic Corinthi adeo caſtigatus erat popularis Reipublicae ſtatus, vt propius ad Optimatum gubernationem accedere videretur,

ſis ciuibus conſtet concilium illud, penes quod eſt ſummum imperium, adeoque nemini extra idem ex iſtis ſtatutis ius ſit quaeſitum, nihil obſtabit, quo minus quolibet tempore a populo eadem abrogari aut immutari poſſint [1]. Add. Andr. MAVROCENVS Hiſt. Venet. L. XIII. p. 517. ſeqq. Huc facit, quod Anacharſis Solonem irriſiſſe legatur, qui ciuium ſe iniurias & cupiditates putaret refraenaturum ſcriptura, quae nihil a telis aranearum differret. Cui Solon repoſuit, ſtare homines etiam pactis conuentis, quae neutri parti expediat violare, ac leges ita ſe temperare ciuibus omnibus, vt futurum perſpicuum eſſet, antiquius eſſe colere iuſtitiam, quam ius violare. Verum euentus magis iudicium Anacharſis, quam ſpem Solonis comprobauit. PLVTARCHVS Solone [p. 81. A. B.] Niſi forte iuriſiurandi religione ad iſta perpetuo obſeruanda populus ſeſe adſtrinxerit; vti Romae circa reges non tolerandos factum. Etſi an tale iuramentum ſtringat, quando nemo ex illis, qui iurarunt, ſupereſt, ſupra disquiſitum fuerit L. IV. c. 2. §. 17. Quo loco & notanda cauillatio Caeſaris, publicas pecunias auferentis, quae depoſitae fuerant cum exſecratione publica, in caput cuiuſcunque contrectare auſi, niſi cauſa belli Gallici: *aiebat enim religione ſolutam Rempublicam perdomitis a ſe Gallis, vt nihil inde ſit periculi.* APPIANVS ALEX. de Bello ciuili L. II. [p. 453. Ed. Steph. 745. Ed. Amſt.] Apud HERODOTVM Clio [L. I. p. 7.] Solon Athenienſes iuramento adegiſſe, ſcribitur, vt ne quam legem abs ſe latam intra decennium abrogarent. Quanquam & aliqui, ne eiuſmodi ſtatuta mutarentur, cauere voluerint, poena ſtatuta in eum, qui iſta abroganda ſit ſuaſurus. Quae poena tamen non minus, quam prius ſtatutum, abrogari poteſt [2]. Sicuti Thaſii quondam legem iuſſerant: *Qui ſcripſerit, foedus cum Athenienſibus faciendum, mortis reus eſto*, apud POLYAENVM Strateg. L. II. [c. 33.] Et Athenienſes, ne quis referret de aſſerenda Salamine, apud PLVTARCHVM Solone [p. 82.] Et Charondas apud Thurios, vt qui legi correctionem velit adhibere, laqueo collum inſertum gerens in concionem procedat, apud DIODOR. SICVLVM L. XII c. 17. Apud XENOPHONTEM *περὶ ἀναβάσ.* L. VI. [c. 4. §. 8. Ed. Oxon.] decretum ſit, *vt ſi quis diuidundi exercitus mentionem faciat, morte multetur.* In ariſtocratiis autem & monarchiis, vbi alii ſunt, qui imperant, alii, quibus imperatur, adeoque vbi his ex illorum promiſſis & pactis ius poteſt quaeri, clare diſcrimen imperii abſoluti & limitati adparet. Heic igitur abſolutus eſt, qui imperium adminiſtrat proprio ex iudicio, non ad normam certorum & perpetuorum ſtatutorum, ſed prout praeſens rerum conditio videtur exigere; quique adeo ex proprio iudicio ſalutem Reipublicae prout eiusdem tempora poſtulauerint, procurat [3]. Vnde tantum abeſt, vt in vocabulo abſoluti lateat aliquid inuidioſum aut liberis hominibus intolerabile; vt idem potius longe acrioris curae & circumſpectionis neceſſitatem principibus iniungat, ſiquidem officio ſuo & conſcientiae ſatisfacere velint, quam queis

ad

retur, quemadmodum ex PLVTARCHO in Dione diſcimus. Idem ſtatus Athenis diu & alibi fuit. H.

2) V. ſupra L. I. c. 6. §. 6. H.

3) Qui, vt eſt apud EVRIPIDEM Supplicibus, *τὸν νόμον κεκτημένος αὐτὸς παρ᾽ αὐτῷ. legem poſſidet ipſe apud ſe.* Sine, vt tales deſcribit ARISTOTELES III. Pol. 9. qui ipſi ſunt lex. *Riſum enim de ſe excitaret, qui experiretur lege ipſos alligare. Dicerent enim fortaſſe eadem illa, quae Antiſthenes ait, leones dixiſſe, cum in concione verba facerent lepores, poſtularentque, vt omnes aequum rerum haberent.* H.

ad praeſcriptam formulam negotia publica ſunt expedienda. Dio Chrysostomus Orat. 62. *Bonus princeps nihil concupiſcit, quod omnia ſe putat habere: abſtinet & a voluptatibus, quod nulla non potiri poſſit, ſi adpetat: iuſtior quoque eſt, quam alii, vt qui omnibus iuſtitiam exhibeat: delectatur autem laboribus, quod ſponte laboret; & diligit leges, quod non timeat. Atque haec recte ſibi perſuadet. Cui enim maiore opus eſt prudentia quam qui tantis de rebus deliberat? cui accuratiore iuſtitia, quam qui eſt ſupra leges? & cui modeſtia continentiore, quam cui omnia licent? & cui maiore fortitudine, quam qui omnia ſalua conſeruat* [4]?

§. IX. Enimvero quia vnius hominis iudicium in diſpiciendo eo, quod ſaluti publicae expedit, facile decipi poteſt, neque omnibus ea ſit animi firmitas, vt in tanta libertate libidines rationi obluctantes compeſcere norint (Herodianvs L. I. c. 4. *Χαλεπὸν μετρῆσαί τε καὶ ὅρον ἐπιθυμίαις, ὑπηρετούσης ἐξουσίας: Difficile eſt in maxima licentia moderari ſibi, quaſique frenos imponere cupiditatibus* [1].) igitur multis populis conſultum fuit viſum, tantam poteſtatem non ita abſolute committere vnius hominis iudicio, ab erroribus non immuni, & arbitrio in praua flexili, ſed potius certum modum imperii gerendi ipſi praeſcribere. Poſtquam inprimis fuit animaduerſum, certa inſtituta, modumque negotia expediendi genio populi, & ſtatui ciuitatis optime congruere. Neque iſta imperii limitatione fit iniuria principibus, qui ſponte populi ad id faſtigii extolluntur. Nam ſi graue videbatur imperium accipere, quod pro arbitrio gerere non poſſent, licebat illud recuſare. Nequaquam autem fidei religio, qua in ſuſceptione eiusmodi imperii adſtringuntur, admittit, vt poſtea clandeſtinis machinationibus, aut per vim leges regni ſubuertere, & abſolutos ſeſe reddere velint. Scilicet quia *nemini religioſius quod iurauerit cuſtodiendum, quam cuius maxime intereſt non peierari.* Plinivs Panegyr. [2] [c. 65.] Nam illud nimis quam inſipidum eſt, quod aliqui dicunt, cum reges a Deo ſint conſtituti, isque ipſis munus ſuum recte gerendum iniunxerit, id quod ſine exercitio ſummi imperii fieri nequit; igitur eo ipſo Deum cenſeri contuliſſe regibus certam velut menſuram poteſtatis, cuius partem neque ipſi, vt delibetur aut circumſcribatur, pati debeant: neque populus id recte poſtulare, aut ad idem regem adſtringere queat. Non magis quam honeſte inter maritum & vxorem tale pactum iniri poteſt, vt ille ad huius furtiuos amores con-

4) Ὁ δὲ ἀγαθὸς ἄρχων ... οὐδενὸς μὲν ἐπιθυμεῖ, διὰ τὸ πάντα οἴεσθαι ἔχειν. φείδεται δὲ τῶν ἡδονῶν διὰ τὸ μηδεμιᾶς ἂν ἀποςῆσαι ὀρεχθείς. δικαιότερος δὲ τῶν ἄλλων ἐστὶν, ἅτε πᾶσιν παρέχων τὴν δικαιοσύνην. ἥδεται δὲ τοῖς πόνοις ὅτι ἑκὼν πονεῖ. ἀγαπᾷ δὲ τοὺς νόμους, ὅτι οὐ δέδοικε καὶ ταῦτα ὀρθῶς ὑπολαμβάνει. τίνι μὲν γὰρ φρονήσεως δεῖ πλείονος, ἢ τῷ περὶ τοσούτων βουλευομένῳ; τίνι δὲ ἀκριβεστέρας δικαιοσύνης ἢ τῷ μείζονι τῶν νόμων; τίνι δὲ σωφροσύνης ἐγκρατεστέρας, ἢ τῷ πάντα ἐξόντι; τίνι δὲ ἀνδρείας μείζονος, ἢ τῷ πάντα σώζοντι.

§. IX. 1) Iamdudum Plato monuit, Principem, quamuis perfecte calleat praecepta artis Politicae, tamen rariſſime ita agere, vt, niſi ad reddendas populo rationes obſtringatur, ſalutem ſemper populi ante oculos habere, & vtilitatibus priuatis conſtanter praeferre velit. Semper enim eum impellet humanae Naturae indoles, voluptatis adpetens, dolorem autem refugiens, vt iuſtitiam & vtilitatem publicam negligat, dum deſiderio tenetur eorum, ex quibus ipſi & Reipublicae mala innumera ſuboriantur. Ἐὰν ἄρα καὶ τὸ γνῶναί τις ὅτι ταῦτα οὕτω πέφυκε, λάβῃ ἱκανῶς ἐν τέχνῃ, μετὰ δὲ τοῦτο ἀνυπεύθυνός τε καὶ αὐτοκράτωρ ἄρξῃ πόλεως, οὐκ ἄν ποτε δύναιτο ἐμμεῖναι τούτῳ τῷ δόγματι, καὶ διαβιῶναι τὸ μὲν κοινὸν ἡγούμε-

connieat, *doctus ſpectare lacunar, doctus & ad calices vigilanti ſtertere naſo?* Aut vt ita contrahatur, *vt faceres tu, quae velles, nec non ego poſſem indulgere mihi.* Verum vti illud quidem ſupra ſatis adſtruximus, imperia ciuilia eſſe a Deo; ita hoc vtique in arbitrio hominum fuit relictum, ſaltem quibus ipſe Deus leges ciuiles non dedit, quam Reipublicae formam in ſuum coetum vellent introducere. Cordate Phil. MELANCHTHON in Epit. philoſoph. moralis: *Sciendum eſt, diſſimiles eſſe formas regnorum, & alibi alios eſſe gradus libertatis. Adprobat autem Deus omnes formas imperiorum rationi & naturae conſentaneas.* Sicuti &, puto, nullibi praeceptum aliquod diuinum extat, vt liber populus regem ſibi impoſiturus verbi gratia non Caium, ſed Titium eligat; aut certa aliqua formula diuinitus ſancita, ſub qua omnibus regibus imperium ſit deferendum. Neque iuuantur iſti homines loco 1 Samuel. IIX. quo aliqui nudum regis factum cum iniuria coniunctum, alii verum ius, & quod ad omnes reges pertineat, volunt deſcribi. GROTIVS autem L. I. c. 4. §. 3. mediam viam ſectatus, tradit; deſignari regis factum, ſed quod effectum aliquem iuris habeat, nempe non reſiſtendi obligationem; ſeu vtut rex quando talia patrat, contra officium ſuum faciat, non magis tamen ſubditos ipſi poſſe reſiſtere, quam ſi optimo iure talia ageret. Ideo enim addi, populum iſtis iniuriis preſſum Dei opem imploraturum, quia ſcilicet nulla humana remedia extant. Adeoque illud vocari *ius regis*, quomodo *praetor ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit* [3]. *L. 11. D. de Iuſt. & iure.* Enimuero genuinum eius loci ſenſum hoc modo planiſſime erui poſſe arbitror. Fuerat hactenus inter Ebraeos democratia, ſed quae ſaepe indueret faciem ſimilem illi regno, quod ARISTOTELI heroicum dicitur. Iudices diuino plerique inſtinctu acti oppreſſos ab hoſtibus vindicabant, aut in pace ius dicebant: de caetero ſuadendi magis auctoritate, quam iubendi poteſtate; & adparatus ipſorum intra ciuilem modum nullo erat tributo iuuandus. Add. GROTIVS ad Iud. I, 1. Pertaeſus tamen eum ſtatum populus regem volebat ad modum caeterarum gentium, id eſt, qui externa quoque pompa & inanibus ſplenderet, & perpetuum militem aleret, aut certe in armis ciues exerceret, vt hoſtibus ingruentibus ſtatim poſſet occurri. Vid. 1 Samuel. XIII, 2. XIV, 48. 52. Heic Samuel, vt re adhuc integra mature deliberaret populus, ius eiuſmodi regis, & iſtius ſtatus incommoda ipſi ob oculos ponit [4]. Vultis regem cultu magnifico inſignem. Atqui hic numeroſo erit ſatellitio ſtipatus, adeoque *filios*

veſtros

ἡγούμενον τρέψαι ἐν τῇ πόλει τὸ δὲ ἴδιον ἑπόμενον τῷ κοινῷ ἀλλ' ἐπὶ πλεονεξίαν καὶ ἰδιοπραγίαν ἡ θνητὴ φύσις αὐτὸν ὁρμήσει ἀεὶ, φεύγουσα μὲν ἀλόγως, τὴν λύπην, διώκουσα δὲ τὴν ἡδονήν. τοῦ δὲ δικαιοτέρου τε καὶ ἀμείνονος ἐπίπροσθεν ἄμφω τούτω συςήσεται. καὶ σκότος ἀπεργαζομένη ἐν αὐτῇ, πάντων κακῶν ἐμπλήσει πρὸς τὸ τέλος αὐτήν τε καὶ πόλιν ὅλην. De Legibus L. IX. pag. 857. B. C. Edit. Serran. & p. 936. D. Ed. Francof. TITIVS Obſ. DCI. SIDNEIVS de Gubernatione c. 2. Sect. 30. vbi cum pluribus rationibus & ingenti numero exemplorum docetur, valde difficile eſſe, vt Monarchia, Diis, hominibusque approbantibus regatur, ſi auctoritas Principis nullis legibus circumſcripta ſit. Legi autem inprimis merentur verba laudati SIDNEII, obuia T. II. p. 225. 231.

2) Vid. SIDNEIVS dicto loco c. 3. Sect. 14.

3) Quod *ius iniuſtum* adpellatur PEDONI ALBINOVANO Eleg. 1. verſ. 54. Ed. Gorall.

4) Quamuis ingenioſa ſit haec Auctoris interpretatio, veri ſimile tamen eſt, a Samuele non id proponi, quod Regibus facere *ius* ſit, ſed mala oculis Iudaeorum ſiſti naſcitura ex Regum *facto*, vt hi eo citius Regni deſiderium ponerent. Vid. SIDNEIVS de Gubernatione c. 3. Sect. 3. 4. 5. 7. Plerique interpretes verbis prioribus v. 11. c. 38. 1 Samuel. nituntur, vtpote, quae ſic verti ſolent.

Et:

veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & praecurſores quadrigarum ſuarum. Vultis regem, qui perpetuo milite ſit inſtructus. At ſic neceſſum erit, vt *conſtituat ſibi tribunos & centuriones* ex filiis veſtris, qui antea rei veſtrae familiari augendae poterant vacare. Eum regem negotia publica non permittent, vt agros ſuos ipſe colat. Ergo de filiis veſtris ſumet *aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum*, ac pro armando ſuo exercitu *fabros armorum, & curruum ſuorum.* Cum praeterea amplo miniſterio aulae ſit vſurus, neque ex dignitate vxorum & filiarum regiarum ſit futurum, vt ipſae tam luculentam culinam curent; ideo *filias veſtras ſibi faciet vnguentarias, focarias, & panificas.* Multis praeterea miniſtris ipſi opus erit ad pacis ac belli negotia expedienda, quibus ſalaria conſtituenda; ideo *agros veſtros, & vineas & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Ad quem vſum etiam *decimas* exiget. Neque minus tamen, vbi opus fuerit, *ſeruis & iumentis veſtris ad operas ſuas* vtetur. Vno verbo hoc dicit: ſi regem vultis habere, is regie vobis erit ſuſtentandus, & huic fini certi reditus conſtituendi: cuius oneris ſi poſt pertaeſum fuerit, nequidquam ſceptro eum exuere poteritis, poſtquam veſtra electione ius ſibi ad regnum quaeſiuit, quod inuito auferri non poterit. Ergo manifeſtum eſt, iſtum locum hautquidquam prauis principibus patrocinari [5]: ſed nec ibidem a Deo per modum legis certam velut menſuram regii imperii dictari, cui per humanas conuentiones nihil poſſit addi, demiue; ſed ſimpliciter onera & impenſas ſtatus regii, tam abſoluti quam limitati, delineari. Igitur omnino eſt in arbitrio liberorum populorum, abſolutum regi imperium, an certis ſub legibus velint tradere; modo leges iſtae in ſe nihil contineant impium, aut ipſum imperii finem non euertant. Nam etiamſi ab initio homines libere in ſocietatem ciuilem coiuerint; cum tamen vtique ſubiecti fuerint legi naturali, debuerunt ſane tales regulas imperii & obſequii ciuilis conſtituere, quae legi iſti, legitimoque ciuitatum fini congruerent.

§. X. Caeterum vt recte intelligatur, quanam promiſſione regis (de optimatibus eadem eſt ratio,) imperium abſolutum eſſe deſinat, (non enim cuilibet ea vis ineſt,) ſciendum eſt; regem in ſuſceptione regni ad id recte adminiſtrandum ſeſe obſtringere promiſſo vel *generali*, vel *ſpeciali*, quod plerumque iuriſiurandi religione firmatur. Generale promiſſum poteſt fieri vel *tacite*, vel *expreſſe.* Tacita promiſſio regni bene gerendi in ipſa eiusdem ſuſceptione ineſſe intelligitur, etiamſi nihil expreſſe dictum fuerit. Quo referenda ſunt, quae notantur Grotio ad 2 Regum XI, 17. *Populus promiſit regis ſalutem ſibi curae fore. Ita hic idem Ioſephus. Nam vt rex populo quidquam promitteret,*

Et dixit: Hoc erit ius Regis. Sed vox משפט *miſchpath* ſaepe ad *factum*, ſiue id bonum, ſiue malum, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum fuerit, refertur. Suffecerit, vnicum eam in rem adduxiſſe exemplum ex eodem libro Samuelis c. 2. v. 12. & ſeqq. depromtum. *Caeterum*, inquit, *filii Eli erant filii Belialis: non agnouerunt Iehouam. Et mos quidem Miſchpath ſacerdotum horum erga populum hic erat: quisquis vir, ſi ſacrificabat ſacrificium; venit puer ſacerdotis - - - & fuſcina erat trium dentium in manu eius. Infixitque in - - aheno - - [et] quicquid extrahebat - - accipiebat ſacerdos.* Iam autem ſacerdotibus ius nullum erat talia faciendi. Pertinebat enim ad eos pectus tantum & ſcapula dextra victimarum per Leuit. c. 7. v. 30. & ſeqq. Conf.

Cle-

mitteret, moris apud Hebraeos non fuit. Nempe promiſſione expreſſa, & quae in coronatione fieret. Frequentiſſimum tamen eſt, promiſſionem illam fieri expreſſe, non ſine iuramento, certaque rituum ſolennitate. Neque id inuſitatum, vt in ea promiſſione officium regis deſcribatur per periphraſin, aut enumerationem praecipuarum partium; puta, ſe diligenter inuigilare velle ſaluti publicae promouendae, bonos defenſurum, malos coërciturum, iuſtitiam integre adminiſtraturum, neminem oppreſſurum, & ſimilia. Eiusmodi promiſſa hautquaquam τὸ abſolutum imperii delibant [1]; adeoque rex per eadem obligatur quidem ad imperium bene gerendum; quem autem modum, quaeue media iſti fini producendo ſit vſurpaturus, in ipſius iudicio & arbitrio relinquitur. Specialis autem promiſſio, & in qua etiam modus & media in imperio adminiſtrando adhibenda exprimuntur, duplicem habere vim videtur. Alia enim regis duntaxat conſcientiam ſtringit; alia autem abs ſui impletione obſequium ciuium tanquam a conditione ſuſpendit. Prioris generis promiſſio talis eſt, ſi rex ſpondeat verbi gratia, ſe certo hominum generi magiſtratus non mandaturum, ſe nemini priuilegia in onus caeterorum redundatura daturum, nullas nouas leges laturum, noua tributa aut vectigalia non impoſiturum, milite externo non vſurum, & ſimilia; neque tamen ſimul conſtituatur concilium, quod rex teneatur conſulere, ſiquidem ab iſtis promiſſis tempora Reipublicae diſcedere iubeant: (nam iſtis ſemper tacita haec exceptio ineſſe intelligitur, ni ſalus Reipublicae ſuprema in eiusmodi legibus lex, aliter requirat;) idque concilium iure ſuo, non precario, ſuper illis negotiis poſſit cognoſcere, citra cuius conſenſum ciues iuſſis regis circa talia non obligentur. Heic vtique ad certas quasdam leges adminiſtratio imperii eſt reſtricta, & vbi citra neceſſitatem rex ſecus fecerit, ſine dubio fidei violatae eſt reus. Neque tamen ciuibus competit facultas regis iuſſa ideo detrectandi, aut iſtos actus reddendi irritos. Nam ſi rex dicat, ſalutem populi, aut inſignem Reipublicae vtilitatem id poſtulare, ſicuti & ea praeſumtio actus regis ſemper comitatur, non habent ciues, quod regerant: quippe cum ipſis deſit facultas cognoſcendi ſuper iſtis actibus, vtrum Reipublicae neceſſitas eosdem exigat, an minus. Ex quibus & hoc adparet, non ſatis ſibi cauere populum, ſi regi quidem non niſi limitatum velit imperium tribuere, neque tamen conſtituat aliquod concilium, citra cuius conſenſum actus iſti excepti nequeant exerceri; aut ni regi incumbat neceſſitas comitia habendi, vbi ſuper exercitio iſtorum actuum deliberetur. Id enim praeſtat, quam ſi regi neceſſarium ſit conſulere conſilium aliquod ex paucis duntaxat ciuibus conſtans; cum contingere poſſit, vt paucorum iſtorum priuata commoda a bono publico diſcrepent, vtique adeo ipſi ob priuatum inter-

CLERICVS ad d. l. Samuelis, qui oſtendit, ſententiam eorum, qui huic loco abſolutum Regum arbitrium ſuperſtruunt, regulis artis Criticae, non minus quam principiis ſanae rationis repugnare.

5) Maxime quia ius illud Hebraeorum populo fuit proprium: volebant enim regnari ad modum vicinorum, qui herili imperio vtplurimum vtebantur. Vt adeo id ad alios populos proferri fas non ſinat. V. ſi libet, quae dixi de Iurispr. vniuerſal. ſect. 2. §. 13. H.

§. X. 1) Habet heic locum illud ICtorum: quae tacite inſunt, ſi expreſſe adiiciantur, nullum producunt iuris effectum. H.

intereſſe non conſentiant in ſalutaria regis deſtinata. Arctius vero conſtringitur regis imperium, ſi expreſſe inter regem & ciues ſit conuentum in delatione imperii, vt ad certas leges fundamentales imperium gerat, ac ſuper negotiis, circa quae abſoluta diſponendi poteſtas ipſi non eſt relicta, ad concilium populi vel procerum referat, neque citra iſtius conſenſum quid decernat; ſecus ſi factum fuerit, nolle ciues iuſſis eius circa talia teneri. Tali modo qui regem ſibi conſtituit populus, obſequium, ipſi promiſiſſe intelligitur non abſolute, & in omnibus, ſed quatenus imperium ad capitulationem & leges fundamentales congruit; abs quibus diſcrepantes actus ipſo iure ſunt irriti, neque vim obligandi ciues obtinent. Neque tamen per eiusmodi leges fundamentales ſummum imperium redditur mancum [2]. Poſſunt enim in tali regno omnes imperii actus exerceri, qui in regno abſoluto, niſi quod heic rex ſolo ſuo iudicio, ſaltem vltimo, vtitur; illic autem penes concilium eſt cognitio velut concomitans, non ex qua radicaliter vis imperii dependeat, ſed quaſi a conditione ſine qua non. Neque etiam in tali ciuitate exſiſtunt duae voluntates. Nam vtique omnia quae vult ciuitas, vult per voluntatem regis. Etſi limitatione iſta fiat, vt, non exſiſtente certa conditione, rex quaedam non poſſit velle, aut fruſtra velit. Sed nec in tali regno rex ſummum habere imperium deſinit, aut concilium ipſo rege eſt ſuperius. Non enim ſequitur; hic non poteſt agere omnia ex propria libidine, ergo non habet ſummum imperium. Ego non teneor huic in omnibus parere; ergo ſum ipſo ſuperior, aut aequalis. Ego huic non poſſum quolibet modo imperare; ergo ille ipſe mihi quaedam poſitiue poteſt iniungere. Et longe diuerſa ſunt haec [3]: ego teneor ſequi, quod huic placet, quia pacto me ad hoc obligaui; & ego teneor ſequi huius voluntatem, quia pro imperio mihi hoc iniungere poteſt. Summum autem & abſolutum nequaquam ſunt vnum & idem. Illud enim notat abſentiam ſuperioris aut aequalis in eodem ordine: hoc autem facultatem proprio ex iudicio & arbitrio qualecunque ius exercendi. Sed quid ſi expreſſe addita ſit clauſula [4] commiſſoria [5], vt ſi contra fecerit, regno excidat. (*Expreſſe* dicimus, nam vis legis commiſſoriae non ineſt illi clauſulae, *ſi ſecus fecerit, ſe nolle teneri.*) Sicuti apud Sabaeos rex, caetera ἀνυπεύθυνος, vbi regia exiuerat, a populo iuſſu veteris oraculi lapidabatur. Vid. DIODORVS SICVLVS L. III. c. 47. & AGATHARCHIDES de Mari rubro. c. 50. Quo referre poſſis illud STRABONIS L. XV. [p. 488. Ed. Gen. Caſaub.] *Si qua mulier in India regem ebrium occiderit, munus habet, vt cum illius ſucceſſore iungatur.* Arragonii quondam, poſtquam rex in ipſorum priuilegia iurauerat, hoc modo ipſi obſequium promittebant: Nos, qui valemus tantum quantum tu, te facimus regem & domi-

2) Principes, qui abſoluto imperio etiam maxime ſtuduerunt, interdum agnouiſſe videmus, Nihil ſe poſſe contra leges. Elegans exemplum praeſto eſt apud SIDNEIVM, qui in Tractatu de Iuribus Reginae Franciae (dans le Traité des Droits de la Reine de France) iuſſu Ludouici XIV. Regis Galliarum, vindicandae partis Belgii Hiſpanici cauſſa excuſo 1667. inter alia haec legi obſeruat: *Reges in hac felici impotentia conſtituti ſunt, vt nihil poſſint contra leges patriae ſuae.*

3) Vid. GROTIVS L. I. c. 3. §. 16. num. 1. vbi hoc patrisfamilias exemplo illuſtrat, qui, ſi familiae ſuae quidquam, quod ad directionem eius pertineat, promiſerit, promiſſis ſuis ſtare tenetur, etſi ideo eſſe non deſinat caput huius ſocietatis. Similiter maritus, ſi quid vxori pollicitus ſit,

Digitized by Google

dominum noſtrum hac conditione, vt obſerues noſtras leges & priuilegia, ſin minus, non [6]. Vid. Hotomanni Franco-Gallia c. 12. Sic Seuerus Imp ſub initium imperii non ſolum iurauit, nullum Senatorem ſuo iuſſu interfectum iri; ſed praecepit etiam, vt publico decreto ſanciretur, *Imperatorem, ſi Senatori mortem afferret, eumque cuius opera ad eam rem vteretur, liberosque ipſorum, hoſtes Reipublicae futuros*, apud Xiphilinum Epit. Dionis [in Seuero.] Etſi non multo poſt Iulius Solon, qui illud ipſum decretum iuſſu Imperatoris conſcripſerat, interfectus fuit. Heic certum videtur, regem abſolutum non dari, cui regnum ſit commiſſum ſub clauſula commiſſoria. Quo minus tamen limitatum quis imperium, vere regium tamen, hoc modo habeat, nihil prohibere videtur [7]. Nam licet ponamus, temporarium imperium pro ſummo agnoſci non poſſe; tamen proprie temporarium non dixeris, quod a conditione poteſtatiua dependet, & quam nunquam exſiſtere penes regem eſt. Neque ideo eiusmodi rex iudicio populi ſubiicitur, penes quem ſit cognitio, an fidem fefellerit, vel non. Nam praeterquam quod eiusmodi clauſula commiſſoria talia comprehendere ſolet, quae in ipſos ſenſus incurrunt, quaeque adeo ambiguae diſceptationi non ſunt obnoxia, etiam qualiscunque illa cognitio non habet indolem iudicii, quo ſuper actione ſubiecti cognoſcitur, ſed nihil aliud eſt, quam nuda conteſtatio, quo quis manifeſtum ſuum ius ab altero violari ad animum reuocat; id quod etiam in inferiorem cadere poteſt. Conf. Boeclerus ad Grot. L. I. c. 3. §. 16. Grotius dicto loco obſcurius loquitur, quando obligationem ex promiſſis regum cadere dicit vel *in exercitium actus*, vel etiam *directe in ipſam facultatem*. Contra prioris generis promiſſa ſi fiat, actus dicitur iniuſtus, validus tamen; contra poſterioris generis, etiam *irritus*. Quaſi diceret: interdum rex promittit, ſe aliqua parte ſummi imperii niſi certo modo non vſurum: interdum parte aliqua plane ſeſe abdicat. Circa quod duo monenda ſunt; primo quod etiam irriti poſſint eſſe actus, qui contra prioris generis obligationem ſuſcipiuntur, verbi gratia, ſi rex promiſerit, ſe inconſultis ordinibus noua tributa non indicturum, putauerim irritam eſſe indictionem, quam proprio arbitrio rex fecerit. Deinde quod poſteriori modo ſummi imperii partes diuellantur, aut mutilentur.

§. XI. Caeterum vt penitius natura regnorum limitatorum intelligatur, ſciendum eſt, negotia, quae in adminiſtranda Republica occurrunt, eſſe duplicis potiſſimum generis. Nam de quibusdam in anteceſſum poteſt conſtitui, ideo quod, quandocunque eueniunt, eandem habeant naturam: de quibusdam autem non niſi ex praeſenti tempore iudicium ferre licet, Reipubli-

 cae

ſit, ſalua id poteſtate maritali, praeſtare obſtrictus eſt.

4) Vid. cap. praeced. §. XVII. nota 3.

5) Vid. de Polonia Hartknoch. L. II. de Polon. c. 2. §. 24. Thvanvm L. LXII. ad A. MDLXXV. Conf. Piasecium Chronic. ad A. MDCVII. Adde Avctor. L. VII. Rerum Brandenburg. §. 26. 37. 40. ad A. MDCLVII. H.

6) *Nos que valemos tanto come vos, os hazemos nueſtro Rey, con tal que nos guardeys nueſtros fueros y libertades; y ſino, no.* Relat. Antonii Perez Secretarii Status Philippi II.

7) Nam & pendente lege commiſſoria dominium eſt penes emtorem. Vid. *L. 1. & 2. D. de Lege Commiſſoria.* H.

cae expediant, nec ne, ideo quod, quae illa comitantur, praeuideri nequeant. Circa vtraque, ne a bono publico aberraretur, populus, cui limitatum placuit regnum, cauere potuit. Illic quidem, dum perpetuas leges conſcribit, ad quas ſequendas rex adſtringeretur; heic autem, dum concilium populi vel procerum conſuli vult. Sic populus perſpecta religionis ſuae veritate, quique modus regiminis ſacri, rituumque exteriorum ſuo genio quam optime congrueret, regi in delatione imperii legem potuit dicere, ne quid circa ſacra ſemel recepta propria auctoritate mutaret. Sic cui non conſtat, quam ſaepe iuſtitia ſoleat laborare, ſi citra leges ſcriptas ex ſolo imperantis iudicio, & ex aequo & bono, quod frequenter non ratio, ſed affectus aut imperitia ſuggerunt, ius reddatur. Vid. TACITVS A. XIII. 4. 2. Tali incommodo euitando regem poteſt obſtringere populus, vt vel ipſe aequabiles conſcribat leges, vel eas, quae iam extant, obſeruet; vtique ius ex iſtis legibus dicatur per certa collegia, cauſaeque non niſi grauiſſimae, aut per appellationem demum ad regem deuoluantur. Quanquam & ſaepe ex vſu regis ſit, inuidioſas cauſas per alios decidi [2]. Apud OVIDIVM Metam. L. XII. [v. 626. & ſeqq.] *A ſe Tantalides onus inuidiamque remouit: Argolicosque duces mediis conſidere caſtris Iuſſit: & arbitrium litis traiecit in omnes.* Et ambitioſae aut importunae interceſſiones pro noxiis iſto obtentu commode repelluntur. *Legum ſeueritatem & auctoritatem ſua voluntate & propoſito plus valere, & iudicum ſententias ſuo iudicio praepollere*, dicebat Andronicus Commenus apud Nicetam ACOMINATVM L. I. de Imperio Andronici. Sic cum notiſſimum ſit, quam facile aliorum ſudore parta per ambitum aut luxum profundantur: igitur ne opes ciuium ex regum libidine alimenta vitiis ipſorum praeberent, ſapienter alicubi populus certos reditus regi aſſignauit, quot ſufficere iudicauit ad ſtatos ſumtus in Rempublicam impendendos; quod ſi ampliores deſiderarentur, ad concilium referri ſuper ea re voluit. Cum etiam nonnulli reges gloriae bellicae plus iuſto ſint auidi, & in bella non neceſſaria ruentes, ſe ſimul & Rempublicam in caſum dent: inde cauti fuere, qui in delatione imperii regibus ſuis hanc neceſſitatem iniunxerunt; vt, ſaltem ſi ipſi bello alios vellent laceſſere, concilium prius conſulerent. Franc. Lopez de GOMARA Hiſt. Ind. Occid. c. 95. tradit, incolas inſulae Borneo odiſſe bellum, regesque bellatores, eoque hos ante primam aciem ſolent collocare. Et ſic circa alia quoque potuit conſtitui, quae populus perſpexit ex vſu Reipublicae eſſe: ne, ſi circa iſta regi abſoluta diſponendi facultas relinqueretur, fortaſſe bono publico parum conſuleretur. Ex hiſce omnibus etiam patet, in quem ſenſum explicanda ſint, quae politici Graeci, & qui eos ſequuntur tradunt [3], legibus potius quam hominibus regimen ciuitatis eſſe committendum. Quod non alium commodum habere ſenſum poteſt; quam

§. XI. 1) *Imaginem cognitionis* vocat TACITVS III. Annal. 17. qui & alio loco notat: *Saeuitiam Neronis per huiusmodi imagines illuſiſſe.* H.

2) Loca congeſſit GATAKERVS *ad L. 10. Antonini* §. 21. Conf. ſupra L. I. c. 6. §. 14. in fine. H.

3) Nimirum, vt ait ARISTOTELES III. Pol. 6. Ὁ νόμος συνθήκη, καὶ καθάπερ ἔφη Λυκόφρων ὁ σοφιστής, ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων, ἀλλ' οὐχ οἷος ποιεῖν ἀγαθοὺς καὶ δικαίους τοὺς πολίτας. *Lex pactum eſt, vt ait Lycophron Sophiſtes, quae ſponſor eſt inter ipſos rerum iuſtarum: non tamen tantarum virium, vt valeat ciues bonos ac iuſtos efficere.* H.

4) Vid. GROTIVS L. I. c. 3. §. 16. num. 3.

§. XII. 1) Et de Imperatore Fezzo-Marocano refert St. OLON Relatione de eius Imperio p. 108.

quam hunc: praeſtare, vt qui imperant, ad praeſcriptum potius certarum legum Rempublicam gubernent, quam proprio & incircumſcripto arbitrio. Alias enim ſolae leges non magis idoneae ſunt ad gubernandam ciuitatem, quam pixis nautica ad regendam nauem, ni nauclerus acceſſerit [3]. Qua ratione regum poteſtas in Aegypto fuerit limitata, late docet DIODORVS SICVLVS L. I. c. 71. Addatur de rege Taprobanes PLINIVS N. H. L. VII. cap. 22. in fin. Et SOLINVS c. 66. Apud PHILOSTRATVM de Vita Apollonii L. III. c. 10. dicitur, *ſapientum* Indorum *iura non ſinebant regem ſupra diei ſpatium apud eos morari* [4]. Inſolita magis ſunt, quae de rege inſularum Haebudum memorat SOLINVS c. 35. *Rex nihil ſuum habet, omnia vniuerſorum. Ad aequitatem certis legibus ſtringitur. Ac ne auaritia diuertat a vero, diſcit paupertate iuſtitiam, vtpote cui nihil ſit rei familiaris. Verum alitur e publico. Nulla illi foemina datur propria, ſed per viciſſitudines, in quamcunque commotus fuerit, vſurariam ſumit. Vnde ei nec votum, nec ſpes conceditur liberorum.* Miſer quoque Moſſynoecorum rex, quem, vbi iniquam ſententiam tuliſſet, eo die turri incluſum fame macerabant. APOLLONIVS RHODIVS Argon. L. III.

§. XII. CVM autem vtplurimum regi limitato circa actus illos, quos abſoluto ipſius imperio populus relinquere noluit, conſulendum ſit concilium vniuerſi populi, ſeu eorum, qui illum in claſſes diuiſum repraeſentant; vlterius obſeruandum, non aequalem vbique iſtius concilii eſſe poteſtatem. Nam alicubi ipſe rex, caetera abſolutus, conſtituit concilium aut ſenatum, citra cuius adprobationem ipſe nolit ſua decreta valere. Quo referenda putauerim, quae de monarchia Sinica tradit NEVHOF [1] in Generali Deſcriptione Sinae c. 1. Qui ſenatus ſine dubio conſiliariorum duntaxat auctoritatem habebit, & decreta regis ſub cenſuram reuocabit, quaeque Reipublicae minus expedire viſa fuerint, reiiciet, non proprio iure, ſed conceſſa ab ipſo rege poteſtate. Qui hoc modo ſibi cauere voluit, ne per imprudentiam aut impulſu adulatorum aliquid ſtatueretur minus Reipublicae proficuum. Quo ſpectat illud apud PLVTARCHVM in Apophthegm. [p. 174. B. 183. F.] *Aegyptiorum reges legem quandam ſuam ſeruant, qua iuramento obſtringunt iudices, vt rege ipſo iniuſtam flagitante ſententiam, ei morem non gerant.* Et apud EVNDEM d. l. *Antigonus tertius ſcripſiſſe ciuitatibus* memoratur, *ſi quid contrarium legibus per epiſtolam mandaturus eſſet, ne parerent, ſed ipſum ignoratione lapſum cenſerent.* Vid. *L. 7. C. de Precib. Imperatori offerendis* [2]. Aliquando & hoc modo importunae flagitationes eluduntur, dum princeps ipſe in ſpeciem indulget, quod nouit a ſenatu reſciſſum iri. Vid. *L. 1. C. de Petit. bonorum ſublatis* [3]. BODINVS de Republ. L. III. c. 4. p. m. 455. GRAMONDVS Hiſt. Gall. [4] L. V. p. m. 277. ſeqq. Ioh.

108. ſequ. illum, licet deſpotice imperet, & ſummum Sacerdotem caeteroſque magiſtratus conſtituat, horum decretis ſubiici, neque iisdem ſe ſubtrahere poſſe, ſi libeat vel minimo ſubditorum ſuorum ad eos appellare. Quanquam addat Hiſtoricus: *Id auſurum neminem, ob vindictam, quae ſecutura ſit, certiſſimam mortiferamque.* H.

2) *L. 8. C. de Legib. Nouell. 152.* H.

3) *Sed quoniam plerumque ita in nonnullis cauſſis inuerecunda petentium inhiatione conſtringimur, vt etiam non concedenda tribuamus: nec reſcripto quidem noſtro aduerſus formam latae Legis loci aliquid relinquatur.*

4) Et *L. 1. ad A. MDCXIV. & L. 5. A. MDCXX.* Miniſter. Cardinal. Richelii L. VI. c. 5. & L. VIII. c. 28. H.

LABARDAEVS Hiſt. de Reb. Gallicis L. III. p. 132. 133. Edit. Pariſ. A. 1671. Quando tamen omnino placitum ſuum valere vult rex, rationesque a ſenatu adductas parum graues agnoſcit, non habet iſte vlterius, quod poteſtati regis obluctetur. Non enim praeſumitur, regem conſtituendo talem ſenatum iure ſuo abſolute imperandi ſe voluiſſe irreuocabiliter abdicare, & quod a ciuibus ſimpliciter poterat exigere obſequium, vltro a conditione ſuſpendiſſe. Adeoque ſenatus iſte delegatam duntaxat a rege poteſtatem obtinet, limitandam, quandocunque placuerit; etſi non niſi ex cauſis grauiſſimis placere hoc debet. Quanquam & hoc fieri poſſit [5], vt vbi libere abs rege talis ſenatus ſemel fuit conſtitutus, ſucceſſores iuramento in delatione imperii poſſint adſtringi, vt ne iſtum iterum tollant. Per talem autem ſenatum, praeſertim vbi regi ſit poteſtas eundem iterum diſſoluendi, imperium abſolutum eſſe non deſinit. Id enim non in eo conſiſtit, vt rex coeca ex libidine, aut inconſulto animi impetu omnia agat, ſed vt demum ex proprio iudicio de negotiis Rempublicam ſpectantibus decernat: cui hautquidquam repugnat neceſſitas ſanas rationes audiendi. Inde licet conſilium, quod ab eiusmodi ſenatu regi datur, per ſe & velut ex poteſtate imperandi, quae in iſto haereat, hunc non obliget: occaſionem tamen obligationi praebet, quatenus regi repraeſentat, qua ratione officio ſuo in praeſenti negotio ſatisfacere queat. Sicuti medicus per ſe quidem aegrotum non obligat; dum tamen oſtendit, quid ſanitati ipſius conducat, ad iſtius conſilium ſequendum tenetur ex lege naturae, quae cuique curam ſalutis & incolumitatis ſuae imperat. Add. 1 Reg. XII, 7. 8. MARTINIVS Hiſt. Sinicae L. V. c. 37. p. m. 128. refert: *Sinices melioris famae reges vt plurimum in vſu habuiſſe; vt cum a Philoſophis ac bonis viris vel de fugiendis vitiis, vel de virtute ſectanda, vel de re alia quacunque, ad regni bonum pertinente, monerentur, ea flexis genibus exciperent.* Add. IDEM L. VI. c. 1. p. m. 204. ſeqq. Idem iudicandum de conuentibus ordinum [6], qui huc tantum inſeruiunt, vt ſint maius regis conſilium, per quod querelae populi, quae ſaepe in conſilio priuato reticentur, ad regis aures perueniant, cui deinde liberum ſit ſtatuere, quod ex vſu ipſi videatur. Vid. GROTIVS L. I. c. 3. §. 10. HOBBES Leuiath. c. 30. vbi recte monet, ſiquidem Regi ſummum imperium conſtare, ac ni ciuitas biceps fieri debeat, non poſſe conuentum illum plura negotia tractanda ſuſcipere, quam a Rege propoſita ſunt; cum etiam iſti deputati a populo ad nihil amplius potuerint inſtrui, quam in literis, quibus conuocabantur, continetur. Sicuti & ſoluetur conuentus, quando Rex in praeſens ab iis nil amplius tractandum declarauerit. Per modum tamen precum quaedam regem vltro monere conuentus iſte non prohibetur. Aſt vero vtique limitatur regnum, quando ſub hac conditione ciues in regem illud contulerunt, vt circa certos actus exercen-

5) Vt factum in Anglia & Polonia, de quo alibi. Non dubitauit tamen Eliſabetha Angliae Regina ſubinde Curiam modeſtiae admonere, & reuerentiam iuris regii Ordinibus commendare, imo plenis comitiis denunciare; *cauerent Principis patientiam laedere:* Vid. CAMDENVS ad A. MDLXVI. H.

6) Vid. HOSPITALII Oratio, & alia Valentini Epiſcopi apud THVANVM Libr. hiſtor. 25. & 27. ad A. MDLX. H.

7) Quod tamen illuſtrationem quandam meretur, quae peti poteſt ex SIDNEII Libello de Gubernatione c. 3. ſect. 38. & reliquis eius capitis.

8) Vt apud Veteres Francos, quorum Ordines poteſta-

exercendos concilium ordinum conſulat, citra quorum conſenſum decreta regis nihil ſint valitura. Penes regem tamen eſſe debet, id concilium conuocare, & diſſoluere [7], ac negotia expedienda proponere; ni regi nudum nomen relinquere, aut irregularem Rempublicam facere velimus. Quod ſi autem & ipſi ordines conuocati vltro quaedam ad ſalutem regni ſpectantia monere poſſint; decreta tamen ſuper iis facta vim ſuam abs ratihabitione regis mutuabuntur [8]. In hoc autem differunt eiusmodi ordines a conſiliariis proprie dictis, quod licet vtrique cum rege non niſi rationibus agere queant; horum tamen rationes rex vtique reiicere poſſit, illorum non item. Neque indignum iudicabit rex, ſi quaedam ab ipſo propoſita ordines non admittant. Nam vtique promiſit, ſeſe ob oculos ſemper habiturum vtilitatem Reipublicae, de qua certius praeſumuntur iudicare plures ſelecti, quam vnus. Habet ergo, quod ſuam imprudentiam, aut prauos affectus, aut fata Reipublicae accuſet rex, ſi ordines ab ipſo diſſentire contigerit. Ex quo & hoc adparet, vanum eſſe metum eorum, qui putant, hac ratione in arbitrio fore ordinum, vt Reſpublica ſit ſalua, an minus. Neque enim tanta vecordia temere expectari poteſt vel a rege, vt ordinibus neceſſitates Reipublicae clare nequeat exponere; vel ab ordinibus, vt iis perſpectis ſalutem ſuam pertinaciter prodere velint. Hoc tamen certum eſt, cum illi, qui limitatum imperium in regem contulerunt, hautquidquam praeſumantur vel ciuitatem voluiſſe deſtruere, ac diſſoluere, vel ſuis pactis id efficere, vt finis ciuitatum obtineri non poſſet: inde iſtarum conuentionum ita ſemper faciendam eſſe interpretationem, vt communi omnium ſaluti conueniant, & nulla ratione eidem aduerſentur. Vtque adeo in paciſcendo, quicquid pacti ſunt, eam mentem credendi ſint habuiſſe; ne quid per eas conditiones & pactiones committatur, quod communi omnium ſaluti, & publicae vtilitati obeſſet, aut quo ciuitatis conuulſio aut diſſolutio ſequatur. Quod ſi autem eiusmodi caſus contingat, conueniens quidem fuerit, ſi res moram patiatur, in conuentu populi aut ordinum eundem proponi. Vbi hoc fieri nequeat, penes regem erit, pacta, in exitium ciuitatis eruptura, dextre corrigere. Id quod etiam circa receptas publice leges valet, quas aliquando ſilere ſumma lex, ſalus populi, iubet. Quo ſpectat factum Ageſilai [9] apud PLVTARCHVM in eius Vita. [p. 612. 613. Ed. Wechel.] qui per vnum diem leges Lycurgi iuſſit dormire, vt citra ignominiam poſſent reuerti, qui ex praelio ad Leuctra profugerant. Sic & ordinarium iudiciorum proceſſum ſaepe obſeruari non permittunt tempora Reipublicae [10], aut nocentium conditio, qui, ſi rei eſſent peragendi, acie vincendi prius forent. Vnde cum grano ſalis accipiendus eſt HOBBES Leuiath. c. 29. vbi factum hoſtile vocat, non poenam, quod infligitur auctoritate quidem publica, niſi publica antecedat condemnatio [11]. Nam

poteſtatem non niſi conciliariam habuiſſe, aperte euincit locus inſignis in HINCMARI Ep. 3. c. 34. Conf. BOICLERVS in Reb. ſecular. ſub Carolo M. p. 19. & ſub Lothario p. 107. H.

9) Vid. ſupra L. I. c. 6. §. 17. H.

10) Exempla paſſim in hiſtoriis occurrunt. Habet heic locum quod Porcius Cato dicebat apud SALLVSTIVM de Bello Catilinario: *Caetera maleficia tum perſequare, vbi facta ſunt: hoc, niſi prouideris, ne accidat: vbi euenit, fruſtra iudicia implores.* H.

11) Vid. ſupra d. L. I. c. 6. §. 17. in fine, vbi de Hiſpanis. Add. de Venetis St. DISDIER Part. II. Deſcript. Reip. Venet. p. 230. ſequ. H.

Nam hoc verum eſt vbi nullum delictum anteceſſit. Sed vbi de certo conſtet, poena vtique erit, quae infligitur, vtut per ordinarium proceſſum reum damnari tempora Reipublicae non tulerint.

§. XIII. Enimvero Hobbesivs nullam diſtinctionem inter ſummum & abſolutum videtur agnoſcere velle, ſed potius omne imperium ſummum idem putat eſſe abſolutum [1]. Vbi obſeruandum, omnibus illis dictis quae nimis crude ab eo poſita ſunt, ex fine ciuitatum reſtrictionem eſſe addendam. Puta, quod de Ciue c. V. §. 6. tradit: illum, cui in ciuitate competit ius poenas ſumendi, *iure cogere omnes ad omnia, quae ipſe vult.* Sicut & ipſe hanc limitationem exprimit c. 5. §. 6. *quae ad pacem & defenſionem ſunt neceſſaria.* dicto loco §. 9. in fin. ad pacem & defenſionem communem. Et c. 6. §. 13. cum iure ſummi imperantis connecti ait tantam ciuium obedientiam, *quanta ad regimen ciuitatis neceſſario requiritur.* Sic, quando d. §. 13. dicit: *Quicunque voluntatem ſuam ita voluntati principis ſubiecit, vt quidlibet poſſit impune facere, leges condere, lites iudicare, poenas ſumere, viribus & opibus omnium ſuo arbitrio vti, atque haec omnia iure, ſane ei imperium maximum, quod concedi poteſt, conceſſit:* conſiderandum, qua intentione, quoue conſilio homines ad ciuitates conſtituendas animum adpulerint. Vnde non plus poteſtatis ſua voluntate quis in illum transtuliſſe intelligitur, quam quantum ad iſtum finem facere per ſanum hominem iudicari poteſt: etſi quid heic & nunc ad iſtum finem faciat, non penes transferentes arbitrium ſit, ſed penes eum, in quem poteſtas illa fuit translata. Ergo cogere iure ciues ad omnia ſummus imperans poteſt, quae ipſi ad bonum publicum aliquid facere iudicantur. Ad illa autem cogere ciues, quae ſaluti ciuitatis repugnant, aut legibus naturalibus aduerſantur, ne velle quidem debet. Et ſi tale quid conatus fuerit, ſine dubio poteſtatis ſuae limites transgreditur. Conſideremus quoque argumenta, quibus Idem de Ciue cap. 6. §. 17. euincere nititur, fruſtra limitationem imperii ſuſcipi. Dicit: *Coetum illum,* qui regi futuro leges praeſcripſit, *vtique habuiſſe poteſtatem abſolutam,* ſaltem habitualiter, aut virtualiter. *Si maneat coetus, vel de tempore in tempus ad certum diem & locum*

§. XIII. 1) Quam ſententiam etiam Romani Pontifices reapſe probant. V. ſupra L. IV. c. 2. §. 5. circa extrem. Hobbesivs praeterea c. 8. de Ciue §. 10. c. 9. §. 10. 12. Leuiath. c. 20. abſolutum & herile imperium pro iiſdem habet, quia tantum a ſubditis exigit fidem, nec eam ad ſummum imperantem reciprocat, ob defectum pacti, quod ſubditis cum illo negat intercedere. Enimuero cum hypotheſin hancce Avctor ſupra luculenter deſtruxerit, atque Hobbesio ipſo docente c. 14. Leuiathan. *qui transfert aliquod ius ea cauſa id facere intelligatur, vt ſibi reciproce ab eo, cui translatum eſt, ius vel bonum accipiat:* eccui libeat credere, homines in naturali ſtatu poſitos, & ſui iuris, ſponte tam pretioſi boni (nam libertatem τῶν ἀγαθῶν μέγιστον vocat Dio Prvsaevs) iacturam facere voluiſſe, vt cum ipſi, tum eorum res ſint inſtrumenta, liberrimo alterius arbitratu moderanda? H.

2) Ne dicam, licet particularis ille coetus diſſoluatur, manere ſocietatem pacto primo, de quo ſupra egimus, conflatam, quae vtique capax eſt iuris ex promiſſione acquirendi. H.

§. XIV. 1) Heic tamen diuerſae ſunt ſententiae. Hobbesivs de Corpore politico Part. II. c. 2. §. 11. regna omnia, quae ſucceſſione deferuntur, patrimonialia eſſe contendit. E contrario Hotomannvs (V. infra §. 16. in fine) regna patrimonialia dari negat. Enimuero vti hunc refellit experientia. Exemplis compluribus regnorum, vel teſtamento, vel conuentione translatorum, quae Grotivs adduxit in not. ad L. I. c. 3. §. 12. n. 6. Adde de Dalmatarum Regina, Vladislaum Regem Hungariae heredem inſtitue-

locum conuentus celebrat, erit perpetua potentia illa; & ſic rex non habebit ſummum imperium, ſed erit nudus magiſtratus. (Quod concedimus, ſi coetus ille ſuo iure coire, & de quibusuis Reipublicae negotiis decernere queat, eique ad reddendas rationes rex ſit obnoxius.) *Sin penitus ſe diſſoluat, ni vna diſſoluatur ciuitas, relinquitur vtique alicubi poteſtas puniendi eos, qui leges transgrediuntur: quod fieri ſine abſoluta poteſtate non poteſt.* Id quod falſum [a], vti & argumentum, quo iſthoc probare vult: *Nam qui iure tantum ſibi conceſſum virium habet, vt poſſit quoslibet ciues poenis coërcere habet potentiam tantam, vt a ciuibus maior contribui non poſſit.* At qui finem ciuitatum cogitauerit, & quod per voluntatis atque virium ſubmiſſionem ciues non immobiles propriis neruis trunci facti fuerint, & quod ſub conditione virium ſuarum vſum alteri concedere, & an conditio illa extet, iudicare, eaque deficiente, vires ſuas retrahere ciues queant; is facile infirmitatem huius argumenti deprehendet. Sicuti & illud aperte falſum; non plus cautionis eſſe ab imperii abuſu, conceſſo imperio limitato, quam ſi abſolutum id relinquatur. Neque ſemper, qui ſatis virium habet ad omnes defendendos, (quod omnes non ſtolidi ciues regi ſuo libenter concedunt,) ſatis quoque virium habet ad eos opprimendos. Imperia ducis, quae vim habent mouendi milites, vt ſtrenue hoſtem inuadant, eneruia deprehendentur, ſi iubeat eosdem in ſe mutuo ferrum ſtringere. Denique recte quidem cordati principes, etiam abſoluti, ingenio ſeſe ciuium attemperant, & ſaepe quandam ipſorum vtilitatem minus vrgent, quando iſti ad officium ſine periculo ciuitatis cogi non poſſunt. Aſt illi ciues non minus cordati, qui cum perſpectum haberent, quid ſuae ciuitati non expediret, per leges fundamentales effecerunt, ne ad iſtud a rege cogi poſſent.

§. XIV. DENIQVE & hoc ſummo imperio, quod penes Monarchas potiſſimum haeret, accidit, vt modus id habendi ſit vel plenus, vel magis aut minus diminutus. Quidam enim reges dicuntur regnum habere in patrimonio; alii vtiliter tantum & iure quaſi vſufructuario idem poſſidere dicuntur [1], idque vel ad tempus vitae, vel ad poſteros quoque ſuos certa lege [2] transmittendum [3]. Aliis

ſtituente, BONFINIVM L. II. Rer Hungar. Decad. 4. De Rudolpho III. Rege, Burgundiam Conrado Saliquo & eius filio Henrico III. teſtamento relinquente, SIGEBERT. ad A. MXXXIV. HERMANNVM ad A. MXXXII. OTTONEM FRISINGENSEM L. VI. Chronic. c. 30. 31. De Imperatoribus Chinenſibus le COMTE Commentar. de Statu praeſ. Chinae ep. 9. Teſtamentum Beatricis Regis Siciliae A. MCCI.XXI. apud Lucam DACHERIVM Tom. 6. Spicileg. p. 475. Teſtamentum Philippi IV. Reg. Hiſpan. apud Caietanum PASSARELLVM de Bell. Luſitan. Caſtellan. L. IX. p. 428. Ita illi ratio obſtat: neque enim neceſſarium eſt ad gubernationem regni, vt id alienabiliter habeatur; neque praeſumendum, populum id voluiſſe in ſe concedere, quod cum maximo eius incommodo ſaepe eſt coniunctum. H.

2) Quo & ea conditio pertinet, qua Princeps certae religioni adſtringitur. Vid. HERTIVS in Diſſertat. de Superioritate territoriali T. II. Commentat. & Opuſc. §. 13. p. 217. & ſeqq. & BAELII Reponſe aux Queſtions d'un Prouincial. T. I. p. 335. & ſeqq.

3) Qui Reges hereditarii, obſeruante id Celeb. OTTONE ad Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 9. §. 2. adductius imperare ſolent. Quare etiam Sedes Romana Hereditarios Electis praefert, & illos Potentiſſimos, hos tantum Sereniſſimos vocat: quem morem ceterae Aulae Europaeae ſequuntur. Vid. GROTIVS Ep. 839. & 899. & Iacob GOTHOFREDVS de Iure praeced.

Aliis denique certum temporis ſpatium gerendo imperio praefixum eſt, quo elapſo illud expirat, & ipſi ad priuatam conditionem rediguntur. Equidem HOBBESIO de Ciue c. 7. §. 16. c. 9. §. 11. illi quoque monarchae temporarii vocantur, qui imperium ad vitae tempus acceperunt; eosque omnes non monarchas tradit, ſed miniſtros duntaxat ciuitatis. Enimuero a communi vſu abhorret, illum vocari temporarium principem, qui imperio nonniſi cum vita exuitur; cum illi tantum proprie temporarii dicantur, quorum poteſtas cum certo ac definito temporis puncto ipſo iure expirat.

§. XV. CAETERVM an detur monarcha temporarius, inter eruditos non adeo expeditum eſt. Equidem GROTIVS L. I. c. 3. §. 11. Dictatorem Romanum, cuius imperium ſemeſtri ſpatio finiebatur, pro vero monarcha venditat; eo argumento, quod *intra tempus ſuum omnes actus ſummi imperii exercuerit eodem iure, quo qui eſt rex optimo iure; neque eiusdem actus potuerint ab alio reddi irriti.* Atqui *rerum moralium naturam ex operationibus cognoſci; adeoque quae facultates eosdem effectus habeant, eodem quoque nomine eſſe nuncupandas.* [*At dictator intra tempus ſuum omnes actus eodem iure exercet, quo rex qui eſt optimo iure; neque eius actus ab alio reddi irritus poteſt. Duratio autem naturam rei non* [1] *immutat, quanquam ſi de dignitate quaeritur, quae maieſtas dici ſolet, dubium non eſt, quin ea maior ſit in eo cui ius perpetuum datum eſt, quam cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus.*] Quanquam dubium non ſit, quin maior dignitas imperium perpetuum, quam temporarium comitetur: quippe cum ſolidiore veneratione proſequi ſoleant homines, quos nunquam ad priuatam conditionem redactum iri norunt, quam quos paulo poſt in aequo ſunt conſpecturi. Enimuero & ante iſtum BODINVS de Republ. L. I. c. 8. & poſt eruditi viri dictatorem non monarcham, ſed magiſtratum duntaxat extraordinarium fuiſſe oſtenderunt. Neque vero illud axioma adeo firmo ſtat talo: quod illae facultates ſint eaedem, quae videntur eosdem effectus producere. Sed conſiderandum quoque eſt, an quis facultatem eam exerceat tanquam ſuam [2], an tanquam alienam ſibi delegatam. Hinc & minus recte a GROTIO dicto loco, illi in claſſem monarcharum temporariorum referuntur, *qui antequam reges in ſuam perueniant tutelam, aut dum furore, aut captiuitate impediuntur, curatores regni ita conſtituuntur, vt populo non ſubſint, neque ante legitimum tempus eorum poteſtas ſit reuocabilis.* Hi enim ſummum imperium exercent non ſuo, ſed alieno nomine [3], adeoque non magis monarchae vocari poſſunt, quam tutor dominus bonorum pupilli. Sed & dictatori omnes

§. XV. 1) Verum id eſſe ait BVDDEVS in Specim. Iurisprud. Hiſtoriae §. 47. modo Natura rei non tam arcte cum duratione eius coniuncta ſit, vt vnius mutatio neceſſario mutationem alterius inuoluat. Conf. Tractatio eius omnis inde a §. 43. vsque ad §. 49.

2) Atqui nihil vetat, eam vt ſuam exerceri, etiam ab illo, cui ſumma rerum ad tempus eſt delata. Plane vt dominus quoque eſt rei, cuius dominium poſt certi temporis lapſum eſt reuocabile. Vid. *L. 66. D. de Rei vindicat.* H.

3) Negabit hoc GROTIVS. Loquitur is non de tutoribus omnibus, ſed de illis, qui ita conſtituti ſunt, vt populo non ſubſint, nec ad reddendas rationes vocari queant. Quam in rem non tantum Michaëlis Palaeologi exemplum infra ab AVCTORE memoratum, ſed & alia extant, quae adduxi Elem. Pr. Ciuil. Part. I. Sect. 6. § 8. H.

4) Vid. ROSINI Antiquitates Rom. L. VII. c. 17.

Digitized by Google

omnes & ſingulas partes ſummi imperii ſimul ita commiſſas, vt intra ſemeſtre ſuum pro arbitrio illas exercere potuerit, nemo hiſtoriae Romanae gnarus [4] admiſerit [5]. Neque abſurdum eſt, dari magiſtratum, abs quo, ſaltem in certo negotiorum genere, prouocatio non concedatur. Vid. Geneſ. XLI, 40. 44. *L. 19. C. de Adpell. & conſultat. L. 8. C. de Epiſcop. audient.* [6] *L. vn. C. de Sentent. praef. praet. L. 18. D. de Minoribus.* Addatur quoque LIVIVS L. VI. c. 38. L. VIII. c. 33. & L. XXII. c. 25. VALER. MAXIMVS L. II. c. 7. §. 8. in fine. Obſeruandum autem heic, dictatorum, vt & quorumlibet magiſtratuum poteſtatem, queis certus temporis terminus praefixus, elapſo temporis puncto expirare, eosdemque ipſo iure ad priuatam ſortem recidere: adeoque quicquid poſt illud tempus egerint, pro priuato actu habendum, cui recte a quibusuis obſequium denegatur [7]; vtut fortaſſe inſignia poteſtatis de facto retineant. Vnde nec opus eſt ad imperium talibus abrogandum nouo populi decreto: ſed ſi tergiuerſentur, ſtatim ab ipſa executione initium poterit fieri. Iura enim, quorum vigor a certo temporis termino ſuſpenditur, eodem praeſente, ſtatim expirant: ſed ſi ius committendum ſit, vbi certarum actionum qualitas deprehendatur, ibi cognitione & iudicio eſt opus. Cuius diſcriminis ratio eſt, quod, an tempus praefinitum ſit elapſum, dubium habere nequeat. An vero actio aliqua recte aut ſecus ſit ſuſcepta, in vtramque partem diſceptari poteſt. Vid. LIVIVS L. III. c. 38. ſeqq. Caeterum dari exemplum temporarii imperii, quibusdam pro impoſſibili habetur, ſi de ſummo imperio, non vicario, ſit agendum. Nam quod Auguſtus apud DIONEM L. LIII. imperium ſibi tantum in decennium dari voluit, & poſt illud iterum in decennium prorogauit, ludibrium erat. Ludibrio ſcelus miſcebat Nabarzanes [8] apud CVRTIVM L. V. c. 9. *Auſpicium & imperium alii trade interim, qui tamdiu rex appelletur, donec Aſia decedat hoſtis; victor deinde regnum tibi reddat. Beſſum regem temporis gratia ſtatuamus. Compoſitis rebus, iuſto regi tibi fiduciarium reſtituat imperium.* Maiori ſpecie pro fiduciarii regni exemplo allegari poteſt, quod exſtat apud DIODORVM SICVLVM L. IV. c. 23. & 33. Sic apud NICEPHORVM GREGORAM L. IV. Michaël Palaeologus iureiurando adigitur, vt imperium adminiſtraret, donec legitimus iſtius haeres & ſucceſſor adoleuiſſet: tum vero illi ſoli cedendum eſſe vltro & ſolio regio, & omnibus imperii inſignibus. Etſi iuramentum illud hautquidquam ſit ſeruatum. Circa pactum autem Eteoclis & Polynicis, vt alternis annis imperarent, fortaſſe dici poteſt; illos hoc egiſſe, vt regnum ipſum haberent pro indiuiſo, alternis annis adminiſtrandum. Vid. EVRIPIDES in Phoeniſſis. STATIVS Thebaidos L. I.

 §. XVI.

c. 17. SCHVLTINGIVS in Enarrat. Partis primae Digeſtorum p. 32.

5) Imo dictatura, quae quidem optima lege ſtetit, hoc eſt, quae rei gerendae aut conſtituendae Reipublicae cauſa fuit conſtituta, erat poteſtas omnibus magiſtratibus maior & ſuperior citra prouocationem, circa cauſae dictionem, ſoluta legibus, niſi pauciſſimis & exigui momenti, vi denique imperandi munita. Vt ex DIONYSIO HALICARNASSEO, POLYBIO, CICERONE, aliisque conſtat. H.

6) *Epiſcopale iudicium ratum ſit in omnibus, qui ſe audiri a ſacerdotibus elegerint: eamque illorum iudicationi adhibendam eſſe reuerentiam iubemus, quam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, a quibus non licet prouocare.*

7) Vid. SIDNEIVS de Gubernatione c. 2 Sect. 24. pag. 65. 66. T. II. verſionis Gallicae.

8) Et Semiramis, ſi vera ſunt, quae ex Athenaeo memorat DIODORVS SICVLVS, & ex hoc AVCTOR infra c. 8. §. 8. Nam ſunt, qui de ea traditione dubitant. H.

§. XVI. Circa illum modum regna habendi, quo ea regum in patrimonio dicuntur eſſe, ab initio obſeruandum; id cuiusque patrimonium dici, non tam quod abs parentibus in ſe deriuatum obtinet, quam quod quocunque modo partum ipſe pleno dominio poſſidet. Porro vti dominium proprie in rebus intelligitur; ſic & iſtae praecipue in patrimonio dicuntur; quippe in quibus nullum ius haeret, quo minus pro lubitu dominus illis non vti ſolum, ſed & abuti queat. Poſtea rebus, quae in patrimonio eſſent, accenſeri coepti ſunt ſerui, quippe quos adeo domini ad ſe pertinere aſſeruerunt, vt iſti non tam ſibi, quam dominis ſalui eſſe, aut perire intelligerentur. Atque hiſce rebus ab initio patrimonia patrumfamilias circumſcribebantur. Nam ius regendi vxores & liberos, licet ipſis ſolis competeret, cum tamen illud ad iſtorum quoque ſalutem ſpectaret, hautquaquam in patrimonio ſuo duxerunt, aut eo ſeſe locupletiores cenſeri voluerunt. Vid. *L. 126. §. 1. D. de Reg. iur.* & ibi Iac. Gothofredvs, *L. 33. D. ad L. Aquiliam.* Sicuti & eruditio, ac dexteritas liberorum hominum, vtut ipſis maxime proficua, proprie in patrimonio non cenſetur. Philo Iudaeus de Plantatione Noë: [p. 224. C. Ed. Pariſ.] *Et pictori ars pingendi, & ſua cuique artifici ars haereditas ſorsue cenſetur, non vt terrena poſſeſſio, ſed vt Olympicum praemium. Nam huiusmodi res quamuis non ſint dominii, proſunt tamen habentibus.* Etſi apud multos ſane locum patrimonii iſta ſuppleat. Ovidivs Metamorph. L. III. [v. 588.] *Ars illi ſua cenſus erat.* Nihilominus cum deinceps ambitio regnantium inter praecipua bona imperium in homines ducere coepiſſet, opibusque ſubiectorum mulcendis cupidinibus multi abuti inſtituiſſent; iſta quoque regna in patrimonio numerata ſunt, circa quae pro lubitu alienanda imperantes diſponendi facultatem acceperant [1], quod in hoc ſumma dominii vis poſita intelligeretur. Reliqui autem reges, quibus tanta in regnum ſuum facultas non conceſſa, idem velut perſonalem aliquam poſſeſſionem, & iure quaſi vſufructuario obtinere dici ſueuerunt. Cuius diſcriminis origo ex diuerſis potiſſimum regna adquirendi modis videtur proueniſſe. Quanquam enim ad legitimam quorumuis regum conſtitutionem ſubiectorum conſenſus requiratur; diuerſi tamen plane modi ſunt, quibus ille conſenſus elicitur; ſic vt alicubi rex ſubiectis imputet, quod ipſos imperio ſuo complecti velit; alicubi ſubditis rex magnum beneficium debet, quod ab ipſis regno fuerit admotus. Sic qui iuſtam contra ſe bellandi cauſam praebuerunt, vbi victi ſunt, iure belli vitam, aut libertatem perſonalem, & omnia bona potuerunt amittere. Hiſce ſane quaecunque conditio relinquatur, pro beneficio victoris habenda eſt. Qui licet victis libertatem perſonalem, & dominium priuatum relinquat; ſaltem tamen imperium in ipſos pleno & irreuocabili modo ſibi ſuisque vindicare intelligitur. Idem in dubio feciſſe praeſumitur, qui in protectionem ſuam ſuſcipit, quibus alias internecio imminebat. Quae contra

§. XVI. 1) Add. c. ſeq. §. 11. & Livivs L. VIII. c. 5. §. 9. ſeqq. Reapſe tamen Regnum tunc Regnum eſſe definit, & in Familiam degenerat. Vnde rectius dari Regna patrimonialia negat Heineccivs Iur. Nat. & Gent. L. II. §. 148. inprimis quum deficiat criterium, vnde conſtet, regnum alienari poſſe. Nam & Regna Deſpotica, & bello parta inalienabilia eſſe, nihil vetat, ceu recte obſeruat Hvbervs de Iure Ciuit. I. 3. 2. 18.

2) Conf. Avctor ſupra L. VI. c. 3. §. 7. H.

3) Vid.

tra regna patrimonialia diſputat Franc. HOTOMANNVS Quaeſt. illuſtr. I. reſoluit GROTIVS [2] L. I. c. 3. §. 12. Effectus autem, ex iſthoc modo habendi imperium reſultans, in eo potiſſimum cernitur, quod ibi non ſolum conditio ciuium arbitrio regum ſit conſtituta; ſed & quod ius ſuum in tale regnum rex pro lubitu in quemcunque poſſit transſcribere, adeoque & modum ſuccedendi pro ſuo arbitrio [3] conſtituere [4].

§. XVII. ENIMVERO vbi rex vltro a populo adſciſcitur, ibi ſinguli de ſuis iuribus omnia ſibi reſeruaſſe praeſumuntur, quae quidem cum natura ciuitatis conſiſtere poſſunt. Adeoque qua conditione in hiſce regnis ciues viuant, non tam a regis, quam ipſorum ciuium arbitrio pendet; qui tamen vtique de naturali ſua libertate tantum ſibi detrahere neceſſum habuerunt, quantum forma Reipublicae, quam introducturi ſunt, poſtulat. Deinde quia ad regnum vltro dandum homines plerumque moueri ſolent peculiari aliqua conſideratione, quae in quibusuis non deprehenditur; & qui vltro imperium alicuius ſubit, huic quidem, ſed non ideo cuiuis ſubiici velit: igitur regulariter in tali regno ab arbitrio populi dependere intelligitur, ad quem poſt mortem electi regis regnum deuoluatur. Vbi ſi populo non placeat ſingulos reges peculiari electione adſciſcere, penes ipſum tamen erit, ſuper ſucceſſionis ordine diſponere, neque regis heic quidquam contra populi voluntatem poteſtas valebit. Atque hoc potiſſimum intuitu eiusmodi reges iure vſufructuario a quibusdam dicuntur regna ſua obtinere, quod neque circa intrinſecam eius ſtructuram, neque circa translationem in alium ſuo arbitrio quidquam inuito populo diſponere queant. Conf. *L. 13. §. vlt. L. 15. §. 1. D. de Vſufructu. L. 9. C. h. t.* Vlterius comparationem inter regem voluntate populi conſtitutum, & vſufructuarium extendere ego quidem nolim [1]. Vnde hautquidquam probauerim illud HOBBESII de Ciue c. 7. §. 16. *Si populus ab electione monarchae temporarii,* (id eſt, in quem ad tempus vitae imperium eſt collatum,) *ita diſceſſerit, vt decretum prius factum ſit de conueniendo ad diem & locum certum poſt mortem eius: tunc mortuo monarcha, conſolidatur imperium in populo, nullo nouo actu ciuium, ſed iure priore. Toto enim medio tempore ſummum imperium, vt dominium, in populo erat, vſus autem, ſeu exercitium eius tantum in monarcha temporario, vt vſufructuario.* Enimuero hanc ſententiam ita crude acceptam oppido quam periculoſam arbitramur omnibus monarchis, qui libera populi voluntate ſunt conſtituti, & qui certis legibus, quas vocant, fundamentalibus ſunt adſtricti. Praeſertim cum, ſi licuit illi temporarium vocare monarcham, qui ad tempus vitae conſtituitur, etiam illi hoc nomine nuncupari queant, qui imperium acceperunt in familia duntaxat ſua continuandum. Et quia Hobbeſius non definit, quousque talem regem cum vſufructuario comparet; facile periculoſis conſecutionibus irretiri poterit.

3) Vid. infra c. 7. §. 11. H.

4) Qua ratione apud Iudaeos Rex e filiis ſuis ſucceſſorem ſibi pro lubitu eligere poterat. Vid. 1 Reg. I, 35. 2 Chron. XI, 20. 22. ibique Clericus.

§. XVII. 1) HVBERVS L. I. de Iur. ciuit. Sect. 3. c. 2. §. 28. maluit, tale imperium cum dominio mariti in rem dotalem, aut heredis fiduciarii, quod interea antequam fideicommiſſum reſtituatur, in re fideicommiſſo obnoxia habet, comparare. Quid ſi pro vſufructario dicamus *non alienabile.* H.

poterit. Cum enim dominium in ſe ius ſit nobilius, quam vſusfructus temporarius; facile liceret concludere; populum eſſe rege ſuperiorem, & hunc ab illo poſſe in ordinem redigi, ſi ad ipſius placitum regnum non adminiſtrauerit. Quam ob cauſam reiicienda quoque ſunt, quae traduntur Leuiath. c. 19. quod electiui reges non habeant ſummam poteſtatem [a]. Item, qui habet poteſtatem rege defuncto ſucceſſorem conſtituendi, eundem ſummam quoque poteſtatem obtinere rege viuo; cum quis non poſſit alteri dare, quod ipſe non habeat. Nam ad ipſam vim imperii in ſubiectos parum intereſt, quid circa caſum interregni ſit in aliquo regno conſtitutum. Etiam vbi heic fuerit prouiſum, ciues addictiſſime poſſunt parere, & ab omni circa Rempublicam poteſtate eosdem excludi nihil prohibet, nec de noua Reipublicae forma, aut ſucceſſore rege viuo cogitare licebit. Ex eo autem, quod rex electitius ſucceſſorem ſibi pro arbitrio eligere nequeat, non ſequitur, ipſi vſumfructum duntaxat, & non velut dominium imperii competere, ipſumque rei alienae eſſe adminiſtratorem. Nam vt ad aliquem redeat poteſtas proſpiciendi ſuae ſaluti, & ſuas actiones proprio ex iudicio gubernandi, (quae poteſtas tantiſper penes alium fuit,) non neceſſarium eſt imperium ita velut diuelli, vt penes hunc eiusdem κτῆσις remaneat, χρῆσις duntaxat in alterum transferatur; cum extincto eo, cui etiam abſolutum in aliquem imperium competebat, naturalis libertas vltro velut reuiuiſcat. Quis enim, verbi gratia, patri velit χρῆσιν imperii paterni attribuere, ideo quod liberi ipſo mortuo ſui iuris euadant; aut domino χρῆσιν imperii herilis, ideo quod ſeruus ipſo citra omnem haeredem mortuo in libertatem abeat?

a) Quod ante ipſum multos alios quoque exiſtimaſſe, notat H. GROTIVS L. I. de I. B. & P. c. 3. §. 10. n. 5. H.

CAPVT

CAPVT VII.

DE MODIS ADQVIRENDI IMPERIVM, INPRIMIS MONARCHICVM.

I. *Modus adquirendi imperium in democratia eſt vniformis:*
II. *Sed in ariſtocratia & monarchia variat.*
III. *Imperium quatenus occupetur per vim iuſtam:*
IV. *Quatenus per vim iniuſtam.*
V. *Qua ratione quis alterius imperio exſoluatur.*
VI. *Electio quotuplex?*
VII. *Quid interregnum,* VIII. *& interreges.*
IX. *Examinatur Hobbeſius.*
X. *Quid ſi poſthumus expectetur?*
XI. *De ſucceſſione in regno patrimoniali;*
XII. *Et in regnis voluntate populi conſtitutis, eaque vel ſimpliciter haereditaria;*
XIII. *Vel lineali;*
XIV. *Aut per gradus velut tranſuerſos.*
XV. *De iudice controuerſiarum circa ſucceſſiones in regnis.*

CVM IN diſquiſitione, quo quis modo imperium adquiſiuerit, regulariter praeſupponatur, diuerſum eſſe eum, qui imperium dicitur adquirere, ab illis, in quos idem adquiritur: manifeſtum eſt, quaeſtionem hanc democratias parum tangere; quippe in quibus illi, qui imperant & parent non phyſice, ſed morali duntaxat reſpectu diſtinguuntur. Etſi enim quandoque, per ſeditiones pulſis optimatibus aut rege, democratia conſtituatur; tamen cum heic iidem ſint qui imperant & parent, nullo ſenſu dicetur; populum violento modo imperium adquiſiuiſſe, ſeu populum per violentiam talem, quae ad ſubiectos pertinet, imperium in ſeipſum conſtituiſſe. Inde & in democratiis, ſecus atque in monarchiis, modus habendi imperium ſemper vniformis eſt *. Incrementa tamen ſua democratiae, vti aliae ciuitates, violentiae bellicae poſſunt in acceptis referre.

§. II. AST in Ariſtocratiis diſcrimen aliquod deprehenditur circa modum adquirendi imperii, non in eo ſolum, quod alibi quidem optimatibus vltroneo conſenſu populi imperium fuit delatum, alibi per vim idem fuit quaeſitum,

§. I. * Si tamen faex populi, oppreſſis legibus, quibus libertas popularis antea temperabatur, imperium in meliores de populo vſurpet, habeatque locum Reſpublica,

Ὅταν δὲ τ' ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγενῶν
κατανικῶνται.
Vbi degeneres vicere bonos,
Et magnanimos plebs premit ima,

vt eſt apud EVRIPIDEM Aloidis, is modus habendi imperium in ſtatu populari multum diuerſus eſt ab illo, vbi populus ſecundum leges regitur. Eam Reipublicae ſpeciem Graeci ὀχλοκρατίαν dixere, eiusdemque inſtituta, ab aliis diuerſa, explicuit ARISTOTELES. H.

tum [1], ſed & quod illo concilio propter ſingulorum mortes ſupplendo, alicubi electio adhibetur, alicubi ſola natiuitas ad illud concilium aditum praebet [2]. Enimuero in monarchiis id diſcrimen longe clarius ſeſe pandit. Etſi enim omnes monarchae, vt imperium ipſorum fiat legitimum, conſenſu populi opus habeant; is tamen diuerſo modo elicitur: & qui vltroneo populi conſenſu ſceptris admouentur, vel electioni, vel ſucceſſioni [3] idem debent.

§. III. MODVM adquirendi imperii violentum vocare ſolent *occupationem*. Circa quam tamen notandum, diuerſam eam eſſe ab illa occupatione, qua res domino carentes per ſolam adprehenſionem nobis proprias facimus. Nam cum in iſtiusmodi rebus nullum exſiſtat ius, quo minus quilibet homo easdem ſibi vindicare queat, (ni lege ciuili impediatur) nullo peculiari titulo opus eſt ad dominium illarum adquirendum, ſed ſola adprehenſio corporalis cum animo ſibi habendi ſufficit [1]. Enimuero cum homo homini naturaliter ſit aequalis, adeoque alterius imperio non obnoxius; igitur non ſola vis & velut adprehenſio ad legitimum in homines imperium conſtituendum valet, ſed alio inſuper titulo eſt opus. Vnde quando GROTIVS L. II. c. 3. §. 4. tradit [2]: *In rebus, quae proprie nullius ſunt, duo eſſe occupabilia, imperium & dominium, quatenus ab imperio diſtinguitur:* vocabulum *imperii* hautquidquam capi debet de imperio proprie dicto, & quod exercetur in homines; ſed de imperio in terras, cuius hic eſt effectus, vt nemo nobis inuitis in illis debeat commorari, ni nobis ſubiectus eſſe velit [3]. Alias enim homo non eſt ex numero rerum, quae nullius ſunt; ſed qui non eſt alterius, ſuus eſt. XENOPHON Cyropaed. L. IV. [p. 59. Ed. H. Steph.] *Οὐδὲν ἔτως ἡμέτερόν ἐςιν, ὡς ἡμεῖς ἡμῖν αὐτοῖς. Nihil ita noſtrum eſt, ſicut nos noſtrummet ipſorum.* Vide & IDEM recte tradit L. II. c. 9. §. 1. *Si quis ſine omni haerede obeat, ſeruos ipſius liberos, & populos ſubiectos ſui iuris euaſuros;* quia non fuit haec ſui natura occupabilia. Mallem tamen omiſſam fuiſſe limitationem iſtam: *Niſi libertatem ſuam vltro deſerant* Quem enim inueniemus hominem, qui libertatem ſuam habeat pro derelicta, id eſt, qui vtut domino carere nolit, nil tamen ſua intereſſe putet, huic an illi ſeruiat : Igitur talis demum occupatio ad comparandum imperium facit, quae iuſtam praeſupponit inuaſionis cauſam, & conſenſu ſubiectorum, pactoque ſubſequente firmatur. Quin merito commendanda regula Yncarum apud Peruuianos, imperium pedetentim proferre, & citra violentiam, alios potius manſuetudine imperii alliciendo, apud Garcilaſſ. de la VEGA Comm. Reg L. II. c. 19. Citra hoc enim ſtatus belli durat, ac nulla obligatio, fidesque, adeoque nec imperium intelligi poteſt. Quo loco expendendus eſt I. F. HORNIVS de

§. II. 1) Vt apud Romanos a Decemuiris. H.

2) Vt Venetiis, Genuae, Reguſae, & alibi. Hinc oligarchiae, perinde vt regna, rectiſſime diſtinguuntur in electiuas & ſucceſſiuas, quicquid dixerit HOBBESIVS. H.

3) Cui modo adquirendi imperium iure ſucceſſionis etiam in Regnis vi partis locus eſt, vt adparet ex iis, quae tradit AVCTOR infra §. 11.

§. III. 1) Haec & quae ſequuntur, iisdem fere verbis iam leguntur in L. IV. c. 6. §. vlt. niſi quod hic additus eſt locus XENOPHONTIS.

2) Conf. ſupra L. IV. c. 6 §. 14. H.

3) Vid. ſupra L. III. c. 3. §. 10. & hoc libr. c. 2. §. 20. H.

4) Vid. quae dicentur infra ad L. VIII. c. 6. §. 21.

5) Bene AVGVSTINVS L. XIIX. de Ciuit. Dei c. 2. *Victrici victa pars praeualet, dominationi ſcilicet vel etiam libertati qualemcunque pacem prae-*

de Ciuitate L. II. c. 9. §. 2. qui tradit: *Si quis iniuſte laceſſentem, iniuriisque id aliis meritum bello deuicerit, continuo in deuictum habere legitimam poteſtatem, nec expectare ſubiugatorum conſenſum.* Atqui quomodo ex ſtatu belli in pacem poterit deſcendi ſine interueniente pacto? Quomodo fides & obſequium ei debebitur, qui illud non eſt ſtipulatus? Illud duntaxat habent iuſto bello victores, vt conſenſum deuictorum non per ambitum, aut preces eblandiri neceſſum habeant; ſed eundem per intentata extrema mala queant extorquere [5]. Vnde nihil agit HORNIVS d. l. quando dicit: *Si deuictorum conſenſus neceſſarius foret, nunquam legitimus victor occupatione conſequeretur imperium: quod occupatio nullius efficaciae foret, ſi victus non conſentiret.* Atqui cum haec occupatio praeſupponat victorem viribus praepollentem, adeoque mala quaeuis victo valentem repraeſentare; ipſa occupatio ſatis efficiet, ne victi conſenſum ſuum denegare victori queant. Nam vtut nemo ſit, quin vincere quam vinci malit: tamen nullus non ſanus, vbi ſuccumbere ſe videt, leuiori defungi malo optabit: neque noxium ſibi in victoris imperium conſenſum ducet [6], per quem internecionem effugere datur.

§. IV. SED quid, ſi per vim iniuſtam imperium quis occupauerit? Equidem id extra dubium eſt, quin populus democraticus, eiusue maior pars ad euitandum grauius malum, qualicunque de cauſa intentatum poſſit abdicata libertate ſub imperium vnius aut paucorum concedere [1]. Sicut & illud omnes fatentur, poſſe populum regi ſubiectum, ad declinandum excidium, & poſtquam in rege nihil amplius eſt praeſidii, alteri ſeſe ſubmittere [2]. Sed illud altioris eſt indaginis: cum metus iniuſte incuſſus pactum vitiet, & qui alteri iniuria ſua damnum dederit, ad reſtitutionem teneatur; quomodo conſenſus ſubiectorum, metu maioris mali expreſſus, inuaſoribus legitimum poſſit conferre imperium, ita vt horum quoque conſcientia iſto conſenſu poſſit tranquillari. Nam illae naeniae ſunt: *Cum imperium, quod inuaſor accepit conſenſu populi, non eripuerit populo, ſed a Deo in populum acceperit: igitur ſi id reſtituendum foret, Deo reddendum, non populo.* Sed cum Hornius ipſe populo tribuat poteſtatem deſignandi ſubiectum, in quod Deus coelitus maieſtatem infundat; igitur ſufficiet, ſi iſthanc populo oppreſſor reſtituerit. Si enim populus recuperauerit facultatem libere deſignandi regem, quem voluerit, credo, parum amplius ſua intereſſe iudicabit, ſiue maieſtatem illam ſuam inuaſor retineat, ſiue Deo reſignet. Igitur iudicauerim prius diſcernendum eſſe, an inuaſor per vim democratiam verterit in monarchiam; an vero monarcha eiecto in eius ſeſe locum immiſerit. Poſteriori caſu obligatio reſtituendi non prius expirat, quam aut

praeferens ac ſalutem: ita vt magnae fuerint admirationi, qui perire quam ſeruire maluerint. Nam in omnibus fere gentibus vox naturae iſta perſonuit, vt ſubiugari victoribus mallent, quibus vincicontigit, quam bellica omnifaria vaſtatione deleri. H.

6) *Cuius imperii legitimus titulus non inde ſolum deducitur, quod victor, ſi rigore belli voluiſſet vti, vitam plane victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiae inſuper laudem nanciſcatur: ſed & quod, cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea laeſerat, & cui aequam ſatisfactionem praebere renuit, omnes ſuas fortunas aleae Martis exponat, ſic vt iam in anteceſſum tacite conſenſerit in quamcunque conditionem, quam euentus belli ipſi eſt aſſignaturus.* Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 10. §. 2.

§. IV. 1) Supra c. 6. §. 5. H.

2) Infra c. 8. §. 9. & 10. H.

aut expulſus rex, ipſiusque haeredes, quibus ad regnum ius quaeſitum fuerat, ſit extinctus, aut ipſe pro derelicto id habuerit. Id quod etiam tunc feciſſe praeſumitur, quando per longiſſimum temporis ſpatium nullum conatum regni recuperandi oſtendit [3]. Vid. IVSTINVS L. XL, c. 2. Interea tamen temporis, etiam quamdiu adhuc inuaſoris conſcientia laborat, ſubditos poſt conſenſum ſuum fides data valide ſtringit, ſiquidem tunc demum eandem dederunt, quando aduerſus [4] expulſum regem, quidquid ab ipſis poſtulari potuit, fecerunt. Circa priorem caſum hoc probabiliſſime videtur dici, cum populus aeque in monarchia, quam democratia felix eſſe queat; facile eſſe, vt popularis libertatis deſiderium digeratur, ſi Rempublicam nouus iſte rex bene gubernauerit. Id quod etiam ex modici temporis patientia atque adſuetudine praeſumi poteſt. Et hoc facto adquiſitionis vitium purgatum intelligitur. Paucorum autem muſſitantium ratio haberi non debet, qui abs nulla Reipublicae ſpecie, etiam quae vltro a ciuibus fuit conſtituta, abſunt. Quod ſi autem aliquis poſt mutatam violenter Rempublicam ciues miſeris modis habeat, vix iudicauerim, intrinſeca obligatione ciues iſti inuaſori obſtringi. Illud enim neſcio an gratis ſit credendum I. F. HORNIO de Ciuitate L. II. c. 9. §. 4. *non attinere ad imperii naturam, quo modo fuerit quaeſitum; quippe cum idem ſemper & vbique reſpondens poſtulet obſequium.* Sane enim ſi quis non ſolum per vim aut fraudem imperium inuaſit, ſed etiam, praeter crudelem ciuium oppreſſionem, in manifeſta violentia omnes ſuas rationes collocat; eius vitium ne diuturnitate quidem temporis, quae alias ad praeſcriptionem ſufficere iudicatur, purgari videtur. Nam diuturna poſſeſſio nihil aliud heic notat, quam per longiſſimum temporis ſpatium continuatam iniuriam. Vid. IVSTINVS L. III. c. 5. Conf. GROTIVS L. II. c. 4. §. 14. & L. I. c. 4. §. 19.

§. V. Hoc loco & illud quaeri poſſet: ſi quae ciuitas monarcham amolita eſt, qua ratione & quando ipſius libertas democratica confirmetur: Vbi ſuper diuerſis caſibus diſtincte videtur pronunciandum. I. Si vrbs vel regio aliqua, quacunque de cauſa excuſſo eius imperio, cui antea ſuberat, libertatem ſibi vſurpauerit, & pro peculiari ſeſe Republica gerere coeperit; vbi poſt cum antiquo ſuo domino amice tranſegerit, & pro libera Republica agnita fuerit, ſtatim libertatem pleno iure obtinet, neque ad eiusdem confirmationem mora vſucapionis opus habet. II. Si iuſtis de cauſis imperium alicui fuerit abrogatum, ſtatim firma & iuſta eſt libertas, atque vindicata fuit [1]. Neque diuturna poſſeſſione opus eſt, aut vt illa libertas a priori domino pro legitima agnoſcatur; niſi hactenus, vt iniuſtis litibus, quae ab iſto deinceps moueri poſſent, materia

3) Nec teſtatione contraria ius ſuum conſeruare nititur. H.

4) Quod Plautino & Terentiano more ponitur pro *erga*. Eſſet hoc ſupervacuum ad animaduertendum, niſi THOMASIVS Iurisprud. Diu. L. III. c. 6. §. 101. in nota f. arbitraretur, hoc eſſe *Sphalma*.

§. V. 1) V. de Belgis, Philippo imperium abrogantibus; H. GROTIVM L. III. Annal. Belgic. Ad A. MDLXXXI. Conf. L. VII. Hiſtor. ad A. MDXCIIX. p. 332. H.

2) V. ſupra L. IV c. 12. § 8. ſeq. H.

§. VI. 1) Ita Aethiopes olim in eligendis Regibus ſpectabant formae praeſtantiam, robur corporis, opes, rei pecuariae peritiam. STRABO. L. XVII. Geograph. p. 566. Conf. infra L. VIII. c. 5.

Digitized by Google

materia penitus praeſcindatur. Vid. BAVDIVS de Induciis belli Belgici L. III. p. m. 178. III. Vbi iniuſtis de cauſis rebellatum fuerit, libertas illegitima manet, quamdiu antiquus dominus bello ad obſequium rebelles reducere laborarit, aut ſaltem proteſtationibus ius ſuum in eosdem ſaluum conſeruarit, donec ex diuturno ſilentio colligatur, antiquum dominum ius ſuum habere pro derelicto. IV. Si contingat regionem vel vrbem, periculo ab hoſtibus imminente, a rege ſuo auxilium fruſtra petere, quod vires ipſum deficiant, ſic vt ea propriis viribus & conſilio ſalutem ſuam expedire cogatur: putamus prioris domini ius expirare, vbi per diuturnum temporis ſpatium ſuas ſibi res ſeorſim habuit, nec cum antiquo imperio negotii quid amplius ipſi interceſſit.[a]. Id enim aperte prioris domini derelictionem arguit. Nam ſi vel maxime interdum regem aut Rempublicam neceſſitas ſubigat, vt ab auxilio ſuo deſtitutam vrbem aut regionem propriae defenſioni relinquere cogatur; Vid. LIVIVS L. III. c. 6. XXIII. c. 21. tamen depulſa ea neceſſitate ad antiqui imperii exercitium protinus erit redeundum. Cum amplius principem ſe meum ferre nequeat, cui, vbi commode poſſit, vllam principalis muneris partem aduerſus me exhibere diu curae non eſt. Vid. Liuius L. XXXV. c. 16.

§. VI. PER *electionem* populus conſtituendus, aut iam conſtitutus vltro certum hominem ſuo iudicio imperii capacem deſignat. Cui poſt vbi decretum populi, aut eorum, qui populum repraeſentant, fuerit ſignificatum, idque ille acceptauerit, promiſſo populi obſequio imperium confertur. Eam vulgo faciunt *liberam* aut *reſtrictam*. Illa eſt, qua citra exceptionem deſignari poteſt, quicunque naturaliter habilis ſit imperio, aut mox fore ſperetur. Haec autem, quae non niſi ex certa natione, familiaue, aut certa qualitate praeditum[1] recte poteſt deſignare. Si tamen ius eligendi, prout radicaliter populo inhaerere intelligitur, conſideremus, omnis electio in ſe libera erit. Licet enim decretum ſemel factum fuerit, quo certum genus hominum ab imperio excludatur; nihil tamen impedit, quo minus id decretum iterum abrogetur. Sed ſi populus in paucos quosdam ius eligendi contulerit, vt plurimum certis ipſos legibus ſolet adſtringere circa requiſita, quae in deſignando principe obſeruari debeant[2]. Alicubi electio velut mixta ſucceſſione deprehenditur, quando regulariter quidem ad defuncti filios regnum deuoluitur, vt tamen populi, procerumue conſenſus initio interueniat[3]. Qui conſenſus non videtur nudum inſtar inaugurationis, aut praeſtationis homagii, ſed vim ſuffragii negatiui habere[4]. Veluti ſi populus in auctorem familiae regnatricis imperium hac lege contuliſſet, vt idem in poſteros quoque transmitteretur,

c. 3. §. 12. Singulare eſt, Perſarum Rex quis eſſe non poterat, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque percepiſſet, teſte CICERONE I. de Diuinatione. Quod de Patanorum populo refert LOVBERIVS Deſcript. regni Siamenſ. Part. 3. c. 4. eum ex certa familia eligere Principem (Luſitani Reginam vocant) foeminam, & quidem vetulam, ne marito opus habeat. H.

2) Paucis autem illis ius eligendi adimi haut poterit, ſi id vel pacto, vel praeſcriptione memoriam hominum excedente, habeant quaeſitum. V. HVBERVS L. I. de Iure Ciuil. ſect. 7. c. 5. §. 24. H.

3) V. quae annotabimus infra ad §. 11. H.

4) Et olim apud Hebraeos in regno Iudae, & Francos ſub ſtirpe Meroueadarum & Carolidarum. vit. Element. Prud. Ciuil. Part. 1. ſect. 10. §. 9. H.

teretur, dummodo regno non inepti ſint futuri. Igitur in talibus regnis populus aut proceres conueniunt, non tam vt regem eligant, quam vt declarent, nihil ſe in filio reperire, quo minus patris ſucceſſor eſſe queat.

§. VII. Caeterum electio fit vel in ciuitate iam naſcente, vel in ciuitate olim conſtituta. Ibi poſt primum pactum, & decretum ſuper forma Reipublicae introducenda ad electionem proceditur ab vniuerſis, vel per vniuerſos deputatis. Qua peracta, & acceptata, inſecutoque inter electum & populum pacto perfecta ciuitas monarchica exſiſtit. In ciuitate autem monarchica iam conſtituta contingere poteſt, vt monarcha decedat, ſucceſſore nondum conſtituto. Quo caſu res ad *interregnum* [1] redire dicitur. Quae forma autem ciuitati aſſignanda ſit tempore interregni, facile intelligi poteſt, ſi conſideretur, quibus vinculis perfecta ciuitas cohaereat. Scilicet quia per poſterius pactum, regem inter & ciues initum, intrinſeca ciuitatis perfectio, & ſummum imperium actu prouenit; inde ſubiecto proprio imperii ſublato ad imperfectam formam regnum delabitur; ſic vt primogenio duntaxat ciuitatum pacto cohaereat, quo ſinguli cum ſingulis ad conſtituendum vnum coetum intelliguntur conſpiraſſe. Quanquam iſti pacto circa connectendos ciues tempore interregni non parum firmitatis addit vocabulum communis patriae [2], & exinde reſultans qualiscunque cognatio; ſimulque quod plerorumque fortunae iſti loco ſint annexae; nec facile aliorſum transferri queant. Lysias Orat. XXX. *Qui natura ciues ſunt, ſed in ea ſunt ſententia, vt quamuis regionem ſibi eſſe patriam exiſtiment, in qua ſuis commodis conſulere queunt; de his ſatis conſtat, quod neglecto communi ciuitatis bono, priuata ſua lucra ſint quaeſituri, eum non ciuitatem, ſed facultates & diuitias ſibi patriam conſtituunt* [3]. Sicuti & recte Livius L. II. c. 1. iudicat: per *pignora coniugum ac liberorum, caritatemque ipſius ſoli, cui longo tempore aſſueſcitur, animos ciuium conſociari.* Antiphon. Orat. 16. *Οὔτε ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν καλῶς εἶχεν αὐτῷ. ἱκανὰ γὰρ ἦν τὰ ἐνέχυρα αὐτοῦ οἵ τε παῖδες καὶ τὰ χρήματα. Nec facile ipſi erat ciuitatem deſerere: ſufficientia enim pignora erant, quae tenebantur, ipſius liberi & opes.* Sic apud Plutarchum Mario [p. 410. A.] Romani militem a cenſu legiſſe dicuntur, *ἐνέχυρον τὴν οὐσίαν ἑκάστου τιθέναι δοκοῦντες, quod quilibet ſuas facultates pignori opponere videretur.* Quae cauſa etiam eſt, quare ciuitas ad interregnum deuoluta firmius adhuc cohaereat, quam exercitus, mercenarius cumprimis, amiſſo duce; quippe in quo *pleriſque nulla patria, aut alia eſt.* Iſta igitur omnia vt conſeruent, atque in tuto collocent locupletes ciues, ad concordiam interea agitandam ſunt proniores, & ſtudioſius

§. VII. 1) V. Avctoris Diſſertatio de Interregnis, quae numero 5. eſt inter Diſſertationes eius Academicas ſelectiores.

2) Conf. Alia Diſſertatio Avctoris noſtri de Obligatione aduerſus patriam. Eſt ea prima in laudata collectione.

3) *Καὶ γὰρ οἳ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ χρῶνται ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστιν, ἐν ᾗ ἂν τὰ ἐπιτήδεια ἔχωσιν, οὗτοι δῆλοί εἰσιν ὅτι ἂν παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινὸν ἀγαθὸν, ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθοιεν. διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὐτοῖς ἡγεῖσθαι.*

4) *Timor deinde Patres inceſſit: ne ciuitatem ſine imperio, exercitum ſine duce, multarum circa ciuitatum irritatis animis vis aliqua externa adoriretur.*

5) Et definiri interregnum poteſt *ſpecies Reipublicae, in qua, manente pacto primo, alterum vel*

dioſius ad inſtaurandam ciuitatis formam incumbunt. Caeterum, quanquam cum Livio L. I. c. 17. [4] interregni tempore regnum poſſimus vocare *ciuitatem ſine imperio, & velut exercitum ſine duce*; tamen quia ciuitates naſcentes, antequam imperium in certum hominem aut concilium fuerit collatum, democratiarum inſtar habent; (Vid. Hobbes de Ciue cap. 7. §. 5. ab init.) & praeterea naturale eſt, vt quando vniuerſi curam ſui alicui commiſerunt, eo extincto, ipſi ſibi proſpiciant: igitur regulariter interregna indolem democratiae alicuius temporariae prae ſe ferre videntur, ſaltem hactenus, vt ex vniuerſorum conſenſu tantiſper ſtatuendum ſit de communium rerum adminiſtratione, nouoque rege creando, niſi aliam Reipublicae formam introduci placuerit [5]. Democratia tamen perfecta interregnum proprie non eſt, quatenus nondum decreto ſancitum, ſummam rerum perpetuo eſſe debere penes concilium vniuerſorum, & quia leges atque inſtituta publica ad monarchicum regimen adhuc ſunt adaptata. Quanquam & hoc poſſit contingere, vt vbi regnum ex inſignibus partibus integrantibus conſtat, puta ex diuerſis gentibus, prouinciis, ac magnis vrbibus, per interregnum faciem alicuius ſyſtematis id videatur induere. Ex hisce patet, quem in ſenſum capiendum ſit illud, quod a Grotio L. I. c. 3. §. 7. aliisque traditur: *Rege extincto, citra ſucceſſorem imperium reuerti ad populum.* Scilicet quanquam hactenus in interregno penes populum imperium non ſit, quod nondum communi decreto in perpetuum ſumma rerum in concilium vniuerſorum ſit collata; poterit tamen interim populus per ſe, aut certos delegatos exercere omnes actus ſummi imperii, qui ad conſeruationem ipſius facere videbuntur. Nam falluntur illi, qui extincta familia regnatrice, negant poteſtatem imperandi ad populum reuerti, ſed duntaxat poteſtatem eligendi & deſignandi alium regem. Quaſi vero, interregno exſiſtente, neceſſum ſit populo omnino regem creare. Et quaſi deinceps non poſſit imperium conferri in optimates, aut democratia in perpetuum ſtabiliri.

§. VIII. Optime tamen tranquillitati ſuae proſpexerunt ciuitates, quae declinandis incommodis, ex interregno oriri ſolitis in anteceſſum conſtituerunt [1], penes quos, ſolio vacante, interea ſit Reipublicae adminiſtratio. Qui ſiue interregum, ſiue alio vocabulo inſigniantur [2], ſunt magiſtratus temporarii, ſeu, vt ita loquar, prouiſionales, qui auctoritate vniuerſi populi actus ſummi imperii, ſaltem continendo tantiſper coetui neceſſarios, exerceant; obnoxii tamen populo ad reddendas geſtorum rationes, quas & aliquando nouus rex velut nomine populi exigit. Horum poteſtas, nouo rege creato, aut

 vti

vel lege, vel arbitrio, vel caſu ſuſpenditur. Eſtque vel *ordinarium*, quod ex propoſito populi euenit, vt in regnis electiuis; vel *extraordinarium*, quod citra voluntatem populi contingit, forte quia regnatrix domus extincta, vel dubia aut controuerſa eſt ſucceſſio. Dixi *ſpeciem Reipublicae.* Etſi enim pacto primo non inſit Respublica, cum tamen ciues iam dudum pacto illo coaluerint, & interim acceſſerint varia vincula connubiorum, mutuae familiaritatis, morum conſimilium, & alia eius generis; non eſt praeſumendum, cum in ſtatum interregni conîicitur populus, eum tantiſper, donec alterum pactum perficiatur, ſine aliquali regimine eſſe velle. Conf. infra §. 9. H.

§. VIII. 1) Vbi interregnum eſt ordinarium. H.

2) In Polonia Primas regni Archiepiſcopus Gneſnenſis, Regis locum tenens, & in ſolio regio ſedens. In Germania duo vicarii imperii, Saxo & Palatinus. H.

vbi ſuper alia Reipublicae forma fuerit conſtitutum, ſtatim expirat. Vbi vero in aliquo regno extiterit perpetuus ſenatus, penes quem tamen rege viuo ſumma rerum non fuerit, in illum, rege defuncto, ſumma poteſtas proprio iure non recidit. Quanquam expeditiſſimum ſit, vt in caſum interregni vicaria Reipublicae adminiſtratio tantiſper eidem committatur [3], ſicuti & antea abs rege in partem curarum tanquam miniſter vocabatur. Quicquid autem poteſtatis interregni tempore ille ſenatus exercuerit, id ab vniuerſo populo in eundem collatum intelligitur. Quam enim poteſtatem a rege tanquam magiſtratus obtinuerat, illa rege citra ſucceſſorem defuncto extinguitur; (vid. CONNESTAGIVS de Vnione Luſitan. L. III. p. m. 115.) & ſi priſtinam continuare functionem conceditur, id non amplius defuncti regis, ſed populi beneficium eſt. Add. BODINVS de Republ. L. III. c. 2. p. m. 417. Hinc & eiusmodi ſenatui, interregis officium obeunti, hautquidquam licet diutius poteſtatem retinere, quam vniuerſis placuerit; multo minus ſibi perpetuo imperium vindicare, aut propria auctoritate ariſtocratiam conſtituere. Penes vniuerſos enim eſt ſuper forma Reipublicae diſponere, & quidem pro lubitu, niſi forte deiurio ſint vincti. Vid. LIVIVS L. I. c. 17. & DIONYSIVS HALICARNASSEVS L. II. vbi memorat, cum crebra illa interregum mutatio populo Romano diſplicuiſſet, & quod pro vno centum viderentur reges habere, ſenatum in populi arbitrio poſuiſſe, de ordinanda Republica diſpicere, ſiue regibus, ſiue magiſtratibus annuis eius curam mallent credere. Etſi eam optionem populus in ſenatus iudicium reiecit. Addatur quoque hiſtoria interregni poſt obitum Sigismundi in Polonia, apud PAVL. PIASECIVM ad Ann. Chriſt. 1632.

§. IX. AD iſthaec illuſtranda operae pretium fuerit expendiſſe, quae tradit HOBBES de Ciue c. 7. §. 15. 16. vbi talem format caſum: *Si populus tradiderit ſummum imperium vni alicui hominum, habendum pro tempore tantum vitae ſuae, idque cum fecerit, vnusquisque e coetu ita diſceſſerit, vt de loco vbi poſt mortem eius ad nouam electionem congregentur, nihil omnino ſit ordinatum: populus non amplius erit perſona vna, ſed multitudo hominum diſſoluta, quorum cuilibet cum quibuslibet conuenire diuerſo tempore & loco, quo libuerit, licitum erit.* Igitur talem monarcham ex lege gratitudinis teneri cauere, ne poſt mortem ſuam ciuitas diſſoluatur: idque vel ſtatuendo diem & locum certum, quo ciues, qui voluerint, conuenire poſſint; vel ſucceſſorem ſibi nominando, prout Reipublicae videbitur expedire. Heic fallitur HOBBES, dum arbitratur, *congregatos, ſi diſceſſerint, non conſtituto prius loco & tempore ſecuturi conuentus, abire in diſſolutam multitudinem:* ſiquidem hoc intelligatur de illis, qui iam ciuitatem perfectam, rege electo, conſtituerunt, non de his, qui in ciuitate adhuc conſtituenda ſunt occupati. Nam qui congregantur ciuitatis formandae cauſa, & diſcedunt non indicto in futurum conuentu, illos manifeſtum eſt, re penitus infecta diſſolui, adeoque ſingulos in priori ſtatu permanere. Aſt qui ſemel in perfectam ciuita-

3) Vt collegio Cardinalium, & in Germaniae Epiſcopatibus collegiis maioris templi. H.

§. X. 1) Anomala tamen, fluctuans inter verum regnum & interregnum. Hinc populum hautquidquam iura illa, quae in liquido interregno, heic nanciſci, AVCTOR ipſe docet. H.

ciuitatem coaluerunt, regique ſe ſubiecerunt, cum fortunarum ſuarum ſedem in iſta fixerint, non poſſunt praeſumi tam fuiſſe ſocordes, vt cum rege defuncto nouellam ciuitatem extingui, & in naturalem ſtatum atque anarchiam voluerint abire, non citra ſtabilitae iam ſalutis periculum. Igitur vbi in regem imperium non fuit collatum haereditario iure, aut vt ipſe pro lubitu de ſucceſſore ſtatueret; ſaltem tacite inter ipſos conuentum intelligitur, vt ſtatim a morte regis conueniant, idque eo loco, vbi alias conuentus celebrari moris erat, aut vbi rex domicilium fixerat. Nec facile deerunt in aliquo populo ciues eximii, qui tantiſper auctoritate ſua reliquos contineant, & ad quamprimum conſulendum Reipublicae impellant. Ex hiſce quoque perſpicuum eſt, quouſque admitti poſſit illud HOBBESII Leuiath. c. 21. *Quando monarcha pro ſe & liberis ſuis regnum relinquit, eique renunciat, ſubditi ad abſolutam & naturalem libertatem reuertuntur.* Id enim hautquaquam in eo ſenſu verum eſt, quod iſti in diſſolutam plane multitudinem abeant, ſed quod abſolutum recipiant ius de ſtatu ſuo denuo diſponendi.

§. X. EXORITVR quoque aliqua ſpecies interregni [1] in regnis ſucceſſiuis, quando rex decedit, relicta vxore praegnante, aut quam ſaltem praegnantem ſuſpicatur. Equidem ex conſenſu plurimarum gentium in illos quoque, qui adhuc in vtero exſiſtunt, ius aliquod transferri poteſt, adeoque iidem iuris quoad κτῆσιν capaces ſunt. (Inde Perſae, relicta ab Hormiſdate vxore praegnante, cum magis prolem maſculam vtero ferri crediaiſſent, cidari vtero impoſita, embryonem regem pronunciarunt, nomineque inſignierunt: qui deinde Sapores fuit, geſtis celeberrimus apud AGATHIAM L. IV. [c. 10.]) Exſiſtente autem ſubiecto proprio ſummi imperii interregnum non datur. Vnde neque minorennitas [2] regis, neque captiuitas interregnum proprie dictum facit [3]. Etſi captiui ſaepe a cognatis tanquam mortui fuerunt habiti, cum potius regnum ipſorum nomine tantiſper debuiſſet adminiſtrari, quouſque poſtliminio reuertiſſent, aut in captiuitate obiiſſent. Vid. IVSTINVS L. XXXVI. c. 1. TREBELL. POLLIO in Gallieno. Huc facit, quod narratur a DIONE CASSIO L. XXXVI. *Tigranes in regione Sophene theſauros in caſtellis repoſitos habebat. Eos a cuſtodibus poſtulanti Pompeio hi reſponderunt: a Tigrane ſibi hoc imperari debere. Cum Tigranes inuitus licet vt caſtella reſerarentur, imperaret, cuſtodes excipiebant; eum non vltro, ſed inuitum ad hoc iubendum adigi. Mox tamen cum Tigranes ideo in vincula coniiceretur, aperuerunt.* Sic & Demetrius, a Seleuco in cuſtodiam datus, mandauit filio, ducibusque & amicis, qui Athenis & Corinthi erant, ne literis vel annulo ſuo fidem adhiberent, ſed vt ſi mortuus ſit, reſeruarent oppida & reliquias regni Antigono. PLVTARCHVS Demetrio. [p. 914. D] Partu tamen regio nondum edito, non ſatis conſtat, viuus an mortuus ſit foetus in lucem proditurus; & vbi a regno foeminae excluduntur, mas an foemina ſit futura proles poſthuma. Quouſque tamen de ea re conſtiterit,

2) Habent enim minores ius regni ἐν κτήσει, licet non ἐν χρήσει, vt PLVTARCHVS alicubi loquitur. H.

3) Quoniam captiuus Rex, licet regnum in patrimonio habeat, Rex eſſe non deſinit, ſaltem quantum ius ad regnum attinet. Vid. GROTIVM L. III. c. 20. §. 3. H.

terit, populus hautquidquam iura illa, quae in liquido interregno, nanciſcitur; ſed regnum interea erit adminiſtrandum eo modo, quo alias per minorennitatem regis ſolet. Vid. SERRANVS [4] Inuent. Hiſt. Franc. in Philippo Valeſio ab init.

§. XI. AST per *Succeſſionem* ius regni ſemel alicui partum, aut in aliquem collatum, in poſteris eius continuatur [1]. Eſt autem iſta ſucceſſio conſtituta vel arbitrio ipſius regis, vel arbitrio populi [2]. Regibus, qui regna ſua in patrimonio habent, ius quoque competit pro lubitu ſuper ſucceſſione diſponendi [3]; qui vbi expreſſe circa eandem voluntatem ſuam declararunt, illa vtique non minus quam priuati patrisfamilias teſtamentum fuerit ſequenda. Quo caſu poterit & illud ſuum regnum aequis portionibus inter plures liberos diuidere, etiam non conſiderato ſexus diſcrimine; ac transferre illud legitimis deficientibus in naturalem filium, (quo nomine Alphonſus Arragoniae rex regnum Neapolitanum bello partum in filium ſuum naturalem Ferdinandum contulit; apud GVICCIARDINVM L. V. etſi alii ad Arragoniam id pertinere iactarent, quippe huius armis & opibus partum;) aut quem adoptauit, imo & in eum, qui nulla cognatione ipſi fuit iunctus. Add. IVSTINVS L. XLI. c. 5. n. 10. Enimuero vbi de ſucceſſore ſuo nihil diſpoſuerit eiusmodi rex, videndum eſt, quemnam naturalis ordo ad ſucceſſionem vocet. Licet enim neque teſtamento, neque aliter voluntatem ſuam viuens declaraucrit; praeſumitur tamen noluiſſe ciuitatem ſe defuncto redire ad anarchiam, coniunctam vtique cum pernicie ciuium, quibus tam miſerum poſt ſe relinquere ſtatum humanitas non patiebatur. Praeſertim cum ſi illa fuiſſet ipſius mens, hoc facile ſignificare liceret, quo in eum caſum ſibi mature ciues proſpicere poſſent. Et aeque de regibus quam aliis praeſumitur, ipſos bona abs ſe parta nolle perire, aut quibusuis in medio velut expoſita ſe mortuis relinquere, ſed ad eos deuolui, quos ipſi cariſſimos habuerant. Igitur heic in ſucceſſionibus regnorum patrimonialium idem ordo ſeruabitur, qui in aliis priuatorum haereditatibus; niſi quatenus indoles & incolumitas regnorum ab eodem diſcedere ſuaſerit. Etſi enim fortaſſe pari affectu omnes ſuos liberos proſequatur pater; tamen eousque, ſi cordatus fuerit, illum temperare ſciet, vt ne patrimonium, cui ſalus familiae fere innexa, ad ſui ſtabilitatem fiat ineptius: & vbi in contrarium nihil ſignificauit, hoc ipſum voluiſſe praeſumetur. His poſitis, ſequitur, eiusmodi regem velle, vt poſt ſe quoque monarchica ciuitatis forma conſeruetur; vtpote

4) Et Nicephorus GREGORAS L. IX. Hiſtoriarum vbi de Andronico iuniore, qui moriturus mandabat, vt Romani omnes iurarent, ſe coniugem ipſius vt Dominum, & ſi filius ex ea (erat enim grauida) naſceretur, eundem vt Imperatorem, cuius tutor eſſet Contacuzenus, veneraturos. H.

§. XI. 1) Cum A. MDLX. Franciſcus Rex nondum perductis ad exitum comitiis moreretur, deliberarentque Ordines, an re ad Nauarrum delata, ſufficerent nupera mandata, dicebatur apud THVANVM L. XXVII. Hiſt. ad d. A. *quod lege regni* (Gallicani) *viuus mortuum excipiat, & regnum continuata poſſeſſione ſine interruptione transmitti videatur.* Adde MEVIVM Part. VIII. Dec. 113. H.

2) Conf. BVDDEVS de Succeſſione Primogenitorum §. 22. & ſeqq. & de Teſtamentis Summorum Imperantium & ſpeciatim Caroli II. Hiſpan. Reg. c. 1. §. 21. & ſeqq. Vtrumque opuſculum reperitur inter eius Selecta Iur. Nat. & Gent. Add. SIDNEIVS de Gubernatione c. 3. ſect. 18.

3) Vid. ſupra c. 6. §. 16. H.

4) Vid. Elem. Pr. Ciuil. Part. II. ſect. 5. §. 4. H.

5) Vid.

vtpote quam & ipſe exemplo ſuo commendauit, nec alio facto aut verbo poſt improbauit. Deinde, quoniam naturali inclinatione omnes homines illis bene eſſe malunt, per quos ſibi potius, quam aliis honor & gloria exſurgit; honor autem & gloria vnicuique poſt mortem per liberorum potius, quam aliorum quorumcunque hominum potentiam contingit; cenſetur patrem liberis ſuis melius velle, quam quibuscunque aliis. Nam ſi hoc nolit, expreſſe id fuerit ſignificandum; cum tanta dementia non credatur in aliquem cadere, vt tam ſpecioſum bonum ad liberos non peruenire, ſed in medio poſitum rixarum materiam praebere velit. Non recte autem ab HOBBESIO de Ciue c. 9. §. 15. inter ſigna voluntatis paternae, regnum in liberos transferre nolentis, refertur conſuetudo poſt plures ſucceſſiones; cum, qui de ſucceſſore tacet, conſuetudini regni conſentire intelligatur. Nam conſuetudo illa, ſiue ab auctore ſtirpis, ſiue a poſterorum aliquo originem habuerit, in vim vtique legis fundamentalis abiit. Nos autem heic quaerimus de ordine ſucceſſionis, quando neque diſpoſitio regis, neque lex aut conſuetudo regni extiterit. Porro & hoc eiusmodi rex velle praeſumitur, vt non ſolum regnum regularem formam retineat, id eſt, vt neque partes ſummi imperii inter plures fratres, aut eodem gradu proximum regem tangentes diſtribuantur, neque iidem regnum pro indiuiſo parique inter ſe poteſtate adminiſtrent; ſed etiam nolle, vt in plures partes regnum diuidatur [4], & pro vno plura deinceps diſtincta regna ſint. Quippe cum vtrumque cum maximo regni detrimento, & ipſius familiae regiae conuulſione ſit coniunctum. Cui proximum eſt, vt etiam in hiſce regnis, non obſtante aetatis praerogatiua, inter plures liberos maſculi praeferantur foeminis [5], quia regulariter ſexus maſculinus imperio aptior, & foeminarum regimen fere incommoda quaedam comitentur, quae eo maiora futura ſunt, ſi per easdem fratres paterno ſolio ſint prohibendi. Praeterea & hoc obtinebit, vt inter plures liberos ſexu pares natu maximus ſuccedat, idque non ideo tantum, quia hic vt aetate, ita & prudentia iuniores antecellere cenſetur, ſed & quod alias fratres circa coniunctionem cum patre aequales ſunt. Inter quos ſi digniſſimo regnum eſſet deferendum, non poſſent non exitialibus inter ſe diſcordiis implicari. Illuſtre exemplum huius rei poſſunt praebere turbae [6], quae non ita pridem regnum magni Mogolis exercuerunt; quas luculenter deſcripſit Bernier. Quibus praecauendis optimum eſt ſorti naſcendi rem committere [7], quam omnium fere gentium conſenſus, velut ab ipſa natura iactam, conſtan-

5) Vid. d. Diſſertatio BVDDEI de Succeſſione primogenitorum §. 25. & BAELII T. V. de la Réponſe aux Queſtions d' un Prouincial p. 138. & ſeqq.

6) Notat autem vere LOVBERIVS Part. III. de Regno Siamenſi c. 13. §. 7. & 10. cunctos Orientis populos, cum eligunt Dominum, potius familiae regiae, quam certis in ea Principibus ſe alligare; & licet in regno Siamenſium ſecundum legem ſucceſſio primum genito debeatur, inter regii ſanguinis liberos controuerſiam de ſucceſſione gladium plerumque decidere. Adde de ſucceſſione in Imperio Feſſo-Marocane St. OLON Relatione de hoc imperio p. 103. p. 118. de ſucceſſione in Imperio Habeſſinorum turbulenta, LVDOLFI L. II. Hiſtor. Aethiop. c. 8. H.

7) Ioannes Comnena, etiam cum filium natu minorem Manuelem maiori praeferret, fatebatur, *naturam principatum natu maioribus deferre ſolere*, apud NICETAM CHOMIATAM in eius

conſtanter amplectitur. Add. XENOPHON Cyrop. L. VIII. [p. 139. Ed. Henr. Steph.] in vltima oratione Cyri. Heic tamen neceſſarium fuerit, vt primogenitus caeteris fratribus de honeſta ſuſtentatione proſpiciat. Nam vt iſtis tantum rependat, quanti eorum portio futura erat, ſi regnum diuiſum foret, neque neceſſarium eſt, & fieri plane nequit. Ponamus enim quatuor eſſe fratres. Vnde heic primogenito tantum pecuniae, quae tres quartas partes regni aequet? Add. BOECLERVS ad Grot. L. II. c. 7. §. 13. Quod ſi autem in eiusmodi regnis rex ſine prole ſit, fratres aut ſorores ſuccedent, & his deficientibus, prout quisque defunctum proxime attingit; ſalua tamen ſexus & aetatis praerogatiua. Quin & ad proximos vltimi poſſeſſoris regnum demum perueniet, qui auctorem regni non attingunt, non ſolum voluntate defuncti expreſſa, ſed & ſi eiusmodi ſuccedendi mos circa priuatorum ciuium haereditates in regno ſit receptus. Quem & circa ſuum patrimonium valere voluiſſe praeſumetur rex, dum expreſſa diſpoſitione ab eodem non abiit. Quod autem HOBBESIVS de Ciue c. 9. §. 19. addit, non adeo liquidum eſt. *Qua ratione*, inquit, *ſucceditur ad imperium, eadem quoque ſucceditur ad ius ſucceſſionis. Nam primogenitus, ſi ante patrem moriatur, cenſebitur, niſi pater aliter ſtatuerit, ius ſuum ſucceſſionis tranſtuliſſe ad liberos ſuos: ideoque nepotes & neptes priores erunt ad ſuccedendum, quam ipſorum auunculi.* (*patrui* debebat dicere.) Equidem fatemur, ius illud [8] repraeſentationis aut ſubitionis in locum eſſe valde fauorabile, ne ſcilicet liberis fraudi ſit, quod tam mature patre fuerint orbati. Nihilominus cum filius, patre adhuc viuo, ad iſtius bona ſpem duntaxat, non plenum ius habeat; & non adeo neceſſarium videatur, vt quemadmodum ius, ita & ſpes, nondum in ius velut animata, in liberos tranſeat; vix ſolo iure naturali patruis praeualebunt nepotes [9], niſi lege regni aut conſuetudine fulciantur. Add. BODINVS de Rep. L. VI. c. 5. p. m. 1144. ſeqq.

§. XII. ENIMVERO in illis regnis, quae ab initio vltronea populi voluntate ſunt conſtituta, ordo ſucceſſionis originarie ab ipſius populi voluntate dependet. Qui vbi in regem non imperium ſolum, ſed & ius de conſtituendo ſucceſſore expreſſe contulit, (id quod non temere fieri ſolet,) ſuccedet,

eius Vita. *Νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν. Tanquam lege conſtitutum eſt inter omnes homines, vt maximus natu imperium habeat*, ait HERODOTVS L. VII. Conf. Element. Prudent. ciuil. d. l. §. 10. H.

8) Vid. ſupra L. IV. c. 11. §. 12.

9) Eſt quaeſtio alias grauiſſima, nec minus ingeniis ſcriptorum, quam bellis & pugnis ſingularibus agitata, an in ſucceſſione regnorum ſubitio in vicem habeat locum? ex qua pendet alia, an nepos ex fratre primum nato patruo ſit praeferendus? Exempla ſunt apud IVSTINVM L. XXIII. c. 2. L. XXXIV. c. 2. Conf. BERNEGGER ad L. XLI. Iuſtini c. 10. COLLENVTIVM L. V. Hiſtor. Neapolit p. 346. THVANVM L. LXXXI. ab init. ad A. MDLXXXV. LVDOLF. L. II. Hiſtor. Aethiopic. c. 6. n. 26. Mihi cum GROTIO L. II. c. 7. §. 30. res plana videtur in ſucceſſione lineali. In regnis etiam patrimonialibus, de quibus AVCTOR heic loquitur, patruo praetulerim nepotem: quoniam in iis ius ſuccedendi ex voluntate nouiſſimi deceſſoris aeſtimatur, & vicariae ſucceſſioni natura fauet. Vid. ſupra L. IV. c. 11. §. 12. H.

§. XII. 1) Rex enim non aliter transmittere regnum poteſt, quam accepit; accepit autem ipſe vnus & vnum. Conf. §. 11. H.

2) *Exſtincto in* Sicilia Dionyſio *Tyranno in locum eius Milites maximum natu ex filiis eius nomine* Dionyſium *ſuffecere, & naturae ius ſecuti, & quod firmius futurum eſſe regnum, ſi penes vnum remanſiſſet, quam ſi portionibus inter plures filios diuideretur, arbitrabantur.*

3) Plane vt in feudis. H.

det, quem iſte voluerit. Sin ipſe populus ſuper ſucceſſione diſpoſuit, voluit eam procedere aut ad modum reliquarum haereditatum, quantum ille ad regnum vtiliter adplicari poteſt; aut peculiari ipſum ratione temperauit. Succeſſionem ſimpliciter haereditariam in regnis a priuatarum haereditatum ſucceſſionibus in hiſce fere ſalus ciuitatis diſcedere iubet. I. Vt regnum inter plures fratres aut haeredes, eodem gradu a defuncto diſtantes, non diuidatur [1]. Quia hoc ad tuendum regnum & ciuium concordiam plurimum facit. Vid. IVSTINVS L. XXI. c. 1. [2] II. Vt ſucceſſio ſtet inter eos, qui a primo rege deſcendunt, neque ad gradum transuerſum, multo minus ad affines tranſitus fiat [3]. Nam iſti regi, eiusque poſteris regnum dare voluit populus; quibus extinctis, ad populum redit ius deinceps ſuper regno ſtatuendi. Add. BOECLERVS ad Grot. L. II. c. 7. §. 15. III. Ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundum leges patriae. Qua ratione excluduntur naturales ſeu nothi, vtut pater forte non minore affectu ipſos fuerit amplexus. Nam ſaltem inter generoſas nationes ad contemtum patent, quorum matrem pater iuſto matrimonio dignatus non fuit, & pro inſtrumento magis deſultoriae libidinis, quam ſocia vitae habuit. Quin & ob defectum fidei, & perpetuae cohabitationis non adeo liquido de talium patribus conſtat. Aſt in regnis quam maxime expedit, perſonam regis eſſe venerabilem, ſimulque quam minimum controuerſiarum circa eandem poſſe moueri. Add. memorabile in hanc rem exemplum apud MARTINIVM Hiſtor. Sin. L. VI. c. 1. p. m. 202. LIVIVS L. XXXIX. c. 53. *Etſi minore aetate, quam Perſeus, eſſet Demetrius, hunc tamen iuſta matrefamilias, illum pellice ortum eſſe: illum, vt ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere: hunc inſignem Philippi ſimilitudinem prae ſe ferre.* Add. quoque [4] quae de Ferdinando rege Neapolitano refert Iouianus PONTANVS Hiſtor. Neapol. L. II. Huc etiam ſpectat, quod in quibusdam regnis aperto in conclaui reginae pariant, ne partus fingi, & ſupponi credatur [5]. Sic Fridericum II. mater Conſtantia quinquagenaria peperit, tentorio in foro vrbis erecto, & praeſentibus plurimis nobilibus viris ac foeminis. Pandulfus COLLENVTIVS Rer. Neapolit. L. IV. Excluduntur quoque adoptiui non ſolum, quia nobilitas generis vere regii magis venerandos effi-

4) Matthiae Regis Hungariae naturalis filius, cum vi ſibi vindicaret regnum, praelio victus & occiſus. DVBRAVIVS L. I. Hiſtor. Bohem. Adde TVBERONEM L. I. Comment. de Rebus ſuis p. 30. 31. vbi ſubiicit: *Non iuſto matrimonio natos iure gentium ad nullam paternae fortunae ſortem admitti.* Alphonſus Ferrariae Dux vltimus fruſtra Caeſari, filio notho, quaerebat ſucceſſionem apud Pontificem. Anton. POSSEVINVS L. VIII. Hiſtor. Gonzagar. poſt A. MDXCII. Adde de Antonio, Ludouici Luſitani filio, ſed ex contubernio Iolandiae nato. THVANVM L. LXV. Hiſtor. ad A. MDLXXIIX. Neque hunc defectum tollet legitimatio, quam vocant, per ſubſequens matrimonium; quippe cuius fundamentum vnum eſt ciuilis iuris fictio. Quanquam Brittones, Arcturum pro ſpurio habendum negabant, quod Vterius matrem eius, etſi eo iam nato, vxorem tamen duxiſſet, iisque nuptiis filium legitimi loco ſibi recepiſſet, atque ex eo ſemper eum pro legitimo habuerit. Sed addit BVCHANANVS, qui hoc narrat L. V. Rer. Scoticar. ſub Rege XLV. plus Arcturo, pro quo Brittones ſtabant, profuiſſe praeclaram indolem & virtutum ſpecimen ſaepiuſcule exhibitum, quam hunc iuris colorem. Adde Eundem L. IX. ſub Rege C. vbi de Roberto, Moram, ex qua aliquot filios genuerat, ducente. THVANVM L. CXXIX. ad A. MDCIII. vbi de filio Regis naturali in id legitimo declarato, vt bona poſſidere, haereditates priuatas capere, & honores ac dignitates adipiſci poſſet. H.

5) Vid. PIASECIVM Chronic. geſtor. ſingular. ad A. MDCI. H.

cit reges [6], maiorque de illis ſpes concipitur, quod ſimiles ſint virtutibus futuri illis, ex quorum ſanguine ſunt prognati: ſed & quia in naturalem regis ſtirpem populus regnum contulit, qua deficiente, ad ſe voluit redire facultatem de ſecutura regiminis forma diſponendi. Quae facultas, admiſſa adoptione, quae quidem ius ad regnum daret, in perpetuum poſſet eludi. IV. Vt in pari gradu reuera aut per repraeſentationem tali, mares praeferantur foeminis, etiam aetatis praerogatiua gaudentibus [7]. Add. Boeclervs ad dictum locum Grotii §. 17. V. Vt inter mares, & vbi hi deficiunt, inter foeminas, in pari gradu maximus natu praeferatur. Apud Livivm L. XL. c. 11. Perſeus de Demetrio minore fratre: *Tranſcendere feſtinat ordinem aetatis, naturae, moris Macedonum, iuris gentium.* Add. Boeclervs dicto loco §. 18. VI. Denique & in hoc a vulgaribus haereditatibus eiusmodi regna differunt, quod, licet non niſi morte prioris poſſeſſoris ad alterum deuoluantur, & ab iſto huic velut de manu in manum dentur; tamen occaſione duntaxat prioris domini ad alterum perueniant, non autem, vti aliae haereditates, ex prioris domini iure, voluntate, & beneficio. Nam ſucceſſio in hiſce regnis non ab arbitrio vltimi poſſeſſoris dependet; ſed ex conſtitutione populi in ſtirpe regia continuatur. Inde quoque non eſt neceſſarium, vt ſucceſſor, licet gradu proximus, etiam in onera defuncti, quae quidem in priuato ipſius patrimonio haerent, ſubeat. Sed, ſi videatur, poterit regnum quidem capeſſere; priuati autem patrimonii haereditatem recuſare [8], quippe cum regnum eximia quaedam, & a priuato patrimonio ſeparata ſit haereditas. Nam populus quam optimo iure regnum deferre voluiſſe creditur; neque eius quidquam refert, quid priuato regis patrimonio fiat. Quin & ipſi populo oneri futurum eſſet, ſi ad priuata regis debita luenda ſucceſſor teneretur; quae, ſi priuatis in bonis hic tantum non haberet, de publico ſoluenda demum forent: Iſthunc autem ſuccedendi ordinem populus elegit [9], ne ſucceſſor foret in incerto, & vitandis electionum incommodis; ſimul vt reuerentia regi ex ſplendore natalium conciliaretur, & ex genere atque educatione ſpes eſſet praeclarae virtutis, regnique poſſeſſor regnum magis curaret, & animoſius defenderet, ſi illud iis eſſet relicturus, quos ipſe ob naturalem affectum maximi facit. Illud extraordinarium eſt, quod Procopivs de Bello Perſico L. I. c. 11. tradit: Ἑτερόφθαλμον, ἢ ἄλλῃ τινὶ λώβῃ ἐχόμενον, οὐ θέμις Πέρσαις βασιλέα καθίστασθαι, *Luſcum aut alio quopiam vitio notatum nefas eſt Perſis regem creare.*

§. XIII.

6) Chorus apud Evripidem Hecuba:
Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι.
Mira nota & inſignis inter homines,
A bonis natum eſſe.
Conf. eundem Temeno Eccleſ. Salomonis X, 17. H.

7) Aristoteles I. Pol. 8. Τό τε γὰρ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον. Εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν. *Mas enim natura magis aptus eſt ad regendum, quam foemina: niſi in hac aliquid extiterit praeter naturam.* H.

8) Quae ſententia Grotii eſt L. II. c. 7. §. 19. Diſſentienti Gronouio ſatisfecit Cl. Barbeyracvs in nota 4. ad h. §. Puſendorfii.

9) Vt egregie obſeruauit H. Grotivs d. c. 7. §. 19. Conf. Loccenivs L. VI. Hiſtor. Suecan. ad A. MDXL. Adde & illam cauſam, ob quam heroicis temporibus factos Reges memorat Aristoteles III. Pol. 10. & V. Pol. 10. ingens nempe meritum Regis, & in poſteris quoque eius penſandum. H.

§. XIII. 1) Cvbotivs I. Diſp. 14. legitimam vocat. H.

2) Vt cognatorum nomine in Iure Romano deſignan-

§. XIII. Sed cum in iſthoc genere ſucceſſionis inter perſonas longius ab auctore ſtirpis remotas facile contingere poſſit, vt quae alteri ſit praeferenda, non ita liquidum eſſet, ſiquidem ſimpliciter ita quisque ad coronam vocandus foret, prout nuper defunctum regem proxime contingeret, praeſertim cum fauor repraeſentationis in remotioribus gradibus euaneſcat: igitur ad tollendas eiusmodi controuerſias multas apud gentes ſucceſſio, quae *linealis* dicitur [1], introducta eſt. Quae in hoc conſiſtit, vt omnes, qui ab auctore ſtirpis regnatricis deſcendunt, velut lineam quandam perpendicularem intelligantur conſtituere, quarum quaelibet regno propior, prout quisque in eodem gradu ſexus, deinde aetatis praerogatiua potior. Nec prius ad aliam lineam regnum deuoluatur, quam omnes ex priori linea fuerint extincti. Vnde & illis, qui hoc modo ſucceſſuri ſunt, non neceſſum eſt numerare, quoto gradu a proxime defuncto rege diſtent, neque ad ius repraeſentationis prouocare; ſed prout quisque naſcitur, ita lex illi perfectum ius ad regnum ſuo ordine habendum confert; quod ius quisque ad omnes ex ſeſe natos pari ordine demittit, licet ipſe regnum non obtinuerit. Hoc modo igitur primo ſemper loco vocantur vltimi poſſeſſoris liberi, ſed ita, vt & mortuorum ratio habeatur, ſiquidem ipſis proles ſuperſit qualiscunque gradus; & ſi mortui iſtius linea potior fuit, eiusdem proles reliquos omnes excludat: ſalua tamen ſemper in pari gradu eiusdem lineae praerogatiua & ſexus, & aetatis. (Nam vt ſola aetatis praerogatiua ſuperet praerogatiuam ſexus, nullibi puto exempla exſiſtunt.) Si vltimo poſſeſſori defuerint liberi, ab ipſo adſcendendo, (non recurrendo ad auctorem ſtirpis & ibi incipiendo,) itur ad lineam proximam, & ſic deinceps, ſalua ſemper in pari gradu eiusdem lineae ſexus & aetatis praerogatiua. Caeterum ſucceſſionis linealis vſitatiſſimae ſpecies duae ſunt: *cognatica* vna, altera *agnatica* [2]. Illa, quod in regno Caſtiliae ſit recepta, Caſtiliana quoque vocatur [3]: quae id habet peculiare, vt in eodem gradu eiusdem lineae mares foeminis etiam maioribus natu praeferantur; ob ſolum tamen ſexum de linea in lineam tranſitus non fiat. Adeoque foeminae non excludantur, ſed poſtponantur duntaxat maribus in eadem linea, ita vt etiam ad ipſas ſit regreſſus, ſi priores, aut pares caetera mares, aut ex maribus defecerint. Cui conſequens eſt, vt filia ex filio, praeferatur filio ex filia; & filia ex fratre, filio ex forore [4]. Succeſſio autem agnatica ab illa differt, quod heic foeminae, & ab his deſcendentes in perpetuum excludantur. Cuius rei ratio eſt, ne per foemina-

ſignantur, qui per feminini ſexus perſonas cognatione iunguntur, agnati autem dicuntur, per virilis ſexus cognationem coniuncti, quaſi a patre cognati. *§. 1. Inſt. de Legit. Agnat. tut.* Cognatica autem *Caſtiliana* vocatur, quia, obſeruante Celeb. Ottone ad Offic. L. II. c. 10. §. 11. ad exemplum ſucceſſionis in vetus Caſtiliae regnum a Carolo Imp. A. 1558. introductae, a filio eius Philippo II. lege fundamentali per omnia regna Hiſpanica A. 1598. introducta eſt, auctore Thvano L. CXX. Agnaticam contra *Francicam* adpellamus, quia apud Gallos antiquo more ex femina nati excluduntur, Agathias L. XI. qua ratione Regno Francicae prohibitus fuit Edvardvs III. Rex Angliae, tanquam ex femina natus. Firmauit quoque hanc conſuetudinem Henricus III. in Comitiis Blaeſenſibus A. 1576.

3) Eam deſcripſit Philippus Rex Hiſpaniae in teſtamento apud Thvanvm L. CXX. Hiſtor. ad A. MDXCIIX. H.

4) Sed quid ſi filia renunciet? H. Grotivs d. c. 7. §. 26. exiſtimat, in hac lineali ſucceſſione matris factum non poſſe nocere liberis natis, quia ſimul atque exſiſtere coeperint, ius proprium quaeſitum ſit ex lege: ſed nec naſcituris, quia impedire non

minarum matrimonia ad peregrinos regnum deuoluatur, aut inſertis per matrimonium in regiam familiam alienis antiqua ſtirps regia nimium reiiciatur. Vocant etiam hanc ſucceſſionis ſpeciem Francicam, quod in Galliae regno illa recepta ſit. Poteſt & hoc introduci, vt vbi omnes maſculi ex ſtirpe regia defecerunt, demum ad foeminas regnum deuoluatur. Vid. GVICCIARDINVS Hiſt. L. XII. p. m. 367. Caeterum cum ſucceſſio linealis valde plana ſit; igitur ſicubi controuerſia inciderit, ante omnia illud inquirendum fuerit, quaenam ſucceſſionis ſpecies in regno recepta ſit. Id quod ſuperiori ſeculo circa ſucceſſionem Luſitanicam maxime erat diſcutiendum; cum Raynutius Parmenſis linealem, reliqui ſimplicem haereditariam vrgerent. Vid. CONNESTAGIVS de Vnione Luſitan. L. III.

§. XIV. POTEST etiam alius modus ſuccedendi conſtitui, vt tali ordine quiſque ad regnum vocetur, prout auctoris ſtirpis regiae eſt proximus. Qua ratione ipſi ſuccedent omnes filii pro aetatis ordine; inde omnes nepotes, habita ratione & aetatis Patrum ſuorum, aetatis propriae: his omnibus extinctis, eundum ad pronepotes, & ſic deinceps. Talem modum ſuccedendi quondam in Numidia fuiſſe vſitatum, colligitur ex LIVIO L. XXIX. c. 29. Similis ſuccedendi modus obſeruatur quoque in regno Siam, teſte Iodoco SCHOVTEN in Deſcript. eius regni [T. I. verſ. Gall.] De more in regno Feſſae & Maroci teſtatur THVANVS L. LXV. ad ann. 1578. & CONNESTAGIVS de Vnione Luſitan. L. I. qui tamen videtur innuere, peculiarem eam inter fratres fuiſſe conuentionem. Apud Peruuianos quondam ſub imperio Yncarum inter Curacas ſeu regulos duntaxat eum fuiſſe ſuccedendi modum, refert Garcilaſſus de la VEGA L. IV. c. 10. Add. GROTIVS L. II. c. 7. §. 24. Apud multos quoque populos in India *, & inprimis per totam oram Malabaricam, hic mos ſuccedendi eſt receptus, vt non ſuccedat patri filius, ſed ſororis filius; quod credant, de hoc multo certiorem eſſe fidem, quod ſit ex proſapia regia, quam de illo; vti inter alios refert Petrus de VALLE Itiner. Part. III. epiſt. 6. & Hieron. OSORIVS paſſim. Add. Phil. BALDAEVS in Deſcript. Malab. & Coromand. c. 17. p. m. 102. Etſi apud incolas Hiſpaniolae tantum in defectu liberorum ſororum filii ſucceſſerint, tanquam certiores, Franc. Lopez de GOMARA Hiſt. Ind. Occid. cap. 28. IDEM 124. refert, etiam in priuata ſucceſſione filios ſororum praeferri liberis, excepta familia Yncarum, in qua filius ſuccedit patri. Apud Canadenſes quoque

re non poſſit, quin ad illos quoque ſuo tempore ius pertingat ex populi dono. Addit tamen notanter, quantum naſcituros attinet, cum iis nondum ſit quaeſitum ius, id auferri poſſe populi voluntate; ſi etiam parentes, quorum intereſt ius ad filios tranſire, ius illud remiſerint. Cui conſequens, ſi renunciatio non tantum verbis ampliſſimis facta, ſed & eadem ab Ordinibus ac in curiis regni confirmata, quod non ſemel factum in Hiſpania, cum filiae regiae exteris nuberent, renunciationem illam poſtea natis haut dubie officere. Caeterum qui dicunt, abdicationem illam, etiam quod renunciantem attinet, prorſus inualidam eſſe, inſigniter errant. H.

§. XIV. * Et quondam in inſulis fortunatis, teſte H. GROTIO L. VIII. Hiſt. Belg. ad A. MDXCIX. H.

§. XV. 1) Vbi de ſucceſſione in regno patrimoniali controuerſia oriatur, optimum eſſe, ad arbitros ex familia Regia iri, monet AVCTOR de Offic. L. II. c. 10. §. 12. Sed quum eiuſmodi Regna non dentur per ea, quae dicta ſunt ad c. 6. §. 16. minime mirum eſt eius generis arbitrii nobis deficere exempla.

2) Diſſentit heic a Grotio GRONOVIVS

que more receptum tradit Franciſcus Crevxivs Hiſtor. Canadenſis L. I. vt in haereditatibus bonorum & dignitatum filii ſororum praeferantur filiis vxorum. Singularis modus ſuccedendi apud Chatramotitas (qui ſunt natio Arabum,) refertur a Strabone L. XVI. [pag. 528. Ed. Geneu. Caſaub.] *Succedit in regno non filius patri, ſed qui primus e nobili genere poſt conſtitutum regem naſcitur. Nam ſimul ac aliquis in imperio conſtitutus eſt, omnes nobilium virorum vxores praegnantes conſcribuntur, & cuſtodes adponuntur, qui obſeruent, quae prima peperit. Nam eius filius ex lege aſſumitur, & ad regni ſucceſſionem regaliter educatur.*

§. XV. Caetervm hoc loco quaeſtio oritur, ſi controuerſia inter duos pluresue circa ſucceſſionem in regno cum primis non patrimoniali [1] oriatur, quis competens ſit iudex? Nam vt ad arma ſtatim propter cauſam nondum liquidam decurratur, lex naturae non permiſerit. Heic illud initio certum eſt, indolem eiusmodi controuerſiarum non ferre, vt per modum iurisdictionis ſeu pro imperio decidantur; adeoque illas diſceptandas eſſe modo inter eos recepto, qui in naturali libertate nullius iurisdictioni ſubiecti degunt. Quem in ſenſum explicandus eſt Grotivs dicto loco §. 27. In naturali autem ſtatu inuicem viuere dicuntur illi, quorum vnus alteri non paret, aut imperat, & qui communem dominum non agnoſcunt. Ac licet, qui inter ſe litigant, quamdiu litigant, fortaſſe alicuius imperio ſubeſſe poſſint, ipſa tamen cauſa talis eſt, vt ſententiam tanquam a ſuperiore profectam non admittat. Extra illum populum, de cuius imperio ambigitur, nemo iudicem ſe ferre poteſt. Neque ipſe rex, ſi eo viuo haec controuerſia agitari coeperit, competens erit iudex [2]. Quippe cum in eiusmodi regnis praeſupponatur, populum habendi imperii modum regi hautquaquam ſubmiſiſſe. Etſi non deſint exempla regum, qui auctoritate & meritis ſuis confiſi ampliorem ſibi poteſtatem heic aſſeruerunt, quam alias indoles regnorum liberorum fert. Inde inter filios Darii exortam litem ipſe pater decidit, apud Herodotvm Polymnia init. Quanquam Ivstinvs L. II. c. 10. eandem a fratribus ad Artaphernem, velut ad domeſticum iudicem, delatam referat. Sic & litem inter Arſicam & Cyrum pater compoſuit. Plvtarchvs Artaxerxe. Add. 1 Regum I, 5. ſeqq. Ivstinvs XVI. 2. 7. Sed quod ne populi quidem ſit tales controuerſias pro imperio definire, aſſeri poteſt, non quidem ex illa ratione, quam affert Grotivs dicto loco, quia populus a ſe in regem, & regiam familiam omnem

vivs in not. quia officium Regis ſit, conſulere populo, & pacem ei praeſtare, non modo in praeſens, ſed etiam in longitudinem, quam humanitus prouideri poteſt; & proinde cognoſcere de ſucceſſione, praeſertim inter cognatos, vt nunc eſt, ſubiectos ſuos. Adhaec cum ambigatur de iure in regno, quod viuum & regnantem Regem habet, de eo poſſe ac debere cognoſcere Regem regnantem. Vbi fatemur, ſi Rex controuerſiam huiusmodi, approbante populo, amice queat componere, nihil eum munere ſuo indignum facere. Enimuero id nunc vnice heic in quaeſtione eſt; an Rex, eo quod ſummam poteſtatem habet, talis controuerſiae ſit iudex? Quod recte Grotivs & Avctor negant: nam in ciuitate regulari modus habendi regnum inter iura ſummi imperii non refertur. Igitur praecipuae partes heic ſunt populi, quippe a quo modus habendi ſummum imperium proficiſcitur, & cum ceſſantibus iudiciis quisque ſibi ſit iudex ac vindex (v. ſupra L. V. c. 13. §. 2.) ſi populus cognita re declaret, ad quem regnandi ius pertineat, poterit idem ipſe refractarium vi & armis adigere, vt acquieſcat & alterum non turbet. Quanquam recte Avctor neget, heic a populo velut pro tribunali ſedente, ſententiam ferri. H.

Digitized by Google

omnem iuriſdictionem tranſtulerit, neque ea durante aliquas habeat eius reliquias. Nam cauſa ſucceſſionis non pertinet ad obiectum eius iuriſdictionis, quae a populo in regem fuit collata: & vbi talis controuerſia tempore interregni agitatur, ſaltem temporaria iuriſdictio populo denegari non poteſt. Verum ratio ex natura iſtarum controuerſiarum eſt petenda. Poteſtas enim iudiciaria exercetur in ſubiectos cum hoc effectu, vt omnino in ſententia lata teneantur adquieſcere, & ſi nolint, pro imperio poſſint adigi; idque quia ſubiectionis ciuilis pars eſt, deciſionem controuerſiarum, quae ſibi cum aliis ciuibus intercedunt, ab imperante expectare. Atqui ſi omnes caſus eiusmodi litium circa ſucceſſionem expendamus, patebit, nullum ita eſſe comparatum, vt pro imperio poſſit a populo decidi, ſicuti ciuium lites a communi iudice ſolent. Si enim regi, qui volente populo poſſeſſionem regni adprehendit, poſt alius quidam e familia regia litem intentet, quaſi propiore gradu regnum ad ipſum ſpectet; neque petitor populum poterit iudicem agnoſcere, quippe cui iudicium ſuum, dum ſemel legitimum regem ipſum agnouit, eſt tuendum: & qui ſemel ſummum faſtigium inſedit, hautquaquam ſeſe illorum iudicio ſubmittet, qui ſe ipſi ſubiecerunt. Multo minus populus competens iudex habebitur, ſi quis regni haeredem ſe venditet, quem ipſe agnoſcere detrectat. Quod ſi autem, ſolio vacante, duo ſeſe competitores offerant, ſuper potiore iure ambigentes, & populus ſit paratus illum agnoſcere regem, qui prae altero regnum ſibi deberi demonſtrauerit; iudicio proprie dicto, & quali cauſae ſubiectorum in ciuitatibus expediuntur, opus non eſt. Nam vel controuertitur duntaxat, quoto gradu vterque velut a ſolio diſtet; vel dubitatur, vtrius gradus ſit potior. In priori quaeſtione facti litigantium erit, proſapiam ſuam liquido deducere; vbi victoria ab illo ſtabit, cuius deductio populo clariſſima fuerit viſa. Quanquam autem iudicium populi heic ad victoriam momentum adfert: non tamen ſententia feretur velut pro tribunali a iudice in ſibi ſubiectos, ſed per modum nudae adprobationis: quomodo debitor ad ſoluendum paratus non niſi inſtrumenta ſui creditoris recognoſcere cupit. Quod ſi dubitatur, qui gradus, aut quae linea ſit potior, declarata voluntas populi finem liti imponet; cum quilibet, quid agere voluerit, intelligere praeſumatur; populus autem, qui nunc eſt, idem cenſeatur eſſe cum eo, abs quo ſucceſſionis ordo ab initio eſt conſtitutus. Sic controuerſia Eduardi regis Angliae contra Philippum Valeſium, ſicuti & paulo ante controuerſia inter Ioannem, Ludouici Hutini filiam, & Philippum Longum eiusdem fratrem, coram ordinibus Franciae disceptata fuit. Vid. Scriptores Hiſtoriae Francicae, & POLYDOR. VIRGILIVS Hiſtor. Anglic. L. XIX. ab init. Sic ſuper ſucceſſione in regno Arragoniae nouem delecti iudices pronunciant, apud Io. MARIANAM de Reb. Hiſpan. L. XX. c. 2. & 3. Sic apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM L. I. [c. 70.] litem ſuper ſucceſſione inter Syluium, & Iulum Aſcanii filium populus ſuffragio diremit, praeter alias rationes hac praecipue motus, *ὅτι μητρὸς ἦ ὁ Σιλβίος ἐπικλήρου τῆ ἀρχῆ. quod Syluius matre natus eſſet, haerede vniuerſi regni.* Quanquam & eiusmodi declaratio non magis naturam habet ſententiae iudiciariae, quam ſi donator obſcura aut ambigua ſua verba interpretatus fuerit. Vbi

aliquis

aliquis competitorum queratur, ſtudia populi magis in alterum, quam in ipſum propendere, proximum fuerit ad arbitros rem deferre, neutri partium addictos, & quorum nihil interſit, hic an iſte rerum potiatur. Vid. CONNESTAGIVS de Vnione Luſitan. L. III. & V. frequentiores controuerſias huc ſpectantes vide apud GROTIVM dicto loco. §. 28. ſeqq. ARNISAEVM Relect. Pol. L. II. c. 2. ſect. 10. ſeqq. & alios.

* *

CAPVT VIII.

DE SANCTITATE SVMMI IMPERII CIVILIS.

I. *Summo imperio iuſta imperanti non debet reſiſti.*

II. *An ciui a ciuitate iniuria fieri poſſit.*

III. *Ciues ſaepe iniuſte de imperio ciuili queruntur.*

IV. *Quot modis ciui a rectore ciuitatis iniuria fieri queat?*

V. *An atrocibus iniuriis principis poſſit reſiſti?*

VI. *Non ſtatim ciuibus vis in eum, qui tyrannus dicitur, eſt licita.*

VII. *Grotii ſententia.*

VIII. *Sacroſancti non ſunt, niſi reges vere tales.*

IX. *Quo caſu inuaſor habendus pro legitimo principe?*

X. *Quatenus inuaſoris iuſſa ciues obligent, legitimo rege adhuc ſuperſtite, ſed expulſo.*

QVEMADMODVM ſummum imperium ciuile ad incolumitatem generis humani, & ad tollendas infinitas ſtatus naturalis miſerias inſtitutum eſt *; ita illud ſacroſanctum & inuiolabile ab omnibus haberi, generis humani quam maxime intereſt. Add. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 90. Atque illud quidem a nemine cordato in dubium reuocatur, quin nefas ſit, imperantibus, quamdiu intra poteſtatis ſuae limites verſantur, reſiſtere. Nam ex fine & indole imperii adparet, cum ipſo neceſſario coniunctam eſſe debere obligationem non-reſiſtendi, id eſt, citra reluctantiam parendi, faciendo vel omittendo id, quod ab iſto iniungitur. Enimuero de hoc potiſſimum diſceptatur, an, ſi ſummus imperans ſubiecto praeter fas quid imperet, aut quamuis iniuriam intentet, tunc quoque ſacroſanctus ſit, ſic vt nullo modo ea iniuria per vim a ſubiecto repelli queat?

§. II. EQVIDEM HOBBESII de Ciue c. 8. §. 7. dogma eſt, *ciui a ciuitate fieri non poſſe iniuriam*, ſicuti *nec ſeruo a domino;* idque eo argumento, quod

§. I. * Conf. Duae NOODTII Orationes, altera de Iure ſummi Imperii, altera de religione ab Imperio Iure Gentium libera.

quod ciuitati cum ciue nullum intercedat pactum; (ſola quippe pacti violatio ex ipſius mente eſt iniuria;) & quia ciuis voluntas voluntati ciuitatis ſubiecta eſt, ſic vt quidquid a ciuitate fit, volente ciue fieri intelligatur. Volenti autem iniuriam non fieri tralatitium eſt. Enimuero iam ſupra oſtenſum fuit [1], neque iniuriam conſiſtere in ſola pactorum violatione; & inter monarcham atque ciues pactum intercedere [2]. Subiectio autem voluntatis ciuium ciuitati facta ex fine huius interpretanda & limitanda eſt. Sic vt eo demum res redeat: ſinguli ciues ſuam voluntatem voluntati ciuitatis ſubiecerunt circa negotia, quae ad conſeruationem ciuitatis faciunt; in quibus ſi factum ciuitatis ciui diſpliceat, iniuria huic non fit. Atqui cum extra ea negotia abs imperante ciuibus iniungi aut inferri queant, quibus ius vel peculiari ex pacto, vel ex communi humanitatis lege quaeſitum violatur, non adparet, quare ciui a ciuitate iniuria fieri nequeat [3].

§. III. Probe tamen obſeruandum, a ciuibus turbulentis aut querulis multa principum facta pro iniuriis traduci, quae tales minime ſunt. Scilicet quod ab ipſorum iudicio diſcrepat, id tanquam male factum damnatur. Et Iupiter neque ſerenus neque pluuius omnibus placet. Atqui quemadmodum propter varietatem ingenii humani, & male compoſita multorum deſideria fieri non poteſt, vt Reipublicae adminiſtratio ſingulis ciuibus aeque arrideat: ita ſi quis pro iniuria ſtatim haberi velit, quod ipſi diſplicet, vel ciuitatis diſſolutionem quaerit, vel ipſe imperare cupit. Et ſane non paucis ea ſola querelarum cauſa, quia ipſi non regnant *. Quo ex numero erat Auidius Caſſius, apud Vvlcativm Gallicanvm, [in vita eius c. 1.] qui cauſam ſumtorum in M. Antoninum armorum iactabat, *quod ſibi huius imperium diſpliceret, quod non poſſet ferre nomen imperatorium.* Quo praetexto aduerſus Septimium Seuerum vtebatur quoque Peſcennius Niger, apud Ael. Spartianvm, & Clodius Albinus apud Ivl. Capitolinvm. Multi querelarum ſuarum cauſam in principem habent, quod is prauorum miniſtrorum vtatur opera; ſed veram doloris originem inueſtiganti adparet, hanc eſſe, quod ipſi eodem miniſterio non potiantur. Tributorum grauitatem plebs ſaepe indignatur, etiam quando non plus exigitur, quam praeſens Reipublicae vſus, aut probabiliter ſubſecuturae neceſſitates videntur exigere. Cui quid reponendum ſit, docet Hobbes de Ciue, c. 12. §. 9. Poenas in legibus dictatas ſeuere exigi nemo iure indignari poterit, niſi qui flagitiorum licentiam ſibi poſtulare velit. Et tamen ſi cui iſthaec omnia, quae rationes Reipublicae vtique exigunt, intoleranda videantur, alio migrandi poteſtas eſt. Qua ſi vti non placuerit, communem mortalium conditionem accuſet, quibus nulla felicitatis pars illibata conceditur. Credere autem ſibi ideo licere legitimum imperium vi excutere, perinde foret, atque ex rapinis rem augere velle, quia proprio labore ſeſe ſuſtentare nimis durum videtur.

§. IV.

§. II. 1) L. I. c. 7. §. 13. H.
2) Supra c. 2. §. 9. 10. 11. H.
3) Conf. ſupra L. VI. c. 3. §. 8. H.
§. III. * Multi nimirum ſunt nouarum rerum cupidi, non pauci etiam eo animo, quo Iaſon ille apud Aristotelem III. Pol. 3. qui dicebat Πεινῆν ὅτε μὴ τυραννοῖ· ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ἰδιώτης εἶναι. *Eſurire ſe ſi non regnaret, tanquam neſciret priuatus eſſe.* H.

§. IV. Haec quanquam ita ſint, dubium tamen non eſt, quin a ciuitate, eiusque rectore ciui iniuria poſſit fieri, cum vtique inter ipſos communio iuris ſaltem naturalis exſiſtat, quae ſufficit, vt quis iniuriae ab altero capax ſit. Duplici porro modo iniuriam ſubiectis facere videtur princeps, ſi violat aduerſus ipſos vel officium *principis*, vel officium *hominis:* ſeu ſi ciues tractat non vt ciues, vel non vt homines. Officium principis vel vniuerſos reſpicit, vel ſingulos. Vniuerſis hoc debet princeps, vt ſalutem totius ciuitatis procuret, & quidem ſi abſolutus eſt ad iudicium proprium, ſi legibus quibusdam circumſcriptus, prout iſtae modum regiminis definiunt. Ergo vniuerſis ciuibus iniuriam facit princeps, ſi omnem Reipublicae curam abiiciat, ac ne per miniſtros quidem negotia publica expediri faciat. Puta, ſi neque aduerſus externos hoſtes defenſionem ciuitatis ſuſcipiat, neque per exſecutionem legum intrinſecam tranquillitatem tueatur: & nihilominus inter tantam negligentiam dignitate & reditibus principalibus frui pergat, ac principatus fortunam ſola luxuria ac libidinum licentia metiatur. Nam vbi cum curis regni etiam loco regali & prouentibus abſtineat, imperio plane cenſebitur ſeſe abdicaſſe; id quod ipſi conceſſum, niſi forte prauis conſiliis Rempublicam in graues difficultates coniecerit, eamque dein tanquam deſertor deſtituere velit. Sine dubio autem iniurium eſt, nullam officii partem facere, & tamen eiusdem emolumentis frui velle. Maior adhuc iniuria eſt, ſi directe animo hoſtili vniuerſorum ſalutem peſſumdare ſtudeat [1]; atque hoſtis perſonam induat, quae cum perſona principis ſimul conſiſtere nequit. Quanquam eiusmodi caſus in principe mentis compote dari non poſſit. Quis enim ſanus ſua perdere velit? aut cui imperabit, qui ciues ſuos hoſtium loco habuerit? Niſi forte duobus populis ſimul imperet, vt vnius excidio alteri lautiores conditiones [2] conciliet [3]. Refertur tamen exemplum eiusmodi veſaniae in Itinerario Ioan. Moqvet L. IV. de quodam Rege Pegu, quem ſuperiore ſeculo artibus magorum, vti ferebatur, tantum odium ſuorum ciuium ceperat, vt eos plane perdendi libido ipſum ſubierit; eoque ſub poena mortis interdixerat, ne intra triennium terra coleretur. Vnde tanta fames exorta eſt, vt in cibos ſeſe Peguani paſſim occiderent. Sic & iniuriam princeps facit, ſi leges fundamentales inuito populo, & nulla vrgente neceſſitate ſubuertat; aut ſi modum habendi imperium immutatum eat. Item, ſi patrimonium publicum deſtruat; ſi grauiora quam pro vſu Reipublicae tributa imponendo pecunia ciues emungat, eam inutiliter prodigat, aut alio extra ciuitatem transferat; & quae ſunt alia. Quo poſſis adplicare illud Antipatri in Anthol. Ἀλλὰ λύκυς εἴργει. τί δὲ τὸ πλέον; εἰ τὸ φυλαχθὲν Ὄλλυται εἴτε λύκοις εἴθ' ὑπὸ τῦ φύλακος; *At fugat iſte lupos. Quid lucri hinc? credita quae ſint, ſi lupus, aut cuſtos ſalua manere vetat.* Singulis porro ciuibus id debet princeps, vt eos communi cum caeteris ſui ordinis iure frui permittat, iisdem defenſionem praeſtet, ac iuſtitiam adminiſtret, quatenus id ſalua ciuitate

§. IV. 1) Exemplo Imperatoris Caligulae, qui vnam Populo Romano ceruicem eſſe optabat, quo facilius reſcindi poſſet, vt refert Svetonivs in vita eius c. 30.

2) Romanis obiiciebat Galgacus apud Tacitvm Agricola c. 30. *vbi ſolitudinem facerent, pacem appellare.* H.

3) Quod olim a Philippo, Macedonum Rege factum, vt docet Livivs L. XL. c. 3. & ſeqq.

tate fieri poteſt. Hoc ſi princeps ſingulis non praeſtiterit, vbi Reipublicae tempora id permiſerint, iniuriam vtique facit. Vid. IVSTINVS L. IX. c. 6. ſub finem; etſi Pauſaniae factum hautquidquam probandum ſit. Sic apud XIPHILINVM Epit. Dionis, [ad a. 118.] & ZONARAM Tom. II. vetula ferociter Adriano Imperatori, cum negaret ſibi ad eam audiendam otium eſſe, occinit: *Ergo imperare noli* [4]. Officium hominis aduerſus ſingulos princeps variis modis violare poteſt; puta ſi praeter meritum honeſtum virum ignominia afficiat, ſi mercedem promiſſam deneget, mutuum ſoluere, aliosue contractus implere detrectet, ſi damnum per petulantiam datum ſarcire nolit, ſi honeſtarum virginum pudicitiam expugnet, ſi per adulteria aliorum thoros polluat, ſi corpus laedat, bona eripiat, perdatue; ſi denique innocenti vitam eripiat per meram violentiam, aut ſubornatis calumniatoribus, aut ad iniquam ſententiam adactis metu, vel per promiſſa iudicibus, & quae ſunt ſimilia. AMMIAN. MARCELLINVS L. XXVI. c. 13. *Inter arma & lituos conditionis aequatio leuiora facit pericula: & Martiae virtutis poteſtas, aut id quod auſum occupat, aut inopinata mors ſi acciderit, nullum ignominiae continet ſenſum, finemque ſecum viuendi ſimul & dolendi perducit. Vbi vero conſiliis impiis iura quidem praetenduntur & leges, & Catonianae vel Caſſianae ſententiae fuco perliti reſident iudices, agitur autem quod agitur ad voluntatem praetumidae poteſtatis, & ex eius libidine vitae incidentium necisque momenta penſantur, ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta.*

§. V. ENIMVERO difficilius eſt explicare, an ad quaslibet harum iniuriarum citra reluctantiam perferendas teneantur ciues; an vero certo in caſu per vim easdem propulſare queant? Heic nobis ita videtur. Cum illa vitae humanae ſit conditio, vt omni carere incommodo nequeat, neque vllus homo facile tam compoſitis extet moribus, vt ad vnguem omnibus ſatisfaciat: ſtolidum

4) Quod antea Philippo quoque Macedonico euenerat.

§. V. 1) Quod diligenter annotandum eſt. Princeps enim *nunquam* ius habet Ciuem iniuria vel *minima* adficiendi. Igitur, ſi viribus noſtris parcere debemus, quo minus ei reſiſtamus, id non ipſius contemplatione & virtute ſummae poteſtatis fieri oportet, ſed quia ſocietatis ciuilis intereſt, offenſas minores ei condonari, vtpote quae alias motibus ſemper maximis miſceretur. Adde, quod ſaepe, pulſo malo Principe, in dominationem peioris incidimus, quum frequenter pulchro libertatis nomine ludant, qui populum aliquem in ſeruitutem redigere ſatagunt. Certe haec ſententia eſt Ducis cuiusdam exercitus apud TACITVM Hiſt. L. IV. c. 73. *Ceterum libertas & ſpecioſa nomina praetexuntur, nec quisquam alienum ſeruitium & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet.* Idem IVSTINVS L. XV. c. 4. num. 13. de Sandrocotto obſeruat, qui, poſt mortem Alexandri, Regnum Indiarum in poteſtatem ſuam redegerat. AVCTOR, inquit, *Libertatis Sandrocottus fuerat; ſed titulum libertatis poſt victoriam in ſeruitutem verterat.*

2) Vid. PARRHASIANA T. II. p. 268. 269.

3) Aeſopus apud PHAEDRVM I. Fab. 2. cum fabulam de Ranis recitaſſet, quae vice indulgentiſſimi Regis crudelem a Ioue nacti erant, ad ciues Athenienſes ſub iugo Piſiſtrati gementes: *Vos quoque*, inquit, *hoc ſuſtinete, maius ne eueniat malum.* CHRYSOSTOMVS Homilia ad populum Antiochenum: *Praeſtat Regem tyrannum habere, quam nullum. Cum A. MCCCCXXXIV. Engelbertus auctor eſſet, vt Ericum Daniae ac Sueciae Regem deponerent, Senatus conſtanter renuens, fide data nihil antiquius habendum iudicabat, nec recedendum continue a domino aut rege ſuo reſpondebat, ſi forte delinquere eum in quibusdam contingat: alias imperium durabile haut vllum eſſe: cum Principum ac Regum vix vllus inueniatur, qui non quandoque impingat: neque etiam conuenire ciuis, ime nec poſſe quemuis de Rege abdicando ſtatuere, aut de eius commiſſis ſententiam pronunciare. Adiiciebat, neque conſiſtere humanam ſocietatem poſſe,*

dum iuxta atque impudens fuerit, ob quaeuis vitia in principem velle inſurgere; praeſertim cum neque nos ita accurate officium noſtrum erga ipſum faciamus, & in priuatis quoque leges leuiora delicta ſoleant diſſimulare. Quanto aequius igitur fuerit modica principis delicta condonare, cuius cura ciuium tranquillitas, fortunarumque & vitae ſecuritas continetur. Praeſertim cum experientia teſtetur; quanta ciuium clade, quanta Reipublicae concuſſione etiam peſſimi principes fuerint deiecti. Ergo leuiores principum iniuriae nobili ipſorum muneri, caeteriſque beneficiis, quin & noſtris ciuibus, totique Reipublicae ſunt condonandae [1]. Vid. IVSTINVS L. XV. c. 3. n. 9. ſeqq. TACITVS A. XII. [c. 11.] *Ferenda regum ingenia, neque vſui crebras mutationes.* Apud EVNDEM H. L. IV. Ceriales ad rebelles Treueros [2]: *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & caetera naturae mala; ita luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: ſed neque haec continua, & meliorum interuentu penſantur* [3]. PLATO Epiſt. 7. *Ea mente circa patriam vir prudens eſſe debet, vt ita reprehendat ciuitatis errores, ſi neque fruſtra ſit reprehenſurus, neque ob reprehenſionis ſtudium periturus: vim autem patriae per Reipublicae mutationem afferet nunquam, quando abſque expulſione & caede ciuium emendari non poſſit. Sed quietem aget, votoque precabitur optima & ſibi & patriae* [4]. Quem locum adduxit CICERO Epiſt. ad fam. I. 9. Imo & ſibi ipſi conſulit, qui potentiorum iniurias muſſitat potius, quam intempeſtiuis querelis grauiora ſibi mala arceſſit. Quo ſpectant dicta a GROTIO L. I. c. 4. §. 4. citata. AESCHYLVS Prometheo vincto: Οὐκοῦν πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς, ὁρῶν, ὅτι τραχὺς μόναρχος ὀυδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ. *Verum non contra ſtimulos membra protendes, quum cernas Monarcham aſperum, & nemini obnoxium.* Quin & ſacrae literae [5], ac ſana ratio moroſitatem parentum, & dominorum patienter ſuſtinendam ſuadent. PLINIVS L. III. Epiſt. 14. *Non iudicio domini, ſed ſcelere perimuntur.* Sed & hoc

 certum

poſſe, ſi ignoſcere ſubinde alii aliis recuſaremus: & id inter pares & familiares ſi locum haberet, quanto magis erga Regem ac ſuperiorem obtinere deberet? Omnineque fatendum, vbi ſtabile aliquod imperium experiatur: tolerandum aliquando tyrannum vnum, vt euitentur plures. Vbi autem imperium nullum, ibi vtplurimum confuſio; & loco vnius multorum exſurgere dominatum. Praeſtare igitur Senatus exiſtimabat, ferre iniuriam & poenas dare vero ſuo domino, quam iugo ſubiici multorum. Vt haec memorat Ioann. Iſaac. PONTANVS L. IX. Hiſtor. Danic. in Erico IIX. H.

4) Ταυτὸν δὲ καὶ περὶ πόλεως ἀυτοῦ διανοούμενον χρὴ ζῆν τὸν ἔμφρονα· λέγειν μὲν εἰ μὴ καλῶς ἀυτῷ φάινοιτο πολιτεύεσθαι, εἰ μέλλοι μήτε ματάιως ἐρεῖν, μήτε ἀποθάνεσθαι, λέγων· βίαν δὲ πατρίδι πολιτέιας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν (ὅταν ἄνευ φυγῶν καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν μὴ δυνατὸν ᾖ γίγνεσθαι τὴν ἀρίστην) ἡσυχίαν δὲ ἄγοντα, ἔυχεσθαι τὰ ἀγαθὰ ἀυτῷ τε καὶ τῇ πόλει. *Vt parentum ſaeuitiam, ſic Patriae, patiendo ac ferendo leniendam eſſe* LIVIVS Lib. XXVII. c. 34. EPICTETVS Enchir. c. 37. & IVSTINVS L. XV. c. 3. num. 10. PLATO in Critone T. I. pag. 50. 51. Ed. Steph. Ipſe quoque patientiam, qua vti debeamus, quum iniuria nobis a Principe vel Republica infertur, lenitati comparat, qua liberos parentum, ſeruos dominorum moroſitatem ferre decet. Imo maiorem moderationem a ciue exigit, quam a filio, vel ſeruo, quia potiora illius erga Rempublicam ſunt officia, quam horum erga patrem, vel dominum. Ἦ πρὸς μὲν, inquit, ἄρα σοι τὸν Πατέρα ὀυκ ἐξίσου ἦν τὸ δίκαιον, καὶ πρὸς δεσπότην (εἴ σοι ὢν ἐτύγχανεν) ὥστε ἅπερ πάσχεις, ταῦτα καὶ ἀντιποιεῖν - - - πρὸς δὲ τὴν πατρίδα ἄρα καὶ τοὺς Νόμους ἐξέσται σοι; - - - ἢ οὕτως εἶ σοφὸς ὥστε λέληθέ σε ὅτι Μητρός τε καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερόν ἐστι Πατρὶς, καὶ σεμνότερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρὰ ἀνθρώποις, τοῖς νοῦν ἔχουσι, καὶ σέβεσθαι δεῖ καὶ μᾶλλον ὑπείκειν καὶ θωπεύειν Πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ Πατέρα; - - - βιάζεσθαι δὲ ὀυχ ὅσιον ὄυτε Μητέρα, ὄυτε Πατέρα; πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν Πατρίδα.

5) PETRVS 1 Epiſt. v. 17. 18. *Omnes honorate: fraternitatem amate; Deum timete: Regem honorate. Vos ſerui ſubiecti eſtote in omni timore heris, non tantum bonis & aequis, ſed etiam duris.* Vid. GROTIVS L. I. c. 4. §. 4. num. 6.

Digitized by Google

certum eſt, etiam vbi atrociſſima iniuria a principe animo hoſtili intentetur, potius eſſe emigrare, aut fuga ſibi conſulere, aut ſub alterius ciuitatis tutelam concedere, [quam [6] ferrum in durum quidem, ſed tamen parentem patriae ſtringere.] Sed quid ſi princeps innocentem ciuem hoſtili animo perditum eat, neque fugae locus ſuperſit [7]? Sane multi animo concipere non poſſunt, quomodo principis & hoſtis perſonam erga ciuem idem ſimul ſuſtinere queat; & qua fronte poſtulet, vt ipſe ſacroſanctus ſit, qui ciuem innocentem tanquam miſeram belluam ſuae libidini ardet immolare. Quin autumant, ſi, qui patrocinium alicui debet, nulla aut iniqua de cauſa hoſtilem aduerſus ipſum animum induat, illum quoque huic clientis obligationem remittere; ſaltem hactenus, vt abs vi praeſidium contra atrociſſimas ipſius iniurias mutuari liceat. Quae defenſio hoc fauorabilior habetur, quo maior eſt eorum numerus, quos per iniuriam princeps perditum it. Sed cum vix reperiantur exempla principum, qui per apertam profeſſionem ſolius libidinis innocentes ciues necare inſtituerunt; maior difficultas oritur, quid liceat, vbi princeps ſub obtentu iuris ſaeuire velit: puta, quod mandatum aliquod iniquum ciues neglexerint. Vbi illud ſupponimus, cum omnis poteſtas alicui delata intelligatur ſaluo iure ſuperioris, ciues quoque conſtituta ſumma poteſtate ciuili, imperio Dei in ſe renunciare neque potuiſſe, neque voluiſſe, adeoque eos non teneri iuſſis imperii ciuilis, quae aperte mandato Dei repugnare conſtat. Heic quid ciui faciendum, ſi vis intentetur propter profeſſionem religionis Chriſtianae [8], noſtrum non eſt definire, cum ex iiſdem ſcripturis, vnde iſta religio hauritur, cuilibet conſtare poſſit, quanti debeat ipſis eſſe, ſuae religioni nihil contrarium egiſſe aut ſimulaſſe. Vid. Matth. X, 32. [9] Quod autem, vbi mors intentatur, ſine proprio peccato quis ſuſcipere poſſit exſecutionem cuiusdam actionis, quae in ſe iuri naturae repugnat, inferius oſtendemus [10]. Quod ſi tamen exſecutio actionis eiusmodi ſit, vt vel omnino citra proprium peccatum ſuſcipi nequeat, vel in ſe ipſa morte acerbior iudicetur; neque vlla oſtendatur, aut ſaltem probabiliter ſimuletur ratio, neque ex delicto meo, neque ex bono publico, quare mihi potiſſimum tanta neceſſitas tale quid exſequendi admoueatur, quod

6) Verba vncis incluſa adiiciuntur hic ex Officiis hom. & ciu. L. II. c. 9 §. 4.

7) Quaeſtionem hanc tractat etiam H. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 1. §. 9. Adde alios quos in vtramque partem protuli Diſſertat. de Colliſione legum ſect. 2. §. 21. AVCTOR ſupra L. II. c. 5. §. 4. H.

8) Vid. H. GROTIVM ad Matth. XXVI, 52. & L. I. de I. B. & P. c. 4. §. 7. n. 8. & ſequ. vbi tamen exemplum, quod Baronium ſecutus de Thebaea legione adducit, dubiae eſt fidei: cum *σύγχρονοι* ſcriptores Euſebius, Hieronymus & alii de eo prorſus ſileant; at quae ſint antiquiora illa monumenta, ex quibus Eucherius (qui ſeculo octauo vixit) iſta excerpſerit, dubitat non temere Aubert. MIRAEVS in Biblioth. eccleſ. in Eucherio p. 63. Adde Samuelis PETITI *Diatribam de iure Principum edictis eccleſiis quaeſito, nec armis aduerſus temerantes aut antiquantes vindicato, anno MDCXLIX. editam.* H.

9) Quum nulla ratione probari queat, Principes impedire poſſe, quominus vnusquisque Deum ex animi ſui conſcientia colat, vid. ſupra c. 4. §. 11. nota 2; explorati iuris eſt, populo ius indubitatum competere, religionem ſuam etiam armis contra Principem tuendi, ſi qua is eos vi adſtringere, vt ſacra mutent aut iis interdicere velit recepto eorum exercitio. Quodſi enim fas eſt, bona & libertatem ab inſultibus eiusmodi Principis vindicare, quanto magis licitum erit, religionem, bonum prae reliquis omnibus eminens, & quod fons & ſcaturigo ſit coeleſtis, eiusdemque aeternae felicitatis, ratione quauis ſinceram integramque

quod per alium fieri poterat, vel omnino fieri abſurdum eſt: adparet ſane id agi, vt innocens per ſolam imperantis libidinem, & hoſtilem eius in me animum perdat. Quo ipſo dum hoſtem pro principe induit, ciui quoque obligationem, qua ei deuinctus tenebatur, remiſiſſe intelligitur. Etſi fuga heic, quantum poteſt, ſit arripienda, ac tertii alicuius patrocinium quaerendum, cui nulla aduerſus principem iſtum obligatio. Quin & ſi fugae via non datur, moriendum potius, quam occidendum eſt [11], non tam propter ipſius principis perſonam, quam propter totam Rempublicam, quae tali occaſione grauibus fere turbis ſolet inuolui. At vero quando ob delictum aliquod imperans poena plectere ciuem inſtituit, etſi hic non teneatur poenam in ſe ſponte arceſſere, ſeipſum deferendo, aut vltro ſiſtendo: tamen quo minus hic per vim ſeſe defendere queat, ratio eſt, quia iure ſuo imperans vtitur [12], quem ea de cauſa quocunque obtentu laedere ſane iniurium foret. Eſt inſuper & illud obſeruandum, ſi vel maxime concedatur, interdum alicui ciui nefas non eſſe, ſalutem ſuam vi contra atrociſſimas iniurias ſuperioris defendere: non tamen ideo caeteris ciuibus obſequium exuere, aut innocentem vi protegere licebit. Praeterquam enim, quod ipſis in Principis facta, quae velut ex poteſtate iudiciaria exercet, inquirere non licet, ac ſaepe contingat reos innocentiam iactare, inuidiae principi conflandae; etiam facta ciui iniuria reliqui hautquidquam obligatione ſua erga principem ſoluuntur. Ideo quod quisque ciuium pro ſe curam ſibi, & protectionem eiusdem ſtipulatur, nec tanquam conditionem ſuae ſubiectionis ſupponit; ſi omnes & ſingulos ciues iuſte tractaturus ſit. Neque metus, ne ſimiliter ſecum agatur, obligationi abrumpendae ſufficit: quippe qui incertus eſt; & quia peculiares in iſto odii cauſae potuerunt eſſe, quae in alio non deprehenduntur. Salua autem obligatione ciuis erga principem nullo praetexto vim eidem opponere fas erit.

§. VI. Caeterum vti per iſthaec ſanctitati principum nihil decedere non pauci arbitrantur: ita illi ſane ferendi non ſunt, qui ita crude iactant [1] regem, vbi in tyrannum degenerauerit, poſſe a populo exui imperio, & puniri. Cum enim tanta plerumque actuum ciuilium ſit obſcuritas, vt plebs [2] eorum aequita-

gramque conſeruare. Perperam igitur GROTIVS L. I. c. 4. §. 7. num. 8. etiam poſtquam Maccabaeos, ſigna pro ſacris ſuis conferentes probaſſet, contendit, Chriſti diſcipulis nihil hic licere, praeter fugam & patientiam. Loca, quae ab eo pro ſententia hac adducuntur, ad priuatos ſingulos pertinent, conſtitutos in impotentia reſiſtendi. Gentibus autem integris, vel eximiae earum parti, libertatem iura ſua tuendi, a Chriſto, Domino noſtro eripi, nec vola vſpiam nec veſtigium occurrit. Vid. GRONOVIVS ad Grotium d. l. van der MVELEN de Sanctitate Summi Imperii Ciuilis &c. p. 70. & ſeqq. & Adam. RECHENBERGII, Theologi Lipſienſis Diſſertatio de religione armis defenſa, edita Lipſiae 1689. in qua haec ad Proteſtantes adplicantur.

10) L. VIII. c. 1. §. 6. H.

11) Vid. GROTIVS L. II. c. 1. §. 9. cum notis Gronouii.

12) Vid. quae contra HOBBESIVM ſupra annotauimus ad c. 4. §. 3. H.

§. VI. 1) Auctores huius ſententiae v. apud ARNISAEVM 2. Relect. politic. cap. 5. ſect. 6. Pr. H.

2) Quoties de Tyranno ſermo ſit, qui ſolio deiici iure queat, toties populi nomine non venire fecem plebis, nec exiguum coniuratorum vel ſeditioſorum numerum, ſed maiorem & ſaniorem partem ciuium ex omnibus Regni Ordinibus, qui de tyrannide notoria & omnibus euidenti ſtatuant, Celeb. BARBEYRACVS ait in nota t. Facile autem a Principe euitari poſſe addit, ne exſecrandus & deteſtabilis ſuis videatur, ſi monente Lockio, Patris perſonam induat. Fieri enim

quitatem aut neceſſitatem agnoſcere nequeat, aut per turbida affectuum ſaepe nolit; vt plurimum quoque Reipublicae expediat; ne rationes conſiliorum pluribus pateant difficillimum fuerit preſſe deſignare actiones, ob quas patratas iure quis vocari mereatur tyrannus, in quem quaelibet a ciuibus profecta vis ſit licita. Conf. BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 4. §. 14. Vnde fieri poterit, vt eius vocabuli inuidia etiam in bonum principem deuolui queat [4] ab iis, quibus vel ipſe, vel praeſens ſtatus diſplicet, poſtquam homines per vocabula non ſolum res, ſed & ſuos affectus exprimere ſueuerunt. Sane priuata vitia tyrannum non facere, nec paulo negligentiorem Reipublicae adminiſtrationem, communis ſententia eſt. Tributa grauiora imperantur? Atqui ſubditus ad conſilia non admiſſus iudicare nequit, an neceſſitas Reipublicae ea flagitet. Supplicia aſpera ſumuntur? Atqui ſi ſecundum leges, & ex praecedente delicto ſtatuantur, nemo iure queri poteſt; etſi forte clementia rectius adhiberetur. Quod inuidioſiſſimum vulgo habetur, quidam magni viri ob priuata odia, aut propter ſuſpiciones innocenter e medio tolluntur? Atqui ſi delicta aut machinationes in ſtatum Principis praetexuntur, aut ordinaria iudiciorum forma obſeruatur, etſi fors iſti, qui tolluntur, de ſua innocentia, & pauci praeterea alii certi ſint, reliquis tamen conſtare id liquido qui poteſt. Cum praeſertim ſemper praeſumtio iuſtitiae a Principis partibus ſtet [5]. Promiſſa non ſeruantur, aut priuilegia antehac indulta circumoiduntur. Atqui ſi Princeps abſolutus vel delictum, vel neceſſitatem, aut inſignem Reipublicae vſum praetendat, iure egiſſe cenſebitur; de quo ſubditis liquido iudicandi facultas deeſt. Omnia autem priuilegia exceptionem hancce habent; ni ſalus, aut neceſſitas Reipublicae iſta obſeruari vetet. Argumentorum, quae pro iſta ſententia afferuntur, non exigua pars ſponte ruit, ſi obſeruetur: hautquidquam eadem eſſe haec duo: populus habet poteſtatem vim regibus inferendi, eosque in ordinem redigendi, ſiquidem ad libidinem ipſorum non imperauerint; & populo aut ſingulis competit ius admoto extremo periculo, & vbi in hoſtem Princeps abiit, ſuam ſalutem aduerſus ipſum defendendi. Nam quae poſterius probant rationes, hautquaquam prius ſimiliter inferunt; quae tamen a multis confunduntur [6]. Sic quando dicitur, populum, etſi in ſeruitutem ſeſe addixerit, non tamen amiſiſſe

enim non poſſe, vt Patrem liberi oderint, quem quotidie pro ſalute ſua commoueri & ſollicitum eſſe, talemque ſe gerere cernant, qualis eſſe ſoleat egregie cordatus homo. Subditos porro minime obſtringi, putat, vt extrema omnia exſpectent, & eo vsque praeſtolentur, donec paratos ſibi ferreos nexus, vincula & compedes ſentiant, quibus iniectis, manibus catenatis, quicquid Principi libitum fuerit, ſubire cogantur. Satis enim eſſe, ſi omnes eius actiones tendant ad ſuorum oppreſſionem & manifeſtus ſit, meditari ruinam Ciuitatis. Idque in primis locum habere contemplatione Principum, quorum Imperium limitibus circumſcriptum ſit. Sed vix eſt, vt in *facto* vnquam manifeſtum eſſe poſſit, Principem euerſionem Reipublicae moliri, plerumque enim heic in tumultu feruntur ſuffragia, ſeque ſaniorem & meliorem eſſe, pars quaeuis iactitat. Igitur quum ſancta res ſit Imperium Ciuile, idque quibus deferri ſolet, ii plerumque ſint flos virorum, Theoreticis Deciſionibus, quae adplicari nunquam poſſint, ſeditioni non temere aperiendae fores videntur. Tyranni nomen ſaepius optimis Principibus ab improbis ciuibus tributum fuit. Exempla quae memorantur eorum, pleraque dubia & incerta ſunt. Niſi enim furioſus fuerit Princeps, non temere perniciem quaeſiuerit populi. Quodſi autem ſanae mentis eſt, non carebit obtentibus, qui iudicium populi reddant eluſorium. In Regnis limitatis plus populo licet. Neque tamen vel heic ſolis ſuſpicionibus, aut dubiis legum fundamentalium interpretationibus, a populo res agenda eſt; ſed luculentiſſimae adſint probationes neceſſe eſt,

ſiſſe omne ius in libertatem aut ſecuritatem ſeſe vindicandi: id non alio ſenſu poteſt admitti, quam quod populus contra extremam vim eamque iniuſtam principis ſeſe defendere poſſit; quae defenſio vbi bene ſucceſſerit, libertatem quoque comitem ducit. Quippe cum dominus, dum in hoſtem abit, ſubiectum ab obligatione aduerſus ſe videatur ipſe abſoluere; ſic vt hic deinceps ſub iugum redire non teneatur, licet ille animum mutare velit. Extra hunc caſum populo, qui ſe in ſeruitutem addixit, vel potius abſoluto vnius imperio ſubiecit, non magis ius in libertatem per vim ſeſe vindicandi competit, quam mihi rem, alteri ex pacto iam traditam, per vim iterum eripiendi. Nec enim adeo abhorret a natura iſta ciuilis ſeruitus, quod quidam ſomniant, vt licet quis aliquando euitando maiori malo in eam conſentire neceſſum habuerit, poſt per occaſionem, ipſa natura ius dante eam excutere iterum queat. Et licet is ſtatus ingenio certi alicuius populi repugnet, vel ab initio, vel poſt mutatis animis: nequaquam tamen principi eam ſolam ob cauſam ius quaeſitum per vim eripere licet; non magis quam emtori rem ex contractu traditam, etſi poſt venditor contractum ex re ſua non fuiſſe deprehenderit.

§. VII. Non multum ab hisce abit Grotivs L. I. c. 4. § 7. Vbi inter alia recte inſinuat, tum ex indole ſummi imperii, tum ex praeſumta voluntate eorum, qui primi in ciuitatem coiuere, iudicari poſſe, num ne extrema quidem ſummi imperantis iniuria vi repelli queat. Sane enim hautquidquam naturae ſummi imperii repugnat, vt omnium ciuium actiones per illud ad ſalutem publicam dirigantur, & decretis ipſius obluctantem extremum ſupplicium maneat; & tamen eidem non ſit poteſtas ex mera libidine aliquem occidendi, vt huic nullo modo reſiſtere liceat. Neque naturaliter inter ſe connexa ſunt, abſoluta poteſtas ſalutem alicuius procurandi & abſoluta poteſtas aliquem pro libidine perdendi. Neque oſtendi poteſt, quidnam ad pacem & ſecuritatem ciuitatis eiusmodi in imperante poteſtas, in ciuibus obligatio faciat. Quo loco adparet, male colligere quosdam; quia ſummum imperium non poteſt eſſe niſi Deo obnoxium, ſatis intelligi, coëuntium in ciuitatem hanc fuiſſe mentem, vt aduerſus ſummam poteſtatem nihil ſibi iuris relinquerent. Quaſi vero qui vitam

eſt, quibus omnibus confieri poſſit, Principem conditionibus, quibus ei Imperium delatum eſt, non ſtetiſſe: Quod poſtquam in aprico fuerit, ciues ſaluti ſuae proſpicere quidem non prohibentur, ita tamen, vt in ſeruanda patriae ſalute, vltra, quam neceſſitas exigat, non progrediantur.

3) Plerique autem mortalium rerum aeſtimationem omnem a ſucceſſu fere ſuspendant, ac proinde multum & poſſint & ſoleant decipi. H.

4) V. ſupra c. 5. §. 11. in fine. Maxime ſi diſceſſus quilibet ab optimae ciuitatis, quam animo fingimus, inſtitutis, aut priuata crimina, vel mores tanto munere indigni infami tyrannidis nota aſpergantur. H.

5) Et locum habeat interdum, quod Domitianus apud Svetonivm aiebat, & Hadriano quoque tribuitur: *Conditionem Principum miſerrimam eſſe, quibus de coniuratione non credatur, niſi occiſis.* H.

6) V. §. ſequ. Caeterum ad hunc locum pertinet etiam quaeſtio, quid fieri conveniat aut fas ſit, vbi vnus vel duo Regem aut in oligarchia apud paucos *τὰ πάντα* ſint & turbandae Reipublicae multa faciant! de qua vide elegantem conſultationem apud Thvanvm L. XXIV. Hiſtor. ad A. MDLIX. *Dura neceſſitas hominibus liberis, qua tyranno parere coguntur ſub bono Principe,* ait Gramondvs L. II. Hiſtor. Gallic. vbi agit de Ancraeo. H.

vitam ſuam contra violentum inuaſorem defendit, eo ipſo illum in iudicium vocet. Conf. BOECLERVS ad dictum locum Grotii. Sicuti & nihili eſt ſcrupulus eorum, qui ideo nolunt admittere licentiam reſiſtendi aduerſus immanem ſaeuitiam imperantium, quod *non poſſit fingi legitima vocatio ſubditorum ad arma contra ſupremum magiſtratum capienda; cum nulli mortalium iurisdictio in talem magiſtratum competat.* Quaſi vero defenſio eſſet effectus iurisdictionis; aut quaſi praeter neceſſitatem ſeipſum conſeruandi peculiaris requireretur vocatio in eo, qui vim iniuſtam a capite ſuo eſt propulſaturus; magis atque in eo, qui famem ac ſitim cibo potuque depellere ſtudet. Conf. ZIEGLERVS ad dictum locum Grotii. Sed & recte GROTIVS; ſi illi, qui ab initio in ciuitates coeundo imperium ſummum produxerunt, interrogarentur, an velint omnibus onus hoc imponere, vt mori praeoptent, quam vllo caſu vim ſuperiorum iniuſtam armis arcere, nunquam hoc ſe velle reſponſuri fuerint. Id enim maius erat incommodum, quam quod conſtituta ciuitate effugere conabantur. Antea enim multorum iniuriis erant obnoxii, ita tamen vt repugnare poſſent: hoc autem modo ſeſe adſtrinxiſſent ad quasuis iniurias citra repugnantiam patiendas ab illo, quem ipſi ſuis viribus armauerant. Minus quippe malum eſt pugna, quam certa mors.

§. VIII. CAETERVM iſta ſanctitate, quam hactenus adſtruximus, non gaudent niſi reges reuera tales. Inde eadem non fruuntur, qui regium quidem nomen gerunt, populi tamen poteſtati ſubſunt; quales quondam reges Spartanorum; & multi paſſim auctoritate magis ſuadendi, quam iubendi [1] poteſtate [2]. Qualis apud VIRGILIVM Aeneid. IX. Mezentius, in quem *furiis ſurrexit Etruria iuſtis, Regem ad ſupplicium praeſenti morte repoſcens.* Item, qui imperio abierunt [3], aut regnum plane pro derelicto habent; in quos eadem, quae in priuatos licent [4], vbi alios grauibus iniuriis laceſſere inſtituant. In exemplo tamen Semiramidis, quae maritum ad quinque dies imperio ſibi cedentem interfecit, non minor eſt huius ſtoliditas, quam illius malitia. DIODORVS SICVLVS L. II. c. 18. Contingit tamen aliquando, vt illis, qui vel vltro regno abierunt, vel caſu aliquo exciderunt, a caeteris exterior veneratio, regibus exhiberi ſolita, & exteriora inſignia relinquantur. Quod vti pro mero ſimulacro, & velut ornamentis regiis eſt habendum; ita ni conuentione aliqua id fuerit confirmatum a mera humanitate caeterorum dependere eſt cenſendum. Exempli loco poteſt eſſe Dairus in Iaponia [5]. Sic apud LABARDAEVM Hiſt. de Reb. Gall. L. X. p. 684. recte quidem traditur, cum Sedanum, & quae inde dependebat ditio neque Imperatori, neque Galliarum Regi, neque cuipiam omnium obnoxia fuerit, poſſeſſores eiusdem veros fuiſſe Principes. Sed poſtquam

§. VIII. 1) Quod TACITVS refert de M. G. c. 11. *Mox Rex vel Princeps, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi, magis quam iubendi poteſtate.* Add. c. 7.

2) Etiam apud Barbaros, quos Duces ſuos Reges vocitare, obſeruauit PROCOPIVS L. Gothicor. II.

3) Exempla vltro abdicantium congeſſit Ioann. Iſaac. PONTANVS L. VII. Hiſtor. Danic ad A. MCCLXI. poſtquam narrauerat Adolphum Holſatiae Comitem monachum factum. Cum Ptolomaeus Philadelpho regnum cedere vellet, Demetrius Phalereus, vt eum a propoſito deterreret, dicebat

quam eam vrbem ac ditionem Fridericus Mauritius Buillonius Dux Ludouico XIII. Galliarum Regi ceſſerat, atque eius in vicem alia praedia, Gallico imperio obnoxia acceperat, cautum quidem ſibi voluit, vt ipſi, poſterique priſtinae dignitatis characterem retinerent; ſed qui hautquaquam pro vera dignitate independente, qualis ſummum imperium comitatur, ſed pro mero ſimulacro eſt habendus, cuius effectus certo ordine inter illuſtres Galliae familias, & aliis quibusdam inſignibus abſoluitur. Et eius rei indicium eſt id ipſum, quod in ceſſione illa Buillonius caueri ſibi ſuper ea dignitate voluit. Nam qui reuera dignitatem principalem obtinent, iis cautione eiusmodi opus non eſt. Sicut & in priuatam recidit fortunam rex, ſi regnum committatur ſiue ex felonia in eum, cuius feudum eſt, ſiue ex clauſula poſita in ipſa delatione imperii [6], vt ſi hoc vel illud rex faciat, ſubditi ſtatim omni obedientiae vinculo ſoluantur. Sic &, vbi in delatione regni expreſſe conuentum fuerit, vt regi certum quid facienti poſſit reſiſti, id pactum vtique obſeruari poteſt. Sed & ſi rex a populo conſtitutus regnum velit alienare, aut modum habendi immutare, apertum eſt ipſum non modo nihil agere [7]; ſed & eidem per vim conata ſua tendenti perficere vis a ciuibus opponi poterit. Add. BOECLERVS ad Grot. L. I. cap. 4. §. 10.

§. IX. PORRO difficilis oritur quaeſtio, quidnam in inuaſores imperii illegitimos liceat vel non liceat, & quidem non poſtquam longa poſſeſſione, aut ſubſequenti pacto verum ius imperandi acceperunt [1], ſed quamdiu iniuſta poſſidendi cauſa durat, & ipſi ſola vi niti videntur. Vbi prius inquirendum, anne eiusmodi inuaſorum iuſſa, dum in poſſeſſione imperii ſunt, vim obligandi habeant? Heic ex ſuperioribus repetendum, obligationem ad obſequium non produci, niſi legitimam poteſtatem alter in me habeat. Nam per ſolam violentiam poteſt quidem alicui adferri extrinſeca quaedam neceſſitas, aliquid praeſtandi; non autem obligatio, quae vinculum eſt intrinſecum, animum ita ſtringens, vt ni fecerit, peccati ſit reus. Hinc ſi vis a validiore intentetur, maiori malo declinando vtique adigitur quis facere ea, ad quae non tenetur, & a quibus abhorret. Si qua tamen via datur, nemini vitio vertitur, ſi iniquam illam neceſſitatem perrumpat. Sed quid ſi quis initio quidem per vim aut malas artes imperium inuaſerit, videri tamen velit iure id obtinere, ac vtut armis confidat, non hoſtem tamen, ſed verum principem ſe ferat? Heic in vniuerſum id nobis maxime videtur probabile, quod is, qui de facto ſummum imperium obtinet, vtut poſſeſſionem prauis artibus inuaſerit, a ſingulis ciuibus tantiſper pro legitimo principe ſit cenſendus, quando nullus adeſt, qui meliori iure imperium ſibi vindicare poſſit. Heic enim rationis eſt, vt qua-

dicebat: Ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις. *Alteri ſi dederis, ipſe non habebis.* H.

4) Durum hoc videtur RHETIO ad I. Feudor. 5. p. 243. Enimuero vt priuati ordine & dignatione differunt: ita licentiae in eos gradus eſſe poſſunt. H.

5) V. ſupra c. 5. §. 15. H.

6) V. ſupra c. 6. §. 10. poſt medium. H.

7) V. ſupra c. 6. §. 16. Hugo GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 6. § 3. & 9. H.

§. IX. 1) Vt Iulius Caeſar, cui Romani non tantum pactione, ſed & iureiurando obligati. Nefaria proinde caedes eius, quicquid Cicero dixerit. V. egregia DIONIS Diſſertatio L. XLIV. princip. H.

qualiſcunque poſſeſſoris poteſtas valeat, modo legitimi principis regimen imitetur; quippe cum omnium interſit, quemuis potius Reipublicae proſpicere, quam eandem incerto rectore inter perpetuas turbas volui. Vnde cum in horum imperium tacite ſaltem ciues intelligantur conſenſiſſe, ad obſequium iisdem praeſtandum vere obligabuntur. Poſſis quoque huc adplicare illud Aristophanis Ranis: [Act. V. Sc. 4. v. 21. 22. 23.] Ὀυ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν· ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν. *Non oportet catulum leonis in ciuitate alere: ſin autem quis educatus fuerit, moribus ipſius obtemperandum.* Sic qua via primi Caeſares ad imperium graſſati ſint, notum eſt. Et tamen Paulus Roman. XIII. ἐξουσίαν illis tribuit, quibus *propter conſcientiam* parendum ſit. Et Saluator noſter Caeſaris quae ſunt, Caeſari dari iubet. Neque enim quisquam ſingulorum ciuium erat, qui imperium, velut potiori iure debitum ſibi poſſet vindicare: & S. P. Q. R. antiquo iure ceſſerat, licet metu magis aut defectu virium, quam quia dominatum probabat [2]. Huc ſpectat inſignis lex ab Henrico VII. rege Angliae lata: *Vt nemo, qui regis partes tunc de facto regnantis ſecutus fuerat, propter eiusmodi crimen vnquam impeteretur, aut condemnaretur, vel proceſſu legis, vel per actum Parlamenti.* Cuius rationes ponderat Baco de Vervlamio in Hiſtoria Henrici VII. p. m. 242. [3] Irene apud Nicetam Choniaten: *Nec Imperatorem, qui abſit, quaerendum, nec, qui adſit, pellendum eſſe.* Sicuti & in regno haereditario, vbi inter duos pluresue petitores ius dubium eſt, lite adhuc pendente, & interea dum ea per amicam transactionem aut armis componitur, tutiſſimum eſt illi parere, qui in poſſeſſione eſt. Facit huc etiam defenſio Caſſii Clementis, qui a partibus Nigri contra Seuerum ſteterat, apud Xiphilinvm Epit. Dionis, [ad A. 194.] & Zonaram Tom. II. *Ego neque te, neque Nigrum agnoui: Sed in illis partibus deprehenſus, non te oppugnare, ſed Iulianum expugnare ſtudui. Cum igitur idem mihi quod tibi propoſitum fuerit, non peccaui; ac ne in eo quidem, quod poſtea non ad te tranſii. Nam tu quoque noluiſſes quenquam ex amicis tuis ad illum deficere.* Multo magis autem haec locum habent in reſpectu ad extraneos, ad quos non ſpectat examinare titulum, quo quis imperio potitus eſt, ſed ſimpliciter poſſeſſionem ſequuntur [4], praeſertim vbi vſurpator imperii magna ſit potentia ſubnixus.

§. X. Ast vero, quando quis pulſo legitimo principe, imperium arripit, & pro rege ſe gerit, reuera iuris alieni vſurpator; quid heic bono ciui agendum, qui iſti, quamdiu adhuc ſuperſtes eſt, fidem videtur debere? Vbi pronunciandum videtur, ſaepe rem eo redire poſſe, vt non ſolum licitum, ſed etiam debitum ſit, parere imperio eius, qui in qualicunque poſſeſſione regni eſt.

2) Prudenter Dolabella apud Ciceronem: *Vbi nunc eſt Reſpublica, ibi ſimus potius, quam dum illam veterem ſequimur, ſimus in nulla.* H.

3) Add. Sidneivs de Gubernat. c. 3. ſect. 35.

4) Vid. quae de Deputatis Hollandorum & Zelandorum a Galliae Rege admiſſis apud Pontificem diſſerebat Cardinalis Ossatvs in L. VI. Ep. 276. A. MDCI. Legatos Ioannis, noui Portugalliae Regis, non tantum Angliae Rex, ſed & Vrbanus IIX. Pontifex ſuſcipiebat, tradito Aulae Romanae more, vt diſceptantibus de regno Principibus, eius qui regnum poſſidet, legatus admittatur. V. Victor. Siri Tom. I. Mercur. L. III. p. 601. 674. 682. & Paul. Piasecivs Chron. ad A. MDCXXXIIX. vbi occaſione illa memorat, Gregorium XIII. Pontificem Regis Poloniae Stephani Batorei

eſt. Scilicet vbi legitimus dominus eo eſt redactus, vt erga ciues ſuos nullum amplius principis munus exercere poſſit. Quanquam enim eius iuſſa, quod legitima poteſtate deſtituantur, vim obligandi in ſe non habeant; prudentis tamen eſt viri, ſibi ſuisque rebus conſulere, & in futurum proſpicere, ac praeſentem ſuam conditionem caute cogitare, ne vitam ac fortunas ſuas temere in periculum proiiciat. Quod fieret, ſi poſſeſſoris iram vna reluctantia in ſe concitare vellet, nullum in vſum patriae aut eiecti regis. Quod ipſum aliqui colligere volunt ex Roman. XIII. vbi Apoſtolus ait: obediendum eſſe οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, quaſi diceret, hominis eſſe parum ſanae mentis, eius qui gladium gerit iram contumacia ſua praeter neceſſitatem prouocare. Ergo propriae ſalutis cauſa obediendum eſſe ταῖς οὔσαις ἐξουσίαις, poteſtatibus pro praeſenti tempore exſiſtentibus, ſeu quae in poſſeſſione ſunt. Sed & cum patria omni imperio carere nequeat, poſſeſſor autem ſalutem publicam vtcunque tueatur: non debet vtique bonus ciuis, amansque patriae, ſiquidem praeſens rerum ſtatus ita poſtulat, inutili ſua contumacia vlterioribus turbis cauſam praebere. Ille difficillimus eſt ſcrupulus [1], quo pacto obligatio ciuium ſimul ſubſiſtere queat tam erga legitimum principem expulſum, quam erga poſſeſſorem, qui & in verba ſua ciues adegit, & in praeſens munia regis obit. Quomodo enim quis ſimul fidem praeſtare queat duobus, in mutuum exitum imminentibus? Neque vero ciuium pactum, & fides inuaſori data legitimi regis ius atque praetenſionem videtur tollere poſſe. Non magis quam ius domini extinguitur per pactum coloni, quod cum praedone auertendis a praedio ipſius vexationibus init. Grotii mens eſt L. I. c. 4. §. 15. *Inuaſoris dum poſſidet actus imperii, quos exercet, vim habere poſſe obligandi, non ex ipſius iure, quod nullum eſt, ſed ex eo, quod probabile omnino ſit, eum qui ius imperandi habet, id malle interim, rata eſſe quae imperat, quam legibus iudiciisque ſublatis ſummam induci confuſionem.* Add. Idem L. II. c. 6. §. 5. Et ſane omnino praeſumendum, quemlibet principem ea humanitate eſſe, vt malit ciues ſuos quocunque modo ſeruari; quam dum nequidquam fato obluctantur, & a viribus deſtitutum affectum intempeſtiue oſtentant, nullo cum fructu perire. Conf. 2 Samuel. XV, 25. 26. 1 Reg. III, 26. [2] Sic apud Livivm L. XXIII. c. 20. Romani, petentibus auxilium Petellinis, *fateri coacti, nihil iam longinquis ſociis in ſe praeſidii eſſe: redire domum, fideque ad vltimum expleta, conſulere ſibimet ipſos in reliquum praeſenti fortuna iuſſerunt.* Add. quoque oratio Ferdinandi regis, cum Neapoli profugeret, apud Gvicciardinvm L. I. circa fin. Vix igitur adparet, quid magis probabile heic dici poſſit, quam hoc; ſi legitimus princeps in talem ſit coniectus ſtatum, vt neque ipſe, quam debet, defenſionem ciuibus ſuis praeſtare queat, ne-

Batorei legatum admiſiſſe, quamuis contradiceret Henricus III. Rex Galliae Valeſius, eodem regno a Polonis nolens abdicatus, & Maximilianus II. Imperator a magna Poloniae Procerum parte electus. Rempublicam Anglicanam A. MDCLI. Sueciae Regina & Galliae Regis legatus, miſſis legatis, exemplo Hiſpanorum, agnoſcendam eſſe exiſtimabant apud Avct. L. XXIII. Rer. Suecicar. §. 16. 17. ad d. A. Conf. eundem L. IX. Rer. Suecic. §. 65. ad A. MDCXXXVII. vbi graue de Gallis iudicium Ferdinando III. a Germanis electo Imperatori ſtatus controuerſiam mouentibus. H.

§. X. 1) Vid. Lysias Orat. 19. quaeſtionem hanc, ſingulis momentis probe conſideratis, diſcutiens. H.

2) Add. Bvddevs de Legibus Syllae in Specim. Iuriſprudentiae Hiſtoricae §. 108. 109. quod eſt inter eius Selecta Iuris Nat. & Gent.

Digitized by Google

que tantae ſint ciuium vires, vt inuaſori citra praeſens exitium valeant reſiſtere; praeſumi principem expulſum tantiſper ciuibus remiſiſſe obligationem erga ſe [3], quoad fata ipſi viam ad regnum iterum aperiant, & quidem, quantum id ad conſeruationem ipſorum, & declinandis periculis eſt neceſſarium. Et hactenus quoque duntaxat fides, quam inuaſori ciues dederunt, ſtringere videtur; vt illa ſit velut temporaria, expirans, vbi regi expulſo ſit facultas regnum ſuum recuperandi; quaeque non tam intrinſeca conſcientiae neceſſitate, quae praeſenti metu contineatur. Add. GROTIVS L. III c. 7. §. 6. vbi ſi admittitur ius & dominium externum, non video, quare non aliqua quoque obligatio externa, quae conſcientiam non tangit, admitti queat. Vid. 2 Reg. XI, 2. Paralip. XXIII. ad quem locum recte notat HOBBES Leuiathan. c. 44. Athaliam fuiſſe regno deiectam, non ex iure, quod ſacerdos vt talis habebat, ſed ex iure regis pueri. Quid de legibus ſit cenſendum, quae tyrannicidium permittunt [4], aut praemiis afficiunt, vid. BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 4. §. 17. Quibus omnibus conſideratis vix adparet caſus, vt priuatus propria auctoritate etiam iniuſtum imperii poſſeſſorem recte impedire queat [5]; praeſertim cum experientia teſtetur, inuaſores per eiusmodi conſpirationes ad premendum populum magis exaſperari. Vid. IVSTINVS L. XVI. c. 5. ſub finem [6].

CAPVT

3) Hinc invaſori pecuniam publicam metu ſoluens tutus erit. Vid. Matth. de AFFLICTIS Deciſ. Neapolit. 149. & 150. H.

4) Qualis erat Athenis, vbi poſt expulſos triginta tyrannos vnicuique ex pſephiſmate iurandum erat, idque ſuper ſacra maiora, occiſurum ſe ſua ipſius manu, qui tyrannidem affectaret. Vide ANDOCIDEM Orat. I. ſeu, de Myſteriis, apud quem verba pſephiſmatis & ex eodem infra L. VIII. c. 3. §. 13. leguntur, & Samuel PETITVM L. III. LL. Attic. tit. 2. & in Commentar. p. 232. H.

5) Vid. omnino GROTIVS d. c. 4. §. 19. H.

6) Quum totum hoc caput ad vnicum officium ciuium generale pertineat, a re non alienum erit, antequam ad ſequens, quo de Officio Principis agitur, pergamus, paucis hoc loco verbis tradere officia ciuium reliqua omnia tam generalia, quam ſpecialia. Omiſit ea AVCTOR in hoc Opere, ſed diſtincte contra de iis egit in Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. vlt. Huius igitur Compendii verba hoc loco ſupplebimus, inſertis, quantum inſtituti ratio fert, additamentis Celeb. BARBEYRACI, quae vncis includemus. „ Officium igitur, inquit, Ciuium eſt vel generale vel ſpeciale. Illud oritur, ex communi obligatione, qua iſti imperio ciuili ſunt ſubiecti. Hoc vero ex peculiari munere & functione, quae per Summum Imperium ſingulis eſt iniuncta. §. 2. Officium generale ciuium reſpicit vel rectores ciuitatis, vel totam ciuitatem, vel conciues. §. 3. Rectoribus ciuitatis ciuis debet reuerentiam, fidelitatem & obſequium. Cui coniunctum eſt, vt idem praeſenti ſtatu adquieſcat, neque ad res nouandas animum adiiciat, neque alteri cuiuis adhaereat magis, eundemue admiretur & veneretur, vtque bene ac honorifice de iisdem, & eorum actionibus ſentiat, atque loquatur. Ipſa memoria Principum bonorum nobis ſancta & venerabilis eſſe debet. [Qualis autem malorum Principum recordatio eſſe debeat, docet MONTAGNE Eſſais L. I. c. 3.] §. 4. Erga totam ciuitatem officium boni ciuis eſt, vt eius ſalute & incolumitate nihil habeat carius; vt vitam, opes, ad eandem ſeruandam libenter offerat: vt ad eandem illuſtrandam, eiusque commoda promouenda omnes ingenii & induſtriae neruos intendat. [Verum vtilitas publica cum priuata non ſemper colliditur, & ſolent officia ciuium ſeſe heic mutuo veluti reſpicere, ita, vt vnius praeſtatio ab alterius impletione quodammodo ſuſpendatur, quum Bono publico non conſulatur, niſi vnitis viribus. Quodſi igitur peruerſa illa inualuerit conſuetudo, vt a plerisque priuata vtilitas publicae

Digitized by Google

CAPVT IX.

DE OFFICIO SVMMORVM IMPERANTIVM.

I. *Officium ſummorum imperantium vnde cognoſcatur.*
II. *Illud imperantibus probe eſt addiſcendum.*
III. *Salus populi ſuprema lex eſt.*
IV. *Ciues bonis moribus imbuendi.*
V. *Commodae leges ferendae.*
VI. *Eaedem executioni dandae.*
VII. *Poenae recte temperandae.*
VIII. *Iniuriae ciuium mutuae prohibendae.*
IX. *Idoneis & probis miniſtris vtendum.*
X. *Tributa recte exigenda & collocanda.*
XI. *Facultates ciuium promouendae.*
XII. *Factiones prohibendae.*
XIII. *Aduerſus inuaſiones exterorum vires parandae.*

RESTAT, vt de officio ſummorum imperantium videamus; quod quidem eo diligentius erat faciendum, quo plura mala mortalibus, iſthoc non probe obſeruato, proueniunt; & quia huius diſciplinae proprium eſt, iſtud tradere, quod idem legum ciuilium menſuram transſcendat. Verum

blicae praeferatur, bono ciui vitio verti nequit, ſi ſe ſuaque inefficaci ac publico haud profutura probitate in caſum dare nolit. TITIVS Obſ. 828.] §. 5. Erga conciues ciuis officium eſt, amice & pacifice cum illis viuere, commodum ſeſe ac facilem praebere; nec moroſitate, & peruicacia ſua turbas dare; caeterorum commodis non inuidere, aut eadem interuertere. II. §. 6. Specialia officia vel per vniuerſam ſeſe Rempublicam velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quae omnia hoc generale praeceptum habetur. Ne quis vllum officium in Republica affectet aut ſuſcipiat, ad quod ſeſe ineptum deprehendit. [Vid. CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 17. §. 1. 2.] Sed deſcendendum eſt ad ſpecialiora. §. 7. Qui Conſilio ſuo rectoribus ciuitatum adſiſtunt, in omnes Reipublicae partes aciem mentis conuertant; quae ex vſu Reipublicae videbuntur eſſe, dextre & fideliter, citra affectus ac prauos reſpectus, exponant; ſalutem Reipublicae in omnibus conſiliis pro ſcopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; prauis affectibus Principum adulando non veliſicentur; factionibus & coitionibus illicitis abſtineant: nihil quod dici oportet, diſſimulent, nihil, quod taceri oportet, eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles ſeſe praebeant: priuatis ſuis negotiis aut voluptatibus publica negotia non poſthabeant. [Vid. CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 17.] §. 8. Qui publice conſtituti ſunt ad ſacra obeunda, in iisdem grauitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum, quae ipſi docent, populo ſeſe conſpicuum exemplar exhibeant, nec prauitate morum muneri ſuo dignationem, doctrinae pondus detrahant. [Videatur PARRHASIANA T. II. pag. 235. ſeqq.] §. 9. Queis publice iniuncta, variarum ſcientia rerum animos ciuium imbuere, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, vt auditores iis aſſentiantur, non tam adſuetudine audiendi, quam quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt: omnia dogmata ad ſocietatem ciuilem turbandam directa fugiant; omnem ſcientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & ciuilem vtilitas redundat. §. 10. Qui Iuri dicundo praeficiuntur, quibusuis facilem acceſſum praebeant, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; ius aeque pauperi & humili, quam potenti & gratioſo dicant, lites vltra neceſſitatem non extrahant; a corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſſis diligentiam adhibeant, omnesque affectus, ſince-

Verum quia ab aliis paſſim talia inculcantur *, repetitis duntaxat ſummis capitibus licebit nobis heic defungi. Quibus autem praeceptis hoc officium abſoluatur, facile colligi poteſt, ſiquidem finis atque indoles ciuitatum, nec non partes ſummi imperii expendantur.

§. II. Heic igitur ante omnia neceſſarium eſt, vt imperantes ipſi diligenter diſcant, quae ad plenam eius officii cognitionem pertinent [1], cum nemo laudabiliter exercere poſſit, quod non probe didicit. vid. 1 Regum III, 9. Virgilius Aen. VI. [v. 852. 853.] *Tu regere imperio populos Romane memento. Hae tibi erunt artes, pacique imponere morem.* Isocrates ad Nicoclem: *Conſtat, quemadmodum ipſi reges animos ſuos excoluerint, ita etiam eorum regna ſe eſſe habitura. Quare nulli pugili tam conuenit corpus exercere, quam regibus ingenium ſuum.* Et cum omnes homines, tum imprimis principes tangit illud Persii Sat. III. [v. 71. 72.] *Quem te Deus eſſe Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re; diſce.* Add. Phil. Cominaevs L. I. p. m. 342. & L. III. p. m. 388. Charron de la Sageſſe L. III. c. 2. Baco Sermon. fidel. c. 19. Quam autem non protrita ſint, quae ad bene gubernandam ciuitatem cognitu ſunt neceſſaria, colligi poteſt ex illis, quae traduntur Hobbesio de Ciue c. X. §. 10. Isocrates ad Nicoclem [princ.] regnum vocat *τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων μέγιστον, καὶ πλείονος προνοίας δεόμενον, ſummum rerum humanarum, quodque maiorem prouidentiam poſtulat; & quod non ὥσπερ ἱερωσύνη tanquam ſacerdotium cuiuslibet eſt viri.* Recte quoque Xenophon Cyropaed. L. I. [princ.] pronunciant: *Ἀνθρώπῳ πεφυκότι πάντων τῶν ἄλλων ζώων εἴη ῥᾷον, ἢ ἀνθρώ-*

ſinceritatem iudicii corrumpentes, ſeponant; recte faciendo neminem timeant. [Vid. Charron de la Sageſſe L. III. c. 17.] §. 11. Quibus armorum cura commiſſa, militem diligenter & tempeſtiue exerceant, & ad tolerandos militiae labores firment; diſciplinam militarem ſartam tectamque habeant; milites hoſti iugulandos temere non obiiciant; annonam & ſtipendium, quantum in ſe, promte procurent, nec de eo quicquam interuertant, milites ſemper vt Reipublicae faueant, curent, nec vnquam eos ſibi aduerſus Rempublicam concilient. §. 12. Milites contra ſtipendiis ſuis contenti ſint; ab expilandis & vexandis paganis abſtineant; labores pro tuenda Republica libere & ſtrenue obeant; pericula per temeritatem non arceſſant, per ignauiam non defugiant; fortitudinem in hoſtem, non in commilitones oſtentent; ſtationem aſſignatam maſcule defendant; honeſtam mortem turpi fugae & vitae praeferant. §. 13. Quorum opera ciuitas apud exteros vtitur, cauti ſint & circumſpecti, inania a ſolidis, vera a fabuloſis diſcernere callidi, ſecretorum tenaciſſimi, pro vtilitate ſuae ciuitatis aduerſus quaslibet corruptiones obſtinati. [Vid. les Caracteres de Mr. de la Bruyere au Chap. du Souuerain & de la Republique, & l' Ambaſſadeur et ſes fonctions par Mr. de Wicqvefort.] §. 14. Qui opibus ciuitatis colligendis aut diſpenſandis praeſunt, caueant ab omni non neceſſaria acerbitate, nec, ob proprium quaeſtum aut per petulantiam vel malignitatem animi, oneri, quid adiiciant; publici nihil interuertant; quibus de publico quid ſoluendum, illis citra moras non neceſſarias ſatisfaciant. Durat autem ciuium *ſpeciale* officium, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit, ſunt conſtituti: qua vbi abeunt, & illud exſpirat. *Generale* itidem durat, quamdiu Ciues ſunt."

§. I. * Extant enim paraenetici complures, cum veteres, tum noui, *de officio Regum aut Principum*, quos recenſere longum eſſet. H.

§. II. 1) Vere enim Aristoteles III. Pol. 3. *Ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη. Prudentia, ſola imperium habentis propria virtus.* H.

2) Veriſſime quoque Cicero II. de Oratore. *Ad conſilium de Republica dandum caput eſt noſſe Rempublicam.* H.

3) Quod Prouerbium ſingulari diſſertatione illuſtrauit Adamus Rechenbergivs. Excuſa ea A. 1676. Poterat adiicere Avctor, vera eſſe haec dicteria, ſi id reſpiciatur, quod ſit, quum nulli rei minus quam Reipublicae ſaepe curae impendatur, & ad nullam quam Rempublicam curandam frequentius ſeſe adiungant, qui curae huic impares ſunt. Fatendum tamen eſt, Reges,

ἀνθρώπων ἄρχειν. *Homini facilius eſſe quibusuis animalibus aliis, quam hominibus imperare.* Add. quae cum Glaucone diſputat Socrates [2] apud XENOPHONTEM Memorab. L. III. Etſi multis non inſuper habeatur illud dicterium Italicum: *Pochiſſimo ceruello baſta a gouernar tutto l' mondo: & neſcit mundus, quam exigua ſapientia regatur* [3]. Cui conſequens eſt, quod principi ſint ſequeſtranda illa ſtudia, quae ad huncce finem nihil conferunt [4]; cum tam ardua ſit ciuitatem regendi ſcientia, vt totum hominem etiam ingenio pollentiſſimum requirat, qui oblitus quodammodo ſui, populo viuat. Multo magis circumcidendae principibus voluptates, oblectationes, vanaeque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Eam quoque ob rationem ab iisdem in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui praeter inania nihil didicerunt, procul arcendi [5]. ISOCRATES ad Nicocl. [p. 34. Edit. Pariſ. min.] *In amicitiam recipe non quoslibet, ſed natura tua dignos, neque eum quibus iucundiſſime tempus conteras, ſed quorum opera ciuitatem optime gubernes. Iis gaudere congreſſibus aſſueſce, qui te & ſapientia augeant, & virtutis apud alios opinione:* Add. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 71. Qui & L. XII. c. 12. memorat, a Charonda *actionem prauae ſocietatis* inſtitutam, grauemque huius delicti reis multam impoſitam. Etſi optandum foret, minus ſaepe verum deprehendi, quod Carneades dicebat; *diuitum & regum filios ſolam equitandi artem recte diſcere, quia equus non nouit adulari.* PLVTARCHVS de Diſcr. amici & adulatoris. [Enimuero [6] vt generalia prudentiae rectricis praecepta rite adplicare norit Princeps, quam penitiſſime ipſi conditio ſui ſtatus [7], ſubiectique indoles populi eſt cognoſcenda. Illisque praeterea vir-

ges, Principes, ſi bene munere ſibi demandato fungi velint, onus inſolitum ceruicibus ſuſcepiſſe videri, & melius Reſpublicas gubernatum iri, felicioresque populos futuros, ſi illi & regulas tantae artis fideliter diſcerent, & deinde religioſe obſeruarent.

4) Eſt enim quaedam ſciendi intemperantia. Vid. LOCCEN. L. VII. Hiſtor. Suecan. ad A. MDLX. vbi de Erico XIV. Succiae Rege. AVCT. Hiſtor. Caroli Guſtaui Sueciae Reg. L. VII. §. 3. H.

5) DIPHILVS Nuptiis:

Ὁ γὰρ κόλαξ
Καὶ ϛρατηγὸν, καὶ δυνάϛην, καὶ φίλους καὶ τὰς πόλεις
Ἀνατρέπει, λόγῳ κακοέργῳ μικρὸν ἡδύνας χρόνον.
Aſſentator ſcilicet
Satrapas, Duces, amicos, ciuitates denique
Facile euertit, modicum oblectans tempus verbis maleficis.

Caeterum CONFVCIVS L. II. Sinicae ſcient. edita a Philippo Couplet. edit. p. 63. ſeq. inter regulas nouem, neceſſarias illis quicunque moderantur orbis regna, primo loco ponit: *Rex excolat virtutibus ſe ipſum.* Et ſecundo: *Colat ſapientes viros.* Eas autem ad praxin reduci: *Si Rex a vitiis abſtineat: ſit purus & immaculatus interius & exterius; graui & ſe digno cultu induat; ſi illicita & quae repugnant rationi non attingat: Haec nimirum eſſe, quibus regia excolatur perſona. Si detrectatores procul a ſe repellat, & procul abſit a venereis; ſi vilipendat opes ac magni pendat virtutem: Haec ea eſſe, quibus animentur & excitentur ad imitationem ſapientes virtutum ſectatores.* H.

6) Reliqua huius §. ſupplentur ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 11. §. 2.

7) PLVTARCHO quoque hoc inter praecipua praecepta regendi Rempublicam eſt, vt Principes interius nouiſſe ſtudeant Genium & indolem populi ſui, eisque ſeſe aptare & accommodare dignentur. Alias enim, inquit, ſi vno impetu populum mutare & corrigere velimus, nec facile id, nec tutum erit, quum non omnia hic in potentia ſita, ſed multa etiam tempori relinquenda ſint. Τρέπεσθαι χρὴ πρὸς κατανόησιν τοῦ ἤθους τῶν πολιτῶν ὃ μάλιϛα συγκραθὲν ἐκ πάντων ἐπιφαίνεται καὶ ἰσχύει· τὸ μὲν γὰρ εὐθὺς αὐτὸν ἐπιχειρεῖν ἠθοποιεῖν καὶ μεθαρμόττειν τοῦ δήμου τὴν φύσιν, οὐ ῥᾴδιον, οὐδ' ἀσφαλὲς, ἀλλὰ καὶ χρόνου δεόμενον πολλοῦ, καὶ μεγάλης δυνάμεως. Praecepta Reipublicae gerendae p. 799. B. Ed. Weckel. In quorum reliquis etiam partibus praeſtantiſſimae complures regulae de Arte gubernandi praeſto ſunt.

virtutibus cumprimis ſtudendum [8], quarum vſus in tantae molis adminiſtratione maxime conſpicitur, moresque ad tanti faſtigii dignitatem [9] componendi.]

§. III. Generalis lex ſummorum imperantium eſt haec: *ſalus populi ſuprema lex eſto* [1] Plato de Rep. L. I. *Nemo in aliquo principatu imperans, quatenus princeps eſt, quod ſibi conferat, cogitat aut praecipit, ſed quod ſubiecto conducat, & quae dicit, quaeque facit, cuncta ad illius vtilitatem decoremque dicit & facit* [2]. Ea enim intentione in iſtos imperium eſt collatum, vt per id procuraretur finis, ob quem ciuitates ſunt inſtitutae. Inde credere iidem debent, nihil ſibi [3] priuatim expedire, quod non idem expedit ciuitati. Socrates apud Xenophontem apomnem. L. I. *Nonne mirum tibi eſſe videtur, ſi quiſpiam bubulcus pauciores ac peiores facit boues, deinde non malus eſſe fateatur paſtor? Hoc multo mirabilius eſt, ſi quis, cum ciuitati praeſit, atque pauciores & peiores faciat ciues, deinde non erubeſcat, nec ſe putet malum eſſe ciuitatis gubernatorem.*

§. IV. Ad internam ciuitatum tranquillitatem neceſſarium eſt, vt voluntates ciuium ita temperentur & dirigantur, prout ſaluti ciuitatis expedit. Inde ſummorum imperantium eſt, non ſolum idoneas ei fini leges praeſcribere; ſed & publicam diſciplinam ita ſancire, vt non tam metu ſuppliciorum, quam aſſuetudine ciues ad legum praeſcripta ſeſe componant [1]. Quippe cum ſolae poenae

8) Qualis eſt Pietas, fundamentum illud omnium virtutum: ſed ſit ea, neceſſe eſt, vera & infucata, nixa ſinceritate perſuaſionis, aliena a ludibriis vanae oſtentationis & anilis ſuperſtitionis. II. Amor iuſtitiae & aequitatis, conſtitutus enim eſt ideo Princeps, vt ius ſuum cuique tribuat. Cicero III. de Legibus c. 18. *Noſſe Rempublicam late patet, quid habeat militum, quid valeat aerario, quos Reſpublica habeat ſocios, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quisque ſit lege, conditione, foedere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla maiorum.* III. Fortitudine Principi opus eſt, ſed quae prudentia temperetur. IV. Cautum deinde & prouidum eſſe oportet Principem, ne animi ſui ſenſa temere detegat. Sed continetur hac prudentia diffidentia viri ſapientis & diſſimulatio hominis innocentiſſimi. V. Auctor L. IV. c. 1. §. 17. & Charron de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 6. 7. V. Preſſe praeterea Princeps adſueſcere debet moderandis animi ſui deſideriis & adpetitibus. Quum enim in manibus ſit, vnde cupiditatibus eius ſatisfieri queat, futurum eſt, vt ſi ſemel libidini fraena laxauerit ad extrema quaeuis feratur, & dum populum euertit, ſe ſuaque omnia peſſumdet: Belle eam in rem Arrianus de Expeditione Alexandri L. IV. c. 7. veram Alexandro defuiſſe monet felicitatem, quoniam, etſi ab eo profecta ſint, quaecunque a fortiſſimo belli Duce proficiſci poſſint, tamen caruerit animi moderatione. Τούτων οὐδέν τι ἔφημι ἐς εὐδαιμονίαν ἀνθρώπου, εἰ μὴ σωφρονεῖν ἐν ταὐτῷ ὑπάρχοι τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ τῷ τὰ μεγάλα, ὡς δοκεῖ, πράγματα πράξαντι. VI. Bonitas porro & clementia ipſae quoque inter Principis virtutes emineant. Nihil enim eſt tam populare, quam bonitas. Vid. Charron L. III. cap. 2. §. 12. Denique VII. Liberalitas quoque Principi eo magis commendata eſſe debet, quod ei ſoli gratis quaſi liberali eſſe licet. Circumſpiciendum tamen erit, ne beneficia conferantur indignis. V. Clericus ſur le bonheur & malheur c. 12. p. 182. Charron de la Sageſſe L. II. cap. 2. §. 13. In nucleo fere haec omnia complexus eſt Cicero pro Rege Deiotaro. c. 9. *Fortem*, inquit, *iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem dici: haec ſunt regiae laudes.*

9) Quem locum Auctori ſuppeditaſſe videtur Charron de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 15.

§. III. 1) Depromitur haec lex generalis ex Cicerone de Legibus L. III. c. 3. Eandem ſic effert Imperator Antoninus L. IV. c. 12. Δύο ταύτας ἑτοιμότητας ἔχειν ἀεὶ δεῖ, τὴν μέν, πρὸς τὸ πρᾶξαι μόνον ὅπερ ἂν ὁ τῆς βασιλικῆς καὶ νομοθετικῆς λόγος ὑποβάλλῃ, ἐπ' ὠφελείᾳ ἀνθρώπων. τὴν δὲ πρὸς τὸ μεταθέσθαι, ἐὰν ἄρα τις παρῇ διορθῶν καὶ μετάγων ἀπό τινος οἰήσεως. τὴν μέντοι μεταγωγὴν, ἀεὶ ἀπό τινος πιθανότητος ὡς δικαίου ἢ κοινωφελοῦς γίνεσθαι, καὶ τὰ παραπλήσια τοιαῦτα μόνον εἶναι δεῖ, οὐχ ὅτι ἡδὺ ἢ ἔνδοξον ἐφάνη. *Duas te haece propenſiones habere ſemper oportet, alteram, vt id vnice mediteris, quod munus regium & legiſlatorium ad procurandam ciuium ſalutem exigit: alteram vero, vt conſilium mutes, quotiescunque aliquis adſit, qui te meliora edoceat. Mutationem vero hanc conſilii ſemper fieri oportet propter maiorem ſpeciem iuſtitiae vtilitatemque publicam, non voluptatis vtilitatis propriae, aut gloriae ſtudio.* Et recte ſic diſſerit Arrianus, eſt enim is vere Princeps, cuius praecipua cura eſt, ciues ſuos reddere felices, quum tyrannus ſua vnice commoda ante oculos habeat. Ceterum regulae geminae artis Politicae perfecte conueniunt cum Iure Naturae, quod ſatis oſtendit Auctor in Diſſertatione de Concordia verae

poenae non tam ingenerent curam bene faciendi; (hoc quippe eſt opus rationis & diſciplinae,) quam ſolicitudinem, ne quis in maleficio deprehendatur. ARISTOTELES Polit. L. V. c. 9. Ὄφελος οὐδὲν γὰρ ὠφελιμωτάτων νόμων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ. *Nihil vtiliſſimae poterunt leges, niſi a teneris Reipublicae conuenienter prima educetur aetas* ². HORATIVS L. III. Ode 24. [v. 35. 36.] *Quid leges ſine moribus Vanae proficiunt?* ISOCRATES Areopagitico [pag. 254. 255. Ed. Pariſ. min.] de veteribus Athenienſibus: *Inſitiae reos egerunt eos, qui ibi praeſtantiſſimos viros fore putarent, vbi leges exquiſitiſſimae haberentur; eum procliue ſit, leges alias ab aliis exſcriptas mutuari. Verum non eam rem virtutis afferre incrementa, ſed quotidianae vitae conſuetudinem. Nam pleroſque iis moribus ſimiles euadere neceſſe eſſe, quibus ſinguli educati fuerint: multitudinem autem & accuratiorem legum conſtitutionem ſignum eſſe mali ſtatus Reipublicae. Nam dum delicta quaſi aggeribus obiectis coërcere conantur, neceſſario cumulari leges. Decere autem prudentes magiſtratus, non porticus implere legibus, ſed efficere, vt ciues inſitum habeant iuſtitiae ſtudium. Non enim SCta, aut plebiſcita, ſed praeclara inſtituta felicem efficere ciuitatem. Nam Homines male inſtitutas leges etiam exquiſitiſſimas negligere audere: qui autem recte & conſtanter educati ſint, eos demum bonis legibus velle obtemperare* ³. Vt autem iſthoc obtineatur, in Rebuspublicis Chriſtianis

 pluri-

rae Politicae cum religione Chriſtiana. In eandem rem conferri meretur BVDDEVS de Concordia religionis Chriſtianae, ſtatusque ciuilis. Ceterum, quum actiones principum, eorumue qui Rempublicam repraeſentant, ſaepiſſime recedere videantur a regulis officiorum, quibus priuati adſtringuntur, AVCTORI noſtro propoſitum fuerat, oſtendere in ſingulari tractatu, quo vsque procedere poſſit ratio ſtatus. Hanc diſquiſitionem, vt ipſe indicat in praefatiuncula ſecundae editionis, & alia eius Opuſcula mors intercepit. De eadem quaeſtione ſolliciti ſunt CHARRON de la Sageſſe L. III. c 2. §. 4. & BAELIVS dans ſon Dictionn. Hiſtor. & Critique T. II. p. 1114. col. a. 2. Edit.

2) AMMIANVS MARCELLINVS L. XXIX. c. 2. poſtquam tentauerat Valentis Imperat. immanis crudelitatis exempla, monet: *nihil aliud eſſe imperium, vt ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienae, bonique eſſe moderatoris reſtringere poteſtatem*, ſiue vt ſupra dixerat L. XXV. c. 3. *iuſti eſſe finem imperii obedientium commodum & ſalutem.* V. Henr. VALESIVM ad dictum locum 29. vbi conſimilia veterum dicta annotat. Neque tamen negandum, iuſta eſſe poſſe imperia deſpotica ſiue familiaria, modo ſint legitimo titulo parta. V. ſupra ad c. 5. §. 10. & c. 6. §. 6. H.

3) Et ſane Principis ipſius intereſt, vt omnes eius actiones ad hunc finem collineent:

Qui ſceptra duro ſaeuus imperio regit
Timet timentes: metus in auctorem redit.

SENECA in Oedipo verſ. 705. 706.

§. IV. 1) Prudenter ISOCRATES Areopagetico. Δεῖ δὲ τοὺς εὐπολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων. Ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. Οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις. καὶ τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους, καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν. Τοὺς δ' ἀσφαλῶς πεπαιδευμένους, καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν. *Decere autem prudentes magiſtratus, non porticus implere legibus: ſed efficere, vt ciues animis inſitum habeant iuſtitiae ſtudium. Non enim Senatusconſulta, aut plebiſcita, ſed praeclara inſtituta felicem efficere ciuitatem. Nam homines male inſtitutos, leges etiam exquiſitiſſimas negligere audere: qui autem recte & conſtanter educati ſint, eos demum bonis legibus velle obtemperare.* H.

2) Hortulanus, vt primas curas ſuas plantis iunioribus impendit, & deinde ad ſeniores pergit, ſic in ordinanda Republica ab educatione infantum, vt hi virtute, quam maxime fieri poſſit, imbuantur, incipiendum eſſe, PLATO monet Euthyphron. p. 2. Ed. Serrani. Καί φαίνεταί μοι, inquit, τῶν πολιτικῶν μόνος ἄρχεσθαι ὀρθῶς. ὀρθῶς [H. Stephanus, ſine neceſſitate hoc loco legit ὀρθὸν] γάρ ἐστι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι ὅπως ἔσονται ὅτι ἄριστοι, ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τῶν ἄλλων.

3) Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐκ τούτων [τῶν γραμμάτων] τὴν ἐπίδοσιν εἶναι τῆς ἀρετῆς [ἐνόμιζον] ἀλλ' ἐκ τῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιτηδευμάτων. τοὺς γὰρ πολλοὺς τοῖς ἤθεσιν ἀποβαίνειν ὁμοίους ἀνάγκη, ἐν οἷς ἂν ἕκαστοι παιδευθῶσιν? ἐπεὶ τά γε πλήθη καὶ τὰς ἀκριβείας τῶν νόμων, σημεῖον εἶναι τοῦ κακῶς οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν αὐτήν. ἐμφράγματα γὰρ αὐτοὺς ποιουμένους τῶν ἁμαρτημάτων, πολλοὺς γίγνεσθαι τοὺς νόμους ἀναγκάζεσθαι. δεῖ δὲ τοὺς εὐπολιτευομένους, οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι καλῶς

οἰκεῖσθαι

plurimum confert ipſa religio Chriſtiana, ſincera illa, & ab humanis commentis purgata, per pios & cordatos miniſtros doctrina & exemplo inculcata; quippe quae praeter dogmata ad ſalutem aeternam facientia continet perfectiſſima praecepta moralia, queis cumprimis ad bene tolerandam vitam ciuilem animi mortalium disponuntur, & quae tamen tamen legibus ciuilibus ita commode ſanciri non poſſunt. Quam ob cauſam in omnibus, quas nouimus, ciuitatibus Chriſtianis pars paraenetica iuris naturalis miniſtris Eccleſiae exercenda eſt commiſſa; cuius tamen pars dogmatica ad illos proprie pertinet, qui ei disciplinae peculiariter addicti ſunt. Add. GROTIVS de Iure ſumm. poteſt. circa ſacra c. I. n. 13. Plurimum quoque momenti huc afferunt ſcholae publicae, ſiquidem in illis doceantur non inanes nugae, & male feriatorum hominum commenta, regni tenebrarum reliquiae. Vid. HOBBESII Leuiath. c. 46. & LVCRETIVS L. VI. v. 973. ſeqq.) ſed ſolidae literae atque ſcientiae, quarum vſus ſeſe per vitam humanam & ciuilem diſpenſat. Inter quas praecipua eſt, quae de iure ſummorum imperantium, & eidem reſpondente ciuium obligatione ſolide docet. Vid. HOBBESII Leuiath. c. 30. Eſt quoque inſignis locus circa informationem iuuentutis apud DIONEM CASSIVM L. II. in Orat. Maecenatis ad Auguſtum. Add. quae ſuper ſupprimenda Academia Conimbricenſi iactata ſunt apud CONNESTAGIVM de Vnione Luſitan. L. IIX. Nec inſuper habenda, quae de multitudine ſcholarum differuntur apud GRAMONDVM Hiſt. Gall. L. III. Sed & maximum vigorem publicae disciplinae adfert imperantium exemplum ISOCRATES ad Nicocl. τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. *Mores totius ciuitatis ad exemplum imperantium conformantur.* SPARTIANVS de Caracalla nouercam Iuliam ducente: *Nuptias eas celebrauit, quas ſi ſciret ſe legem dare vere, ſolus prohibere debuiſſet.* Haec igitur omnia vt in ciuitate recte ſe habeant, ſummorum imperantium eſt prouidere.

§. V. AD eundem finem expedit, perſcriptas habere leges perſpicuas & planas circa negotia, quae frequentiſſime inter ciues verſari ſolent [1]. ISO-

CRATES

διῳκῆσθαι τὰς πόλεις. καὶ τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους, τολμήσειν παραβαίνειν. τοὺς δὲ ἀσφαλῶς πεπαιδευμένους, καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν. ταῦτα δὲ διανοηθέντες, οὐ τοῦτο πρῶτον ἐσκόπουν, δι' ὧν κολάσουσι τοὺς ἀκοσμοῦντας ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν κατασκευάσουσι μηδὲν αὐτοὺς ἄξιον ζημίας βουλήσεσθαι ἁμαρτάνειν. ἡγοῦντο γὰρ τοῦτο μὲν αὐτῶν ἔργον εἶναι. τὸ δὲ περὶ τὰς τιμωρίας σπουδάζειν, τοῖς ἐχθροῖς προσήκειν. ἁπάντων μὲν οὖν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. Add. MAXIMVS TYRIVS Diſſert. III. p. 64. Ed. Dauiſ. & IAMBLICHVS de vita Pythagorae §. 171. & ſeqq. Ed. Kuſteri.

4) Vt pluribus demonſtrauit AVCTOR Diſſertat. de Concordia vitae Politicae cum religione Chriſtiana. Adde H. GROTIVM L. II. de Veritat. rel. Chriſtian. & Iacobi THOMASII Diſſ. Religione Chriſtiana non minui virtutem bellicam. H.

§. V. 1) Quare ii, qui leges condunt, aut Respublicas gubernant, ante omnia perſpectam habere debent indolem populi, cui prodeſſe volunt, vt dictum fuit ſupra §. 2. Quotquot Genii popularis ignari ſunt magiſtratus, ſemper in vitium valde incommodum incidunt, vt nimirum leges edant, quae a ciuibus obſeruari ne quidem poſſint. Vid. CLERICVS dans les Reflexions ſur ce que l'on appelle Bonheur & Malheur en matiere des Loteries c. 10. p. 127. & ſeqq.

2) Ζητῶ νόμους τὸ μὲν σύμπαν δικαίους, καὶ συμφέροντας, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ὁμολογουμένους, πρὸς δὲ τούτοις οἵτινες τὰς μὲν ἀμφισβητήσεις ὡς ἐλαχίστας, τὰς δὲ διαλύσεις ὡς οἷόν τε ταχίστας τοῖς πολίταις ποιήσουσι.

3) Conf. TACITVS Ann. 25. de Rep. Romana legibus laborante. CVIVS & illud eſt c. 27. *Corruptiſſima Republica plurimae leges.* PIASECIVS Chronic. ad A. MDCXXXII. vbi queſtus de varietate legum in Polonia. GROTIVS in prolegom. ad Hiſtor. Goth. Vandalicam: *Philoſophia*, inquiens, *legem vult eſſe ſimplicem, breuem, claram: qualia ſunt patrumfamilias in familiam ſuam imperia. Tum vero nihil mutata duratio multum ſecum habet auctoritatis.* H.

4) Εὕρων τινὰς τοὺς νόμους ἀναγεγραμμένους, οὐχ ὁμοίως τοῖς νῦν κειμένοις οὐδὲ τοσαύτης ταραχῆς καὶ τοσούτων ἐναντιώσεων μεστούς . . . . ἀλλὰ πρῶτον μὲν ὀλίγους, ἱκανοὺς δὲ τοῖς χρῆσθαι μέλλουσι καὶ ῥᾳδίως

εὐσυνό

CRATES ad Nicocl. [p. 31. Ed. min. Pariſ.] *Leges quaere in vniuerſum aequas & vtiles, & inter ſe conſentientes: atque etiam tales, quae & controuerſias ciuium quam pauciſſimas, & compoſitiones quam fieri poteſt celerrimas efficiant* [2]. IDEM in Panathenaico bonas leges his notis deſignat [3], vt ſint *paucae, ſic tamen vt & ſatisfaciant & cognitu faciles ſint iis, qui illis ſunt vſuri. Dein iuſtae, & vtiles, & inter ſe conſentientes, & magis hoc intentae, vt publica inſtituta praeclara ſint, quam vt priuata commercia ſine fraude fiant* [4]. LYCVRGVS Orat. contra Leocrat. [p. 165. Ed. Wechel.] Οἱ νόμοι διὰ τὴν συντομίαν οὐ διδάσκουσι, ἀλλ' ἐπιτάττουσιν ἃ δεῖ ποιεῖν. *Leges propter breuitatem non docent*, (ſicut in diſciplina iuris fieri ſolet,) *ſed praecipiunt, quae oportet facere*, QVINTILIANVS Declam. 264. *Quid intereſt nullae, an incertae ſint leges?* De caetero plura legibus ciuilibus ſancienda non ſunt, quam ad bonum ciuium & ciuitatis conducunt [5]. Nam cum de eo quod facere vel non facere debent, ſaepius per rationem naturalem, quam per ſcientiam legum homines deliberare ſoleant; vbi plures leges ſunt; quam vt facile memoria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quae ratio per ſe non prohibet: neceſſe eſt, vt per ignorantiam ſine vlla praua intentione incidant in leges tanquam in laqueos. Quo ipſo ciuibus per imperantes ſuperuacuum incommodum conciliatur; quod eſt contra finem ciuitatum. HOBBESIVS de Ciue c. 13. §. 15. Leuiath. c. 30. Forma quoque iudiciorum ita eſt temperanda, vt per proceſſum breuem, ac minime ſumtuoſum quiuis iure ſuo potiri queat. Prouerbium eſt apud Perſas: *Melior eſt breuis iniuſtitia, quam tarda iuſtitia.*

§. VI. QVIA autem fruſtra feruntur leges, ſi impune eas violari tolerent ſummi imperantes; igitur horum eſt exſecutionem earundem procurare [1], poenasque ſumere pro cuiusque facti conditione [2], transgreſſorisque intentione & malitia. Qua quidem in re ita procedendum, vt ſeueritas legum non in modicos duntaxat ciues, ſed & in diuites ac potentes exerceatur; quibus ſuae opes aut nobilitas nunquam id licentiae dare debent vt humilioribus impune inſultare poſſint; praeſertim cum a plebe per nimiam oppreſſionem in

 furo-

συνειδεῖν. ἔπειτα δικαίους καὶ συμφέροντας, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ὁμολογουμένους, καὶ μᾶλλον ἐσπουδασμένους τῶν περὶ τῶν κοινῶν ἐπιτηδευμάτων ἢ τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων οἵους περ εἶναι χρὴ παρὰ τοῖς καλῶς πολιτευομένοις. Adiiciamus locum CICERONIS de Legibus L. II. c. 5. *Conſtat*, inquit, *profecto ad ſalutem Ciuium, Ciuitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam, & beatam, inuentas eſſe leges, eosque, qui primum eiusmodi ſcita ſanxerint, Populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturos, atque laturos, quibus illi adſcriptis ſusceptisque honeſte beateque viuerent: quaeque ita compoſita ſanctaque eſſent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par eſt, eos, qui perniciosa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint, tum contra fecerint, quam polliciti profeſſique ſint, quiduis potius tuliſſe quam leges: vt perſpicuum eſſe poſſit, in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim & ſententiam iuſti & Iuris legendi.*

5) Multitudo legum indicium eſt Reipublicae corruptae. Corrupti enim tot ciuium mores ſint, oportet, qui tot fulcra ruinoſae compagis exigunt. Corruptiſſima Republica plurimae leges. TACITVS Annal. L. III. c. 27. Et Reſpublica Romana quo corruptior fuit, eo plures leges habuit. Vid. STRABO Geogr. L. VI. p. 260. Ed. Pariſ. 399. A. Ed. vlt. Amſt. & PARRHASIANA T. II. p. 300. ſeqq. vt & locus ISOCRATIS ex Panthenaico laudatus in nota 3. Quod ad reliqua de legibus & adminiſtratione iuſtitiae conſuli poſſunt BVDDEVS P. III. c. 5. ſect. 4. & THOMASIVS in Diſſertatione, quae inſcribitur, Morum cum iure ſtricto contentio.

§. VI. 1) Eam in rem apud Graecos erant νομοφύλακες. COLVMELLA L. XII. de Re ruſtic. c. 3. *Bene moratarum ciuitatum primoribus, atque optimatibus non ſatis viſum eſt, bonas leges habere, niſi earum cuſtodes diligentiſſimos ciues creaſſent, quos Graeci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos qui legibus parerent, laudibus proſequi, nec minus honoribus: eos autem qui non parerent, poena mulctare.* Conf. HARPOCRATIONEM & SVIDAM d. vocab. & Vbbon. EMMIVM de Rep. Athenienſ. p. 79. H.

2) De Poenis prolixe tractabitur in c. 3. libri ſequentis. De modo poenas perinde ac praemia diſtribuendi. Vid. BVDDEVS in Philoſ. pract. P. III. c. 5. ſect. 5.

furorem datae ciuitati maximum periculum ſoleat imminere, add. HOBBESIVS Leuiath. c. 30. Nec ſine ſufficiente cauſa venia indulgenda [1]; cum & iniquum ſit, & ad irritandos ciuium animos efficaciſſimum, aequaliter meritos caeteris paribus non aequaliter tractare. PINDARVS Olymp. Od 13. [v 6. & ſeqq.] Ἐυνομία βάθρον πολίων, ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμότροπος εἰράνα, ταμίαι ἀνδράσι πλέτε, χρύσεαι παῖδες εὐβόλε θέμιτος.

§. VII. VTI autem nihil poenis eſt ſanciendum, quod non ad vſum ciuitatis facit: ita poenae quoque ſunt temperandae, vt ad finem iſtum proportionem habeant, vtque adeo ciues non plus afflictionis, quam Reſpublica vtilitatis inde ferat *. De caetero ſi ſcopum ſuum debent obtinere poenae, adparet eas eousque eſſe intendendas, vt acerbitas earundem praeponderet lucro & delectationi, quae ex facto legibus vetito redundare poteſt. Add. HOBBES Leuiath. c. 30.

§. VIII. QVIA porro hoc fine in ciuitatem coiuerunt homines, vt ſecuritatem aduerſus iniurias aliorum obtinerent: ſummorum imperantium eſt, eo ſeuerius ciuium inter ſe iniurias prohibere, quo faciliorem perpetua cohabitatio occaſionem ad laedendum praebet. Nec diſcrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, vt potentiores tenuioribus pro libidine inſultare poſſint. ISOCRATES ad Nicocl. [p. 31.] Καλῶς δημαγωγήσεις, ἐὰν μήτε τὸν ὄχλον ὑβρίζειν ἐᾷς, μήτε ὑβριζόμενον περιορᾷς. *Bene popularis eris, ſi neque vulgi petulantiae locum dederis, neque alios populo inſultare paſſus fueris: ſed prouideris, vt & honores optimo cuique mandentur, & caeteri nullis iniuriis afficiantur.* XIPHILINVS Epit. Dionis in Galba *. *Etſi ſatis eſt priuatis hominibus, nullam iniuriam facere: tamen principem prouidere etiam oportet, ne caeteri faciant.* Sed & ſcopo ſummi imperii aduerſatur concedere, vt ciues, quas ſibi factas arbitrantur iniurias, priuata violentia exſequantur.

§. IX. PRAETEREA quanquam ad omnia ciuitatis amplioris negotia immediate obeunda vnus princeps non ſufficiat, ſic vt neceſſario miniſtri in partem curarum ſint vocandi: tamen vti hi omnem a ſummo imperante auctoritatem mutuantur; ita & bene & male ab ipſis geſtorum imputatio vltimo demum in iſtum redundat. ISOCRATES ad Nicocl. [p. 35.] *Sic alios, iis praefice rebus, quas ipſe non geris, vt tibi adſcribendum ſcias, quicquid illi fecerint.* IDEM ad Demonicum [p. 17.] *Magiſtratum adeptus nullius improbi miniſterio in obeundis negotiis vtitur. Nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur.* THEMISTIVS Orat. XVII. [p. 117. B. Ed. Pariſ. Harduini.] *Quum Satibarzanes ab Artaxerxe prouinciae cuiusdam praefecturam, minime ſibi conuenientem, cum tribus millibus daricorum petiuiſſet, pecuniam quidem ille donauit, praefecturam vero non permiſit.* Χρυσίον μὲν γὰρ τοσῦτον δὺς, ὐκ ἔσομαι ἔφη πενέστερος κακῷ δὲ ἀρχὴν ἐπιτρέψας, ἀδικώ-

3) V. PARRHASIANA T. II. p. 178. & ſeqq.

§. VII. * Contra ac Valens Imper. ita ſaeuiens infeſte, *vt poenarum atrocitatem aegre ferret finiri cum morte.* Vt eſt aqud AMMIANVM MARCELLINVM L. XXIX. c. 2. qui ibidem prudenter admonet: *De vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt & animantium numerum complet, laturum ſententiam diu multumque cunctari oportere, nec praecipiti ſtudio vbi irreuocabile eſt factum agitari.* H.

§. VIII. * Conf. PARRHASIANA T. II. p. 283. & ſeqq. vbi oſtenditur, iuſtitiam omnibus ex aequo tribuendam eſſe.

§. IX. 1) In quo loco MARTIALIS de alia re omni agitur. Illud enim indicat Poëta, ſummam virtutem Principis in eo conſiſtere, vt amorem

ἀδικώτερος. *Pecuniae enim, inquit, ſi tantum dem, non ob id indigentior: at vero ſi improbo praefecturam committam, iniuſtior ero.* EVRIPIDES Rheſo. [v. 626.] Χρὴ δ᾽ ἄνδρα τάσσειν, ἔνθα μάλισ᾽ ἂν ὠφελοῖ. *Conuenit quemque virum eo adhiberi, vbi maxime ſit vtilis.* LIBANIVS Legatione ad Iulianum: *Qualem equis aurigam praefeceris, ſic ſpera currum tibi moderatum iri.* MARTIALIS VIII. Epigr. 15. *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos*[1]. Quam ob rationem, & quia prout miniſtri ſunt, ita recte aut praue negotia expediuntur. (Add. XENOPHON Cyrop. L. VIII. poſt princ.) ſummi imperantes tenentur ad miniſteria ciuitatis adhibere viros probos[2] & idoneos, & in eorum acta ſubinde inquirere, (LVCIANVS de Mercede conductis: Ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοὶ, οὐ μόνον τ᾽ ἀληθῆ ὁρῶντες, ἀλλ᾽ ἀεί τι καὶ ἐπιμετροῦντες, ὡς μὴ νυστάζειν δοκοῖεν. *Aures & oculi regis multi, non ſolum vera videntes, ſed ſemper quid & addentes, ne dormitare videantur.*) Eosdemque prout rem geſſiſſe deprehenduntur praemiis vel poenis mactare, quo caeteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam rem tractandam. Atque ne gratiae aut odio dari quid poſſit, Chinenſes hoc modo ſolent cauere[3], dum nemini magiſtratum in loco natali gerere conceditur: quod ibi fere ſint, quos peculiariter amamus aut odimus. Sic & cum praui mortalium ad ſcelera perpetranda ſpe impunitatis alliciantur, quae ipſis praebetur facillima, vbi iudices corruptionibus patent: ſummorum imperantium eſt, in eiusmodi iudices, tanquam fautores ſcelerum, queis ſecuritas ciuium abrumpitur, ſeuere animaduertere. (Vid. DIODOR. SICVLVS L. I. c. 75. 76.) & iniquas eorum ſententias reſcindere. Nam id, quod apud Aragonios in vſu eſſe dicitur, iniquum videtur, vt iudices quidem ob latam iniquam ſententiam poenas dent & illa nihilominus exſecutioni detur. Praeterea licet ordinaria negotiorum expeditio miniſtris credenda ſit; ſummi tamen imperantes querelis ac deſideriis ciuium patienter aurem praebere nunquam detrectabunt[4]. Quaenam autem requiſita ſummi imperantes reſpicere debeant in iis, quorum conſiliis circa gerenda negotia publica vti velint, & quo modo eorundem ſententiae commodiſſime perquirantur, docet HOBBESIVS Leuiath. c. 25. & 30. & circa poſterius notabile exemplum extat apud DAVILAM de Bello ciuili Galliae L. XIV. p. m. 969. vbi Pontifex circa abſolutionem Henrici Regis non in conſiſtorio, ſed priuatim ſingulos conſuluit. ISOCRATES ad Nicoclem *bonum conſiliarium* vocat χρησιμώτατον καὶ τυραννικώτατον πάντων κτημάτων, *vtiliſſimam & rege omnium digniſſimam poſſeſſionem.* Notatu digniſſima ſunt, quae circa magiſtratus apud Chinenſes tradit NEVHOF in generali deſcript. Sinae c. 1. Nec inſuper habenda monita IACOBI Regis dono regio L. II. vt princeps miniſtros eligat ex ſuo maxime iudicio, non ad arbitrium aliorum, & promiſcue ex omni parte populi, cum communis ſit pater. Vbi & rationes adfert, quare ad miniſteria

rem ciuium ſuorum conciliare ſibi norit: quod apparet ex inſtituto & argumento Epigrammatis.

2) Vid. CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 16. & ſeqq. & BVDDEVS in Philoſoph. Practica P. III. c. 5. ſect. 6.

3) Vid. le COMTE nouis Commentar. de Statu praeſent. Chin. Ep. 9. vbi duas rationes adfert. Et apud Romanos M. Aurelius ſanxit, ne quis patriae ſuae Praeſes conſtitueretur. Rex Siamenſis in regno Tunquin, quod prouincias octo complectitur, praefecturas credit eunuchis. De CHOISI in Diurnis itinerarii Siamenſis. Vid. ſupra L. VI. c. 1. §. 6. H.

4) Nec tamen ſemper nimis cito aut facile. Inſpici meretur PICCARTVS Decad. II. obſ. Pol. 7. MEVIVS Part. VI. Deciſ. 70. 73. FORSTNERVS ad XIV. Annal. Tacit. 16. & ad XV. Annal. 21. H.

ſteria pecuniae publicae ſint adhibendi homines mediocris conditionis. Add. quoque LIBANII Orat. 5. de Aſſeſſoribus.

§. X. CVM ad tributa, & alia onera ferenda ciues nullo alio nomine teneantur, quam quatenus iſta neceſſaria ſunt ad ſumtus ciuitatis belli paciſque tempore tolerandos; igitur ſummorum imperantium [1] heic officium erit, non plus extorquere, quam neceſſitates aut inſignes vtilitates Reipublicae requirant. Vid. COMINAEVS L. X. circa fin. GROTIVS in Lucam c. 3. 13. *Principum eſt publica onera cum publicis neceſſitatibus aequare, ita quidem vt liceat his ex publicis obuentionibus ſemet pro dignitatis ratione ſuſtentare; non item modum exigendi petere a ſuo, & aulicorum mancipiorum luxu ac libidine, quae modum non habent.* Add. quoque Th. MORI Vtopia L. I. LIBANIVS Orat. 3. Ταμιεῖα ἀσφαλῆ αἱ τῶν κεκτημένων οἰκίαι, *aerarium tutiſſimum ſunt domus poſſeſſorum.* Deinde vt iſta iuſta in proportione deſcribantur; nec aliquibus ciuibus immunitates concedantur, in fraudem & oppreſſionem reliquorum [2]. Add. HOBBESIVS de Ciue c. 13. §. 10. [3] Praeterea vt colligatur modo, quantum fieri poteſt, minime ſumtuoſo, & ne manibus colligentium multum queat adhaereſcere [4], ne aerario contingat, quod vrnis & ſitulis, quae ad extinguendum incendium plenae hauriuntur, ſed longa per manus traditione & concuſſione vix medium continent, dum eo perueniant, vbi aqua igni eſt inlicienda. Sed nec praetereundum, quod Hybreas Orator M. Antonio Triumuiro, duplicari per Aſiam tributa iubenti reſpondit, geminam aeſtatem & geminum autumnum quoque eodem anno imperaret. Tum quae collecta fuere, in vſus Reipublicae impendantur; non per luxuriam, largitiones, ſuperfluam oſtentationem, aut inania diſſipentur. DREPANIVS Paneg. [c. 27. num. 1. Edit. Cellar.] *Eſt improborum Principum poſtrema defenſio, auferre donandi gratia.* Add. Mich. MONTAIGNE Eſſais. L. III. c. 6. p. m. 175. Denique prouidendum, vt expenſae reditibus reſpondeant; & qua hi non pertingunt, a parſimonia, & circumciſis ſumtibus ſupplementum petendum. Pernicioſus eſt enim ſplendor, cui ſuſtinendo reditus non ſufficiunt. Imo ſat ſplendide viuit, qui nemini debet [5]. Add. MACHIAVELLI Princeps c. 16. PLINIVS Panegyr. [c. 41.] *Aſſueſcat Imperator cum imperio calculum ponere: Sic exeat, ſic redeat tanquam rationem redditurus, edicat quid abſumſerit, ita fiat, vt non abſumat, quod pudeat edicere.* Apud CONNESTAGIVM de Vnione Luſitan. L. I. eſt quoque notabilis locus de mala oeconomia Luſitaniae. p. m. 25. Nec eſt quod quenquam moueat illud CICERONIS pro Rege Deiotaro: [c. 9.] *Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege.* Quod HOBBESIVS Leuiath. c. 11. ita explicat: *Frugalitas (quanquam in homine priuato virtus) illis, quibus ea gerenda ſunt, quae multorum hominum vires ſimul*

§. X. 1) Vid. PARRHASIANA T. I. p. 281. 282. & T. II. p. 291. & ſeqq. CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 20. & ſeqq. & BVDDEVS Philoſoph. Pract. P. III. ſect. 7.

2) Vid. MEVIVS Part. VII. Dec. 30. H.

3) Et PARRHASIANA T. I. p. 275. & ſeqq.

4) Vid. quae de Polonia conqueratur P. PIASECIVS Chronic. ad A. MDCXXXI. circa extr. H.

5) Maximilianus Elect. Bauar. in monitis vltimis ad filium apud ADLTZREITTER. Part. III. Ann. Gent. Boiic. L. XXXV. n. 27. *A faciendis aeris alieni nominibus, quoad eius fieri poteſt, diligenter abſtine: & ſi rebus neceſſariis facta fuerint, quoquo tempore cura, vt expungantur; aut ſaltem id age, ne iis diſſoluendis remiſſus nedum inſidus videaris. Hoc tibi ſit pro comperto, foenus ſenſim & ſine ſenſu debitoris facultates exedere, &, niſi cum dies venerit, repraeſentetur, continue vorare inſtar teredinis.* &c. H.

ſimul poſtulant, *aptitudinem adimit. Conatum enim debilitat*, *qui nutriri & conſeruari praemio debet.* Enimuero facile exareſcet fons praemiorum, ni adſit frugalitas. Etſi haec regi amplectenda non per ſe, ac vt tantum diuitias cumulet, ſed vt materiam ſuppeditet & conſeruet negotiis bene gerendis.

§. XI. QVANQVAM autem ſummi imperantes ſubditos alere non teneantur, (niſi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem ſeipſos ſuſtentare non poſſunt, peculiarem curam agere caritas iubeat; & quondam Yncae apud Peruuianos inter alios titulos maxime gaudebant appellari *Amatores pauperum.* Apud Garcilaſſum de la VEGA Commentar. Reg. L. II. c. 14. qui etiam L. IV. c. 7. memorat, viduarum agros plus habuiſſe priuilegiorum, quam ipſius Yncae:) tamen quia non ſolum ex bonis ciuium colligendi ſunt ſumtus, ciuitati conſeruandae neceſſarii, ſed etiam robur ciuitatis in virtute & opibus ciuium conſiſtit; & quia *grauis eſt domino* quae *ſeruit egeſtas:* igitur illis quantum in ſe eſt, prouidendum erit, vt res familiaris ciuium gliſcat [1]. ISOCRATES ad Nicocl. [p. 33.] *Rem priuatorum familiarem curato: & prodigos de tuo facere ſumtum, & ad rem attentos tuas opes augere exiſtimato. Bona enim omnia in ciuitate habitantium velut domeſtica ſunt regum bene imperantium* [2]. Ad hunc finem facit ciues diſponere, vt quantum fieri poteſt, vberem prouentum ex terra & aqua capiant; vt quae apud ipſos proueniunt, materiis induſtriam adhibeant, aut quem ipſi commode laborem obire poſſunt, ab aliis non redimant, quod fit, ſiquidem artes [3] mechanicae rite foueantur. Maximi quoque heic momenti eſt, mercaturam [4], & in regionibus maritimis nauigationem excolere: Huc ſpectat diligentia Seſoſtris, qua Aegyptum commerciis & communicationi fructuum commodam fecit, apud DIODORVM SICVLVM L. I. c. 57. Add. quoque tradita ab HOBBESIO Leuiath. c. 30. circa ſocietates mercatorum obſeruanda [5]. Enimuero non ignauia ſolum proſcribenda, ſed & ad parſimoniam reuocandi ciues per leges ſumtuarias [6], queis ſuperflui ſumtus prohibeantur, inprimis illi, per quos opes ciuium ad exteros transferuntur. Maecenas apud DIONEM CASSIVM L. LII. *Diuitiae magnae non tam multa accipiendo, quam non multos ſumtus faciendo colliguntur.* Etſi maiorem heic, quam quaeuis leges, efficaciam obtinet ſummorum imperantium exemplum. TACITVS Ann. III. [c. 55.] *Praecipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuque obſequium inde in principem, & aemulandi amor, validior quam poena ex legibus & metus* [7]. Add. quoque quae BERNIER de Reb. in regno Mogol. circa finem refert de cauſis, quae vim auri in eo regno abſumunt. Si qua tamen ſit regio, quae populi & pecuniae multitudine abundet, in ea conſumtiones non neceſſarias & luxuriae propiores, tolerari expedit, vt plebs occaſionem ſeſe alendi accipiat, & ne magna vis pecuniae otioſa iaceat; modo ne enormis luxus alatur, & materia ad exteros cum lucro exportanda fruſtra conſumatur.

§. XII.

§. XI. 1) Et inprimis annona deficiat. Vid. omnino BERNEGGERVS Obſ. miſcell. 33. 34. H.

2) Κήδου τῶν οἴκων τῶν ἰδιώτων, καὶ νόμιζε τοὺς δαπανωμένους ἀπὸ τῶν σῶν ἀναλίσκειν, καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὰ σὰ πλείω ποιεῖν. ἅπαντα γὰρ τὰ τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστί.

3) Vid. PARRHASIANA T. I. p. 264. & ſeqq. T. II. p. 291. & ſeqq. & BVDDEI Philoſ. Pract. P. III. c. 5. ſect. 7. vbi etiam de Moneta agit.

4) Sunt enim mercatores vena porta, qui niſi floruerint, poteſt quidem regnum artus aliquos habere robuſtos, ſed venas vacuas & habitum corporis macrum, vt ait Baco VERVLAMIVS Serm. fidel. 19. H.

5) Et CHARDIN itinerar. Perſico ab initio, vbi de ſocietatibus Anglorum in diuerſis orbis partibus. H.

6) Vid. infra L. VIII. c. 5. §. 5.

7) Vid. MONTAGNE L. I. c. 43.

§. XII. Qvia etiam ſanitas ac firmitas interna ciuitatum ex vnione ciuium [1] prouenit, quae quo accuratior fuerit, eo maiori cum efficacia vis imperii per vniuerſum ſeſe corpus ciuitatis diſpenſat: igitur ſummis imperantibus incumbit prouidere, ne in ciuitate factiones oriantur [2]; ex quibus facilis in ſeditiones & bellum ciuile eſt prolapſus, quod tanto deterius eſt bello, quod concorditer aduerſus exteros geritur, quanto bellum deterius eſt pace. Herodotvs Vrania [init.] [3] Addatur Evagrivs Hiſtoria Eccleſiaſtica L. IV. c. 31. de Iuſtiniani in Venetam factionem ſtudio, & ortis inde malis [4]; nec non Procopivs Hiſtor. arcana & Idem de Bello Perſico L. I. c. 24. Et Baco Sermon. fidel. c. 15. & 49. Neue quidam ciues inter ſe peculiaribus pactis connectantur; (vid. Diodorvs Sicvlvs L. I. c. 21.) Neue omnes aut aliqui ab vllo alio, ſiue intra ſiue extra ciuitatem conſtituto, ſub quocunque obtentu, ſacro aut profano, magis dependeant, quam a legitimo ſuo principe, & in nemine plus ſibi praeſidii repoſitum arbitrentur. Quia & ne exſiſtant tales, in quos adplicare queas illud Senecae Oedipo: [v. 542. 543.] *Stat ingens arbor, atque vmbra graui Syluas minores vrget.* Vid. Geneſ. XXVI, 16. & Baco Serm. fidel. c. 35. Add. Hobbes. de Ciue c. 13 §. 12. 13. Cominaevs L. X. circa med. p. m. 682.

§. XIII. Denique cum ſtatus ciuitatum inter ſe ſit pax ſatis inſida; ſummorum imperantium [1] eſt curare, vt virtus ciuium, peritiaque armorum alatur, & omnia, quae ad vim repellendam requiruntur, mature parentur, munita loca, arma, milites [2]. *Mature*, inquam. Nam *miſerum eſt opus tunc demum fodere puteum, vbi ſitis fauces tenet.* Plavtvs Moſtillar. act. II. [Sc. 1. v. 32. 33.] Vltro autem, etiam poſita iuſta belli cauſa, nemo laceſſendus [3], niſi tutiſſima arriſerit occaſio, & conditio ciuitatis commode id ferat. Eundem quoque ob finem conſilia & molitiones vicinorum accurate exploranda, & obſeruanda ſunt [4]; (cui fini hodie inter alia, inſeruiunt legationes perpetuae [5]; vide Marselaer Legato L. II. c. 11.) nec non amicitiae & foedera prudenter contrahenda. Add. Hobbes. de Ciue c. 13. §. 7. 8. & Baco Sermon. fidel. c. 29.

§. XII. 1) V Parrhasiana T. I. p. 289. & ſeqq.

2) Livivs IV. Hiſtor. 9. *Factiones fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbiue, quaeque alia in Deum iras, velut vltima publicorum malorum, vertunt.* H.

3) Στάσις γὰρ ἔμφυλος πολέμου ὁμοφρονέοντος, τοσούτῳ κάκιόν ἐστι, ὅσῳ πόλεμος εἰρήνης. Vid. Montagne L. III. c. 12. p 774.

4) Et Thvanvs L. LXIII. ad A. MDLXXVII. vbi Chriſtophorus Thvanvs monet, *Regem, dum ſe factionis ducem profiteatur, regiam maieſtatem quodammodo exuere, & qui ſupra omnem comparationem poſitus eſt, perditiſſimo cuique conditione aequari, iusque ſupremi imperii abdicare.* H.

§. XIII. 1) Vid. Charron de la Sageſſe L. III. c. 3. §. 18. & ſeqq.

2) Vid. ſupra L. II. c. 2. §. vlt. Aristoteles II. Pol. 5 Δεῖ γὰρ οὐ μόνον πρὸς τὰς πολιτικὰς χρήσεις ἱκανὴν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἔξωθεν κινδύνους. *Oportet enim non modo ad ciuiles vitae vſus quod ſatis eſt ſuppeditare, ſed & propter pericula ab externis.* H.

3) Apud Senecam Octau. verſ. 433. in alia omnia it Nero

Exſtinguere hoſtem maxima eſt virtus Ducis

Sed cui a Seneca reſpondetur:

Seruare ciues maior eſt patriae patri

& paullo poſt:

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros:
Conſulere patriae; parcere afflictis; fera
Caede abſtinere; tempus atque irae dare;
Orbi quietem; ſeculo pacem ſuo
Haec ſumma virtus: petitur hac coelum via.

Add. Bvddei Philoſ. Pract. P. III. c. 5. ſect. 11. vbi agit de prudentia ſtatus circa bellum & pacem.

4) Sophocles Oedipode in Colono:

Ἐν γὰρ τῷ μαθεῖν
Ἔνεστιν εὐλάβεια τῶν ποιουμένων.
Nam reſciſcere
Quid agatur, ad res magna agendas cautio eſt. H.

5) At hodie Orientis Reges magno ſibi honori ducunt, legatos ab exteris accipere, quod id velut homagii ſpeciem reputent; ipſi raro legatos ab exteros mittunt. Vid Lovberivs de Regno Siam. Part. III. c. 15. n 14. Rigaltivs Hiſtor. Ibraham. Turcarum Imperat. ad A. MDCXL. vbi Turcarum, qui rerum externarum nimis ſeram notitiam conſequuntur, exemplo docet, quanti Principis interſit, in aulis externis legatos aſſiduos habere. H.

Bb SAMVE-

SAMVELIS PVFENDORFII

DE

IVRE NATVRAE

ET

GENTIVM

LIBER OCTAVVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE IVRE DIRIGENDI ACTIONES CIVIVM.

I. *De indole legum ciuilium in genere.*
II. *An lex ciuilis poſſit repugnare legi naturali.*
III. *An eadem crimina pro lubitu definire poſſit.*
IV. *Praecepta decalogi an ſint leges ciuiles.*
V. *Num aliquod iuſtum fuerit ante leges ciuiles.*
VI. *An quis aliquando exſequi prauum mandatum ſuperioris poſſit ſine peccato.*
VII. *Iuſſu ſuperioris, ſcelus non recte patratur.*
VIII. *An ciuis iuſſu regis recte militet in bello iniuſto.*

POSTQVAM explicata ſunt ea, quae ad naturam ſummi imperii in genere ſpectant; iam euoluendae quoque ſunt quaeſtiones praecipuae, quae circa ſingulas partes ſummi imperii mouentur. Et quidem cum poteſtas dirigendi actiones ciuium primo a nobis loco poſita ſit, abs qua leges ciuiles promanant, illis, quae ſupra de legibus in genere tradidimus, nunc addenda ſunt, quae peculiariter ad leges ciuiles, & iuſſa ſummorum imperantium pertinent. Lex igitur ciuilis dicitur vel reſpectu *auctoritatis*, vel reſpectu *originis*. Priori ſenſu ciuiles leges vocari poſſunt omnes leges, iuxta quas in foro ciuili ius dicitur, ex quacunque demum origine promanent. Conf. GROTIVS de Imperio ſummarum Poteſt. circa ſacra c. 3. n. 3. 4. 11. & c. 4. n. 1. Equidem leges naturales & diuinae omnes homines, quibus latae ſunt, obligant, & earum transgreſſores poena coram tribunali diuino decernenda manet. Sed vt illae plenam vim legis in

foro ciuili obtineant, ex imperio ciuili oritur [1]; cuius eſt definire, ob quae delicta poena in foro ciuili ſit exigenda [2]; quae vindictae Numinis ſint relinquenda. Item ex qua obligatione naturali actio detur in foro ciuili [3], quae obligatio actionem non pariat, ſed ſolo pudore & probitate hominum contineatur. Vnde in ciuitatibus ob violatas leges naturales, quibus auctoritas legis ciuilis data non eſt, nemo conuenitur, aut punitur poena proprie dicta. Nam talia peccata vtique comitantur illa mala, quae poenae naturales ſolent vocari [4]. Et habent quidem in omnibus ciuitatibus vim iuris ciuilis illa naturae praecepta, citra quorum obſeruationem pax interna inter ciues ſtare omnino nequit. Quibusdam autem illa vis neque expreſſe, neque per praxin fori eſt tributa, tum quod illorum, quae contra eadem admiſſa dicuntur, diſceptatio nimis obſcura erat futura; tum ne tribunalia immenſo litium numero perſtreperent; tum vt viris bonis praecipua laudis ſuae materia velut illibata relinqueretur, quae eſt, ſola Numinis reuerentia citra metum poenae ab hominibus infligendae recte egiſſe. Quae ſane laus perit, vbi diſcernere non licet, formidine poenae, an virtutis amore quis egerit. Quo ſpectat illud SENECAE de Ira L. II. c. 27. *Quam anguſta res eſt ad legem bonum eſſe? quanto laxius officiorum patet, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, iuſtitia, fides exigunt? quae omnia ſunt extra publicas tabulas.* Aſt lex ciuilis reſpectu *originis* eſt, quae vnice a voluntate ſummae poteſtatis ciuilis profecta eſt, ac circa illa verſatur, quae per ius naturale ac diuinum indifferentia ſunt relicta, ad peculiarem tamen ciuitatis vtilitatem faciunt. Quae tamen non minus ciuibus, quam aliae leges ſunt obſeruandae [5]; quippe cum euidenter magis conducat ad ſocialitatem, vt in adiaphoris ſententia imperantium valeat, idque pro bono habeatur a ſubditis, quod imperanti tale videtur, quam vt aeternae inter eos lites ea de re maneant, vnde bella & caedes, quae ſine dubio mala ſunt, merito forent expectandae. CICERO de Inuent. L. I. [c. 38.] *Omnes leges ad commodum Reipublicae referri oportet, & eas ex vtilitate communi, non ex ſcriptione, quae in literis eſt, interpretari. Nemo enim leges legum cauſa ſaluas eſſe vult, ſed Reipublicae.* Sic PHILO Iudaeus de Ioſepho. [p. 531. B. Ed. Pariſ.] *inſtituta particularium ciuitatum appendices naturalis iuris* vocat, circa ea, quae ſingulis ciuitatibus in commune videntur conducere [6]. Harum autem complexio cum vulgo nomine iuris ciuilis veniat, obſeruandum eſt, non omnia, quae in corporibus aut codicibus iuris ciuilis continentur

§. I. 1) Hinc VLPIANVS *L. 6. D. de Inſt. & Iure. Ius ciuile eſt, quod neque in totum a naturali recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi* (naturali) *ius proprium, id eſt, ciuile efficimus.* V. *Differt. de Colliſ. Leg. Sect. 3.* H.

2) V. infra c. 3. §. 14. H.

3) V. ſupra L. I. c. 2. §. 8. & inprimis L. III. c. 4. §. 6. & in annot. H.

4) V. L. II. c. 3. §. 21. H.

5) Etiam in conſcientia, perperam diſſentiente HOBBESIO, vt iam ſupra notauimus. H.

6) *Ὥστε εἰκότως προσθῆκαι μᾶλλον αἱ κατὰ μέρος πολιτεῖαι μιᾶς τῆς κατὰ τὴν φύσιν. προσθῆκαι μὲν γὰρ οἱ κατὰ πόλιν νόμοι τοῦ τῆς φύσεως ὀρθοῦ λόγου. προσθήκη δ' ἐστὶ πολιτικὸς ἀνὴρ τοῦ βιοῦντος κατὰ φύσιν.*

7) Porro, vt plura inueniuntur, quae Ius Naturae modo tantum generali & indefinito ordinat, tempus, modum, locum, adplicationem ad certas perſonas & alias ſimiles circumſtantias iudicio & prudentiae vniuscuiusque relinquens; ita haec omnia legibus ciuilibus definiri ſolent ordinis & tranquillitatis publicae cauſſa, quae & iis interdum praemia proponunt, qui id genus actionum, ad quas indeterminati non obligantur, in caſibus

tinentur eſſe leges proprie dictas: ſed praeter mandata, quae a ſummo imperio ob peculiare bonum ciuitatis ciuibus iniunguntur multa inſerta reperiuntur, quae ad diſciplinam iuris naturalis ſpectant. Pleraque ad diſciplinam iuris ciuilis pertinent, quae ad duo praecipue capita poſſunt reduci [7]. Vel enim praeſcribuntur certae formulae, certique modi, qui obſeruari debeant in negotiis, quibus ius in alterum confertur, aut obligatio in aliquo naſcitur, vt illa firmitatem in foro ciuili obtineant; vel traditur modus, quo quisque ius ſuum in foro debeat perſequi. Sic vt vbi iuri naturali ſua vindicaueris [8], quae interpretes iuris ciuilis hactenus promiſcue fere tractarunt, ius ciuile ſat modicis deinceps finibus ſit vſurum. Ne nunc dicam, quod ſemper, vbi lex ciuilis deficit, ad naturalem rationem recurritur, adeoque in omnibus ciuitatibus defectum legum ciuilium ius naturae ſupplet [9]. Quo reſpectu HOBBES de Ciue c. 14. §. 14. legem naturalem vocat *legem ciuilem non ſcriptam.* Hinc & apud declamatores *inſcripti maleficii* datur actio. De qua ita apud QVINTILIANVM Declamat. 252. *Diligentiſſime maiores hanc videntur excogitaſſe legem, quod cum ſcirent, nullam tantam eſſe prudentiam nullam immotam certam diuinationem, vt omnia quaecunque ingeniis malorum excogitari vnquam potuiſſent, prouidentia cauentium videret: hac lege omnem malitiam, veluti quadam indagine cinxerunt; vt quidquid aliarum legum effugiſſet auxilium, quaſi extrinſecus circumdaretur.* [Add. Declam. 344.]

§. II. CAETERVM HOBBESIVS de Ciue c. 14. §. 10. ſat paradoxe negat fieri poſſe, vt *lex ciuilis naturali iuri repugnet, niſi forte illa in contumeliam Dei lata ſit.* Idque hoc praecipue argumento, quod *in ciuitatem coituri pacto ſeſe obligent ad obſequendum mandatis eius, qui ſummum imperium habet, id eſt, legibus ciuilibus; atque idem pactum lex naturae ſeruare iubet. Cum autem illud pactum, adeoque & obligatio ad ſeruandas leges ciuiles ſit antiquior ipſa legum promulgatione: eiusdem legis naturalis vi de non violandis pactis iuberi nos obſeruare omnes leges ciuiles. Nam vbi obligamur ad obedientiam, antequam ſciamus, quid iubebitur, vbi vniuerſaliter & in omnibus obedire obligamur.* Enimuero heic praeſupponi debet, homines in ciuitatem coituros iam tum iuris naturalis fuiſſe intelligentes; ac inter fines ciuitatum conſtituendarum vel hunc praecipuum fuiſſe, vt leges naturales, quibus pax generis humani regitur, ſecure poſſent exerceri *: denique in le-

caſibus particularibus ſponte facere voluerint. Explicant eaedem quoque quicquid in Iure naturae aut in adplicatione eius obſcurum eſſe poſſit, & obſtringuntur priuati ad obſequium deciſionibus his, auctoritate publica compoſitis praeſtandum, etiamſi iis iniuſtae eſſe videantur. Exercitium praeterea eorum iurium, quae cuiuis naturaliter competunt, a legibus ciuilibus circumſcribi ſolet, quod tamen, niſi exigente vtilitate publica, fieri non debet. Ceterum Ciues legibus ciuilibus quatenus Iuri diuino non aperte repugnant abſ{c}iſſe obtemperare tenentur, non veluti ex nudo poenae metu, ſed ex intrinſeca obligatione, per ipſum Ius Naturale confirmata, quippe inter cuius praecepta quoque eſt, legitimis Imperantibus eſſe parendum. Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 12. §. 6. 7. 8.

8) Quod non in contemtum iuris Iuſtinianei dictum exiſtimari debet, ſed potius ad gloriam eius trahi, quippe non tantum iuris arbitrarii, ſed & naturalis ſcita explicantis. H.

9) Et tum aequitas vocatur. V. ſupra ad L. 5. c. 12. §. 21. H.

§. II. * ARISTOTELES III. Pol. 6. *Τῶν καλῶν ἄρα πράξεων χάριν θετέον εἶναι τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν. Honeſtarum igitur actionum gratia ſtatuendum eſt conſtare ciuilem ſocietatem.* H.

Digitized by Google

in legibus naturalibus nihil eſſe, quod naturae ac fini ciuitatum repugnat, quin contra ad eundem illas amice conſpirare. Igitur, qui in ciuitatem coalituri pacto ſeſe ad legum ciuilium obſeruantiam obſtrinxerunt, ſane praeſuppoſuiſſe cenſendi ſunt, nihil contra ius naturale per leges ciuiles ſtatuendum; neque peculiarem ciuitatum vtilitatem, a qua ciuiles leges proueniunt, communi ciuitatum fini repugnare. Inde poſſet quidem lex ciuilis ferri, iuri naturali aduerſa: ſed talem legem ferre non niſi veſanus velit, & cui ciuitatem deſtruere cordi foret. De caetero merito dictus fuit inſaniri Stratocles, qui legem Athenis promulgauit, *vt quidquid iuſſiſſet Rex Demetrius, id & apud Deos fas, & apud homines ius eſſet.* PLVTARCHVS Demetrio [pag. 900. 901.] Ac deteſtandae adulationis rea eſt Paryſatis, dum Artaxerxi perſuadet, vt contemtis Graecorum legibus propriam filiam duceret, addens; *πέρσαις νόμον αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ δικαιωτὴν αἰσχρῶν καὶ καλῶν ἀποδεδειγμένον; Legem Perſis ipſum a Deo, honeſtique & inhoneſti datam normam.* IDEM Artaxerxe [p. 1022. B.]

§. III. VLTERIVS pro ſuo dogmate pugnat IDEM de Ciue c. 6. §. 16. c. 14. §. 9. 10. *Etſi lege naturae furtum, homicidium, adulterium, atque iniuriae omnes prohibeantur; quid tamen in ciue furtum, quid adulterium, quid denique iniuria adpellanda ſit, id non naturali lege, ſed ciuili determinandum eſſe. Non enim quamuis ablationem rei, quam alius poſſidet, ſed rei alienae tantum, furtum eſſe. Aſt quid noſtrum, quid alienum ſit, legis ciuilis quaeſtionem eſſe. Sic non quamuis occiſionem hominis eſſe homicidium, ſed eius tantum, quem vetat occidi lex ciuilis. Sic & illum duntaxat concubitum eſſe adulterium, quem lex ciuilis pro tali declarat. Denique promiſſi violationem eſſe iniuriam, vbi ipſum promiſſum eſt licitum; vbi vero paciscendi ius non eſt, ibi nullum ius tranſire, adeoque non ſequi iniuriam. Quae autem paciſci poſſumus, & quae non poſſumus, a lege ciuili dependere.* Ad iſthaec reponi poteſt, apud nos, qui ſacras ſcripturas veneramur, ex ipſis legibus, quae diuinitus Iudaeis latae ſunt, & ex aliis reuelationibus de multis ſane criminibus conſtare poſſe, quomodo Deus auctor legis naturalis eadem definiri velit: adeo vt licet de facto ciuitas quosdam actus ab illa criminis nota exemerit, iſti nihilominus legi diuinae aduerſentur. Praeſertim cum ſufficiens ratio monſtrari nequeat, quare iſtis actibus in lege diuina tales definitiones attribuerit Deus, quae apud caeteras gentes non aeque locum habere debeant. Sic Spartani permittebant quidem ſeni inualido, vt iuuenem aliquem robuſtum impraegnandae vxori ſuae poſſet ſubſtituere; ita vt Spartae neque maritus iſte lenocinii macula, neque iuuenis & vxor adulterii crimine laborarent; quia leges ciuiles eius vrbis talem concubitum cum vxore alterius auctore marito ſub adulterii nomine non fuerunt complexae. Et tamen cum ex legibus diuinis adpareat, per legem de

§. III. Ioachimus PASTORIVS autem L. I. Hiſtor. Polon. *pleniores* deſcribit *ſimplicitate legum & fide pactorum multis aliis populis ſuperiores: inter ſe porro mites ac compoſitos, in peregrinos etiam mercatores non inhoſpitales.* THVANVS quoque L. LXVII. ad A. MDLXXIIX. de iisdem: *Duo illa iuſtitiae columina, vt ne cui noceatur, & communi vtilitati ſeruiatur, religioſiſſime omnia ſeruant; & quod magis mirum in tam barbara & fera gente, bellis & praedis aſſueta, nulla latrocinia aut furta ſunt, nullae amiſſae res deperduntur.* H.

2) Vbi obſeruandum eſt, gentes, quae non penitus a ratione deflexerint, ſed Iuris Naturae prae-

de adulterio quemuis concubitum cum muliere, quae actu adhuc alteri matrimonio iungitur, prohiberi, vtique contra legem quoque naturae iſtas vicarias operas fuiſſe exercitas dicendum eſt. Deinde ſi quis contendere velit, definitiones certorum actuum in ſacris literis traditas ad populi Iudaici Rempublicam duntaxat pertinere & ſic iuris eſſe poſitiui; is tamen hoc ſaltem concedere cogitur; definitiones actuum lege naturae interdictorum ita eſſe formandas per leges ciuiles, vt ne intentio & finis legis naturalis in irritum cadat, qui eſt, vt honeſta & pacifica ſocietas inter homines conſeruetur. Quod ſi igitur definitio aliqua legis ciuilis huic fini aduerſetur, eandem quoque legi naturali aduerſari omnino fatendum eſt. Sic ſi quis, verbi gratia, adulterium vellet definire, ſi quis cum alterius vxore *nolente* rem habuerit; aut furtum, ſi quis *noctu* rem ſurripuerit; aut homicidium, ſi quis *aperta vi* aliquem obtruncauerit; quin hoc modo tranquillitas ciuitatis ſubuerteretur, dubium non eſt. Nec eſt quod credamus, paci hac ratione ſatis conſuli, quod eiusmodi definitiones ſint vniuerſales: ita vt licet ſors interdum incommodo aliquem afficiant, altera vice eundem iterum iuuare poſſint; ac aequalitatem iuris, quam eiusmodi leges inter ciues conſtituunt, cauſam querelarum ſubmouere. Etſi enim ſors nonnulla vt ſolis nobis licita eſſent, cuperemus: tamen ſi aliis quoque aduerſus nos licita ſint futura, ne nobis quidem ipſis ea licere deſiderabimus. Talia ſi legibus ciuilibus conſtituantur, non poterit non pax, & decens ordo, quem natura ſeruatum cupit, turbari. Quid quod ſi ſola iſthaec aequalitas ſat valida eſſet cuiuis iuri introducendo, eadem opera omnes leges tollere liceret; cum hac ratione maxima aequalitas introduceretur. Quod nemini ſano facere in mentem veniet. Sic de Tartaris tradit Sigismundus Baro HERBERSTEINIVS de Rebus Muscouiticis: *Iuſtitia apud illos nulla eſt. Nam vt quisque re aliqua indiguerit, eam ab altero impune rapere poteſt. Si quis apud iudicem de vi, illataque iniuria queritur, reus non negat, ſed ea re ſe carere non potuiſſe dicit. Tum iudex talem proferre ſententiam ſolet: ſi tu viciſſim re aliqua egueris, rape ab aliis.* Etſi eum morem paulo mollius videatur deſcribere HAYTHONVS [1] de Tartaris c. 48. *Tartari*, inquit, *cibum libenter diuidunt cum hoſpitibus, & volunt ſibi per viam ſimilem reſpondéri, alioquin accipiunt violenter.* Per definitionem igitur Tartaricam furtum erit, quando inuito domino ſubtrahitur, quo is, qui ſubtraxit, non eguit. Quae definitionis anguſtia quod legem naturae de furtis tantum non plane ſubuertat, in aprico eſt. Ac non niſi perditis nebulonibus eiusmodi lex optanda foret; cum apud induſtrios homines ſaepiſſime poſſit euenire, vt ipſis eripiatur id, quo minime omnium carere velint, cuiusque ſimile apud alium non inueniant, aut ob cuſtodiam domini auferre prohibeantur [a]. Praeterea falſum eſt, quod praeſupponit, iuris ciuilis preſſe dicti quaeſtionem eſſe, quid ſit

praecepta aliquo adhuc loco habuerint, leges tales non ideo ſanciuiſſe, quod ignorarent, eas repugnare inſtitutis Iuris Naturae, ſed, quod in ea mente fuerint, ac ſi ſummae poteſtati naturam criminum pro lubitu determinare liceret, quoniam per circumſtantias ſaepe fiebat, vt e re eſſe iudicaretur, delicta quaedam relinqui impunita, magni incommodi euitandi cauſſa. Sic apud Aegyptios lex erat, qua ex furto & rapinis viuere volentes, nomen profiteri debebant apud quemdam

ſit alienum, quid noſtrum; & extra ciuitates non eſſe proprietatem rerum. Nam etſi longe certior & firmior ſit rerum ſuarum proprietas illis, qui in ciuitatibus, quam qui extra easdem viuunt; cum illorum bona iunctis multorum viribus, & per auxilium praetoris defendantur, hi autem propriis duntaxat viribus nitantur: tamen quin & ante ciuitates inſtitutas dominium rerum fuerit, gratis negatur. Sic cum hodie Reges & Reſpublicae inuicem in ſtatu naturali viuant, eorumque dominia non communi aliqua lege aut iudice, ſed ſolis pactis, ac naturalibus adquirendi modis nitantur; quis tamen aſſerere auſit, regem vnum alteri etiam quicum pactum ipſi non interceſſit, res ſuas clam aut vi poſſe eripere citra furti aut raptus crimen? Sic vtut concedamus, non poſſe aliquem valide paciſci circa rem, per leges ciuiles interdictam; tamen quin illi, qui inter ſe in libertate naturali viuunt, paciſci queant, ſic vt pacto violato fiat iniuria, quis inficias ibit? Ergo & hoc falſum, vnice ex legibus ciuilibus petendum, quid ſit iniuria. Quis porro negabit, homicidii reum eſſe, etiam qui ſolo iure naturali regitur, qui alterum extra bellum, aut neceſſitatem propriae defenſionis interficiat? Porro adulterium eſſe fidei coniugalis violationem, etiam citra ſubſidium legum ciuilium ex ſolo iure naturali intelligitur. Quin tamen leges ciuiles contractui matrimoniali certa quaedam capita poſſint ſuperaddere, quibus deficientibus idem in ciuitate inualidum, & nullum habeatur, aut certis effectibus deſtituatur, apertum eſt. Denique accurate eſt diſtinguendum inter id, quod legibus ciuilibus praecipitur, & quod iisdem permittitur duntaxat, ſeu non prohibetur ſancita poena, in foro ciuili infligenda. Haec enim inuicem non aduerſantur, iure naturali eſſe interdictum, & legibus ciuilibus permiſſum. Nam permiſſio legis ciuilis non facit, vt actus aliquis non ſit contra legem naturae, aut vt quis citra peccatum in Deum eundem poſſit admittere; ſed duntaxat declarat, per poteſtatem ciuilem non prohiberi, qui eum velit committere, nec eo nomine poena affici; atque in foro humano iſtis actibus eosdem concedi effectus, qui alias conſequuntur actus iure naturali licitos. Vnde Tartaricae leges non praecipiunt aliis res ſubripere, neque puto dominos prohibent contra raptores res ſuas defendere: ſed qui id fecerit non plectitur, nec ad reſtitutionem adigitur; adeoque in foro eius gentis iſta ſubtractio, inſtar legitimi modi adquirendi habet. Idem iudicandum de Laconicorum

dam latronum Ducem ea lege, vt quicquid deinde praedae feciſſent, ad ipſum deferrent. Qua ratione ii, quibus aliquid ſubreptum erat, facile id recuperabant, modo eos non fugeret, dies, hora & locus perpetrati facinoris, & praeterea quadrantem veri pretii Duci ſoluere parati eſſent. Quare DIODORVS SICVLVS, relata lege tam abſurda, addit, eos, qui eam tulerint, impedire ſaltem hac ratione voluiſſe, ne immenſis ſumtibus opus eſſet, ſi quis rem furto ſibi ablatam recuperare vellet, quum iis fingi non poſſe viſum ſit, vt omnes a furtis abſtinerent. Ἀδυνάτου γὰρ ὄντος, inquit, τοῦ πάντας ἀποσχέσθαι τῆς κλοπῆς, εὗρε πόρον ὁ νομοθέτης, δι' οὗ πᾶν τὸ ἀπολλύμενον σωθήσεται, μικρῶν διδομένων λύτρων. L. I. p. 72. Ed. Rhodom. Aegyptii enim perinde vt Arabes, obſeruante CLERICO ad Exod. XX. 15. vehementer ad furta ferebantur.

3) V. ſupra L. I. c. 6. §. 15. Sane qui malum permittit, non ipſum malum vult, ſed eius permiſſionem: quemadmodum quosdam corporis morbos perferimus potius, quam vt vitam in ancipitem dubiae curationis aleam coniiciamus. In ipſa Haebraeorum Republica ad quaedam vitia Deus conniuit. Apud alios populos tolerantur improba foenora, & ob magnam inprimis coelibum turbam, quo facilius cuſtodiantur matrimonia, impudicitiam profeſſae mulieres: apud veteres Germanos, poſtea Francos vindicta in homicidas propinquorum permiſſa: alia alibi. Vid. Lamb. VELTHVYSIVS Disquiſit. de tolerando malo in Republica. H.

corum puerorum furtis. Nam illud apud PLVTARCHVM Apophthegnatum Lacon. *κλέπτειν νενόμιϛο τὺς παῖδας;* non neceſſum eſt verti, *lege iubebantur*, cum etiam notare poſſit, *lege permittebantur*. Quod enim XENOPHON περὶ ἀναβάσ. L. IV. [c. 6. §. 11.] dicit, Spartanorum pueris ὐκ αἰσχρὸν εἶναι, ἀλλὰ ἀναγκαῖον κλέπτειν. *Non turpe eſſe, ſed neceſſarium furari*; id ioco ab ipſo dictum, & vt Chiroſophum Laconem morderet. Neque vero tam foedus erat iſte mos, vt a nonnullis creditur, aut prout in eum inuehitur ISOCRATES Panathenaico; cum tantum circa hortos & cibaria ea licentia pueris fuerit indulta; & compertis verbera & fames pro piaculo forent. Vid PLVTARCHVS Lycurgo, & XENOPHON de Republ. Lacedaemon. [cap. 2. §. 7. & ſeqq.] Longe foediora de licentia furtorum apud Colchos tradit BVSBEQVIVS Epiſt. III. p. m. 155. Huc facit & illud, quod IDEM Apophth. [p. 175. F.] refert de Dionyſio: *Cum maleficia reliqua acerbe vindicaret, veſtium furibus* (λωποδύταις) *ſolis pepercit, vt Syracuſani aliquando cogerentur finem conuiuandi & ſe inuicem inebriandi facere.* Add. *L. 1. D. de Alcator.* [4]. Sic & Spartae nullum praeceptum neque maritum vetulum, neque iuuenem admiſſarium vrgebat; ſed ſi ipſi conſenſiſſent, leges non intercedebant, & ex tali concubitu genitos pro legitimis habebant, & ad paternam haereditatem admittebant. Sic vbi duella, priuato feruore ſuſcepta, permiſſa ſunt, caedes in iis perpetrata a poena homicidii in foro duntaxat ciuili, non item in foro diuino eximitur. An vero poteſtas ciuilis talia recte poſſit permittere, & quidem non per nudam conniuentiam, ſed expreſſa in leges publicas relatione, aſſerere non auſim [5], cum vtique hoc modo tantum non ciues inuitet ad talia patranda, quae legi naturali repugnant. Diſſimulatio talium vtcunque excuſari poteſt, ſi conditio temporum, & genius populi directa per remedia iſtiusmodi libidinem ſiſti non ferat [6]. Sicut & illud ratione non caret, quod ius Romanum actionem *rerum amotarum* [7] vocat, vbi reuera furtum fuit patratum.

§. IV. IDEM de Ciue c. 14. §. 9. tradit, praecepta decalogi eſſe praecepta *ciuilia*, non *naturalia*; & hoc modo explicanda: *Parentibus honorem ciuili lege definitum non denegabis: hominem, quem leges vetant occidere, non occides: legibus vetitum concubitum fugies; rem alienam domino inuito ne auferas; leges & iudicia falſo teſtimonio non fruſtraberis.* Vbi notanda eſt falſa hypotheſis [1],

Oo 2 quaſi

4) Praetor ait, *Si quis eum, apud* QVEM ALEA LVSVM ESSE DICITVR, VERBERAVERIT, DAMNVMVE EI DEDERIT, SIVE QVID EO TEMPORE, DOLO EIVS SVBTRACTVM EST, *iudicium* NON DABO. V. Celeb. BARBEYRACVS de Ludo L. III. c. 9. §. 15.

5) CICERO IV. Tuſculanar. Quaeſt. *Qui vitiis modum apponit, is partem ſuscipit vitiorum, quod cum ipſum per ſe odioſum eſt, tum eo moleſtius: quia ſunt in lubrico, incitataque ſemel in procliue labuntur, ſuſtinerique nullo modo poſſunt.* Conf. EVNDEM II. de Finib. H.

6) Videatur fragmentum Philemonis adductum ab ATHENAEO L. XIII. p. 569. & locus Auguſtini, qui adducitur a CLERICO p. 298. ex quo etiam adparet, quare alicubi tolerentur mulieres probroſae. Eidem argumento inſeruit VELTHVYSII Disquiſitio de tolerando malo in Republica.

7) Cui locus, quando alter coniugum alteri aliquid ante diuortium ſubtraxit. Quod arctae conſuetudini datum, quae tempore matrimonii inter eos fuerat. In honorem enim eius *rem amotam* quam *furtum* dicere maluerunt eiusmodi contrectationem, etſi reapſe furtum eſſet. Vid. *L. 1. D. de Actione rerum amot.* & NOODTIVS in Iulio Paullo c. 7. p. 40. 41.

§. IV. 1) V. ſupra L. I. c. 6. §. 10. & c. 7. §. 13. & L. III. c. 5. §. 3. H.

quaſi ante ciuitates nihil proprium, nihil alienum, nullum patrimonium, & quidlibet in quemlibet fuerit licitum. Sane patet, illa praecepta eos inuicem ſtringere, qui non in communi ciuitate, ſed in ſtatu naturali viuunt, ſoloque iure naturae inuicem vtuntur. Nam iſti vtique pacto inter ſe res potuerunt diuidere, & actu diuiſerunt. Ergo hi non minus in ſeptimum praeceptum peccant, ſi vi aut clam alterius res inuadant, aut ſurripiant, quam ſi ciuis ciui hoc faciat. Sic quis negare auſit, adulterium committere, qui thorum eius, quicum in naturali libertate viuit, violat. Vid. Gen. XX, 3. XXVI, 10. Denique cum in ſtatu naturali ſaltem arbitri locum habeant, qui quaeſtiones facti interuentu teſtium decidunt, Hobbes de Ciue c. 3. §. 23. ibidem quoque octauo praecepto vſus erit. De caetero pleraque praecepta decalogi materialiter vtique ad ius naturale referuntur [2]. Quando tamen conſiderantur, prout duabus tabulis inſculpta, & per Moſen populo Iſraëlitico promulgata fuerunt, ciuiles leges recte vocari poſſunt, vel potius ſumma capita iuris ciuilis eius populi; quae deinceps in ſpecialia praecepta, additis ſanctionibus poenalibus, diſpeſcuntur. Add. Philo Iudaeus de Decalogo. Quo ſpectat, quod tradit Grotius ad Matth. V, 27. in decalogo non omnia delicta, ne ea quidem, quae lege ciuili puniuntur, (expreſſis verbis) comprehenſa ſunt, ſed ea duntaxat, quae in quoque genere ſummam habent atrocitatem. Neque enim vulnerationis fit mentio, ſed homicidii, neque omnis lucri cum iactura alterius, ſed furti, neque omnis perfidiae, ſed falſi teſtimonii.

§. V. Evolvendvm quoque iam, quod Idem dicto loco c. 12. §. 1. inter ſeditioſas opiniones, & ex quibus ciuitates intrinſece ad ruinam diſponuntur primo loco hanc recenſet: *Cognitionem de bono & malo pertinere ad ſingulos. Regulas enim boni & mali, iuſti & iniuſti eſſe leges ciuiles; ideoque quod legislator praeceperit, id pro bono; quod vetuerit, pro malo habendum. Inde iniquum eſſe dicterium: Regibus non eſſe obtemperandum niſi iuſta praeceperint. Ante imperia iuſtum vel iniuſtum non extitiſſe, vt quorum natura ad mandatum ſit relatiua: actionemque omnem ſua natura eſſe adiaphoram; quod autem ſit iuſta vel iniuſta, a iure imperantis prouenire. Reges igitur legitimos quae imperent iuſta facere imperando, quae vetent, vetando iniuſta. Priuatos autem homines, dum cognitionem boni & mali ad ſe trahunt, cupere eſſe ſicut reges; id quod ſalua ciuitate fieri nequit.* Circa iſthaec notandum, id quidem penes reges eſſe, legibus naturalibus vim iuris ciuilis in foro humano exſerendam addere vel demere, addita ſanctione poenali, aut negata; ſimulque multa, quae ſunt extra leges naturales iubendo iuſta, vetando iniuſta facere. Verum quod ante imperia ciuilia iuſtum vel iniuſtum non extiterit, per ius naturale definitum, & conſcientias hominum ſtringens, id vero aeque falſum eſt, ac ſi aſſerere velim, veritatem & rectitudinem ab arbitrio hominum, & non a natura rerum dependere, aut rerum naturam a ſummis imperan-

2) Bene *materialiter.* Exemplo ſit Sabbati ſanctificatio, quae formaliter, ſiue qua ad diem ſeptimum reſtricta, haud dubie eſt ex arbitraria conſtitutione: neque enim vlla diebus natiua ineſt ſanctitas. Hinc cum ſeptimum diem Deus in religioſam mundi conditi memoriam & celebrandas laudes ſuas voluiſſet eſſe ſanctum, primi illi Chriſtianae Religionis Propagatores diem dominicum in

perantibus pro lubitu poſſe fingi, aut veritatem de eadem re diuerſam eſſe poſſe. Et res ipſa Hobbesio ſatis reclamat. Scilicet iſti patresfamilias, quorum coitione ciuitates initio extitere, cum adhuc disiunctim viuerent, ad brutorum inſtar agebant; non ſeruabant pacta cum aliis inita; ſuo iure, quando libitum erat, aliis vitam & bona eripiebant; & quaecunque patrabant, pro adiaphoris habebantur. Hodie quoque reges abſoluti, qui vtique inter ſe in ſtatu naturali viuunt, quando pacta non ſeruant, aliis ſua ereptum eunt, nullam iuſtitiam violaſſe cenſentur; quos tamen legibus ciuilibus hautquaquam ſubiectos conſtat. Quin contra neque coaleſcere poterant ciuitates [1]; neque coalitae ſeruari, niſi ante ipſas aliquid iuſtum vel iniuſtum extitiſſet. Nam pacta in ciuitatibus conſtituendis interueniſſe certum eſt. At quomodo homines pactorum aliquem heic eſſe vſum perſuadere ſibi poterant, ni antea ſciuiſſent, iuſtum eſſe pacta ſeruare, iniuſtum non ſeruare? Et ſi ante definitionem legum ciuilium non eſt iuſtum pacta ſeruare; quid obſtat, quo minus pro lubitu ſubiecti obſequium exuant, ac ciuitatem, cumque ea omne diſcrimen iuſti & iniuſti tollant? Nam vtique fruſtra quis ſperauerit, ſola vi metuque tantam ſeſe hominum multitudinem perpetuo continere poſſe. Vnde etiam nullus vnquam Rex credo tam demens fuit, vt aliquid praeciperet, quod generalibus naturae legibus eſt interdictum, aut vetaret, quod iisdem eſt praeceptum; puta vt nefas ſit fidem ſeruare, ne quis alteri ſuum tribuat, ne honeſte viuat, vt quilibet quemlibet quantum poſſit laedat. Aſt cur non tales quoque leges poſſent ferri, ſi nihil eſt iuſtum, & iniuſtum ante definitionem legum ciuilium? Aſt talia non magis praecepto imperii ciuilis bona & iuſta fieri poſſunt, quam eiusdem mandato venenum vim nocendi humano corpori exuere poteſt. Ex quibus etiam facile colligitur, in quantum a vero abeat Polybius Libro VI. qui itidem originem iuſti & iniuſti a ciuitatibus videtur arceſſere. Quem citra iudicium exſcripſit Machiavellus Diſcurſ. ad Liuium libro 1. capite 2. Add. Rich. Cumberland. de Leg. nat. c. 5. §. 5. Enimuero in alio ſenſu theſis Hobbeſii admitti poteſt; ſi nempe bonum & malum accipiatur pro eo, quod Reipublicae expedit vel non. Nam haec ſane ſeditioſa eſt opinio; *cognitionem boni & mali*, id eſt, eius, quod bonum & malum, vtile, vel inutile eſt Reipublicae *pertinere ad ſingulos.* Id eſt, ſingulis competere facultatem iudicandi de aptitudine mediorum, quae ad promouendum bonum publicum vſurpare iubet princeps, cum hoc effectu, vt ab illo iudicio cuiusque ad obſequendum obligatio ſuſpendatur. Huc enim adplicari poteſt illud Taciti [2] H. I. 83. *Tam neſcire quaedam* non *milites* ſolum, ſed & caeteros ſubditos, *quam ſcire oportet. Si vbi iubeantur, quaerere ſingulis liceat, pereunte obſequio etiam imperium intercidit.* Nec ea laus militis, qui *iuſſa ducum interpretari, quam exſequi mauult.* Idem H. II. 39. Cato de Re ruſtica c. 5. *Villicus ne plus cenſeat ſapere ſe, quam dominum.* Et hactenus recte M. Terentius apud Eundem Ann. VI.

in honorem reſurrectionis Chriſti vel ſurrogarunt, vel vſurparunt. At ratio profecto ipſa etiam citra ſpecialem reuelationem luculenter homini inſinuat, tempus aliquod ſeponi oportere, quod diuino cultui ſacrisque meditationibus impendatur. H.

§. V. 1) Obſerua heic, quomodo Hobbeſius, qui videri voluit principiis ſuis firmaſſe ciuitates, eas reuera ſubuertat. H.

2) Vid. ſupra L. IV. c. 4. §. 5. H.

Non eſt noſtrum aeſtimare, quem ſupra caeteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum iudicium dii dedere; nobis obſequii gloria relicta eſt [3]. Item illud PLATONIS Politico: Οὐδὲν δεῖ τῶν νόμων εἶναι σοφώτερον. *Nihil oportet legibus eſſe ſapientius* [4]. Cui conſpirat ARISTOTELES Rhetor. L. I. c. 15. Τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ᾽ ἐστιν ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται. *Se legibus ſapientiorem eſſe ſtudere eſt id, quod in laudatis legibus prohibetur* [5].

§. VI. EST quoque hoc loco examinanda quaeſtio ſatis ardua; an peccare vnquam queat ſubditus exſequendo mandata ſui principis, ſi ſcilicet ipſe prae ſe ferat, ſeſe nudam obire exſecutionem, omni cognitione ſimulque neceſſitate reddendae rationis in iubentem deuoluta. Nam differunt quidem leges, & mandata principum, in eo, quod illae ſint mandata generalia, quosuis ſubiectos ſpectantia; haec autem pro re nata certis ſubditis iniunguntur. Circa producendam tamen obligationem in eo, ad quem diriguntur, parem cum legibus effectum obtinent. Igitur peruulgata ſententia eſt, admitti quandoque peccatum, ſi quis iuſſis imperii ciuilis pareat; adeoque poſſe, & debere ciuem talia iuſſa ad propriam conſcientiam bene informatam exigere. Apud SOPHOCLEM ita Antigone [v. 458. & ſeqq. p. 232. Ed. H. Steph.] Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ κηρύγμαθ᾽, ὥσθ᾽ ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄντ᾽ ὑπερδραμεῖν. *Neque poſſe tua, tantum putaui tua edicta, vt non-ſcriptas, & certas Deorum leges poſſit mortalis violare.* Quin & ſub hac conditione intelligi debere promittere obſequium bonos viros, quibus ſedet, de actionibus ſuis rationem ſibi tribunal apud diuinum reddendam, & regnum omne ſub grauiore regno eſſe, quod nempe iuſſa imperantium capeſſere velint, modo cum iure naturali & diuino manifeſto non pugnent. Nam vbi contra ciuilem legem iubeat quid facere Rex, quin citra peccatum pareri poſſit; dubium non eſt. Contra

3) Vid. ſupra L. V. c. 4. §. 5.

4) Qui locus PLATONIS vt vel prima eius inſpectio docet, non ad Reſcripta Principis, de quibus AVCTORI ſermo eſt, ſed ad Edicta & Leges perpetuas pertinet. Idem dicendum de ſequente loco ARISTOTELIS.

5) *L. & ideo 21. D. de LL.* Pertinet etiam huc Lex Minois, qua iuuenibus in leges patrias, bene an ſecus habeant, inquirere interdixit, a Platone etiam celebrata. H.

§. VI. 1) Vid. ſupra L. I. c. 3. §. 8. in not. H.

2) Legebatur hic antea, *Hoc enim*, ſed quum hic noua ratio addatur, recte Celeb. BARBEYRACVS monuit, legendum eſſe *Praeterea*.

3) Imo nec meram executionem actionis, quam iniuſtam eſſe nouerit, Iure ſuſceperit quisquam. Quacunque enim ratione ſubditus agat, ſuo ſcilicet an Principis nomine, fieri eiusmodi Actio nequit, quin voluntas ipſius ad eam concurrat, indeque ſaltem pro parte ea ipſi imputantur. Nec Auctoris ſententiae aliquopere profuerit, ſi quis tale factum Priuilegio neceſſitatis excuſare velit, Vid. L. I. c. 5. §. 9. nota 3. & L. II. c. 6. §. 2. nota 5. Quare ſupereſt, vt dicamus, neminem, etſi ei vis intentetur, ſalua conſcientia eiusmodi actiones ſuſcipere poſſe: licet in foro ciuili interdum excuſari, & a grauiori poena abſolui queat. Datur tamen caſus, quo iuſſa Principis manifeſte iniuſta exſequi licet. Si ſcilicet is, in quo actio illicita perpetranda eſt, in eam conſentiat, & penes eum conſentiendi ſit poteſtas, veluti ſi Princeps gemmam viro iuſtae aetatis per vim auferri iubeat, neque is renuat. Nam falleret hoc in eo, qui, iubente id per iniuriam Principe, occidi ſeſe a nobis ſinere vellet; quoniam vita non eſt in manu concedentis. Conf. TITIVS Obſ. 630. 631. Praefracte tamen AVCTOR noſter in Apolog. §. 20. contendit, ſi ſua non admittatur ſententia, neceſſario, quamquam abſurde dicendum eſſe, omnes milites, lictores, carnifices, Politices ac Iurisprudentiae gnaros eſſe debere, ideoque lictores ex ICtorum ordine petendos fore. Amplius eosdem quotidie obſequia detrectare poſſe addit eo obtentu, quod minime conuicti ſint de iuſtitia eorum quae iuſſi ſint; id quod euerteret omnem auctoritatem Principis, dum a miniſtris iuſti-

tra HOBBES de Ciue c. 12. §. 2. pro ſeditioſa opinione declarat hanc: *Peccare ſubditos, quoties mandata principum ſuorum, quae ſibi videntur iniuſta eſſe, exſequuntur.* Vbi id ſane periculoſum eſt tam ciuitatibus, quam conſcientiis priuatorum, credere, ſi ſcrupulus duntaxat; aut dubium circa aequitatem iuſſorum oriatur, recte poſſe eadem detrectari [1]. Praeterea [2] hoc modo ſaepiſſime neceſſum eſt, vt in peccandi neceſſitatem ciues incidant; dum contra conſcientiam facturi ſint, ſi obediuerint; contra fidem ſuperioribus datam, ſi non obediuerint. Nam illud vtique in confeſſo eſt, conſcientiam, inter dubia momentorum nutantem, ſibi optime conſulere, electa illa parte, ex qua minus peccandi periculum. Iam autem longe praeſentius eſt periculum peccandi propter dubium illiquidum fidem expreſſe datam negligere; cum iuſſa ſuperiorum ſemper comitetur praeſumtio iuſtitiae, & eadem ſaepe ex tali procedant ratione, quam priuatis diiudicare hautquidquam conceſſum. Deinde illud probe notandum eſt, quod IDEM d. l. ſubiicit: *Peccatum meum eſt, quod faciens peccatum meum eſſe puto; quod vero peccatum alienum eſſe puto, poſſum quandoque ſine peccato meo facere. Nam ſi iubear facere, quod peccatum iubentis eſt, modo qui iubet dominus meus ſit, id ſi facio non pecco.* PROCOPIVS Hiſtor. Goth. L. I. [p. 175. Edit. Auguſt. Vindel.] *Legatus mittentis iuſſu verba enunciat, eorum culpam, ſi quid peccatur, non ipſi, ſed ei qui imperauit, aequum eſt imputari: cum legato obſequii incumbat neceſſitas.* SENECA Troadibus. [v. 870. 871.] *Ad auctores redit ſceleris coacti culpa.* Add. *L. 1. D. de His, qui not. infam.* verb. *non iuſſu eius.* M. SENECA L. IV. Controu. 27. *Non eſt impudica, quae arceſſita fuit a tyranno, non dicitur ſacrilegus, qui deorum immortalium dona manibus ſuis tulit ad tyrannum, aut qui funeſtas tyranni imagines inter effigies deorum immortalium conſecrauit.* Poteſt enim vtique quis ab imperante iniunctam ſuſcipere meram exſecutionem [3] actio-

iuſtitiae quaereretur, ſintne iuſſa Principum iuſta, nec ne. Sed his tantum conſit, neceſſe non eſſe, vt ſubditi iuſtitiam omnium Principis iuſſorum edocti ſint, non autem, vt mandatis imperantium obtemperent, etiamſi ea vel manifeſte iniuſta eſſe, intelligant. Itaque, quamuis miles, exempli gratia, gregarius, idemque ſimplicitati deditus, licite Principi bellum iniuſtum gerenti pareat, quamdiu ei de belli iniuſtitia non conſtat: alia tamen omnis cauſſa erit Ducis, Tribuni vel Centurionis, quibus exploratum ſit, bellum, quod geritur iniuſtum eſſe, vtpote quos etiam vitam potius ponere, quam Principi in bello iniuſto adeſſe oportet. Belli autem iniuſtitia, quibuscunque coloribus tegatur, adeo parum plerumque occultari poteſt, vt vel ex ſolis declarationibus bellicis pateſcat, in primis ſi hae declarationibus oppoſitis componantur & conferantur. Idem dicendum videtur de Senatu, a quo Princeps Edictum manifeſte iniuſtum Regeſtis inſeri cupiat; de Miniſtro Principis & Legato, quibus is Mandata aperte iniqua dederit, de Magiſtratu denique bellico, cui Princeps caedem hominis innocentis commiſerit. Neque tamen viri Optimates, doctrinaue inſtructi ſoli hoc caſu obſequium detrectare debent: pertinet id ad ciues omnes, etiam ſimpliciſſimos, quotiescunque iuſſorum iniuſtitiam intelligunt. Et ſic milites quinquaginta, cum Duce ſuo, miſſi a Rege Abaſia ad prehendendum Eliam, tanquam miniſtri nequitiae Regis, ignibus a Deo coeleſtibus abſumti fuerunt ad preces huius Prophetae. 2 Reg. I. v. 10. Quamobrem lictores & carnifex quoque, ſi reum, cui ſupplicium paratur inſontem norint, a ſupplicio ei inferendo etiam cum ſuae vitae periculo abſtinere debent. Vid. GROTIVS L. II. c. 26. §. 4. num. 9. SIDNEIVS de Gubernatione c. 3. ſect. 20. & XENOPHONTIS Apologia Socratis, vbi belliſſime docet, nunquam nos Superioribus obedire debere contra officium; ſed potius quantum in nobis eſt, viribus omnibus iniuſtitiae eorum occurrere, eamque impedire, noſtrum eſſe. Recte idcirco ſatellites Saulis, ſacerdotes innoeentes, morti ab eo deſtinatos, occidere recuſabam, 1 Samuel. XXII. v. 17. & ſeqq. maiorique laude digni fuiſſent, ſi pro eis apud Regem interceſſiſſent. Vid. CLERICVS ad dictum locum & Adamus RECHENBERG de miniſterio, quod erimen eſt. Exſtat etiam Chri-

Digitized by Google

actionis *, quae in peccatum imputatur ſoli imperanti, non item exſecutionem facienti. Ad quod tamen haec requiri arbitramur, primo, vt mera duntaxat exſecutio illi iniungatur, id eſt, vt ipſe tantum membra ſua, viresque corporis actui accommodet; de caetero autem neque occaſionem aut praetextum praebeat, neque excuſationem adhibeat; ac eundem exſequatur prorſus tanquam alienum, non tanquam ſuum. Deinde vt & illud ipſum miniſterium quantum poteſt auerſetur & deprecetur. Memorabile exemplum extat apud Ad. OLEARIVM Itin. Perſici. Lib. V. cap. 32. Denique vt propter detrectatam iſtam exſecutionem ipſi praeſens vitae periculum, aut aliud graue malum, ad quod pro altero ſubeundum neque iuſtitia, neque caritas obligat, intentetur a mandante, cui malum id repraeſentandi vires ſunt, & praeſertim vbi is etiam citra noſtram opem alteri malum ſit illaturus. Equidem id manifeſtum eſt, nullam ineſſe vim obligandi, id eſt, conſcientiis intrinſecam aliquam neceſſitatem iniiciendi quorumuis hominum mandatis diuino iuri repugnantibus; & omni crimine carere, qui illis obſequi neglexerit. Enimuero longe diuerſa ſunt; aliquid per conſcientiam teneri facere, & aliquid citra peccatum poſſe facere, malo grauiſſimo declinando. Multa quippe ſunt, ad quae nequaquam intrinſece obligamur, quae tamen recte a nobis, vrgente neceſſitate, ſuſcipi poſſunt. Hic autem non quaeritur, an ad tale quid teneamur, ſed an citra proprium peccatum id exſequi poſſimus, ne fruſtra vitam noſtram perdamus. Neque ſtringit nos illud PLINII III. Ep. 9. vbi memorat, ſenatui ſeſe adprobaſſe, *etiam miniſterium crimen eſſe.* Iſti enim, in quos perorauerat, rei non fuerant meri exſecutores alieni facinoris, ſed calumnias innocentibus intentarant, vt proconſuli occaſio foret in opes ipſorum inuadendi: & delationes exercebant non tanquam actum alienum, ſed tanquam ſuum; ac ſuo nomine reos criminum inſimulabant, non proconſulis nomine, & velut ab ipſo iuſſi. Neque metu mortis ad calumnias obeundas adigebantur. Equidem dicebant, *ſe eſſe prouinciales, & ad omne imperium proconſulum metu cogi.* Verum longe probabilius erat, ex cupidine lucri ipſos talia patraſſe; & vt forte minas in detrectantes adhibuiſſet proconſul, non tamen credibile eſt, praeſens mortis periculum ipſum intentaſſe, quod declinandi nulla facultas foret. Quo facit illud apud TACITVM A. XIII. [c. 43.] *Suilius nihil ex his ſponte ſuſceptum, ſed principi paruiſſe defendebat. Tum iuſſa Meſſalinae praetendi, & labare defenſio. Cur enim neminem alium delectum, qui ſaeuienti impudicae vocem praeberet? Puniendos rerum atrocium miniſtros, vbi praemia ſcelerum adepti, ſcelera ipſa aliis delegent.* Hinc merito laudatur Iulius Graecinus, qui *Marcum Silanum accuſare iuſſus, & quia abnuerat interfectus eſt*, apud TACITVM

Chriſtiani THOMASII Diſſertatio de iniuſto Pontii Pilati iudicio, oppoſita STELLERO cuidam, qui Pilatum ea ratione excuſauerat, quod executor tantum ſententiae Iudaeorum fuiſſet. Stelleri Diſſertatio prodiit 1674. Dresdae. Refutauit eum THOMASIVS in dicta Diſſertatione ſua, quae prima eſt inter Lipſienſes, & cui Stelleri opuſculum ſubiicitur.

4) Aliter Stoici ſentiebant. IVVENALIS Satyr. 15.

Melius nos
Zenonis praecepta monent: nec enim omnia quaedam
Pro vita facienda putat.

Et ſane quid intereſt, manum, an linguam, an alia membra quis turpi alterius facto commodet? Apud EVRIPIDEM Phoeniſſis cum Creon interrogaret,

Πῶς

ꝩVM Agricola, quem inſigni quoque encomio mactat SENECA de Benef. II. 21. Sed & in hoc caſu preces ſuperiorum neceſſitati & imperio aequipollere non arbitramur. Vtut alias notum ſit illud PLATONIS Ep. VII. *Τὰς τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν, ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν. Preces tyrannorum neceſſitati permixtas non ignoramus.* Sed neque Doëgi exemplum 1 Samuel. XXII. nobis aduerſatur. Nam & ipſi hoc expreſſe addidimus, vt quantum quis poteſt, tale miniſterium deprecetur: id quod laudabiliter caeteri ſatellites Saulis fecerunt. (Sicuti & laudabiliter obſtetrices immane iuſſum Pharaonis etiam falſiloquio eluſerunt. Exod. I.) Sed Doëgus ille promto animo ad exſequendum regis iuſſum, cui nulla comminatio adiuncta legitur, proſiliit, cum antea innocentibus viris falſum crimen impegiſſet, quaſi clandeſtina conſilia cum Dauide in regem miſcuiſſent. Nam falſa quaedam ipſum detuliſſe, ex Pſalmo LII. ſatis adparet [5]. Fatendum tamen eſt, etiam nudam exſecutionem quorundam actuum multis ipſa morte acerbiorem videri; puta ſi quis a tyranno iubeatur parentes aut liberos ſuos iugulare, aut cum matre, filia, aut beſtia concumbere. Ad quale miniſterium effugiendum mortem potius vir fortis elegerit. Sicuti & nemo facile reprehenderit conſtantiam Romanorum, quos Hannibal inter ſe compoſuit, & fratres quidem cum fratribus, patres cum liberis, cumque cognatis cognatos dimicare iuſſit. Qui tormentis potius immori, quam manus propinquo ſanguine polluere maluerunt. DIODORVS SICVLVS L. XXV. in Excerptis Peireſcianis. Apud LACONICVM CHALCOCONDYLAM L. I. Amurates *parentibus eorum, qui ſe iunxerant Sauzi ſeditionem concitanti, praecepit, vt filios necarent ſuis manibus. Patres duo fuere, qui noluere tam crudele exequi imperium. Hinc & ipſi trucidati ſunt ſimul cum filiis. Nam dicere ſolebat, nequaquam iſtos citra conſilia parentum defeciſſe ad Sauzem. Nunc autem cum fortuna vtantur dubia, eos nutare in vtramque partem.* Illud tamen hautquaquam fas eſſe arbitramur, vt pro vita mea ſeruanda operam meam velim afferre ad occidendum alterum innocentem. Hoc enim foret in pretium propriae vitae offerre vitam alterius. Et non pauca ſunt, quae pro pretio facere non poſſumus, quae alia tamen ſub conſideratione facere licet. Abr. ROGERIVS de Braminibus Part. I. c. 19. memorat, apud Bramines credi, vxorem ſine peccato poſſe facere, quae maritus iubet, vtut illud malum ſit peccatum quippe non ipſi, ſed marito imputari, cui illa obtemperare teneatur.

§. VII. DE caetero non poſſe aliquem iuſſu ſuperioris ſuſcipere actionem tanquam ſuam, quae conſcientiae rectae dictamini repugnat, nemo cui aliquis

Πῶς; τ' ἀντιλαμεῖν οὐ δίκαιον ἀπιστεῖν;
Quomodo? non eſt iuſtum exequi mandata?
Reſpondet Antigone:
Οὐκ, ἢν πονηρά τ' ᾖ, κακῶς τ' εἰργασμένα.
Non, ſi quidem mala ſunt, & male imperata.
Conf. ſupra L. VII. c. 8. §. 5. poſt med. Recte autem AVCTOR negat, pro conſeruanda vita mea operam poſſe afferri ad perdendum alium innocentem. Illud quoque dari poteſt, ſi quae metu mortis ad explendam alterius libidinem ſe ſubigi patiatur, non peccare, ſaltem apud bonos excuſari. H.

5) Vid. AVCTORIS Diſſertatio de Obligatione erga patriam, §. 16. & ſeqq.

aliquis pietatis ſenſus eſt, negabit. Hinc recte iudices illi apud Iosephvm de Bello Iudaico L. IV. c. 19. qui Zachariam innocentem damnare nolebant, vtut praeſens ſibi periculum a Zelotarum furore impendere intelligerent [1]. Contra maximo ſeſe ſcelere obſtrinxere iudices, de quibus eſt 1 Reg. XXI. Pronunciabant enim ſententiam non tanquam a rege pro imperio dictatam, ſed tanquam liquido crimine ab ipſa iuſtitia ſuggeſtam. Par ſcelus illorum teſtium erat. Idem iudicandum de delatoribus, qui calumniis viros potentes aut opulentos onerant, vt malis principibus occaſio naſcatur eosdem ſubuertendi. Inter quos quondam non obſcurum nomen fuit Marcellus Eprius, Thraſeae delator famoſus, qui in excuſationem ſui apud Tacitvm H. IV. c. 8. adfert; *Non magis ſua oratione Thraſeam, quam iudicio ſenatus afflictum.* Quod erat crimen communicare, non purgare. *Saeuitiam Neronis per huiusmodi imagines illuſiſſe.* Sed nimirum vt tu potiſſimum eum mimum inſtrueres, ſubigebat auaritia, & libido praepoſtera via ad honores graſſandi. Alii, qui eandem artem factitauerant, excuſabant, eiusmodi operis *dignitatem* aut *ſalutem* ſe *redemiſſe.* Quorum *defenſiones*, quod ſcilicet *perdere alios* quam periclitari *ipſi maluerint*, non ideo *tolerandas* cenſet Curtius Montanus apud Evndem dicto loco c. 42. quod omni eos crimine vacare credat; ſed per figuram quaedam concedere videtur, vt reliqua eo grauius vrgeat. Nec iniuſte *ſenatus occiſo Nerone delatores, & miniſtros more maiorum puniendos flagitabat, genus hominum publico exitio repertum.* Ibidem c. 30. Quorum ille ipſos *in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac nouiſſime traductos per amphitheatri arenam partim ſubiici in ſeruos, & venire imperauit, partim in aſperrimas inſulas uehi.* Svetonivs Tito c. 8. Hic quaſſis nauigiis impoſitos tempeſtatibus abſorbendos, aut in deſertos ſcopulos impingendos attribuit. Plinivs Panegyr. c. 34. 35. Sic *occulta Tiberii mandata* Cn. Piſonem crimine necati Germanici non ſoluebant, ſi modo is reuera mortis eius cauſa. Ac vt maxime ea promiſiſſet apud patres, in pudorem quidem Tiberium dediſſet, cui non relinquebatur, quomodo vindicaret ſcelus a ſe iuſſum; patribus tamen integrum erat reum damnare, quia in eo patrando non iuſſum principis prae ſe tulerat; ſed ipſe potius, quae honeſte iuberi non poterant, cupide ſuſceperat, vt flagitio Tiberium ſibi haberet obnoxium. Tacitvs A. III. 16. Sed nec Ioabum plane immunem arbitramur a reatu ex caede Vriae contracto. 2 Samuel. XI, 14. 15. 16. vtut dicto loco c. XII, 9. ſolius Dauidis, tanquam cauſae principalis, mentio fiat. Recte quoque Papinianus, quod Getae caedem excuſare detrectauit [2], addito famoſiſſimo dicto; *non tam facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri.* Alii tradiderunt, dictare noluiſſe orationem, qua inuehendum erat in fratrem, cauſatum; *aliud eſſe parricidium, accuſare innocentem occiſum.* Id tamen reiicit Spartianvs in Caracalla c. 8.

ea

§. VIII. 1) Quod exemplum parum ad rem facit. Erant enim hi zelotae turba factioſorum & ſceleſtorum hominum, nulla in LXX hos ſenes pollentes auctoritate, quos ex populo ſelegerant ad perdendum, ſub iuſtitiae ſpecie, Zachariam, credentes, LXX hoſce iudices furori ipſorum obſecundaturos eſſe.

2) Adde de Thoma Moro Stapletonvm in eius Vita. De Vria Sacerdote, extruente altare, Hugo Grotivs ad 4 Reg. XVI, 11. *Male contra legem regi paruit, qui quiduis potius perferre debuit, quam miniſterium ad rem illicitam praebere.* H.

3) Vid.

ea ratione, quod ipſe, vtpote *praefectus non potuerit dictare orationem :* (etſi quo minus hoc ipſi extra ordinem iniungi potuerit, non adparet;) & addit; *conſtare, quod occiſus ſit, tanquam fautor Getae.* Quidquid huius ſit, recte quis ingenium ſuum ſceleribus defendendis commodare detrectat, etiamſi alieno nomine id ſcriptum ſit promulgandum. Nam ſubtilis excogitatio ſpecioſorum argumentorum, adhibito colorum ac delenificae ſuadae lenocinio, pro pura exſecutione alieni actus haberi nequit. Secus tamen videtur ſentiendum, ſi eiusmodi orationem, abs ſe aut alio compoſitam, Caracallus cuipiam in ſenatu recitandam iniunxiſſet, conſtituta in detrectantem capitali poena [3]. Huc quoque non pauca loca ex PLATONIS Apologia Socratis adplicari poſſunt [4]. Facit etiam huc, quod de Salluſtio refert DIO CASSIVS L. XLIII. quem *Caeſar Numidis verbo quidem regendae, re autem ipſa diripiendae regionis cauſa praefecit. Enimuero Salluſtius & pecuniae captae, & expilatae prouinciae accuſatus ſummam infamiam reportauit, quod cum eiusmodi libros compoſuiſſet, in quibus multis acerbisque verbis eos, qui ex prouinciis quaeſtum facerent, notaſſet, nequaquam ſuis ſcriptis in agendo ſtetiſſet. Itaque etſi a Caeſare abſolutus fuit, tamen ſuis ipſius verbis proprium crimen abunde quaſi in tabula propoſitum diuulgauit.* Enimuero vbi factum principis nondum liquido iniuſtitiae eſt conuictum, cauebit ciuis, & cumprimis miniſter publicus id praemature atro calculo notare; cuius eſt ſemper pro iuſtitia domini ſui praeſumere. Vid. ſoloeciſmus politicus Aligrii, Cancellarii Galliae, apud GRAMONDVM Hiſt. Gall. L. XVI.

§. VIII. EX IISDEM fundamentis eſt definiendum, an ciuis iuſſu principis in bello iniuſto recte arma ſumat? Vbi GROTII L. II. c. 26. §. 4. eſt ſententia; quando manifeſtum eſt, iniuſta arma a principe alteri inferri, haut fas eſſe ciui, vt ſit ſatelles ſcelerum. Sed in dubio ſequendam eſſe partem tutiorem, quae ſit, abſtinere bello. Enimuero caute nobis iſta videntur temperanda, ne exinde vis ciuilis imperii deſtruatur, & in negotio tanti momenti obſequium ciuium a ſingulorum iudicio ſuſpendatur; praeſertim cum heic facile ſit timiditati & ignauiae ſcrupulum conſcientiae obtendere [1]. Equidem vbi ad deliberationes quis admittitur, & ſuffragii ferendi ius habet, ſi citra conſenſum proprium caeterorum decreto non obligatur, ne id quidem, de quo dubitat, recte poteſt ſuſcipere, nedum id, de cuius iniuſtitia liquido conſtat. Id quod etiam locum poteſt habere, ſi ipſi optio concedatur militandi aut quieſcendi. Quid ſi autem ſimpliciter parere iubeatur? Vbi arbitramur, apud omnes gentes, queis aliqua honeſti cura eſt, in deliberationibus de bello ſuſcipiendo cauſam belli iuſtificam ſemper praeſupponi. Hoc qui facere negligunt, apud illos de conſcientia nequidquam diſputaueris. Sed circa hoc potiſſimum de-

3) Vid. CLERICI Bibliotheque choiſie T. VI. p. 362. 363.

4) EVRIPIDES Helena Theoclymenem & chorum ex ſeruis conſtantem ita colloquentes inducit;

Θεο. Οὐ σὺ τἀμὰ μὴ χρὴ δικάζειν;
Θεο. Ἀρχόμεσθ' ἄρ', οὐ κρατοῦμεν.
Χο. Ἤν γε βέλτιον λέγω.
Χο. Ὅσια δρῶν τάδ' ἐνδικῶ.
Th. *Non oportet te res meas iudicare?*
Th. *Ergo ſeruimus non dominamur?*
Ch. *Imo vero, ſi meliora dicam.*
Ch. *Defendo hanc, quia pie fecit.* H.

§. VIII. 1) Vid. Diſſert. AVCTORIS de Obligatione erga patriam §. 19.

liberatio inſtituitur, an heic & nunc Reipublicae expediat ex tali praetexto bellum alteri inferre? Heic cui cura Reipublicae peculiariter incumbit, & vires ciuitatis penitiſſime perſpectae, ſane clarius praeſumitur cernere, quid ex vſu ſit, quam priuatus aliquis. Quod ſi autem quis, poſita licet iuſtitia belli, dubitet, num ſatius ſit, iniuriam Reipublicae illatam negligere aut condonare, quam bello exſequi; is ſciat, nullo modo videri ſufficere hanc cauſam, quare ciuis poſſit imperio ciuili obſequium denegare, eiusque rigorem in ſe irritare, quia iudicat, ab eo aduerſus alterum non obſeruari virtutem aliquam, cui vis imperfectae duntaxat obligationis ineſt. Adeoque tutiſſimum fuerit, ſi ciuis heic ſimpliciter pareat, ſummumque imperantem ſuper iuſtitia belli Deo rationem reddere permittat [2]. Recte Hector apud HOMERVM Iliad. *μ*. [v. 243.] *Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Optimi eſt inſtar augurii pugnare pro patria* [3]. Apud TACITVM Hiſtor. II. [c. 25.] *publicum facinus* vocatur, quod in acie patrem filius interfeciſſet. Add. *L. 2. §. 1. D. de Noxal. act. L. 37. D. ad L. Aquiliam.* Notandum tamen haec ad ciues tantum pertinere, qui ſummi imperii iuſſu arma capiunt. Nam qui vltro militiam alieni principis ſuſcipit [4], omnino de iuſtitia cauſae eius, quem ſequitur, certus eſſe debet. Vnde non immerito apud ſapientes male audiunt, qui citra vllam cauſae conſiderationem vitam ſuam aere locant. De quibus GÜNTHERVS Ligur. L. VII.

Aere dato conducta cohors, & bellica miles
Dona ſequens, pretioque ſuum mutare fauorem
Suetus & accepto pariter cum munere bello,
Hunc habuiſſe, dator pretii, quem iuſſerit, hoſtem.

Nec praeclare nimis de hisce ſentit Thom. MORVS Vtopia. L. II. [5]

CAPVT

2) Adde, ſi libet quae dixi Diſſ. de Colliſion. LL. ſect. 2. 18 H. [Conf. quae de milite dicta ſunt in nota 5. ad §. 6. BVDDEVS in Differt. de Officio Imperantium circa conſcribendum militem, quae eſt inter eius ſelecta Iur. Nat. & Gent. etiam ſola dubitatione impediri contendit, quo minus Principis iuſſu ad bellum proficiſcantur. Qui etſi non enertat rationes ab AVCTORE noſtro proditas, cum vtilitate tamen legitur haec eius diſſertatio, plena quippe rerum bonae frugis.

3) Qui locus aliquantulum remotus eſt ab Auctoris argumento.

4) Bene GROTIVS ad Matth. V, 40. *Qui mercede conducti militant, multoque magis externi*

Digitized by Google

CAPVT II.

DE POTESTATE SVMMI IMPERII IN VITAM CIVIVM EX OCCASIONE DEFENDENDAE CIVITATIS.

I. *Summus imperans poteſt ciues vitae periculo exponere in bello.*
II. *An militiam detrectare liceat propter pactum cum hoſte.*
III. *Nemo ſe ad militiam inutilem reddere debet.*
IV. *Quanta ſit militum obligatio.*
V. *An ciuitas ciuem innocentem poſſit dedere.*
VI. *Ciuitas poteſt ciuem ſuum alteri obſidem dare.*

QVANQVAM eo fine in ciuitates ab hominibus coitum ſit, vt cum alia ſua bona, tum praecipue vitam in tuto collocarent: ad conſeruationem tamen ciuitatum neceſſarium fuit, vt ſummum imperium aliquam in vitam ciuium haberet poteſtatem; idque duplici fine, tum auertendo aliquo a ciuitate malo, tum compeſcendis peccatis [1]. Ex priori capite id poteſtatis ſummo imperanti competit, vt ad defenſionem ciuitatis, atque aſſerenda iſtius iura vitam ciuium ancipiti periculo exponat; poſtquam infeſta arma gerentibus id agitur, vt ſibi mutuo vitam eripiant. Quin & cum ad arma recte tractanda vſus requiratur, etiam ad huncce capeſſendum periculo vitam ciuium exponi poſſe iudicauit PLATO de LL. L. VIII. [pag. 907. A. B. Edit. Wechel.] (etſi nobis non ſuffragantibus,) dum in exercitiis militaribus vult adhiberi tela, quae ad vera & periculoſa proxime accedant, ac timorem incutere apta ſint; addita lege: *Si quis caede inuoluntaria in his certaminibus morietur, qui interfecit, ſecundum legem expiatus mundus ſit in poſterum. Putare enim debet legislator, paucis ita mortuis hominibus caeteros non deteriores futuros. Timore vero in omnibus his extincto, nihil amplius ſe inuenturum, quo a deterioribus meliores diſcernat, quod ni fiat, multo magis ciuitati malum eſt, quam illud.* Talia exercitia militaria etiam in vſu ſunt apud Iaponios. Vid. Bern. VARENIVS Deſcr. Iapon. c. 19. Apud DEMOSTHENEM aduerſus Ariſtocratem extat lex Attica; *Si quis occiderit in ludis inuitus, ne exulato* [2]. Ratio ſubiungitur; quia *non*

 euentum

ni, nihil habent, quo cauſam ſuam poſſint tueri, niſi plane ipſis conſtet iuſte pieque ſuſceptum eſſe bellum, cui operam addicunt. Et ut hoc conſtet, quicunque non caritate populi periclitantis, ſed mercede aut praeda illecti bellum in genere quaeſtus habent. H.

5) Heluetiorum tamen morem, ciues ſuos ſeruitiis militaribus Principum extraneorum locantium egregie tuetur Dn. Ludouicus de BOCHAT dans les Ouvrages pour et contre les ſeruices militaires. Quae collectio Geneuae prodiit, Geneuae 1738. 3. Vol. in 8uo.

§. I. 1) Vide quae dixi ad L. VII. c. 4. §. 9. & AVCTOREM infra c. 3. §. 1. H.

2) Quae lex Attica ab hoc loco aliena videtur.

euentum conſiderauit, ſed eius, qui fecerit animum, qui fuit, viuentem ſuperare, non occidere. Quod ſi ille infirmior fuit, quam qui ferre poſſet eum, quem victoria requirit laborem, ipſum eius mali ſibi cauſam extitiſſe lex cenſuit [3]. Munerum porro militarium exactio non immerito rigidiſſima disciplina conſtat; quippe cum in bello exiguam ob negligentiam ſaepe de ſumma rerum ſit actum. Inde cum alias togatum apud iudicem affectibus, qui animum hominis vehementer percellunt, facilius venia ſoleat indulgeri, inter militaria iudicia id non aeque obſeruatur. Heic enim ſaepe capite plectitur [4], qui vt mortem imminentem effugeret aſſignatam ſtationem deſeruit. LIVIVS L. V. c. 6. *Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut praeſidio decedit.* Add. Mich. MONTAIGNE Eſſais L. I. c. 15. Quanquam aliqui ignauiam militum ignominioſis potius poenis coercere efficacius iudicarunt. Vid. IVSTINVS Lib. XXXII. c. 3. in fine, Ferdinandus PINTO c. 10. Sicuti & grauiſſimis alicubi poenis notatum, militiam ſubterfugere [5]: Vid L. 4. §. 10. D. de Re militari. Sic LYCVRGVS Orat. contra Leocratem [p. 183.] tradit, Spartae legem fuiſſe, *de omnibus nolentibus pro patria ſubire periculum, vt moriantur: ad illud ipſum poenam adducentes, quod maxime metuunt. Propoſitis enim duobus vitae discriminibus,* πολὺ μᾶλλον αἱρήσονται τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους, ἢ τὸν πρὸς τοὺς νόμους καὶ τοὺς πολίτας. *Multo magis eligent id quod ab hoſte, quam quod a ciuibus & legibus imminet.* Add. Lex LONGOBARDORVM L. III. Tit. 13. §. 1. Et quanquam in pleriſque ciuitatibus quidam ciues, alias per aetatem & vires ad arma gerenda idonei, immunitate a militia gaudeant, vel ob vitae genus [6], vel ex ſingulari indultu ciuitatis: id tamen priuilegium eo vsque valet, quoad caeteri ciues, aut alii ſocii vel conducti praeſto ſint, qui ciuitati defendendae ſufficiant. Caeterum vbi ſumma neceſſitas ingruit, etiam immunes illi pro aris & focis arma capient. Et praeſtat, vt eorum priuilegia tantiſper quieſcant [7], quam vt propter intempeſtiuam eorundem religionem ciuitas pereat. *Vocant extrema pericula cunctos.* Sicut Romae quondam vacationes a bello, quibus alias ſeniores & ſacerdotes gaudebant, bello Gallico ingruente ceſſabant. APPIANVS de Bello ciuili L. II. [p. 523.] Add. *L. vlt. C. de Quibus munerib. nem. lic. ſe excuſare.* Vid. quoque Andreas MAVROCENVS Hiſtor. Venet. L. IV. p. 147. Etſi & merito commendatur lex [8] ſiue Solonis ſiue Piſiſtrati apud PLVTARCHVM Solone [p. 96. C.] τοὺς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφεσθαι. *Vt mutilati in bello ex aerario alantur.* Quin & vbi res ciuitatis id ferunt, omnino mercedis aliquid & praemii debetur illis, qui

3) Conf. not. ad L. III. c. 1. §. 6. lit. b. H.

4) V. not. ad L. II. c. 6. §. 2. & L. III. cap. 7. §. 5. H.

5) Athenis graue erat ἀστρατεία, hoc eſt, detrectatae militiae crimen, vt ex Demoſthene, Scholiaſte eius Vlpiano & Harpocratione diſcimus. Apud Francos mulcta erat ſexaginta ſolidorum dicta heribannum. Vid. Carol. CANGIVM Gloſſar. hac voce. Apud Tartaros Precopienſes, ſi quis ad diem indictum non venerit, capitale eſt, teſte THVANO L. LXVII. ad A. MDLXXIIX. Has poenas non iniuſtas eſſe *ipſe* HOBBESIVS c. 21. Leuiathan. concedit, quanquam ſubiungat: poſſe quem ſine iniuſtitia aliquando recuſare militiam, quando militem alium non minus idoneum ſubſtituat. H.

6) Clerici & Monachi. Paulus OROSIVS L. VII. Hiſtor. 32. reprehendit merito legem, quam Valens Imp. dedit, *vt monachi, hoc eſt, Chriſtiani, qui ad vnum fidei opus, dimiſſa ſecularium rerum multimoda actione, ſe redegerant ad militiam cogerentur.* H.

7) Conf. ſupra L. V. c. 12. §. 22. GROTIVS L. I. de I. B. & P. c. 5. §. 4. H.

qui caeteris domi deſidentibus militant, quippe qui non ſolum rem ſuam familiarem negligere coguntur, ſed etiam quatenus plus operae pro rata ſua ciuitati conferunt, quam pagani, penſationem aliquam merentur. Addantur quoque, quae ſuper inſtitutis Aegyptiorum circa milites tradit DIODORVS SICVL. L. I. c. 73.

§. II. Quo loco quaeritur; ſi captiuus ab hoſte detentus vt dimitteretur promiſerit, quod contra ipſum arma deinceps non ſit geſturus, an iſte poſtea a ciuitate ſua recte poſſit obligari, vt contra promiſſum ſuum in hoſtem militet? Tale pactum aliqui pronunciarunt ipſo iure nullum [1], quia ſit contra officium, quod ciuitati debetur. Ad quod nobis non tam hoc videtur reponendum, quod non omnia, quae contra officium fiunt, ſtatim quoque ſint irrita & nulla [2], quam negandum, id eſſe contra officium ciuitati debitum, libertatem ſibi parare, id promittendo, quod iam in hoſtium eſt manu. Niſi enim hoſtis ipſum dimitteret, nunquam arma aduerſus ipſum ferre poſſet. Vnde tali pacto nihilo deterior fit ciuitatis conditio; quippe cui is, qui captus eſt, ni liberetur, iam periiſſe eſt cenſendus. Adeoque quem ipſa ex captiuitate receperit, hac lege recepiſſe cenſetur, vt illi relinquat facultatem ſeruandi promiſſum hoſti factum; praeſertim vbi non ciuitatis, ſed propria ope libertatem recuperauet. Sed anne in iſthanc ciuis obligationem eminens illa ſummi imperii vis efficaciam ſuam exſeret, ſi ſalus publica id poſtulauerit? puta ſi ciuitas in praeſenti periculo verſetur, ni iſte quoque arma capiat. Heic arbitramur, cum abſurdum ſit, eſſe me ciuem, & habere obligationem, qua etiam in extrema neceſſitate inutilis ciuitati reddar; nec minus, ſimplici me pacto poſſe obligari, ne alterius vim iniuſtam ad perniciem meam meorumque tendentem repellere queam; ideo pactum illud eſſe interpretandum de bello duntaxat offenſiuo, non defenſiuo: praeſertim ſi cum ipſa ciuitate mea quoque ſalus ſit periclitatura. Quid enim ille alter libertatem mihi conceſſit, ſi voluit me adſtringere, vt in poſterum ipſius vim a vita fortunisque meis non poſſim repellere? Vnde nequidquam obſtabit pactum iſtud, quominus iuſſu ſummi imperantis arma pro defenſione ciuitatis induam. Vicina huic quaeſtio eſt, an ſub conditione ab hoſte dimiſſus, conditione non impleta teneatur redire in [3] captiuitatem? Quod circa priuatos quidem affirmatur [4]. Sed circa reges dubium moueretur [5] apud BVSSIERES Hiſtor. Franc. Lib. XVI. de rege Franciſco. Quod quidem

8) Quam legem non tantum Athenis, ſed & aliis ciuitatibus fuiſſe, teſtatur ARISTOTELES II. Pol. 6. H.

§. II. 1) Alberic. Gentilis L. II. de I. B. c 11. & l. 3. c. 14. Quomodo pactum huiusmodi, & quidem iuratum, eluſerit Comes Fontanus vid. ſupra L. IV. c. 2. §. 12. H.

2) V. ſupra L. VI. c. 2. §. 14. GROTIVS L. III. de I. B. & P. c. 23. §. 7. H.

3) Vid. GROTIVS L. III. c. 21. §. 6. & BVDDEVS in Specim. Iurisprud. Hiſtor. §. 65. quod eſt inter eius Selecta Iuris Naturae. Sed quando euentus conditionis deficit ſine cuiusquam culpa, veluti, ſi captiuus bellicus, qui cum eo, qui iam dimiſſus ſit, permutari debebat, ante permutationem factam moriatur, recte GROTIVS dicto loco §. 30. ait, eum qui libertatem iam recuperauerit, neutiquam cogendum eſſe, vt in ſeruitutem reuertatur, ſed ſufficere, ſi ſui lytri cauſſa tantum praeſtet, quantum mortuo, pro redemtione ſua ſoluendum fuiſſet.

4) Non paucis tamen diſſentientibus. Vid. Commentar. de Lytro ſect. 2. §. 27. H.

5) Rediit tamen in captiuitatem Ioannes Rex Galliae dimiſſus ante ab Anglis. V. Aemilium de Reb. geſt. Francor. L. IX. & Henricus Auſtriae Archidux captus a Rege Bohemiae. V. Nicol. BVRGVNDVS L. I. Hiſtoric. Bauar. ad Ann. MCCCXXVII. H.

Digitized by Google

quidem ego in medio relinquo. Suaſerim tamen, vt qui regem captiuum teneat, non temere eum prius e manibus amittat, quam conditionibus actu impletis.

§. III. Ex quo conſequitur, quamuis praeſens Reipublicae neceſſitas forte operas ciuium militares non exegerit; tamen ad eas obeundas ſe aut alios inutiles reddere graui poena dignum eſſe. M. SENECA L. I. Contr. 7. *caetera membra mea ſunt, manus publicae ſunt.* Eiusmodi ignauiae exempla quam plurima in Martio illo Quiritium populo legimus. Apud SVETONIVM Tiberio c. 8. *Tiberio cura iniuncta repurgandorum ergaſtulorum, quorum domini in inuidiam venerant, quaſi exceptos ſupprimerent nonſolum viatores, ſed & quos ſacramenti metus ad huiusmodi latebras compuliſſet.* Quae etiam fortaſſe cauſa fuit, quare ergaſtula penitus ſuſtuliſſe dicatur Adrianus apud SPARTIANVM c. 18. ad quem locum vide quae notauit SALMASIVS. Apud VALERIVM MAXIMVM L. VI. c. 3. C. Vettienus ſiniſtrae manus digitos ſibi abſcidiſſe memoratur, ne bello Italico militaret; quem ſenatus publicatis bonis in aeterna vincula coniecit. Sic Auguſtus referente SVETONIO c. 24. *Equitem Romanum quod duobus filiis adoleſcentibus cauſa detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet* [1], *ipſum bonaque ſubiecit haſtae.* AMMIANVS MARCELLINVS L. XV. [c. 12. p. 115. Ed. Gronou.] ſub finem, vbi de moribus Gallorum loquitur: *Nec eorum*, inquit, *aliquando quisquam vt in Italia, munus martium pertimeſcens pollicem ſibi praeſcidit, quos ioculariter Murcos appellant* [2]. Iſti flagitio reprimendo complures leges latae. *Eum qui filium debilitauit, delectu per bellum indicto, vt inhabilis militiae ſit, praeceptum Traiani deportauit. L. 4. §. 12. D. de Re militari.* Extat quoque lex Conſtantini I. Cod. THEOD. de Filiis militar. apparitorum & veteranorum. *Veteranorum liberos aptos militiae, quorum quidam vt deſides recuſant militarium munerum functionem, quidam adeo ignaui ſunt, vt cum diſpendio corporis militiae velint neceſſitatem euadere, iubemus, ſi ad militiam inutiles, reſectis digitis iudicentur, curialibus muneribus atque obſequiis adgregari.* Conſimilia habentur in *L. 4. & 10. C. Theod. de Tironibus. Qui ſpurca amputatione digitum declinat vſum armorum, non euadat illa, quae vitat, ſed inſignitus macula ferat impoſitum militiae laborem, qui declinauerit dignitatem. Ipſis quin etiam prouincialibus, qui ex horum auſis iuniorum ſaepe patiuntur penuriam praebendorum, haec optio decernatur, vt tempore delectus agitandi duos mutilos iuuenes pro vno integro offerant.* Sed longe ſeueriſſima eſt *L. 5. d. t. Si quis ad fugienda ſacramenta militiae fuerit inuentus truncatione digitorum damnum corporis expediſſe, & ipſe flammis vltricibus concremetur, & dominus eius qui non prohibet, graui condemnatione feriatur.* Videtur tamen hanc poenam locum habuiſſe in ſeruis duntaxat; quae autem iam *cit. ll.* dictata fuit, in ingenuis. Nam olim quidem apud Romanos ſeruos militia excluſos, praeterquam in maxima Reipublicae neceſſitate, in vulgus notum. Id poſterioribus ſeculis non amplius obſeruatum ex *L. 16. C. Theod. d. t.* conſtat, vbi Impp. Arcadius & Honorius ita ſanciunt: *Contra*

§. III. 1) Nimirum & ipſi parentes, teneriore moti affectu, delectu per bellum indicto, filios ſuos debilitare ſolebant. Vid. *L. 3. D. de Re militar.* Rufus *in Legibus militaribus* §. 47. H.

2) Quaſi murcidos, deſides, ignauos. H.

Contra hoſtiles impetus non ſolas iubemus perſonas conſiderari, ſed vires, & licet ingenuos amore patriae credamus incitari, ſeruos etiam autoritate huius edicti exhortamur, vt cumprimum ſe bellicis ſudoribus offerant, praemium libertatis ſi apti ad militiam arma ſusceperint, pulueratici etiam nomine binos ſolidos accepturi. Nam L. 11. d. t. quae etiam extat in *Cod. Iuſtin. L. 2. de Tiron.* loquitur de *mancipio alieni iuris, quod qui in tirocinium militiae duxerit offerendum, libram auri aerario principis cogebatur inferre.* *Lex* autem *8. C. Theod. d. t.* non ſimpliciter vetat ſeruos militiae adſcribi, ſed duntaxat decernit, *inter optimas lectiſſimorum militum turmas neminem e numero ſeruorum dandum eſſe.* VEGETIVS de Re militari L. I. c. 7. queritur, *quod poſſeſſoribus indicti tirones per gratiam aut diſſimulationem probentur, taleſque ſocientur armis, quales domini habere faſtidiunt.* Caeterum ab hac pollicum truncatione multi eruditorum credidere Italos & Gallos ſuos *poltrones* deriuaſſe [3]. Sed rectius mea ſententia Aegid. MENAGIVS in Origin. linguae Francic. id vocabulum deducit ab Italico *poltro* [4], quaſi diceres, qui ſemper puluinar domi premit.

§. IV. QVI igitur ad militiam ſubeundam obligatur, is vtique tenetur iuſſu ducis talem tueri ſtationem, in qua probabiliter praeuidet vitam ſibi amittendam. Et quanquam alias ciuibus onera ſecundum proportionem debeant imponi, ad quae vniuerſi ſimul concurrere poſſunt; aut ſi hoc fieri nequeat, vel non opus ſit, alternis obeunda, vel aequipollente onere redimenda, vel etiam forte aſſignanda ſint: tamen vt periculoſae illae ſtationes ſemper per ſortem attribuantur, ratio belli non fert. Adeoque penes ducem erit eligere aptiſſimos, aut ſi plures ſint idonei, quos viſum fuerit. Niſi adſint, qui vltro iſta ſibi pericula depoſcant; quod fecit Calpurnius Flamma apud FLORVM L. II. c. 2. & ante eum P. Decius Mus apud LIVIVM L. VII. c. 34. Nec vir fortis querelas mouebit, ſi ipſi talia pro imperio iniungantur. SENECA de Prouid. c. 4. *Quare in caſtris periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut praeſidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, Male de me Imperator meruit; ſed, bene iudicauit.* Quin & cum beneficio ciuitatis vita noſtra per longum temporis ſpatium ſit ſeruata, quae dudum periiſſet, ſi in naturali ſtatu fuiſſemus expoſiti: non grauis iactura eſt habenda pro ciuitate vitam effundere, cui praeſertim tam multa alia beneficia debemus. Adeoque nihil iniqui eſt, ſi iuſſu ciuitatis raro, & non niſi in magna eius neceſſitate vitam exponamus periculo, quam ipſa nobis velut indies & perpetuo tribuit. Praeſertim cum in naturali ſtatu quilibet ſe ſolis ſuis viribus, ni perire aut opprimi malit, cogatur defendere. Nunc autem longe tolerabilius eſt cum multis periclitari, non ſolum propter certiorem ſpem victoriae, ſed & quia licet qui pugnat moriatur, bona tamen ipſius & neceſſitudines ope ciuitatis fere ſaluae ſunt; de quo in ſtatu naturali nulla ſpes erat. Hoc tamen obſeruandum, eiusmodi iuſſorum non eſſe hanc intentionem, aut ſaltem non eſſe debere, vt directe vita militis perdatur. Dico, *non eſſe debere.* Nam

3) Quorum nomina profert GONZALEZ ad c. 5. de corpore vitiat. n. 7. H.

4) Addatur SICHTERMAN de Poenis militaribus Romanorum c. 9.

Digitized by Google

Nam aliquando heic a ducibus peccari, documento eſt Rex Dauid 2 Samuel. XI, 15. qui ideo etiam homicida audit, d. l. XII, 9. Nec ea infrequens ars, inuiſos ſibi hoſtium ferro conſumendos obiicere. Vid. Cvrtivs L. VII. c. 2. Polybivs L. I. c. 9. Diodorvs Sicvlvs L. XIV. c. 73. Item L. XIX. c. 48. Ivstinvs L. XII. c. 5. n. 8. Zonaras Tom. II. in Mauritio. Apud Sallvstivm Iugurtha a Micipſa Numantiam miſſus dicitur, vt oſtentando virtutem, aut hoſtium ſaeuitia caderet. Sed hoc ſpectare debent tam rigida ducum iuſſa, vt dum veluti citra miſſionem milites pugnant, a ciuitate magnum auertant malum, aut inſigne eidem bonum concilient, etſi contigerit eos, dum talia conantur, aut patrant, occumbere. Eiusmodi decretoriae pugnae haec eſt lex, vt vel hoſtem perdamus, vel ſimul cum ipſo pereamus. Hoc enim praeſtat, quam vt ſoli cadamus. Vnde etiam multi haut abſurde videntur *αὐτοχειρίας* crimine abſoluere nauarchos illos [1], qui iuſſu ſuperiorum expreſſo, aut ex genere belli recte praeſumto ignem pulueri pyrio iniiciunt [2] potius, quam vt vna cum naui in poteſtatem hoſtium perueniant; quibusque adeo *non perdere letum Maxima cura fuit.* Lvcanvs L. III. [verſ. 706. 707.] Ponamus enim vtrinque aequalem eſſe numerum nauium. Vbi vna noſtrarum capta fuerit, hoſtis duabus nauibus nos ſuperabit, ſi noſtra ſola perierit, vnica tantum; ſed ſi vtraque ſimul pereat, in aequilibrio vires manebunt. Vix autem aliter fieri poterit, quin, ſi noſtra diſſiliat puluere nauis, non vnam quoque aut plures hoſtilium nauium ſimul adfligat. Nam ne capiaris, tunc demum eſt periculum, quando nauis naui adhaeſerit. Et plerumque hoſtibus plus damni hoc modo datur, quam nobis. Validiores enim vtique ſunt, qui noſtram nauem ad incitas redigunt. Ad ſubmerſionem autem vitandam non putem a contrario elemento remedium petendum. Nam illic aliqua adhuc enatandi ſpes eſſe poteſt [3]. Apud Chinenſes quoque antiqua lege capite plectebatur dux [4], qui etiam citra ſuam culpam infeliciter pugnauerat; vt nempe, quando in aciem deſcenderent, nihil aliud in animo haberent, quam vincere, aut mori. [Quod manifeſte iniuſtum eſt. Ceterum qui militiae eſt adſcriptus, haudquaquam aſſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potius ſpiritum pugnabit: niſi intelligat, Imperanti, voluntatem eſſe, vt potius vitam, quam locum conſeruet; aut locus iſte tanti non ſit ciuitati, quam vita iſtorum [5] ciuium.]

§. V. Sed quid ſi citra pugnam vita ciuis depoſcatur, puta placandae potentis alicuius irae, quo clades aut exitium a ciuitate auertatur [1]? Heic videndum, quibus cauſis alter fuerit motus, vt ciuem noſtrum ſibi dedi poſtulet. Si enim id fiat ob aliquod ipſius delictum, licet fortaſſe omnibus modis calamitatem ſubterfugere poſſit, id tamen cauere debet, ne ſui cauſa ciuitatem malo inuol-

§. IV. 1) Diſſentit Ioann. Loccenivs L. III. de Iure marit. c. 10. *Nonne,* inquit §. 5. *vita, etiam qualiscunque, tolerabilior eſt tam ancipiti & periculoſa morte?* Ante dixerat: *Euentum praelii Deo committendum, non voluntaria morte praeuertendum eſſe, ne iudicium Dei petulanter inuolemus.* H.

2) Vt non raro fit. Grotivs L. II. Hiſtor. Belgic. ad A. MDLXXXIX. *Saepius accidit, ſemel memorandum, quia priſca facinora adaequat, pars vt altera, alterius nauigiis circumuenta, puluere tormentario ſeque & hoſtem incenderit. Tanta eſt cura vitam deſperantibus, non inultes mori.* Ad-

de

inuoluat. Adeoque etiamſi ponamus talem non teneri, vt ſeipſum in hoſtis poteſtatem vltro tradat, tenebitur tamen alio ſe transferre, vbi receptatoribus ſuis nihil negotii faceſſat. Nec dubito, quin a ciuitate etiam inuitus ideo expelli queat; ſiquidem illa ſors inhumanius crediderit, eundem poſcenti dedere. At quid, ſi ob publicum delictum ad necem depoſcantur quidam ciuium, qui eiusdem delicti non fuerunt auctores? Qualem in calamitatem incidiſſe memoratur ciuitas Attica, ob interfectum Androgeon. Cuius mortem vt vlciſceretur Minos, Athenienſibus bello ſubactis tributi loco ſeptenos pueros, & totidem puellas imperauit in pabulum Minotauro. Vid. MARO Aeneidos, VI. verſ. 20. HYGINVS Fab. XLI. OVIDIVS Metam. IIX. verſ. 170. PLVTARCHVS Theſeo. Heic non video, quo obtentu ciuis periculum ſortis queat detrectare, (quo medio inter pares iure aptius nullum eſt;) ſi non inueniatur aliquis Theſeus, qui vltro ſibi Minotaurum debellandum ſumat. Sed quid dicendum, ſi innocens depoſcatur ad mortem, aut malum morti comparandum, non ex cauſa publici aut priuati criminis? Caſus in eam rem extat apud LIBANIVM Tom. I. Declam. 27. *Tyrannus ex vrbe propinqua poſtulauit formoſum adoleſcentem, adiectis de bello inferendo, ni traderetur, minis. Ciuitas bellum maluit tolerare, quam adoleſcentem tradere. Cum iam graui obſidione eam premeret tyrannus, pater adoleſcentis interfectum filium de moenibus proiecit: caedis mox, ſoluta obſidione, accuſatur.* Vid. BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 1. §. 6. p. m. 95. Nobis heic patrem neque accuſare, neque defendere vacat, qui plauſibilius cauſam ſuam poſſe orare videtur, quam Virginius ille, de quo LIVIVS L. III. c. 50. Illud extra dubium ponendum iudicamus, non teneri ciuitatem eiusmodi hominem cum exitio ſuo defendere. Sic enim & ipſa peribit, & innocens ille nequidquam ſeruabitur. Neque ille poſtulare poteſt, vt pro ſe & ſecum tota ciuitas pereat. Ergo hoc relinquitur miſero, vt quantum poteſt ſibi ipſe conſulat fuga, aut auſo quamuis periculoſo. Vbi omnia incaſſum cecidere, ferat calamitatem, in qua tamen vtique animus ſeruari impollutus poteſt, (vid. *L. 1. §. 6. D. de Poſtulando.*) ſiquidem nefas eſt voluntaria morte eiusmodi foeditatem declinare. Ciuitas autem, poſtquam ipſum pro viribus defendit, & omnem mouit lapidem, vt per fugam aut alia ratione elabi poſſet, vbi iſthaec non ſuccedunt, & clades imminens aliter depelli nequit, illum deſerere demum poteſt, id eſt, non prohibere, quo minus eundem tyrannus adprehendat. QVINTILIANVS Declam. 253. *Bene redimi capite vnius ciuis pacem putarem.* Vt autem ipſa eum in tyranni manum tradat, aut vt eundem cogat, quo ſeipſum dedat, neque fas eſſe, neque neceſſarium arbitramur. Exemplum de Megacle Meſſanenſi vid. apud MARSELAER Legato L. I. c. 33. Expendi quoque meretur exemplum [2] Sperthiis & Bulis, qui vltro Xerxi ſeſe dediderunt, expiando

de SCHEFFER. Memorab. gent. Suetic. c. 14. §. 8. H.

3) Et ſtultitia eſt, ne moriare, mori. H.

4) Vid. ſupra notat. ad L. I. c. 5. §. 14. H.

5) Quae hoc loco vncis incluſo continentur, eorum verba priora nexus cauſſa adiiciuntur. Reliqua autem hauſta ſunt ex Offic. hom. & ciu. L. II. c. 13. §. 2.

§. V. 1) Vid. BOECLERI Diſſertatio de Dominio eminente pag. 831. & ſeqq. Vol. I. quod prodiit 1700.

2) Et Athenienſium; qui Demoſthenem dedere renuerunt, idque poſcenti Alexandro M. H.

piando facinori, quod Lacedaemonii admiſerant ob occiſos Perſarum Legatos, apud HERODOTVM Polymnia. [p. 269. Ed. H. Stephani.] Conf. GROTIVS [3] L. II. de Iure B. & P. c. 25. §. 3. De caetero maioris debet eſſe ciuitati vita ſuorum ciuium, quam vt eam declinando periculo incerto, aut adquirendo aliquo bono parum neceſſario prodigere velit; neque in tales vſus vitam ſuam ciuis offerre tenetur. Inde plus, quam poſtulari ab ipſis poterat, pro patria fecerunt Philaeni fratres, de quibus eſt apud SALLVSTIVM de Bello Iugurthino; & POMPONIVM MELAM L. I. c. 7. Et peſſime adplicabat bonam alias ſententiam Caiaphas Ioh. XI, 50. quaſi liceret hominem innocentem occidere, ne fortaſſe Romani ſuſpicarentur, Iudaeos res nouas agitare, & inde anſam arriperent bello ipſos inuadendi. Praeſertim cum longe molliora remedia ſint eiusmodi ſuſpicioni depellendae, quam mors innocentis. Neſcio quoque, an excuſari poſſit factum Darii, qui ex compacto aliquot millia Zopyro caedenda obiiciebat, vt iſte fidem ſibi apud Babylonios conciliaret, apud HERODOTVM Thalia. [in fine.]

§. VI. SAEPENVMERO quoque neceſſum eſt, vt ad firmanda pacta publica obſides ex ciuium numero ſint dandi [1]; ad quod onus ſuſcipiendum pro imperio vtique ciuis adigi poteſt, ſi qui ſponte ſe offerant defuerint. Et quidem vbi hoſtis potentior certos ſibi ciues poſtulauerit, vix hiſce tergiuerſandi locus videtur. Sed ſi plures ſint, quorum quis obſes erat, illius quicum paciſcimur, aut noſtrae ciuitatis nihil interſit, praeſcindendis querelis aptiſſimum erit ſortem adhibere. Quod ſi longo tempore obſides ſint detinendi, aequiſſimum erit nouis ſubſtitutis caeteros liberare. Vti & hoc operam dare ciuitas tenetur, vt quod oneris extraordinarii prae caeteris obſides ſuſcipiunt, id ipſis, quantum eius fieri poteſt, aliunde penſetur. Quaeri autem hoc loco poſſit, anne proprie vita obſidum oppigneretur, an vero duntaxat libertas? Equidem in traditione obſidum ſatis adparet hoc actum fuiſſe: *Tradimus hoſce in manus veſtras, tanquam cariſſimam noſtrae ciuitatis partem, vt niſi ſeruauerimus, quae conuenere, nulli deprecemur, quo minus inferatis, quicquid placuerit* [2]. Apud COMINAEVM L. II. Leodii obſides Carolo Burgundo dederant *ea conditione, vt ſi quid contra pactiones facerent, integrum eſſet ipſi ſupplicium de illis ſumere.* Quos tamen poſt Carolus ſaluos dimiſit. Inde cum eiusmodi pacta rupta cauſam belli dent in eum, qui ea violauit, adparet, poſt pacta rupta, bellumque conflatum in hoſtium abire numerum obſides quoque eodem modo, quo omnes eius Reipublicae ciues, etiam qui ad cauſam belli nihil peculiariter contulerunt. Et conſtat, multos in obſides eadem ſtatuiſſe, quae in quosuis hoſtes ſolent [3]. Etſi multis inhumanum viſum [4], miſerorum illorum & innocentum calamitate ex

3) Cuius argumenta expendi *Diſſert. de Colliſion. legum Sect. 2. §. 23.* H.

§. VI. 1) Vide quae dicentur ad c. 8. §. 6. & GROTIVM L. III. c. 20. §. 52. & ſeqq. vt & BVDDEVM in Specim. Iurispr. Hiſtor. p. 54. & ſeqq. Add. Io. SCHILTERI Commentatio de Iure Obſidum Prax. Iur. R. p. 71. ſeqq.

2) Inter leges foederis Ottonis IV. Imperat. cum Theodorico Marchione Misniae eſt in charta A. MCCXII. apud MADERVM Antiquit. Brunſuicenſ. Part. IV. n. 12. *Haec conditio obſeruabitur de obſidibus. Quod ſi Marchio, quemadmodum promiſſum & iuratum eſt, quod abſit, non obſeruauerit, liberam habebit Dominus Imperator facul-*

te ex aliena conceptum iniuria dolorem mulcere. Minus recte autem dicitur, obſides ea intentione tradi, vt excipiant poenas pacti a ciuitate violati. Non enim adparet, qua ratione finis, quem in poenis ſumendis ſibi homines debent propoſitum habere, obtineri queat, ſi plectatur obſes innocens; qui proprie in violationem pactorum non conſenſit, ſed duntaxat non recuſauit, quo minus ipſe loco alterius malo poſſet affici: in quo per ſe nullum eſt delictum. Satis quoque cautionis adhuc eſt in obſidibus, etiamſi per ius naturae poena proprie dicta ob alienum delictum ab ipſis ſumi nequeat. Sufficit enim, quod in tali ſint ſtatu, vt licentia bellica in ipſis confeſtim poſſit exerceri; adeoque eorum ſalus ex arbitrio laeſi & irati hoſtis pendeat. Haec quanquam ita ſint, verius tamen videtur, ciuitatem directe obſidis duntaxat libertatem corporalem oppignorare, quam vitam. Quia ipſa firmum propoſitum habet, aut habere debet, fidem ſeruandi; adeoque caſum illum, quo in obſidis vitam alteri licentia fieri poſſit, moraliter pro nullo ducit. Nec dubium eſt, quin iniuriam obſidi faciat ciuitas, ſi ipſa iniuſte pacta violet, & miſerum illum alterius irae obiiciat; aut ſi hoc fine eundem tradat, vt alterum in ſecuritatem datum eo grauiore damno mactare queat. Quid autem dicendum, ſi is, qui obſides accepit, iisdem abuti velit ad perfidiam in nos exercendam, & grauibus nos iniuriis laceſſat, exitium obſidibus noſtris interminatus, ſi ipſi reſiſtamus? Heic probabile videtur, ſiquidem iniuriae illae ſint tantae, vt praeſtet, innoxios iſtos periclitari, quam ciuitatem easdem tolerare, poſſe iſtorum periculum negligi, & perfidi hoſtis vim repelli. Nec magis eo caſu ciuitas obſidibus iniuriam facit, quam ſi quibusdam ciuibus in bello talem aſſignat ſtationem, in cuius pertinaci defenſione aut cadendum ſit, aut captiuitas ſubeunda. Et ferent iſti hanc tanquam fatalem calamitatem, nequidquam irati patriae ſuae, quae talem caſum praeuidere non potuit [5]. Vid. AMMIAN. MARCELLINVS L. XXVIII. c. 6. Sicuti nec ideo ſtatus ciuilis minoris erit: Cum eiusmodi caſus non niſi rariſſime emergant. Statum autem naturalem eiusmodi incommoda non poſſint non frequentiſſime incurrere. Idem pronunciandum eſt de illo caſu, qui Vticenſibus accidit, quorum aliquos ciues interceptos Agathocles in machina primo loco conſtituit, ſic vt hi primo loco a ſuis eſſent configendi, ſiquidem hoſtem repellere placeret. Vid. DIODORVS SICVLVS L. XX. c. 55. Huc aliquo modo poſſunt applicari, quae apud GVNTHER. LIGVR. L. X. extant de obſidibus Cremenſium, quos Fridericus machinis adpenderat. Conf. GROTIVS L. III. c. 11. §. 18. c. 20. §. 52. ſeqq. BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 1. p. m. 102.

facultatem de ipſis faciendi, quod ei placuerit, & erunt in ſtatu, qui vulgo vergiſelt dicitur. H.

3) Vid. ſupra ad L. II. c. 4. §. 18. H.

4) V. COMINAEVM d. L. II. Comment. vbi grauiter deteſtatur crudelitatem eorum, qui atrociora in obſides ſuaſerant, cum de iis interficiendis in concilio Caroli Burgundi deliberaretur. H.

5) Imputabunt autem damnum, ſi quod inferetur, non patriae, ſed hoſti, a quo imminens periculum declinari aliter non poterat. Conf. ſupra L. II. c. 6. §. 4. H.

CAPVT III.

DE POTESTATE SVMMI IMPERII IN VITAM AC BONA CIVIVM EX CAVSA DELICTI.

I. *An ius vitae & necis a ſingulis potuerit in ciuitatem conferri.*
II. *In libertate naturali poenae humanae non eſt locus.*
III. *Sed tantum in ciuitatibus.*
IV. *Quid ſit poena.*
V. *Sumere poenas ad quam ſpeciem iuſtitiae referendum.*
VI. *Hominem ab homine poenas ſumere non eſt iniquum.*
VII. *Cui competat poteſtas poenas exigendi.*
VIII. *Poena humana debet habere aliquem finem.*
IX. *Primus poenae finis emendare peccantem.*
X. *An quilibet quemlibet caſtigare poſſit.*
XI. *Alter poenae finis cauere laeſo.*
XII. *Tertius poenae finis ſecuritas omnium.*
XIII. *Quatenus priuati poenas poſſint exſequi.*
XIV. *Quaenam peccata ſuperuacuum ſit punire in foro ciuili.*
XV. *An quandoque liceat ignoſcere.*
XVI. *Quatenus id liceat ante legem poenalem:*
XVII. *Et poſt eandem.*
XVIII. *Magnitudo delicti aeſtimatur tum ex obiecto:*
XIX. *Tum ex affectu, quo quis impulſus fuit:*
XX. *Tum ex intentionis magnitudine:*
XXI. *Tum ex firmitate animi delinquentis:*
XXII. *Tum denique ex habitu.*
XXIII. *Quid circa determinandam poenae quantitatem ſpectetur.*
XXIV. *Quae ſit poenarum menſura.*
XXV. *In poenis reſpicitur quoque perſona eius qui patitur.*
XXVI. *An lex Ebraea adaequata vbique poenarum menſura.*
XXVII. *De talione.*
XXVIII. *Quomodo vniuerſitas aliqua puniatur.*
XXIX. *Delicta vniuerſitatum lapſu temporis demum extinguuntur.*
XXX. *Non quoduis malum fatale poena humana eſt.*
XXXI. *Aliud eſt damnum directe datum, aliud quod per conſequentiam venit.*
XXXII. *Aliud eſt occaſio, aliud cauſa mali.*
XXXIII. *Ob alienum delictum nemo eſt puniendus.*

COMPETIT quoque ſummo imperio ciuili poteſtas in corpus ac vitam, vt & bona ciuium ex cauſa delicti; quae preſſe ſolet vocari ius vitae & necis. (A quo iure diuerſum plane ius eſt Dei in creaturas; Pſalm.

§. I. 1) Apud Romanos etiam vltro, vt eorum humarentur corpora, manerent teſtamenta; *pretium feſtinandi*, vt ait TACITVS VI. Annal. 29. Conf. XV. Ann. 59. 6. XVI. Ann. 9. 4. & alibi. H.

2) Adde de Iaponiis, apud quos honeſtiſſimum ſupplicium capitale, ventris ſectio, propriis reorum manibus adminiſtrari ſolet. Bern. VARENIVM Deſcript. regni Iapon. c. 18. V. infra §. 4. H.

Pſalm. CX, 4. & hominum in bruta) Circa quam iſte primo loco ſcrupulus occurrit, quomodo eiusmodi poteſtas in ciuitatem a ſingulis per pacta potuerit conferri. Nam cum poena ſit aliquid, quod inuito infligitur, quod autem quis ſibi ipſi infert, accidere inuito nequeat; explicari difficulter poteſt, quomodo quis facultatem puniendi ſeipſum habeat, eamque in alium transferre queat. Nam quas aſcetae, aut alii caſtigando corpori, aut ex vi diſciplinae apud quosdam eccleſiaſticae proprio corpori dolores inferunt, partim poenae proprie dictae non ſunt, ſed velut medicamenta reprimendis libidinum ebullitionibus; partim non ſponte, ſed imperio ſacerdotum, opinione diuini muneris ſubnixorum, ſuſcipiuntur. Vbi naturae poenae nihil decedit, quod verbi gratia flagellatio propriis manibus peragitur; cum vtique motus iſte ex conſideratione maioris mali, quod in obſequentem manſurum erat, exprimatur. Sicut videmus maleficos ad ſupplicii locum ambulare, trahendos, ni vltro ſequerentur. Quinimo apud nonnullos populos ſontes iuſſu magiſtratus ſibi ipſis manus inferunt [1]. De Aethiopibus DIODORVS SICVLVS L. III. c. 5. *Vnus ex lictoribus ad reum mittitur, ſignum mortis praeferens; quo illo viſo domum abiens ſibi mortem conſciſcit* [2]. Heic igitur ſciendum, quemadmodum in naturalibus ex commixtione & temperatione plurium ſimplicium prouenire poteſt compoſitum quid, cui tales adſint qualitates, quae in nullo ſimplicium mixtionem ingredientium deprehenduntur: ita & corpora moralia, ex pluribus hominibus conſtantia, aliquod ius habere poſſunt [3], ex ipſa illa coniunctione reſultans, quod formaliter penes neminem ſingulorum fuit; quale ius ex eiusmodi velut coalitione ortum per rectores iſtorum corporum exercetur. Vid. *L. 46. D. de Adquir. rerum domin.* [4] Sic nemo dixerit, homines ſingulos habere facultatem ſibi ipſis leges ferendi; & tamen, dum omnes voluntatem ſuam vnius voluntati ſubiiciunt, oritur poteſtas omnibus leges praeſcribendi. Eodem modo in capite corporis moralis poteſt exſiſtere facultas poenis ſingulos coercendi, qualis facultas tamen antea in ſingulis non erat. Poteſt autem iſta facillime prouenire, dum ſinguli ſeſe obligant, quod non ſolum non defendere velint, ſed & ſi opus ſit, vires ſuas accommodare contra eum, quem rector ciuitatis ſupplicio eſt affecturus. Ex quo ipſo etiam ratio patet, quare non ſequatur, quod aliqui volunt; quae a ſuperiori auferuntur per modum poenae, volentibus auferri; quia in ſuperioris actiones ratas habendas iam olim conſenſum eſt. Quia enim caſus, quo ſuperioris poteſtas in vitam ſubditi ſeſe exſertura eſt, in ipſius ſubditi eſt poteſtate, quem in infinitum prohibere penes ipſum eſt; ideo iſte caſus tanquam nunquam euenturus a ſingulis conſideratur. Conf. HOBBESIVS de Ciue c. 2. §. 18. Qui Leuiath. c. 28. tradit, ius puniendi, quod habet ciuitas, non eſſe ortum a conceſſione ciuium, ſed eius iuris fundamentum eſſe ſitum in eo iure, quod ante ciuitatis conſtitutionem vnicuique faciendi quidlibet, quod ad conſeruationem ſui videretur ipſi neceſſarium, competeret. Vnde

3) V. ſupra L. III. c. 3. §. 4. H.

4) *Non eſt nouum, vt qui dominium non habeat, alii dominium praebeat. Nam & creditor, pignus vendendo, cauſam dominii praeſtat, quam ipſe non habuit.* In qua tamen lege non agitur de iuribus, quae *vniuerſitati* quidem competant, ſed *ſingulis* ex ea non competant; ſed dicitur ea tantum, ius, quod quis ipſe non habeat, interdum in alium transferri poſſe.

Digitized by Google

Vnde ius illud ciuitati non datum, ſed relictum eſſe; quo ipſa tamen, vtpote quae tantas vires habet, ad praeſeruationem omnium ciuium ſuo arbitrio vti poſſit. Ad quod tamen reponi poteſt [5], ius poenas ſumendi eſſe diuerſae naturae a iure ſeipſum conſeruandi: cumque illud exerceatur in ſubiectos, intelligi non poſſe, quomodo iam tum in ſtatu naturali extiterit, vbi nemo alteri ſubiectus eſt [6]. Illud quoque verbo monendum, nos hoc loco tantum agere de illis tantum poenis, quae ex arbitraria velut diſpoſitione legislatorum humanorum in delicta ſunt conſtituta & contradiſtinguuntur illis malis, quae naturali connexione peccata conſequantur.

§. II. CAETERVM dum iſthoc ius poenas a ſubiectis exigendi euoluimus, proteſtandum prius eſt, nos preſſe agere de illo iure, quod homo in hominem exercet. Nequaquam autem haecce dogmata extendi velle ad proceſſum & velut formulam tribunalis diuini; quod vtique in multis partibus diuerſam a tribunalibus humanis indolem obtinet. Quod ex parte etiam videtur agnouiſſe PLVTARCHVS de ſera Numinis vindicta. [pag. 549. F.] *De Deo non facile aliud quidquam firmum homo pronunciabit, quam eum, vt qui optime oportunum medendi flagitiis tempus habeat cognitum, medicamenti inſtar poenam ſceleri cuiuis imponere, neque eadem in omnibus magnitudinis menſura, neque eodem temporis articulo definitam.* Vt igitur rem ab ouo repetamus, ſciendum eſt, in plerisque peccatis, inprimis quae ad alium terminantur, duo inueniri, ipſum defectum ſiue diſtantiam a norma legis, & damnum alteri per iſta directe aut indirecte datum. Id porro certum eſt, quemlibet hominem ex lege naturae teneri ad penſandum alteri damnum ſua culpa quoquo modo datum, & vbi ex malitia id proceſſerit, cautionem de non offendendo in poſterum dare. Sed circa cautionem hanc exigendam diſcrimen occurrit inter eos, qui in naturali libertate, & qui ciuitatibus ſubiecti degunt. Inter illos ad nullam aliam cautionem praeſtandam ius naturae videtur obligare, ſiquidem quis poenitentia tactus, vltro & non vi adactus, ad damnum penſandum ſeſe obtulerit, quam vt ſimplici aſſeueratione, aut iuratus fidem ſuam obſtringat de omittendis in poſterum offenſis. Idque quia poenitentia vltronea ſufficienti eſt indicio de mutatione animi, ac firmo propoſito ab iniuriis deinceps ſeſe abſtinendi. Adeoque ſi qui iniuriam acceperat, iſthac contentus eſſe nolit, ſed ex iniqua diffidentia, aut aſperitate animi ampliorem cautionem per vim velit extorquere, cum per legem naturae alter ad eam non teneatur, culpa violatae pacis penes ipſum haerebit, eidemque ab altero recte reſiſti poterit [1]. Quo caſu fit, vt qui iniuriam intulit, iuſtum, qui accepit, iniuſtum bellum gerat. Verum vbi per vim quis ad ſatisfaciendum eſt adigendus, cum id ipſum ſatis obſtinationem eius in malitia oſtendat, nec ſatisfactio obtineri queat, niſi offenſus laedentem viribus ſuperauerit; penes victorem erit, quali cautione ſecuritati ſuae quam rectiſſime iudice proſpectum. Vbi non tantum ad ereptionem armorum, demoli-

5) Praeterquam quod HOBBESIVS perperam pactum ſecundum negat, de qua hypotheſi ſupra actum L. VII. c. 2. §. 8. H.

6) Vid. nota 3. ad §. 4.

§. II. 1) Vid. ſupra L. II. c. 5. §. 19. H.

2) Sequitur hic AVCTOR falſam hypotheſin ſuam, de indole & natura Obligationis. Vid. infra §. 4. nota 8.

molitionem aut occupationem locorum munitorum, ad perpetua vincula, & ſimilia poteſt procedi; ſed & ad ipſam mortem, ſiquidem ſatis conſtiterit, libertati reſtitutum nobis exitium intentaturum, nec eidem euitando commodius remedium occurrat. Caeterum vti eiusmodi cautionis exactio per modum belli, non per modum poenae proprie dictae inſtituitur: (nam aliqui quaeuis mala, quae naturali quadam conſecutione peccata comitantur, adeoque & illa, quae in naturali libertate ob antegreſſas iniurias infliguntur, poenarum vocabulo in laxiore ſenſu notant:) ita ad eandem praeſtandam [2] aliquem teneri recte dici non poteſt. Quia iſta in eo, ex quo extorquetur, ſupponit & inuoluit vitium aliquod animi, & peccatum in legem naturae, nempe denegationem vltroneae ſatisfactionis, & violentam peccati ſui defenſionem. Cum porro mala, quae per modum belli inferuntur, poenae proprie non ſint, vti ex ſequentibus clarius patebit; manifeſtum quoque eſt, in eos, qui in libertate naturali degunt, poenam humanam proprie dictam, & quae ab imperio humano prouenit, non cadere [3]. Sed quod tales quoque obnoxii ſint illis malis, quae ex naturali connexione a peccatis proueniunt, in aprico eſt.

§. III. Enimvero in ciuitatibus ſi quid damni ſit alicui datum, non ſolum facilius recuperatur, quam in libertate naturali per bellum propriis viribus geſtum contingit; ſed & ciuibus, quantum rerum humanarum conditio admittit, ſuper iniuriis & damnis non accipiendis in anteceſſum cauetur [1]; ſancita nimirum in violatores legum poena [2], in foro ciuitatis exigenda. Poſtquam voluntas humana, in vtramque partem per naturam nunquam non flexilis, aliter efficacius dirigi atque coerceri nequit, quam praeſentaneo malo intentato.

§. IV. In genere poena deſcribi poteſt per malum paſſionis, quod infligitur ad malum actionis; ſeu malum aliquod moleſtum, quod per modum coactionis & pro imperio alicui intuitu antegreſſi delicti imponitur. *Malum paſſionis* dicimus. Quanquam enim ſaepe loco poenae opera quaedam iniungi ſoleant; puta ſi quis damnetur ad metallum, ad remum, ergaſtulum, extruendum vallum, purgandas plateas; ea tamen ſpectantur duntaxat, quatenus laborioſa & facienti moleſta ſunt, ideoque ad paſſiones ſunt referenda. Quia porro poenam infligi diximus *intuitu delicti antegreſſi*, ſequitur; poenas proprie dictas non eſſe incommoda illa, quae quis patitur ob morbum contagioſum, aut corpus mutilum, aliamue impuritatem: qualia multa extant in lege Ebraea, puta quod leproſi caeterorum conuerſatione arcerentur, quod a ſacerdotio excluderentur membro aliquo mutili. Quae non magis poenae ſunt, quam ſi quis peregrinus aut plebeius certo genere functionis in ciuitate prohibeatur, aut, ſi cui dolores ſint perferendi, dum ipſius crus fractum iterum ſolidatur. Quanquam talia ob ſimilitudinem aliquando *ἀκύρως* poenae vocabulo adpellentur;

3) Vid. infra §. 7. H.

§. III. 1) Hic enim finis ciuitatum conſtituendarum praecipuus eſt μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, *ne inuicem coëuntes facerent paterenturue iniurias*, vt loquitur PLATO L. II. de Republica. H.

2) Vid. infra §. 16. H.

tur; ſicut vulgo de inſigniter debilibus ac monſtroſis dicitur, eos ſibimet ipſis in poenam viuere. Ex hoc illud quoque ſequitur, incarcerationem, quae eum finem habet, ne reus aufugiat, proprie poenam non eſſe; cum nemo iuſte puniri poſſit, antequam iudicetur. Inde contra legem naturalem eſt, ſi reus, antequam audiatur & condemnetur, plus mali per cuſtodiam patiatur, quam ad eandem eſt neceſſarium: adeoque id erit vel penſandum, vel de ſubſequenti poena detrahendum. V. *L. 8. §. 9. D. de Poenis* [1] *L 23. C. de Poenis* [2] Porro dum poenam *pro imperio* imponi diximus [3], eo ipſo ſeparamus eam ab illis malis, quae inuitis in bello, pugnaue, & inter reluctantiam, vel etiam per meram alterius iniuriam infliguntur [4]. Vnde etiam verbi gratia amputatio auriculae, ictus fuſtium, non minuunt per ſe exiſtimationem, ſed cauſa [5]. Equidem SELDENVS de I. N. & G. L. IV. c. 11. *caedem bellicam in poenae ratione ſatis contineri* aſſerit. Verum id alio ſenſu non admittitur, quam quod bellum iuſte alicui ob antegreſſam iniuriam illatum, & mala inde in auctorem iniuriae redundantia poenae naturalis rationem habeant; quodque mala bellica a pio bellatore quantum fieri poteſt ad illum modum temperanda ſint, quem poena fori humani obſeruare ſolet. Quanquam & aliud diſcrimen inter poenas, & mala bellica inſinuet TACITVS A. I. [c. 48.] *in pace cauſas & merita ſpectari: vbi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.* Sic & in foro humano poenae rationem non habent, quae naturali quadam conſecutione peccatum comitantur; vt, dum aliquis illicito actu valetudinis iacturam facit, aut dum alterum inuadit cum plagis repellitur. Nam haec mala non pro imperio a ciuili imperante imponuntur. Inde & ſi quis per peccata ſua valetudinem aut fortunas ſuas grauiter afflixerit, aut aliis ſeſe hominibus, abs quibus alias multa bona expectare poterat, inuiſum ſeſe reddiderit; non eo minus tamen poenae obnoxius eſt. Denique addimus, poenam per modum coactionis, ſeu *inuitis* imponi. Citra hoc quippe poena finem ſuum inter homines hautquidquam conſequetur, qui eſt, acerbitate ſua homines a peccatis deterrere. QVINTILIA-

§. IV. 1) *Solent Praeſides, in carcere continendos damnare, aut vt in vinculis contineantur. Sed id eos facere non oportet: nam huiusmodi poenae interdictae ſunt; carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.*

2) *Omnes, quos damnationis conditio diuerſis exiliis deſtinatos, metas temporis praeſtituti in carceris impleuiſſe cuſtodia deprehenderit, ſolutos poena vinculisque laxatos, cuſtodia liberari praecipimus nec formidare miſerias vllas exſilii. Sit ſatis immenſorum cruciatuum ſemel luiſſe ſupplicia, ne hi qui diu priuati ſunt aurae communis hauſtu, & lucis adſpectu, intra breue ſpatium catenarum ponderibus praegrauati, etiam exſilii poenam ſuſtinere iterum compellantur.*

3) Deſerit hic Auctorem noſtrum celeberrimus eius interpres, Dn. BARBEYRACVS, motus inprimis auctoritate LOCKII, & tranſit in caſtra H. GROTII, qui L. II. §. 20. & Libri primi principio, poteſtatem puniendi ex Iure Naturali deſcendere exiſtimat. Verum hac ratione, quod proprie vindicta eſt, improprie poena adpellatur, adeoque ſolo nomine ludi videtur.

4) Vel ſponte ſuſcipiuntur. Quo pertinet quod de gente Abiponum in America refert Nicol. del TECHO Hiſt. Paraquar. L. XIII. c. 6. *Suos etiam magnates habent & heroes, ad cuius dignitatis apicem per crudeliſſimos gradus aſcendunt: qui enim herois titulum ambit, ſuam fortitudinem immaniſſimorum tormentorum patientia aliis probet, neceſſe eſt: Suras, crura, brachia, linguam & alias, quas honeſtius eſt ſilere, corporis partes terebrant: deinde aſpero lapide omnium membrorum cutem lacerando abradunt. Denique eadem carnificina quique e Senioribus candidatum exerceant, qui ſi vel tantillo geſtu doloris ſenſum oſtenderit, in magnatum ordinem non admittitur. Si vero inter tormenta fortiter ſe geſſerit, tum ſe ſuo in ſanguine volu-*

TILIANVS Declam. XI. *Ne cui nocenti poenae praeſtetur arbitrium. Infinitam, iudices, ſceleribus aperitis audaciam, ſi poenam licet eligere condemnato: nec iam vllam mortalium innocentiam trepidatione contineas, ſi patitur deprehenſus quisque, quod ipſe maluit. Leuat omnes cruciatus, omnem dolorem, praeparata mentem compoſuiſſe patientia. Fallitur quisquis humana tormenta ſola nominum atrocitate metitur: nulla poena eſt, niſi inuito. Non habemus vllum, niſi ab impatientia dolorem: & vt aliquid crudele, ſaeuum ſit, metus facit. Supplicium quisquam vocat, ad quod proſilitur? quod expoſcitur? Illo trahite damnatos, quo non ſequantur.* Etſi ſaepe optio poenam non faciat videri voluntariam, quippe per quam duntaxat gradus aliquis aut modus poenae declinatur aut lenitur; vt tamen ipſa quae eligitur poena in ſe inuito accidat. SENECA L. IV. Contr. 24. *Non erat mihi poena in carcere eſſe; mea voluntate illo perueneram.* ARRIANI Epictetus L. I. c. 12. Ὅπȣ τὶς ἄκων ἐςὶν, ἐκεῖνο φυλακὴ αὐτῷ ἐςι. *Vbi aliquis inuitus eſt, is ei locus eſt cuſtodia.* Addatur CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 39. n. 9. Exinde quoque colligitur, proprie dici non poſſe, ad poenam aliquem teneri, ſeu poenam ab aliquo deberi [6]; quia poena ſignificat aliquid, quod inuito eſt imponendum, & voluntatis auerſionem ab illa inuoluit. At vero ad quae proprie tenemur, talia eſſe intelliguntur, vt ad eadem praeſtanda vltro ac lubenter moueri debeamus. Vnde adparet ratio, quare verbi gratia, quando in eodem vallo extruendo idem opus faciunt ruſticus aliquis imperio domini citra mercedem, & maleficus ad id condemnatus, huic opus illud poena ſit, illi non item: quia illi ex obligatione; adeoque vltro id facere intelligitur, alteri vero idem tanquam aliquid ab ipſius voluntate abhorrens imponitur. Addatur *L. 22. D. de His qui notantur infamia.* Quod autem verbi gratia in Iaponia damnati ad mortem ipſi ſibi ventrem cultris diſſecant, id non magis pro vltronea actione habendum, quam quod apud nos damnati ad locum ſupplicii ambulant; aut quod, vti fertur, in Hispania lictor dicat ad reum, ſequere me, nec ligatus ſit. Sicuti & olim in Lithuania memorant moris fuiſſe [7] vt damnati ſibi crucem erigerent, & ſuis

 ſe

volutans, in ſignum laetitiae triumphanti ſimilis, adeptae dignitatis inſignia recipit. Quo vero ſecurius eum honorem nanciſcantur, a teneris vnguiculis huiusmodi punctionibus abraſionibusque ſeſe exercent. Eadem fere idem refert de Guaicuracorum populo, L. III. c. 37. Plane vt hodie furandi artem profeſſi variis ante tormentorum generibus ſe exercent, vt interrogati quondam de crimine tortores eludant. H.

5) *Ictus fuſtium infamiam non importat, ſed cauſſa, propter quam id pati meruit, ſi ea fuit, quae infamiam damnato irrogat. In ceteris quoque generibus poenarum eadem forma ſtatuta eſt.* L. 22. D. de His, qui notantur infamia.

6) Quae ab AVCTORE hoc loco & paullo inferius dicuntur, ea admitti niſi eo ſenſu non poſſunt, quo nemo ad ſe ipſum *deferendum* obligatur. Hoc enim poſterius ideo ratione ipſius Rei verum eſt, quia is ſe ipſum emendare poteſt, adeoque non opus habet auxilio Magiſtratus. Intuitu reliquorum ciuium autem inde confirmatur, quoniam occulto adhuc exemplo delicti, deficit etiam neceſſitas poenae. Sed perperam ſimul negatur, eum, qui deliquerit, penitus ad poenam non obligari. Potiſſima ratio in eo ſita eſt, quod ſine poenis finis Reipublicae, qui eſt tranquillitas ciuitatis obtineri nequit, adeoque vnusquisque ciuis, quum in finem hunc conſenſiſſe cenſeatur, praeſumatur etiam conſenſiſſe in poenas, tanquam media eo ducentia. Accedit, quod Principi ſine controuerſia ius eſt, poenas infligendi. Iam autem ius intelligi nequit ſine obligatione, quae ei reſpondeat. Obuertitur huic poſteriori rationi miles, qui ius habeat hoſtem occidendi, quum tamen hic pati id non teneatur. Verum concurrit in hoc exemplo colliſio iurium, quae regulam in ſe conſideratam non infringit. Vid. L. III. c. 5. §. 1. nota 1. Illuſtrari id poteſt exemplo eiusdem militis, qui, etſi ſaepe ſpe euadendi omni deſtituatur, tamen locum tueri, etiam in certiſſimo mortis periculo, obſtrictus eſt.

7) *infra* c. 4. §. 6. H.

ſe manibus ſuſpenderent [8]. Haec enim omnia pro actionibus ipſorum reorum haberi nequeunt, iisdemque maiores moleſtiae, quae fruſtra reluctantes manſurae erant, declinantur. Extraordinarium eſt, quod apud Livivm L. XXIV. c. 16. milites ignauos Gracchus iureiurando adegit, *non aliter, quam ſtantes cibum potionemque, quoad ſtipendia facient, capturos.* Nam inuitis vtique iniecta erat religio, vt ſatius ducerent, vltro ignominiam ſubire, quam periurio ſeſe adſtringere. Sic nec ille poenam proprie dictam patitur, qui dum pro altero fideiubet, multam poſt exſoluere cogitur. Nam quare hic damnum ſentiat, alterius peccatum occaſio duntaxat eſt, ſed cauſa proxima eſt ipſius obligatio vltro ſuſcepta. Ex dictis etiam hoc conſequitur [9]; quemadmodum quis vbi damnum a ſe datum ſarciuit, hautquidquam ſeipſum deferre tenetur, quo poena a legibus ſtatuta in ipſum decernatur: ita ob eandem rationem negatione, occultatione, aut per fugam iſti ſeſe ſubducere citra vllius obligationis violationem licere. Qvintilianvs Declamat. 313. *Ea natura eſt omnis confeſſionis, vt poſſit videri demens, qui de ſe confitetur.* Idem Declamat. 328. *Neque eſt quisquam tam perditus, tam inutilis ſibi, qui non ſcelera committat propoſito negandi* [10]. Nam ſatis intricate loquitur Boeclervs Praefatione ad Grotium p. 9. *Poenae inter homines meritum iuris eſt naturalis, tum qua illud ius eſt, tum qua naturale eſt. Si ius eſt, obligationem parit: obligatio autem nulla neque eſſet, neque concipi poſſet, ſine poenae alicuius violationi iuris imminentis ratione.* Certum eſt, legis naturalis transgreſſores poenam manere, quia haec legis cuiusque certa comes; & naturae haudquidquam repugnat, vt qui malum fecit, malum patiatur. Sed illa nimis imperita foret illatio, ſi quis diceret; ius parit obligationem; ergo qui legem violat, obligatur in foro humano ad poenam vltro ſibi arceſſendam. Argute Hobbesivs de Ciue c. 14. §. 7. *Secunda pars legis, quae poenaria adpellatur, mandatoria eſt, & loquitur tantum ad miniſtros publicos.* Non extat in lege hoc praeceptum; tu fur patrato furto ad patibulum vltro ambula; ſed hoc extat; tu magiſtratus furem conuictum ſuſpendi curato. Ergo non peccat in eo fur, ſi non ſuſpenditur, ſed magiſtratus, qui proficuam Reipublicae animaduerſionem intermiſit. Quae apud Platonem in Critone [p. 37. & ſeqq. Ed. Wechel.] Socrates diſputat, cum Crito fugam e carcere ſuaſiſſet; *Hoc modo leges patriae violari, ad quas quilibet bonus ciuis teneatur: ſtandum eſſe iudiciis, quae ciuitas tulerit; patriae iniuriam non reponendam, aut demonſtrandum, ipſam iniqua facere;* magnanimitatis dictata ſunt; quae fortaſſe certo in caſu viro magno & in-

8) Vid. infra c. 4. §. 6. nota 3.

9) Vid. ſupra L. IV. c. 1. §. 20. H.

10) Vide ſupra L. IV. c. 1. §. 20.

11) Quod aliqui ſine vlla diſtinctione aſſerunt. V. Gonzaletz ad cap. final. de Iurament. calumn. n. 12. alii autem id reſtringunt ad reos capitis. V. Lavterbachivs Tract. ſynopt. de Iuramentis §. 7. n. 103. Conf. ſupra L. IV. c. 2. §. 22. & in not. H.

12) Grotivs epiſtolarum 1686. excuſarum Amſterodami DCXCIII. innumera exſtitiſſe exempla ait, hominum iniuſte ſupplicio adfectorum propter confeſſionem per tormenta extortam. Quare minime mirum ſit, fuiſſe, quibus inter Chriſtianos tormenta diſplicerent, in primis, quum in lege Moſaica nulla eorum mentio fiat. Apud Anglos non minus ſecure viui, quam alibi, quamuis tormenta ibi non ſint in vſu: imo libera Republica nec ciuem Romanum quaeſtionibus ſubiici potuiſſe. Illud certum eſt, violentum hoc remedium non niſi raventer adhiberi debere, nec fidem confeſſioni Rei, in tormentis factae, habendam eſſe, ſi quicquam defuerit ſummae circumſpectioni, quam iudicem in decernenda ea adhibere

& innocenti ſequenda ſunt; ſed noſtrae aſſertioni nequidquam opponuntur. Ex iſtis porro & hoc colligitur, quemadmodum in tribunali humano ſeipſum nemo deferre, aut de crimine vltro fateri tenetur; ita iniquum eſſe, in cauſis criminalibus reo iuramentum calumniae iniungere [11]. Quale in Areopago exigi ſolitum tradit DEMOSTHENES contra Ariſtocratem; & quidem horridum valde; vt ſibi ipſi, gentique ac familiae ſuae exitium imprecaretur, inſiſtens conſecratis carnibus apri, arietis, & tauri. Hinc HOBBESIVS de Ciue c. 2. §. 19. colligit, *reſponſiones in tormentis facti teſtimonium non eſſe, ſed inueſtigandae veritatis adiumenta; ita vt ſiue verum ſiue falſum cruciatus reſpondeat, ſiue non omnino reſpondeat, iure faciat.* Conf. *L. 1. §. 23. D. de Quaeſtionibus L. 18. §. 2.* d. t. CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 37. n. 8. MONTAIGNE Eſſais L. II. c. 5. [12]. Vbi etiam notandum, quod CTESIAS Indicis refert, eſſe apud Indos fontem, cuius aqua ſimul atque hauſta fuerit, in morem caſei coaguletur: cuius coagulatae ſi quis tres obulos cum aqua biberit, quaecunque admiſerit patefacit, eo enim die mente alienatur. Eo autem vtitur rex erga eos, qui an obiectis criminibus ſint affines, certo vult cognoſcere; nam ſi quis id de quo accuſatur effutiuerit, mortem ſibi cogitur conſciſcere: ſin indicio ſuo nullius criminis conuincatur, abſoluitur. Accurate tamen obſeruandum, in plerisque legibus partem quaſi diſpoſitiuam & comminatoriam concipi per duas orationes abſolutas, hoc modo, *non facies* & *qui fecerit, poenas dabit:* in quibusdam poſteriorem partem eſſe velut conditionem prioris interdicti; hoc modo; *non facies, niſi hoc multae nomine exſoluere malis.* Et in hoc genere legum, quae ſanctio poenalis videri poteſt, reuera eſſe inſtar tributi; dum in arbitrio ſubiectorum relinquitur, pecuniam lege dictatam exſoluere velint, an actu aliquo abſtinere. Id quod potiſſimum in legibus ſumtuariis vſu venit, quarum finis ſaepe eſt alternatiuus, aut ad frugalitatem ciues adducere, aut aerarium locupletare. Nam licentiam violandi leges naturales pecunia redimendam proſtituere illicitum fuerit. Sed reliquae leges regulariter id tantum per poenam intendunt, vt ciues a peccatis abſterreantur [13]. Inde naturam poenae hautquidquam intellexit ferox ille iuuenis [14], qui cum a praetore ſciſcitaretur, quanta mulcta eſſet ſoluenda pro inflicta alapa, pecuniam depoſuit, & ipſi praetori alapam inflixit. Nam leges ſuper iniuriis non ſolent eo modo ferri, vt licentia iniuriam alteri inferendi certa pecunia redimatur. Vnde & adparet, in illis duntaxat legibus, vbi prohibitio eſt alternatiua aut conditionalis, a culpa

hibere oportet. Dudum id Romanis conſtitit, vt adparet ex L. I. §. 23. D. de Quaeſtion. *Quaeſtioni fidem non ſemper* inquit Vlpianus, *nec tamen nunquam habendam, Conſtitutionibus declaratur: etenim res eſt fragilis, & periculoſa, & quae veritatem fallat.* Nam *plerique patientia ſiue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, vt exprimi eis veritas nullo modo poſſit: alii tanta ſunt impatientia, vt in quouis mentiri, quam pati tormenta velint, ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum ſe, verum etiam alios comminentur.* Exemplum Iſaac. Orobii, cum aliis innumeris Iudaeis Hiſpanis, inter tormenta obtinentis, ſe eſſe Chriſtianum, vid. in CLERICI Biblioth. vniuerſ. T. VII. p. 289. & ſeqq. & apud BAELIVM dans ſon Dictionaire Hiſtor. & Critique T. II. p. 1399. 2 Ed. Add. Io. GREVII Tribunal reformatum, libellus quem captiuus ſcripſit in ergaſtulo Amſtelodamenſi, tortus antea, quatuor certatim operantibus carnificibus, nullo mortalium, praeter ipſos carnifices, praeſente. Nobilis quoque in hoc argumento THOMASII Diſſertatio eſt, de Tortura ex foris Chriſtianorum proſcribenda.

13) Conf. ſupra L. IV. c. 2. § 23. H.

14) Apud GELLIVM L. XX. N. A. c. 1. H.

regulariter immunem eſſe, qui mulctam exſoluerit, aut exſoluere paratus eſt, ad quam praeſtandam etiam obligatur: non autem in aliis legibus, in quibus abſolute aliquid interdicitur. Addimus autem & hoc, non debere eſſe leges pure poenales; ſeu quae nihil aliud intendant, quam ex mulcta lucrum facere [15]. Equidem ſunt, qui legem pure poenalem adpellent, quae ſimplici ordinationi poenam tantum adponat, nec quidquam tamen expreſſe aut iubendo praecipiat, aut vetando. Eiusque exemplum tale afferunt: *Qui ciuium electus praeturam recuſauerit, centum aureos in commune pendito.* Verum nos arbitramur, huic & ſimilibus ſtatutis iſthoc praeceptum ſubeſſe: *Ne quis rite electus operam ſuam Reipublicae ſubtrahat;* ſic vt prius illud huius ſit velut annexa clauſula poenalis. Conf. Rob. SANDERSON. de Obligat. conſcient. praelect. 7. §. 13. ſeqq.

§. V. PORRO cum & iudex iuſtus audiat, qui delinquenti competentem poenam infligit, & iuſtitia adminiſtrari dicatur, vbi poenae recte decernuntur: inde inter Philoſophos diſceptatum, ad quamnam iuſtitiae ſpeciem poenarum impoſitio pertineret, ad commutatiuam, an diſtributiuam, ſeu ſi Grotii termini placeant, ad expletricem, an attributricem. Qui poenarum exactionem ad iuſtitiam diſtributiuam retulerunt, hoc argumento vtuntur, quod ſicuti in bonorum, ita & in poenae diſtributione plus merenti plus, minus merenti minus detur. Et cum ex mente illorum iuſtitia diſtributiua verſetur circa illas res, quae a toto dantur partibus, ſeu a ciuitate ſingulis ciuibus, poenae vtique a ciuitate ad ſingulos perueniant. Quibus reponitur: falſum eſſe, quod iſti ſupponunt, iuſtitiam diſtributiuam toties locum habere, quotiens inter terminos plures duobus inſtituitur aequalitas, ſeu quoties aliquid inter plures vno proportionanter eſt partiendum. Nam in contractu ſocietatis partes lucri inter plures vno ſocios pro rata diſtribuuntur, & tamen in hoc contractu alio modo partes lucri, quam aut praemia aut poenae debentur. Sane enim ex pacto poenas non deberi manifeſtum eſt, neque quiſpiam, dum ciuitati ſe ſubiicit, poenas ſibi vtique pro delictis infligi ſtipulatur [1]. Eoque poenarum impoſitio hautquidquam ad iuſtitiam diſtributiuam, quam nos ſupra deſcripſimus, quadrat. Deinde quod magis nocentes grauius, minus nocentes leuius puniuntur, id duntaxat eſt per conſequentiam, & ex accidenti, non quod iſtud primo & per ſe ſpectetur. Nam in imponenda delicto alicui poena non neceſſum eſt, vt illud delictum cum alio delicto comparetur, & quam rationem grauitatis illa inter ſe habent, eandem quoque poenae vtrinque decretae habeant: ſed cuiuis delicto velut ſeorſim poena decernitur, grauior aut levior, prout publica id vtilitas requirit. Etſi hoc plerumque eueniat, vt graui delicto grauior poena, leui leuior conſtituatur. Eorum, qui ad iuſtitiam commutatiuam poenas retulerunt, aliqui hoc negotium ita conſiderarunt, quaſi delinquenti aliquid per poenam tribuatur, ſicut in contractibus fieri ſolet. In quem errorem eos induxit vulgaris locutio, qua

15) Et ſunt pro laqueis, caſſibus, plagis, retibus, in quae incidentes miſerae auiculae deplumantur. V. MACHIAVELLVS L. III. Diſſert. ad Liuium 19. & Bacon. de VERVLAMIO in Hiſtor. Henrici VII. Angl. Regis. H.

§. V. 1) Eſt id quidem ſatis exploratum: ſed quoniam tamen Principi ius vitae & necis, ſiue ius gladii confertur, eidem ſine dubio tacite etiam promittitur, fore, vt nemo ciuium reſiſtat, ſi hoc iure Princeps in ipſius perſona vti velit.

qua dicimus, *poenam deberi illi, qui deliquit.* Quae tamen locutio plane eſt ἄκυρος. Nam cui proprie debetur aliquid, is in debitorem ius habet, vt debitum illud ab ipſo poſſit exigere. Quis autem dixerit; delinquentem ius habere, vt a magiſtratu poenam ſibi infligendam poſtulare queat? Igitur ſenſus iſtius locutionis eſt hic; magiſtratus a fonte poenam legibus definitam recte poteſt exigere. GROTIVS L. II. c. 20. §. 2. in poenis exercendis tradit iuſtitiam expletricem ſpectari primo ac per ſe; idque *quia, qui punit, vt recte puniat, ius habere debet ad puniendum, quod ius ex delicto alterius naſcitur.* Enimuero decepit iſtum ambiguitas vocabuli *iuris.* Diuerſiſſima enim ſunt: ius habeo ad aliquid agendum, & ius habeo ad aliquid ab altero accipiendum. Prioris ſenſus eſt, poteſtas mihi competit certum actum exercendi, & in eo me impedire nemo debet. Poſterioris ſenſus hic eſt: ius eſt mihi ab altero quid habendi, ita vt eidem alteri quoque inſit obligatio id mihi tribuendi. Atqui quando de iuſtitia expletrice agitur, iuris vocabulum non in priori, ſed in poſteriori ſignificatu accipitur. Idque ius haeret in eo, qui aliquid accipit, non in eo, qui aliquid tribuit, verbi gratia, quando operario mercedem ſoluo, dicor iuſtitiam expletricem exercere, non ideo quia ego facultatem habeo iſti quid dandi; ſed quia ille ius habet mercedem me poſcendi. Sic recte vtique dico, ius habeo ſeruo meo imperandi, vt calceos mihi detrahat. Sed quis inde velit concludere, ergo quando iſtud miniſterium ſeruo impero, iuſtitiam exerceo? Par autem eſt huic illa collectio; quia poena non recte poteſt infligi, niſi ab eo, qui ius habet illam infligendi, ergo per poenam exercetur iuſtitia expletrix. Alterum GROTII argumentum eſt, *quod in delictis & poenis ſit aliquid, quod ad contractuum naturam accedat. Nam ſicuti qui vendit, etiamſi nihil peculiariter dicat, obligaſſe ſe cenſetur ad ea omnia, quae venditioni ſunt naturalia: ita qui delinquit, ſua voluntate ſe videtur poenae obligaſſe; quippe cum cuilibet ratio ſuggerat, crimen graue non poſſe non eſſe punibile, ſicut qui directe & deliberato conſilio peccare voluit, per conſequentiam etiam poenam voluerit mereri.* Inde & ſacris literis familiare eſt, peccatum vocare nomine debiti, ad quod luendum aeque teneamur, atque illi, qui creditoribus ſuis ob mutuum ſunt obſtricti. Add. *l. 34. D. de Iure fiſci* [2]. *L. vlt. C. ad L. Iuliam maieſtatis* [3]. Apud TACITVM A. XII. [c. 53.] foemina, quae ignaro domino alieno ſeſe ſeruo coniunxiſſet, *in ſui ſeruitutem conſenſiſſe fertur.* Ad quod argumentum reſpondemus, id equidem manifeſtum eſſe, ſi quis ſciat delicto alicui poenam conſtitutam, & tamen ſponte id admittat, eum de iniuria ſibi illata non poſſe queri, aut quod inhumaniter ſecum agatur, quando ad poenam trahitur. Et hunc ſenſum pleraque citatorum dictorum non ſine figura exprimunt. Verum ideo hautquidquam recte dicitur, aliquem in poenam ſuam directe & immediate conſenſiſſe, aut potius ex proprio conſenſu ad eandem ſuſtinendam ſeſe obligaſſe. Cum nemo delictum admittat, quin ſimul ſperet, ſeſe latendo, aut alia ratione

2) *Imperatores* Seuerus & Antoninus [Aſclepiadi] *ita reſcripſerunt: Tu, qui defenſione omiſſa redimere ſententiam maluiſti, cum tibi crimen obiiceretur, non immerito quingentos ſolidos inferre fiſco iuſſus es: omiſſa enim ipſius cauſae inquiſitione, ipſe te huic poenae ſubdidiſti*, L. 34. D. de Iure Fiſci.

3) *Nam ex quo ſceleratiſſimum quis conſilium cepit, exinde quodammodo ſua mente punitus eſt*, L. 8. princ. ad Leg. Iul. Maieſt.

ratione poenam declinaturum. THVCYDIDES L. III. [c. 45. princ. Edit. Oxon.] *Conſtitutum eſt in Rebuspublicis capitis ſupplicium multis delictis: tamen homines ſpe incitati pericula capeſſunt, nec quisquam deſperans inſidias ſucceſſuras, in ancipitem ſe caſum dare ſolet. Quae vero vnquam ciuitas defectionem molita eſt, quae ſe maiorem adparatum habere non ſit opinata?* Fruſtra quoque eſt VASQVIVS Controu. illuſtr. L. I. c. 28. n. 12. 13. qui exinde delinquentes ſuo conſenſu ad poenam ferendam obligari contendit, quod vtique leges etiam poenales ſunt quaedam conuentio ciuium; aut quod ſaltem poteſtas legislatoria ex conuentione ciuium proueniat. Nam leges pacta aut conuentiones non eſſe, alibi demonſtratum: & non abſurdum eſt, meo conſenſu poteſtatem aliquam conſtitui, quae poſtea actus quosdam in me inuitum queat exercere. Etſi quod in eam poteſtatem ipſe conſenſerim, faciat, vt queri non poſſim, ſi iſta deinceps in me vires ſuas exſerat. Peccatum autem cum debito comparatur, non quaſi ad eam ſuſtinendam ex conſenſu ſuo quis teneatur; ſed quia legislator non minus poteſtatis nactus fuit ad poenam a delinquente, quam creditor ad mutuo datam pecuniam a debitore exigendam, & quia peccatoris corpus atque bona non minus magiſtratui pro delictis, quam debitoris bona creditori pro debitis ſunt obnoxia. Circa diuiſionem obligationum in eas, quae *ex conſenſu*, & quae *ex delicto* oriuntur [4], in elementis iuris Romani traditam, obſeruandum, ex delicto oriri obligationem proprie dictam ad damnum ſarciendum, non autem ad poenam ſuſtinendam. Eaque ipſa obligatio proprie fundatur non in eo, quod quis in poenam conſenſit; ſed quia eius reſtitutionis neceſſitas poſt introductum rerum dominium ex iure naturali prouenit. Sic quod ARISTOTELES *contractus* alios facit *ſpontaneos*, alios *inuitos*, illud ita eſt explicandum. Quemadmodum in contractibus onerofis aequale aequali eſt penſandum, ita & in delicto damnum aequipollente reſarciendum. Cur autem obligationi ad ſarciendum damnum vocabulum contractus inuiti fuerit inditum, inde eſt, quia, verbi gratia, in mutuo creditoris voluntate fit, quod ipſius pecuniam debitor acceperit; ſed quod, verbi gratia, fur rem mihi ſubductam aut eius aeſtimationem tenetur reſtituere, id non meo conſenſu factum, ſed ille me inuito hanc ſibi obligationem conciliauit. Nam ſane ego maluiſſem, vt meam mihi rem iſte intactam reliquiſſet, quam vt mihi onus iniungeretur, actionem furti eidem intentandi, praeſertim vbi illa non niſi in ſimplum datur. Caeterum ad rem & hoc facit conſideraſſe, regulariter omni iuri obligationem in altero reſpondere. Quando igitur delictum fuit patratum, in laeſo eſt ius ad poſtulandam damni reparationem, in laedente obligatio ad penſandum damnum. Id quod

4) *Aut enim* [Obligationes] *ex contractu ſunt, aut quaſi ex contractu: aut ex maleficio, aut quaſi ex maleficio.* §. 2. Inſt. de Obligat.

5) Bene dicit *vltro:* nam vt §. antecedente eſt euictum, reus ſe ipſum deferre haut tenetur. Hactenus tamen in reo vtique eſt obligatio, quod is ſummo imperanti aut eius miniſtris, poenam exigentibus, reſiſtere haut poſſit; carceres etiam effringens nouae ſe poenae obnoxium faciat (vid. *L. 1. pr. D. de Effractor.* & *L. 1. C. de Cuſtod. reor.*) Quae obligatio, quoniam ex voluntate in ciuitatem coëuntium & ſummam poteſtatem deferentium, in reo eſt perfecta, quid vetabit, poenas delictorum, quibus Reſpublica ſemper vel proxime vel remote laeditur, ad iuſtitiam expletricem referri? Certe iuſtitia vindicatiua, quam AVCTOR hic comminiſcitur, in effectu ab illa non differt. H.

quod ad iuſtitiam expletricem ſpectat. Sed quatenus delictum eſt aberratio a lege, in rectoribus ciuitatum eſt poteſtas poenam conuenientem exigendi; ſed in delinquente nulla eſt obligatio ad poenam vltro explendam [5]. Quo intuitu poenarum exactio ad iuſtitiam expletricem non quadrat. Quae cum ita ſint, nihil aliud reſtat, quam vt dicamus ad neutram iuſtitiae ſpeciem poenas pertinere; ſed easdem peculiari ſpecie iuſtitiae temperari. Ni dicere malis, tam impoſitionem poenarum, quam diſtributionem praemiorum, ſuper quibus peculiari pacto in anteceſſum non fuit conuentum, partes eſſe prudentiae, quae cum officio regendi alios eſt coniuncta; eoque ad iuſtitiam vniuerſalem referenda.

§. VI. Illvd igitur ab omnibus ſanis admittitur, vtut natura omnes homines ſint aequales, & in ipſa poena ſit aliquid aſperum atque durum, dum vltro homo hominem afflictum aut perditum it; & licet quoque ſapientiſſimus Creator naturam rerum & hominum ita diſpoſuerit, vt malitiam mala vltro comitentur, & auctorem ſuum velut vlciſcantur: poenam tamen etiam poſitiuam humanam in ſe nihil habere aequitati naturali repugnans, quin potius ob ſalutarem vſum eandem generi humano maxime eſſe neceſſariam. Nam vti ſalus humani generis requirebat, conſtituto imperio aequalitatem hominum tolli; ita in tanta hominum malitia, rectique auerſatione vis imperii peribat, ni repraeſentatione alicuius mali mortales praui in ordinem redigi poſſent *. Cum porro & facienda, & omittenda, nec non ipſa poena, quae ſecus facientes manet, publice prius promulgentur; neminem habet, quem accuſet, praeter ſeipſum, qui vltro contra leges peccando poenarum aſperitatem in ſeſe irritat.

§. VII. Cvi porro homini, & abs quo poenas ſumendi poteſtas competat, ſuper eo Grotivs d. l. §. 3. ita cenſet [1]: *Per ipſam naturam non determinatum, cui homini ius poenas ſumendi competere debeat; niſi quod ſatis indicet natura, conuenientiſſimum eſſe, vt id fiat ab eo, qui ſuperior eſt; non tamen vt omnino hoc demonſtret eſſe neceſſarium. Niſi vox ſuperioris eo ſumatur ſenſu, vt is, qui male egit, hoc ipſo ſe quouis alio inferiorem cenſeatur feciſſe. Cui conſequens ſit, vt ſaltem ab aeque nocente nocens puniri non debeat.* Vid. Ioan. IIX, 7. Roman. II, 22. Enimuero nobis fixum ſedet, poteſtatem poenas ſumendi eſſe partem imperii [2], adeoque neminem poſſe poenam proprie dictam alteri imponere, niſi qui in ipſum imperium habet. Licet enim, poſita hominum malitia & ad alios laedendos procliuitate, ad conſeruandam inter homines ſocialitatem neceſſum ſit poenas exerceri; quilibet autem actiones ſuas ad ſocialitatem, tanquam bonum vniuerſi generis

§. VI. * Hinc Rempublicam duabus contineri rebus, poenis & praemiis, dixit Solon, & probat Cicero in Bruto. H.

§. VII. 1) Grotium ſecutus, Avctor Anglvs Libello de Gubernat. ciuitatum c. 2. §. 4. & ſeq. cuius argumenta expendi Diſſertat. de Socialit. primo iur. natur. princip. ſect. 3. §. 25. Grotivs ipſe ad Matth. V, 40. Videtur opinionem ſuam deſerere. *Iuſtam*, inquiens, *cauſam ſuſcipiendi belli eſſe non arbitror, hoc vnum, quod populus alter a recta pietate abhorreat. Quis enim in illum populum alteri populo aut Regi iudicium dedit? Σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. Spartam, tibi quae contigit, orna.* Et recte a Plvtarcho dictum; *Aliens cupiditatem eſſe vti hoc praetextu, quod barbariem emolliat.* H.

2) Vid. not. 3. ad §. 4. vbi contra diſſentientes adſeritur haec Avctoris ſententia.

generis humani, referre debeat: tamen non ſequitur, ſingulos debere quoslibet actus ad ſocialitatem facientes exercere, qui ſcilicet vtiliter exerceri nequeunt, niſi poſitis certis requiſitis. Sicuti & imperio inter homines opus eſt, nec tamen quilibet in quoslibet illud exercere poteſt aut debet. Deinde non omne malum, quod ob antegreſſum peccatum infertur, poena eſt; ſed quod antea denunciatum, & poſt cognitionem delicti fuit impoſitum. Adeoque a poenarum cenſu excluduntur mala per modum belli illata, licet & ipſa cautionem de non accipiendis in poſterum iniuriis efficiant. Nam in bello cautionem ſibi quisque propriis viribus, & proprio ex arbitrio procurat: per poenas laeſis cautio per vires, & ex iudicio ſuperioris procuratur. Vt bello aliquis coerceatur, directe intereſt duntaxat eius, qui fuit laeſus: ſed vt poenis quis caſtigetur, non huius tantum intereſt, ſed & totius ciuitatis. Sic an bello quis iniurias exſequi velit, in arbitrio laeſi eſt; ſed an poena ſit exigenda, in ſuperioris eſt poteſtate, qui etiam iſto deprecante eandem poteſt exigere. Denique poenae quantitas ante delictum regulariter definita eſt; cautio bellica pro conditione ſtatus noſtri & hoſtium ſumitur. Porro licet natura non determinet, Caius an Seius poenarum exactor eſſe debeat, non magis quam eadem Caium aut Seium reges deſignauit: ipſa tamen ratio ſatis liquido oſtendit, poenam, vtpote ſententiae iudicialis exſecutionem, a ſuperiore proficiſci debere, ſeu tali, qui in ſontem imperium habet. Neque opus eſt arguta illa interpretatione vocabuli *ſuperioris*. Nam falſum eſt, quaelibet peccata ita deformare hominis dignationem, vt ob ea patrata ſtatim velut inter beſtias ſit referendus [3]. Neque ſequitur, hic homo delictum admiſit, ergo mihi competit poteſtas poenam de ipſo ſumendi. Si enim delictum ſit commiſſum contra me, in libertate naturali degenti reparationem damni & cautionem per modum belli exigere licet. Vbi in alium, cuius defenſio mihi peculiariter commiſſa non eſt, peccatum fuit, illius vltionem non magis extra cauſam foederis mihi arrogare poſſum, quam ius dicere illis, qui mihi non ſunt ſubiecti. Vid. Exodi II, 14. Dictum Democriti, *natura imperare congruit praeſtantiori*, ita eſt explicandum: ſi conſenſu plurium in aliquem ſit conferendum imperium, vbi nemini prae altero ad illud habendum peculiare ius competit, rationi eſt conuenientiſſimum, vt idem deferatur praeſtantiſſimo, & qui prae caeteris pollet artibus ad bene imperandum idoneis. Nequaquam autem hic imperium in alios praetendet, niſi vltro ipſi ſeſe ſubiecerint [4]. Effatum autem GROTII, *non debere aeque nocentem ab nocente puniri*, proprie non pertinet ad eos, queis poteſtas publica competit poenas exigendi; ſed qui nulla ex neceſſitate officii, & oſtentando aduerſus vitia odio ad cenſuram, aut accuſationem vitiorum priuata auctoritate prorumpunt. Etſi ſane indecorum, & ad reuerentiam magiſtratuum legumque minuendam valde ſit efficax, ſi exactor iuſtitiae iisdem

3) Praeſertim in ſtatu naturali, vbi nemo alterum ſuperiorem vel iudicem agnoſcit. H.

4) Sane iudicii praeſtantia & immunitas a vitiorum labe aptitudinem tribuit ſolam, non ius, ceu quod ſine alterius conſenſu non naſcitur. Et quomodo quis praeſtantiam ſuam alteri eam neganti probabit. Vid ſupra L. I. c. 6. §. 10. ſequ. L. III. c. 2. §. 2. infra h. l. c. 4. §. 15. 17. Adde H. GROTIVM ipſummet L. II. de I. B. & P. cap. 22. §. 9. & 10. H.

iiſdem maculatus deprehendatur vitiis, quae in aliis vindicatum it. Cum non iraſci vitiis, ſed eorundem dulcedinem aliis videatur inuidere, qui in aliis punit, quae ipſe committit. Vid. PLINIVS L. IIX. Epiſt. 22. [5]. PLATONI Minoe [p. 568. D. Ed. Wech.] Φαῦλος ἄνθρωπος, *improbus homo* vocatur, qui ἐνόμιζε μὲν ἕτερα, ἐποίει δὲ ἄλλα παρ' ἃ ἐνόμιζεν, *alia ipſe feciſſet, alia facienda mandaſſet.* Add. GRATIANVS Cauſ. 3. quaeſt. 7. c. 3. 4. ſeqq. Neque tamen Neroni matricidae non licebat capitalia ſupplicia in ſontes pari ex crimine exigere [6]. *Non tamen Domitiano mulieres adulterii damnare, quas ipſe ſtuprauerat:* apud ZONARAM Tom. II. Quo ſpectat illud dictum, Medaeae apud SENECAM [v. 500. & ſeqq.] *Cui prodeſt ſcelus, fecit. Tibi innocens ſit, quisquis pro te eſt nocens.* Multo magis autem vltronei delatores & cenſores cauere debent, ne ſibi occinatur illud IVVENALIS Sat. 2. [v. 22. & ſeqq.] *Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus, Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes? Quis coelum terrae non miſceat, & mare coelo, Si fur diſpliceat Verri, ac homicida Miloni, Clodius accuſet moechos, Catilina Cethegum. In tabulam Sullae ſi dicant diſcipuli tres.* Aut illud EIVSDEM Sat. 3. [v. 38. 39. 40.] *Felicia tempora, quae te Moribus opponunt: habet iam Roma pudorem, Tertius e coelo cecidit Cato.* SENECA L. II. Controu. 14. *Turpe eſt ſic caſtigare vitia, vt imiteris.* CICERO Tuſc. Quaeſt. L. III. [c. 30.] *Eſt proprium ſtultitiae, aliorum vitia cernere, obliuiſci ſuorum.* PLAVTVS Trucul. [Act. I. ſc. 2. v. 58.] *Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.* Nam *ſic agitur cenſura, & ſic exempla parantur, Cum iudex alios, quod monet, ipſe facit.* OVIDIVS Faſtor. L. VI. [c. 647. 648.] Caeterum in eo nobiscum ſentit HOBBESIVS Leuiath. c. 28. quod poenam a ſuperiori, vt tali, proficiſci ſtatuit. Etſi alias definitio poenae, quam tradit, iuſto ſit anguſtior, quod & comprehendat duntaxat poenas ab imperio ciuili inflictas, & vnius tantum finis mentionem faciat. *Poena*, inquit, *eſt malum transgreſſori legis auctoritate publica inflictum, eo fine, vt terrore eius voluntates ciuium ad obedientiam conformentur.* Ex eo tamen recte infert, poenas proprie dictas non eſſe, iniurias aut vltiones priuatorum, mala auctoritate publica inflicta, ſed citra antegreſſam condemnationem, mala inflicta ab vſurpatore imperii, mala inflicta ſine conſilio ciues reformandi [7] ſed haec omnia facta eſſe hoſtilia. Vbi tamen notandum, non ſtatim ex eiusmodi poena ſpuria ſtatum hoſtilem reſultare, aut ius praeberi licentiam hoſtilem exercendi, ſeu eum, qui tali malo afficitur, ſtatim accipere licentiam hoſtilia alteri reponendi, qui malum infert. A poenis itidem excludit mala, quae malas actiones naturaliter conſequuntur, puta, cum quis vim alteri inferens occiditur aut vulneratur; aut quando ab actione illicita morbum contrahit; etſi poenae diuinae rationem id habere poſſit. Item ſi malum inflictum minus ſit, quam bonum, quod crimen commiſſum naturaliter ſequitur, eſſe potius pretium ſeu redemtionem criminis, quam

poenam.

5) *Noſti ne hos, qui omnium libidinum ſerui ſic aliorum vitiis iraſcantur, quaſi inuideant; & grauiſſime puniunt, quos maxime imitantur, quum eos etiam, qui non indigent clementia vllius, nihil magis quam lenitas deceat.*

6) Aut Auguſto adultero, vt mori cogeret Proculum, ex acceptiſſimis libertis, compertum adulterare matronas. SVETONIVS in Auguſto. c. 67. H.

7) Quod verum non eſſe, in fine §. ſequentis obſeruat AVCTOR, modo punitio alias legibus Reipublicae conuenienter fiat.

poenam. Sub factis quoque hoſtilibus numerat, ſi poena maior infligatur, quam quae lege eſt determinata; ſi poena ſumatur ob factum nulla lege vetitum; ſi plectatur rex; ſi malum inferatur hoſti manifeſto. Sed quod addit, ſi qui ciuis fuerat hoſtem ſe declarauerit, non vt ciuem ſed vt hoſtem pati; adeoque reos laeſae maieſtatis puniri poſſe poena arbitraria tanquam hoſtes; id ideo admitti non poſſe videtur, quod vtique poena rebelli inflicta ex vi imperii procedat, & tanquam a ſuperiore, vtut rebellis ille hoſtilem in huncce animum ſumſerit, & aliquando acie fuerit vincendus, vt reus peragi poſſit. Sicuti qui fugitiuum ſuum perſequitur, id vtique iure dominii, non iure belli facit. Accedit quod mala hoſti illata infamiam non habeant; quae tamen eiusmodi poenas rebellibus inflictas cumprimis comitatur.

§. VIII. VIDENDVM deinde eſt de fine poenarum, quem homines ſibi circa easdem exigendas propoſitum habere debent, poſtquam damnum iam eſt reparatum, aut per naturam reparari nequit. Vbi primo hoc ponendum, etiamſi in ſe non iniquum videatur, vt qui malum fecit, malum patiatur; PINDARVS Nem. Od. 4. [v. 52.] *ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικε· Eum qui afficit alium malo aliquo, etiam aliquod malum ab alio pati, conſentaneum rationi eſt.* EVRIPIDES Hecuba, [v. 1250. 1251.] *Ἀλλ' ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ πράσσειν ἐτόλμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα. Sed poſtquam quae honeſta non ſunt facere auſus es, ſuſtine etiam quae non grata ſunt*: tamen non recte hominem poenas exigere, niſi aliqua inde reſultet vtilitas. Et ideo HOBBESIVS de Ciue c. 3. §. 11. inter leges naturales hanc quoque poſuit; *in vltione ſeu poenis ſpectandum eſſe non malum praeteritum, ſed bonum futurum; hoc eſt, infligere poenam nullo alio fine licitum eſſe, niſi vt ipſe, qui peccauit, corrigatur, vel alii eius ſupplicio moniti fiant meliores.* PLATO Protag. [p. 226. A. B. Ed. Wech.] *Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti ſceleris cauſa punit; neque enim aſſequi poteſt, vt quod eſt factum, ſit infectum; ſed futurum reſpicit, ne iterum aut ipſe, aut alius quilibet exemplo eius adductus delinquat* [1]. Idem dictum allegatur a SENECA de Ira, L. I. c. 16. [2]. Add. GROTIVS ad Leuit. c. XIX, 18. Equidem in poenis omnino quoque eſt *reſpiciendum* ad malum praeteritum, ſeu antegreſſum delictum, cum citra hoc poena plane non exſiſtat; eſt tamen praeterea etiam *proſpiciendum*, ad finem ne fruſtra male ſit homini, nocenti licet, nobis tamen cognato, ob factum, quod emendari amplius non poteſt [3]. Confirmat autem legem ſuam Hobbes duplici ratione, tum quia vnusquisque lege naturali tenetur alteri ignoſcere, modo cautum ſit prius de futuro tempore; tum quia vltio, quatenus ſolum praeteritum conſideratur, nihil eſt aliud quam triumphus, & gloria animi, quae ad nullum finem dirigitur; adeoque vana eſt, & praeter rationem. Digna eſt Attila

§. VIII. 1) Οὐδεὶς γὰρ κολάζει τοὺς ἀδικοῦντας, πρὸς τοῦτο τὸν νοῦν ἔχων, καὶ τούτου ἕνεκα ὅτι ἠδίκησεν, ὅστις μὴ ὥσπερ θηρίον ἀλογίστως τιμωρεῖται. ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται, (οὐ γὰρ ἂν τό γε πραχθὲν ἀγένητον θείη) ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ μήτε αὐτὸς οὗτος, μήτε ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα.

2) Nam, vt PLATO ait, Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Reuocari enim praeterita non poſſunt: futura prohibentur. Add. PLATONIS Gorgias in fine p. 357. E.

3) Quam ob cauſam a furioſo poena non ſumenda, vtut is ante furorem delictum commiſiſſet.

Attila ſententia apud IORNANDEM de Rebus Geticis c. 39. *Quid forti ſuauius, quam vindictam manu quaerere? Magnum munus a natura, animum vltione ſatiare.* Add. BACO Sermon. fidel. c. 4. Quin contra iudex, vbi neceſſario ad poenam procedendum eſt, hautquaquam ex ſupplicio noxiorum voluptatem debet captare. VALER. MAXIMVS L. II. c. 9. ſ. 3. CLAVDIANVS de conſulatu Mallii, [v. 224. & ſeqq.] *Qui fruitur poena, ferus eſt, legumque videtur Vindictam praeſtare ſibi. Diis proximus ille eſt, Quem ratio, non ira mouet: qui facta rependens Conſilio punire poteſt.* VVLCATIVS GALLICANVS in Auidio Caſſio, [c. 12.] *Non vnquam placet in Imperatore vindicta ſui doloris.* Recte quoque Auguſtus apud SVETONIVM c. 32. *Diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quaereretur, nomina aboleuit.* SENECA de Ira L. VI. *Rector ciuitatis damnatum cum dedecore & traductione vita exigit: non, quia delectetur vllius poena, ſed vt documentum omnium ſint; & qui viui noluerunt prodeſſe, morte certe eorum Reſpublica vtatur.* Hautquidquam tamen cum HOBBESIO Leuiath. c. 28. factum hoſtile vocabimus, vbi genuinum poenarum finem prae oculis non habuerit imperans; modo alias poena ſecundum leges ciuitatis infligatur. Add. *L. 7. in fine D. de Seruis exportandis.* GROTIVS dicto loco §. 5.

§. IX. CAETERVM genuinus poenarum finis eſt praecautio laeſionum; quae prouenit, ſi vel in melius emendetur, qui peccauit, aut alii eius exemplo, ne deinceps velint peccare, vel ſi ita coërceatur qui peccauit, vt non poſſit deinceps peccare. Quod GROTIVS dicto loco ſic exprimit [1]: *In poenis reſpici vel vtilitatem eius, qui peccauit, vel eius, cuius intererat non eſſe peccatum, vel indiſtincte quorumlibet.* Conf. SENECA de Clement. L. I. c. 22. [2] Primum genus poenae huc ſpectat, vt iſtius animus emendetur, & a libidine peccandi purgetur eo medendi modo, qui eſt per contraria. Nam quia omnis actio, praeſertim deliberata & frequens, gignit quandam ſui procliuitatem, quae adulta habitus dicitur; ideo vitiis quam primum adimenda eſt illecebra. Quo pertinet illud Socratis apud PLATONEM Gorgia, [p. 325. 326.] *Iniuſtus miſerior eſt, ſi iniuriarum poenas nunquam luat: minus vero miſer, ſi luat, ſuppliciumque iuſtum diis, hominibusque reportet.* Nam *qui luit poenas, a prauitate animae liberatur.* SENECA de Ira L. I. c. 5. *Caſtigatio ſincera, & cum ratione aliquando neceſſaria eſt. Non enim nocet, ſed medetur ſpecie nocendi. Quemadmodum quaedam haſtilia detorta vt corrigamus adurimus, & adactis cuneis, non vt frangamus, ſed vt explicemus, elidimus: ſic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus.* Id tamen non neceſſarium eſt, quod dicto loco paulo poſt ſequitur: *Siue per nos, ſiue per alium quempiam nobis charum inferatur iniuria, ſponte noſtra iudici nos puniendos, tanquam medico, feſtinanter offerre; ne inueteratus iniuriae morbus ſic inficiat*

fet. Idque BALDO iam olim viſum *in L. Furioſum. 9. C. qui Teſtam. facer. poſſ.* & plerisque aliis placuit, teſte Catell. COTTA in Memorabil. voce homicidium. CARPZOVIVS Praxi criminal. 145. n. 22. Add. Ioann. a SANDE *ad L. 9. D. de Reg. iur.* H.

§. IX. 1) Graeci autem ad tria vocabula reuocant, νυθεσίαν, ἀποπλήρωσιν, παράδειγμα. V. GELLIVM L. VI. N. A. c. 14. H.

2) *In quibus* (alienis) *iniuriis vindicandis haec tria lex ſecuta eſt, quae Princeps quoque ſequi debet: aut vt eum, quem punit emendet; aut vt poena eius ceteros meliores reddat; aut vt ſublatis malis ceteri ſecuriores viuant.* SENECA de Clement. L. I. c. 22.

ficiat animum, vt inſanabilem reddat. Nam cui ita diſpoſitus eſt animus, vt ad vitium corrigendum vltro velit poenam arceſſere, iudice medico opus non habet, ſed ſibi ipſe ad curationem eſt ſufficieus. APVLEIVS de Dogmate Platonis, [p. 615. Ed. in vſum Delphini.] *Grauius & acerbius eſt omni ſupplicio, ſi noxio impunitas differatur, nec hominum interim animaduerſione plectatur.* PLATO de LL. L. IX. [ſub init. p. 1098. A.] *Nullum ſupplicium lege factum ad malum tendit. Sed duorum alterum fere ſemper ſolet, efficere. Nam aut melior, aut certe minus prauus, qui poenas dedit fieri ſolet.* ARISTOTELES Nicom. II. c. 2. Ἀι κολάσεις ἰατρεῖαί τινές εἰσιν· αἱ δὲ ἰατρεῖαι διὰ τῶν ἐναντίων πεφύκασι γίνεσθαι. *Caſtigationes medicinae ſunt. Medicinae autem per contraria fieri ſueuerunt.* ALCINOVS de Doctrina Platonis c. 32. *Conducit improbo dare poenas, quemadmodum aegro corpus curandum dare medico. Omnis enim caſtigatio peccantis animae medicina eſt quaedam.* TACITVS A. III. *Corruptus ſimul & corruptor, aeger & flagrans animus haut leuioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit.* PLATO Critia, [p. 1098. A.] Δίκη δὲ ὀρθὴ, τὸν πλημμελοῦντα ἐμμελῆ ποιεῖν. *Iuſta poena eius, qui per negligentiam peccauit, eſt, vt cautus efficiatur.*

§. X. CIRCA exactorem huiusmodi caſtigationis ita ſtatuit GROTIVS dicto loco §. 7. *punitionem, quae emendationi peccantis inſeruit, natura cuinis exercere liberum eſſe, modo quis iudicio polleat, & eiusdem generis, aut aliis vitiis non teneatur.* (ISOCRATES de Permutatione, [p. 539. Ed. Pariſ.] *Eos ego improbiſſimos omnium, & maxima poena dignos eſſe puto, qui de iis rebus alios accuſare audent, quibus ipſi conſtricti tenentur.* LACTANTIVS Diu. Inſtit. L. IV. c. 23. *Antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige.* Apud TACITVM H. II. [c. 10. in fine.] cum Fauſtum Criſpus, qui easdem accuſationes cum praemio exercuerat, damnaſſet, additur: *Non poenam criminis, ſed vltorem diſplicuiſſe.* ARNOBIVS aduerſus Gentes L. I. [p. 21. Ed. Lugd. Bat.] *Res agitis iniuſtas, vt id in nobis conſtituatis damnabile, quod & ipſi vos factitatis: aut quae vobis licere permittitis, conſimiliter aliis licitum eſſe nolitis.*) *Aſt vero in verberibus, & aliis remediis, quae coactionis quid habent, naturam non feciſſe diſcrimen inter perſonas, quibus id liceat, vel non liceat in alium ſtatuere. Niſi quod ratio parentibus in liberos eius iuris vſurpationem pro affectus neceſſitudine peculiariter commendarit. De caetero leges ciuiles recte ad proximos duntaxat affectus reſtrinxiſſe communem illam hominum propinquitatem, rixarum vitandarum cauſa.* Enimuero haec nobis non ſatisfaciunt. Nam iam monitum [1], poenam proprie dictam non poſſe ſumi niſi ab imperante, quicunque demum iſtius finis ſit [2]. Vnde & caſtigatio, quae verbis fit, magis conſilium, & admonitio videtur, quam poena: & vbi ea vehementioribus verbis peragitur, non tam communi aliquo iure conceſſa, quam peculiariter ex amicitiae lege ſancita. Indicio eſt, quod ignotum caſtigare conanti ſtatim occinitur illud TERENTII Heauton. Act. I. Sc. 1. [v. 23. 24.] *Tantumne ab re*

§. X. 1) §. 4. & 6. H.
2 Quam ſententiam AVCTORIS ab obiectionibus diſſentientium vindicavimus ſupra in nota 3. ad §. 4.

3) *Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas*
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit vt audacter moneam, & familiariter
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere,

ab re tua eſt otium tibi, Aliena vt cures; eaque nihil quae ad te attinent? Vnde & d. l. Chremes ad caſtigandum alterum accedens, ad ius vicinitatis prouocat, quam ipſe *in propinqua parte amicitiae putat* [3]. CVRTIVS L. III. de Hephaeſtione [c. 12. n. 16.]: *Libertatis in admonendo eo non alius ius habebat; quod tamen ita vſurpabat, vt magis a rege permiſſum, quam vindicatum ab eo videretur.* CICERO Offic. I. [c. 17.] *Conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitiis vigent maxime.* HOMERVS Iliad. λ. Ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου. *Bona eſt admonitio ſocii.* Praeterquam quod & heic cumprimis adhibenda prudentia, ne intempeſtiue praebita medicina nobis moleſtiam pariat, alterum in morbo obfirmet. Quo facit illud TACITI H. III. [c. 81.] de Muſonio Rufo. Parentes autem duplici nomine caſtigandi ſuos liberos ius habent, tum quia educatione per naturam imperata recte fungi nequeunt [4], niſi ipſis conceſſum ſit pro captu aliquid aſperioris diſciplinae adhibere: tum quia extra ciuitates degentibus in liberos imperium competit; quod licet in multis ciuitatibus ſatis ſit acciſum, vbique tamen id fere remanſit, vt ſuo ex iudicio poſſent eos caſtigare propter illa peccata, quae magis ex prudentia iuuenili, quam robuſta animi malitia committuntur, & magis domeſticam, quam publicam pacem turbant. Add. *L. 7. §. 3. D. de Iniuriis.* LIBANIVS Declam. 20. Parem fere poteſtatem obtinent, queis loco parentum gubernanda iuuentus, puta, tutores, praeceptores, magiſtri, qui citra modicam coërcitionem officio ſuo vix ſatisfacere poſſunt [5]. SENECA de Ira L. II. c. 27. *Parentum & praeceptorum caſtigatio ſic accipienda eſt, quomodo ſcalpellum, & abſtinentia, & alia, quae profutura torquent.* Quid reliquis in alios heic poteſtatis competat, videatur *L. vn. C. de Emendatione propinquorum.* PLATO de LL. L. VII. [p. 893. A.] in ſua ciuitate decernit: cum puer ſit πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον, *omni beſtia intractabilior, vt liberum quidem puerum doctrinarum potiſſimum cauſa praeceptores; vt autem ſeruum, caſtiget quicunque ex liberis forte deprehenderit, puerum ipſum & paedagogum, & praeceptorem, ſi qua in re eos delinquere conſpexerit.* XENOPHON de Republica Lacedaemoniorum, [c. 6. §. 2. Edit. Oxon.] *Lycurgus ſtatuit, pueris quemque ſuis, alieniſque iuſta imperare. Quod ſi quis aliquando puer caeſus ab alio patri deferat, turpiſſimum factu ducitur, niſi & ipſe filium aliis verberibus affecerit.* Quod autem idem XENOPHON ait L. V. [c. 7. §. 5.] Περὶ ἀναβάσεως: *Si quem vt prodeſſem verberaui, poenam me debere profiteor, qualem parentes filiis, & magiſtri diſcipulis. Nam & medici aegrotum ſuo ipſius bono vrunt ac ſecant:* ad diluendam quidem petulantiae calumniam ſibi intentatam facit. Sed non ſtatim quod duci, id etiam cuiuis in quemuis licet. Caeterum hoc genus poenae ad mortem vsque procedere poſſe negat Grotius; cum abſurdum ſit, emendationis cauſa aliquem in eum coniicere ſtatum, vbi emendationis nullum ſpecimen exhibere poſſit. Etſi inemendabili malitia laboranti melius aliqui iudicent, vt plane non ſit; praeſertim cum talis quam maxime aliis ſoleat moleſtus eſſe. SENE-

Facere, & praeterquam res adhortatur tua. Heautontim. Act. I. Scen. 1. v. 4. & ſeqq.

4) Haec verior eſt cauſa patriae poteſtatis, quam illa, qua AVCTOR ſupra vſus L. VI. c. 2. §. 4. & 11. vt ibi dictum. H.

5) Vid. NOODTIVS ad legem Aquiliam c. 6. quo litem pro more ſuo adfundit compluribus veterum ICtorum fragmentis, quae huc pertinent.

SENECA de Ira L. I. c. 16. *Tibi inſanabilis animus eſt, & ſceleribus ſcelera contexens: & iam non cauſis, quae nunquam malo defuturae ſunt, impelleris, ſed ſatis tibi eſt magna ad peccandum cauſa peccare. Perbibiſti nequitiam, & ita viſceribus immiſcuiſti, vt niſi cum ipſis exire non poſſit. Olim miſer mori quaeris. Bene de te merebimur: auferemus tibi iſtam, qua vexaris, inſaniam; & per tua alienaque volutato ſupplicia, id, quod vnum bonum tibi ſupereſt, repraeſentabimus, mortem.* IDEM de Benefic. L. VII. c. 10. *Ingeniis talibus vitae exitus remedium eſt, optimumque eſt obire ei, qui ad ſe nunquam rediturus eſt.* PLATO Gorgia, [p. 349. B.] Οὐκ ἄμεινόν ἐστι ζῆν τῷ μοχθηρῷ ἀνθρώπῳ· κακῶς γὰρ ἀνάγκη ἐστὶ ζῆν. *Flagitioſo homini non expedit, vt viuat. Neceſſe eſt enim, vt male viuat.* Sic Sulpicius Aſper cauſam ſuſceptae in Neronem coniurationis hanc allegabat, *non aliter tot flagitiis eius ſubvenire potuiſſe.* TACITVS Ann. XV. [c. 68. num. 1.] aut vti SVETONIVS Nerone c. 36. loquitur: *Nonnulli etiam imputauerunt, tanquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus.* IAMBLICHVS in Protreptico c. 2. καθάπερ τῷ ἐμπύῳ βέλτιον τὸ καίεσθαι τοῦ διαμένειν, καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν. *Sicut ſuppurato conducibilius eſt vri, quam ita manere: ſic flagitioſo mori quam viuere ſatius eſt.* ROSARIVM PERSICVM c. I. *Cuiuscunque ſomnus vigiliis praeſtat; Illi pariter mori melius eſt, quam male viuere.* Caritas tamen vtique ſuadet, vt non facile aliquis pro deſperato habeatur. Redundat autem hoc genus poenae etiam in vtilitatem aliorum. Nam cuius animus per dolorem poenae emendatur, de eo aliis ſatis cautum eſt: & vbi incorrigibilis quiſpiam e medio tollitur, ſatis conſtat caeteris, ab iſto nihil ſibi negotii deinceps faceſſendum. Quanquam vt non niſi incorrigibiles morte afficiantur, quod PLATO de LL. L. IX. [6] vult, id circa modica crimina, & quae intra atrocitatem ſubſiſtunt, fortaſſe recte obtinebit. Sed ad atrocia delicta hautquaquam adplicari poterit. Cum enim ille demum incorrigibilis pronuncietur, qui aliquoties in eodem delicto deprehenſus fuit; ſane parum expediet Reipublicae expectare, quoad aliquis atrociſſimum ſcelus ſemel atque iterum patrauerit.

§. XI. ALTER poenarum finis eſt vtilitas eius, cuius intererat non eſſe peccatum, ſeu, qui alterius peccato laeſus fuit; vt ne tale quid in poſterum ab eodem, aut aliis patiatur. Id quod obtineri poteſt tribus modis; ſi tollatur, qui deliquit; ſi vires nocendi ipſi, ſalua vita, adimantur, puta ſi in cuſtodiam detur, ſi arma & inſtrumenta nocendi auferantur, ſi in remotum locum ſeponatur; & denique ſi malo ſuo dedoceatur delinquere; quod cum emendatione, de qua iam egimus, eſt coniunctum. Ne autem, qui laeſus eſt, ab aliis deinceps

6) *Οὕτω μὲν δὴ τῶν τοιούτων [ὧς ἂν ἀνιάτως ὡς ταῦτα ἔχοντας αἰσθηται νομοθέτης] περὶ νομοθέτῃ κολαστὴν τῶν ἁμαρτημάτων θάνατον ἀνάγκη νέμειν· ἄλλως δὲ οὐδαμῶς.*

§. XI. 1) Apud Braſilienſes coguntur hi, qui ſanguine coniuncti ſunt homicidae, cum tradere illis, qui caeſi necem propter ſanguinis communionem & propinquitatem perſequuntur, vt tradit Hieronym. OSORIVS L. II. de Geſt. Emanuel. Idem *eodem libro* refert, apud Indos eſſe genus denotionis, quo inter ſe alii aliis interdum foedere coniunguntur, exſecratione ſe deuincientes, ſi, vno per iniuriam occiſô, reliqui non in illo vindicando mortem oppeterent. Apud noſtros quoque Belgii incolas homicidium non a magiſtratu ſed a conſanguineo, qui occiſum proxime attingit ſanguine, intra viginti quatuor horas plecti poſſe, auctor eſt Adrianus DONCKIVS. Apud Habeſſinos homicidae occiſorum propinquis quaſi noxae deduntur, qui etiam de illis, quo genere mortis

ceps laedatur, punitione non quauis, ſed aperta & conſpicua, quaeque ad exemplum pertinet, obtinetur. Vnde eſt, quod fere ſupplicia ſumi ſolent non intra angulos carcerum, ſed locis celebribus, & cum terribili adparatu, qui horrorem animis vulgi incutere valeat. Eſt autem iſte finis adeo proprius poenis, vt etiam, vbi per feruorem irae, & praecipitante vindictae cupidine laedentem nos grauiſſime depexum dederimus, demum ſubiicere ſoleamus; i nunc, alia vice nos laceſſe. Iſthanc autem poenam ſumere penes ſummum imperium eſt. Etſi in nonnullis ciuitatibus legiſlatores propter ferociam atque peruicaciam populi prauo iſti affectui, quo laeſi propria vltione irae noſtrae litare ardemus, aliquid indulſerunt. Quale quid in ipſa lege diuina occurrit circa vindicem ſanguinis, Num. XXXV. & Deuter. XIX. V. SELDENVS de I. N. & G. L. IV. c. 2. & GROTIVS ad Exodi XXI, 12. Ni dicere velimus, id fuiſſe ex reliquiis ſtatus naturalis. Add. quoque ROCHEFORT Deſcript. Antill. Part. II. c. 19. Conſimilis moris veſtigium aliqui colligere volunt ex HOMERI Odyſſ. ω. de Theoclymeno. Sane vix aliter explicari poteſt illa lex, apud EVRIPIDEM Oreſte v. 515. homicidam φυγαῖσι ὁσιοῦν, ἀνταποκτείνειν δὲ μή· *exilio expiabant, non autem viciſſim occidebant.* Nempe quod vetus iſte mos priuatae vindictae abrogatus eſſet, ne velut progreſſus in infinitum foret. Quae ratio non quadrat in poenam, quam magiſtratus ſumit. Quanquam & multa pecuniaria proximo caeſi ſoluta exilium redimi ſueuiſſe ex HOMERI Iliad. ἰῶτα, v. 702. ſeqq. Vid. quoque APOLLONIVS RHODIVS Argonaut. L. I. v. 90. Sic & hodie in Mauritania non ſolum cognati occiſi cum homicida poſſunt tranſigere, ſed & iidem reum, ſi nondum a magiſtratu apprehenſus ſit, abſque forma proceſſus occidere poſſunt [1]; quod regula apud ipſos ſit, vindictam non eſſe peccatum. Poteſt quoque aliquo modo huc trahi illud TACITI de Mor. German. [c. 21.] *Suſcipere inimicitias patris ſeu propinqui neceſſe eſt* [2]. *Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem vniuerſa domus.* Nec minus illud apud DIONYS. HALIC. L. I. [c. 81. p. 68. Edit. Sylburg.] Τῆς τιμωρίας τὸν Νομίτορα ποιεῖ κύριον, εἰπὼν, ὡς τῷ δράσαντι δεινὰ τὸ ἀντιπαθεῖν οὐ πρὸς ἄλλου τινὸς μᾶλλον, ἢ τῆς πεπονθότος ὀφείλεται. *Poenae modum permittens Numitoris arbitrio, quod aequum videretur, penes eum eſſe ius ſupplicii, cui facta eſſet iniuria.* Add. GROTIVS dicto loco §. 8.

§. XII. TERTIVS poenarum finis eſt vtilitas indiſtincte quorumlibet, dum per ſeueritatem poenae ſecuritati omnium conſulitur. PLATO de LL. L. XI. [p. 977. 13.] *Poenis maligni vexantur, non quia peccauerunt; nam quod factum eſt, infectum eſſe non poteſt; ſed vt poſthoc & peccatores ipſi, & qui puniri iniquitates viderunt, iniuſtitiam oderint* [1].

SENE-

mortis voluerint, ſupplicium ſumere poſſint. Iob. LVDOLF. Hiſt. Aethiop. L. II. c. 19. n. 8. H.

2) Qui mos admodum diu apud Germanos Septentrionalesque populos durauit. Hinc faida, quae non omnem ſimultatem, ſed capitalem illam denotabat, quando priuatae inimicitiae per totam cognationem diffundebantur, adeo vt ſi quis ex ea interfectus fuiſſet, caedis poena a tota cognatione exigeretur, ac in eam pro lubitu vindicaretur. V. Caroli CANGII Diſſert. ad Ioinuillam 29. & in gloſſar. voce faida. Conf. ſupra L. III. c. 1. §. 7. in fin. H.

§. XII. 1) Οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι διδοὺς τὴν δίκην· (οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγένητον ἔσται ποτέ) τοῦ δ' εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον, ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης ξυμφορᾶς.

Seneca de Ira L. I. c. 6. *Rector ciuitatis damnatum eum dedecore & traductione vitae exigit; non quia delectetur vllius poena, ſed vt documentum omnium ſint; & qui viui noluerunt prodeſſe, morte certe eorum Respublica vtatur.* Tullus apud Livivm L. I. c. 28. *Audeat deinde talia alius, niſi in hunc inſigne iam documentum mortalibus dedero. Tu tuo ſupplicio doce humanum genus ea ſancta credere, quae a te violata ſunt.* Sic & ab rege Anco *carcer ad terrorem increſcentis audaciae media vrbe, imminens foro, aedificatur.* Ibid. c. 33. Add. Agathias L. IV. Princip. Lvcianvs Phalaride I. [p. 735. in fin. Edit. Amſtel.] *Caeterarum rerum nulla foret expectanda vtilitas, niſi metus maleſactoribus eſſet propoſitus, ac certa ſpes conſtituta luendi pro flagitiis ſupplicii.* Quo genere poenae aut hoc agitur, ne is ipſe, qui vni nocuit, deinceps aliis quoque noceat; id quod obtinetur, ſi nocens aut occidatur, aut debilitetur aut conſtringatur, vt nocere amplius nequeat, (Gvntherus Ligurino L. I. [v. 527. & ſeqq.]

Nec melius ſtultae furor atque ſuperbia plebis
Puniri poterat, quam tanti vt cauſa tumoris
Eriperentur opes, vt quos opulentia maior
Fecerat elatos, in ſe reuocaret egeſtas:

Loquitur de Vltraiectinis, quos tumultuantes Fridericus magna pecunia multarat,) aut acerbitate poenae libidinem peccandi exuat: vel hoc quaeritur, ne alii quiuis ſcelerum impunitate illecti, aliis quibusuis ſint moleſti. Id quod ſuppliciis conſpicuis obtinetur, quae παραδείγματα, ſeu exempla vocari moris eſt, in quae reliqui inſpicientes pii ſint. Vid. *L. 1. C. ad L. Iul. repetund. L. 7. C. ad L. Fabiam de plagiar.* Qvintilianvs [a] Declam. 274. *Quotiens noxios crucifigimus, celeberrimae eliguntur viae, vti plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu poſſint.* Seneca de Ira L. III. c. 19. *Animaduerſiones quo notiores ſunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt.* Etſi apud Lacedaemonios in contrarium mos valuerit, vt nempe non interdiu, ſed nocte ſontes plecterentur. Herodotvs Melpomene, [p. 170. Ed. H. Stephani.] niſi forte & ipſas tenebras ad terrorem aliquid facere crediderunt. Conf. Valer. Maximvs L. II. c. 9. §. 3. Sub hocce poenarum fine etiam comprehendi poteſt illa vtilitas, qua per easdem ſarta tecta praeſtatur, aut reparatur auctoritas imperii ciuilis, quae per malitioſas cumprimis & enormes legum transgreſſiones non parum delibatur. Haec enim vt ſalua perſiſtat, totius ciuitatis intereſt, eademque illaeſa improbitatem hominum quam validiſſime coërcet. Praeter hoſce autem fines vt alium quoque cum Seldeno de I. N. & G. L. I. c. 4. ſtatuamus *ſatisfactorium, purgatorium ſeu expiatorium*, aut vt deuiatio a lege velut exaequetur, & illa inaequalitas actionis velut corrigatur, neceſſarium non videtur.

a) Seneca IV. Controu. 25. *Feriatur in foro, omnes videant.* Mox: *Scelus eſt, in conuiuio damnari hominem.* Paul. Orosivs L. VI. Hiſt. 11. *Multum ad coërcendam audaciam valet propoſitum punicionis exemplum, cum ipſa miſeri praeſens forma viuentis & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſciſcitationem cogit ignaros.* Conf. Mariana L. XXII. Hiſtor. Hiſpan. c. 6. vbi notat, *Alphonſum Regem exiſtimationem ſuam conſumſiſſe, in abdito iuſtitiam exercendo.* Apud Romanos praeterea breuibus verbis cauſa ſiue titulus ſupplicii indicari ſolebat, aut prae-

tur. Et ſi quae ex Sacris literis adducuntur argumenta, ad tribunal diuinum, aut peculiarem populi Ebraici ſanctimoniam ſpectant.

§. XIII. Circa exceptiones autem, quas Grotivs dicto loco §. 9. addit iſti dogmati, quod poenarum ad exemplum facientium exſecutio ſit penes rectores ciuitatum, id obſeruandum: ſi quid perpetratur in illis locis, atque inter illas perſonas, quae certis iudiciis non ſubſunt, puta in piratas; id ad ius belli pertinere [1], quod a poteſtate poenas exigendi diuerſum eſt. In piratas enim ac praedones, cum omnium hoſtes ſint, quilibet quoque homo miles eſt. Etſi non ſpernendum ſit, quod Idem dicto loco §. 14. monet: conſultius eſſe, nauigaturos inſtrui mandatis a publica poteſtate ad perſequendos piratas, ſi quos in mari repererint: vt data occaſione vti poſſint, non quaſi ſuopte auſu, ſed vt publice iuſſi. Lex autem Deuteron. XIII, 9. etſi non cuiuis priuato ius dare videatur ducem ad idololatriam interficiendi, ſed potius vt iſte in ius rapiatur, & cauſa cognita a multitudine lapidibus obruatur: ponamus tamen cuiuis priuato iſtius criminis manifeſtum interficiendi facultatem datam, ſane eiusmodi lex antea extans efficiet, vt quod a priuato heic ſuſcipitur, velut a miniſtro ſummi imperii, adeoque publica auctoritate ſuſceptum intelligatur. Add. Grotivs ad dictum locum. Neque id inſuper habendum, factum Phineae ſingulari Dei adprobatione niti. Nam alias eiusmodi zelus cuique permiſſus [2], ciuilem ordinem non mediocriter turbaturus, & impotentibus affectibus praetextum praebiturus fuerit. De iudicio zeli addatur Seldenvs L. IV. c. 4. Ius vitae & necis, quod in quibusdam ciuitatibus patresfamilias in liberos & ſeruos obtinent [3], licet a ciuitatibus originem non habeat, in his tamen videri poteſt particula quaedam imperii publici, quod patribusfamilias in ſuos exercendum velut auctoritate publica indulgetur. Eſſe porro in ciuitate magiſtratum, qui certis in caſibus ſontes extra ordinem indicta cauſa punire queat, nihil repugnat, modo ne iſte tanto iure abutatur. Sic quando in proſcriptorum capita certum praemium conſtituitur, vbi quis eos interfecerit, publica id auctoritate feciſſe cenſetur. Etſi enim eiusmodi declaratio non ſemper vim praecepti habeat; vbi tamen eiusdem intuitu caedes facta ſit, veluti publica auctoritate ſuſcepta defenditur. Add. *L. 1. C. Quando liceat vnicuique.* Grotivs ad Eſther. IX, 10. notat, antiquitus ſententiam illam apud Hebraeos obtinuiſſe: *Si quis Iſraëlitam aut bona eius prodere voluiſſet gentibus, aut ſi quis totam Iudaeorum vniuerſitatem magna affeciſſet contumelia, nihil mali facturum Iſraëlitam, ſi ei perniciem procuraret, bonis tamen eius relictis haeredi.* Etſi iſta exſecutio & licentia vindictae, quam tunc Iudaei exercebant, ab indole vitae ciuilis non parum abhorrere videatur. Apud Andocidem Orat. 1. [p. 220. Ed. Wechel.] talis lex extat:

praeconis voce, aut ſcripto. V. H. Grotivs ad Matthaei XXVII, 37. H.

§. XIII. 1) Iure enim Poenae, tanquam inter pares, id fieri non poſſe, monitum fuit in nota 3. ad § 4.

2) *Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publice poſſit fieri, ne occaſio ſit maioris tumultus faciendi.* L. 176. D. de R. I. Conf. Bvddevs de Iure Zelotarum in gente Hebraea, excuſa Halae, 1694. & cum additionibus typis repetita, 1699.

3) Vid. ſupra L. VI. c. 2. §. 11. 12. & c. 3. §. 6. H.

4) In

Si quis democratiam Athenis euertat, aut ſi quis, imperio populari ſoluto, magiſtratum aliquem habeat, Athenienſium hoſtis eſto, impuneque interficiatur. Sequitur iusiurandum, quo populus Athenienſis tributim iurauerat, ſe talia patrantem interfecturum. Apud LIVIVM L. III. c. 55. Valerius talem legem ſancit: *Ne quis vllum magiſtratum ſine prouocatione crearet, qui creaſſet, cum ius fasque eſſet occidi: neue ea caedes capitalis noxae haberetur.* Apud Panchaeos *ſacerdotibus conſecratam regionem egredi nefas erat; egreſſos vero quisquis offendit, occidendi poteſtatem habet.* DIODORVS SICVLVS [4] L. I. c. 46. Vbi obſeruandum, in his & ſimilibus Legibus generale edictum, accedente facti euidentia, & quae diſceptationem ancipitem non admittit, vim latae ſententiae obtinere, ſic vt ſubſecuta caedes velut decreto magiſtratus facta videatur [5]. Quod ſi autem priuatus ex impulſu eiusmodi legis, vbi iuſtis ſubnixa ſit rationibus, caedem patrarit, non modo id impune feret in foro ciuili, ſed & in conſcientia purus erit, ſiquidem non priuato odio ductus fuerit, ſed quod ciuitati ſeſe hoc modo prodeſſe crederet: praeſertim ſi ideo poenae exſecutionem quibusuis lex indulſerit, aut iniunxerit, quod ex illis facinoribus praeſentaneum Reipublicae malum immineat. Secus atque in illis caedibus fit, in quibus lex iuſto dolori, & vehementiſſimae indignationi indulget, ac poenam duntaxat humanam, non vitium actus tollit. Quo pertinet lex maritis indulgens, vxorem adulteram & moechum, in ipſo actu deprehenſos, occidere. Nam dolori tantum ex acerbiſſima iniuria concepto lex in foro humano ignoſcit; licet alias conuenientius foret iniuriam eam per magiſtratum puniri, neque ex dilata vindicta periculum ciuitati immineret. Vid. GRATIANVS [6] *c. Quicunque 23. cauſ. 23. qu. 8.* SENECA Controu. L. I Controu. 4. L. IV. Controu. 24. XENOPHON de Educ. Cyri. L. III. [pag. 41. Ed. H. Steph.] VALER. MAXIMVS L. VI. c. 1. §. 13. BOECLERVS ad Grot. L. II c. 1. §. 14. Ant. MATTHAEVS de Crimin. ad *L. 48. D. tit. 5. c. 2.* GROTIVS in Flor. ſparſ. ad *L. 22. §. 4. D. ad L. Iul. de Adult.*

§. XIV. EX FINE autem poenarum, vt & humanae naturae conditione adparet, poſſe dari actus quosdam in ſe vitioſos, quos tamen in foro humano poena affici ſuperfluum atque inutile ſit. Quo referri primo ſolent actus mere interni, id eſt, cogitatio [1] de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium; etſi poſt caſu quodam, puta per ſubſequentem confeſſionem ad notitiam aliorum perueniant. Add. GROTIVS de Imperio ſumm. Poteſt. circa ſacra. c. 3. n. 1. Nam cum eiusmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque

4) In Italia, praeſertim Venetiis, moris eſt, praemium ei conſtituere, qui bannitum, vt vocant, viuum ſtiterit magiſtratui, aut eum interfecerit, caputque humeris auulſum in argumentum caedis obtulerit. Vid. Philippus MAVSSACVS in Harpocrationem p 179. Conf. infra §. 17. in fine. Bannitis olim ſimiles apud Anglos erant Vtlagati, ſiue extra legis protectionem poſiti, qui ob contumaciam, dum in ius vocarentur, capitaliter conuicti, capitis damnabantur. De quibus plura congeſſit Ioann. SELDENVS L. II. de Synedr. Hebraeor. c. 14. §. 3. De Germaniae conſuetudine v. LIMNAEVS ad A. B. c. 1. §. 2 Obſeru. 14. H.

5) Nec eſt quamobrem conceſſiones huiusmodi rationi aduerſari putet ARNISAEVS L. II. de Iurib. maieſt. c. 3. n. 8 & 9. Cuius argumentis reſpondet LOCCENIVS Synopſ iur. Suetic. Diſſert. 28. quaeſt. 15. Sed nec faciendum cum FREHERO L. III. de Infam. c. 22. n. 15. huiusmodi occiſorem fieri infamem, ſaltem infamia facti ſtatuente. H.

que hominis intereſt, vt ob eundem quispiam puniatur. Vid. *L. 18. D. de Poenir.* Illud enim PHILONIS Iudaei libro, quod deterius potiori inſidietur, [p. 173. A. Ed Pariſ.] *dum turpia cogitamus, vel ſola mentis imaginatione, iam rei ſumus cogitationis*, ad forum diuinum pertinet [2]. Etſi & illa ipſa ex ſola ratione pro veris peccatis habenda, multis ethnicorum ſcriptorum teſtimoniis oſtendit GROTIVS ad Matth. V, 28. Add. BODINVS de Republ. L. IV. c. 7. p. m. 734. Inde exemplum deteſtandae calumniae memoratur [3] apud AMMIANVM MARCELLINVM L. XV. c. 2. de Mercurio quodam: *Qui ſi per quietem quisquam, vbi fuſius natura vagatur, vidiſſe aliquid amico narraſſet, id venenatis artibus coloratum in peius, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo tanquam inexplicabili obnoxius culpae, graui mole criminis pulſabatur. Haec augente vulgatius fama, tantum aberat, vt proderet quisquam viſa nocturna, vt aegre homines dormiſſe ſeſe praeſentibus faterentur externis; moerebantque docti quidam, quod apud Atlanteos nati non eſſent, vbi memorantur ſomnia non videri.* Aſt aliud eſt, quando actus interni cum externis coniuncti aeſtimantur. Nam iſti ad qualitatem, tum etiam ad quantitatem actionum maximum vtique momentum afferunt. Sicuti & ſcelera puniuntur, quae ad aliquem conatum, licet non ad vltimum finem peruenerunt [4]. Vid. GROTIVS in Flor. ſparſ. *ad L. 14. D. ad L. Cornel. de Sicariis.* [5] Deinde nimis quam durum foret, poenis humanis ſubiicere velle minutiſſimos quoque lapſus, quos in iſthac naturae conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere inſtituat. Recte THEMISTIVS Orat. X. cum lapſuum humanorum tres claſſes eſſe dixiſſet, *ἀτύχημα, ἁμάρτημα καὶ ἀδίκημα, caſum, errorem, ac facinus*, ſubiungit, *προσήκει τὸν βασιλέα τὸ μὲν οἰκτείρειν, τὸ δὲ ἐπανορθῶν, μόνον δὲ τὸ ἔσχατον τιμωρεῖσθαι. Oportet principem prioris quidem miſereri, corrigere alterum, poſtremum duntaxat vlciſci.* Conf. Rob. SANDERSON de Iuramenti obligat. praelect. 3. §. 18. Quo facit, quod de Alphonſo Congenſi Rege memorat Hier. OSORIVS L. X. *Quinque libros Luſitanarum legum cum diligenter euoluerit, legum quidem ſapientiam, atque ordinem & diſciplinam Reipublicae laudauit: ſed rebus etiam minutiſſimis leges certas inuentas eſſe, non facile probabat. Itaque hanc legum exactiſſimam diligentiam irridens, de Luſitanis quaeſiuit: quaenam poena eſſet iis, qui in terra pedem ponerent, ſtatuta?* IVLIANVS in Caeſaribus de Probo, [pag. 314. C. Edit. Spanhemii.] *Οὐ γάρ ἐστιν, οὔτε ἵππων, οὔτε βοῶν, ἄρχειν, οὔτε ἡμιόνων, ἥκιστα τῶν ἀνθρώπων μή τι καὶ τῶν κεχαριτμένων αὐτοῖς συγχωροῦντα, ὥσπερ ἔσθ᾽ ὅτε τοῖς ἀσθενοῦσιν οἱ ἰατροὶ μικρὰ ἐνδιδόασιν, ἵν᾽ ἐν τοῖς μείζοσιν ἔχωσιν αὐτοὺς πειθομένους. Non poteſt equis, bobus aut mulis,*

6) Supra L. II. c. 5. §. 15. & L. VI. c. 1. §. 11. H.

§. XIV. 1) *Cogitationis poenam nemo patitur*, L. 15. D. de Poenis. De Placitis Iuris R. huc pertinentibus conferatur GRAVINA in Origg. Iur. Ciu. L. III. p. 419. & ſeqq. & BYNKERSHOEKII Obſeruationes Iuris Ciuilis L. III. c. 10.

2) Vid. Canon. Homicidium 28 Diſt. 1. de Poenit. can. qui viderit. 32. quaeſt. 5. H.

3) Nec melius eſt, quod de Chriſtiano II. Rege Dan. in eius Vita ad A. MDXVI. memorat Ioan. MEVRSIVS. Mori fecit ille Torbernum Oxium, quod confeſſus eſſet, optaſſe aliquando Columbulae copiam ſibi dari; etſi Senatus pronunciaret: *Noxam id ſibi non videri, neque vllam cogitationi poenam legibus ſtatutam eſſe.* Vid. ſupra ad L. I. c. 8. §. 3. H.

4) SENECA IV. Epitom. controu. 7. *Scelera quoque, quamuis citra exitum ſubſederunt, puniuntur.* Vid. infra §. 18. & §. 23. H.

5) *In maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus.* L. 16. D. ad Leg. Cornel. de Sicariis.

mulis, multo minus hominibus imperari, niſi quis aliquid eorum, quibus delectantur, indulſerit; ſicut aliquando aegrotis medici exigua quaedam concedunt, vt in maioribus eos habeant obſequentes. Add. GROTIVS L. II. c. 30. §. 19. Quanquam illud dicto loco non ſatis accurate dictum ſit, *ipſos lapſus vix proprie peccata dici, cum libertatem, quam in ſpecie habere videntur, in ſua generalitate conſiderati non habeant.* Non enim ſequitur: moraliter impoſſibile eſt, vt hominem non aliqua peccata incurſent; ergo iſta peccata quotidianae incurſationis, quae vocant, peccati rationem exuunt. Adiungit IDEM dicto loco §. 20. non eſſe punienda peccata, quae nec directe, nec indirecte ad ſocietatem humanam, aut alterum hominem ſpectant. Nam nullam eſſe cauſam, quare non talia peccata Deo relinquantur punienda, qui & ad ea noſcenda eſt ſapientiſſimus, & ad expendenda aequiſſimus, & ad vindicanda potentiſſimus. Quare ab hominibus punitio talis inſtitueretur plane ſine vtilitate, & proinde mendoſe. Etſi an talia peccata dentur, ſi cogitationes in actum non prodeuntes excipias, merito dubites. Praeterea multis actibus leges ciuiles vim producendae actionis denegant, aut poena humana eoſdem eximunt, ob tranquillitatem ciuitatis, aliaſue rationes, puta, ſi ſplendidior futurus ſit actus, vbi ex intuitu poenae humanae non videatur ſuſceptus, aut ſi non videatur tanti momenti, vt iudices ideo ſint inquietandi, aut ſi obſcuriſſimae ſit res diſceptationis, aut ſi inolitum plane malum citra conuulſionem ciuitatis tolli nequeat, (quo ſpectat epiſtola Tiberii ſuper luxu apud TACITVM A. III. [c. 53.]) aut vt nimia litium multitudo amputetur. Add. SENECA de Clementia L. I. c. 22. Denique & a poena humana eximi, neceſſe eſt illa vitia animi, ex corruptione mortalium communi reſultantia, quae ita frequentia reperiuntur, vt non poſſent non deſtrui ciuitates, ſi poenis humanis in iſta animaduerteretur: quousque in enormes actus non eruperint, vti eſt auaritia, ambitio, inhumanitas, ingratus animus, hypocriſis, inuidia, ſtudium aliis detrahendi, ſuperbia, iracundia, diſcordia, & ſimilia. Quae Saluator noſter ſanctimonia ſuorum praeceptorum potiſſimum eradicare inſtituit. Et hactenus quoque valet illud SENECAE de Ira L. II. c. 31. *Si puniendus eſt, cuicunque prauum maleficumque ingenium eſt, poena neminem excipiet.*

§. XV. NEQVE tamen, ſi qua delicta ſunt idonea, vt in foro humano puniantur, poena neceſſario ſemper eſt exigenda, quin quandoque veniae locus eſſe poſſit [1]. Quicquid quondam Stoici in contrarium tenderent, quorum ſententia exprimitur apud STOBAEVM Serm. XLIV. *φασὶ μηδὲ συγγνώμην ἔχειν μηδενὶ τὸν νοῦν ἔχοντα, dicunt virum prudentem nemini veniam dare.* Ratio eſt, quia *eiusdem hominis ſit veniam dare, & putare eum, qui peccauit, non ſua culpa peccaſſe, cum tamen omnes ex propria malitia peccent: propterea recte dici, veniam non eſſe dandam peccantibus.* Videntur ita velle argumentari: aut ſua culpa quis peccauit, aut non ſua culpa. Si non ſua culpa, non eſt peccatum, cum omne pecca-

§. XV. 1) Hinc ius ignoſcentiae, ſi licet voce GELLII vti, VII. N. A. 3. H.

2) Adiecimus, hanc negatiuam, poſcente ſenſu Praciuit Cl. BARBEYRACVS.

3) Venia eſt poenae meritae, (aut vt inferius AVCTOR loquitur debitae) remiſſio. Sapiens ſecundum Stoicos, nemini ignoſcebat. *Parcit enim Sapiens, conſulit & corrigit. Idem facit, quod ſi ignoſceret,*

peccatum patretur *παρὰ τὴν ἰδίαν κακίαν*, ex propria malitia; adeoque heic venia opus non eſſe. Sin per ſuam culpam, iam ideo veniam adhiberi non poſſe, quod illa vtique conueniat delictis [non [2]] ſpontaneis. Quae ratio manifeſte petit id, quod eſt in principio. Addebant, *οὐκ ἐπιεικῆ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα. Τὸν γὰρ ἐπιεικῆ παραιτητικὸν εἶναι τῆς κατ᾽ ἀξίαν κολάσεως. Virum bonum non eſſe aequum & mitem; mitem enim deprecari & mitigare quam quis meritus eſt poenam. Atqui quibus quis ſit dignus, ea omnino eſſe tribuenda.* Verum alia eſt ratio *ἀξίας*, *dignitatis* ſiue *meriti* ad bonum, & ad malum. Bonum quod alicui debetur, id ipſi recte ſubtrahi nequit. Sed mali eſt natura, (quod ſcilicet non tendit ad vtilitatem eius, cui infertur,) vt citra iniuriam negari queat. Denique tradunt: *Nihil differre, aliquem eſſe mitem, aut putare lege conſtitutas delinquentibus poenas nimium duras eſſe; aut exiſtimare legislatorem indignas poenas praeſcribere.* Sed & haec ratio nihili eſt. Nam non repugnat, poenas lege definitas eſſe iuſtas, & tamen eaſdem quandoque recte remitti. Nam leges in genere definiunt, quae poenae cuique delicto debeantur, non conſideratis peculiaribus circumſtantiis, quae in certa perſona, aut certa Reipublicae conditione quandoque occurrunt. Aſt venia ſingulis indulgetur ob certas rationes, quae hautquidquam in omnibus peccantibus, aut ſemper deprehenduntur. Videatur quoque CICERO pro Muraena, [c. 29.] & SENECA de Clementia in fine, vbi ait: *Venia eſt remiſſio poenae debitae: ſapiens autem quod facere debet, facit* [3]. Sed deceptio latet in vocabulo *debitae*. Si enim intelligas, ei qui peccauit, poenam deberi, id eſt, eum ſine iniuria, aut citra iuſtam querelarum cauſam puniri poſſe, iam non ſequetur: ſi quis non puniat, facere, quod facere non debet. Multa enim recte & licite poſſum facere, quae tamen non ſemper factu mihi ſunt neceſſaria. Deinde vti illud recte non dicitur, delinquenti poenam deberi, quaſi in delinquente haereat aliquod ius, quod per poenam ſit explendum, (nemo enim queritur, poenam ſibi condonatam, niſi forte omiſſis caſtigationibus ad ſolam emendationem ſpectantibus, vbi poſt diſſimulata vitia puerilia ſaepe in virilia ſcelera prorumpitur;) ita & hoc improprium eſt, delinquentem poenam debere, ſeu ad poenam ſuſtinendam aliqua obligatione teneri; cuius ratio ſupra eſt expoſita. Quod ſi autem vocabulum *debitae* ita capiamus, quaſi ſapiens ex obligatione aliqua debuerit poenam exigere, dicendum primo: neminem heic poſſe obligari, niſi cui cuſtodia legum publice vel priuatim ſit commiſſa. Deinde obligatio quae in imperantibus eſt, non ſpectat ipſos delinquentes, ſed totam ciuitatem aut ſocietatem, cuius ſalutem iſthoc quoque modo, poenis improbos coërcendo, promouere debent. Id vbi facere negligunt rectores ciuitatum, nocentibus non inferunt iniuriam, ſed illam obligationem, qua ciuitati tenentur, vtique violant. Aſt vero ſalutem ciuitatis non ſubuerti, ſed quandoque ſtabiliri, venia in loco & tempore adhibita [4], manifeſtum eſt [5].

§. XVI.

ret, nec ignoſcit. SENECA c. l. Add. BVDDEVS in Iurispr. Hiſt. Spec. §. 60. & ſqq.

4) Quo pertinet Ius Aſyli, de quo euolui poſſunt BVDDEVS in Spec. Iurispr. Hiſt. §. 15. & ſqq. & THOMASIVS de Iure Aſyli, legatorum aedibus competente, quae numero XVI. eſt, inter Lipſienſes.

5) Adde Stoicos etiam clementiae locum facere. Hinc

§. XVI. Quod autem Grotivs dicto loco §. 22. tradit, veniae locum eſſe etiam *ante legem poenalem*, id dextre eſt explicandum. Alias enim tralatitium eſt, vbi non ſit lex, ibi nec poenam, nec delictum, nec delicti veniam inueniri. Et lex poenalis eſt, non ſolum vbi certum genus poenae expreſſe definitum eſt, ſed & vbi poenae qualitatem ac quantitatem definire in arbitrio iudicis relinquitur [1]. Heic igitur ſciendum, ſi qua ciuitas iure ſcripto non vtitur, loco legum ciuilium eſſe leges naturales, iuxta quas ius ibi dicitur, & qui eas transgreſſus fuerit, poena arbitraria a iudice coërcetur. Sed & vbi leges ciuiles ſunt conſcriptae, cum tamen omnes modi, quibus humana ſe malitia exſerit, diſerte vix poſſint exprimi, vbique legum ciuilium defectum lex & ratio naturalis ſupplere intelligitur; & qua ſanctio poenalis expreſſa deficit, in arbitrio iudicis eſt poenas definire. Lycvrgvs contra Leocratem, [p. 108. Ed. Wechel.] *Praetermitti ſuper eiusmodi criminibus poenam contigit non per ſocordiam eorum, qui tum ſanxere leges, ſed quod prioribus temporibus nihil eiusmodi acciderit.* Hoc modo intelligitur, qua ratione poena ante legem poenalem locum habeat. Et ex hiſce etiam explicandum eſt illud Ciceronis in Verrem L. I. [c. 42.] *In nulla lege tempus praeteritum reprehenditur, niſi eius rei, quae ſua ſponte ſcelerata ac nefaria eſt, vt, etiam ſi lex non eſſet, magnopere euitanda fuerit.* Quanquam autem in eiusmodi ciuitatibus rectores earundem vtique facultatem habeant malos poenis multandi: non tamen ideo omnes & ſinguli delinquentes ſunt puniendi. Sed hoc dependet ex connexione finium, ob quos poena eſt inſtituta, cum ipſa poena. Quare ſi certo in caſu fines illi morali aeſtimatione non ſint neceſſarii, puta, ſi non videatur conſultum certum aliquod delictum diuulgare; aut ſi fines alii ex oppoſito occurrant non minus vtiles & neceſſarii, puta, ſi ex omiſſione poenae eadem aut maior vtilitas poſſit obtineri; aut denique ſi fines poenis propoſiti alia ratione commodius obtineri poſſint; iam ſane adparet nihil eſſe, quod ad poenam in foro humano praeciſe obliget. Vid. Gratianvs cauſ. 23. quaeſt.

Hinc Seneca ipſe II. de Clement. 7. *De verbo (vt mea fert opinio) controuerſia eſt, de re quidem conuenit.* Conf. §. ſequ. in fine. H.

§. XVI. 1) Supra L. I. c. 6. § 14. H.

2) Quod Ivstinvs Scythis tribuit, quos Graecis opponit, in verbis ſupra iam adductis L. II. c. 3. §. 7. nota 5.

3) *Is, quum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur.* Cicero Orat. pro Sexto Roſc. Amerino c. 25. Ἐρωτηθεὶς διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε, διὰ τὸ ἀπελπίσαι. Diog. Laertivs L. I. §. 59. Ed. Amſt. *Praeterea videbis, ea ſaepe committi, quae ſaepe vindicantur - - - - Summa - - - prudentia altiſſimi viri, & rerum naturae peritiſſimi maluerunt, velut incredibile ſcelus, & vltra audaciam poſitum praeterire, quam, dum vindicant, oſtendere, poſſe fieri. Itaque parricidae cum Lege coeperunt, & illis facinus poena monſtrauit - - - - Periculoſum eſt, mihi crede, oſtendere Ciuitati, quanto plures mali ſint. Pater tuus plures intra quinquennium culleo inſuit, quam omnibus ſeculis inſutos accepimus.* Seneca de Clement. L. I. c. 23.

4) Eodem pertinet, quod praeſtet aliquando videri potius inueniſſe bonos, quam feciſſe: quia fides habita ipſam obligat fidem, & graue eſt conſcientias hominum irritare, qui ſi latere ſe putent, non raro mutantur in melius; ſin deprehenſos ſe ſentiant, malum malo pellere, & infamiam alterius exitio mutare conabuntur. Hoc autem in dubiis Reipublicae temporibus maxime locum habet, *ne animi ſublata ſpe veniae contumacia accendantur, aut ſparſa per multos formidine reuiuiſcant incompoſitis turbines*, vt Ammianvs Marcellinvs loquitur. Vid. Crateri ſermo

quaeſt. 3. c. 18. 24. Primi caſus exemplum ſit in peccato pauciſſimis cognito, cuius proinde publica traductio non ſit neceſſaria, aut etiam damnoſa. Nam multi a peccato ſeſe abſtinent magis ex ignorantia vitiorum, quam amore virtutis [2], qui eiusmodi delicti antea incogniti poena non tam deterrentur, quam per petulantem curioſitatem ad idem patrandum incitantur, ac in vetitum tendunt. Quo ſpectat ratio Solonis, quare legem de parricidio non tulerit, ne non tam prohibere, quam admonere videretur [3]. APVLEIVS Metamorph. L. X. [p. 319. Ed. in vſ. Delph.] *Quod nemo nouit, pene non ſit.* Add. SENECA de Clementia L. I. c. 23. BVSBEQVIVS Ep. 3. *Turcae in occulta flagitia non valde inquirunt, ne locum aperiant calumniae, manifeſta & comperta grauiter puniunt.* Quod non multum abit a conſilio, quod Auguſto circa exactionem poenarum dat Maecenas [4] apud DIONEM CASSIVM L. LII. Secundi caſus exemplum poteſt eſſe in eo, qui bene merita ſua aut parentum maiorumue penſari digna praeſenti culpae opponit. Nam quandoque aeque aut magis Reipublicae proficuum eſſe poteſt, certi generis egregium facinus praemio affici, quam malefactum puniri. Ac non ſuperueniens [5] modo, ſed & antegreſſum [6] beneficium iniuriam adparere non patitur. PROCOPIVS Hiſt. Vandal. L. II. [c. 16.] *Quod perperam actum eſt, id nullo tempore infectum fiat: ſed compenſatum factis eorundem hominum melioribus per honeſtum ſilentium ad obliuionem deducitur.* Tertii caſus exemplum ſit in eo, qui verbis emendatus eſt [7], aut laeſo verbis ſatisfecit, cauitque, vt ad hos fines poena amplius opus non ſit; nec delictum exemplo ſit noxium. SENECA de Ira, L. I. c. 16. *Sapiens dimittit ſaepe eum, cuius peccatum deprehendit, ſi poenitentia facti ſpem bonam pollicetur; ſi intelligit non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod aiunt, animo inhaerere. Dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus* [8]. Ex quibus & hoc obiter adparet, quatenus per transactiones cum accuſatore aut laeſo crimen extinguatur [9]. Nempe regulariter quod accuſatoris aut laeſi priuatim intereſt, iſti remittere poſſunt; quo ipſo tamen non praeiudicatur ei, quod Reipublicae intereſt [10]. Adeoque ſecun-

ſermo ad Alexandrum apud CVRTIVM L. VI. c. 8. PICCARTVS V. Obſ. Polit. 5. FORSTNERVS ad XIV. Ann. 23. Adde de virulentis ſermonibus *Elem. pr. ciuil. part. 2. ſect. 25. §. 17.* H.

5) Verbis SENECAE de Benef. L. VI. c. 6. in f. AVCTOR vtitur, prouti referuntur a GROTIO L. II. c. 20. §. 22. n. 1. Longe tamen alio ſenſu ipſe loquitur SENECA: *Quomodo*, inquiens, *ſi quis ſcriptis noſtris alios ſuperne imprimat verſus, priores litteras non tollit, ſed abſcondit: ſic beneficium ſuperueniens iniuria adparere non patitur.* Vid. nota Cl. BARBEYRACI ad dictum locum Grotii.

6) Vid. locus CICERONIS, qui laudabitur ad §. ſequentem nota 8.

7) *Quisquis vacuus ira, meritam cuique poenam iniungit. Dimittit ſaepe eum, cuius peccatum deprehendit; ſi poenitentia facti ſpem bonam pollicetur; ſi intelligit, non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod aiunt, animo inhaerere. Dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus.* SENECA de Ira L. I. c. 16. p. 20. Ed. Gron.

8) Demipho apud TERENTIVM Phormione:

Quando iam accuſando fieri infectum non poteſt,
Ignoſce: Orat, confitetur, purgat, quid vis amplius? H.

9) Conf. t. t. Pand. de Transactionibus, & NOODTII Diocletianus & Maximianus vna cum loco TACITI iam adducto L. IV. c. 2. §. 9. nota 4. Generalis ceterum eſt regula, qua *priuatorum conuentio non derogat iuri publico.* L. 45. §. 1. D. de R. I. j. l. 27. D. ead.

10) V. ſupra L. I. c. 9. §. 3. & ibi dicta. H.

ſecundum finem poenarum pacta priuatorum tollere poſſunt, non ita tertium. TACITVS A. III. *Sane lentus in ſuo dolore eſſet; Reipublicae iniurias ne condonaret.* Quo etiam referre poſſis delicta, quae vocantur iuuentutis, quibus aequi viri facile veniam indulgent, vbi poſt deſpumatum aetatis feruorem ad frugem reditur. IVVENALIS Sat. 8. [v. 166.] *Quaedam cum prima reſecantur crimina barba* [11]. Add. ARISTOTELES Rhetor. L. II. c. 3. ſub init. Huc ſpectat quoque illud ARRIANI de Exped. Alex. L. VII. *Qui iniuriam accepit, non ita grauiter laeſum ſe iudicat, ſi is qui laeſit, perperam ſeſe feciſſe fateatur: & bona alicui ſpes ſit, ſe non amplius iniuria affectum iri, ſi is, qui affecit, poenitentiam facti ſui prae ſe ferat.* Et talibus in caſibus in veniam magis, quam poenam propendere pars clementiae habetur. Nam quia poena omnis, praeſertim grauior, habet aliquid, quod in ſe ſpectatum non quidem iuſtitiae, ſed caritati ex communi cognatione reſultanti repugnare videtur; inde facile patitur ratio, vt poena ſuperſedeatur. PLVTARCHVS Quaeſtion. Roman. 82. [p. 283.] *Cur magiſtratuum virgae feruntur colligatae, appendentibus & ſecuribus? An ſignum hoc eſt, non debere promtam ſolutamque iram eſſe magiſtratus? An vero quia cunctationem quandam, & moram irae adferunt lente euolutae faſcibus virgae, idque ſaepe nonnullos ad decretae poenae poenitentiam duxit?* IVVENALIS Sat. 6. [v. 220.] *Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa eſt.) Quandoquidem vero vitia alia ſunt ſanabilia, alia inſanabilia; virgae eos corrigunt, qui in melius mutari poſſunt, ſecures praecidunt id, quod corrigi non poteſt.* Aliquando enim maior ac iuſtior caritas quaſi irrefragabiliter poenam poſtulat, ne ex vnius venia multi alii malis onerentur. Nam vni noxio parcere, vt multis innoxiis inde male ſit, crudelis eſt miſericordia. IVLIANVS Miſopogone, [p. 371. Ed. Spanhem.] Ἡ πρὸς τὲς πανέργες καὶ κλέπτας πρᾳότης αὔξει, καὶ τρέφει τὴν ἐν ἀνθρώποις κακίαν. *Lenitas erga nebulones & fures auget & alit inter homines malitiam.* APPIANVS Alexandr. Mithridatico, [p. 250. A. Ed. H. Stephani] Ἀχάριστον ἡ πονηρία συγγνώμης τυγχάνουσα. *Ingrata res eſt malitia, nacta veniam.* Eoque venia non danda, niſi quos malitiae ſuae poenitet. GVNTHERVS Ligurino L. I. [v. 478. & ſeqq.] *Plus ſaepe nocet patientia regis Quam rigor: ille nocet paucis, haec incitat omnes, Dum ſe ferre ſuos ſperant impune reatus.* SADVS Roſar. c. 8. *Ignoſcere laudatum atque virtus eſt; Verum vulneri illius, qui mortales vexat, non inungendum eſt balſamum. An neſcit ille, qui ſerpenti facit miſericordiam, ſe mortalibus iniuriam facere?* IACOBVS Rex Dono regio L. II. pro criminibus, quibus nullo modo ignoſci debeat, habet haec: *Magiam, latrocinium, inceſtum, ſodomiam, veneficium, falſationem monetae, oppreſſionem ſeu vim publicam* [12]. Huc pertinet etiam ſententia Lepidi [13] apud TACITVM A. III. qui ideo cum ſtolido Poëta mitius agendum cenſet, quod *neque ſerua-*

11) *Defenſor culpae dicet mihi: fecimus & nos*
Haec iuuenes: Eſto: deſiſti nempe nec vltra
Fouiſti errorem. Breue ſit, quod turpiter audes,
Quaedam quum prima reſecentur crimina barba
Indulge veniam pueris.
IVVENALIS Sat. VIII. v. 163. & ſeqq.

12) Et maxime delicta aduerſus Reipublicae ſtatum. Quanquam & in his ſummus imperans ad ſe ipſum, & ad illum qui puniendus eſt, reſpicere, nec minus rationem temporis aliarumque circumſtantiarum habere debet. Vid SENECA I. de Clement. 9. vbi elegans conſultatio de Cinna, qui coniurauerat. BACO de Verulamio Hiſtor. Henrici VII. FORSTNERVS ad XII. Ann. TACITVS

ſeruatus in periculum Reipublicae, neque interfectus in exemplum ſit iturus. Hisce caſibus Stoici dicebant, ſapientem *parcere*, non *ignoſcere*. Quaſi vero nobis non liceat cum vulgo ignoſcere vocare, quod illis parcere dicitur. Aut quaſi non ſapiente ſit indignum, ſuper vocabulis ambitioſe diſceptare, vbi de re conuenimus.

§. XVII. Enimvero poſt expreſſam legem poenalem maior videtur difficultas, vt delinquens poena ſoluatur; ſeu facilius venia locum habet, vbi poena eſt arbitraria, quam vbi illa expreſſe legibus eſt definita. Idque non tam eorum ob cauſam, quod par ſit, vt legiſlator ſuis ſe legibus conformem gerat; quam quia auctoritas legum vileſcit, ſi citra grauiſſimam cauſam earundem exſecutio omittitur. Et quia ad peccandum vltro inuitare videtur magiſtratus, qui aequalem aut maiorem cauſam praebeat veniam ſperandi, quam poenam metuendi. Arnobivs L. VII. [p. 216. Ed. Lugd. Bat. B.] *Creſcit multitudo peccantium, cum redimendi peccati ſpes datur: & facile itur ad culpas, vbi eſt venalis ignoſcentium gratia.* Igitur etſi quarumuis legum humanarum vis a voluntate humana pendeat non in origine tantum, ſed & in duratione, non tamen illae tolli aut mutari debent, niſi graui vrgente cauſa; alioquin in regulas prudentiae rectricis impingitur. Imo grauius videtur citra probabilem cauſam legem manentem certis in perſonis non exſequi, quam eandem penitus tollere: cum illic acerbiſſimis querelis occaſio praebeatur, quod aequalia meriti aequaliter non habeantur. Neque minus tamen, vbi iuſta adfuerit cauſa, ſicuti totam legem poſitiuam tollere poteſt ſummus imperans; ita & effectum eius circa certam perſonam, certumue factum tollere, manente de caetero lege. *Summus imperans, dico.* Nam iudicibus pedaneis occini poteſt illud Lysiae [1] Orat. 2. in Alcibiadem. *Si cui mulcta videtur grauis, aut lex ſeuerior; cogitandum erit, vos non vt legem feratis, ſed vt ſecundum leges latas iudicetis, huc veniſſe.* Themistivs Orat. V. *Alia regis, alia iudicis laus ac virtus eſt; huic ſequendae leges, illi interdum etiam corrigendae, earumque ſeueritas ac duritia declaranda; vtpote qui viua ſpiransque lex ſit* [2]. *L. 12. §. 1. Qui & a quibus manumiſſ. L. 1. §. 2. D. Quae ſentent. ſine appellat. reſcind.* Cauſas porro liberandi aliquem a poena poſt legem poenalem Grotivs dicto loco §. 24. facit intrinſecas vel extrinſecas. Intrinſeca cauſa ipſi eſt, quando poena non quidem eſt futura iniuſta, quippe antea rite ſancita & denunciata; ſed tamen dura eſt ad factum comparata. Quamquam ego iudicauerim, ſi poena legibus praeſcripta in vniuerſum ſit nimis dura, totam potius legem eſſe corrigendam, quam vt vni paucisque venia indulgeatur, reliquis iniquae poenae obnoxiis. Quodſi autem in huius vel illius

 facto

citvs 19. & ad XIV. Ann. 50. Leuiores iniurias, etiam ſibi illatas, ſummus imperans ſine noxa condonare poteſt. Vid. *L. vnic. C. Si quis Imperat. maledic.* Cuius ſententiam ſaepe in ore habuiſſe & laudaſſe Eliſabetham Angl. Reginam, teſtis eſt Camdenvs. H.

13) Et Liuiae de Cinna apud Senecam d. l. *Deprehenſus eſt. Iam nocere tibi non poteſt; prodeſſe famae tuae poteſt.* H.

§. XVII. 1) Conf. ſupra not. ad L. V. c. 12. §. 21. H.

2) Γιγνώσκειν [ὁ τοῦ νόμου κύριος] ὅτι ἄλλη μὲν δικαστοῦ, ἄλλη δὲ βασιλέως ἀρετή· καὶ τῷ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τῷ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν καὶ ἀμείλικτον παραθηλύνειν, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις καὶ ἀσαλεύτοις.

facto peculiares circumſtantiae occurrant, quae ipſius atrocitatem, qualem & quantam lex praeſupponit, minuunt, ex ipſa aequitate iudices poenam non quidem penitus tollere, ſed tamen mitigare tenentur. Quo caſu in ipſo facto velut intrinſece haeret cauſa non quidem veniae, ſed poenae temperandae. Igitur potius eſt, vt dicamus, proprie loquendo extrinſecas duntaxat cauſas dari poenam relaxandi; puta meritum aliquod antegreſſum ipſius delinquentis. (Vid. DIODORVS SICVLVS L. XV. c. 11.) aut ipſius maiorum vel propinquorum; vel alia res commendans, vel denique ſpes magna fore, vt peccatum illud inſignibus factis eluatur. CICERO de Inuent. L. II. [c. 35.] *Oportet eum, qui ſibi vt ignoſcatur poſtulat, commemorare, ſi qua ſua poterit beneficia; & oſtendere ea maiora eſſe, quam haec quae deliquerit, vt plus ab eo boni, quam mali profectum eſſe videatur. Deinde maiorum ſuorum beneficia, ſi qua extabunt, proferre. Deinde oſtendere, non odio neque crudelitate feciſſe, quod fecerit, ſed aut ſtultitia, aut impulſu alicuius, aut aliqua honeſta aut probabili cauſa. Poſtea polliceri & confirmare, ſe & hoc peccato doctum, & beneficio eorum, qui ſibi ignouerint, confirmatum omni tempore a tali ratione abſuturum.* Sic multi maiorum ſuorum famae [3] meritisque [4], aut gratioſorum interceſſionibus fuere condonati. Hadrianus in reis poenam pro numero liberorum minuiſſe ſcribitur, apud XIPHILINVM Epit. Dionis. Vid. LIVIVS L. IIX. c. 35. Sic aliqui abſoluti, quod vltimi ex illuſtri ſtirpe forent. Sic Phryne meretrix cum capitis cauſam Athenis diceret, a Lyſia [5] oratore hoc modo fuit liberata, dum veſtem ſuperiorem ipſi detrahit, vt nudum pectus a iudicibus poſſet conſpici. Sic M. Antonius liberauit M. Aquilinum, manifeſtum criminis repetundarum: dum cauſa prope perorata, eum in conſpectu omnium conſtituit, tunicamque eius a pectore abſcidit, vt cicatrices populus Romanus iudicesque adſpicerent, aduerſo corpore exceptas. CICERO in Verrem L. V. [c. 1.] Sic POLYDORVS VERGIL. Hiſt. Anglic. L. XXVI. tradit, quondam in Anglia ob quodcunque praeter maieſtatis crimen non morte, ſed carcere duntaxat perpetuo punitos, *qui legere ſciuerint.* Eoque magis hae cauſae ſufficient, ſi in facto, de quo anquiritur, ratio legis ſaltem particulariter ceſſet. Eſt quippe ratio, quare lex ſit obſeruanda, vniuerſalis quidem, auctoritas & voluntas legislatoris ſummo imperio praediti, quae etiam, vbi nulla alia ratio adparet, ſufficere debet; ſed particularis ratio eſt inſigne aliquod commodum in Rempublicam redundans, aut damnum, quod obſeruata lege declinatur, verbi gratia, ponamus exſiſtere alicubi leges ſumtuarias. Harum ratio generalis eſt voluntas legislatoris: particularis autem, ne inutilibus, & immodicis ſumtibus patrimonia priuatorum exhauriantur. Heic etſi ad ſuſtinendam legis auctoritatem ſufficiat ratio legis vniuerſalis [6]: ceſſatio tamen rationis particularis efficiet, vt facilius, & minori

3) Vide quae de Manlio dicuntur a BVDDEO in Specim. Iurispr. Hiſtor. §. 51. & ſeqq. E quibus adparet, QVINTILIANVM Declam. 310. in fine nimis generaliter dixiſſe, *Quaecunque crimen donari meritis, donari virtuti poteſt.*

4) *Ad beſtias damnatos, fauore populi Praeſes dimittere non debet: ſed ſi eius roboris vel artificii ſint, vt digne Populo Romano exhiberi poſſint. Principem conſulere debet.*

5) Imo potius ab Oratore Hyperide.

6) Vid. ſupra d. c. 12. §. 10. infra h. l. c. 6. §. 11. H.

7) Vide quae diximus ad L. V. c. 4. §. 5.

8) Quae ſit auctoritas eius, qui ſe alterius facto,

nori cum damno auctoritatis legum poena remitti queat; ſi nempe transgreſſori tantae ſint opes, vt iſtis ſumtibus non fatiſcant. Apud rigidos tamen dominos hautquidquam tutum eſt legem aut mandatum negligere ideo tantum, quod particularis ipſius ratio ceſſet. Sicuti apud HERODOTVM Thalia [p. 112. Ed. H. Stephani] gaudebat quidem Cambyſes ſeruato Croeſo; ſed qui eum interficere mandato regis neglexerant, capite poenas dabant [7]. Multum quoque ad veniam impetrandam facit, ſi delictum per ignorantiam ſit commiſſum, non quidem omni culpa carentem, ſed per negligentiam obortam; aut ſi interuenerit imbecillitas animi, non ſine difficultate ſuperabilis. Ad priorem claſſem referri poteſt factum Charondae, qui per imprudentiam gladio accinctus in concionem contra legem abs ſeſe latam acceſſerat. Qui ſane vt gladio incumberet, opus non habebat. Vid. DIODORVS SICVLVS L. XII. c. 19. Simile quid IDEM L. XIII. c. 33. refert de Diocle Syracuſano, qui inter leges ſuas & hoc tulit: *Vt, ſi quis cum armis in forum prodiret, capite plecteretur; nec vllam imprudentiae aut circumſtantiae veniam conceſſit.* Is cum nunciata hoſtium in agrum irruptione, gladio accinctus in forum egrederetur, ac interim tumultu in forum excitato, eodem cum gladio properaret, a priuato monitus ſeipſum transfixit. Etſi miſerationem ipſe conſumſerit, quod in ſua lege imprudentiam ſimilesque circumſtantias non exemerit. Atque iſthaec nequidquam conuelluntur per ea, quae Anton. MATTHAEVS de Criminibus ad L. XLIIX. tit. 19. c. 5. prolixe diſputat. Denique & hoc addendum, vti alias menſuram poenae in foro humano vtilitas ciuitatis metitur; ita & eadem ſaepe veniam indulgeri iubet delinquentibus ob multitudinem. Etſi enim alias a delicto non excuſat paria peccantes allegaſſe [8]. Vid. ISOCRATES laudat. Buſiridis [p. 397.] circa finem [9]: eſt tamen prudentum rectorum prouidere, ne quae ſeruandae ſocietati humanae inuenta eſt iuſtitia, ad ciuitatem euertendam valeat. LVCANVS L. II. [v. 141. & ſeqq. 198. & ſeqq.] *Dumque nimis iam putrida membra recidit, Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt, Qua morbi duxere manus: perire nocentes, Sed cum iam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.* IBID. *Tot ſimul infeſto iuuenes occumbere leto, Saepe fames pelagique furor, ſubitaeque ruinae, Aut coeli terraeque lues, aut bellica clades, Nunquam poena fuit.* CLAVDIANVS de Bello Getico: [v. 120. & ſeqq.] *Cautius ingentes, & proxima cordi Vlcera Paeonia tractat ſolertia curae, Parcendoque ſecat: ferro ne longius acto Irreuocandus eat fictis vitalibus error.* SENECA de Ira, L. II. c. 10. *Neceſſaria venia eſt, vbi totus deſeruit exercitus.* Inde laudem meretur Princeps, qui *Multa metu poenae, poena qui pauca coërcet.* OVIDIVS de Ponto L. I. Ep. [2. v. 127. 128.] Sicut & ſaepe neceſſitas ſubigit praeduras leges moderari, aut plane vt obſoleſcant pati. Apud TACITVM A. [III. c. 25. 28] refertur *de moderanda Papia Poppaea*, ideo quod *multitudo periclitantium gliſceret, cum omnis domus delatorum inter-*

cto, non ſuo defendat? CICERO Orat. in Vatin. c. 6. pag. 243. Ed. Graeuii. Ad quem locum conferendi etiam Auctores, quos adducit Abrahamus.

9) Εἰ γὰρ τῶν μὲν ἀδικημάτων οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν, ὃ μήπω τυγχάνει γεγενημένον. τοὺς δ' ἐφ' ἑκάστοις αὐτῶν ἁλισκομένους μηδὲν ἡγοίμεθα, δεινὸν ποιεῖν, ὅτ' ἂν ἕτεροι ταὐτὰ φαίνονται διαπεπραγμένοι· πῶς οὐκ ἂν καὶ τὰς ἀπολογίας ἅπασι ῥᾳδίας ποιήσαιμεν καὶ τοῖς βουλομένοις εἶναι πονηροῖς πολλὴν ἐξουσίαν κατασκευάσαιμεν. „Prouti difficile eſt, inuenire crimen quod nunquam commiſſum fuerit; ſi eos, qui cuiusuis conuicti fuerint, nihil graue admiſiſſe putaremus, quamprimum alii exemplum eorum ſequerentur, nemini ſane paratiſſima deeſſet excuſatio: id quod malis peccandi praeberet licentiam."

interpretationibus ſubuerterentur. Et quia *altius penetrabant, vrbemque & Italiam, & quod vsquam ciuium, corripuerant, multorumque exciſi ſtatus; & terror omnibus intentabatur.* Natatu quoque digna Tiberii epiſtola apud EVNDEM A. L. III. [cap. 54.] vbi conſultius iudicat, *omittere potius praeualida & adulta vitia, quam hoc aſſequi, vt palam fieret, quibus flagitiis impares eſſemus.* Cum ſatius ſit iisdem *intra animum mederi*, & expectare, donec principes *pudor; pauperes neceſſitas; diuites ſatietas in melius mutet.* Scilicet non eſt homo propter poenam, ſed poena propter hominem. Inde ſi poenam ſecutura foret pernicies eorum, quibus exigendi poenas ius eſt, non magis ad eas ſumendas eſt obligatio, quam ad propriam vitam deſtruendam. Sic ſi gubernator in naui facinus admiſiſſet, nec alterius foret cum copia, omnium vectorem ſalutem deſtrueret, qui poenas ab ipſo exigeret. Sic & multa peccata magiſtratui diſſimulanda ſunt, ex quorum vindicatione ruina Reipublicae procurari poſſet, & quibus maculati homines ad conſeruationem ſtatus noſtri ſunt neceſſarii. Etſi Magiſtratui ſuper peccatorum permiſſione nunquam directe paciſci liceat, aut exinde publicum velut quaeſtum inſtituere. V. 2 Petr. II, 15. [10] Huc referri poſſit, quod in Italia quandoque banuitis veniam publice polliceantur ea lege, ſi caput alterius bauniti afferat; quem morem tamen improbat Henricus STEPHANI Apolog. pro Herodoto. c. 18. eiusque rationem potius Platoni & Ariſtoteli cupiam, quam Chriſtiano probari poſſe dicit; quod ea ratione ſuſpecti inter ſe reddantur iſti nebulones, ne in coetus ſeſe coniungere queant, grauia mala Reipublicae daturos. Contra ſentit Th. MORVS [11] Vtop. L. II.

§. XVIII. CONSEQVENS iam eſt, vt diſpiciamus de taxatione poenarum [1], ſeu quantas poenas cuiuis delicto imponi par fuerit. Vbi praeter ea, quae ſupra *de quantitate actionum* L. I. c. 7. attulimus, obſeruandum, in foro humano delicta potiſſimum aeſtimari ex eorundem obiecto, & prout multum parumue damni in Rempublicam inde redundat; & ex intentione, malitiaque delinquentis, quae per varias coniecturas colligitur. Prout igitur obiectum actionis nobile eſt, & pretioſum, quod violatum fuit, eo grauior quoque, ac deterior habetur actio. Inter iſta porro obiecta vti nobilitate immenſum excellit Deus optimus maximus ita merito prae caeteris maxime deteſtanda habetur actio, quae directe in ipſius contumeliam [2] tendit [3]. Eiusdem autem cultus, in animo praecipue conſiſtens, vti vniuerſae vitae actum temperare debet; ita ipſo volente actiones, queis externus ipſius cultus expromitur, cedunt his, quae inſignem hominibus vtilitatem afferunt, aut graue damnum auertunt, vbi in

10) Quaeri praeterea ſolet, vtrum permitti vel imperari ſingulis poſſit, vt, ſaltem in certis criminum generibus accuſatores agant, prouti hoc locum habebat apud Romanos qua de re videndus HVBERVS de iure Ciuitatis L. III. ſect. 2. c. 4. §. 27. & HERTII Diſſertatio de Herede occiſi vindice, ſect. 4. §. 3. T. III. collect. opuſc.

11) Et recte. Conf. infra c. 6. §. 18. Plane vt nec ille mos Italorum improbandus, vt crimen aliquod detegant, non tantum vim pecuniae promittentium, ſed & ius alios ob crimina extorres domum reuocandi. Vid. ſub exemplo Pauli Seruitae H. GROTIVM L. XVI. Hiſtor. Belgic. ad A. MDCVII. H.

§. XVIII. 1) Quam Papinianus *aeſtimationem* vocat L. Sanctio 41. D. de Poenis. Eſtque vel interna ex ipſo delicto, ſecundum eius quatuor cauſas, finem, obiectum, formam & efficientem: vel extraria ex ſtatu ciuitatis. H.

2) Qua de cauſſa Thales, vnus ſeptem Graeciae ſapien-

In mora periculum eſt. Vid. Lucae XIV, 5. Proximum ab his gradum obtinent, quae vniuerſam hominum ſocietatem tangunt: poſt quae publicum ciuitatis ordinem perturbant. Inde ſequuntur delicta, quae ſingulos homines tangunt. Vbi in foro ciuili primo loco ſtatuitur vita, quae eſt fundamentum omnium bonorum temporalium; tum membra non vitalia, citra quorum vſum vita niſi miſerrima trahi non poteſt; quae pro nobilitate ſui vſus aeſtimantur [4]. Add. ISOCRATES contra Lochitem. Sequuntur illa delicta, quae familias priuatorum quarum fundamentum eſt matrimonium, perturbant, maculantue. Etſi PHILO Iudaeus de Decalogo, & de Specialibus legibus praeceptum de adulterio anteponat praecepto de homicidio [5]. Poſt, quae perdunt aut auertunt alias res expetibiles vitae neceſſitatibus aut commoditatibus inſeruientes; idque vel directe, vel indirecte dolo malo cauſam damni dando. Denique quae famam aut exiſtimationem ciuilem deſtruunt. Circa ſingula horum delictorum primum locum obtinent delicta conſummata, poſtremum, quae ad actus aliquos, non tamen vltimum proceſſerunt; in quibus tanto quodque eſt graulus, quo vlterius proceſſit. Vbi obſeruandum, naturaliter propoſitum & deſiderium facinus aliquod patrandi hautquaquam pari grauitate cum ipſo facinore perfecto cenſeri poſſe: quippe cum longe atrocior ſeſe mali facies animo repraeſentet, quando cominus ad ipſum patrandum acceditur, quaeque adeo obſtinato animi propoſito ſuperanda eſt; quam vbi velut eminus adhuc de facinore cogitatio ſuſcipitur. Quando igitur aliquando voluntas facto aequipollere dicitur, id intelligendum eſt de illa voluntate, quae cum extremo conatu coniuncta eſt, ſic vt inter hanc, & euentum facinoris nulla noua voluntatis operatio locum habuerit, etſi ſucceſſus deſtinatus defecerit, puta, ſi qui telum in aliquem contorquens aberrauerit [6] Th. MORVS Vtop. L. II. *Solicitaſſe ad ſtuprum nihilo minus, quam ſtupraſſe, periculi eſt. In omni ſiquidem flagitio certum deſtinatumque conatum aequant facto: neque enim id quod defuit ei, putant prodeſſe debere, per quem non ſtetit, quominus nihil defuerit.* Sed pleraque mala magis minusue aeſtimantur pro ſubiectorum, quibus inferuntur, diſparitate quoad ſtatum, felicitatem, aut infelicitatem, aetatem, tempora ſeu neceſſitates, peculiarem affectum, quo in peculiare aliquod bonum inclinantur, vel a certa mali ſpecie abhorrent. Neque ſolum conſiderantur, quae ex aliqua actione directe & immediate, ſed & quae probabiliter ſecutura iudicantur; vti in incendio & perfoſſo aggere multorum ſummae calamitates & mortes quoque ſpectandae ſunt. GROTIVS dicto loco §. 30. Inde apud Chinenſes, etiam qui ex negligentia incendium excitaverit, capite plectitur.

§. XIX.

ſapientum dicere ſolebat, periurium tetrius & enormius crimen, eſſe, quam adulterium. Πρὸς τὸν μοιχὸν, ἐρόμενον εἰ ὀμόσει μὴ μεμοιχευκέναι, Οὐ χεῖρον, ἔφη, μοιχείας ἐπιορκία; DIOGEN. LAERT. L. I. §. 36. Ed. Amſt.

3) V. auth. Gazaros C. de Haeretic. & Manichaeis. Nouell. 77. H.

4) *Vnde atrociſſimi delicti reus eſt, quicunque vitam alicui eripuerit, aut membra non vitalia, citra quorum vſum vita niſi miſerrima trahi non poteſt; quae pro nobilitate ſui vſus aeſtimantur.* Ita haec efferri mallet Celeb. interpres Gallicus adſuetus accurationi ſui ſermonis.

5) Peſſime autem Felix ACCOROMBONVS in Annotat. ad II. Rhetor. Ariſtotel. praeceptum de furto illi de adulterio antehabet. Etenim adulterium furtum quoque eſt, ſed non ſimplex, ſacrilegium dictum in L. 30. C. ad L. Iul. de adult. & damnum dat irreparabile: at furtum tantum eſt bonorum externorum, quae reſtitui vel reſarciri poſſunt. H.

6) V. ſupra §. 14. & infra §. 23. H.

§. XIX. Circa intenſionem aut remiſſionem *προαιρέσεως* expendi primo ſolent cauſae, quae ad peccandum homines impulerunt. Vix quiſquam gratis malus [1] eſt [2], aut ſi quem malitia propter ſeipſam delectat, vel etiam ſi quis ex mera petulantia peccet, aut cui *ratio peccandi eſt incredibiliter peccare*, vti loquitur Calpvrnivs Flaccvs Declam. 2. is humanae malitiae extremum gradum attigit. Inde & eſt, quod *nemo impiorum tam audax vnquam fuit, quin aut abnegauerit a ſe commiſſum eſſe facinus, aut iuſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionemque facinoris a naturae iure aliquo quaereret.* Cicero de LL. L. I. [c. 14.] Maxima pars mortalium ad peccandum affectibus ducitur, quorum aliqui impetu quodam animum impellunt ad declinandum praeſens aut imminens malum; qui quidem ad excuſandum aut extenuandum delictum plurimum faciunt. Vnde quae mortis, carceris, magni doloris, aut ſummae egeſtatis cauſa patrantur, maxime excuſabilia videri ſolent. Sic ſapienti Ebraeo fur, quem egeſtas ad furandum ſtimulat, minus turpis, quam adulter pronunciatur. Sic furtum famis cauſa leuius aeſtimabitur, quam ob ſuperfluam auaritiam ſuſceptum: & periurium ex metu mortis conceptum, quam depoſitum lucri cauſa abnegatum. Avctor ad Herennium L. II. [c. 19.] *Maius eſt maleficium ſtuprare ingenuam*, [alii malunt ingenuum] *quam ſacrum legere: quod propter egeſtatem alterum, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat.* Add. Valerivs Maximvs L. VIII. c. 1. in fine. Sic maiorem meretur poenam leno, qui foedum ob lucrum aliis occaſionem libidinandi ſuppeditat, quam cui propria libido ad ſe demulcendum ſtimulos ſubdit [3]. Sic Marcvs Antoninvs L. II. §. 10. recte iudicat, *grauiora eſſe, quae per libidinem, quam quae per iram admittuntur. Nam qui iraſcitur, cum dolore quodam & contractione animi occulta a rationis tramite declinare videtur: qui vero per cupidinem delinquit, quia voluptate vincitur, intemperantior quodammodo, & in peccando effaeminatus videtur.* Libanivs Declam. 23. *Ira ad neceſſitatem vehementius inſtigat, quam amor. Etenim hic dat conſulendi ſpatium, & ſecum loquendi: ira autem perturbato corde prope ad inſaniam commotum adigit, & donec ipſi ſatisfecerit, efferueſcit.* Caeteri affectus tendunt ad bonum aliquod verum aut imaginarium. Inter vera bona quorundam naturae repugnat ad peccandum ducere; vt ſunt virtutes, & earum actiones. Quaedam in ſe quidem bona ſunt, quae tamen peccatis occaſionem praebent, prout

§. XIX. 1) *Nec quiſquam tantum a Naturali Lege deſciuit, & hominem exuit, vt animi cauſa malus ſit.* Seneca de Benef. L. IV. c. 17. *Omnes enim cum minima peccata cum cauſſa ſuſcipiunt, tum vero illa, quae multo maxima ſunt maleficia aliquo certo emolumento ducti ſuſcipere conantur.* Avctor ad Herennium L. II. c. 19.

2) Cicero pro Roſcio: *Si vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur ſine ſpe aut emolumento accedere.* H.

3) Quod exemplum ab hoc loco alienum eſt. Commodius id Avctor retuliſſet in §. 21. l. 24.

4) Vnde dantur crimina, quae in ſe quidem ſpectata parua videntur, & quae talia etiam, quia in rebus exigui pretii committuntur, reapſe ſunt, ſed quae nihilominus pro valde atrocibus habenda ſunt, ſi quis meditetur ingenii indolem eius, a quo perpetrantur. Propter hanc enim eiusmodi offenſio vel talibus admiſſis aequiparanda eſt, in quibus de rebus maximi pretii quaeritur. Idcirco vetus Orator in accuſatione alicuius id vehementer inſectabatur, quod is pauperculis operariis, conductis ad aediculam aedificandam mercedes exſoluturus, ſibi imperare non potuiſſet, quin ſingulis tres ſemi-obulos ſubduceret. Et obſeruat Aristoteles L. I. c. 14. p. 244. Edit.

prout eſt iſtius animus, qui ea poſſidet. Et eorum ſunt quaedam delectantia, ſeu iucunda; quaedam delectantium procurandorum cauſa, quae & vtilia dicuntur. Horum cauſa perpetratum quodque delictum eo iudicatur leuius caeteris paribus, quo magis illud bonum quod quaeſitum fuit, naturae congruit, aut quo difficilius huic eſt illo carere [4]. Bona autem imaginaria ſunt, quibus non niſi ſtoliditas ac vanitas hominum, prauitasque pretium poſuit. Inter quae ſunt vana gloria, ſiue opinio excellentiae prae caeteris, quatenus virtute non fundatur, nec vtilitatis quid adiunctum habet; item vindicta, quatenus nullum niſi laedentis dolorem propoſitum habet. Iſta quo magis a natura abeunt, & quo facilius iis careri poteſt, eo foediora iudicantur delicta ex iisdem patrata. Sed & illud conſtat, grauiora longe eſſe, quae ex errore, quam quae liquida ex ſcientia admiſſa ſunt. Inter errores autem illum grauiorem, in quem quis ex propriorum principiorum & ratiociniorum pertinaci perſecutione deuolutus eſt, quam qui a publicis doctoribus fuit hauſtus. GROTIVS dicto loco §. 29. Id quoque bene ab HOBBESIO Leuiathan. c. 27. obſeruatum; idem contra leges factum, ſi ortum ſit a praeſumtione virium, vel amicorum, vel diuitiarum, quibus peccans fretus miniſtris publicis reſiſtit, maius eſſe crimen, quam ſi ſpe latendi vel fugiendi ortum eſſet. Sique adeo delinquentes *fortem animum praeſtant rebus, quas turpiter audent.* IVVENAL. Sat. 6. [v. 97.] Quia illud eſt coniunctum cum contemtu legum; hoc non item. Add. ARISTOTELES Rhetor. L. I. c. 12. & 14. IDEM Rhetoricor. L. II. c. 3. *Inficiantes & contradicentes magis caſtigamus. Verum aduerſus confitentes iuſte ſe caſtigari, conquieſcimus excandeſcentes* [5]. *Cauſa vero eſt, quod impudentia eſt manifeſta negare: at impudentia eſt deſpicientia & contemtus.* SENECA de Ira L. I. c. 16. *Sapiens nonnunquam magna ſcelera leuius, quam minora compeſcet, ſi illa lapſu, non crudelitate commiſſa ſunt; his ineſt latens, & operta, & inueterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem malo afficiet, ſi alter per negligentiam admiſit, alter curauit, vt nocens eſſet.*

§. XX. SED & hoc magnam proaereſeos intenſionem arguit, ſi praeter communem cauſam, quae quosuis homines a peccato absterrere debet, peculiaris quaedam accedat, fundata in perſona delinquentis, aut eius, in quem delinquitur, aut alia quapiam circumſtantia. Huc facit illud IVVENALIS [1] Satyr.

Edit. Victor. apud quem rem relatam legimus, magis vituperabiles has ſordes eſſe, quam ſi accuſatus in magna aliqua ſumma feſelliſſet: vt contra magis laudabilis ſit, qui grande depoſitum reſtiterit, quam qui fidem ſeruauerit in reddenda exigua ſumma. Ἀδικήματα δὲ μείζονα, ὅσα ἂν ἀπὸ μείζονος ᾖ ἀδικίας. Διὸ καὶ τὰ ἐλάχιστα μέγιστα, οἷον ὁ Μελανώπου καλλίστρατος κατηγόρει, ὅτι παρελογίσατο τρία ἡμιωβέλια, ἱερὰ τοὺς ναοποιούς. Ἐπὶ δικαιοσύνης δὲ τοὐναντίον. Ἔστι δὲ ταῦτα ἐκ τοῦ ὑπερέχειν τῇ δυνάμει, ὁ γὰρ τρία ἱερὰ ἡμιωβέλια κλέψας, κἂν ὁτιοῦν ἀδικήσειεν.

5) Rectius vertas: Placabiliores ſumus. SENECA Agamemnone:

Quem poenitet peccaſſe, pene eſt innocens.

PHAEDRVS L. III. Fabul.

Saepe impetrauit veniam confeſſus reus. H.

§. XX. 1) Et quod eſt apud PLAVTVM Bacchides Act. 5. ſc. 2.

Hi ſenes, niſi fuiſſent nihili iam inde ab adoleſcentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus. H.

Satyr. 8. [v. 140. 141.] *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.* DIO CHRYSOSTOMVS Orat. I. de Regno: *πολὺ μείζων καὶ φανερωτέρα πᾶσιν, ἡ παρὰ τοῦ ἄρχοντος πλημμέλεια. Multo maior, & omnibus apparentior eſt, quae a principe proficiſcitur improbitas.* Poteſt huc quoque adplicari illud PLINII N. H. L. V. c. 1. *Haut alio fidei proniore lapſu, quam vbi falſae rei grauis auctor exiſtit.* Sic idem ſpecie peccatum notorium a ſacerdote commiſſum grauius cenſetur eo, quod ab alio patratum; cum iſte ſuo exemplo ad ſanctimoniam morum aliis praeire debeat. LIBANIVS Declam. 29. *Εἰ δέ τις ἐφ' ἃ τοὺς ἄλλους ἄγειν ἀξιοῖ, τούτων αὐτὸν ὡς πορρωτάτω φυλάττει, τὴν ἐκ τῶν λόγων συμβουλὴν τῇ παρὰ τῶν ἔργων λέλυκε· τῷ μὲν ἀσθενεστέρῳ παρακαλέσας, τῷ κρείττονι ἀποτρέψας. Si quis ab his, ad quae alios impellere vult, quam longiſſime recedit, dictorum conſilium factorum exemplo deſtruxit: dum eo quod eſt infirmius incitat, eo quod potentius exiſtit, auertit.* CICERO de Legibus L. III. [c. 14.] *Non tantum mali eſt peccare Principes, (quanquam eſt hoc magnum per ſeipſum malum,) quantum illud, quod permulti imitatores principum exiſtunt. Quo pernicioſius de Republica merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo, quam peccato nocent.* SENECA Hercule furente, [v. 745. 746.] *Regnantium ſcelera taxantur modo maiore.* TACITVS A. III. *Capito inſignitior infamia fuit, quod humani diuinique iuris ſciens egregium publicum, & bonas domi artes dehoneſtauiſſet.* CICERO Tuſcul. Quaeſt. L. II. [c. 4.] *Vt, ſi Grammaticum ſe profeſſus quispiam barbare loquatur; aut ſi abſurde canat is, qui ſe haberi velit Muſicum, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitae peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitae profeſſus deliquit in vita.* QVINTILIANVS Declam. 3. *Haec conditio ſuperiorum eſt, vt quicquid faciunt praecipere videantur: & pernicioſiſſimus eſt malae rei maximus quisque auctor.* Apud Peruuianos ſub imperio Yncarum grauius plectebatur magiſtratus peccans, quam priuatus; addita ratione, quod ille expreſſe ſit conſtitutus ad iuſtitiam aliis reddendam, & quod ideo ei muneri fuerit admotus, quod probitate putaretur alios praecellere. Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. II. c. 14. Sic grauius afficit ab amico, quam ab hoſte illata iniuria. PETRONIVS, [c. 107.] *Qui ignotos laedit, latro appellatur; qui amicos, paulo minus quam parricida.* Etſi contra apud Celtas grauiorem poenam luebat, qui peregrinum, quam qui ciuem interemerat. Illi enim mors, huic exilium irrogabatur, teſte NICOLAO DAMASCENO de Moribus gentium. Et vice verſa ab hoſte profectum beneficium maius iudicatur, quam ab amico. Vtut

2) Quo loco de voluptate quidem agitur, quam quis ex beneficio, quod in eum confertur, recipit, non autem de valore, aut magnitudine beneficii, conſiderati in ſe. Vid. verſio Gallica Dacieriae. Conſtat e contrario, ſaepe ingratum eſſe beneficium, quod ab inimico proficiſcatur, quoniam, vt ſunt homines, triſte id iis accidit, ſi in iis anguſtiis verſentur, vt hominis, quem oderint, beneuolentia ſibi opus eſſe videant.

3) *Quaedam iniuriae a liberis hominibus factae, leuis nonnullis momenti videntur: enimuero a ſeruis, graues ſunt: creſcit enim contumelia ex perſona eius, qui contumeliam fecit.*

4) *Perſona atrocior iniuria fit, vt cum Magiſtratui, cum Parenti, Patrono fiat,* L. 7 §. 8. D. de Iniur. Perſona *dupliciter ſpectatur: eius qui fecit,*

Vtut TERENTIVS Adelph. Act. 2. ſc. 3. pronunciet: *Abs quouis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas. Verum enimuero id demum iuuat, ſi quem aequum eſt benefacere, is facit* [2]. Sic a ſordido aliquo homine illudi grauius, quam ab aequali aut maiore; Vid. *L. 17. §. 3. D. de Iniur.* [3] a liberis & ſeruis propriis, quam ab alienis. Vid. 2 Samuel. XVI, 11. Sunt quoque delicta, quae ob peculiare officium, quod certae perſonae debebatur, violatum, peculiari nomine notantur [4], & ſingulari foeditate laborare iudicantur. Vti eſt impietas in parentes, inhumanitas in propinquos, ingratus animus in beneficos; quae longe grauiora ſunt, quam ſi quibusuis aliis fuiſſent illata. Facit etiam huc illud LYSIAE Orat. 4. *Seueriores, ô Athenienſes, praebere vos debetis ciuibus, quam peregrinis ſacra polluentibus; quod horum quaſi alienum videatur peccatum, illorum vero domeſticum & inteſtinum.* Denique non parum refert, quo quid loco aut tempore fuerit patratum [5]. Sic idem peccatum in loco publico & coram arbitris commiſſum grauius eſt, quam quod occultare quis ſtudet; tum quod, quae teguntur, ſaltem exemplo minus noceant; tum quod valde intenſa iudicetur fuiſſe malitia eius, qui peccatum ſuum oſtentat, neque honeſtorum hominum conſpectum oculosque veretur. Add. ARISTOTELES Problem. ſect. 29. quaeſt. 14. Si foedius eſt in templo ſtuprum committere, quam in caupona. Sic in conſeſſu iudicum pulſari grauius eſt, quam intra priuatos parietes. Sic qui profeſta die inebriatur, caeteris paribus, minus peccatum admittit, quam qui die precibus peculiariter deſtinato helluatur. Vid. *L. 7. §. 8. L. 9. §. 1. D. L. 17. §. 3. de Iniuriis.* Sic CICERO Philipp. II. [c. 25.] crapulam M. Antonii, ob quam pro tribunali vomuit, grauiter exaggerat. QVINTILIANVS Declam. 252. *Vt pulſatus ciuis iniuriarum aget, ſi magiſtratus erit, maieſtatis crimen obligabit, ſi legatus erit, bello vindicabitur, & iure gentium, & eadem pecunia ſublata ex priuato furtum erit, ex ſacrario temploque ſacrilegium: ſic raptor eius, qui nihil aliud quam virginitatem vltum ibit, X. millia ſoluet, alia erit conditio eius, qui rapuerit in comitiis, qui rapuerit eam, quae ſacerdotium petebat, imo, ne ingratus ſim aduerſus beneficia populi, iam, quantum in illo erat, acceperat.* IDEM Declam. 264. *Petulantia aliis locis mediocrem habeat reprehenſionem. In templo vero, in quo verbis parcimus, in quo animas componimus, in quo tacitam etiam mentem noſtram cuſtodimus, pulſare velut in ſolitudine, velut in ſecreto quodam, non eſt ferendum.* Add. IDEM Inſt. Orat. L. VI. c. 1. DEMOSTHENES aduerſus Midiam: ἐγὼ ὑπ' ἐχθροῦ νήφοντος, ἕωθεν, ὕβρει καὶ οὐκ οἴνῳ ποιοῦντος, ἐναντίον πολλῶν καὶ ξένων καὶ πολιτῶν, ὑβριζόμην, καὶ ταῦτ' ἐν ἱερῷ, καὶ οἷ πολλή μοι ἦν ἀνάγκη βαδίζειν χορηγοῦντι. *Ego ab inimico, ſobrio, mane, contumeliae cauſa, non per ebrietatem, in conſpectu multorum & hoſpitum & ciuium ſum contumeliis affectus, atque inſuper in templo, quo mihi tanquam aedili multa neceſſitas eundi erat.* Add. *L. 16. D.* de

fecit, & eius qui paſſus eſt. Aliter enim puniuntur, ex iisdem facinoribus, ſerui quam liberi: aliter qui quid in Dominum Parentemue auſus eſt, quam qui in extraneum, in magiſtrum, vel in priuatum. L. 16. §. 3. D. j. L. 28. §. 8. D. eod.

5) Tempore [atrocior fit iniuria] *ſi ludis & in conſpectu. nam Praetoris in conſpectu, an in ſolitudine iniuria facta ſit, multum intereſſe ait: quia atrocior eſt, quae in conſpectu fiat.* L. 7. §. 8. D. de Iniuriis. *Sed & ſi in theatro, vel in foro caedit & vulnerat, quamquam non atrociter: atrocem iniuriam facit,* L. 9 §. 1. D. eod. Locus *facit, vt idem vel Furtum, vel Sacrilegium ſit & capite luendum, vel minore ſupplicio.* Tempus *diſcernit emanſorem a fugitiuo & effractorem, vel furem diurnum a nocturno.* L. 16. §. 4. 5. D. de Poenis.

de Poenis. L. 28. §. 8. d. t. Denique & modus atque inſtrumenta facinoris patrati ad idem exaggerandum aut minuendum ideo facere videntur, quod ex illis proacreſcos firmitas aut remiſſio ſaepe colligatur. Hinc grauius iudicatur furtum cum effractione, parietum perfoſſione, aut vbi per inſtrumenta artificioſa clauſtra reſerantur, quam ſi quis per apertas fores in aedes ſe direxerit.

§. XXI. Illvd quoque ad aeſtimationem delictorum non parum facit, quam idonea fuerit perſona ad peccatum aliquod intermittendum. Alii quippe acriori ſunt intellectu praediti ad perſpiciendas rationes, ob quas a delictis eſt abſtinendum, quam alii. Nonnullos quoque acrior, quam caeteros, impetus in certum genus peccati rapit; id quod prouenit ex corporis mixtura ſeu temperamento, ex aetate, ſexu, educatione, & circumſtantiis aliis. Vid. *L. 6. D ad L. Iuliam peculatus.* Nam vtique & pueri, & foeminae, & homines craſſo ingenio a natura praediti, aut alias praue educati diſcrimina iuſti & iniuſti, liciti & illiciti minus habent cognita, inque iis ponderandis parum pollent. Procopivs Hiſt Vandal. L. II. [c. 14.] *Eſt vt rarum, ita ſumme laudabile, ſi quis Herulus pro perfidia & violentia, gentilibus vitiis, honeſta induerit.* Sic in quibus bilis praeualet in iracundiam, in quibus ſanguis dominatur, in Venerem proni ſunt. In alia porro ſtudia ſenectus, in alia iuuentus propendet. Gramondvs Hiſt. Gall. L. XIII. *Raro ſapiunt iuuenes, quorum ſingulare priuilegium eſt, peccare vt liceat.* Libanivs Declamat. 21. *Haec ſunt adoleſcentiae affinia; tranſilire quae ex officio ſunt: ignorare aliquid eorum, quae decora ſunt.* Ibid. Ὅπουπερ ἀνθρώπων γένος, ἐκεῖ καὶ παραίτησις τοῖς νεωτέροις ὁ χρόνος. *Vbicunque genus hominum eſt, ibi quoque iunioribus pro excuſatione eſt* [1] *aetas* [2]. Sic quo propius malum videtur imminere, eo violentiorem metum idem elicit, & cui difficilius queat reſiſti. Sic & vehementius percellit animum recens iracundia, quam diuturno tempore mollita aut digeſta; recens dolor, qui rationem vix audiri ſinit, quam velut depletus atque egeſtus, & quem mora temporis iam fregerit. In vniuerſum autem foedius habetur tranquillo animo ad facinus accedere, quam ab affectibus perturbato. Cicero Offic. I. [c. 8.] *Leuiora ſunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata & praeparata inferuntur.* Philo Iudaeus de ſpecialibus legibus, [p. 791. B. Ed. Pariſ.] dicit, *dimidiatum videri facinus, cui non acceſſit longa deliberatio.* Plato de LL. L. IX. [pag. 931. C. Edit. Wech.] *Maiora ſupplicia illis decet imponere, qui conſulto*

§. XXI. 1) *Fere in omnibus poenalibus iudiciis & aetati & imprudentiae ſuccurritur* L. 107. D. de R. I.

2) Hinc proximi pubertati plerique poena extraordinaria, rariſſime vltimo ſupplicio puniuntur: Vid. Caroli V. Ordinat. Criminal. art. 164. Brvnnemannvs Cent. 4. Dec. 2. & Conſ. 90. Strvvivs c. 19. Obſ. criminal. Obſ. 2. vsque ad 9. Iacob. Gothofred. ad L. III. de Reg. Iur. Wiguleus Hvndivs Bayer. Stammbuch Part. II. ſub Gente Machſſelrain p. 156. vbi notabile exemplum de capitali ſupplicio puero duodecim & puellae tredecim annos natis, ex ſententia Maximiliani Imperator., dictato. H.

3) Conf. Noodtii Probabilia Iuris, in quibus, quae huc pertinent, lectu digniſſima ſunt.

4) Vid. ſupra L. I. c. 7. §. 16. & ibi dicta. & hoc cap. §. 19. H.

5) Νόμος δ' ἴδιος αὐτοῦ [Πιττακοῦ] τὸ τοὺς μεθύοντας, ἂν τυλήσωσι πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας, ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψεν, ὅτι δεῖ μεθύουσιν ἔχειν μᾶλλον· ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον.

6) Vbi Anacharſidi haec lex iuſto durior videtur. Τὸν σὸν ἐκεῖνον τὸν χαλεπὸν φοβεῖτον νόμον, ἐν ᾧ γέγραφας, ἐάν τις ὁτιοῦν μεθύων ἁμαρτάνῃ διπλασίαν, ἢ τῷ

ſalto per iram interfecerunt. Illis contra, qui repente & inconſulta leuiora. ARISTOTELES Nicom. VII. c. 8. *Vnicuique peior videretur, ſi quis aut nihil, aut leuiter cupiens turpe aliquid perpetraret, quam ſi vehementi cupiditate affectus idem faceret: item ſi non iratus, quam ſi iratus verberaret quiſpiam. Quid enim ageret, ſi in affectu eſſet [3] conſtitutus?* [4] Niſi quod circa ebrietatem diuerſum ſtatuebat lex Pittaci, quae extat apud ARISTOTELEM Polit. L. II. c. 10. *Vt ebrii duplo maiorem, quam ſicci poenam luant, ſi quem pulſarint: nam eo quod plures ſint ebrii, quam ſicci, qui petulanter alios laedant, non ad veniam ſpectauit, quae ebriis potius ſit habenda, ſed vtilitatem* [5]. Cuius legis quoque mentio fit apud PLVTARCHVM in Conuiuio VII. ſapientum [6]. [p. 155. F.] Inter delicta autem per affectus excitata, illa minus odioſa ſunt, quae ex affectu per ſpeciem mali accenſo proueniunt, quam ex voluptatis, praeſertim ſuperfluae, deſiderio [7]. Nam & haec mollius animum percellit, & facilius differri, aut aliam per materiam citra iniuriam expleri poteſt. ARISTOTELES Nicom. III. c. 12. Χαλεπώτερον τὸ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τῶν ἡδέων ἀπέχεσθαι. *Difficilius eſt moleſta ſuſtinere, quam a iucundis abſtinere*, IDEM ib. c. 15. *Dolor quidem exturbat, & corrumpit naturam eius, qui eo afficitur; voluptas autem nihil tale facit; magisque ſpontanea eſt: atque idcirco maiori opprobrio proſequenda.* IDEM L. VII. c. 7. Ἧττον αἰσχρὰ ἀκρασία ἡ τοῦ θυμοῦ, ἢ ἡ τῶν ἐπιθυμιῶν. *Minus turpis eſt incontinentia irae, quam cupiditatum.* IDEM Magnorum moral. L. II. c. 6. *Impetus ad voluptatem magis reprehendendus, quam intemperantia ex ira. Nam incontinentia ex ira aegrimonia eſt. Nemo enim iratus non aegreſcit. Sed incontinentia ex concupiſcentia cum voluptate eſt coniuncta. Et idcirco magis vituperabilis, quod non citra petulantiam videatur eſſe.* Similis locus eſt apud ANTONINVM L. II. §. 10. Add. ARISTOTELES Problem. ſect. 29. quaeſt. 16. Denique & hoc intra homines non parum ad poenam leniendam facit, ſi quem neceſſitudines ſuae ad peccandum permouerunt. Vid. *L. 2. D. de Receptator.* Add. GROTIVS dicto loco §. 31.

§. XXII. DENIQVE & illud ſolet conſiderari, primus quis [1], an aliorum exemplo ſeductus, ſemel, an ſaepius deliquerit. Nam qui primus in aliqua ciuitate peccatum exemplo noxium patrat, & illud alios velut docet, grauius vtique peccat [2], quam cui peccantium circumſtans frequentia pudorem minuit [3], VELLEIVS PATERC. L. II. c. 3. *Non enim ibi conſiſtunt exempla, vnde coeperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſime euagandi*

ſibi

ἢ τῷ νήφοντι, τὴν ζημίαν. Sed ad excuſandum Pittacum ſufficit ratio ab Ariſtotele adducta. Vid. etiam DIOGENES LAERTIVS I. 76. ibique interpretes.

7) Praeſertim in Sene CICERO I. de Officiis. *Luxuria vero cum omni aetati turpis, tum ſenectuti foediſſima eſt. Sin autem libidinum intemperantia etiam acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit impudentiorem & adoleſcentiam.* H.

§. XXII. 1) Καὶ ὁ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ᾽ ὀλίγων πεποιηκώς· καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνειν, μέγα. ARISTOTELES Rhetoricorum L. I. c. 14. *Et* [infame eſt] *ſi quod eſt exemplum deforme poſteris traditum, quale libidinis vir Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus.* QVINTILIANVS Inſt. Orat. L. III. c. 7. p. 240. Ed. Lugd. Bat.

2) ARISTOTELES I. Rhetor. 14. *Argis poenam in eum ſtatuunt, qui cauſam legi ferendae dedit, & propter quem aedificatus eſt carcer.* H.

3) Theſprio apud PLAVTVM: *At iam ante fecerunt alii.* Apud TERENTIVM Adelphis Micio: *Iam id peccatum primum magnum, at humanum tamen. Fecere alii item ſaepe boni.* Vid. GELLIVM L. X. N. A. c. 19. PICCARTVM Decad. XVI. c. 3. H.

Digitized by Google

ſibi viam faciunt. (Conf. tamen GELLIVS L. X. c. 19. POLYBIVS Excerpt. legat. 93. c. 5.) Pari modo qui patrat peccatum, quod conſtanter puniri ſolet, grauius peccaſſe cenſebitur, quam ſi multa extent impunitatis exempla: quia in illo maior imperantis & legis contemtus cernitur, quam in hoc. Repetitio autem rarior aut frequentior eiusdem ſpecie actionis eam in ſe meliorem aut deteriorem non reddit; niſi quatenus ea indicio eſt, eandem ex inolita conſuetudine proficiſci. Vid. *L. 28. §. 3. D. de Poenis.* Ant. MATTHAEVS de Crimin. tit. de Furtis §. 9. ſeqq. & ad *L. 48. D. tit. 18. c. 4. §. 27. 28.* Quae cum circa actiones morales maxime attendatur, (quippe cum ex illa ſuſceptae actiones cum plena fere proaereſi fieri intelligantur, quo nomine & vulgo habitus mali actibus peiores dicuntur,) ſatis claret, quare communiter praeſtantior cenſeatur actio bona, quam quis ſaepe antea ediderat, illa, quam nunc prima aut altera vice exercet; & contra, cur mala ſaepius repetita grauior iudicetur, quam quae ſemel aut bis tantum ab eodem fuit commiſſa. Quo poſſis referre legem Iuliani Imperatoris aduerſus mendaces apud LIBANIVM Legatione ad Iulianum: *Si quis eorum, qui mecum conuerſantur, ſemel mentitus fuerit, feram; ſi denuo idem auſus fuerit, id quoque patiar: quod ſi tertio conuictus fuerit, quod vera non dicat, nondum incurrit in odium; verum ſi quarto apponit imponere, prohibitus eſt contubernio.* Peruuiani tamen olim ſub imperio Yncarum omni cura hoc agebant, vt prima delicta punirentur, quod hoc modo impediretur, ne altera aut tertia vice peccari poſſet. Ni enim malae plantae in prima herba opprimerentur, non poſſe non ſegetem prauam inde prouenire. Et vbi non niſi poſt iteratas iniurias poena ſumitur, priuatos vix poſſe ſibi temperare, quin proprio auſu vindictam ſibi faciant, non ſine perturbatione quietis publicae. Garcilaſſus de la VEGA Comm. Reg. L. II. c. 14. Neque obſtat, quod habitus bonus actionem bonam facilitet, malus contra difficultatem a mala actione abſtinendi pariat. Nam labor in comparando habitu bono impenſus facit, ne minoris ſit actio facile, & cum voluptate a bono exercita. Et eo maius eſt odium mali, quod tam ſaepe male agendo effecerit, vt vix aliter quam male poſſit agere; & quod ſaepius peccando pudor plane conſumtus ſit [4]. Scilicet aliquando ignoraſſe, quid vita exigat, hominis eſt: at in iisdem rebus ſaepius aberrare, emotae eſt mentis. Add. Th. BROVVNE de Religione Medici ſect. 41. Nec abſurde ille: *Peccatum illud, quod ſedecim annos natus commiſeras, non idem erit, licet caetera omnia paria ſint, eum quadragenarius fueris. Praeter inueteratum enim nec excuſandum peccandi habitum, omnes tunc veniae impetrandae cauſas nobis praeſcidit iudicii maturitas.* Atque haec omnia in irrogatione poenarum recte obſeruantur [5]. Facilius enim venia donatur, aut leuius plectitur, qui prima vice vſitatum, non enorme delictum patrauerit, quam qui ſaepius ad eundem impegit lapidem. LVCIANVS de Saltatione: Ἱκανόν ἐστιν ἅπαξ μανῆναι, *ſatis eſt ſemel inſaniiſſe.* Quandoque etiam priorum venia

4) TACITVS IV. Annal. 3. de Seiano: *Ferox ſcelerum, & quia prima prouenerant.* ARISTOTELES I. Rhetor. 14. Καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνειν μέγα. *Magnum eſt etiam, eadem in re ſaepe peccare.* H.

5) Vid. pluribus TIRAQVELLVS Libro

venia delictorum a futura emendatione tanquam a conditione ſuſpenditur; quae vbi deficit, cum repetiti illius peccati vindicta antegreſſorum quoque poena ſimul exigitur. Vid. 2 Regum I, 52. II, 23. Vnde & hoc adparet, quo ſenſu verum ſit illud vulgare [6]: *Nunquam creſcit ex poſtfacto praeteriti delicti aeſtimatio* [7]. Quo loco expendi quoque debet, quatenus natura aequum ſit, quod apud Perſas fiebat, teſte HERODOTO in Clio, [c. 13.] vt vita anterior ſimul cum delicto in aeſtimationem veniret, & ſi benefactis illa praeponderaret, veniam delictum obtineret [8]. Id enim proprie ad delicti aeſtimationem intrinſecam non pertinebat. Sicuti nec id obtinuiſſe credimus in delictis atrociſſimis, & in quibus patrantis deſtinata malitia manifeſte adparebat. Sed vti GROTIVS dicto loco §. 30. arbitratur, id locum habebat, ſaltem habere debebat, in his, quibus alioqui non malis ſubito aliqua peccandi dulcedo ſubrepſerat: aut vbi probatio criminis erat illiquida, vita anteacta coniecturam praebebat, an tale quid ab iſto patratum probabile ſit; cum alias nemo repente peſſimus fieri dicatur. Extat tamen exemplum apud HERODOTVM Polymnia, [p. 284. Ed. Gr. H. Steph.] de Sandoce, quem Darius cruci affigi iuſſerat, quod cum ex iudicibus regiis eſſet, iniquam ſententiam ob pecuniam tulerat; ſed cum recordaretur, plura eiusdem beneficia in domum regiam extare, quam peccata, cruce detractum in amicitiam iterum recepit. Huc facit illud CICERONIS pro Sulla, [c. 25.] *Omnibus in rebus, iudices, quae grauiores, maioresque ſunt, quid quisque voluerit, cogitauerit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius, qui arguitur, eſt ponderandum.* Scilicet quia *perinde vt opinio eſt de cuiusque moribus, ita quid ab eo factum, & non factum ſit, exiſtimari poteſt.* IDEM pro Cluentio [9], [c. 25. in fine.] Eamque ob cauſam in iudiciis Romanorum ſolenne erat, vt actores quidem vniuerſam reorum vitam reprehenderent; patroni contra eandem excuſarent, aut excitatis laudatoribus commendarent. Praeſertim cum in iſthac generis humani corruptela iudices humani non ſtatim extirpare ciuem debeant, in quo plus bonae quam malae frugis adpareat. Probe tamen obſeruandum, mores & anteactam vitam grauem praeſumtionem in crimine illiquido in vtramuis partem praebere. Sed vbi quis obiectum crimen liquido diluerit, recte poterit adplicare ſibi illud AVCTORIS ad Herennium L. II. [c. 3.] *Se non de moribus apud cenſores, ſed de criminibus aduerſariorum apud iudices dicere.* Aſt vero vbi quis ab initio bonus totum vitae genus immutauit, illi recte leges duplici nomine iraſcuntur, & quod peccauerit, & quod ex bono malus euaſerit. POLYBIVS L. VII. in Excerpt. Peireſcianis. *Cum vitae inſtitutum priori contrarium eſſet amplexus, ac quotidie malum malo cumularet, conſentaneum erat, vt contrariam de illo opinionem cuncti conciperent.*

§. XXIII. QVAMQVAM autem ex dictis ſatis adparet, vnum delictum altero eſſe grauius, neque in foro humano omnia eadem poena afficienda; fatendum

bro de Poenis temperand. cauſ. 10. n. 3. & 5. H.

6) In *L. 138. §. 1. D. de Reg. iur.* vbi videatur Iacobus Gothofredus. H.

7) *L. 138. §. 1. D. de R. I.*

8) Conf. inſignis locus Lyſiae περὶ τῶν Ἀριστοφ. χρημάτων. H.

9) *Deinde* [in cauſſa coniecturali] *vita hominis ex ante factis ſpectabitur,* [vt probabile fiat.]

tendum nihilominus eſt, & qualitatem & quantitatem praeciſam poenarum humanarum a definitione imperii ciuilis dependere, quam vtilitas cuiusque ciuitatis praecipue moderatur [1]. Quo ſpectat inſtitutum regis Aegyptii Anyſis, qui ſe regnante, neminem morte voluit afficere, ſed pro ſui quemque delicti magnitudine damnabat ad agendam certam menſuram aggerum ad vrbem, vnde quisque erat. Atque ita vrbes ſunt ſublimiores effectae, declinandis incommodis ex inundatione Nili. Apud HERODOTVM Euterpe, [p. 90. Ed. H. Steph.] Add. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 65. Etſi eiusmodi ciuitatum purgamenta in peculiarem deportare locum, & vbi alios contagio non poſſent inficere, potius viſum, Actiſani Rhinocolura condita, apud EVNDEM L. I. c. 60. Neque vero id eſt neceſſarium, vt eadem ſemper inter poenas ſit proportio, quae eſt inter obiecta, per delictum violata; ſed ſingulis delictis ſua velut ſeorſim poena poteſt imponi, prout eſt ex vſu Reipublicae non conſiderato, an par, an vero minor poena ſit impoſita alii delicto, quod in ſe minus, aut maius iſto videtur. Sicuti & PLATO de LL. L. XII. [princ. p. 982. C. Ed. Wech.] eiusmodi legem ſancit: *Si quis aliquid publicum ſuratus fuerit, ſiue paruum, ſiue magnum id ſit, pari ſupplicio puniatur. Nam qui rem paruam ſuſtulit, etſi minori vi, quam qui magnam rapuit, aequa tamen cupiditate furatus eſt. Et qui magnum aliquid inde remouit, vbi ipſe non depoſuerat, is omnino iniquus eſt. Lex igitur non furti paruitate alterum minus, quam alterum puniendum cenſet; ſed eo forſitan intereſſe putat, quod alter ſit inſanabilis, ſanabilis alter* [2]. Inde etiam iudices hactenus quidem aequalitatem in imponendis poenis obſeruare debent, vt aequaliter peccantes aequalia patiantur, nec quod in vno vindicatur delictum, alteri citra grauiſſimam cauſam condonetur: quippe cum eiusmodi inaequalitas perículoſis in Republica turbis materiam ſoleat praebere: & effectu ſuo careat poena, quae non bono publico, ſed priuato affectui data videtur. Illa tamen aequalitas intelligenda duntaxat eſt de illis, qui idem ſpecie delictum commiſerunt, non qui diuerſum. Nam ſaepenumero delicto, quod in ſe leuius videtur, in foro humano grauior eſt poena conſtituta, & vice verſa, prout vſus Reipublicae & arbitrium legiſlatoris tulerit. Super qua inaequalitate reus poſt nequidquam queritur; quippe quam vtique praeſciuit. CALPVRNIVS FLACCVS Declam. 5. *Vbi quid futurum eſt denunciatum, culpa patientis eſt.* Sic verbi gratia, etſi furti crimen in ſe ſit longe leuius homicidio; nullam tamen fur querendi cauſam habet, ſi ipſe, qui cum homicida aequalia non commiſit, aequale tamen ſupplicium cum eodem patiatur. Quanquam & ideo non pauca delicta per ſe inaequalia, aeque morte vindicantur, quia morte grauius inter homines ſupplicium non reperitur; (LYCVRGVS Orat. contra Leocratem, [p. 108.] *Τὸ μὲν γὰρ μέγιστον καὶ ἔσχατον τῶν τιμημάτων θάνατος, maxima autem & extrema poena-*

§. XXIII. 1) Siue ratio, quam vocant, Status. Eliſabetha Angliae Regina crudelitatis nota ab inimicis inuſta; immerito, ſi tempora illa videas & ingenium populi. THVANVS L. CXXIX. ad MDCIII. de ea: *Quod ex neceſſitate ad ſecuritatem publicam, vt res erant, decretum fuit, id crudelitati & ſaeuitiae imputatum.* H.

2) Ἐάν τις τι κλέπτῃ δημόσιον μέγα ἢ καὶ σμικρὸν τῆς αὐτῆς δίκης δεῖ. σμικρόν τε γὰρ ὁ κλέπτων, ἔρωτι μὲν ταὐτῷ δυνάμει, δὲ ἐλάττονι κέκλοφεν· ὅ τε τὸ μεῖζον κινοῦν, οὐ καταθέμενος ὅλον ἀδικεῖ. Δίκης οὖν οὐδέτερον οὐδετέρου ἐλάττονος, ἕνεκα μεγέθους τοῦ κλέμματος, ὁ νόμος ἀξιοῖ ζημιοῦν· ἀλλὰ τῷ τὸν μὲν ἴσως ἂν ἰάσιμον ἔτ' εἶναι, τὸν δὲ ἀνίατον.

poenarum mors eſt,) niſi quod ad eam quandoque breui & facili via, aliquando per lentos ac diros cruciatus peruenitur. OVIDIVS Heroid. Ep. I. 10. [v. 82.] *Mors minus poenae, quam mora mortis habet.* Etſi non deſint, qui celerem mortem miſera vita lenius ſupplicium ducant. Vid. Oratio Caeſaris apud SALVSTIVM Coniurat. Catilinaria. Apud SVETONIVM Tiberio. c. 61. hic *precanti cuidam poenae maturitatem reſpondit: Nondum tecum in gratiam redii.* SENECA Herc. fur. [v. 513.] *Miſerum vita perire, felicem iube.* IDEM Agamemn. [v. 995. 996.] Aeg. *Rudis eſt tyrannus, morte qui poenam exigit.* El. *Mortem aliquid vltra eſt?* Aeg. *Vita, ſi cupias mori.* EVRIPIDES Hippol. Coron. [v. 147.] Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ· *Cita mors optata eſt homini miſero.* Quin & inter ſtultas vulgi opiniones numerat CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 39. n. 11. vindictae nomine alterum occidere; hoc ipſo enim alteri omnem ſenſum tolli, ac omnibus malis ipſum recipi: niſi ſecuritatis noſtrae interſit, inſenſum nobis hominem non eſſe ſuperſtitem. Sic quoque apud PHILOSTRATVM L. I. c. 37. Ed. Olear.] Apollonius eunucho, qui cum pellice regia concubuerat, vitam ſupplicii loco decernit [3]. Aliquando ignominia additur in cadauer [4], aut memoriam. AELIANVS V. H. L. IV. c. 7. quae etiam interdum infligi ſolet, quando nocens dudum rebus humanis fuit exemtus; ſed & iterum aboleri. Vid. SOCRATES Hiſt. Eccleſ. L. VII. c. 44. Quid quod & in poena determinanda nonnihil faciat arbitrium legislatoris, non quidem ita abſolutum, quin ſemper ad vſum ciuitatis reſpicere debeat, vt tamen velut punctum illud poenae reuera ab ipſo dependeat. Accedit, quod tanta eſt quorundam criminum atrocitas, vt etiam extrema poena poſſit affici, qui in minimo gradu eorundem deprehenditur. Add. Ant. MATTHAEI de Crimin. Proleg. c. 1. §. 5. 6. & *ad L. 48. D. tit. 5. c. 3. §. 10. & tit. 18. c. 4.* ZIEGLERVS ad Grot. d. l. §. 39. VALERIVS MAXIMVS L. VI. c. 1. §. 8. *L. 1. §. 2. D. de Extraord. crimin. L. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de Sicar.* [5] *L. 3. §. 1. 2. 3. L. 14. d. t.* PHILO Iudaeus de Confuſione linguarum, [p. 343. C.] *Quamuis aliquis conatus per inſidias alterum interimere fruſtratus eſt, nihilominus homicidii reus eſt, ſicut decernit ſuper hoc caſu ſcripta lex. Si quis, inquit, conatus fuerit proximum ſuum dolo perdere, & ad altare confugerit, abſtractum afficies ſupplicio.* Eadem habentur apud EVNDEM de Specialibus legibus, [p. 791. Ed. Pariſ.] TACITVS H. II. *Qui deliberant deſciuerunt.* Quo ſpectat illud apud PLVTARCHVM Caeſare: Οἱ κολάζοντες οὐ τῆς πράξεως, ἀλλὰ τῆς βουλήσεως τὴν δίκην λαμβάνουσιν. *Aliquando qui puniunt non facti, ſed voluntatis piacula exigunt.* QVINTILIANVS Declam. 372. *Lex mentem punit.* LYSIAS Orat. in Simonem, [c. 12.] *Conſtat noſtrarum legum auctores non ſi quis pugnando alteri caput obtriuiſſet, ideo patria eum pelli voluiſſe; ſed ſi qui dum alium interficere conantur, laedant, quamuis interficere non potuerint, de his tam graues poenas ſumendas eſſe conſti-*

3) Et apud SVETONIVM in Tiberio c. 61. *Mori volentibus vis adhibita viuendi.* H.

4) Dum id vel honeſta ſepultura priuatur, vel ſepultum refoditur. Vid. LYCVRGVS Orat. contra Leocratem. H.

5) *Lege Cornelia de ſicariis & veneficis tenetur - - - qui hominis occidendi furtiue faciendi cauſſa cum telo ambulauerit - - - Diuus* Hadrianus *reſcripſit, eum qui - - - hominem non occidit, ſed vulnerauit vt occidat, pro homicida damnandum.*

conſtituerunt: exiſtimantes, ipſos dare eorum poenas oportere, quae deliberata voluntate perficere conati eſſent. Εἰ καὶ μὴ κατέσχον, οὐδὲν ἧττον τό γε ἐπ' ἐκείνων πεποιῆσθαι. *Quia quanquam propoſitum non erant aſſecuti, feciſſe tamen, quod in ipſis erat.* Add. AELIANVS V. H. L. XIV. c. 27. Iuſto tamen ſeueriores Areopagitae, *qui damnauerunt puerum, coturnicum oculos eruentem; quod id ſignum eſſet pernicioſiſſimae mentis, multisque malo futurae, ſi adoleuiſſet.* QVINTILIANVS Inſt. Orat. L. V. c. 9. SENECA de Beneficiis L. V. c. 14. *Latro eſt, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum iam armatus eſt, & habet ſpoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Apud VELLEIVM PATERCVLVM L. II. c. 8. dicitur de illis, qui C. Catonem ob leue delictum damnauerant: *Magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum: factaque ad conſilium dirigebant, & quid, non in quantum, admiſſum foret, aeſtimabant.* Add. *L. 4. princ. C. ad L. Iul. maieſtatis* [6], & GROTIVS in Flor. ſparſ. ad h. L. In crimine laeſae maieſtatis & proditionis etiam ſola conſcientia ſine aſſenſu, & ſilentio poenam meretur. Exemplum eſt in Thuano apud Beni. PRIOLVM Hiſt. Gall. L. I. c. 6. & Dauide Berchinio apud BVCHANANVM Rer. Scot. L. VIII. Conf. DIODOR. SICVLVS [7] L. XI. c. 54. Quanquam etiam circa poenas regulariter, quantum fieri poteſt, in mitiorem partem eatur [8], & merito damnandus ſit rigor ille Draconis, quem Solon correxit; (vid. PLVTARCHVS Solone. Qualis rigor etiam apud Peruanos adhibebatur, qui omnia fere delicta morte vindicabant, non tam delictum reſpicientes, quam violatum Yncae mandatum, quem Dei in vicem venerabantur, apud GARCILASSVM Comment. Regii L. II. c. 12. 13.) recte tamen poenae exaſperantur, ſi id ſuadeat iuſtior multorum caritas, quorum ſecuritati per nocentium ſupplicia eſt cauendum. Puta, ſi ingens periculum ab eo, qui deliquit, immineat, ni mature coërceatur. Quo facit illud narratum ab Henrico STEPHANO in Praeparat. Apolog. pro Herodoto c. 17. de quopiam, qui cum a rege Galliae ſeptimi homicidii veniam peteret, nec impetraſſet, regi exprobrauit: ſe non niſi primum homicidium patraſſe; reliqua autem regi eſſe imputanda, quippe cum ipſe poſteriora non fuiſſet commiſſurus, ni rex primo veniam dediſſet. Aliquando etiam exemplum eſt ſtatuendum, quo reliquis terror incutiatur, praeſertim vbi praeſto ſint generalia peccandi incitamenta, quae non niſi aſperis remediis coërceri queant; inter quae praecipue ſunt facilitas, & conſuetudo.

6) *Quisquis cum militibus, vel priuatis, vel barbaris ſceleſtam inierit factionem, aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit, de nece etiam virorum illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio noſtro interſunt, ſenatorum etiam, (nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt,) vel cuiuslibet poſtremo, qui nobis militat, cogitauerit: (eadem enim ſeueritate voluntatem caeteris, qua effectum, puniri iura voluerunt) ipſe quidem, vtpote Maieſtatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fiſco noſtro addictis.* L. 5. princ. D. ad Leg. Iul. Maieſt.

7) V. CVRTIVM L. VI. c. 8. de Philota, vbi FREINSHEMIVS in Comment. n. 10. CAMDENVM ad A. MDLXXI. BACONEM de Verulamio Hiſtor. Henrici VII. vbi lex Henrici de conſciis criminis maieſtatis. H.

8) Quod ad alteram partem clementiae pertinet, quum altera poena penitus remittatur, quoties vtilitas publica eam non exigit neceſſario. Vid. GROTIVS L. II. c. 20. §. 36 & PARRHASIANA T. II. p. 182. & ſeqq. Eodem & regula Iuris Ciuilis redit, qua, in interpretatione legum poenalium, aut Iuris dubii partes ſemper mitiores ſequi debemus. *In poenalibus cauſſis benignius*

do. Ob facilitatem [9] lex Ebraea grauius punit furtum de paſcuo, quam de domo. Confer. Exod. XXII, 1. cum 7. & 9. *L. 2. D. de Effractor.* IVSTINVS L. II. c. 2. de Scythis: *Nullum ſcelus apud eos furto grauius* [10], *quippe ſine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus, quid ſaluum eſſet, ſi furari liceret?* Hinc & legibus quarundam gentium grauius iudicatur furtum abs domeſtico, quam ab extraneo commiſſum. Etſi Leges Romanae diuerſum ſtatuiſſe videantur [11]. *L. 11. §. 1. D. de Poenis L. 17. L. 36. §. 1. L. 52. L. 89. D. de Furtis.* Vid. Ant. MATTHAEI de Crimin tit. de Furtis. c. 3. §. 2. 3. Add. ARISTOTELES Problem. ſect. 29. quaeſt. 14. vbi tractatur, quare qui ex balneis eſt furatus, aut ex palaeſtra, aut ex foro, & ſimili loco, morte multetur; qui autem ex domo priuata, furti pretium duplum exſoluat? Vid. *L. 1. D. de Furib. balnear.* & Anton. MATTHAEI de Crim. ad h. t. & de Abigeis. Addantur quoque illa, quibus veneficii crimen exaggerat PHILO Iudaeus de Specialibus Legibus. Huc facit illud CVRTII L. IV. c. 6. de More Perſarum, *arcana regum mira celantium fide. Non metus, non ſpes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus diſciplina regum ſilentium vitae periculo ſanxerat. Lingua grauius caſtigatur, quam vllum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere graue ſit: quod homini facillimum voluerit eſſe natura.* Conſuetudo facti, ſeu vbi aliquod vitium velut in publicos mores abiit, (nam de conſuetudine, quam ſinguli crebris peccatis ſibi contraxere iam dictum,) etſi aliquid de culpa detrahit, poenae tamen acrimoniam ex parte flagitat. TACITVS A. III. [c. 54.] *corruptus ſimul & corruptor, aeger & flagrans animus, haut leuioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit. L. 16. §. vlt. D. de Poenis* [12]. CLAVDIANVS in Eutropium L. I. [v. 11. & ſeqq.]

- - Veteri poſt obruta morbo
Corpora Paeonias nequidquam admoueris herbas:
Non leuiore manu, ferro ſanantur & igni,
Ne noceat fruſtra mox eruptura cicatrix;
Ad viuum penetrant flammae, quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto ſanguine venis
Areſcat fons ille mali; truncatur & artus,
Vt liceat reliquis ſecurum viuere membris.

Hinc accurate monet GROTIVS h. l. §. 35. in iudiciis conſuetudinem peccati

niguius interpretandum eſt, L. 155. §. 2. D. de R. I.

9) Vid. elegans locus CICERONIS, ſupra adductus ad L. V. c. 8. §. 4. in fine.

10) Plane vt hodie apud Tartaros & Ruſſos leuiſſima furta morte puniantur, quia in tuguriolis aut caſis humilioribus fortunae vniusque ſunt poſitae. H. [Quod parum conuenit definitioni furti Tartaricae ſupra a Puſendorfio datae, p. 1079.]

11) Plane vt eaedem ſubuerſionem rei, fidei alicuius & cuſtodiae concreditam, mitius punire ſolebant. *L. tres tutores 55. §. 1. de Admin. tutor.* Apud Venetos autem, cum antea fures domeſtici lege antiquitus inſtituta poena multo leuiore plecterentur, quam ii, qui eandem domum non incolerent, eaque ex re fieret, vti aucta ſeruorum & inquilinorum audacia, omnibus pene in domibus furta exercerentur: maioribus in comitiis lex eſt perlata, qua lege eadem eſſet in ſeruos reliquosque fures contubernales poena conſtituta, idem ius; qua poena quoque iure in alienos exterosque fures animaduertere ciuitatis magiſtratus conſueuerat. Petr. BEMBVM Hiſtor. Venet. L. I. H.

12) *Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quotiens nimium, multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit.*

Digitized by Google

cati facere ad minuendum delictum; quippe cum iudicibus conſiderandum ſit, quantum culpae ſit in ſingulis; quae ſine dubio minor eſt, vbi quis velut torrente ſimilia peccantium fuit abreptus. Sed vbi leges ſunt ferendae, inualeſcens conſuetudo efficit, vt eidem reprimendae poena ſit intendenda; quia leges vtilitatem poenae magis in vniuerſalitate ſpectant. Nihilo minus vbi vitium aliquod ita inualuit, vt propter delinquentium multitudinem poenae exigendae locus non reſtet, niſi per ſupplicia ciuitatem exhaurire velis, aut euertere, Reipublicae neceſſitas legem potius, quam ciuitatem peſſum ire iubet. Vid. Epiſtola Tiberii ſuper luxu apud TACITVM A. III. Scilicet δεῖ πρὸς τὸ δυνατὸν γράφεσθαι τὸν νόμον, εἰ βούλεται χρησίμως ὀλίγους, ἀλλὰ μὴ πολλοὺς ἀχρήστως κολάζειν. *Debet ad id, quod effici poteſt, lex accommodari, dummodo intendat cum fructu paucos, & non multos incaſſum punire.* PLVTARCHVS Solone, [p. 90. A.] Denique ſi neceſſitas Reipublicae exegerit, verbi gratia, ingruente bello, ſi alii idonei deſint, quis dubitet ſtrenuo duci capitis ſupplicium remittere; cum eiusdem opera Reſpublica eo tempore carere nequeat. Quo ſpectat illud dictum Fabricii, ſuffragium ſuum ad conſulatum dantis Cornelio Rufino, bono duci, ſed auaro: *Se malle expilari, quam venire.* Sic poſt cladem Cannenſem dictator Iunius edixit: *Qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniae iudicati in vinculis eſſent; qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniaque ſeſe exſolui iuſſurum.* LIVIVS L. XXIX. c. 14. Add. GROTIVS ad 1 Regum II, 6.

§. XXIV. Ex his igitur manifeſte arbitror conſtare, non dari in foro ciuili iuſtitiam aliquam vindicatiuam, quae certis delictis certam poenae menſuram, per naturam definitam, vtique infligi iubeat: ſed veram poenarum humanarum menſuram eſſe vtilitatem Reipublicae, & prout fines poenarum commodiſſime videntur prouenturi, ita eas per prudentiam ſummi imperii intendi vel remitti; ita tamen vt inſignis circa eandem latitudo occurrat. Igitur iuſto maior illa poena [1] erit, vbi fines poenarum molliori via obtineri poterant: iuſto mitior, cui non ſatis acrimoniae & efficaciae ineſt ad producendos eosdem fines, adeoque ad reprimendam ciuium malitiam, atque internam ciuitatis ſecuritatem procurandam, ſeu quae a delinquentibus contemnitur. Vid. GELLIVS L. XX. c. 1. de L. Veratii petulantia. In illam partem vbi legiſlator peccauerit, a crudelitatis nota non eſt immunis. Vid. HOBBESIVS de Ciue c. 3. §. 11. In hanc vbi inclinauerit, poenas reddit inutiles, ac vitiis liberum velut campum aperit [2]. Cum enim comminatio poenarum voluntatem hominis a libidine peccandi ad normam legis flectere debeat, & vero homines in deliberationibus commoda & incommoda ex eadem re prouenientia velut in bilance ſoleant expendere: facile liquet, vbi commoda aut oblectamenta

§. XXIV. 1) V. les Eſſais de MONTAIGNE L. I. c. 11. p. 309. Edit. Pariſ. in fol. & c. 27. p. 515.

2) Prudenter Fronto Conſul Romanus apud DIONEM CASSIVM L. LXVIII. in Nerua: *Malum eſt eum imperare, ſub quo nemini quicquam licet; peius multo eſt, vbi omnia licent omnibus.* H.

3) V. omnino Pauli SARPII ſiue Seruitae Conſiderationi ſopre le cenſure della Santita di Paolo V. contro la S. R. di Venetia. p. 129. ſequ. H.

§. XXV. 1) *Et omnino, vt in ceteris, ita huiusmodi cauſis, ex perſonarum conditione, & rerum qualitate, & diligenter ſunt aeſtimandae, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſſa poſtulabit.*

Digitized by Google

menta ex vitio aliquo prouenientia damno & dolori per poenam conciliando praeponderant, haut quidquam animum hominis ſat valide a vitiis auerti [1]. Add. IDEM dicto loco c. 13. §. 16. & Leuiath. c. 27. & AVCTOR de Princip. iuſti & decori p. m. 200. & Rich. CVMBERLAND de Leg. nat. c. V. §. 39.

§. XXV. ADDENDVM quoque illud; cum eadem poena non omnes pariter afficiantur, & conſequenter non pariter a peccato abſterreantur; facile patet, tam in poenarum generali deſignatione, quam earundem ad ſingulos adplicatione reſpiciendam eſſe perſonam ipſius delinquentis, & in eadem illas qualitates, quae ſenſum poenae ex aetate, ſexu, ſtatu, opibus, viribus, & ſimilibus minuere aut augere poſſint. V. *L. 4. §. 1.* [1] *L. 12. §. 1. D. de Incendio, ruina, L. vlt. D. de Iniuriis. L. 6. D. de Extraord. crimin. L. vlt. D. de Sepulcro violato. L. 1. §. 3. D. de Abigeis. L. 2. D. de Termino moto. L. 3. §. 5. L. 16. ad L. Corn. de Sicariis L. 1. L. 10. L. 16. §. 3. L. 28. §. vlt. D. de Poenis. L. 1. D. de Fur. balnear. L. 1. §. 1. & vlt. D. de Effractor. L. 3. §. 2. D. Stellion. L. 1. §. vlt. D. ad L. Cornel. de Falſis* [2]. Nam eadem mulcta pauperem onerabit, diuitem non onerabit: & vili poena ignominiam continens leue erit malum, honorato grauiſſimum. Et ſexus virilis, aetasque plena ad ſuſtinendam poenam longe firmior, quam foeminae, aut pueri. Vid. *L. 38. §. 24. L. 39. §. 4. D. ad L. Iul. de Adult. L. 6. D. ad L. Iul. pecul.* [3] *L. 5. §. 3. C. ad L. Iul. maieſt. L. 37. §. 1. D. de Minor. L. 108. D. de Reg. iur.* Add. quoque Ad. OLEARIVS Itin. Perſ. L. III. c. 6. de multa pecuniaria apud Ruſſos, ob illatam contumeliam, quam Biszeſtia ipſi vocant. Apud Mauritanos tamen hodie foeminae ob ſcortationes grauius vapulant, quam mares; quod iſti credant, foeminas plerunque cauſam & illecebras ad libidines praebere. Ex quo tamen non ſequitur, in poenis imponendis obſeruari proportionem geometricam, aut qua BODINVS de Rep. L. VI. c. vlt. ſeſe iactat, harmonicam: ſed reuera non niſi ſimplex heic eſt exaequatio inter delictum & poenam, ad quam rite inueniendam perſonae conditio non parum facit. Quod ſi autem ob eiusmodi qualitates, quae neque ad crimen, neque ad poenae ſenſum aliquid faciunt aequales meritis, inaequales poenae infligantur, ea vitioſa eſt προσωποληψία, abs qua non ſemper leges Romanas abſoluit GROTIVS [4]. Exemplum eius rei quidam afferunt *L. 1. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Vbi maritus, qui vxorem in adulterio deprehenſam occiderit; ſi humilior ſit, perpetuo exilio damnatur, ſi vero in aliqua dignitate poſitus ſit, ad tempus relegatur. Nam ignominia illa per vxorem illata aeque humilem, atque illuſtrem virum poteſt vrere, & aeque moleſtum illi quam huic patria carere. Vid. quoque Edictum Regis THEODORICI c. 91. Add. ZIEGLERVS ad Grot. dicto loco §. 33. Notandum denique & hoc in certo poenae genere apud quasdam nationes pecu-

2) In plerisque tamen legibus hiſce *iniuſta* perſonarum acceptio notatur, quam AVCTOR ipſe paullo inferius reprehendit. Ceterum de diuerſitate poenarum ſecundum differentiam conditionum videatur SPANHEMII Orbis Romanus Exercit. II. c. 24.

3) *Sacrilegii poenam debebit Proconſul pro qualitate perſonae, proque rei conditione, & temporis, & aetatis & ſexus vel ſeuerius vel clementius ſtatuere.*

4) IVVENALIS Satyr. XI.

Namque ibi fortunae veniam damus: Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus. Haec eadem illi
Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur. H.

peculiarem ineſſe ignominiam: EVRIPIDES Helena, [v. 306. & ſeqq.] *αἰχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι, κἀν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομίζεται, σφαγαὶ δ᾽ ἔχουσιν εὐγενές τι, καὶ καλόν. Turpes enim ſunt laquei ſublimes, quia etiam in ſeruis hoc foedum exiſtimatur. Sed caedes habent aliquid generoſi & pulcri.* PLINIVS N. H. L. II. c. 63. *Laquei poena praepoſtera, incluſo ſpiritu, cui quaeritur exitus.* Add. *L. 28. §. 2. D. de Poenis.* Adplicare quoque poſſis huc illud DIONIS CHRYSOSTOMI Orat. ad Alexandrinos, [p. 376. C. Ed. Morell.] *Τὸ μὲν ἐστιν ἀνδρὸς πονηροῦ θάνατος, τὸ δὲ ἀνδραπόδου δυστυχοῦς. Illa viri praui mors eſt, haec autem infelicis mancipii.* Apud HOMERVM Odyſſ. χ. [v. 465. & ſeqq.] Telemachus nequam ancillas non vult extinguere *καθαρῷ θανάτῳ, pura morte*, id eſt gladio, ſed ipſas ſuſpendit. Etſi contra in familia Osmanidarum ſtrangulationis ſupplicium ſit receptum, quod nefas eſſe putent tam nobili ſanguine terram conſpergi. Et ex Ebraeorum ſententia gladio feriri turpius habebatur, quam ſtrangulari, aut lapidari. SELDENVS de I. N. & G. L. VII. c. 6. Sic PHILO Iudaeus in Flaccum indignatur, magiſtratus Iudaeorum & ſenatores Alexandriae eo flagellorum genere caeſos, quo alias viliſſimi Aegyptiorum ſolebant. Huc pertinet illud SENECAE de Conſtantia ſapientis c. 4. *Inuenies ſeruum, qui flagellis quam colaphis caedi malit.* Puto & illam poenam ſat ignominioſam eſſe, de qua eſt in Additamento [1] I. Legis BVRGVND. tit. X. Contra & in quibusdam poenis nonnihil dignitatis ineſſe iudicatur. Quo ſpectat, quod indignationem populo Athenienſi mouit, Hyperbolum viliſſimum hominem oſtraciſmo eiectum. Vid. PLVTARCHVS Alcibiade, [p. 197. B.] ubi ex Platone Comico citantur hi verſus: *Quamuis ſuis ſit digna paſſus moribus, Seipſo tamen non digna, nec ſuis notis. Nam non repertum iſtius eſt cauſa oſtracum.* IDEM Nicia [530. E.] de eodem negotio: *Ἔιναι γάρ τι καὶ κολάσεως ἀξίωμα. Eſſe aliquam & huius dignitatem poenae. Imo vero poenam ducebant decennale exilium Thucydidi, Aristidi, & ſimilibus eſſe. Hyperbolo vero honorem atque occaſionem iactantiae, quod eſſet ob improbitatem ſimiliter atque ſummi viri multatus.* Sic ſolatii inſtar habetur illud, *Aeneae magni dextra cadis.* [6] VIRGILIVS Aen. X. [v. 830.] & ibi de la Cerda.

§. XXVI. NON autem arbitramur neceſſarium, vt in omnibus ciuitatibus eadem delictis poena imponatur, quae in lege Ebraea exprimitur [5]. Idque

5) Apud Romanos ſecuri olim puniebantur ſontes, poſtea etiam gladio; quod ſupplicium (quicquid dicat BARONIVS ad A. CCXXVI.) illo leuius & honeſtius viſum. Ideo in militem animaduerſum a Caracalla, qui Papinianum ſecuri occidiſſet, iuſſus gladio. Vid. Iuſt. LIPSIVS ad XV. Annal. 67. Memorat BACO de Verulamio Sermon. fidel. 37. Sub initiis Reginae Eliſabethae rebellem quendam Hibernum ſupplicationem Deputato obtuliſſe, vt torque lignea, non fune ſuſpenderetur; quia illud rebellibus magis in more erat. Illud addendum, etiam cum exemplo opus, temperandas eſſe poenas. Vere enim BVCHANANVS L. X. Rer. Scoticar. circa extrem. de Iacobi I. Reg. percuſſoribus vltra humanitatis modum crudeliter punitis. *Huius generis ſupplicia vulgi animos non tam a ſaeuitia auocant, quam ad quiduis agendum & patiendum efferant: nec acerbitate tam prauos deterrent, quam aſſuetudine ſpectandi terrorem poenarum imminuunt: praeſertim ſi facinoroſorum animi aduerſus* viui doloris [cruciatus] *indurnerint: apud vulgus enim imperitum confidentia pertinax conſtantis fiduciae plerumque laudem accipit.* Quod THVANI quoque iudicium eſt L. CXXIV. ad A. MDC. Vbi de exquiſitiſſimis ſuppliciis in Pappenſes praeſidiarios, qui defecerant. LIVIVS L. I. c. 28. de Metii Suffetii ſupplicio: *Primum vltimumque illud ſupplicium* apud

que quia iſta pars legis eſt poſitiua, & ciuilis Ebraeorum, ad genium populi iſtius & Reipublicae attemperata. Abs quo cum aliorum populorum ingenia, & rationes Rerumpublicarum in multis abeant, poenas quoque alio modo temperari par fuerit. An vero iſthaec ad capitalem quoque poenam homicidii adplicari debeant, dubitari poteſt; cum ea non vni Iudaeorum populo, ſed vniuerſo humano generi promulgata videatur. Cuiuis ſane poenae ratio patet. Nam cuius tanta eſt malitia, vt occidere homines dolo malo non vereatur, ab illo caeteris nunquam ſatis cautum erit, ni eundem vita exturbent. Quo facit etiam illud ANTIPHONTIS Orat. 15. [p. 93. Ed. Wech.] *Omnia fora ſub dio homicidii iudicia iudicant, ne iudices in eundem locum eant cum impuris manibus, ne actor cauſae homicidii cum homicida eodem tecto vtatur.* Add. LIBANIVS [2] Progymn. loc. com. contra homicidam. Nihilominus ſi homicidae propter tempora Reipublicae poena capitis remittatur [3], non ſtatim contrauenietur praecepto Geneſ. IX, 6. Nam cum omnis poenae determinatio iuris poſitiui ſit, quod ad neceſſitates Reipublicae attemperari par eſt, merito quoque in iſta lege eadem exceptio ſubintelligi poteſt. Conf. GROTIVS ad Matth. V, 40. & ad d. l. Geneſ. Etſi aliqui dicant, illo dicto non tam legem, quam comminationem diuinam contineri, qua Deus declarat, ſe per homines, aut alios caſus tragicos vindictam in homicidas exerciturum, ſi vel maxime ſeueritatem fori humani effugerint [4]. Vid. Actorum XXIIX, 4. Neque illa explicatio, quam GROTIVS L. I. c. 2. §. 5. adfert, exceptionem ex temporibus Reipublicae petitam reſpuit. Add. IDEM in Flor. ſparſ. ad rubr. ad L. Cornel. de Sicar. SELDENVS autem L. IV. c. 1. expreſſe tradit, illud dictum a magiſtris Ebraeorum accipi non pro lege ita lata, vt vltimum ſupplicium ſit neceſſario ſemper homicidii ſceleri irrogandum, ſed pro indicatione diuina atque expreſſa, in ſceleris odium, ex deſignatione poenae grauiſſimae, quam pro re nata, adminiſtrationisque publicae varietate fas eſſet humano generi praeſtituere, irrogareque. Inde etiam Ebraei ob proſelyti domicilii caedem, aliusue gentilis ab illorum aliquo patratam mortis poenam forenſem non irrogabant. Etiam vbi plures Ebraei, aliiue rite circumciſi, congenerem quempiam plagis ſeu iactibus ſic peremiſſent, vt eorum nullus ſeorſim id feciſſet, quod mortem inferre potuiſſet, cuncti liberi erant vltimo ſupplicio ex ſententia forenſi infligendo, quoniam nullus per ſe homicida. Vid. plura dicto loco. Quanquam ego nolim ſuadere, vt

apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit. In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe poenas. H.

6) Conf. Iudic. VIII, 21. IX, 54. Supra L. III. c. 7. §. 5. H.

§. XXVI. 1) Quod Wilhelm. ZEPPERVS L. I. Legum Moſaicar. forenſ explanationis c. 10. Theologos quosdam ſecutus ſtatuit. Conf. H. GROTIVM L. II. de I. B. & P. c. 1. §. 14. H.

2) Electra apud SOPHOCLEM in eius nominis tragoedia, ſi auctores caedis poenas iuſtas (ἀντιφόνους δίκας) non darent, aiebat:

Ἔρροι τ᾽ ἂν αἰδώς, ἁπάντων
τ᾽ εὐσέβεια θνατῶν.

Perierit pudor & omnium
Pietas mortalium.

Apud Graecos tamen heroicis temporibus caedes patrata anni tantum exilio luebatur, vt ex EVRIPIDE Hippolyto diſcimus. V. Henricus VALESIVS ad Excerpta Peireſciana Nicol. Damaſceni p. 66. ſeqq. & ſupra §. 11. H.

3) Exemplo Dauidis Ioabo parcentis 1 Samuelis III, 39. Add. THVANVM L. LXVII. ad A. MDLXXIIX. vbi Hodabendis Perſarum Regis errorem notat. Add. ſupra §. 23. in fine. H.

4) Et verba Dicti, Actorum XXIIX, 4. de eo tantum accipienda ſunt, quod fiat vtplurimum. Vid. CLERICI Commentarius.

re, vt quis circa diſpenſationem iſtius poenae nimis ſit facilis. Neque temere probauerim, quod in conſtitutione quadam Regum Poloniae [5] extat circa poenam homicidii Nobilibus infligendam: *Nos diuini iuris rigorem moderantes.* Add. PHILO Iudaeus de Legibus ſpecialibus. Quo loco etiam tangi debent, quae a multis anxie contra capitalia furum ſupplicia diſputantur. Super quibus videatur ſententia GROTII L. II. c. 1. §. 14. [6] SELDENVS tamen de I. N. & G. L. VII. c. 6. dicit, apud Iudaeos ſupplicia in fures Noachidas fuiſſe capitalia; etſi in Ebraeos ea eſſent mitiora. Apud IOSEPHVM Archaeol. XVI. 1. nimiae ſaeuitiae damnatur lex Herodis, quod perfoſſores parietum, nocturnosque fures deprehenſos peregrinis etiam extra regnum vendi ſtatuerit. Athenis cum in ſimplex furtum dupli poena lege Solonis eſſet conſtituta, ſi res ipſa reciperetur, aut eadem non recepta, decupli; addebatur tamen: *Si quis a Lyceo, aut ex Academia, aut Cynoſarge veſtem, aut laguncnlam, aut quidquam aliud minimi pretii, aut aliquod vaſculum e gymnaſiis aut portubus ſurripuerit, ſupra decem drachmas morte puniendum.* Add. ARISTOTELES Probl. ſect. 29. c. 14. Quid ius Romanum conſtituerit, notiſſimum eſt. Imo IVSTINIANVS Nouell. 134. c. vlt. etiam vetuit ſimplicem furem membro mutilari; cum alias non abſurdum videatur, ea quemque parte puniri, qua peccauerat. Sicuti quondam Alex. Seuerus Notarii, qui falſum cauſae libellum, eumque breuem in conſilio Imperatoris retulerat, digitorum neruos incidi iuſſit, ne vnquam ſcribere poſſet. LAMPRIDIVS Alexandro [7]. [c. 28.] Sic Zaleucus adultero oculum erui voluit, quia primi inceſtant oculi nuptas, & libidinis eſt irritamentum ardentius adſpexiſſe matronam. Sic & lex diuina mulieri manum abſcindi iubet, quae in rixa marito ſuppetias latura, impudenter aduerſarii virilia adprehendiſſet. Sic VVLCATIVS GALLICAN. in Auidio Caſſio [c. 6.] refert, ab ipſo multis deſertoribus crura & poplites eſſe inciſos. Add. CVIACIVS Obſ. L. VII. c. 13. Verum Iuſtinianeae conſtitutionis rationem bene explicat Anton. MATTHAEVS de Criminibus tit. de Furtis. c. 2. nempe cum pleraque furta ex deſidia aut inopia ſuſcipiantur, noluiſſe ipſum fures manuum mutilatione puniri, vt ne amitterent inſtrumenta, medendo ſuo malo neceſſaria, quos potius vi ad opus faciendum adigi par fuerit. In Germania fures ſuſpendi ſanxit FRIDERICVS II. L. II. F. *tit. de pace tenenda*; & poſt Carolus V. Conſtitutione criminali, qui Friderico poteſt videri aſperior, quod pretium argenti decreſcentis neglexerit. Vbi quanquam fatemur, quosdam iudices circa aſſignandum laqueum eſſe plus iuſto liberales, ac melius quandoque conſuli Reipublicae furibus ad opus damnatis, (Vid. HERODOTVS Euterpe, & DIODOR. SICVLVS L. I. c. c. 65. de Rege Aegypti Sabacone,

5) Lectu digna eſt Diſſertatio THOMASII de Iure aggratiandi Principis Euangelici in cauſſis homicidii, & alia de Statuum Imperii poteſtate legislatoria §. 43.

6) Vbi legem ius necis non habere in omnes ciues, ait ex quouis delicto, ſed demum ex delicto tam graui, quod mortem mereatur. Ad quem locum, recte & ordine animaduertit Gronouius, delictum etiam minimum, ſi, ob cauſſas incidentes, ſub capitis poena vetetur, capitale fieri. Sibi enim imputare debere, qui transgrediatur. Quomodo enim alias conſiſteret Imperium militare, in quo minima quoque vetita capite luuntur. Et quantum eſt, in ſe consideratum, veſci de arbore? tamen capitale fuit, quia Deus

cone, qui omnes capitis damnatos ad opus faciendum adplicuit, per eosque multum vtilitatis regioni attulit: & Thomas MORVS Vtopiae L. I. tamen capitale ſupplicium in fures recte conſtitui potuiſſe, nobis certum habetur. Ad rationes quae in contrarium afferuntur, inprimis ab Ant. MATTHAEO dicto loco ex hactenus dictis non difficilis eſt reſponſio.

§. XXVII. DENIQVE nec illud neceſſarium eſt, vt idem quis patiatur, quod alteri intulit, ſeu vt per talionem delicta ſemper vindicentur. Quam ſententiam vulgo tribuunt Pythagoreis, quibus poena definiebatur per ἀντιπεπονθὸς, quaſi diceres, parem paſſionem. Cui fini quoque adducitur illud Rhadamanti: Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη δ' ἰθεῖα γένοιτο. *Si patiatur, quae fecit, iuſtitia recta fuerit.* OVIDIVS de Arte L. I. *Neque enim lex aequior vlla eſt, Quam necis artifices arte perire ſua.* QVINTILIANVS Declam. XI. *Breuiſſima eſt iuſtitia vindictae, cum facinus menſura poenae eſt. Et ſi naturam vltionis reſpicias, optime vindicatur quisque quomodo miſer.* M. SENECA L. V. Controu. Praefat. [p. 276.] *Iuſtiſſima patiendi vice, quod quisque alieno excogitauit ſupplicio, ſaepe expiat ſuo.* POLYBIVS L. XII. in Excerptis Peireſcianis: Πικρὸς γὰρ γεγονὼς καὶ ἀπαραίτητος ἐπιτιμητὴς τῶν πέλας, εἰκότως ἂν καὶ ὑπὸ τῶν πλησίον αὐτὸς ἀπαραιτήτου τυγχάνοι κατηγορίας. *Cum alios ipſe acerbe atque inclementer obiurgare ſoleat, iure merito ab aliis pari inclementia tractabitur.* Iſtud ἀντιπεπονθὸς ARISTOTELES Nicom. V. c. 8. hoc modo abſurditatis arguit. *Si magiſtratum quis gerens percuſſerit, repercutiendus non eſt. Sin autem magiſtratum gerentem quis percuſſerit, non ſolum eſt percutiendus, ſed ſupplicio inſuper afficiendus.* Add. IDEM Magnor. Mor. L. II. c. 34. Circa dicta Exodi XXI, 23. Leuit. XXIV, 50. Ebraeorum doctores communiter tradunt, non rigidam talionem praecipi, ſed potuiſſe etiam tales noxas multa pecuniaria redimi. Vid. BODINVS de Rep. L. VI. c. vlt. qui legem iſtam vnquam in vſu fuiſſe negat, verbi gratia, vt pro crure fracto alteri quoque crus frangeretur. Additur, formulam, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, non eſſe cauillandam; cum iſta quaſi prouerbiali locutione hoc tantum innuatur, poenas delictis proportionatas eſſe debere; ne ſcutica dignum horribili flagello ſectemur; aut ſecures meritum ſcutica, ſoleaue caedamus. Idque vel inde colligi, quod lex diuina neque furtum furto, nec adulterium adulterio, nec vulnus vulnere plectit, ſed furtum duplo quadruploue, adulterium morte, vulnus pecunia. Sed iure diuino reſpectum quoque haberi perſonarum, verbi gratia, ſi quis priuato maledixerit, nihil grauius nominatim cautum reperitur: ſin priuatus principi, aut filiius patri maledixerit, capitale id habebatur. Contra Conſtantinus L'EMPEREVR Babakama c. 8. §. 1. pro

Deus dixerat, quo die ex ea veſceris, morte morieris.

7) Et falſariis Aegyptiaca lex vtramque manum praecidi iuſſit, vt qua quisque corporis parte peccaſſet, haec ad finem vsque irreparabili cum damno & ipſe poenam lueret, & alios poena hae ſua commonefactos ab id genus facinore deterreret. Vt eſt apud DIODORVM SICVLVM L. I. c. 78. Idem iuſſit Claudius apud SVETONIVM c. 9. Populi Darientes furibus amputata brachia de collo eorum ſuſpendebant. Lopez de GOMARA Hiſtor. general. Indiae c. 68. Add. plur. FREINSHEIMIVM Commentar. in Curt. L. V. c. 5. n. 6. H.

pro literali ſenſu iſtorum dictorum pugnat. Quas lites componere non eſt noſtrum. Tandem tamen fatetur, penes iudicem fuiſſe poenam talionis corporalem in pecuniariam pro ratione circumſtantiarum mutare, argumento legis Exodi XXI, 29. 30. vbi alternatio etiam grauioris poenae admittitur. IOSEPHVS Archaeol. IV. 8. *Qui coecauerit quemquam ſimilia patiatur; priuetur, quo priuauerit alios: niſi forte pecunias accipere voluerit, qui coecatus eſt, lege illi dante licentiam, qui paſſus eſt aeſtimare paſſionis ſuae caſum.* Pro talione quoque allegatur Deuter. XIX, 19. Conf. *L. vlt. C. de Accuſ. & inſcript.* [2] *L. vlt. C. de Calumniat. L. 7. C. ad L. Iuliam de vi.* IOSEPHVS Archaeol. IV. 8. *Venenum mortiferum nullus Iſraëlitarum habeat.* (Parem legem Aegyptiorum recitat DIODOR. SICVL. L. I. c. 77.) *Si vero inueniatur quiſpiam hoc poſſidere, moriatur, hoc patiens, quod toleraret ille, contra quem venenum probatur eſſe confectum.* Sed reponi poteſt, has leges minus recte hoc trahi, cum ea calumniantium poena menſuram talionis excedat, pro conatu completo malo repraeſentato, vtut de caetero iſta poena non ſit iniqua. Nam vti eſt apud QVINTILIANVM Inſt. Orat. L. VII. c. 9. *Maledicus a malefico non diſtat, niſi occaſione. Et* DECLAM. 331. *Homicidii genus* videtur *petere ſpiritum hominis, quem occidi non oporteret.* Et recte PLINIVS Panegyr. [c. 35. n. 3.] in calumniatores: *Spectent paria praemio damna, nec maiores ſpes quam metus habeant, timeantque quantum timebantur.* Sic lege diuina diffamator virginis par habebatur vim inferenti. Deuter. XXII, 19. 29. ISOCRATES de Permutatione I, [p. 540. 541.] *Quid calumnia poſſit fieri maleficentius? quae facit, vt de mentientibus bene exiſtimetur, vt plane innocentes iniurii eſſe videantur, vt iudices peierent: quae denique veritatis lucem extinguit, & caligine mendaciorum auditoribus inuolutis, quemuis ciuium per iniuriam interficit.* QVINTILIANVS Declam. 11. *Calumniantium nefas non poteſt niſi per iudicium facinus imponere. Actum eſt de rebus humanis, ſi de criminibus noſtris tantundem mendaciis licet: nec vllus innocens hucusque felix eſt, vt diligentiae fingentium par ſit.* Conſtitut. SICVLAE L. II. c. 14. In L. XII. tabb. ita extat: *Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto.* Super qua lege videnda omnino ſunt, quae Fauorinus, & Sext. Caecilius ICtus diſputant apud GELLIVM L. XX. c. 1. Eam tamen talionem Romae penitus in deſuetudinem abiiſſe ex §. 7. Inſtit. de Iniur. patet. Add. Ant. MATTHAEI de Crimin. tit. de Iniur. c. 2. §. 2. 3. Apud DIODORVM SICVLVM L. XII. c. 17. Lex Charondae apud Thurios lata memoratur: *Si quis alicui eruerit oculum, reo pariter oculum eruito. Sed accidit, vt quis vno captus oculo, alterum quoque per vim illatam amitteret, & ſic facultate videndi prorſus orbaretur. Hic, etſi auctori facinoris vnus contra oculus excuſſus ſit, minus tamen poenae, quam par ſit, illum exſoluiſſe arbitratur. Qui enim ciuem excoecauerit, etiamſi ſat luiſſe pro lege ſcripta videatur, non pari tamen damno affectum contendit. Aequum igitur eſſe, vt illi, qui vno praeditum oculo tota viſione priuarit, ambo ſimul oculi effodiantur, ſi aequalis iniuriae poena luenda ſit. Dolore igitur*

§. XXVII. 1) L. 17. C. de Poenis. H.

2) *Quod committere dicebantur, qui liberos homines, vel alienos ſeruos dolo malo celaſſent, vel ſurripuiſſent* L. vlt. D. ad L. Fab. de Plagiar.

3) Vid. tit. Dig. de Termino moto.

4) Vid. Tit. Dig. de Sepulchro violato.

5) Vid. ſupra L. III. c. 7. §. 11. in fine.

6) In his enim talio vel impoſſibilis, vel idem crimen repetitura erat. H.

7) Quod argumentum inprimis vrget Fauorinus apud GELLIVM dicto loco. H.

igitur & indignitate rei perculſus ille coecus, ad populum de calamitate ſua verba facere auſus tam miſeram conditionem vitae ſuae deplorat; tum vt legem illam corrigant, multitudini ſuadet. Tandem inſerto in funem collo, cum felicem ſuaſionis euentum impetraſſet, lex illa abolita fuit, emendatiorque in eius locum ſurrogata, & ipſe ſtrangulationis necem effugit. Idem refertur a DEMOSTHENE aduerſus Timocratem. ARISTOTELES Rhetor. L. I. c. 7. οὐκ ἴση ζημία, ἄν τις τὸν ἑτερόφθαλμον τυφλώσῃ καὶ τὸν δύ' ἔχοντα. *Non par poena, ſi quis oculum excuſſerit monoculo, & duos oculos habenti.* Add. Petr. GREGORIVS THOLOSANVS Syntagm. L. XXX. a. 10. Quicquid huius ſit, certum eſt, talionem ita crude intellectam non eſſe iuſtam quarumuis poenarum menſuram. Nam primo in plurimis criminibus illa locum plane non habet. Qua enim quis ratione per talionem punire vellet, verbi gratia, adulterium, ſtuprum, foedos concubitus, crimen laeſae maieſtatis, conuicium, calumniam, veneficium, crimen falſi, ſuppoſitionem partus, procurationem abortus, plagium [2], ambitum, inceſtum, ſacrilegium, termini motionem [3], ſepulcri violationem [4], ſtellionatum [5] praeuaricationem, & ſimilia [6]. Ex quo & hoc obiter patet, recte Theodoſium Imperatorem ſuſtuliſſe poenam mulierum, in adulterio deprehenſarum, tunc Romae vſitatam, qua in lupanari concluſis neceſſitas ſcortandi afferebatur, pulſato tintinnabulo, quando turpitudinem iſtam patiebantur. Nam licet tanta contumelia grauiſſimae loco poenae eſſet; tamen quia haec poena citra peccatum exerceri non poterat, peccatum potius auxiſſe, quam ſuſtuliſſe videbatur. SOCRATES Hiſt. Eccleſ. L. V. c. 19. Quanquam fateamur, leges, quae talionem uidentur ſancire, eam duntaxat accommodare ad iniurias ſeu laeſiones corpori illatas. Deinde licet fingamus caſum, quo crimen, quod commiſſum eſt, poenae vice poſſit fungi, & in quo perſonae, locus, tempus, qualitas, cauſa, crimen non eleuant, aut aggrauant: tamen ne ſic quidem ſimplex retaliatio ſatis commoda eſt futura. Ruſticus ruſtico colaphum impegerit in loco priuato. Heic ſi percuſſus alteri colaphum reponere debet, quomodo aequilibrium ſeruari accurate poterit [7]? Add. Lex WISIGOTHORVM L. VI. tit. 4. c. 3. Quod ſi executio ſit a tertio facienda, quomodo iſti conſtare poterit, qualiter libratus prior colaphus fuerit? In multis porro delictis talio nimis grauis erit futura, ſi non diſtinguatur, per imprudentiam, an per malitiam factum quid fuerit, aut ſi perſonarum diſcrimina non obſeruentur, verbi gratia, aliquis dum alteri colaphum infligere vult, gemma acuta, quam in digito geſtabat, oculum ipſi praeter intentionem excuſſit. Duriter ſane cum ipſo ageretur, ſi oculus iterum ſit ipſi exſculpendus. Sic ſi honeſtus aliquis vir baiulo colaphum inflixiſſet, durum nimis foret, ſi & ipſi colaphus ſit reponendus, qui honeſto viro valde ignominioſus eſt, baiulo non item [8]. Denique in pleriſque delictis talionis poena iuſto leuior videtur. Idque contingit peculiariter quidem

ex

8) Πολλαχοῦ γὰρ διαφωνεῖ [τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς] οἷον εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν, οὐ δεῖ ἀντιπληγῆναι. καὶ εἰ ἄρχοντα ἐπάταξεν, οὐ πληγῆναι μόνον δεῖ, ἀλλὰ καὶ κολασθῆναι. ἔτι τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον διαφέρει πολύ. Ius talionis iuſtitiae ſaepe non congruit. Nam ſi magiſtratus aliquis aliquem verberauit, nefas huic eſt, reuerberare. Quodſi e contrario Magiſtratum aliqui, verberauerit, non tantum reuerberari debet, ſed praeterea alio modo puniendus eſt. Praeterea multum intereſt inter id quod voluntarie & quod inuoluntarie fiat.

ex diſparitate perſonarum [9], quae iniuriam intulerunt, aut paſſae ſunt; aut ex diſparitate loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum. In vniuerſum autem rudem illam talionem deſtruunt argumenta a GROTIO dicto loco §. 32. adducta, vbi recte negat illi, qui alteri deliberato & ſine cauſis culpam valde minuentibus nocuit, tantundem nocumenti, & non amplius inferri debere. Add. Apocal. XVII, 6. Nam aequitati repugnat, vt par ſit periculum innocentis & nocentis [10], neque ſatis cauetur ſecuritati hominum, ſi malis non immineat malor metus a legibus, quam bonis a malorum petulantia, quibus inſuper velut lucri adhuc vice eſt ſpes latendi, fugiendi, aut ſeueritatem iudicum quocumque modo euadendi. Quid quod & ſanctiſſimae leges eandem poenam in inchoata, quam in completa ſcelera quandoque ſtatuunt. Vid. Deuter. XIX, 19. Exod. XXII, 9. Edictum regis THEODORICI c. 12. & 50. Memoratu quoque digna eſt lex Indorum, quam refert STRABO L. XV. [p. 710. Edit. Pariſ. 1036. C. Edit. Amſterod.] *Qui membro quempiam orbauerit, non modo talionis poenam ſubit, ſed etiam manu truncatur. Quod ſi quis artifici manum oculumue ademerit, capitale eſt.* Solonis lege, qui alteri vnum oculum eruerat, ei ambo erui debebant, apud Diogenem LAERTIVM Solone. [L. 51. §. 57. Ed. Amſterod.] Sic *L. 1. D. ad L. Cornel. de Sicariis* ea lege tenebatur, qui *occidendi hominis cauſa cum telo ambulauerit* [11]. Cui rei etſi conſequens ſit, vt conſummatis criminibus maior debeat reſpondere poena: tamen quia in foro humano nulla poena morte eſt grauior, eaque iterari nequit, intra eandem neceſſario ſubſiſtitur; additis interdum pro ratione delicti cruciatibus, aut ignominia, quae mortem antecedat, aut ſequatur.

§. XXIIX. SVBIVNGENDVM quoque heic de poenis, quae in foro humano nomine delicti, ab alio patrati, ſolent exigi. Vbi illos quidem, qui reuera de reatu delicti participant, pro ratione influxus ad facinus aliquod puniri poſſe, extra dubium eſt; cum iidem non alienum, ſed proprium delictum luant. Qui autem, & quo ordine de alieno delicto participent, ſupra eſt expoſitum [1]. Add. Iac. GODOFREDI Diſc. ad *L. Quiſquis C. ad L. Iuliam Maieſt. c. 9. & 10.* Illud tamen notandum, inter reſtitutionem damni, & poenam id diſcriminis obſeruari, quod in foro humano facilius quis damnari ſoleat ad refuſionem damni, quam ad poenam ſimul ſuſtinendam; cum facilius imprudentia aut leuior culpa ad poenam deprecandam valeat, quam ad damni dati reparationem. Memorabilis eſt lex Thomae Randulfi, Proregis Scotiae, apud BVCHANANVM Rer. Scotic. L. IX. *Furta, ex belli contagione adhuc frequentia,* vt

9) Nam pictor vel ſcriba dextra minus carere poteſt, quam cantor aut curſor. Luſco oculus magis eſt neceſſarius, quam qui vtrumque adhuc ſaluum habet. H.

10) Cum non pauci ſint eo animo, qui ſe perditos cupiant, modo ſimul inimicum perdant. Atreus apud SENECAM in Thyeſte:

Haec ipſa pollens inclyta Pelopis domus
Ruat in me, dummodo in fratrem ruat. H.

11) Recenſetur ea in nota 4. ad §. 23. Addatur GROTIVS L. II. c. 20. §. 39.

§. XXIIX. 1) L. I. c. 5. §. 14. SENECA IV. Epiſt. Controu. 8. *Aeque dignus eſt poena, qui vi ab alio admota ad lucrum ſuum vtitur, vt ipſe, qui vim adhibet.* H.

2) Vbi an vniuerſitas poſſit delinquere? non vna diſtinctione vtuntur ICti. V. REYGER in Theſaur.

vt compeſceret, legem tulit, vt ruſtici inſtrumenta, ruri colendo comparata, in agris relinquerent: neue noctu domos, aut ſtabula clauderent. Damni dati ſi quod eſſet, pretium damni a praefectis iuridicis peterent: praefecti a rege repeterent. Regi ex bonis latronum deprehenſorum ſatisfieret. Verum circa delicta vniuerſitatum obſeruandum [2], quanquam regulariter decreta, in quae maior pars conſenſit, habeantur pro decretis vniuerſitatis, ſic vt etiam pauci diſſentientes ad iſtorum obſeruationem atque exſecutionem teneantur; (Vid. POLYBIVS L. V. c. 49. in fine. PLINIVS L. VI. Epiſt. 13. *Singulos, integrare, diſſentire fas eſt; peracta, quod pluribus placuit, cunctis tuendum*, tamen ſi agatur de reatu inde reſultante [3], non inquinati intelligentur, niſi qui actu conſenſerunt. Innocens autem erit, qui & ab initio diſſenſerit, & in ſuo diſſenſu conſtanter perſeuerauerit. Vid. Lucae XXIII, 51. Hinc Alexander cum captis Thebis omnes Thebanos ſub corona vendidiſſet, illis libertatem reliquit, qui contradixerant [4] decreto circa exuendam Macedonum ſocietatem. PLVTARCHVS Alexandro, [p. 670. D.] Quin & excuſari, ſaltem in tantum, ſolent, qui cum ab initio diſſenſiſſent, poſt per plures victi decreto vitioſo exſequendo ſtrenuam operam nauant. Sic Graeci memorantur pepercisse Antenori & Aeneae, qui auctores Helenae reddendae fuerant, vtut hic pro patria non ſegniter arma geſſiſſet. Eſt porro & hoc notandum, alia poena affici vniuerſitatem vt talem, alia ſingulos. Singulorum poena interdum eſt mors. Eius vicem in vniuerſitate ſuſtinet eiusdem diſſolutio. Add. Conſtitut. SICVLAE L. I tit. 47. Atque hoc modo ſi ciuitas eſſe deſinat, vſumfructum velut morte finiri dixit MODESTINVS in *L. 21. D. Quib. mod. vſusfr. amittitur.* Singuli quandoque poenae nomine in ſeruitutem abſtrahuntur. Similem poenam patitur vniuerſitas, ſi cum antea ciuitati immediate ſubeſſet, dein alteri ſubordinato corpori, aut ciui ſubiicitur. Denique & ſinguli bonis mulctantur. Vniuerſitati ob delictum publicum publica quoque bona adimuntur, puta muri, naualia, naues bellicae, arma, aerarium, agri publici, priuilegia. Sic Theodoſius publicum delictum Antiochenorum, qui ob indictionem noui tributi ſtatuas Imperatoris in foro ſitas euerterant, puniuit, interdicto ipſis theatri & balneorum vſu; & ademto vrbi nomine metropoleos, quo antea gaudebat. LIBANIVS Orat. XIII. Iisdem Marcus Imp. ſpectacula, & alia ciuitatis ornamenta ſuſtulerat, quae poſtea tamen reddidit. VVLCATIVS GALLICANVS in Auidio Caſſio, [c. 9.] Sic Seuerus Byzantium maxima ex parte diruit, ſimul theatro, thermis, omnique cultu & honore detracto, in vici formam redegit, & Perinthiis adiudicauit, HERODIANVS L. III. c. 6. Sic Conſtantius Imperator Conſtantinopolitanis, qui ipſius ducem Hermoge-

Theſaur. voce ciuitas n. 4. BESOLDVS in Delibat. iur. ex L. III. Digeſtor. quaeſt. 26. Henric. HAHN. ad Weſenb. tit. *Quod cuiusque vniuerſitat. nomin. n. 6.* Paulus SERVITA *Conſiderationi ſopra le cenſure della ſantita di Paolo V. contra la Sereniſſ. Rep. di Venetia.* H.

3) Supra L. VII. c. 2. §. 22. H.

4) Et cum Proceres Sueciae contra Chriſtiernum II. Regem coniuraſſent, Ioanni Praſcio, Epiſcopo Lincopienſi, qui diu cauſam Regis propugnauerat, & tandem aliis accedere coactus, in literis coniurationis ſub interiore cera ſcriptam manu propria ſchedam callide occultauerat, in qua legebatur, quicquid huius admiſiſſet, id ab inuito expreſſum eſſe, id pro innocentia fuit, & inter ſeptuaginta Proceres ipſe vnicus euaſit. Ioannes MEVRSIVS Vita Chriſtierni II. ad A. MDXX. LOCCENIVS L. V. Hiſtor. Suecan. p. 191. H.

mogenem interfecerant, frumenti congiarium gratis antea donatum poenae loco ademit. Apud Socratem [5] Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 13. Etſi in delictis multitudinis & hoc rationis ſit, vt auctores potiſſimum puniantur [6]. Vid. Livius L. XXIX. c. 26. ab init. [7] Inde ad taxanda tam delicta, quam ſupplicia vniuerſitatum, non parum facit illud Qvintiliani Declam. 11. *Perſuadentium vires ſunt, quicquid ciuitas facit: & quodcunque facit populus, ſecundum quod exaſperatur, iraſcitur. Sic corpora noſtra motum niſi de mente non ſumunt, & otioſa ſunt membra, donec illis animus vtatur. Nihil eſt facilius, quam in quemlibet affectum mouere populum. Nulli, cum coimus, ſua cogitatio, ſua mens, aut vlla ratio praeſto eſt, nec habet vlla turba prudentiam ſingulorum, ſiue quod minus publicos capimus affectus, ſiue negligentior eſt, qui ſe non putat ſolum debere rationem; & multi fiducia facimus omnium.* Cicero pro Cluentio, [c. 46.] *Statuerunt ita maiores noſtri, vt ſi a multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perueniret.* Milites apud Tacitvm A. I. [c. 44.] *Puniret noxios, ignoſceret lapſis.* Add. Polybivs L. XI. c. 27. in fine. Et Excerpt. legat. XXVIII. c. 4. Bodinvs de Rep. L. III. c. 7. p. m. 527. ſeqq. Ant. Matthaei de Crimin. ad L. XLVIII. D. tit. 18. c. 4. §. 30. Conſtitut. Sicvlae L. I. tit. vlt. [8]

§. XXIX. Hoc loco quaeſtio oritur: An poena ob delictum vniuerſitatis ſemper exigi poſſit? puta, ſi delictum ante duas aut tres generationes publice ſit patratum. Qui affirmare velit, eo colore vti poſſet, quod quamdiu vniuerſitas duret, illa eadem maneat, mutatis licet ac ſuccedentibus ſibi ſingulis. Quo facit illud Plvtarchi de ſera Numinis vindicta, [p. 559. A.] *Eſt ciuitas res quaedam vnica & continens, animalis inſtar; neque mutationibus ſecundum aetates ſuam exuit naturam, aut ratione temporis aliud fit ex alio: ſed ſemper easdem erga ſe affectiones, & naturae ſuae conſentaneas ſeruat, omnesque eorum, quae publice agit, aut egit cauſas in ſe continet, quamdiu communitas, quae mutuis complexibus deuincit, vnumque corpus efficit, vnitatem ſuam conſeruauerit. Ergo vrbem perdurantem volumus opprobriis maiorum obnoxiam eſſe, quo etiam ſibi gloriam eorum & potentiam vindicat.* Verum rectius iſthaec quaeſtio negatur, ſi de poena humana ſermo ſit. Nam ne in ſingulis quidem hominibus adeo neceſſum eſt antiqua delicta, vti recentia, & velut adhuc flagrantia vindicare. Vnde etiam non citra rationem in iure Romano de praeſcriptionibus criminum traditur [1]. Vid. Anton. Matthaevs de Crimin. L. XLVIII. tit. 19. c. 4. Deinde probe obſeruandum, quod quaedam de vniuerſitate aliqua dicantur primo & per ſe, verbi gratia, habere aerarium, habere leges, iura, priuilegia, quae ſinguli, qui ſunt de iſto corpore, ſua dicere non poſſunt: quaedam autem competunt vniuerſitati, non niſi ex deriuatione a ſingulis: ſeu primo inhaerent ſingulis, & poſt

5) Integrae prouinciae infamatae exemplum eſt in *L. 9. C. Theodoſ. de Indulgent. crimin.* Adde *L. 1. C. Theodoſ. eod.* H.

6) Vid. H. Grotivs L. III. de I. B. & P. c. 11. §. 5. & ad Iudic. VIII, 16. H.

7) *Certabant ſententiis* [Carthagini] *vtrum in auctores tantum ſeditionis - - - - animaduerteretur, an plurium ſupplicio vindicanda tam foedi exempli defectio magis, quam ſeditio eſſet. Vicit ſententia lenior, vt vnde orta culpa eſſet, ibi poena conſiſteret, ad multitudinem caſtigationem ſatis eſſe.*

poſt inde vniuerſitas denominationem accipit. Sic ſocietatem aliquam dicimus doctam, fortem, temperantem [2], bene aut male moratam, quae plurimos ſocios doctos, fortes, temperantes, bene aut male moratos habet; etſi non repugnet, quo minus in ea nonnulii indocti, ignaui, aut intemperantes exſiſtant. Ex hoc genere quoque eſt, ſi dicamus vniuerſitatem aliquam poenas eſſe commeritam. Meritum enim conuenit ſingulis tanquam mentem habentibus, & prout ſcientes volentes agere poſſunt. Non habet autem vniuerſitas vt talis, & quatenus diſtinctum quid a ſingulis concipitur, animum, per quem poſſit edere actiones, meriti primo & immediate capaces, quae quidem a ſingulorum actionibus plane ſint diſtinctae. Ex quo ſequitur, ſiquidem illi ciues, per quos ciuitas meritum contraxit, extincti ſint, neque idem a ſequentibus per actum aliquem fuerit continuatum, ipſum quoque meritum fuiſſe extinctum; ac proinde etiam aptitudinem ad poenam, quae ſine illo recte infligi nequit. Add. GROTIVS L. II. c. 21. §. 8. Equidem PLVTARCHVS dicto loco, ad exemplum diuini Numinis heic prouocat, quod aliquando in poſteris delicta maiorum vindicare legitur. Enim vero de tribunalis diuini proceſſu ad forum humanum argumentum per omnia ducere non licet. Sic & non ſequitur; ſi aequum eſt, poſteros praemia & honores accipere ob merita maiorum: ideo & aequum eſſe, eosdem ob delicta maiorum puniri. Nam beneficii ea eſt materia, vt in quemuis etiam immeritum, & gratis conferri poſſit; poenae non item. Et obſoletum quoque beneficium allegare Romani plauſibile ducebant apud IVSTINVM L. XXVIII. c. 1. vbi hanc rationem afferunt, quare Acarnanum defenſionem contra Aetolos ſuſciperent; quod Acarnanes ſoli quondam aduerſus Troianos, auctores originis ſuae, Graecis auxilia non miſerint. Idem memorat STRABO L. X. Etſi cordatiores facile intelligunt, iſtud iactatum, vt vllus ſaltem color videretur, quare Romani negotiis ad ſe nihil ſpectantibus ſeſe immiſcerent. Ridicula quoque eſt ſententia Mahometis II. ad Pium II. Pontificem: Se mirari, quod Itali foedere iungantur contra ipſum, cum tamen ipſe communem a Troianis originem ducat; & ipſius non minus quam iſtorum interſit ob Hectorem interfectum vlciſci Graecos, quibus nunc Itali faueant contra ipſum. Apud Mich. MONTAIGNE Eſſais L. II. c. 36.

§. XXX. DE caetero firmum manet iſtud: in foro humano ob delictum alienum, de quo nulla ratione quis participauit [1], recte aliquem puniri non poſſe. Sed quia in vita humana videmus ſaepe aliorum delicta occaſionem praebere, vt aliis male ſit; ne quis in errorem inducatur, obſeruandum eſt; primo non omnia, quae homini moleſta, aut damnoſa ſunt, poenarum rationem habere [2]. Qui confiſcatis ob delictum bonis, ad egeſtatem redigitur, poenam patitur. Aſt quam multi naſcuntur, quibus praeter corpus nullum

2) Vid. Fr. HOTMANNI Quaeſtiones illuſtres c. 42.

§. XXIX 1) V. ſupra L. I. c. 9. §. 6. H.

2) ARISTOTELES V. Pol. 9. Εἴπερ γὰρ ἐστιν ἐφ' ἑνὸς ἀκρασία ἐστι καὶ ἐπὶ πόλεως. *Si namque in vno crimen eſt incontinentia, eſt etiam in ciuitate.* H.

§. XXX. 1) Vid. omnino ſupra L. I. c. 5. §. 14. H.

2) Siue effectum poenae diſtinguendum a poena ipſa. H.

lum patrimonium? Quam multi incendio, naufragio, incurſu hoſtium omnia ſua amittunt; quibus ſua egeſtas non poena humana, ſed fatale malum, aut vt alii loquuntur, infortunium eſt. Vnde, verbi gratia, quae ob delicta principum ſubiecti mala ſentiunt, eadem conſiderare debent, tanquam incommoda alia, mortalium conditionem iam comitantia, vti ſunt imbecillitas corporis, aegritudo ſenii, intemperies aëris, ſterilitas, & ſimilia.

§. XXXI. Deinde ſciendum, aliud eſſe damnum directe datum, aliud quod tantum per conſequentiam venit. Illud eſt, quando alicui aufertur, ad quod ius proprie dictum iam habebat. Hoc autem vocatur, per quod intercipitur conditio, ſine qua iſte ius non erat habiturus. Exemplum extat in *L. 24. §. vlt.* [1] *L. 26. D. de Damno infecto* [2]. *L. 63. D. ad L. Falcidiam.* Sic quando parentum bona confiſcantur, ſentiunt inde incommodum quidem & liberi. Sed id proprie non eſt poena reſpectu liberorum; quia bona illa ipſorum futura non fuerant, niſi a parentibus ad vltimum ſpiritum forent conſeruata: adeoque confiſcatio duntaxat intercipit conditionem, citra quam liberis ad paterna bona nullum ius proprie dictum competebat. Vid. *L. 3. D. de Interdict. & relegat* [3]. Etſi legem Mogaldi regis Scotiae, *vt damnatorum bona fiſco addicerentur, nullam in partem liberis & vxoribus admiſſis,* iniquam ac inhumanam non immerito vocet Bvchananvs Rer. Scotic. L. IV. Add. Grotivs L. II. c. 21. §. 10.

§. XXXII. Deniqve & illud notandum, interdum imponi alicui aliquid mali, aut auferri aliquid boni occaſione quidem alterius peccati, aut quod alter ſuae obligationi non ſatisfecit: ita tamen vt peccatum illud, aut defectus impletae obligationis non ſit propria & proxima cauſa, cur iſte malum patiatur, neque alteri directe ex eodem peccato ius naſcatur, quare iſtum recte poſſit malo multare. Sic fideiuſſores ſaepe aliquid damni patiuntur, debitore, pro quo interuenerunt fidem violante. Aſt proxima cauſa obligationis, quare fideiuſſor alienum debitum luere teneatur, eſt ipſius promiſſio. Nam vti qui pro emtore fideiuſſit, proprie non ex empto tenetur, ſed ex promiſſo: ita & qui pro delinquente fideiuſſit, proprie non ex alieno delicto, ſed ex ſua ſponſione tenetur. Ex quo conſequitur, quod vbi fideiuſſori aliquid mali ſit patiendum, id menſuram accipere debeat non ex delicto alterius, ſed ex ea poteſtate, quam ipſe in promittendo habuit. Adeoque quando delinquente elapſo ad vadem neceſſitas luendi deuoluitur, non ſpectandum eſt, quantum mali delinquenti

§. XXXI. 1) *Item videamus, quando damnum dari videatur . . . . vt puta in domo mea puteum aperio, quo aperto venae putei eius praeciſae ſunt: an tenear? Ait* Trebatius, *non teneri me damni infecti: neque enim exiſtimari, operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo vſus ſum.* Conf. Thomasii Diſſertatio, Non ens actionis forenſis contra aedificantem ex aemulatione.

2) *Eſſe autem praepoſterum, ante hoc locupletes dici, quam adquiſierimus.* L. 63. D. ad Leg. Falcid.

3) *Enim, qui ciuitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, niſi quod ab ipſo peruenturum eſſet ad eos, ſi inteſtatus in Ciuitate moreretur: hoc eſt, hereditatem eius, & libertos & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt: quae vero non a patre, ſed a genere, a ciuitate, a rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia.*

4) Qualis quoque illa, quam Florentiae eſſe memo-

quenti recte potuerit imponi; ſed ad quid malorum pro altero tolerandum nudo ſuo conſenſu obligare ſeſe quis potuerit. Ex quo etiam colligitur [1], quouſque in cauſis capitalibus vades admitti queant: nempe hactenus tantum, vt vel vas promittat magiſtratui, cui delicti eſt perſecutio, ſe damnum eo datum ſarturum, vel caueat de reo ſiſtendo; idque vt reus iam comprehenſus carceris moleſtia liberetur, neque ex vinculis cauſam dicere cogatur; vel ne in abſentem & indefenſum tanquam conuictum aliquid ſtatuatur. Sed vt capitalem poenam pro reo ſubeat vas, neque obligare iſte ſe poteſt, cum tanta homini in propriam vitam non ſit poteſtas; neque iſtam poenam exigi proceſſus fori humani patitur. Poena enim propter delictum infligitur, eo fine, vt improbitas hominum ſiſtatur. Atqui neque ipſe vas deliquit, neque actu fideiuſſionis reatum delicti in ſe deriuauit. In eo enim nullum eſt crimen, velle, vt reus aequiore loco cauſam dicat, aut meliore ſit conditione, donec ſententia in ipſum feratur; aut promittere, ſe multam pecuniariam reo dictam exſoluturum, vti & id, quanti magiſtratus aeſtimauerit, quod facultas poenae ſumendae per fugam rei fuerit ſubtracta. Sed nec finis poenae humanae obtinebitur, punito vade. Ille enim punietur, non quia peccauit, ſed quia alterius fidem ſecutus tanto ſeſe periculo expoſuit. Atqui per talem poenam id duntaxat efficeretur, ne alii deinceps ita facile pro aliis interuenirent; non vt a delicto, quod reus in ſe admiſerat, abſterrerentur. Adeoque talis poena non reſpiceret delictum rei principalis, ſed imprudentem crudelitatem vadis. Igitur non recte naturam poenae ac officium ſuum circa eandem exigendam intellexit magiſtratus, qui vadem ſupplicio affecit; niſi vbi dolo egiſſe ipſum adparuerit, vt diſciplinae publicae vim hac ratione eluderet. Sic & cum homini in propria membra non ſit tale ius, vt pro lubitu illa poſſit perdere; patet itidem, non poſſe aliquem ſeſe obligare ad ferendam pro altero poenam mutilationis. Aliud autem eſt, quando capite puniuntur cuſtodes reorum, qui per negligentiam, aut ex colluſione reis occaſionem elabendi dederunt. Hi enim non ob alienum; ſed ob proprium delictum puniuntur. Vid. 1 Regum XX, 39. ſeqq. Actor. XII, 19. [2] Quin imo licet alias liberis patribusfamilias de ſua ciuitate ſtatuendi ius ſit; non tamen vadi recte videtur exilium indici; tum quia illud poenae rationem non videtur obtinere poſſe, tum quia non intereſt ciuitatis, eiuſmodi ciuem exigere. Huc & referri poteſt, quod Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. VI. c. 3. refert, cum vicina vrbi regiae Cuſco oppida apud Peruanos quondam tributi loco miniſtros aulae regiae ſuppeditarent, ſi quis horum quid deliquiſſet, id oppidum a quo praeſentatus fuerit, luiſſe [3]. Sunt & alii caſus, vbi

memorat THVANVS L. XXIII. Hiſtor. ad A. MDLIX. Si filius familias maieſtatis crimen commiſiſſet, partem eam, quae ipſi ex bonis paternis ſeu maternis obventura eſſet, quamuis adhuc ſuperſtitibus parentibus, iam tum fiſco vindicandam ſtatuens. H.

§. XXXII. 1) Vid. ſupra L. II. c. 4. §. 18. & L. V. cap. 10. §. 12. H.

2) *L. 8. L. 12. D. de Effractorib. & expilator. L. 4. L. final. §. 2. C. de Cuſtod. reor.* CARPZOV. Praxi criminal. quaeſt. III. H.

3) Supra quoque ad L. I. c. 5. §. 14. ex Martinio & Louberio diximus, nimis rigidam eſſe Sinenſium & Siamenſium legem, qua magiſtratus maiores ob delicta minorum magiſtratuum, qui ipſis ſubſunt, obſtringuntur. H.

Digitized by Google

vbi quis occaſione delicti alieni incommodum patitur. Sic, verbi gratia, ſi ego alterius aedes precario inhabitarem, easque ob delictum domini publicari contingeret, incommodum & ipſe ſentio, dum mihi iam eſt migrandum, cum fortaſſe diutius iſte me inhabitare permiſiſſet. Poena tamen proprie non afficior. Nam fiſcus, qui dominium aedium nactus eſt, ſuo iure precarium vſum pro lubitu mihi finire poteſt. Sic proditorum & perduellium liberi ſaepe honoribus excluduntur; id quod parentibus quidem in poenam redundat [4], dum propter ipſos cariſſimi coguntur inglorii viuere. In liberis autem idem poenae rationem non habet [5], quippe cum in arbitrio ciuitatis ſit [6], cui velit honores mandare; adeoque ipſa ſuo iure ab honoribus poſſit arcere, etiam tales, qui ipſi nihil peccauerunt, vbi ex vſu Reipublicae id eſſe iudicatur.

§. XXXIII. His ita diſtinctis patet, in foro humano neminem reatus immunem ob alienum delictum recte puniri. Cuius ratio eſt, quia aptitudo ad poenam ex merito oritur, cuius fundamentum eſt ſua cuiusque voluntas, qua homini nihil magis proprium, quaeque niſi ex motu intrinſeco vitium contrahere non poteſt. Nam quod GROTIVS d. l. § 12. putat exemplum etiam ſtatui poſſe extra perſonam delinquentis in perſona, quae tenerrimo amoris vinculo ipſi iungitur; id falſum eſt. Neque ad rem facit, quod PLVTARCHVS de ſera Numinis vindicta [p. 560. A.] adfert: *Magiſtrum vno puero caeſo reliquos officii monere, & decimatione facta, imperatorem totum plectere exercitum.* Nam & puer qui caeditur, & decimus quisque qui plectitur, nocens erat. Cui conſequens eſt, liberos innoxios non debere puniri ob delicta maiorum. Vid. *L. 22.* [1] *C. de Poenis. L. 26.* [2] *D. de Poenis.* GRATIANVS *Cauſ. 1. quaeſt. 4. c. 6. 7. 8.* Inde quidam illud Ioſuae VII, 24. exponunt, liberos Achani adductos, vt cum omni populo ſimul a Ioſua erudirentur, monerenturque ſibi a talibus cauere; non vt interficerentur cum patre; eoque ſequentia verba *lapidarunt eos* intelligenda tantum de Achane & iumentis eius. Quod ſi haec explicatio non admittatur, confugiendum eſt ad eam reſponſionem, quam ſuggerit GROTIVS de I. B. & P. L. I. c. 3. §. 8. in fine. [3] OVIDIVS Metam. L. IV. [v. 669. 670.] *Illic immeritam maternae pendere linguae Andromedam poenas iniuſtus iuſſerat Ammon.* STATIVS Thebaid. L. I. [v. 668. & ſeqq.] *Ne perge queri, caſusque priorum Annumerare tibi. Nec culpa nepotibus obſtat. Tu modo diſſimilis rebus mereare ſecundus Excuſare tuos.* Sic abominanda, & quae diritate omnes leges ſuperet, AMMIANO MARCELLINO L. XXIII. [c. 6. p. 416. Ed. Gronou.] dicitur lex

4) Vere AESCHYLVS inferiis:

Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι
Θανόντι· φελλοὶ δ' ὣς ἄγουσι δίκτυον,
Τὸν ἐκ βυθοῦ κλωστῆρα σώζοντες λίνου.
Nomen ſuperſtes mortuis ſunt liberi,
Velutque ſuber, rete quo defenditur,
Submerſa plane fila, ne in fundum ruant. H.

5) Nullam poenam patientibus plus doloris vel ignominiae inferre PLVTARCHVS ait, quam quae poſteros in eamdem ſecum calamitatem trahat. Αἱ δὲ διὰ τῶν παίδων ἰοῦσαι [κολάσεις] καὶ διὰ γένους ἐμφανοῦς τοῖς δεῦρο γενόμεναι, πολλοὺς ἀποτρέπουσι καὶ συστέλλουσι τῶν πονηρῶν· ὅτι δ' οὐκ ἔστιν αἰκία, οὐδὲ λυποῦσα μᾶλλον ἑτέρα κόλασις ἢ τοὺς ἐξ ἑαυτῶν κακῶς πάσχοντας δι' αὐτοὺς ὁρᾶν. De ſera Numinis vindicta p. 561. A. Ed. Wech. Et, durum eſſe, ſi liberi propter crimina parentum puniantur, CICERO quoque adgnoſcit. Epiſt. ad Brut. 12. etſi haec iniquitas compenſetur vtilitate publica, quaamor parentum erga liberos, tanquam viſcera ſua, cautiores eos reddat ne quid audeant contra vtilitatem publicam. *Nec vero me fugit,* inquit, *quam ſit acerbum, Parentium ſcelera filiorum poenis lui.*

lex Perſarum, qua ob noxam vnius, qui in regem deliquit, omnis propinquitas perit. Vid. HERODOTVS L. III. de Intapherne. IVSTINVS L. X. c. 2. De ſimili Macedonum lege vide CVRTIVM L. VII. c. 11. [4] L. IIX. c. 6. Equidem facile patet, diris hisce ſuppliciis ſalutem ſuam munitum iuiſſe reges. Apud IVSTINVM L. XXVI. c. 1. Hellanicus dicitur ad caedem Ariſtotimi tyranni animatus per ſenectutem & *orbitatem*, vt qui nec aetatis nec pignoris reſpectu timeret. Add. IDEM L. IV. n. 8. In ſimilem ſententiam loquitur A. Caeſellius apud VALERIVM MAXIMVM L. VI. c. 2. At qui ſuam contemnere vitam poteſt, timidior redditur, ſi norit, omnibus ſuis ſecum, & propter ſe percundum. Dein cauere ſibi volebant, ne paternae necis vltores eſſent filii. Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείποι. *Stultus, qui cum occiderit patrem, filios relinquat.* ARISTOTELES Rhet. L. II. c. 21. Sicuti nec facile creditur quis tantam rem moliri, non adhibitis in conſcientiam propinquis. Quas ob rationes Parmenionem ab Alexandro occiſum tradit ARRIANVS L. III. [c. 26. Ed. Oxonienſ.] Iactatur quoque illud Caſſii apud TACITVM A. XIV. [c. 44.] *habet aliquid ex iniquo magnum exemplum, quod in ſingulos vtilitate publica rependitur.* Conf. t. t. *D. ad SCtum Silanianum.* In *L. 4. C. ad L. Iuliam Maieſtatis* dicitur: filii perduellium paterno ſupplicio perire debent, in quibus paterni criminis exempla metuuntur. Vid. Ant. MATTHAEVS de Crimin. L. XLIIX. tit. 2. §. 10. Sic AMMIAN. MARCELLINVS L. XXIIX. [c. 3. in fine Edit. Gronouii.] memorat, quod Maratocupenorum, (qui erant latrones in Syria a vico, quem incolebant, ſic dicti,) ſoboles parua etiam tum cum parentibus ſit deleta, ne ad parentum exempla ſuccreſceret. HOBBESIVS Leuiathane c. 28. hanc rationem profert, quod iſti maieſtatis laeſae rei hoſtes ſe ciuitatis profiteantur, adeoque iure belli coërceantur. Atqui in bello neque gladium iudicare, neque victorem diſtinguere quatenus ad tempus praeteritum inter nocentes & innocentes, neque cuiquam parcere, niſi quatenus conducit ad ſalutem ciuium. Sicuti & alias iudicia maieſtatis hoc habent peculiare, quod ibi in cauſa propria Princeps eſſe iudex poſſit [5]; & aliquando abſque ambagibus proceſſus ab exſecutione fieri initium queat [6]. Add. GROTIVS ad Ioſuam I, 18. Etſi religioſo principi merito prae oculis habenda oratio Tiberii apud TACITVM A. III. [c. 12.] in cauſa Cn. Piſonis habita. Enimuero ne in bello quidem gladius recte ſaeuit in aetatem innocentem. Et cum qui in ciuitate naſcuntur, ciues & ipſi ſint, non adparet, quomodo hoſtiliter ipſi tractari queant, niſi proprio facinore

lui. Sed praeclare legibus comparatum eſt, vt caritas liberorum amiciores parentes Reipublicae redderet.

6) Vid. ſupra L. I. c. 7. §. 11. & L. III. c. 1. §. 3. H.

§. XXXIII. 1) *Sancimus, ibi eſſe poenam, vbi & noxa eſt. Propinquos, notos, familiares procul a calumnia ſubmouemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores: nec vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.*

2) *Crimen vel poena paterna nullam maculam filio infligere poteſt. Namque vnusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubiicitur: nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur: idque* diui Fratres, *Hierapolitanis reſcripſerunt*, L. 26. D. de Poenis.

3) Imo Achanis liberi, eiusdem cuius pater ſacrilegii rei, eoque iure lapidibus obruti fuiſſe videntur. Conf. CLERICVS ad Ioſuae VII, 24.

4) Et ibi FREINSHEMIVS in Commentar. n. 20. H.

5) Imo hoc in aliis cauſis quoque habet locum. Vid. ſupra L. VII. c. 6. §. 2. H.

6) Vid. L. VII. c. 6. §. 12. H.

nore in hoſtes degenerauerint. Igitur nullo alio modo innocens filius rebellionem patris luere poteſt, quam vt ipſi intercipiantur ea bona, quae alias a patre in eum erant deuoluenda. Etſi apud Peruanos quondam ſub imperio Yncarum, ſi Curaca ob delictum morte affectus eſſet, filius ideo munere paterno non excludebatur, ſed potius delictum & poena patris ob oculos ipſi ponebatur, vt ab iſto ſibi caueret; apud Garcilaſſum de la VEGA Comment. Reg. L. II c. 13. Ab honoribus autem indebitis arceri poena proprie dicta non eſt [7]. Sed nec caeterae rationes iniquitatem huius poenae tollunt. Sicuti verbi gratia DIONYSIVS HALICARN. L. IIX. [p. 547. Ed. Sylburgi c. 80. Edit. Oxon.] tradit, Graecos, qui tyrannorum liberos ſimul vel necarunt, vel in exilium eiecerunt, perſuaſum habuiſſe; *quaſi natura non ferat bonos filios naſci e malis patribus, aut malos e bonis* [8]. Add. PHILO Iudaeus de Specialibus Legibus. Et laudari meretur illud Marci apud VVLCATIVM GALLICANVM in Auidio Caſſio, [c. 12.] *Quare filiis Caſſii, & genero, & vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? cum illi nihil fecerint.* Neque iſta per comminationes diuinas excuſantur; cum de foro humano nobis ſermo ſit. Add. GROTIVS d. l. §. 14. Recte quoque commendatur lex Aegyptiorum, qua vetabatur, ne mulier praegnans mortis ſupplicio afficeretur, donec partum edidiſſet. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 77. AELIANVS V. H. L. V. c. 18. *L. 3. D. de Poenis. L. 5. §. 2. L. 18. D. de Statu hom.* PLVTARCHVS de ſera Numinis vindicta. [p. 552. D.] quam aliae gentes quoque receperunt [9]. Add. tamen QVINTILIANVS Declam. 277. Quis contra ſit poenarum rigor apud Iaponios; vid. apud Bern. VARENIVM Deſcr. Iaponiae c. 18. Ferdin. PINTO Itin. c. 55. Bern. VARENIVS de Relig. Iapon. c. 11. p. 192. Quo loco & illud monendum, poteſtate ſua abuſos legiſlatores, qui occaſione ex vnius aut alterius delicto arrepta in totum aliquod genus duri quid ſtatuerunt; vtut illud lapſu temporum mortis non ingloriosae ſpeciem induerit. Sicuti contigit circa legem quorundam Indorum de cremanda cum defuncto marito vxore; cuius cauſa fuit, quod vxores maritorum feſſae eos veneno tollere gauderent, vt recentibus maritis locum praeberent. Vid. CICERO Tuſc. Quaeſt. L. V. [c. 27.] SOLINVS c. 65. DIODORVS SICVLVS L. XVII. c. 91. & L. XIX. c. 33. STRABO L. XV. [p. 1041.] Abr. ROGERIVS de Braminibus Part. I. c. 19. 20. Patet quoque ex hiſce [10], haeredem de poena non teneri, quae corpus aut famam delinquentis affectura erat. L. XX. D. [11] *de Poenis.* [12]. De multa tamen pecuniaria tenetur, etſi non ſupra vires haereditatis, ſi aequitatem velimus reſpicere. Vid. *L. 1. D. de Priuatis delictis.* [13]

CAPVT

7) Vid. infra c. 4. §. 32. in calce. Nec, ſi qui illius ſunt familiae, nomen mutare coguntur. Vid. THVANVM L. CXXIV. ad A. MDC. *vbi de Ruthenis Gauriae Comitibus, ob ſtructas Iacobo Scotiae Regi inſidias, nomen Ruthenorum deponere, & in maternum vel aliud nomen adoptiuum tranſire iuſſis.* Aut ſi damnatum propinquum lugere vetentur. Quod Romanis vſitatum. L. XI. §. 3. *de His, qui notantur infam.* SVETONIVS in Tiber. c. 61. hodie ſeruat Gallia. H.

8) Παρ' Ἑλλήνων δὲ οὐχ οὕτως ἐνίοις ὁ νόμος ἔχει, ἀλλὰ τοὺς ἐκ τυράννων γενομένους οἱ μὲν συναποκτίννυσθαι τοῖς πατράσι δικαιοῦσιν, οἱ δὲ ἀειφυγίᾳ κολάζουσιν, ὥσπερ οὐκ ἐνδεχομένης τῆς φύσεως χρηστοὺς παῖδας ἐκ πονηρῶν πατέρων, ἢ κακοὺς ἐξ ἀγαθῶν γενέσθαι.

9) Graeci & Romani. PHILO de Humanitate Ioann.

Digitized by Google

* *

CAPVT IV.

DE POTESTATE IMPERII CIVILIS CIRCA DEFINIENDVM VALOREM CIVIVM.

I. *Exiſtimatio definitur, & diuiditur.*
II. *Exiſtimatio ſimplex naturalis;*
III. *Quae eſt vel integra:*
IV. *Vel deminuta:*
V. *Vel conſumta.*
VI. *Exiſtimatio ciuilis ſimplex deficit vel ex ſtatu:*
VII. *Vel ex antegreſſo delicto.*
VIII. *Non eſt infame, duellum legibus vetitum detrectare.*
IX. *Exiſtimatio ſimplex ab arbitrio imperantium non dependet.*
X. *Neque pro illis conſumi poteſt.*
XI. *Exiſtimatio intenſiua.*
XII. *Eius fundamenta.*
XIII. *An honoris fundamentum ſola potentia.*
XIV. *Per iſta fundamenta producitur tantum aptitudo ad honorem.*
XV. *Quis iure ſuo praecedentiam prae altero habeat.*
XVI. *Argumenta, ex quibus praecedentia praetenditur.*
XVII. *Examinatur antiquitas.*
XVIII. XIX. *Potentia, eius qualitas, & tituli.*
XX. *Rex regi cedere non tenetur.*
XXI. *Quomodo reges conuenire poſſint citra contentionem.*
XXII. *De ordine inter ſocios.*
XXIII. *Ciuium deſignare ordinem eſt ſummi imperii.*
XXIV. *Quomodo diuerſarum ciuitatum ciues comparentur.*
XXV. *Nobilitas natalibus non ineſt a natura:*
XXVI. *Sed ab impoſitione ciuitatum.*
XXVII. *Quae tamen meritis niti ſolet & debet.*
XXVIII. *Indoles Romanae nobilitatis primis temporibus.*
XXIX. *Eam poſtea geſti honores metiebantur.*
XXX. *Quae indoles nobilitatis hodie in pleraque Europa?*
XXXI. *Alicubi nobilitati ſanguinis exiguum pretium.*
XXXII. *Quatenus honores ciuiles ab arbitrio ciuitatis dependeant?*

QVANQVAM extra ciuitatem quoque in libertate naturali exiſtant nonnulla fundamenta, quibus vnus alteri merito praeferri queat: tamen cum a pacto, aut definitione imperii ciuilis dependeat, vt iſta funda-

 menta

Ioann. MEVRSIVS L. II. Themid. Attic. c. 9. LANGLAEVS L. XI. Semeſtr. c. 1. Add. Speculum Saxonic. L. III. art. 3. H.

10) Conf. ſupra L. IV. c. 11. §. 19. L. V. c. 11. §. 12. H.

11) *Ciuilis conſtitutio eſt, poenalibus actionibus heredes non teneri, nec ceteros quidem ſucceſſores. Idcirco nec furti conueniri poſſunt. Sed quamuis furti actione non teneantur, attamen ad exhibendum, actione teneri eos oportet, ſi poſſideant, aut dolo fecerint, quo minus poſſideant.*

12) *L. 26. D. eod. L. 7. §. 1. D. de Capit. minut. L. 1. §. 18. Depoſit. L. 2. §. 2. & 7. D. de Decurion.* H.

13) *Si poena alicui irrogatur, receptum eſt commentitio iure, ne ad heredes transeat: cuius rei illa ratio videtur, quod poena conſtituitur in emendationem hominum: quae mortuo eo, in quem conſtitui videtur, deſinit.*

menta alicui ius pariant, igitur hoc loco commodiſſimum viſum, vniuerſam materiam de diſtinctione hominum ſecundum exiſtimationem exponere. Eſt autem exiſtimatio valor perſonarum in vita communi, ſecundum quem aptae ſunt aliis perſonis exaequari, aut comparari, eisque vel antehaberi, vel poſtponi. Habent ſcilicet non exiguam inter ſe cognationem duae nobiliſſimae ſpecies quantitatum moralium, exiſtimatio, & pretium, quarum illa in perſonis, hoc in rebus conſideratur [1], quod ex illa perſonae, ex hoc res in vita communi aeſtimentur. Et quemadmodum pretia rebus eo potiſſimum fine ſunt impoſita, vt res inuicem permutandae, aut ab vno in alterum transferendae recte poſſint inter ſe comparari: ſic & exiſtimatio ei fini inſeruit, vt ratione iſtius tanquam valoris homines inter ſe queant comparari, quo decorus inter ipſos ordo, vbi coniungi eosdem contigerit, conſtitui poſſit: poſtquam omnimodam aequalitatem in genere humano commode ſeruari hautquidquam poſſe ſatis adparebat. Poteſt autem exiſtimatio diuidi in *ſimplicem* & *intenſiuam* [2]. Quarum vtraque conſideranda venit, tam inter eos, qui in naturali vtrinque libertate viuunt [3], quam qui eadem ciuitate continentur.

§. II. *EXISTIMATIO ſimplex* inter eos, qui in naturali inuicem libertate ſunt conſtituti, in hoc potiſſimum videtur conſiſtere, vt quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur; quicum agi queat tanquam cum viro bono *, & ad ſocialitatis humanae leges ſeſe accommodare prono, quique adeo legem naturalem aduerſus alios, quantum in ſe, obſeruare ſit paratus. Scilicet vti rem, quae qualemcunque vſum in vita humana obtinet, alicuius pretii eſſe dicimus; inutilem penitus nullius pretii vocamus; ita aliquem ſaltem valorem dixeris eſſe eius, quicum vtcunque tanquam cum animante ſociabili poteſt agi. At ſi quis ineptitudinem ad ſocietatem palam oſtentet, quod ſit, legem naturae, & officia inde aliis debita proterue adſpernando & proculcando, eum merito nullius valoris hominem iudicaueris.

§. III. ISTHAEC exiſtimatio conſiderari poteſt, vel vt *integra*, vel vt *deminuta*, vel vt penitus *conſumta*. *Integra* eſt, quando quis nondum per malitioſum aliquod & enorme facinus ſciens volensque dolo malo legem naturae aduerſus alium violauit. Nam peccata infirmitatis humanae conditioni condonantur, neque per illa ſtatim opinio boni viri extinguitur, modo honeſtus animus, iuſtumque ſectari cupidus perſtet. Atque iſthaec exiſtimatio omnibus adeſſe praeſumitur, quousque ipſi per malitiam eandem non delibent. Adeoque naturaliter cuique haec aequaliter dicenda eſt competere, ac citra antegreſſum prauum factum omnes aeque honeſti ſunt iudicandi. PLINIVS L. V.

§. I. 1) Supra L. IV. c. 1. §. 2. H.

2) Illam etiam naturalem nuncupare poſſes, quoniam eſt ante factum humanum; hanc aduentitiam. H.

3) Quales ſunt liberi Principes & liberae Respublicae, tanquam perſonae morales, ſi qua comparentur inter ſe.

§. II. * Cui *aeſtimationi ſimplici*, in aliis reſpondet obligatio perfecta, vi cuius vnusquisque ceteros omnes, vt viros honeſtos habere cogitur, quamdiu nulla eorum improbitas inſignis clare patefacta ſit. Vnde manat, famae cum aliorum parcere, neque vlla eam ratione atterere aut collutulare debere. E contrario fundamenta *exiſtimationis intenſiuae* in Statu Naturae obligationem tantum gignunt imperfectam, vt ab AVCTO-

L. V. Epiſt. 3. *Sanctitas morum non diſtat ordinibus.* Cui fundamento innititur tritum illud: *Quilibet praeſumitur bonus, donec probetur* [1] *contrarium* [2]. Neque obſtant illa, quae ab HOBBESIO de Ciue c. 1. diſputantur de malitia humani ingenii, & ad laedendum alios libidine. Quae ſi abſolute vera ſunt, ſane iam quilibet praeſumetur malus, donec contrarium probetur, vel potius donec vis nocendi fuerit ademta. Enimuero quod ille praeſupponit principium, vniuerſaliter verum non eſt: *Omnes homines ſibi inuicem poſſe, & velle nocere*, vti ſupra oſtenſum. Quia tamen homines ſibi inuicem *poſſunt velle* nocere, igitur naturaliter omnes homines habendi erunt pro bonis, ſed qui mali fieri poſſunt, & pro amicis quidem, ſed quibus non vsque quaque tuto fidas.

§. IV. *DIMINVITVR* iſthaec exiſtimatio per facinora malitioſa, cumprimis enormia, contra ius naturae aliis immerito illata; quae efficiunt, vt non tutum ſit aliis deinceps fidem eiusmodi deceptori habere, ac citra ſolidam cautionem cum ipſo negotii quid contrahere. Diminuitur tamen per praua facta alicuius exiſtimatio, non penitus conſumitur. Nam etſi ſuſpicari non improbabiliter poſſim, talem quemque fore erga me, qualem aduerſus alios ſeſe geſſit: id tamen non ſemper ita ſolet eſſe certum, quin interdum contrarium adpareat. Quippe cum peculiares potuerint exiſtere cauſae, quae ipſum ad decipiendos alios irritauerint, quae in me non deprehenduntur. Potuit & quis vno tempore prauis affectibus agitari, a quibus alio tempore eſt immunis. Poteſt tamen iſthaec exiſtimationis macula, ex praue factis contracta, deleri, praeſtita vltro damni dati reparatione, aut aeſtimatione, atque edito animi poenitentis documento *. Haec enim ſponte elicita ſufficientem poſſunt fidem facere animi ſerio emendati.

§. V. AST vero hanc exiſtimationem penitus *conſumit* vitae genus, & inſtitutum, directe ſpectans ad aliis promiſcue nocendum, & rem ex manifeſtis aliorum iniuriis faciendam. Equidem dantur & in ciuitatibus quaedam vitae genera, quae exercitium certi cuiusdam vitii profitentur; vt ſunt meretrices, lenones, validi ac vagabundi mendici [1], quos & PLATO de LL. L. XI. ex ſua ciuitate eiici iubet: & per quos ciuitatem *κατοιχύνεϑαι probro affici* pronunciat ISOCRATES Areopagitico. Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus: *Velis in eas conferre, non qui ventris cauſa quaſi mercaturam per totum vitae tempus mendicando exercent, ſed qui mendicare erubeſcunt*; apud SOCRATEM Hiſtor. Eccleſ. L. VII. c. 25. Sic mendici quondam apud Peruuianos ſub imperio Yncarum non tolerabantur. Vid. Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. V. c. 9. Sed ibidem qui alere ſeipſum ob vitium corporis non poterat, e publico ſuſtenta-

RE infra oſtendetur. De cetero ad hunc locum conferri meretur Diſſertatio THOMASII de Exiſtimatione, fama & infamia extra Rempublicam in qua laboranti interdum Auctori ſuppetias tulit. qua diſſertatione oſtendit, quando haec regula locum habeat, vel etiam deliquium patiatur.

2) Vid. ſupra L. III. c. 6. §. 9. Hoc praecipue verum eſt in ſtatu naturali temperato, vt notauimus ad L. II. c. 2. §. 4. H.

§. III. 1) Vid. les Nouuelles Lettres de Msr. BAYLE a l'occaſion de la Critique de l'Hiſtoire du Caluiniſme par Maimbourg T. I. p. 435. & THOMASIVS de Praeſumtione bonitatis, in

§. IV. * Vid. ſupra L. II. c. 5. §. 19. H.

§. V. 1) Vid. de hoc genere mendicorum MENAGIVS ad Diog. Laertium L. I. §. 55. Ed. Amſtelod.

ſuſtentabatur. Ib. L. V. c. 11. Item apud Aegyptios quondam fures profeſſi, de quibus DIODORVS SICVLVS L. I. c. 80. *Qui furtis operam dare volunt, nomina apud furum principem profitentur, & e veſtigio furtum ex pacto ad eum referunt: qui res ſuas amiſerunt, conſimiliter vnumquodlibet amiſſorum literis conſignatum exhibent, locumque ac diem, quibus iacturam fecerint, adſcribunt. Hoc modo cunctis facile repertis fraudatus taxatione rerum facta quadrantem harum perſoluit* [2], *& tum ſua recuperat. Cum enim fieri non poſſit, vt omnes a furto abſtineant, viam legislator inuenit, qua tota res ſublata praeter exiguum redemtionis pretium ſeruaretur.* Enimuero crediderim, pauciori priuatorum diſpendio id genus hominum poſſe ſuſtentari, adhibitis diligenter ergaſtulis, virgis, atque reſtibus. Talium quantilla ſit exiſtimatio, ciuitatis, quae illos tolerat, eſt definire. Saltem communi hominum iure frui debet, cui publice vitium exercere indulgetur. Quo ſpectat expoſtulatio lenonis apud TERENTIVM Adelph. Act. 2. ſc. 1. [v. 34. 35.] *Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium, periurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt iniuria.* Vid. Conſtit. SICVLARVM L. I. Tit. 20. Aſt naturalem exiſtimationem vehementer profligari per vitae genus. qualiscunque vitii profeſſionem habens, conſtat: ni tamen illud vitium cum aliorum iniuria ſit coniunctum, non videntur tales tanquam communes omnium hoſtes poſſe tractari. Verum quorum profeſſio iniuriam aliorum habet propoſitam, quique aduerſus quoslibet homines, aut illos ſaltem, qui extra ipſorum conſortia degunt, promiſcue eadem, qua in beſtias, licentia vtuntur, adeoque cum hominibus, non cum hoſtibus bellum gerunt; eos penitus illa exiſtimatio deficit, qua quoslibet alios homines metimur. Inter quos referuntur piratae [3], praedones, latrones, ſicarii, manticularii, & id genus alii. Nec ab illo cenſu eximuntur, ſi qui non ad extremum in omnes promiſcue ſaeuire ſoleant; puta; quod contenti res rapuiſſe caedibus abſtineant, aut crumena pallioque deliniti recedant. Nam iuſtitiae laudisque nihil habet, non omnes numeros iniuſtitiae implere. Sed & quin ſub hac claſſe cenſeri debeant integri coetus piratarum & latronum [4], quamdiu quidem iſti vitae generi non renunciauerint, dubio caret; vtut forte inſtar aliquod iuſtitiae inter ſe videantur exercere [5]. Sicut apud HELIODORVM Aethiop. L. V. [c. 15. p. 264. Ed. Lugd. 1611. & c. 14. p. 244.] memoratur Νόμος λῃστρικὸς, ὃς τῷ πρώτῳ ἐπιβάντι νηὸς πολεμίας, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ἀγῶνα προκινδυνεύσαντι, τὴν κατὰ βούλησιν ἐκλογὴν ἀπένειμεν. *Lex piratarum, quae ei, qui primus nauem hoſtilem conſcendit, & ſe pro omnibus certamini periculoſiſſimo obtulit, electionem pro ipſius arbitrio tribuit.* Et *ibid.* Σώζεται καὶ παρὰ λῃσταῖς τι συνειδὸς καὶ πρὸς τοὺς γνωρίμους φιλάνθρωπον. *Seruatur & apud praedones conſcientia erga notos officii & humanitatis.* Imo nec exclu-

2) Notabilis haec exceptio a regula, quam habet AVCTOR L. IV. c. 13. §. 13. Cui ſere ſimilis illa in Ciuitate Francofurtenſi circa Iudaeos. V. L. I. Paroem. Iur. Germ. 102. §. 3. H.

3) Conf. L. II. c. 2. §. 20.

4) Niſi quod priſcis temporibus hoc vitae genus non habuit infamiam. Vid. ſupra L. II. c. 2. §. 10. H.

5) Supra L. II. c. 3. §. 16. & in not. H.

6) Id quod AVCTOR noſter in Diſſert. de Exiſtimatione, quae numero tertia eſt inter iunctim editas Vpſaliae 1677. §. 7. extr. adplicari vult ad incolas Barbariae, qui pacta vtcunque ſeruant, & Muhamedanos ſuos non depraedantur, praeſertim, addens cum dicere poſſint, dari quoque inter Chriſtianos, quibus implacabile in Muhamedanos bellum gerere officium habeatur. Vid. PARRHASIANA T. I. p. 204. I. Editionis.

excluſerim integras, ſi quae eſſent ciuitates, quae coluerint quidem iuris inter ſuos fruendi cauſa; de caetero autem in alios omnes hoſtilia exerceant, nulla pactorum & fidei aliis datae habita ratione. Quod ſi autem ſint ciuitates, quae pacta cum aliis inita ſeruant, ſed vel aduerſus alios quosuis, vel ſaltem aduerſus certas gentes quaedam iuri naturae non congruentia citra iuſtam cauſam inferre ſueuerunt [7], iis omnem exiſtimationem detrahere non licebit, etſi eam non parum deformatam exſiſtere liquet. Effectus porro, qui eiusmodi homines exiſtimatione penitus deſtitutos apud alios conſequuntur, hi fere ſunt; vt niſi vitam iſtam rapacem & cruentam abdicatum eant, ab aliis non magis parci ipſis conueniat, quam lupis, aut aliis truculentis belluis. Et vbi deprehenſi fuerint, atrocius plerunque ſolent tractari, quam alii hoſtes, vtut & hi vltima nobis intentaverint. Sed & indigni habentur, quibus vllum humanitatis etiam ſimplicis officium exhibeatur, quippe quo ad nocendum aliis confirmantur. Quin & vti in ipſorum fide, quam dare velint, nihil fiduciae locandum, cuius apud alios opinionem vitae ipſorum atrocitas elidit: ita nec fidei ab aliis datae ipſos capaces eſſe, quamdiu iſtius ſceleſtae vitae continuationem prae ſe ferunt, (id quod ſemper praeſupponitur,) non abſurde videtur aſſeri poſſe. Vel enim vltro cum tali paciſcor, vel vi ipſius iniuſta compulſus. Prius quomodo fieri poſſit non video, niſi vt & ipſe ſcelerum eius contagione inficiar, dum tanquam cum amico ago, qui ſe communem omnium hoſtem, praeterquam ſuorum complicum, fert. Quid quod ſaepe fidem latroni ſeruare, verbi gratia, in depoſito, cum iniuria aliorum eſt coniunctum. Vid. *L. 31. §. 1. D. Depoſiti.* Quod ſi autem latro operam mihi aliquam vtilem praeſtiterit, qualem quidem abs tali acceptare mihi non turpe fuerit, aequum ſane videtur, vt promiſſam mercedem ipſi exſoluam [7]. Sed tunc iſte latro non amplius erit, qualem heic ſupponimus, communis omnium praeterquam ſuorum ſociorum hoſtis. Pacta autem metu extorta eſſe inualida ſupra oſtenſum [8]. Caeterum recuperari poteſt eiusmodi hominum amiſſa exiſtimatio, ſi vitae genus ſceleſtum exuerint, aliudque honeſtum ſusceperint. Quod non in ſingulis tantum, ſed & integris in [9] coetibus latronum & praedonum procedit [10]. Ex quo tempore cum illis tanquam cum honeſtis hominibus erit agendum. Vt tamen prius iniuriarum datarum reparationem fecerint, aut condonationem obtinuerint.

§. VI. *EXISTIMATIO ſimplex intra ciuitates degentium* [1] eſt, qua quis pro membro ſaltem vulgari, eoque integro ciuitatis reputatur; ſeu vt quis iuxta leges & mores ciuitatis pro vitioſo eiusdem membro non fuerit declaratus,

7) Vid. ſupra L. III. c. 6. §. 11. in fine.

8) L. III. c. 6. §. 11. ſequ. H.

9) Conf. GROTIVS L. III. c. 3. §. 3. & BVDDEI Spec. Iurisprud. Hiſtor. §. 2. 3. 4. vbi haec priſtinis Romanis adplicantur, quorum Reſpublica a latronum & aliorum ſceleſtiſſimorum hominum colluuie condita vulgo fertur. Videatur tamen HEINECCIVS Hiſtor. Iur. I. c. 1. §. 1.

10) AVGVSTINVS L. XIV. de Ciuitate Dei c. 4. loquutus de praedonibus: *Hoc malum, ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, vt & loca teneat, ſedes conſtituat, ciuitates occupet, populos ſubiuget, euidentius ciuitatis nomen aſſumit.* H.

tus, & aliquo eſſe numero, caputque habere intelligatur. Iſthaec porro exiſtimatio in ciuitate deficit vel *ex mero ſtatu*, vel *ex delicto.* Prius contingit itidem duplici modo; vel vt ſtatus ille in ſe naturaliter nihil turpe habeat, vel vt cum vitio aliquo, aut ſaltem eius opinione ſit coniunctus. Solus ſtatus, qui natura ſua nihil vitioſi habet, exiſtimationem ſimplicem in multis ciuitatibus adimit mancipiis, quae pro perſonis ciuilibus non reputantur; ſeu quae caput ciuile non habere, nulloque numero intelliguntur eſſe. Quam vilis iſtorum conditio apud Romanos fuerit, notiſſimum eſt [2]. Speciminis loco vid. *L. 6. D. ad L. Iuliam de Adulter. L. 23. L. 29. C. d. t.* Nec maior ſeruorum gentilium aeſtimatio apud Ebraeos. IOSEPHVS Archaeol. IV. 8. *Sed neque ſerui teſtimonium perhibeant propter ignobilitatem animi, quos aut propter lucrum, aut propter timorem veriſſime poteſt eredi, non poſſe vere teſtari.* Add. SELDENVS L. V. c. 3. Lex WISIGOTHORVM L. II. lit. 4. c. 9. In quibusdam quoque ciuitatibus ſat tenuis ſpuriorum exiſtimatio; cum tamen quod tali modo ſint geniti, non ipſorum, ſed parentum culpa verſetur [3]. Vid. *Tit. Cod. ad SCtum Orſicianum*, & STOBAEVM Serm. 75. Niſi quod non plane de nihilo ſit illud PROCOPII in Hiſtoria arcana: *Foeminarum flagitia non ſolum in coniuges deriuantur, ſed ad liberos multo magis pertingunt, quos notam diuturnae turpitudinis ferre contingit, quaſi maternam labem natura referant.* Apud Indos quoque infamis habetur certa ſtirps hominum, Peneaës dicta; de qua vid. Abr. ROGERIVS de Bramin. Part. I. c. 2. Poſteriori modo ſtatus exiſtimationem ciuilem tollit aut minuit, quod in iſto conſtituti circa talia negotia occupentur, quae ſine vitiis obiri non poſſunt, vel propter ſordes non niſi a viliſſimi, & abiectiſſimi hominibus animi exercentur, quo loco prioris ſortis homines cenſeantur, ex cuiusque ciuitatis legibus aut moribus patebit. Quam ad rem ſpectat, quod refert VALERIVS MAXIMVS L. VII. c. 7. de Q. Metello, praetore vrbano, *qui Vecilio lenoni bonorum Iuuentii poſſeſſionem ſecundum tabulas teſtamenti non dedit: quia nec factum illius probare voluit, qui fortunas ſuas in ſtabulum contaminatum praiecerat; aut huic tanquam integro ciui iura reddere, qui ſe ab omni honeſto vitae genere abruperat.* IBIDEM, cum *Genucius, Magnae Matris Gallus, a Cn. Oreſte praetore impetraſſet, vt reſtitui ſe in bona Naeuiani iuberet*, Conſul Aemilius Lepidus decretum Praetoris reſcidit; *ne obſcoena Genucii praeſentia inquinataque voce tribunalia magiſtratuum ſub ſpecie petiti iuris inquinarentur.* Quo pertinet etiam *L. 1. D. de Aleator.* vbi praetor negat, ſe iudicium daturum, *ſi quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberauerit,*

§. VI. 1) Pronti de aeſtimatione ſimplici in ſtatu Naturali in §. 2. egit AVCTOR; ita hoc loco de ea diſſerit, quatenus ei locus eſt in Societate Ciuili. In qua eam perinde vnusquisque vi aequalitatis naturalis exigere poteſt, quamdiu nihil admiſerit, quod eum indignum reddat fama viri probi & honeſti.

2) Supra ad L. VI. c. 3. §. 7. Apud IVVENALEM eſt Satyr. 6. O *demens ita ſeruus homo eſt!* H.

3) Ad hoc verum eſſe queat, quod EVRIPIDES Andromacha ait:

Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

Et prole melior ſaepe legitima nothus. H.

4) Plane vt Athenis, vbi periphraſtice dictus carnifex ὁ πρὸς τῷ ὀρύγματι, *accola aggeris*, ſiue *valli extra vrbem*, & apud Rhodios, lex fuit, τὸν δημόσιον μήποτε εἰσελθεῖν τὴν πόλιν, *ne carnifex vnquam vrbem intraret.* DIO CHRYSOSTOM. Orat. 31. Quod etiam hodie apud Tholoſates obtinere, ſcribit BODINVS III. de Rep. 8. H.

5) Tan-

berauerit, *damnumue ei dederit*, *ſiue quid eo tempore dolo ei ſubtractum fuerit.* Ad poſteriorem claſſem pertinet, quod in multis ciuitatibus carnifices, lictores, foricarii, & ſimilis farinae homines ab honeſtiorum conſortio excluduntur. Id quod quarundam ciuitatum legibus expreſſe conſtitutum eſt. Sicut Romae quondam *carnificem non modo foro*, *ſed etiam coelo hoc ac ſpiritu cenſoriae leges*, *atque vrbis domicilio carere voluerunt* [4], *veluti cuius contagione concio funeſtaretur*. CICERO pro C. Rabirio, [c. 5.] Alibi communi duntaxat conſuetudine, & opinione talibus miſceri pudendum habetur. Idque tum quia miniſteriis illorum, cum atrocitate coniunctis, plerumque mores ſolent reſpondere, tum quia nonniſi viles animae ad talia vltro ſeſe adplicant [5]. Quanquam apud Romanos milites exſequendis ſuppliciis frequenter adhibiti [6] non in caſtris modo, ſed & in vrbe, citra vllam infamiam, aut detrimentum exiſtimationis. Vid. Petri FABRI Semeſtria L. II. c. 6 quia aliud eſt ex peculiari mandato ſuperioris exſecutionem facere, aliud eſt eam velut artem profiteri. Sic & apud Iudaeos fontes a toto populo lapidabantur. De Witoldo, Lithuaniae duce refert Mich. MONTAIGNE Eſſais L. III. c. 1. ipſum introduxiſſe, vt ad mortem condemnati ſibi ipſis manus inferrent; quod inconueniens ſit, tertium innocentem adhiberi, ac homicidio onerari. Quae ratio tamen inepta eſt, cum carnifex ſane homicidium non admittat, poenam exſecutioni dando. Aliqui hanc rationem afferunt, quia in praeſtatione miniſterii ſui nihil praeter dolorem in eo, qui punitur, ſpectare praeſumuntur, quod humanae naturae manſuetudini repugnat. Sic legibus Romanis notantur, qui mercedis cauſa in ſcenam prodeunt. Vid. *L. 1. D. de His, qui not. infam.* aut qui operas ſuas, vt cum beſtiis depugnarent, locauerint. *L. 1. §. 6. D. de Poſtulando.* Vbi infamiae irrogandae fundamentum non tam conſiſtit in aliquo malo facinore, cum talia etiam innoxie poſſint obiri; ſed quod iſta ob lucrum patrare, tanquam foediſſimum Romanae indoles grauitatis auerſaretur. Nam ſaepe ſola merces operam aliquam vilem ſolet reddere. Sic & iisdem legibus non niſi ob ſuſpicionem animi leuiſſimi, & fidei amoriſque deſultorii infamiam pariebat [7], intra tempus luctui deſtinatum filiam viduam alteri nuptum locaſſe, talem duxiſſe, aut ſub ſua poteſtate conſtitutum pati ducere, aut hoc modo nubere. Sic apud antiquos Canariarum incolas magnum ignominiae & dedecoris ſpecimen fuit habitum, lanii officio fungi; vti tradit Aloyſius CADAMVSTVS Nauigat. c. 8. Quod idem de Vtopienſibus ſuis tradit Th. MORVS Vtop. L. II. SELDENVS de I. N. & G. L. IV. c. 5. refert, Ebraeos quatuor homi-

5) Tanto minus mirum eſt, Chriſtianis exoſos fuiſſe carnifices, a ſanguinis fuſione vsque adeo abhorrentibus. ATHENAGORAS (cui ſimilia ſcribunt Arnobius & Origenes) *Apologia pro Chriſtianis* de Chriſtianis: *Quos ſciunt, ne id quidem ſuſtinere, vt vel iuſte quemquam interimi videant: quiſquamne his obiiciat, quod aut homines interficiant, aut homines deuorent?* TERTVLLIANVS Libr. de Idol. c. 11. *Homicidii introductio oſtendit mihi laniſtam ab eccleſia arceri, eo quod crudelem rem faciat, licet Reipublicae laeſae non damnetur.* H.

6) Hinc apud SVETONIVM Calig. c. 32. eſt: *Miles decollandi artifex quibuscunque e cuſtodia capita amputabat.* H.

7) Haec vera & vna cauſa non eſt, alioquin & vidui ignominia notarentur (*L. 11. D. de His, qui not. infam.*) Potiſſima eſt indecora ſanguinis ac ſeminis commixtio, ſiue, vt HARMENOPVLVS L. IV. Proch. tit. 6. loquitur, *διὰ μὴ σύγχυσιν τῆς γονῆς*; & ne ſi ſtatim a morte prioris mariti nubat vidua alii, ac poſtmodum octauo aut nono decimoue menſe pariat, de foetu dubitetur. H.

num genera a teſtimoniis & iudiciis ob infamiam arcuiſſe: aleatores, foeneratores, quaeſtum facientes ex anni ſeptimi ſeu Remiſſionis anni frugibus, & qui columbas volare docebant, addita ratione, quod horum nemo incumbat rebus, quae ad firmitudinem ſeculi, id eſt, ad bonum publicum, ſeu vitae humanae commodum ſpectant.

§. VII. *EX antegreſſo* autem *delicto*, exiſtimatio ſimplex ciuilis plane deficit, quando quis iuxta leges ob certum delicti genus, (nam omnia delicta ciuiliter exiſtimationem non extinguunt. Vid. *L. 1. C. de Modo multarum.*) infamia notatur; idque vel vt vita naturali ſimul expellatur, & memoria quoque eius damnetur, vel vt cum infamia ciuitate eiiciatur; vel vt in ciuitate quidem retineatur, non tamen velut membrum integrum, ſed tanquam infectum; vt qui domicilio quidem ciuitatis, & communi legum tutela gaudeat, muneribus tamen publicis, ac honeſtis ſocietatibus excluſus, & ad exercendos actus legitimos, exiſtimationem ſaluam praeſupponentes, inhabilis, ſeu inteſtabilis. Quae autem crimina ſint, talem infamiam conciliantia, ex cuiusque ciuitatis legibus eſt cognoſcendum. Vid. *L. 5. §. 1.* [1] *2. 3. D. de Extraordin. cognit.* circa quam tamen obſeruandum, in vno atque altero exemplo non ſatis accurate diſtingui exiſtimationem ſimplicem ab intenſiua. Notanda quoque heic lex Aegyptiorum, quae *ordinum deſertoribus, aut imperatorum iuſſa non exſequentibus, non mortis, ſed infamiae extremam poenam decernebat. Quod ſi poſtea ignominiam ſtrenuitate aboleuiſſent, in priſtinam dignitatem reſtituebantur. Ita cum ignominiam grauius morte ſupplicium fecerit legislator, ſimul infamiam pro ſummo malo habendam docere voluit; ſimul nihil morte affectos vitae communi profuturos amplius: honore vero deiectos priſtinae ingenuitatis deſiderio plurimum adhuc boni effecturos cenſebat.* DIODORVS SICVLVS L. I. c. 78. Obſeruandum porro eſt ex mente ICtorum Romanorum, turpia facta, quibus infamia contrahitur, notari vel immediate ipſo [2] iure [3], vel antegreſſa cognitione, & condemnatione iudicis, vel honeſtorum virorum quadam velut cenſura; quam vulgo vocant *infamiam facti.* Vid. *L. 13. C. ex Quibus cauſ. infam. irrog.* add. *L. 2. D. de Obſeq. parent. praeſt L. 20. D de His qui notant. infam.* [4] *L. 25. C. ad L. Iuliam de Adult.* Poſſis etiam huc referre, quod de Apalchitis tradit ROCHEFORT Deſcript. Antill. Part. 2. c. 8. furum ibi nullam aliam eſſe poenam, quam vt in omnibus conuentibus hoc ipſis exprobretur. Sed hoc pleriſque adeo acerbum videri, vt in incultas ſolitudines aufugiant. Circa quam tamen infamiam facti iudicauerim, illam non tam immediate reſultare ex opinione virorum grauium, quam ex ipſa quoque lege

§. VII. 1) Exiſtimatio *eſt dignitatis inlaeſae ſtatus, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro, AVCTORITATE LEGVM, aut minuitur, aut conſumitur.* In qua lege definitio honoris ſiue aeſtimationis ciuilis praeſto eſt.

2) *Hoc Edicto continentur etiam alii omnes, qui EDICTO PRAETORIS, vt infames notantur.* L. I. §. 8. D. de Poſtulando.

3) Cuius ratio eſt, quoniam quaedam delicta ita ſunt comparata, vt vix excuſationem habeant, coloribusque obtegi haut poſſint, quippe palam & inſpectante populo commiſſa. – H.

4) *Ea, quae pater teſtamento ſuo filios increpans ſcripſit, infames quidem filios IVRE non facit, ſed APVD BONOS ET GRAVES Opinionem eius, qui patri diſplicuit, onerant.*

5) Quam in rem commendant ICti, vt tranſigens perſpicuis id verbis teſtetur. Eſt autem tum omnino neceſſarium, vt transactio prope condemnationem, vbi litis moleſtiae iam ſunt ſuperatae,

lege infligi ideo, quod talia facta virorum grauium opinione damnantur, ac foeda habentur. Nam vtut turpe ſit, viris probatis non probari: tamen niſi declaratio legis accedat, ſolo priuatorum iudicio nemo iacturam facit exiſtimationis hactenus, vt excludatur emolumentis & iuribus illis, quae integram exiſtimationem ex legibus ciuilibus comitantur. Vnde & illud adparet, non ſtatim fieri infamem, qui accuſatus fuit de crimine infamiam pariente, aut cui illud eſt obiectum. Nam vti recte Delphidio Oratori, exclamanti: *Ecquis nocens eſſe poterit vsquam, ſi negare ſuffecerit?* Iulianus reponebat, *Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet?* [Amm. MARCELLINVS L. XVIII. c. 1.] Quo poteſt adplicari & illud apud PLAVTVM Trinummo, [Act. I. ſc. 2. v. 44. 45.] *Ne admittam culpam, ego meo ſum pronus pectori. Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.* Sed tunc demum crimen infamiam parit, vbi quis de eodem fuerit condemnatus, aut idem agnouerit. Id quod etiam facere cenſetur, qui cum actore paciſcitur, vt is ab actione deſiſtat: quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur. *L. 5. D. de His qui not. infam.* Niſi forte oſtendi queat, non conſcientiam criminis, ſed alias fuiſſe probabiles cauſas, puta vexationem fori [5], iudicis immanitatem aut inimicitias [6], vt quis maluerit pacto cum actore defungi. Apud ISOCRATEM aduerſus Callimachum. [princ. p. 641. Ed. Pariſ. minor.] quidam ſuaſerant reo, vt cum actore tranſigeret. *Multa enim in iudiciis praeter opinionem euenire & inferendis ſuffragiis caſum potius quam aequitatem dominari. Quare vtilius & conducibilius eſſe, paruo ſumtu magnis criminibus liberari, quam nulla pecunia numerata tantum periculum ſubire.* Quanquam autem eo ipſo integram quis exiſtimationem cenſeatur retinere, ſi ſuper obiecto crimine a iudice fuerit abſolutus [7]; tamen vt rei innocentia eo latius innoteſcat, ſimul puniendo calumniatori, in multis ciuitatibus receptum, vt ipſe actor ad palinodiam adigatur [8], ſe ipſum mendacii arguere, deprecari, reoque honorem exhibere cogatur, & ſi quae ſunt alia. Ex IOSEPHO de Bello Iudaico L. IV. c. 39. patet, ignominiam ex vinculis ortam deleri ſolitam, ſi vincula non recluderentur, ſed diſſecarentur: idque innocenter vinctis contigiſſe apud Romanos tradit.

§. VIII. EX HISCE id quoque colligitur, veram infamiam non poſſe alicui inde conciliari, quod iniurias verbis aut re ſibi illatas non propriis armis, vti quibusdam in locis inter nobiles inprimis, & militares viros mos inualuit, ſed per magiſtratum vindicare, aut easdem tacite concoquere voluerit; modo iſta patientia non arguat foedi alicuius facinoris confeſſionem. Habet equidem

ratae, non adhibeatur. Vid. *L. 4. §. 1. D. de Alienat. iudic. mutand. cauſ.* EYBEN. not. ad Perez. in tit. C. de His qui not. infam. H.

6) Quibus addi poteſt, non tantum per immanitatem, & inimicitias iudicum, verum etiam per ignorantiam ſaepe eorundem, opiniones porro praeconceptas, & negligentiam fieri, vt, qui cauſſa etiam optima nituntur, inferiores diſcedant. Vid. PARRHASIANA T. II. p. 304. & ſeqq.

7) Id quod etiam locum habere exiſtimant, ſi tortus ſuperauerit cruciatus, & hinc abſolutus fuerit. V. FREHERVS L. III. de Infam. c. 5. n. 14. *cum multis quos profert Dd.* RICHTER Dec. 80. n. 30. ſequ. Quam ſententiam pro dignitate iam excutere non vacat. H.

8) Apud Romanos in leuibus iniuriis ſatis erat dicere: *Nollem dictum, nollem factum.* In grauioribus adhibebatur: *Iuro te eſſe indignum iniuria hac.* Vid. PLAVTVM in Amphitruone. TERENTIVM in Adelphis. Supra L. III. c. 1. §. vlt. H.

multum ſegnitiae & timiditatis viro indecoris quasuis iniurias & inſultationes deglutire, nec ac defenſionem libertatis aut iuris ſui ſtrenue accingi. Et plures ſunt, qui ſuum velint facere illud Neoptolemi apud QVINTVM CALABRVM L. IX. τεθναίην μᾶλλον, ἢ ἀπόλεμος καλεοίμην. *Emoriar potius, quam nomen ignaui geram.* Tamen ſi quis quarundam iniuriarum vindictam cum iudicio magis adſpernetur, quam per formidinem deſerat, celſi ſatis animi documentum edit. Neque in eo quid eſt, quod exiſtimationem naturalem aut ciuilem extinguat. HOBBESIVS Leuiathan. c. 27. *Ciuis a ciue verba audit plena contumeliae, quae nulla tamen lege lata puniuntur; metuensque niſi armis vindicet, pro homine haberi timido, ad arma prouocat, & illum interficit. Crimen eſt, nec metu eiusmodi excuſabitur. Quare? Quia ciuitas verba publica, id eſt, leges, apud ciues plus valere vult, quam verba hominis ſingularis; cuius verbis poenam conſtituere ideo neglexit, quia eos, qui ne verba quidem tolerare poſſint, pro molliſſimis omnium hominum habet ciuitas.* Vid. tamen Lex SALICA tit. 32. Multo minus autem infamia contrahitur in illis ciuitatibus, vbi priuata iniuriarum exſecutio expreſſe per leges interdicta [1], ſi quis legibus potius parere, quam obtentu honoris periculo ſimul ancipitis pugnae, legumque ſeueritati ſeſe velit exponere. *Iniuſtum rigido ius dicitur enſe.* OVIDIVS Triſt. V. El. 7. Neque ſemper ſignum timiditatis eſt, cum alio quauis de cauſa in pugnam nolle deſcendere, vitaeque & fortunarum diſcrimen temere ſubire; cum aliae longe tutiores, & vitio carentes dari queant occaſiones, quibus quis fortitudinem ſuam queat oſtentare. Exemplum Pulſionis & Vareni centurionum vid. apud CAESAREM de B. G. L. V. [c. 44.] V. quoque BVSBEQVIVS Epiſt. 3. de Velibego. Sic apud PLVTARCHVM [in Pyrrho p. 404.] Pyrrhus Antigonum conſceleratum appellauit, provocavitque, vt in planitiem deſcenderet, atque de regno ſecum decerneret. Ille vero reſpondit: Τὸν μὲν αὐτοῦ ϛρατηγίαν οὐχ ὅπλων μᾶλλον ἢ καιρῶν εἶναι. *Ductum ſuum non armorum magis, quam temporum eſſe: Pyrrho, ſi vitae poeniteret, multas patere ad interitum vias.* Apud EVNDEM Antonio, [p. 950. E.] Auguſtus Antonio in duellum prouocanti itidem reſpondit: *Vias Antonio multas patere ad interitum* [2]. De militibus in regno Tunquin refert Alexander de RHODES Itiner. L. II. c. 6. quod licet in hoſtem fortiter pugnent, vitae ſuae hautquidquam parci: inter ſe tamen ipſos fratrum inſtar inuicem amare, nec vnquam arma contra commilitones ſuos expedire. Idemque cum aliquando Gallum & Luſitanum duello congredi cernerent, attoniti dixerant: ſe barbariem eiusmodi nunquam vidiſſe. Neque cordatum heic vulgi voculae debent mouere; cum cuiusque ciuis exiſtimatio iudicio ſummi imperantis, legumque

§. VIII. 1) Quae leges haut dubie valent. Neque enim ferendi ſunt, qui poenas capitales in certamina priuatorum ſingularia ſtatutas improbant. V. MONTALTIVS in Opere epiſtolico, vbi doctrina Ieſuitarum exhibetur contra edictum Ludouici XIII. Gall. Reg. pro duellorum iuſtitia pugnantium. H.

2) Huntlaeo, Comiti apud Scotos, certamen ſingulare per aeneatorem offerenti, reſpondebat Comes Hartfordiae, Praetor exercitus Anglicani: Quod ſit lis inter ipſum & Comitem Huntlaeum ſuiſſet, ſe oblatam duelli conditionem recuſaturum non fuiſſe: ſed cum controuerſia eſſet regni Angliae cum regno Scotiae, non eſſe in eius poteſtate, tanti negotii diſcrimen proprio periculo ſubiicere: nedum cum publicam Ducis exercitus ſuſtineret perſonam, conuenire, in certamen cum viro conditionis inferioris deſcendere. ZOVCHAEVS Part. II. Iur. fecial. ſect. 9. quaeſt. 3. H.

gumque ſtet, cadatque; & in eo virtus ſit, legibus velle parere [3], ſpreta inani male feriatorum hominum opinione. Ex quibus adparet, quid reſpondendum ſit Hobbesio Leuiath. c. 10. qui vix fieri poſſe putat, vt non glorioſum habeatur in duella promte deſcendere, cum id indicium ſit potentiae. Quare enim non indicium praeſtantiae poſſit haberi, impetum animi viresque ratione temperare noſſe, easque non niſi ad praeſcriptum legum exercere? Etſi non inſuper ſit habendum, quod Idem dicto loco c. 30. ſuadeat: legibus duella prohibentibus hanc quoque addendam, vt quicunque nobiles ſunt aut haberi cupiunt, iuramento obſtringantur, quod conciuem ad duellum non ſint prouocaturi, nec prouocati comparituri. Sic enim declinantes habituros honeſtiſſimum praetextum pugnam detrectandi. Conſtitutiones Sicvlae L. III. Tit. 33. §. 4. acerbitate poenae iſti malo obuiam ire conantur, ſumendae de illis, qui contumelia alterum affecerint. Obiter duellorum antiquitatem, & ex quo fonte ea ſint orta, docet Diodorvs Sicvlvs L. V. c. 28. *Galli inter ipſas epulas, cauſa ex iurgio quomodocunque arrepta, inſurgere, & ex prouocatione, nihil vitae iacturam aeſtimantes, inter ſe digladiari ſolent.* Cuius rei ratio adſignatur, quod perſuaſi ſint, animas denuo in corpora reuerti.

- - - - - - - Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis, & ignauum eſt rediturae parcere vitae.

Lvcanvs L. I. [v. 460. & ſeqq.] Eandem rationem audaciae Germanorum adſignat Appianvs in Celtico, [p. 755.]

§. IX. Manifestvm porro & illud eſt, exiſtimationem ſimplicem naturalem non poſſe alicui adimi per imperantem pro mero arbitrio, niſi ex antegreſſo ipſius delicto, quod ſui foeditate, aut per legum ſanctionem expreſſam, infamiam habet comitem. Nam cum talis poteſtas nullo modo poſſit facere ad conſeruationem aut emolumentum ciuitatis, eandem in imperantes non fuiſſe collatam intelligitur. Quanquam vti per iniuriam imperans ciuem ciuitate poteſt eiicere; ſic itidem per iniuriam poterit iſtum priuare exiſtimatione ciuili *, ſaltem hactenus, vt ſpolietur emolumentis illis, quae exiſtimationem integram in ciuitate comitantur. Intrinſeca autem illa & naturalis exiſtimatio non magis tali adimetur, quam ipſius honeſtus animus. Accedit, quod contradictionem inuoluat, infamem aliquem declarare ex nuda libidine, id eſt, arguere aliquem affinem foedorum criminum, non quia reuera iſta patrauit, ſed

3) Vere enim Aristoteles V. Pol. 9. *Οὐ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν. Non eſt putanda ſeruitus, viuere Reipublicae conuenienter, ſed ſalus.* Conf. ſupra L. II. c. 5. §. 12. H.

§. IX. * Quare etiam ſententia, ex qua infamia ſequitur, licet iniqua, ſi in rem iudicatam tranſiit, infamem facit, quantum attinet effectus iuris. Vt recte docet A. Matthaei de Criminib. ad tit. de Poenis c. 3. n. 7. etſi diſſentiat Brvnnemannvs ad L. XXII. D. de His qui notant. infam. n. 3. & ad L. 8. C. eod. Sane in *L. 1. §. vlt. D. de Quaeſtion.* ſtatuitur, *a Principe reſtituendum eum, qui nocens videbatur, ſi poſtea ratio innocentiae conſtiterit.* Cuius exemplum eſt in Lycia prouincia ab Arcadio Imperat. reſtituta. *L. 9. C. Theodoſ. de Indulgent. crimin.* vbi Iacobus Gothofredvs in Comment. legi meretur. H.

ſed quia innoxium hoc modo tanquam noxium tractare placet. Sed & illud certum videtur, neminem ciuem obligari, vt exiſtimationem ſuam ſimplicem ciuitati impendat, ſeu vt veram infamiam contrahat propter vtilitatem ciuitatis. Facta enim turpia, ex quibus vera infamia oritur, neque a ciuitate imperari poſſunt, neque a ciue praeſtari debent.

§. X. ILLVD non ita liquidum eſt, an ab honeſto ciue poſtulari queat, vt ipſe principis aut ciuitatis infamiam in ſe ſuſcipiat, ſeu pro iſtius ſceleribus ſeſe velut reum ſubdat? Heic etſi videatur, vix poſſe quenquam ſeſe ſceleſtum ſine ſcelere fingere; putauerim tamen, diſtinguendum eſſe inter delicta principis domeſtica ſiue priuata, & publica, ſeu quae in totam, ciuitatem redundant. Circa priora, vt quis ſe pro principe reum ſubdat; neque hic honeſte poſtulare poteſt, neque ille praeſtare; eo nempe fine, vt vel plauſibilem praetextum ſceleri principis ſuppeditet, vel maculam, quae huius exiſtimationem naturalem affectura erat, in ſe deriuet. Nam ciuilem exiſtimationem principi, ſupra iudicia ciuilia poſito, nemo ademerit. Neque puto quenquam cordatum probaturum illud Aniceti factum, qui Octauiae ſeſe adulterum iactabat, vt Neroni praetextus foret ipſam matrimonio exturbandi. Vid. TACITVS A. XIV. 62. EVRIPIDES Helena, [v. 106. 107.] Ὀυδὲ συγγόνῳ χάριν δοίην ἂν, ἐξ ἧς δυσκλεὴς Φανήσομαι, *neque in fratris gratiam facile ſuſcipiam maculas infamiae.* Add. hiſtoria Antonii Perezii [1] apud THVANVM L. CIV. Solet tamen non raro contingere, a miniſtro quidpiam tractari cum aliis ex mandato principis, aut contra eosdem ſuſcipi, ſed ita vt in Reipublicae damnum ſit redundaturum, ſi publico id conſilio factum adpareat; quod damnum declinari queat, culpa in miniſtrum collata, quaſi priuato id auſo ab ipſo fuerit ſuſceptum. Heic arbitror bonus ciuis non detrectabit ad auertendum a ciuitate ſua magnum malum ſimulare, nullo publico mandato ſeſe id egiſſe; modo ficta duntaxat infamiae poena defungi liceat. (Add. MARSELAER Legato L. I. c. 33. p. m. 200.) Nam mortem aut deditionem eo nomine ſubire, durum nimis foret. Illud autem quidquid eſt ſimulatae poenae facile iterum tolli, aut alia via penſari poteſt [2]. Caeterum id manifeſtum eſt, infamiam ciuilem aboleri poſſe [3] per eum, cui eandem infligendi poteſtas eſt. Vid. Cornel. NEPOS Alcibiade c. 6. IVSTINVS L. V. c. 4. LIBANIVS Orat. 7. *Diſſoluta eſſe, nec perfecta, quae peracta fuerint, ex eo genere eſt, quod fieri nequit. Verum infamiam penitus delere ab ignominioſis, id integrum eſt. Huius autem morbi medicus nullus alius eſt, niſi tu ſolus.* (Iulianum Imperat. alloquitur.) Ita tamen, vt ſiquidem illa fuerit inflicta ex flagitiis, reſtitutio famae tantum producat effectus ciuiles externos integrae exiſtimationis; naturalis exiſtimationis labem per ſe haut quidquam tollat.

§. XI.

§. X. 1) Conf. ſupra ad L. III. c. 7. §. 8. H.
2) Vid. omnino AVCTOR L. X. Rer. Brandenb. §. 104. ad A. MDCLXXI. ſub exemplo Mongomerii & Brandii. H.
3) Vid. ſupra L. I. c. 9. §. 6. Famae a Papa Caraſis reſtitutae illuſtris eſt narratio apud NATALEM COMITEM L. XVI. Hiſtor. ad A. MDLXVI. Enimuero cum aliquando exiſtimaretur, veniam criminis citra notam dari haut poſſe, placuit ratio, quam verbis hiſce exponit AVGVSTI-

§. XI. Existimatio *intenſiua* eſt, ſecundum quam perſonae, alias quoad exiſtimationem ſimplicem aequales, ſibi inuicem praeferuntur, prout vni prae altero inſunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoueri ſolent. Eſt autem honor, qui intenſioni exiſtimationis reſpondet, ſignificatio iudicii noſtri de praeſtantia alterius. Vnde reuera honor non eſt in honorato, ſed in honorante. Aristoteles Nicom. L. I. c. 3. *Τιμὴ δοκεῖ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ.* Etſi enim quilibet ſibi ipſi valorem ponere pro lubitu queat, ſicuti venditor merces ſuas quanti vult, indicare poteſt: tamen vbi pretium mercium vltimato ab emptore definitur; ita quanti quis aliis videatur, penes hosce eſt determinare. Vid. Ioann. VIII, 54. *Quanticunque quis ſeipſum aeſtimet, tanti tamen eſt, quanti aeſtimatur ab aliis.* Hobbesivs Leuiath. c. 10. Ita tamen aliquis honore ab aliis ſibi delato afficitur, prout ille reſpondet valori, quem quisque ſibi ipſi poſuit. Caeterum metonymica quadam ratione ipſa quoque exiſtimatio, ſeu id, quod honorem meretur, eo vocabulo inſignitur. Sicuti & peculiariter certi ſtatus, quos honos comitatur, honores dici ſueuerunt *. Id autem recte ab Eodem de Ciue c. 1. §. 2. obſeruatum eſt, cauſam gloriationis, & honorem, cum comparatione & praecellentia conſtet, ſi omnibus adſit, nemini adeſſe. Neque ſocietatem inter multos homines, aut multi temporis iniri poſſe gloriae cauſa, ſeu vt ſocii mutuo ſeſe adiuuent ad nanciſcendam gloriam & honorem. Quippe cum tanti quisque inter homines iudicetur, quantum ſine aliorum hominum ope ipſe poteſt. Vid. Seneca Epiſt. 27. de Caluiſio Sabino. Sicut contra quae pluribus incumbit ignominia, multitudine eleuatur. Iſthaec autem exiſtimatio intenſiua conſiderari poteſt vel inter eos, qui inuicem *in naturali libertate viuunt*, vel qui *eadem ciuitate continentur.* Deinde expendenda erunt *fundamenta* iſtius intenſionis, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *ius* proprie dictum, quo idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat.

§. XII. Fvndamenta intenſiuae exiſtimationis in genere cenſentur omnia illa, quae inſignem aliquam praeſtantiam aut perfectionem habent, (Cicero de Natura Deorum L. I. [c. 17.] *habet venerationem iuſtam, quidquid excellit,*) aut eandem iudicantur arguere; & quidem talem, cuius effectus cum fine legis naturalis aut ciuitatum congruit. Nam ſtulto vulgi iudicio eos quoque interdum videas celebrari, qui circa vitium aliquod exercendum cumprimis ſeſe ſtrenuos exhibent. Vti ſunt potatores bicongii & tricongii [1]: & in quos cadit illud Ivvenalis Sat. 4. [v. 139.] *Nulli maior fuit vſus edendi Tempeſtate mea.* Aristophanes Acharnenſ. Act. 1. Scen. 2. [v. 78. Ed. Kuſteri.] *Οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν*

gvstinvs Epiſt. 259. ad Cecilianum: *Nec indulgentia illis danda viſa eſt, ne vel ſic aliquo crimine notarentur, ſed tantum commonitorium, quo eos ab omni moleſtia liberos dimittere iuberetur.* H.

§. XI. * Aristoteles III. Pol. 7. *Τιμὰς γὰρ λέγομεν εἶναι τὰς ἀρχάς. Honores enim dicimus eſſe magiſtratus.* H.

§. XII. 1) Quos alicubi in aulis politicos appellari, ſcribit Carpzovivs Quaeſt. criminal. 146. n. 9. H.

φαγεῖν καὶ πιεῖν. Item acerrimi praeliatores Venerei *ῥιψοκίνδυνοι*, aſtutiſſimi fures, & id genus homines vitiorum ſuorum anteſignani. Qui tamen quo perfectius artificium ſuum callent, eo nequiores a probis viris habentur. PHILO Iudaeus de Migratione Abrahami, [p. 413. A. Edit. Pariſ.] *In rebus inhoneſtis excellere, inſignis turpitudo eſt: ſicut ſecundo loco cenſeri, leuior miſeria* [2]. ARRIANI Epictetus L. III. c. 14. *Si mihi dixeris, te vehementer calcitrare; dicam & ipſe tibi, eo te ſuperbire, quod ſit aſini proprium* [3]. Etiamſi iſta ſaepe robur corporis, aut viuidum animum arguant, ſed qui in praua detortus eo vehementius vitiis exuberat, quo maiore vigore floreſcit. Ex quibus & hoc facile colligitur, laudem, gloriamque tanti haberi, quanti ſunt illi, qui eam tribuunt; adeoque a laudatis demum laudari praeclarum eſſe [4]. Contra ſapiens, *Οὐδὲ τὸν παρὰ τῶν τοιούτων ἔπαινον ἐν λόγῳ τίθεται, οἵγε οὐδὲ αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἀρέσκονται, laudem eorum nihili pendit, qui ne quidem ſibi ipſis placent.* MARCVS ANTONINVS L. III. §. 4. [5] In ſpecie autem inter iſta fundamenta ſunt perſpicacia mentis, & capacitas animum variarum notitia rerum excolendi, maxime vbi actu iſta capacitas fuerit impleta. Idoneum circa res gerendas, & ambigua diſcernenda iudicium. Vid. Eccleſiaſtes IX, 15. 1 Reg. III, 28. Animus firmus, & per externa inconcuſſus, illecebriſque & terroribus ſuperior [6]. Facultas decore & copioſe animi ſenſa explicandi. Tum robur, decus, & dexteritas inſignis corporis [7], prout iſthaec praeclara animi indicia, vel inſtrumenta iudicantur. Vid. VIRGILIVS Aeneid. V. v. 344. ISOCRATES in Encomio Helenae, vbi tamen rhetorem nimis agit. BACO in Sermon. fidel. c. 41. 42. Quanquam autem in proceritate corporis heroicum quid aut magnificum ineſſe quid vulgo iudicetur, eoque Deos heroasque in theatris ſublimes cothurnis repraeſentari moris eſſet; & multi ſint, qui ſtaturae ſuae aliquid addi, nemo qui demi optet: illud tamen nimis quam ſimplex, quod tradit THEMISTIVS Orat. XIV. ex Herodoti Thalia: *Αἰθίοπες ἐχειροτόνουν τὸν βασιλέα πήχει καὶ μέτρῳ γνωματεύοντες τὴν ἀρετήν. Aethiopes, cubito atque menſura comprobata, reges ſuos deſignabant* [8]. Cui conſpirat iudicium illius Americani e noua Francia, qui temporibus Caroli IX in Gallia verſatus, inter alia hoc ſibi quoque mirum videri dicebat, quod Galli potius iſtum adoleſcentem tenui corpuſculo regem ſibi conſtituiſſent, quam aliquem ex proceris illis & robuſtis, ac barbatis, qui regem ſtipabant; ſatellites Heluetios innuens, apud Mich. MONTAIGNE Eſſais L. I. c. 30. Add. 1 Samuel. X, 23. 24. [9] Praeſertim cum frequenter huc trahi poſſit illud OPPIANI Cyneg. L. III. v. 68. *Μείοσι μὲν μείζων τελέθει, μεγάλοισι δὲ μείων.* Et ſaepe *natura breues animis ingentibus artus finxerit.* CLAVDIANVS de Bell. Getico, [v. 184.] QVINTVS CALABER L. V. *Ἠὺ ῥ᾽ ἐρέῃ τε ἄπρηκτος τελέθει, μέγεθος δ᾽ εἰς οὐδὲν ἀέξει ἀνέρος, εἰ μή οἱ πινυτὴ ἐπὶ μῆτις ἕπηται.* Robur

2) *τὸ γὰρ μὴ ἐν καλοῖς διαπρέπειν, ἐπιφανέστατον αἶσχος, ὡς τὸ φέρεσθαι τὰ ἐν τούτῳ δευτερεῖα, κουφότερον κακόν.*

3) Adiicit Cl. BARBEYRACVS dictum P. SYRI ad Luſores pertinens:

Aleator, quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior.

v. 772. Edit. Amſt. 1708. ad quem locum conferendus Commentarius poſtumus GRVTERI.

4) *Laetus ſum laudari me, inquit Hector, opinor, apud Naeuium, abs te pater, a laudato viro. Ea eſt enim profecto iucunda laus, quae ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt.* CICERO Lib. XV. ad Famil. Epiſt. 6.

5) Vid. Commentarius GATAKERI, qui com-

Robur virile inefficax eſt, & proceritas ad nihil conducit viro, niſi prudens eum conſilium comitetur. Bona praeterea quae vocantur fortunae, prout arguunt vel dexteritatem in adquiſitione, vel facultatem aut materiam praeclara patrandi. Maxime autem exiſtimationem intendunt res egregie geſtae, quod & illae intrinſecam praeſtantiam praeſupponant, eamque in vſum deductam & ad legitimos fines adhibitam oſtendant. ARISTOTELES Rhetor. L. I. c. 5. *Τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιϛα οἱ ἐυεργετηκότες· ȣ̓ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος ἐυεργετεῖν. Maxime honorantur, idque iuſte, qui bene fecerunt. Sed & honoratur, qui bene facere poteſt.* PINDARVS Olymp. Od. VI. [v. 123. 124.] *Τεκμαίρει χρῆμ᾽ ἕκαϛον. Indicat opus quemque.* Et quidem prout praeſtantia, aut res geſtae in plurimorum notitiam peruenerunt, *claritas* proprie dicitur [10]. Vbi autem comitatur aliquem apud alios opinio peculiaris prudentiae ac ſapientiae citra dextre determinanda dubia practica, aut veritates theoreticas *auctoritas* nuncupatur: quam rotundius aliqui *opinionem maioris ſcientiae coniunctam cum probitate* definiunt. Neque alio intuitu aetas prouectior exiſtimationem iudicatur intendere, quam quia ex multo rerum vſu, & diuturna contemplatione negotiorum humanorum prudentiam conciliaſſe putatur. Vid. *L. 5. D. de Iure immunitatis.* QVINTVS CALABER L. V. *Ἀιεὶ δ᾽ ἐν βȣλῇσι γέρων πολύιδρις ἀμείνων Ὁπλοτέρȣ πέλει ἀνδρὸς, ἐπεὶ μάλα μυρία οἶδε. Semper enim in conſiliorum tractatione peritus ſenex potior eſt homine florentioris aetatis, cum plurimarum rerum cognitione valeat.* DIODORVS SICVLVS L. XIX. c. 34. *In omnibus ſic comparatum videtur, vt plus reuerentiae & honoris grandioribus natu, quam minoribus exhibeatur.* OPPIANVS Halieut. L. I. *Γῆρας γὰρ ἐπαίτιμον ἄνδρα τίθησι. Senectus venerabiles viros reddit.* Etſi non deſint, apud quos cani aetatis tantum, non ſapientiae ſunt indices; aut in quos quadrat illud OVIDII Metamorph. L. IX. fab. 11. *Qui propter amara ſenectae Pondera deſpicitur, nec quo prius ordine regnat.* Et *ſtat magni hominis vmbra.* LVCANVS L. I. [v. 135.] Eoque recte HORATIVS II. Sat. 8. monet: *Solue ſeneſcentem mature ſanus equum ne Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.* ANTIPHANES: *Σφόδρ᾽ ἐϛὶν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής· ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίγνεται. Valde vita noſtra vino eſt ſimilis; ſi parum adhuc ſupereſt, acetum fit.* Add. CHARRON de la Sageſſe L. I. c. 35. n. 5. STRABO L. XV. [p. 488. Ed. Geneu. 1036. B. Ed. Amſtelod.] *Indi aetati ſenum praerogatiuam nullam tribuunt, niſi prudentia excellant.* PHILO Iudaeus de Abrahamo. [p. 387. C.] *Senior non ex longitudine temporis, ſed ex laudata vita ſpectatur. Siquidem qui multum aetatis in corpore vixerunt ſine probitate, longaeui pueri dicendi ſunt.* Aliquando etiam locum habet illud VARRONIS de Re Ruſtica L. II. c. 2. *Ea melior aetas, quam ſequitur ſpes, quam ea, quam mors.* QVINTILIANVS Inſtit. Orat. L. II. c. 1.

 Non

complura egregia veterum loca collegit ad illuſtrandam ſententiam Antonini, quae hoc loco ab AVCTORE laudatur.

6) Quibus dotibus inſtructus *eſt quaſi Deus inter homines*, vt ait ARISTOTELES III. Pol. 9. H.

7) *Forma imperatoria* a Nepote inſignita. H.

8) Conf. ARISTOTELES IV. Pol. 4. princ. H.

9) Conf. CLERICVS ad 1 Sam. IX, 2.

10) DIODORVS SICVLVS in Fragmentis Peireſcianis ab Henr. Valeſio editis: *Ἀννίβας διὰ μόνης περὶ αὐτὸν φήμης καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην περιβλεπτος ἐγίνετο κατὰ πᾶσαν πόλιν ἑκάϛῃ σπεύδοντες θεάσασθαι τὸν ἄνδρα. Annibal ſola forma ſua* (iam aliis ornamentis amiſſis) *toto orbe habitabili erat ſpectabilis, per ſingulas ciuitates vnoquoque ad intuendum tantum virum feſtinante.* H.

Non id aeſtimandum, cuius quisque ſit aetatis, ſed quantum in ſtudiis iam effecerit. ISOCRATES Archidamo, [init.] Ὀυ τῷ πλήθει τῶν ἐτῶν πρὸς τὸ φρονεῖν εὖ διαφέρομεν ἀλλήλων, ἀλλὰ τῇ φύσει καὶ ταῖς ἐπιμελείαις. *Non annorum ſpatium, ſed ingenium & diligentia in cauſa eſt, vt alios alii prudentia ſuperemus.* PHILOSTRATVS in Vita Apollonii Thyan. L. VI. [c. 8. p. 287. D Ed. Morelli c. 16. Ed. Olear.] *Non prohibet adoleſcentia, ne quis poſſit melius etiam quam ſenes, aliquid diſcernere.* Imo in vniuerſum foeminae magis a flore aetatis, quem ſenio commendari volunt. Hinc Lais aetate prouectior ſpeculum Veneri dedicat, addita ratione: Ἐπεὶ τοίη μὲν ὁρᾶσθαι οὐκ ἐθέλω· οἵη δ' ἦν πάρος, οὐ δύναμαι. *Nam me cernere talem, Qualis ſum nolo: qualis eram nequeo*, vti eſt in Epigr. PLATONIS Anthol. L. VI. QVINTILIANVS Declam. 306. *Neque amatur anus, niſi memoria.* Add. BACO Sermon. fidel. c. 40. Sed & ſexui maſculino maiorem prae foeminino dignitatem tribuere putatur *L. 1. D. de Senatoribus.* Add. tamen Iacob. GOTHOFREDVS de Praecedentia Part. 1. c. 5. §. 35. Quanquam in vniuerſum ſexus foemininus cum maſculino quaedam exiſtimationis fundamenta habet communia; quaedam peculiaria, vti eſt praecellentia in virtutibus, & functionibus, quae in eum ſexum praecipue iudicantur cadere; quaedam demum mutuatitia, vt quod radiis maritorum dicuntur fulgere, vid. *L. 8. D. de Senatoribus*, aut quod ſe numero & praeſtantia prolis quam maxime efferunt. Vid. OVIDIVS Metamorph. VI. Fab. 4. v. 127. ſeqq. VALERIVS MAX. L. IV. c. 4. §. 1. PLVTARCHVS in C. Graccho [T. II. p. 836. E. Ed. Wechel.] de Cornelia. Add. quoque Oratio Kennedi ap. BVCHANANVM Rer. Scotic. L. XII. ſub init.

§. XIII. Ex hisce adparet, quid iudicandum ſit de traditis ab HOBBESIO Leuiath. c. 10. vbi omnia honoris ſeu exiſtimationis intenſiuae fundamenta ad *potentiam* reuocat; quae definitur poſſeſſione praeſentium mediorum ad obtinendum probabiliter aliquod bonum. Eamque facit vel *naturalem*, vel *inſtrumentalem*. Illa conſiſtit in excellentia facultatum corporis, aut animi; vti eſt inſigne robur, inſignis pulcritudo, prudentia, eloquentia, liberalitas, nobilitas, & ſimilia. Illa eſt, quae per iſthaec aut per fortunam parta tanquam medium inſeruit ad plura paranda; vti ſunt opes, honores, amici, proſpera fortuna. Et in vniuerſum, quaelibet qualitas, quae amorem vel metum multorum hominum gignit, vel huiusmodi qualitatis opinio eſt. Inde *dignitas* definitur per valorem ſiue pretium hominis tantum, quanti potentiae eius vſum aliquis emere vellet. Illum valorem declarare, ſeu manifeſtum facere, quanti aliquem aeſtimemus, eſt *honorare* & *inhonorare*; nempe magni aeſtimare eſt honorare; parui, inhonorare. Hinc enumerantur ſigna honoris velut naturalia; vti ſunt opem poſcere, obedire, dona alicui magna & pretioſa dare, (ex quo fundamento,

§. XIII. 1) Quo pertinet etiam procumbere vel proſternere ſe. Quem honorem Orientis Regibus habitum ſacra & profana hiſtoria nos docet. V. 1 Reg. I, 23. IOSEPHVS de Dauide, Saulem venerante, προσκυνῆσαι αὐτὸν, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ὡς ἔθος. *Adorat eum in faciem procidens, vt erat mos.* Phoeniſſae apud EVRIPIDEM ſic loquuntur:

Γονυπετεῖς ἕδρας προσπιτνῶ
Σ' ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.

Sup-

damento, neſcio an ſat adpoſite, Zanagae Princeps in Africa apud LEONEM Africanum L. I. pro hoſpitibus multos camelos ac ſtruthiones mactabat. Quod cum hoſpites deprecarentur, reſpondit: *Non ciuiliter ſe facturum, ſi tam magnificis & nunquam antea viſis hoſpitibus parua tantum animalia praeponat,)* in promouendo bono alieno ſedulum eſſe, loco cedere in re quacunque cupita, amoris vel metus indicia pateſacere, laudare, magnificare, beatum dicere, alloqui conſiderate, adire decore, humiliterque [1], credere, fidere, conſilium alicuius vel ſermonem quemcunque auſcultare, in opinionibus conſentire, imitari, honorare quos ipſe honorat, opera alicuius vti in capiendo conſilio, vel in rebus arduis. Dignitas porro ciuilis ipſi eſt valor ille, quem ciuitas alicui ponit, dum in illum imperium vel magiſtratum, vel negotium publicum quodcunque, vel etiam nomen vel titulum honoris cauſa confert. Vbi etiam recte obſeruatur, ciuitatem poſſe conſtituere aliquod ſignum honoris, quod ſua natura indifferens alias videtur. Sicut verbi gratia, equo regis inſidentem per plateas circumduci apud Perſas ſignum honoris erat Eſther VI, 8. item certa inſignia gerere. Sic apud Chinenſes officium ſalutandi capite & manibus peragitur: ſed Iaponii calceos a pedibus excutiunt. Chinenſes aſſurgunt illis, quibus honorem exhibere volunt: Iaponii in terra reſident, dedecori grandi ducentes, ſi quis erecto corpore conſiſtat in hoc officii genere. Bern. VARENIVS Deſcript. Iapon. p. 21. Add. quoque NEVHOF in Gener. Deſcript. Chinae c. 4. Apud ROCHEFORT Deſcript. Antill. Part. II. c. 19. itidem quaedam ſigna honoris rariora exponuntur. Iſthaec vti recte ſeſe habent, ita illud citra notam dimitti non poteſt, quod *honorem in ſolius potentiae exiſtimatione conſiſtere* aſſerat; & inde inferat, *modo actio aliqua magna & ardua ſit, & proinde magnae potentiae argumentum, vtrum iuſta an iniuſta ſit, parum referre. Itaque Ethnicis antiquis, qui Deos, quos in verſibus ſuis adulteria, caedes, aliasque magnas quidem, ſed iniuſtas vel immundas actiones commiſiſſe faciunt, non illos, vt exiſtimauere, dehoneſtaſſe, ſed valde honoraſſe.* Enimuero etiamſi concedere poſſimus, fundamenta honoris hactenus ad potentiam recte reuocari, quod effectum aliquem in vita humana producere apta ſint; cum quod citra effectum bonum vel malum velut mortuum torpet, hominibus in neutram partem videatur aeſtimari poſſe; vt tamen potentia ſola, citra coniunctionem cum bonitate, genuinum veri honoris ſit fundamentum, ipſi HOBBESIO, & ſanae rationi repugnat. Sane enim IDEM de Ciue c. 15. §. 9. honorem definit *per opinionem alienae potentiae coniunctae cum bonitate.* Inde *honorem neceſſario tres affectus conſequi: amorem, qui ad bonitatem, ſpem & timorem, qui ad potentiam referuntur.* Scilicet hic verus honor eſt, quem tres iſti affectus iunctim comitantur. Solus timor, quem excitat potentia ad malum determinata pro honoris indicio haberi nullo modo poteſt; cum metus habeat coniunctum odium; quem autem quis odit, perire cupiat. SILIVS

 ITA-

Supplex te, Rex, venerans genubus
Patrio deuoluor de more ſuis.

ex qua gente Phoenicum oriundi Carthaginenſes eodem more vſi, apud LIVIVM L. XXX. c. 16. At Graeci quibus proſterni, niſi in ſacris, mos non erat, eo more Reges Perſarum venerari noluerunt. Vid. CORNEL. Nepos Vit. Cononis c. 3. vbi in notis Boſius. NICEPHORVS L. VIII. Hiſtor. Eccleſ. cap. 36. *vbi de Simeone de Seleuciae Epiſcopo.* GROTIVS ad Matthaei IV, 9. H.

ITALICVS L. I. *Et metui demens credebat honorem.* Sic Chriſtiani de magna Diaboli potentia, ſed quae bonitate careat, & non niſi ad malum feratur, perſuaſi ſumus; quem tamen nemo ſanus eo nomine honorandum duxerit. Sicut & iſte, cum a Saluatore noſtro adorari vellet, non vngues, ſed dona oſtentabat. Matth. IV, 8. 9. Et nemo noſtrúm adprobat rationem illam quorundam barbarorum, cultum diaboli hoc obtentu excuſantium; ne noceat. Vnde etiam ferri non poteſt, quod IDEM d. l. inter ſigna honoris refert, *adulari alicui.* Cum omnis adulatio vitium vel in eo, qui adulatur, vel cui quis adulatur, praeſupponat, & indolem irriſionis habeat, & ſine affectu peragatur [2]. Vnde LVCANO L. V. [v. 385. 386.] dicuntur *voces, per quas iam tempore tanto Mentimur dominis.* Vid. PLVTARCHVS de Adulatoris & amici diſcrimine. Cordate Peſcennius Niger apud SPARTIANVM [c. 11.] cum ipſi Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit: *Scribe laudes Marii, vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irriſio eſt, maxime Imperatores; a quibus ſperatur, qui timentur, qui praeſtare publice poſſunt, qui poſſunt necare, poſſunt proſcribere.* Quod autem attinet fabulas Poëtarum, ſunt equidem, qui per iſtas hoc innui arbitrentur, Deos ſupra leges eſſe poſitos [3]. Etſi aliam rationem afferat SALLVSTIVS Philoſophus de Diis & Mundo c. 3. *Sed quamobrem adulteria, furta, genitorum vincula & reliqua improbitatis facinora fabulis complexi ſunt? Neque hoc indignum admiratione, vt, qua adparet abſurditate, ſtatim animus ſermones inuolucra eſſe exiſtimans, veritatem ex iis, quae ſilentio inuoluenda ſunt, eſſe intelligat* [4]. Sed quidquid huius ſit, ego non magis adulteria & ſtupra ſua Ioui cedere honori iudico, quam Meſſalinae, quod ex lupanari *laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.* Cordate PINDARVS Olymp. Od. [1. v. 55. & ſeqq.] Ἔςι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά. *Eſt autem homini conueniens dicere de diis honeſta.* Et ISOCRATES in laudat. Buſiridis [v. 395.] iſtas fabulas βλασφημίας, *maledicta* vocat, quibus *talia de diis ipſis commenti ſunt, qualia nemo in ſuos inimicos dicere audeat* [5]. *Nec enim furta ſolum, & adulteria, & apud homines ſeruitutes eis exprobrarunt; ſed & liberorum deuorationes, & patrum exſectiones, & matrum concubitus, & multa alia tetra facinora de illis confinxerunt. Quorum nondum illi quidem meritas poenas dederunt, non tamen omne ſupplicium effugerunt. Nam alii errones & mendici fuerunt, alii coeccati ſunt: alii pulſi patria, bellum perpetuum contra domeſticos ſuos geſſerunt. Orpheus autem talium fabularum praecipuus auctor, in fruſta diſcerptus interiit.* SENECA de Breuitate vitae c. 16. *Quid aliud eſt vitia noſtra incendere, quam auctores illis inſcribere Deos, & dare morbo, exemplo diuinitatis, excuſatam licentiam?*

2) PHAEDRVS L. V. Fab. 2. de Athenienſibus ſub tyrannico imperio:
Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum.
Tacite gementes triſtem fortunae vicem. H.

3) Vid. BERNARD. dans ſes Nouvelles de la Republique des Lettres menſe Martio 1705. pag. 298. 299.

4) Quibus Hiſtoriolas antiquas deſignat, quae variis modis corruptae & deformatae fuerant: poſtquam primitus ad homines ſaepe vitioſiſſimos pertinuiſſent, quos ignorantia & ſuperſtitio in Deorum numerum retulerat. Vid. CLERICVS in Bibliotheca vniuerſali paſſim & in Bibliotheca ſelecta T. VII. p. 88. & ſeqq. vbi liber Seldeni de Diis Syris recenſetur.

5) Ἀλλὰ ταῖς τῶν ποιητῶν βλασφημίαις ἐπηκολουθήκας, οἳ - - - τοιούτους λόγους περὶ αὐτῶν τῶν θεῶν εἰρήκασιν οὓς οὐδεὶς ἂν περὶ τῶν ἐχθρῶν τολμήσειεν εἰπεῖν.

Digitized by Google

centiam? Fvlgentivs Mythol. L. I. [v. 55. 56. 57.] *Si furtis praeſuere dii, non erat opus criminibus iudice, ex quo culpae habuere coeleſtem auctorem.*

§. XIV. Porro omnia haecce exiſtimationis intenſiuae fundamenta in ſe non producunt niſi ius imperfectum ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Adeoque ſi eundem aliis etiam bene meritis quis denegauerit, non poteſt dici iniuriam feciſſe, ſed duntaxat inhumanitatis, aut, ſi ita loqui licet, inciuilitatis notam ſibi contraxiſſe [1]. Nam inter eos, qui in naturali inuicem libertate viuunt, naturaliter vtique inuicem aequales, non adparet, quomodo quis ab altero iure ſuo honorem poſtulare queat; cum ob naturalem amorem, quo quis ſe & ſua proſequitur, iudicare poſſit, talia in ſe eſſe, quae omnino paria ſint, aut ſuperiora illis, quibus alter ſe effert [2], verbi gratia, Oſtentat aliquis canos ſuos: aſt alter iuuenilem vigorem ſuum iſtis longe potiorem habet. Pindarvs Olymp. Od. 4. [in ſine] *Φῦνταἰ δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. Naſcuntur autem & iuuenes inter viros cani crebro, etiam praeter aetatis iuſtum tempus.* Alium ſpes ſua aeque, atque alterum res inflat. Ferox eſt Aiax robore corporis: aſt Vlyſſes prudentia & facundia longe ſe praeferendum iſti iudicat, iactans illud apud Sophoclem, Aiace Flagell. [pag. 69. Ed. H. Steph.] *Οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι· ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ. Non ſane robuſti viri ſunt firmiſſimi, ſed prudentes vbique praepollent.* Alius diuitias iactat, alius animum regum opes aequantem. Hic eruditione ſua gloriatur; alter reponit illud Platonis Epiſt. X. *Τὸ βέβαιον, καὶ πιστὸν καὶ ὑγιὲς, τοῦτο ἐγώ φημι εἶναι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν. Firmitatem, fidem, ſinceritatem, veram eſſe Philoſophiam exiſtimo.* Hic adeptis ſe honoribus effert; alter occinit illud Ciceronis Epiſt. ad Famil III. 13. *Inſignia virtutis multi etiam ſiue virtute aſſecuti ſunt* Alius denique canit illud Evripidis Phoeniſſis: [v. 445.] *Πένης οὐδὲν εὐγενὴς ἀνήρ. Genus ſine pecunia nihil valet:* ac ridet illos, in quos cadit: *Λαμπροὶ εἰς γένος γε. Χρημάτων δὲ δὴ πένητες, genere ſplendidi, opibus egeni.* Evripides Electra. [v. 37. 38.] Quin & tandem a ſapientibus ſtultum habetur, homines ex opibus [3], dignitatibus, honoribus, & omnibus, quae extra ipſum hominem ſunt, aeſtimare; perinde ac ſi quis equum ex ſella aut froeno vellet aeſtimare [4]. Deinde cum delatio honoris eliciatur per id, vt quis agnoſcat praecellentem in altero praeſtantiam, ſeque eam ob rationem ipſi vltro ſubmittat; & vero hoc per vim externam non poſſit extorqueri, quae contumaciam potius animi obfirmat: patet, inconueniens eſſe iſtis fundamentis in ſe tribuere vim iuris perfecti, quod etiam vi armiſque poſſit aſſeri.

Cultus

§. XIV. 1) Conf. ſupra L. I. c. 6. §. 10. ſeqq. L. III. c. 2. §. 2. H.

2) Hactenus verum eſt illud Aeschyli Prometheo Vincto:

Οὕτως ὑβρίζειν τοὺς ὑβρίζοντας χρεών.
Contra ſuperbos ius habet ſuperbia. H.

3) Quae Auctori mutuo dediſſe videtur Charron de la Sageſſe L. I. c. 5. (35) §. 9. num. 5. Neque tamen Pvfendorfivs profitetur, vnde ſua hauſerit. Quod aliis quoque in locis ab eo neglectum fuiſſe ſupra aliquoties obſeruatum fuit. Charron autem hic, vt fere ſemper ante oculos habuiſſe videtur Montagne Eſſais L. I. c. 42. princ.

4) *Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt,*
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua fidesque
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt
Si recte facies - - -
Horativs Epiſt. I. 1. v. 57. & ſeqq.

Cultus enim qui cogitur per vim imperii, ſignum non eſt honorantis interne, ſed metuentis mortem. Accedit, quod cum externa honoris ſigna, ni ex animi ſubmiſſione proficiſcantur, ſint inania, & ludibrium potius, quam honor: ſtultum ſane fuerit propter horum denegationem in arma ruere. Inprimis ſi alter proteſtetur, ſe venerationem omittere non ex contemtu, ſed quia libertate ſua velit frui; quae ipſi indulgeat, non cogi per vim ad ea, quae ex ipſius arbitrio & humanitate debeant dependere. Sicuti quondam Scythae ad Alexandrum: *Qui ſis, vnde venias, licetne ignorare in vaſtis ſyluis viuentibus?* [CVRTIVS L. VII. c. 8. n. 16.] Et Ariouiſtus apud CAESAREM de B. G. L. I. [c. 34. num. 2.] *Si quid ipſi a Caeſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum fuiſſe; ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere.* Ad eundem fere modum Vologeſes Parthorum rex Neroni, a quo arceſſebatur, reſpondit: *Tibi quidem longe facilius eſt tam magnum mare tranſire, quam mihi. Si ergo in Aſiam veneris, conſtituemus, quando nobis congrediendum ſit.* XIPHILINVS Epit. Dionis. Ex quibus manifeſtum eſſe videtur, etiamſi rationi naturali congruum ſit, vt praeſtantioribus honos deferatur; imo ſi quis velit, per nos quoque inter praecepta iuris naturalis poſſit referri, digniores eſſe honorandos: id tamen officium inter illa eſſe referendum, quae quis ſuo iure non poſſit exigere, ſed quorum praeſtitorum laus alterius humanitati ſit relinquenda. Verum vt quis ſuo iure poſſit honorem, aut quoduis eius ſignum ab altero poſtulare, neceſſum eſt, vt vel imperium in ipſum obtineat, vel tale ſibi ius quaeſiuerit ex pacto, aut lege per communem dominum lata vel adprobata. Huc ſpectat, quod MANDELSLO Itin. Part. II. refert, cum inter Luſitanos & regem Cochini poſt diuturnum bellum de pace tractaretur, rem diu haeſiſſe, quod nobiles Indi, Nairos dicti, poſtularent, vt Luſitani ipſis via decederent, ſicut plebeii, apud Indos facere coguntur. Id cum Luſitanis indignum videretur, tandem res pugna ſingulari fuit commiſſa. In qua cum Luſitanus viciſſet, inde tenentur Nairos iam Luſitanis via decedere, & ſubſiſtere, quousque illi praeterierint.

§. XV. CAETERVM inter priuatos quidem ſuper honore atque eminentia illud pulcerrimum fuerit certamen, ſi inter ſe contendant, quis promtior fuerit in honore deferendo, aut modeſtior in eodem deprecando. Et merito ridentur, qui ſuper iſto acrius certauerint; praeſertim vbi idem ſterilis, & nullo cum emolumento fuerit coniunctus. Ineptus, *per medium pugnat qui prior ire lutum* [1]. MARTIALIS L. X. Ep. 10. [v. 8.] SENECA de Ira L. III. c. 37.

§. XV. 1) Qui locus ab AVCTORE eleganter huc trahitur, quamuis apud Martialem ad aſſentatores pertineat.

2) Quod dictum, aut aliud ſimile in eandem certe ſententiam prolatum quidam Carolo V. tribuunt, enunciatum inter duas matronas, de priori loco decertantes.

3) Tiberius apud TACITVM IV. Annal. 40. *Caeteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum diuerſam eſſe ſortem, quibus praecipua ad famam dirigenda.* Vid. BOXHORNIVS Diſquiſit. polit. caſ. 27. H. GROTIVM Ep. 829. H.

4) Vid. ſupra L. VII. c. 3. §. 9. Exemplum ſeruilis adulationis Pruſiae, Bithyniae Regis, habes apud POLYBIVM Excerpt. Legat. n. 97. H.

5) Eſt autem maieſtatem colere, omnia facere, quae ad alterius Principis aut populi maieſtatem tuendam ſunt neceſſaria. V. infra c. 9. §. 4. H.

6) Vid. de praerogatiua Imperatoris Romani Petr. de MARCA L. II. de Concord. Regni & Sacerdot. c. 2. §. 9. Vbi tamen illa, quae ex comitate

Digitized by Google

c. 37. *Minus honorato loco poſitus iraſci coepiſti conuiuatori, vocatori, ipſi qui tibi praeferebatur. Demens, quid intereſt quam lecti premas partem? honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere puluinus?* Sic vt merito commendari debeat ſententia illius principis, lata in duos miniſtros minorum gentium, ſuper priori loco in templo contendentes; vt qui ſtultitia inter ipſos excelleret, priori loco ſederet [2]. Add. Mich. MONTAIGNE Eſſais. L. I. c. 16. Nam quod QVINTILIANVS Declamat. 252. *honorem* vocat *pretioſiſſimum pauperum cenſum;* id de exiſtimatione ſimplici capiendum eſt. Enim vero inter principes, atque integros populos ſuper eminentia dignitatis, & quae inde dependet, praecedentia, maiore praetextu nullis fere non ſeculis certatum deprehendimus [3]. Sic vt in plurimos congruat illud apud OVIDIVM L. V. Faſtor. *turbaque coeleſtes ambitioſa ſumus.* Eas circa lites quae argumenta ſoleant adferri, paulo preſſius conſiderandum. Illud igitur extra controuerſiam eſt poſitum, ſi vnus principum ab altero dependeat tanquam a ſuperiore, hunc iſto eſſe digniorem, eique prae hoc deberi praecedentiam ex iure perfecto; vtut fortaſſe pari vterque titulo gaudeat. Sic dantur exempla maiorum regum [4], qui alios ſub ſe habent nomine reges, reuera magiſtratus & gubernatores prouinciarum. Quidam regna ſua ab aliis agnoſcunt tanquam feuda, alii alio titulo. Sic apud TACITVM Agricola, [c. 14.] *vetus ac iam pridem recepta populi Romani conſuetudo* vocatur, *vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & reges.* Adherbal apud SALLVSTIVM Iugurth. [c. 14.] *Micipſa pater meus moriens mihi praecepit, vti regni Numidiae tantummodo procurationem exiſtimarem meam; caeterum ius, & imperium penes vos P. C. eſſe.* Et qui foedere inaequali alicui iungitur, is eo ipſo alterius dignitatem eminentiorem fatetur; dum ad iſtius maieſtatem comiter colendam ſeſe obſtringit [5]. Sed & illud dubio caret, vbi princeps aliquis pro ſua perſona, aut tanquam caput ſuae ciuitatis aduerſus alium ius praeſtantioris dignitatis, & praecedentiae quaeſiuerit ex pacto, aut per conſuetudinem & patientiam alterius [6], cuius nulla probabilior ratio poſſit proferri, quam quod hic iſtum ſe digniorem agnoſcat, ei iuri poſſe inhaereri, quamdiu durat iſte velut character dignitatis, ſub quo ius illud fuit quaeſitum. Vid. Iac. GOTHOFREDVS de Praecedentia Part. I. c. 1. Add. quoque quae apud Andr. MAVROCENVM Hiſtor. Venet. L. VIII. p. 301. ſeqq. ſuper praecedentia Oratoris Galli & Hiſpani diſputantur. Et Auctoris ANONYMI Memoires touchant les Ambaſſadeurs p. 328. Vbi recte monet, non debere tertium aliquem ſibi hoc ſumere, vt quae inter alia agitentur ſuper praecedentia lites, definire velit [7].

§. XVI.

mitate fiunt, in argumentum trahi non debent. Perierit enim, quibus propria eſſe debet, comitatis ratio Principibus, ſi humanitate certare periculum ſit. Vid. BOECLERI Excerpt. ex actis Senatus in Parnaſſo membr. 5. Nec regula illa, quam ceremoniarum magiſtri inculcare ſolent (Vid. Iacob. GOTHOFREDVS Part. 2. de Praecedent. §. 7.) qui in alterius fines colloquii & congreſſus ergo tranſit, minorem ſe altero profiteri, & minorem ad maiorem ſe conferre, vera eſt. Vid. de Friderico III. Imper. ex itinere Romano Neapolim ad Regem Alphonſum ſe conferente, Aeneam SYLVIVM in Hiſtoria Friderici III. Imp. p. 82. ſequ. vbi alia exempla adferuntur, & L. III. Commentar. p. 66. H.

7) Tamen non dubitandum, anteuerti poſſe controuerſias; quae metuuntur, legibus a ſummo imperante, apud quem morantur legati, latis. Puta,

§. XVI. Enimvero vbi nondum alicui tale ius fuit quaeſitum, variis argumentis dignitas eminentior aſſeritur. Inter ea praecipue ſolet allegari antiquitas regni atque familiae [1]; amplitudo & opulentia ditionum, & potentia: qualitas poteſtatis, qua quis Imperium in ſuo regno gerit; & ſplendor tituli. Antiquitatem ciuitatibus & familiis venerationis quid addere perſuaſum vulgo eſt; iactantque, qui iſthac nituntur, ſeſe iam tum ſua dignitate exſplenduiſſe, cum alia adhuc regna vilis pars ſeruientium forent; aut cum familia illa, quae iam nouo diademate ſuperbit, adhuc intra plebeiam obſcuritatem latitaret. Nefas eſſe de dignitate contendere aduerſus illum, cuius maiores alterius maioribus poterant vti miniſtris. Eſſe hanc velut naturalem, & communem legem, vt quae poſterius tempore producuntur, prioribus ſubſint. Excurritur dehinc in magnificam commemorationem eorum, quae ab iſto regno, aut per familiam regnatricem praeclare bello ac pace geſta ſunt. Quorum noui iſti parum aut nihil oſtentare queant. Potentia autem venerationi terrorem quoque miſcet: & non imprudens [2] ſolum, ſed & temerarium videtur cum illo de dignitate velle contendere, cui plurima facultas nobis benefaciendi iuxta atque nocendi. Et efficaciſſimus videtur modus ambiendi honores, ſi quis demonſtrato ſuo gladio poſſit dicere; *ſi vos non vultis, hic faciet.* Sed & eminentius iudicatur ſumma libertate gaudentem ſoli Deo ſubeſſe, quam legibus humanis, aut pactis degere obnoxium. Denique cum per titulum res ipſa ſoleat exprimi, eius quoque ſplendor & amplitudo non inferiorem dignitatem arguere putatur. V. quoque Andr. Mavrocenvs Hiſt. Venet. L. XII. p. 484. vbi de aemulatione Principum Italiae agit, ea occaſione excitata, quod Pius V. Coſmum Magni Ducis titulo inſigniuiſſet. Et Petrus Svavis Hiſt. Concil. Trident. L. V. p. m. 402.

§. XVII. Haec & ſimilia quanquam ſat plauſibiliter poſſint iactari; fatendum tamen eſt, eadem omnia per ſe producere duntaxat ius imperfectum, ni acceſſerit aliquod pactum expreſſum, aut tacitum, quod recepto mori ineſſe intelligitur. Neque deſunt, quibus vis eiusmodi argumentorum poſſit eleuari. Ipſam antiquitatem in ſe nihil habere dignitatis, cum ea nihil notet, niſi tractum durationis, quae vilem aeque atque praeſtantem rem poſſit proſequi. Id habere omnia regna, vt ſint libera, & ab alio non dependeant. Id quamdiu obtinuerint, parum intereſſe. Equidem quod diu aliquod regnum floruerit, indicio eſſe, eius compagem concinne diſpoſitam, idemque bene fuiſſe adminiſtratum. Tum fati benignitate, aut ciuium virtute exterum hoſtem defuiſſe, aut feliciter fortiterque depulſum. Sed non minus recentes ciuitates commode poſſe diſponi, & adminiſtrari, quam veteres. Imo fortaſſe commodius, quod harum bona inſtituta ex periculoſis ſaepe experimentis prouenerint: illas autem optima quaeque ab aliis iam inuenta in vſus ſuos poſſe transferre.

Puta, vt inter aequales & de praerogatiua certantes, qui regnum prius ingreſſi ſunt, prius audiantur. Item ne legati praeſentes alterius Principis legato aduenienti rhedas ſuas obuiam mittant. Item vt a ſolemnibus actibus abſtinere iubeantur. Add. Freinshemivs Diatr. 2. de Praeced. Elect. & Cardinal. §. 48. §. 51. H.

§. XVI. 1) Vid. Iacob. Gothofredvs Part. 1. de Praecedent. c. 3. §. 15. 16. A. L. VII. Rer. Suecicar. §. 137. ad A. MDCXXXV. vbi de lite ſuper

ferre. Diuturnam quidem fati clementiam ſibi neminem poſſe praeſtare; id tamen effici poſſe, ne per praua inſtituta ciuitas in ſe trahere ruinam incipiat. Denique ex praeſentibus quemlibet aeſtimandum; praeterita non amplius, futura nondum ad nos pertinere. Neque ciuitates aliquod velut ſyſtema, aut concilium inter ſe, conſtituere, vt recentiſſimae cuique locus ſit infimus occupandus; ſed quamlibet ſeorſim ſua ſibi libertate gaudere. Quod vna familia in ciuitate aliqua diu imperium tenuerit, ſaepe quidem indicio eſſe, minores maiorum virtutem aemulatos; plerunque opes ipſam ſuas firmiter diſpoſuiſſe, vt non auſus fuerit aliquis ſolio eandem deiicere. Interdum ingenio populi, a rebus nouis abhorrentis, aliquam familiam diuturnam imperii poſſeſſionem debere. Nonnunquam ſolius fati beneficium vocandum, quod Metelli Romae ſint conſules. Aſt qui recentes ad illud faſtigium enituntur, reponere poſſunt tritum illud: *Et genus, & proauos, & quae non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.* [Ouid. Lib. XIII. v. 140.-141.] *Item, Suppleuit fortuna genus.* STATIVS Sylu. L. III. Nihil facilius eſſe, quam partam a maioribus opimam haereditatem cernere: ſed ſuum patrimonium ſibi ipſi adquirere virtutis opus eſſe. Sorti naſcendi illos ſuam magnitudinem acceptam ferre; ſe propriae praeſtantiae. Illos aliena & obſoleta decora crepare; ſe propriis & recentibus eniteſcere. Denique ſummum nobilitatis gradum haberi, regem eſſe. Haec recentem aeque, atque antiquam familiam efferri OVIDIVS [Faſtor. L. V. v. 26.] de maieſtate: *Quoque die partu eſt edita, magna fuit.* Accommodari etiam huc poteſt illud ARNOBII L. II. [p. 93. in fin. Ed. Lugd. Bat.] *Noua res eſt, quam gerimus? quandoque & ipſa vetus fiet. Vetus quam vos agitis? ſed temporibus quibus coepit noua fuit ac repentina.*

§. XVIII. POTENTIA autem hactenus quidem ſigna venerationis apud infirmiores poteſt elicere, quod ſtultum ſit illi non cedere, cui nocendi facultas. Sicuti facete Fauorinus apud SPARTIANVM Hadriano, [c. 15.] *arguentibus amicis, quod male crederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores vſurpaſſent; non recte, inquit, ſuadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Nam *plurima ſunt, quae non audent homines pertuſa dicere lena.* IVVENALIS Sat. 5. [v. 130. 131.] Enimuero ſi alicui regi tantum ſit virium, vt regnum ſuum commode poſſit tueri, ille ſane non habet, quare alicui cedat, opibus quidem ſuperiori, ſed quas ipſe neque metuere, neque ambire ſui conſeruandi cauſa neceſſum habeat. Libertas quippe in aequo poſita eſt, quae magnitudine opum hautquidquam diſtinguitur. Pateat igitur vnius imperium per ſexcenta milliaria, alterius per centum duntaxat. Idem tamen imperium hic in modica ſua, quam alter in laxiore ditione obtinet: neque hic minus, quam alter finem ciuitatum inſtitutarum aſſequitur. Ne dicam quod ſola potentia, prout notat vires aliis nocendi, in ſeſe non ſignificet talem praeſtantiam,

 quae

ſuper antelatione inter ſequeſtres belli Sueco-Polonici, Gallo priorem, Anglo aequalem locum poſtulante, & L. 9. §. 79. ad A. MDCXXXVII. vbi Sueci cum Anglis diſceptabant. H.

2) Antea hic legebatur *impudens.* Sed praetulimus noſtram lectionem quia in Diſſert. AVCTORIS de Exiſtimatione §. 24. princip. ſic legitur. *Potentia autem hactenus quidem ſigna venerationis apud infirmiores poteſt elicere, quod ſtultum ſit illi non cedere, qui nocere poteſt.* Maior autem pars huius capitis ex dicta Diſſertatione deſcripta eſt.

quae ſit idonea ſeriam venerationem elicere. Nam haec amore quopiam temperata eſt. Nocendi autem vires odium conciliant. Add. Iaco[illegible] GOTHOFRED. d. tr. Part. I. c. 3.

§. XIX. PORRO poteſtatem abſolutam & nullis legibus limitatam habere, vtique maiorem venerationem terrore mixtam apud ſubiectos conciliat: non item apud alios principes, qui alterius abſolutam poteſtatem in ordine ad ſe pro nuda libertate naturali aeſtimant: quae per ſe nullam dat praeeminentiam in eum, in quem quis imperium non habet. Et cum princeps non ex propriis tantum iuribus, ſed ex conditione illius ciuitatis, cui praeeſt, aeſtimandus ſit; poteſt vtique princeps limitatus ex iſthac talia habere, vt abſoluto aliquo longe ſit potior. Denique tituli, & quidquid eſt verborum vſu ſicut nummi valent; & cum in rege nihil praeſtabilius poſſit inueniri, quam ſummum imperium, ſufficit ſi iſti hoc natiuo ſenſu, aut ex vſu vulgi exprimant. Splendor aut modeſtia vocabulorum ipſi rei nihil addit, demitue. (Add. tamen Georg. BATEVS in Elencho motuum nuperorum in Anglia Part. II. p. m. 246. ſeqq. & AVCTOR Cardinaliſmi Part. I. L. III. p. m. 375. ſeqq.) Sic quod Turcarum monarcha vulgo dicitur imperator, Perſarum, rex, id in ſe nullam iſti prae hoc eminentiam tribuit. Ambitioſam autem encomiorum ſtruem proprio titulo adponere, vti barbariem redolet; ita idem ſubiectos ſimpliciores fortaſſe ad venerationem mouere poteſt, alios non poteſt. Quid enim intererat, verbi gratia, Imperatoris Romani, Sapores Perſarum rex *fratrem* ſe *Solis & Lunae*, apud AMMIANVM MARCELLINVM L. XVII. c. 5. (add. IDEM L. XXIII. c. 6.) an Saturni & Veneris nuncuparet? Add. GROTIVS L. I. c. 3. §. 10. *

§. XX. EX HISCE omnibus ſatis firmiter videtur concludi, ex obligatione perfecta, quae in [illegible]tero ius proprie dictum praeſupponit, regem reuera talem non teneri loco [illegible]dere alteri regi tanquam digniori [1], vtut hic conditionibus iam enumeratis praepolleat; neque ciuitatem liberam alteri ciuitati liberae,

§. XIX. * Et libellus Algernonis SIDNEII de Gubernatione c. 3. ſect. 32.

§. XX. 1) Vid. LOCCENIVM L. VIII. Hiſt. Suecan. ad A. MDCXII. H.

2) Nam & illa ſummae poteſtatis compos eſt. Vid. ſupra L. VII. c. 5. §. 5. H.

3) Idem dixero, ſi Regis legatus concurrat cum alio Rege. Vid. ſupra ad L. I. c. 1. §. 12. H.

§. XXI. 1) Exemplum Franciſci I. R. Gall. Ferdinando Aragon. Neapol. & Siciliae Regi locum in eundo ſuperiorem concedenti, apud SVRITAM in Annal. Aragon. ad A. MDVII. Aliud apud AVCTOREM L. V. Vit. Caroli Guſtaui Suec. Reg. §. 14. A. MDCLIIX. Hiſpani in actione pacis Veruinenſi, apud CAMDENVM Hiſtor. Eliſabeth. ad A. MDXCIIX. *factam ſibi iniuriam interpretabantur, ſi potior locus illis non concederetur vel ex hoſpitii iure, quandoquidem in Gallici imperii oppidum deuenerint.* Vid. FREINSHEM. Diatrib. 2. de Praeced. Elect. & Card. §. 22. ſequ. H.

2) Paucis verbis heic multa dicit. Reges quod attinet, de iis non vna eſt ICtorum ſententia, vt videre eſt apud KNICHEN de Iure territor. c. 4. n. 4. ALCIATVM in cap. 1. X. *de Officio ordinar. n. 17.* VASQVIVM L. I. Controuerſ. illuſtr. c. 22. n. 19. ARNISAEVM L. III. de Maieſt. iurib. c. 6. HOVTVYN Not. ad Politic. general. §. 47. n. 2. Ante omnia monendum, non quaeri, quid honeſtius, ſed quid iuris ſit: neque enim dubitandum, e dignitate ſummorum Principum eſſe, vt vltro quidem & in venerationem principalis faſtigii

Digitized by Google

liberae, licet antiquiori aut potentiori. Quin nec ciuitas popularis in ſe videtur dignitate inferior ciuitate monarchica [2], quamuis in ciuitate democratica nemo vnus reperiatur, qui cum rege comparari poſſit. Vnde nec ciuitatis liberae legatus neceſſario legato regis loco cedere tenetur. Verum quia in dignitate vicaria & delegata tantum ſplendoris eſſe non poteſt, quantum in originaria, neque in magiſtratu tantum dignitatis, quantum in principe; & vero ciuitates liberae cum regibus in eodem loco conuenire non poſſunt, niſi per legatos aut deputatos; adparet ſane, omnino legatum ciuitatis liberae cedere debere cuicunque regi [3] aut principi, cui ſummum eſt imperium.

§. XXI. Isthaec tamen aequalitas inter eos, qui ſummo ſunt imperio praediti, non impedit, quo minus, ſi opus ſit, congredi queant per ſe, aut ſuos legatos, aut etiam in ſtabile concilium coaleſcere. Nam ſi vnus regum ad alterum in ipſius ditionem accedat, lex vtique ciuilitatis requirit, vt quis hoſpiti domi ſuae primum locum deferat [1]; niſi forte veniat tanquam ſubditus temporarius. Nam vtut in territorio ſuo quilibet ſit ſummus; tamen vti legati, ſic & ipſi reges fictione quadam videntur conſtitui extra territorium regis [2], ad quem eiusdem conſenſu accedunt, non exuto fortunae ſuae ſplendore. Vt enim princeps aliquis diſſimulata perſona, & non petita venia in alienam ditionem accedat, ego non ſuaſerim. Sane Gramondvs Hiſt. Gall. L. XIII. fidenter pronunciat: *Nihil peccari contra ius publicum ex laruati cuſtodia principis.* Cuius rei tamen rationem non ſatis diſpicio, niſi quod ſuſpicionem eiusmodi acceſſus, & contemtum erga dominum territorii habere videatur [3]. Vbi duo pluresue in loco tertio congrediuntur, facile caueri poteſt, vt ne vnus alteri praelatus videatur. Nam & conclauia liceat comminiſci [4], vt iudicari nequeat, quis in iis prior aut dignior locus ſit. Quo fine a multis in eiusmodi congreſſibus adhibitae menſae circulares. Avsonivs in Ludo ſeptem ſapientum, [v. 78. 79. 80.] *Recte olim ineptum Delphicus luſit Deus Quaerentem, quisnam primus ſapientum foret: Vt in orbe tereti nomina eorum inſcriberet, Ne primus eſſet, ne vel imus quiſpiam.* Poſſunt etiam ab initio proteſtari, ſeſe citra vllam

ſtigii Principibus peregrinis & hoſpitibus indulgeant, ac potius hoſpitalitatis ac comitatis, quam rigidae poteſtatis in eos affectatione certent. At ſi de iure quaeſtio ſit, Princeps, cuius conſenſu & fide publica alter Princeps fines eius regni ingreſſus eſt, huic ſaltem in domeſticos ſuos iurisdictionem reliquiſſe cenſetur: nam & illam habent Duces, qui cum exercitu alterius territorium tranſeunt & legati. Alia ſummae poteſtatis iura exercere non poterit, niſi ex conceſſione; imo ſi hoſtilia moliatur, poterit quoque puniri. Atque ex his etiam iudicari de legatis poteſt. Hi ſane in familiam ſuam iurisdictionem habent, (Vid. exempla apud Richardum Zovchaevm Libello de Legati delinquentis iudice competente p. 33. ſequ.) & ratione actuum ſuorum exempti ſunt a legibus ciuilibus illius ciuitatis. At ius aſyli in domo ſua pro quibusuis eo confugientibus ex conceſſione pendet eius, apud quem agunt. Vt Grotivs ipſe docet L. II. de I. B. & P. c. 18. §. 8. n. 2. Adde Sleidanvm L. XII. Comment. ad A. MDXL. Vbi de Venetis, de quibus etiam Parvta Hiſt. Venet. L. X. & XI. ad A. MDXLI. Avctor L. XVIII. Rerum Brandenburg. §. 19. ad A. MDCLXXXVII. H.

3) V. Avctor Compendioſae Deſcriptionis vitae Caroli I. Angl. Regis, multis exemplis ex Anglicana hiſtoria probantem, Principem, quamprimum in alterius regni fines ſine venia pedem intulerit, captiuum fieri. H.

4) Exemplum illuſtre in actione pacis Bredanae A. MDCLXVII. vbi in deſtinato ad conuentum publicum conclaui quatuor pro ſingulis legatis patebant ingreſſus, & in medio eius menſa rotunda erat poſita. H.

lam praecedentiae conſiderationem congreſſuros, ſed promiſcue ſeſſuros prout cuique lubitum, aut prout caſus tulerit. Sicut de Brachmanibus Indorum ſapientibus refert PHILOSTRATVS de Vita Apollonii Thyanaei L. III. [c. 8. p. 134. C. D. Edit. Morelli c. 27. in fin. Ed. Olearii 1709.] *Nullum regi praecipuum locum aſſignantes, quod apud Graecos Romanosque maximi aeſtimatur: ſed vt cuique in mentem venit accubuere.* LVCIANVS Epiſt. Saturn. [ad diuit. p. 628. T. II. Ed. Amſt.] Τὸ γὰρ ἥδιστον καὶ συμποτικώτερον ἡ ἰσοτιμία ἐστι. *Iucundiſſimum & conuiuiis aptiſſimum aequalitas.* Add. ATHENAEVS Dipnoſoph. L. I. c. 4. Idque eo facilius procedit, ſi iſti principes diſſimulata dignitate conueniant, & citra conſuetam pompam. Quo ipſo teſtantur, ſibi ſuper dignitate curam aut contentionem hautquidquam fore. Sed ſi hoc diſpliceat, ſorti res poteſt committi, idque vt vel ſemper quis illum locum retineat, quem ſemel eſt ſortitus, vel vt ordo per ſortem conſtitutus deinceps in orbem eat. Atque haec facilius adhuc procedunt, ſi legati duntaxat congrediantur [5], praeſertim cum circa hos aliud adhuc ſit medium colliſioni vitandae, ſi non idem omnibus, ſed diſparis valoris velut character a ſuis principibus tribuatur. Nam iſti dignitatem gradus, cum ex mera impoſitione oriantur, facillime plurimis modis variari poſſunt. Vid. Auctor ANONYMVS des Memoires touchant les Ambaſſadeurs. p. 428. Nec inſuper habendum, quod Rex Perſarum Abbas in conuiuio, qui ſectae Perſicae addicti erant, a dextris, qui Turcicae, a ſiniſtris collocaret; quod manus dextra ſit honoratior apud Perſas, ſiniſtra apud Turcas: prout memorat Petrus de VALLE Itin. Part. II. Ep. 5. Add. Iacob. GOTHOFREDVS d. tr. Part. III. Et quae ſuper controuerſia ſuper praecedentia inter Legatum Gallum & Hiſpanum Romae & Tridenti agitata ſunt apud Petrum SVAVEM Hiſt. Concil. Trident. L. VIII. Vbi tamen obſeruandum, valorem eiusmodi characterum communi Principum conſenſu eſſe definiendum. Nam ſi vnus proprio auſu nouum characterem comminiſci, ſuoque miniſtro imponere velit, ex quo hic apud alios certum honorem praetendere inſtituat, caeteri ſe iſtius arbitrio non teneri recte excipient. Vid. iam citatus Auctor ANONYMVS l. d. p. 534. ſeqq. Quanquam fatendum ſit, ſaepe praeſtare iſtam aequanimitatem, quam Ageſilaus prae ſe tulit, cum in choro loco obſcuro conſtitueretur: *Bene habet, inquit, oſtendam enim non loco virum, ſed viro locum cohoneſtari* [6]. PLVTARCHVS Apophth. Lacon. [p. 208. D.] Aut Damonidas, qui in ſimili caſu dicebat: *Bene factum, inueniſti enim huius quoque ſtationis ornandae rationem.* IDEM Apopht. [p. 191. F.] Addatur quoque IDEM Sympoſiacon L. I. c. 2. 3. & in Conuiuio ſeptem ſapientum. Obiter quoque addendum commentum Alphonſi XI. qui, vt aliquo modo componeret antiquam litem ſuper praecedentia inter ciuitatem Burgenſem & Toletanam, antequam litis vlla mentio fieret, dum in concilio ſententias perrogat: *Toletanos, inquit, ſcio imperata libentiſſi-*

5) A. MDXCIII. Regii in Gallia legati nullos ſibi titulos ſumebant, & ab illis qui nomine Principum & Ordinum miſſi erant, petebant, vt ipſi quoque ſua nomina ſine titulis, ne praeiudicium alterutris ea re fieret, opponere contenti eſſent. Quod & obtinuerunt. THVANVS L. CVI. ad d. A. Adde alia huius generis εὑρήματα apud Iacob. GOTHOFREDVM de Praeced. Part. III. H.

6) Εὖγε δείξω γὰρ ὅτι οὐχ οἱ τόποι τοὺς ἄνδρας ἐντίμους, ἀλλ' οἱ ἄνδρες τοὺς τόπους ἐπιδεικνύουσι.

bentiſſime facturos, loquantur Burgenſes. Qua regis oratione conquieuere, cum vtrique ſe praelatos exiſtimarent. Toletani quidem, quod rex ante omnes eorum nomine locutus eſſet: Burgenſes vero, quod primi omnium per ſe ſententiam dixiſſent. Apud Hieron. OSORIVM de Rebus geſtis Eman. L. I. Add. quoque GRAMONDVS Hiſt. Gall. L. III. ab initio.

§. XXII. QVOD ſi autem inter plures aequales ſocietas aliqua duratura ſit inſtituenda, & ſinguli ſocii aequalitatem retinere velint, neque circa locum ſors aut alternatio placeat, alia ordinis ratio ſupereſt, quae itidem ſortis inſtar habet, neque dignitati alicuius fraudi poteſt eſſe; vt nempe eo quisque ordine in communi conuentu ſedeat, quo in eundem fuit receptus. Id quod inprimis locum habet inter eos, qui ſocietati iam conſtitutae deinceps accedunt. Nam illis, qui primi ſocietatem conſtituunt, locum ſorte aut per conuentionem attribui praeſtiterit. Et quia in plurimis conuentibus & collegiis id vſurpatum, vt ſecundum ordinem receptionis locus cuique aſſignetur; hinc GROTIVS L. II. c. 5. §. 21. tanquam vniuerſale pronunciatum ponit: *Naturalem inter ſocios hunc eſſe ordinem, prout quisque in ſocietatem venit.* Add. BOECLERVS ad d. *L. 1. D. de Albo ſcribendo. L. 1. C. de Conſul. L. vlt. C. de Tiron. L. 1. C. de Praepoſ. ſacri cubiculi. L. 2. C. de Praef. praetor. L. 10. C. de Profeſſor.* Iac. GOTHOFREDVS l. d. tr. Part. II. c. 3. §. 17. 18. Vbi ſciendum, in eiusmodi ſocietatibus priorem aut poſteriorem locum hautquidquam notare eminentiorem aut tenuiorem dignitatem; ſed eſſe nudum ordinem inter pares dignitate; ac inter tales reuera obtinere tritum illum verſiculum: *Vltimus & primus ſunt in honore pares.* Nam illud AVSONII Panegyr. ad Gratianum: [c. 24. in fine Edit. Cellar.] *Nulla eſt quidem contumelia ſecundi, ſed ex duobus gloria magna praelati;* locum duntaxat habet, cum praelatio ob maiorem in praelato praeſtantiam facta eſt. Sed & illud GROTIO dicto loco notatum, eundem morem antiquitus in Chriſtianorum regum ac populorum conuentibus, quibus ad conſtituendum Eccleſiae velut vniuerſalis corpus concurrebant, obtinuiſſe, vt qui primi Chriſtianiſmum profeſſi forent [1], in conciliis ad rem Chriſtianam pertinentibus praecederent caeteros. Quo argumento nonnullis praecipue niti placuit [2], ad aſſerendam ſibi prae caeteris praeeminentiam, tanquam iure ſibi debitam, etiam in aliis quibuscunque congreſſibus. Enimuero vt in iſtis conuentibus ſacris forte non ſine ratione dictus ordo fuit obſeruatus: tamen vt in omnibus aliis congreſſibus [3] idem obſeruetur, aut vt ex ſola antiquitate profeſſionis Chriſtianae eminens prae aliis dignitas alicui generetur, neceſſarium non videtur. Praeterquam enim quod inter decreta religionis Chriſtianae eſt, *τῇ τιμῇ ἀλλήλυς προηγεῖσθαι.* Roman. XII, 20. Add. Philipp. II, 3. [4] etiam in conciliis multis ſacerdotes primas partes egerunt;

§. XXII. 1) Vid. Iacob. GOTHOFREDVS d. c. 3. §. 23. CHIFFLETIVS Vindic. Hiſpan. c. vlt. H.

2) AVCTOR L. IX. Rer. Suecicar. §. 79. ad A. MDCXXXVII. H. GROTIVS Ep. 722. & Ep. 797. H.

3) In quibus non vt religionis Chriſtianae participes, verum vt Reges qua tales conſiderantur. H.

4) Ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν.

egerunt; ſeculares [5] in acceſſorii fere locum venerunt, ac decretis illorum ſtare iuſſi. Sed quidquid huius ſit, non ſtatim qui in certo conuentu ob certum reſpectum, qui ipſius dignitatem in vniuerſum hautquidquam afficit, alteri cedit: is vbique, & quando eius reſpectus ratio non amplius habetur, alteri tenetur cedere. Sicut & in ciuitatibus videmus quoſdam diuerſis intereſſe collegiis, & in vno collegio alteri loco cedere; extra illud autem, aut in alio collegio priorem prae eodem locum retinere.

§. XXIII. Enimvero illud manifeſtum eſt, imperio hanc vim ineſſe, vt praelationem tribuat per modum perfecti iuris valituram aduerſus eum, in quem exercetur. Nam vtique praeſtantius eſt imperare, quam parere; alterius voluntatem ſuae voluntati habere obnoxiam, quam ad alteram ſeſe attemperare. Et neceſſum eſt, vt in me aduerſus illum exſiſtat veneratio, cui & protectionem meam debeo, & qui metu poenae ad iuſſa ſua obeunda me poteſt compellere. Sic vt imperium per ſe inaequalitatem inter homines introducat. Etſi praeter venerationem, quae muneri eiusdem debetur, poſſit etiam peculiaris exſiſtere aeſtimatio, ex ſingulari imperantis praeſtantia proueniens. Neſtor apud Homerum Iliad. α. [v. 277. & ſeqq.] *Neque tu Pelide velis contendere cum rege ex aduerſo; nam nunquam aequalem ſortitus eſt honorem Sceptriger rex, cui Iupiter honorem dedit.* Etſi Achilles magis ductum Agamemnonis, quam imperium proprie dictum agnoſcebat. Sed & illud apertum eſt, quo amplius eſt imperium, & efficacius, eo maiorem id dignitatem imperanti apud ſubiectos circumponere. Quin ipſa imperii duratio, etſi per ſe ad vim eiusdem nihil faciat, imperantis tamen dignationem non mediocriter auget. Id tamen non obſtat, quo minus ſubditus eum, qui ipſi imperat, hiſce honoris fundamentis excellat, quae tantum ius imperfectum producunt. Vnde nimis ambitioſum erat, quod Imperator Hadrianus aemulum ſeſe in quouis artis genere eminentibus ferret. Item quod Alexander, cum apud Homerum legiſſet, Graecos vouiſſe, vt Aiacis aut Diomedis aut Agamemnonis ſors exiret, dixerit: *Occiderem illum, qui me tertium nominaſſet.* [Auſonius in Panegyr. Gratiani c. 25.] Nam ducis gloriae nihil detrahit, robuſtiores ſub ſe habere bellatores. Non de nihilo tamen apud Tacitum Agric. [c. 39.] Domitianus iudicabat: *Ducis boni Imperatoriam eſſe laudem.* Inter eos vero, qui in eadem Republica viuunt, exiſtimationi intenſiuae certam velut menſuram conſtituere, & ad praecedentiam prae altero perfectum ius concedere illius eſt, qui ſummum in ciuitate habet imperium

5) *Ita*, addit Auctor in Diſſertat. de Exiſtimatione §. 27. *in conciliis illis ſacerdotes primas partes egerunt, ſeculares in acceſſorii fere locum venerunt, ac decretis illorum ſtare iuſſi - - - Ex cuius moris reliquiis fortaſſe etiam illud adhuc alicubi ſupereſt, quod quando in precibus publicis homines Deo commendantur, ſacerdotes obnixe primum ſibi locum vindicent; aut quod in enumeratione illa vulgari ſtatuum Eccleſiaſticus ſemper praemittatur. Alias enim non poterant cordati diſpicere, quam decorum foret, v. g. quod quando Kal. Ian. a votis concionum auſpicia petuntur, miniſter aliquis domino ſuo collegae, diacono, ſibique propitium Numen ante omnia precetur, Principem demum in ſecundas partes vocet, quaſi in ipſis ſalus Reipublicae & Eccleſiae magis quam in Principe vertatur; praeſertim cum iſte non ſit ex hoſtibus aut perſecutoribus Eccleſiae, qualibus tamen Paullus Apoſtolus aeque honorem adtributum, id eſt, ex obligatione perfecta tribui iubet [Rom. XIII. 7.] ſed nutritius atque defenſor Eccleſiae, imo ſummus in ſua ditione Epiſcopus.*

§. XXIII. 1) Vid. ſupra L. VII. c. 9. §. 2. not. 8.

Digitized by Google

rium [2]. Quem iſte locum cuique aſſignauerit, cum vti aduerſus conciues recte tueri quis poteſt: ſic & eidem omnino adquieſcere tenetur. Vid. *L. 3. D. de Officio praetoris.* Recte quoque emeritus iſte centurio apud LIVIVM L. XLII. c. 34. *Aequum eſt, omnia honeſta loca ducere, quibus Rempublicam defenſuri ſitis.* Et licet forte vnus vel alter praeter meritum praeſtantioribus videatur praelatus; tamen nihilo ſecius tanquam contemtor poteſtatis ſummae plecti poterit, qui aut illorum locum velit ſolicitare aut ſuo contentus non eſſe. Vid. *L. 1. C. Vt dignit. ordo ſeruetur.* Huc ſpectat etiam [3], quod Solon apud DIOGENEM LAERTIVM aulicos *calculis* aſſimilat. Nec incommode huc trahi poteſt illud M. Terentii apud TACITVM A. VI. [c. 8.] *Non eſt noſtrum aeſtimare, quem ſupra caeteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum iudicium dii dedere; nobis obſequii gloria relicta eſt.* Vti & illud LVCIANI Iudicio vocalium: *Eſt pulcrum, vnamquamque literam in eo ordine, quem primum ſortita eſt, manere: tranſcendere vero eo, quo non oportet, eius eſt, qui ius & aequum ſoluit. Et qui primus vobis has leges finxit & formauit, ordinem, per quem ſua quibusque literis praeſidentiae dignitas firmiter permanet, definiuit.* PLINIVS L. IX. Epiſt. 5. *Diſcrimina ordinum dignitatumque, ſi confuſa, turbata, permiſta ſint, nihil eſt ipſa aequalitate inaequalius.* Recte tamen fecerit princeps tollendis hominum ambitioſorum querelis, ſi in aſſignando loco honoratiore fundamenta dignitatis, ſupra enumerata, inſuper non habeat: ac inprimis ſingularia in Rempublicam merita [4], quae eminente potius exiſtimationis gradu, quam pecunia, aut ſimilibus praemiis iis remunerari inter ſubtiliores regnantium artes eſt. Vid. XENOPHON Cyropaed. L. IIX. [p. 130. Ed. H. Steph. c. 4. §. 2. Ed. Oxon.] vbi memorat, quo ordine Cyrus conuiuas ſuos collocauerit. Eoque magis, quod niſi dignitas & praerogatiua eminentium ciuium menſuretur ex beneficiis & auxilio, quod ab ipſis in tenuiores proficiſcitur, aut proficiſci poteſt, inter inania ſit referenda. Quia tamen moleſtum foret principibus, ſi quidem ſemper cuique ex intrinſeca ſua dignitate locus foret aſſignandus, tam ſaepe ſuorum ciuium recenſionem inſtituere, in qua non poſſet non longe maxima pars eorum offendi, cum plerique non eos ſoleant numerare, quos a tergo reliquerunt, ſed quos ſibi praelatos cernunt: expeditiſſimum viſum, ſaltem primariis ciuibus ex muneribus, quibus in Republica funguntur, dignationem aſſignare. Add. BACO Sermon. fidel. c. 53. Vbi itidem querelis anſa praeſcindetur, ſi merentibus, & idoneis talia munera conferantur; (alias enim obtinebit illud CLAVDIANI in Eutropium L. II. [v. 322. 323.] *Quis non Conſule tali vilis honos?*) Sique

2) HOBBESIVS in Leuiath. c. 18. Hinc eiusdem eſt titulos, quibus praerogatiuae ſunt annexae, conferre, & qui externas dignitates in ſua ciuitate agnoſcunt, maieſtatis ſuae curam habere non videntur. Vid. CAMDENVM Hiſt. Eliſabeth. ad A. MDXCVI. vbi de S. Rom. Imperii Comitis titulo honoribusque Arondelio ab Imperat. collatis, quos Regina admittere nolebat. H. GROTIVS Ep. 268. A. MDCXXX. Statutum eam in rem factum in Comitiis Polonicis A. MDCXXXIIX. & A. MDCXL. vt prodidit Ioachim PASTORIVS in Floro Polonico L. 6. ad d. A. H.

3) Et quod narrat SVETONIVS in Caligula: *Quum audiret forte Reges, qui officii cauſa in vrbem aduenerant, certantes apud ſe ſuper coenam de nobilitate generis exclamauit:* Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Vnus dominus eſto, vnus Rex. *Ita ſtatim lis iſta quieuit.* H.

4) Vid. MONTAGNE Eſſais L. II. c. 7.

Sique ipſorum munerum ordo apte ſit diſpoſitus. Ordo autem munerum in Republica in vniuerſum hic maxime videtur concinnus, ſi eo maior cuique adhaereat dignatio, quo praeſtantiora negotia, & ad ſummam Reipublicae plurimum facientia per id obeantur, & quae nobiliſſimas animi artes requirant. OVIDIVS Metam. L. XIII. [v. 366. 367.] *Ratem qui temperat anteit Remigis officium.* Apud HOMERVM Iliad. α. [v. 280. 281.] praeſtantia muneris ſanguini, ac fortitudini praefertur. Sic enim Neſtor ad Achillem: *Si vero tu fortis es, deaque te genuit mater: At hic quidem potentior eſt, quia pluribus imperat.* Fit tamen aliquando, vt quibusdam muneribus in Republica quo plus honoris, eo minus imperii & potentiae tribuatur, & vice verſa; ne dignitati circumpoſitae opes magiſtratus in perniciem Reipublicae arment. Vid. BODINVS de Rep. L. III. c. 6. p. m. 501. In ſingulis autem munerum generibus eo dignior quisque habeatur, quo nobiliore opera fungitur. Etſi & hoc ſaepiſſime contingat, vt vnum quidem munus in ſe altero ſit nobilius; non ſtatim tamen omnes & ſinguli, qui nobiliori muneri operam dant, omnibus & ſingulis in altero munere conſtitutis praeferantur; ſed vt, verbi gratia, qui princeps eſt in poſteriori munere cedat quidem ei, qui priori in munere primas obtinet, reliquis tamen omnibus primo ſubordinatis praeferatur. Illud rarius eſt, vt ex homine munus dignationem mutuetur; quod Thebis officio Telearchae contigit, poſtquam Epaminondas id geſſerat. Vid. PLVTARCHVS in Praeceptis gerendae Reipublicae [p. 211. B.] Etſi circa intrinſecam inſignium honoris & dignitatum aeſtimationem verum ſit illud SALLVSTII Iugurth. [c. 4.] *Perinde, quaſi praetura, & conſulatus, atque omnia alia huiuscemodi per ſeipſa clara, & magnifica ſint: ac non perinde habeantur, vt eorum, qui ea ſuſtinent, virtus eſt.* Nec inſuper habendum illud Antiſthenis, qui aliquando Athenienſibus ſuadebat, vt aſinos decernerent equos eſſe. Quod cum illi a ratione alienum dicerent; At, inquit, duces apud vos fiunt, qui nihil didicerunt, & tantum decreto veſtro declarati ſunt; apud DIOGENEM LAERTIVM L. VI. [§. 8.] Quod ſi vero ipſi ciues inter ſeſe ſuper loco conuentionem ineant, aut ſi in aliqua ciuitate certus ordo ſit per conſuetudinem introductus, vtrumque legis vim obtinebit, ſiquidem a ſupremo imperante ipſi non fuerit contradictum. Vid. *L. 2. C. Vt dignitatum ordo ſeruetur.* Notandus quoque locus apud SVETONIVM Veſpaſiano c. 9. *Vti notum eſſet, vtrumque ordinem non tam libertate inter ſe, quam dignitate differre, de iurgio quodam ſenatoris, equitisque Romani ita pronunciauit: Non oportere maledici ſenatoribus: remaledici ciuile faſque eſſe.* Cui conſpirat illud SOPHOCLIS Aiace flagell. Ἐγὼ γὰρ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω κλύοντι φλαῦρα, συμβαλεῖν ἔπη κακά. *Nam ego quidem illi ignoſco, qui maledictis prouocatus remaledicit.*

§. XXIV. QVOD ſi autem inter ſe ſint comparandi eminentes viri diuerſarum ciuitatum [1], patet, fundamentum intenſiuae exiſtimationis ne inter hos quidem aliud parere, quam aptitudinem recipiendi venerationem ab his, qui iſtis fundamentis minus pollent. Idque ſiue praeſtantior ille in ciuitatem alterius tanquam peregrinus veniat, ſiue in loco tertio congrediantur. Niſi princeps ciui ſuo iniunxerit, vt peregrino cedat; aut tertius, apud quem conuenitur,

§. XXIV. 1) Vid. controuerſiam apud BRVNNEMANNVM Centur. II. Deciſ. 56. H.

uenitur, rem definiuerit, aut conuentione vel conſuetudine res ſit deciſa. Adeoque ne ipſa quidem praeſtantia muneris, quod quis in ſua ciuitate gerit, ius ipſi dat ſeſe praeferendi ciuibus alienae Reipublicae qui tali duntaxat munere gaudent, quod ipſe in ſua ciuitate praecedebat. Nam quod ius valet aduerſus ciues, id non ſtatim valet aduerſus alios. Prorſus vti leges aliarum ciuitatum nos hautquidquam ſtringunt. Add. Memoires de VICQVEFORT touchant les Ambaſſadeurs p. 519. ſeqq. Neque obſtat, quod extraneus ille titulum eius, quicum contendit, in ipſius ciuitate praecellit. Nam in cuiusque ciuitatis arbitrio eſt [a], quem valorem apud ſe velit imponere titulis, aliisque honorum inſignibus, quae abs ſe aut aliis collata ſunt. Quin & officiorum, quorum amplitudine vtplurimum dignitates menſurantur, diuerſus apud diuerſos valor. Ipſae quoque ſolidae artes alibi plus, alibi minus aeſtimantur. Sicut alibi pacis, alibi belli artes pluris fieri notum eſt. Cumprimis autem circa vocabula dignitatum gradus exprimentia obſeruandum, quod illa non ſolum diuerſis in ciuitatibus diuerſas notent dignitates, ſed etiam in eadem ciuitate aliquando plus aliquando minus, valeant: prout tractus temporis aliarum quoque rerum pretia minuere aut intendere ſueuit. Scilicet exiſtimationis exteriora ſigna valorem determinatum habent ex impoſitione ſingularum ciuitatum; etſi fundamenta exiſtimationis intenſiuae in ſe, & prout ſapientibus aeſtimantur, valorem vbique ſuum obtineant. Vnde nullibi non virtuti, & eximiis artibus, aut functionibus ſuus eſt honos. Sed ex illis ſolis certa honorum inſignia ſuo iure apud exteros poſtulare nemo poteſt, niſi modis ſupra dictis ius illud ſibi quaeſiuerit. Verum quia inſignia honorum vbique ob eximiae virtutis opinionem tribui praeſumuntur, cultiſſimae quaeque gentium exterorum honoribus eandem fere venerationem ſolent deferre, quam ipſorum ciuitas iisdem aſſignat. Id tamen ex ciuilitate & humanitate, non ex obligatione aliqua perfecta praeſtare videri volunt. Quanquam nec deſunt, apud quos extranei honores in exiguo ſunt pretio. Sic enim CICERONI [in Verrem L. III. c. 23. p. 44. lin. vlt. Ed. Graeuii.] peregrini nonnulli, ſplendidis familiis orti, vocantur non abſolute, ſed *domi*, aut apud *ſuos nobiles;* ſcilicet quod peregrinae nobilitati Romae non idem eſſet valor, atque in ſua cuique ciuitate. EIVSDEM eſt vox valde inſolens in Orat. pro M. Fonteio [c. 8. in fine.] *An ſi homines ipſos ſpectare conuenit, non modo cum infimo ciue Romano, quisquam ampliſſimus Galliae comparandus eſt?* Sic quis ignorat, quantus honos Olympionicis apud Graecos quondam habitus? Quo nomine eorum leuitatem perſtringit CICERO pro L. Flacco [c. 13. in fine] Eundem ſi apud alios, queis tanti aeſtimatae non fuerunt vires corporis, aut dexteritas, exhiberi ſibi poſtulaſſent, rideri merebantur.

§. XXV. DENIQVE cum plurimas apud gentes natalibus aliqua dignitas iudicetur adhaerere, hoc loco non abs re fuerit curatius inquirere, quidnam nobilitati ſanguinis ſubſit, & quo illa in ſe ſpectata valore ſit aeſtimanda. Quam vix vllibi maioris fieri putauerim, quam apud Indos, de quibus Hieron. OSORIVS de Reb. geſt. Emmanuel. L. II. *Si vir ignobilis nobiles attingat, nobilitatem*

a) Vid. ſupra ad §. 23. H.

litatem contaminari, genusque pollui cenſent, & tam inſignem iniuriam illata caede miſeris hominibus, qui in eos inciderunt, vlciſcuntur. Idcirco qui nobiles non ſunt, quoties iter faciunt, voces edere coguntur. Nobiles vero cum eos aduentare ex vocibus illorum praeſentiunt, eos deflectere de via iubent: & ſic fit, vt ignobiles mortis, nobiles maculae ſempiternae periculum depellant. Illis neque nobilitatem obſcurari flagitiis, neque generis obſcuritatem illuſtrari virtutibus conceſſum eſt: ſed omnibus illa conditio neceſſario ſubeunda, in qua maiores illorum verſati ſunt. Iidem nobiles, quos Malabarica lingua Nairos vocant, id ſibi priuilegium aſſerunt, vt cum alienis vxoribus concumbant, quando, & vbi placet. Et ſi illorum quis apud vxorem ſit, (cuius ſignum eſt clypeus ad fores poſitus,) maritus non audet in propriam domum introire. Phil. Baldaevs Deſcript. orae Malabar. & Coromandel. c. 26. & de Idololatr. Indorum Part. II. c. 16. Mandelsloh. Itiner. L. II. c. 10. Add. Abrah. Rogerivs de Braminibus c. 1. 2. Diodorvs Sicvlvs [1] L. I. c. 74. Id igitur in aprico eſt, natales nobiles per ſe hautquidquam tribuere praeſtantius temperamentum corporis, vtut ſaepe bonitas alimentorum aliquid huc faciat; aut praeſtantiorem animum, eximiamque vim ingenii: ſed plebeiis ex natalibus aeque feliciter haec poſſe prouenire. Nec alio ordine in producendis nobilibus, quam plebeiis, natura procedit. Sed & pari ſanctimonia plebeiorum quam nobilium matrimonia coluntur aut coli poſſunt. Nec facile quis praeſtiterit, minus frequenter auratos thoros ab adulteris perſultari, quam modicas ſpondas. Imo apud Evripidem Hippolyto Coron. [v. 409. 410.] de adulteriis dicitur: Ἐν γενναίων δόμων τόδ' ἦρξε θηλείαισι γίγνεσθαι κακόν. *Claris e familiis hace labes coepit adſpergi in foemineum genus.* Adeo vt ſi vel maxime virtus parentum in prolem ſemper transfunderetur, multis tamen difficillimum ſit futurum probatu, abs prima ſtirpis origine intaminatum, & citra alieni mixturam ſanguinem ad ſeſe demiſſum. Vid. Dio Chrysostomvs Orat. XV. poſt initium. p. m. 236. Et Grotivs L. II. c. 7. §. 8. Sed nec illud vulgatum, *fortes creantur fortibus & bonis*, adeo citra exceptionem eſt, quin in contrarium aeque inualuerit, *heroum filii noxae* [2]. Marius apud Sallvstivm Iugurth. [c. 89.] *Maiores eorum omnia, quis licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam ſui praeclaram: virtutem non reliquere, neque poterant: ea ſola neque dono datur, neque accipitur.* Porro plebeii non ſemper deterius educantur, quam nobiles; imo ſaepe quo plura his media indulſit fortuna bene excolendo animo, eo turpius iisdem ad luxuriam, ſegnitiem, aliorumque vitiorum alimenta abutuntur. Recte Plato Alcibiade I. [p. 440. 441. Ed. Wech.] *Bene natos, ſi & bene educati fuerint, probabile eſt ad virtutem perfectos fore.* Et ipſa res oſtendit, multos nobilium degeneres maiorum gloriam obfuſcaſſe. Aristoteles Rhetoricorum L. II. c. 15, *Eſt autem*

§. XXV. 1) Et de Nobilibus in inſula Ceylon Robert Knox Narrat. de illa Inſula L. III. c. 2. Graeci quoque nobilitatem aeſtimabant ex natalibus. Hinc Aristoteles II. Rhetor. 15. Εὐγένεια ἐντιμότης προγόνων ἐστί. *Nobilitas dignitas maiorum eſt.* H.

2) Quos proinde non nobiles, ſed ſpurios & illegitimos eſſe exiſtimandos, ait Ivlianvs Orat. 2. de Conſtantii Imperat. geſtis. H.

3) Evripides Electra:

Οὐ μὴ φρονήσεθ' οἳ κενῶν δοξασμάτων
Πλήρεις πλανᾶσθε; τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς

Κρινεῖ-

tem nobile (εὐγενὲς) ex generis virtute; generoſum (γενναῖον) vero ex eo, non vt deficiat a natura. Id quod plerumque non accidit nobilibus, ſed ſunt multi abiecti. Add. STOBAEVS Serm. 84. 85. Multos quoque obſcuro natos loco per ſuam virtutem ad ſumma prouectos conſtat: nec ſolus *Tydides melior patre.* Quanquam autem ISOCRATES Encom. Helenae nobilitatem inde commendet, quod non, vti caetera fortunae bona, celeriter aut intereat, aut tranſeat ad alios, ſed ſemper apud eosdem maneat, eoque pulcerrimum liberis patrimonium eam relinqui: tamen ni vel propria virtute ſis ſubnixus, vel eo nomine peculiaribus iuribus in ciuitate fruaris, merito inter inania eſt referenda [1]. Inde in ipſa quidem natura nulla adparet neceſſitas, quare aut in munera, aut in exiſtimationis paternae gradum ſolos ob natales filius debeat ſuccedere; praeſertim cum vltimo demum omnes ex eadem ſtirpe genus deducamus. Marius apud SALLVSTIVM Iugurth. [c. 88.] *Ego naturam vnam, & communem omnium exiſtimo, ſed fortiſſimum quemque generoſum eſſe.* Ille autem non tam maiorum quam propria aeſtimatur praeſtantia, qui ſequitur illud TIBVLLI L. IV. [Eleg. 1. verſ. 25. & ſeqq.] *Quanquam antiquae gentis ſuperant tibi laudes, Non tua maiorum contenta eſt gloria fama, Nec quaeris quid quaque iudex ſub imagine dicat, Sed generis priſco contendis vincere honores, Quam tibi maiores, maius decus ipſe futurus.*

§. XXVI. NIHILOMINVS multis ciuitatibus placuit, vt praeclare meriti ciues ſtatum illum, certis priuilegiis, certoque exiſtimationis gradu donatum, in quem ipſi per ciuitatem ſunt locati, in ſobolem ſuam per natiuitatem velut aliquam haereditatem transmitterent. LESBONACTES Orat. hortatoria, [p. 208. Ed. Wech.] *Τῶν ἐν τοῖς δεινοῖς ἀνδρῶν ἀγαθῶν γινομένων οἱ παῖδες εὐγενεῖς νομίζονται. Eorum, qui periculoſis temporibus ſtrenue ſe geſſerunt, poſteri nobiles habentur.* Sane enim natales nobiles prae plebeiis naturaliter nihil habent eximii: ſed ea praerogatiua oritur ex impoſitione & indultu ciuitatis, quae conſtituit, vt certus ſtatus, cui annexa certa iura, gradusque exiſtimationis in aliquem ſemel collatus ad ipſius poſteros citra nouam collationem per ſolos natales deriuetur. Qua impoſitione ſublata, vel ſplendidiſſimi natales a plebeiis ne hilum quidem diſcrepabunt. Add. HVARTVS Scrut. ing. c. 16. p. m. 488. ſeqq. Vnde quando princeps plebeium inter nobiles tranſcribit, in ipſius natura ortuque nihil immutat, nec nouum aliquem vigorem eius animo infundit; ſed iubet ipſum cenſeri ſtatu plebeiis contradiſtincto, quem vna cum adhaerentibus iuribus ad poſteros ſuos ſit transmiſſurus. Cui illuſtrando facit commentum Amaſis regis Aegyptii, qui vt oſtenderet, obſcuritatem generis non obeſſe, quominus regi ſibi facto honos exhiberetur, auream peluim, in ſimulacrum dei conflatum adorandam expoſuit. HERODOTVS Eut. [p. 99. Ed. H. Steph.] Vice verſa ſi quis ordine nobilium eiiciatur ob delicta *, aut

 quod

Κρινᾶτε, καὶ τοῖς ἤθεσιν τὰς εὐγενείας;
Opinioni credulum vanae genus,
Nunquamne poſito errore diſcites viros
Vita aeſtimare, nobilesque ex moribus? H.

§. XXVI. * Vid. ſupra L. I. c. 1. §. 23. Idem dicendum, ſi quis vltro exuat nobilitatem. Quod Romani facere ſolebant, ob paupertatem veniam aut ius exuendi ordinis ſponte petentes vid. de Propertio Celeri TACITVM I. Annal. 57. 3. de aliis eundem XI. Annal. 25. 4. & XII. Annal. 52. 4. H.

quod legibus nobilium in ſua ciuitate poſitis conformem ſeſe non geſſerit, eius ſane neque natura, neque animus mutatur, aut quem ex maioribus traxit ſanguis; neque efficitur, vt nobilibus parentibus non ſit natus: ſed adimitur duntaxat ipſi ſtatus, atque ius nobilitati in ea ciuitate competens. Quo facto ſtatim plebeius eſt. Quemadmodum neque legitimatio, neque natalium reſtitutio aliquid in natura mutant, ſed meros tribuunt effectus morales. Quo ſenſu capiendum eſt illud apud EVRIPIDEM Phoeniſſis [v. 821. & ſqq.] Ὁυ ὃ μὴ καλὸν, ἔ ποτ᾽ ἔφυ καλόν. ὐδ᾽ οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες, ματρὶ λόχευμα, μίασμα πατρός. *Nam id quod honeſtum non eſt, non fit honeſtum vnquam, neque liberi illegitimi, matri turpis partus, patri probrum.* Vid. *tit. Cod. de Iure aur. annulorum. & de natal. reſtituendis.* Huc facit, quod Nicol. MACHIAVELLVS Hiſt. Florent. L. III. tradit. Cum poſt oppreſſum ducem Athenarum ſumma rerum Florentiae ad plebem rediiſſet, excluſis lege a magiſtratu gerendo nobilibus Bencho Boundelmontio, equeſtris dignitatis viro, ob ſtrenuam operam in bello Piſano nauatam, praemii loco fuiſſe datum, vt in populi claſſe cenſeretur, ſeu pro plebeio haberetur. Idem beneficium aliis nobilibus collatum refertur ab Eodem L. V. Et apud Romanos P. Clodius per adoptionem a Patriciis ad plebem tranſibat, vt tribunus plebis poſſet fieri.

§. XXVII. FATENDVM tamen eſt, pleraſque gentes in conferenda nobilitate praeſtantes quaſdam artes & egregia merita reſpexiſſe. Quibus qui enituerat, vti recte reliquos dignatione eminebat; ita largius iudicabatur aeſtimari virtus, cuius praemia ad iſtos quoque deriuarentur, quos natura quilibet quam cariſſimos habet. Praeſertim cum ea res ſperaretur ciuium virtutem extimulatura, acrius affectandis eiusmodi praemiis. Simul proles iſta, domeſticis exemplis excitata, parentum virtutem aemulatura credebatur, ſplendoremque illum iisdem, quibus partus erat, artibus tuitura [1]. Nec minus putabantur parentes operam daturi, vt quantum in ſe prolem ſibi non indecorem Reipublicae repraeſentarent [2]. Cui conſequens erat, vt poſtquam nobilitatem ſorte naſcendi adquiri receptum fuit, curioſe circa deligendas vxores verſarentur nobiles, ne diſpari ſe genere miſcentes proli ſuae iſta iura interuerterent: an vt aequalium potius, quam inferiorum filiae in conſortium eius dignitatis adſciſcerentur, aut ne nobiles pauperculae poſt ditium mercatorum filias haberentur. Ac ne proli fortaſſe ſuper natalibus lites olim mouerentur, accurate maiores longa ſerie annotare rationis erat. Cum contra plebeiis ſuperuacuum foret, auos proauosque ambitioſe diſponere; quippe quibus ex natalibus nihil priuilegii, ſed propria cuique virtute & induſtria nitendum.

§. XXIIX. HISCE illuſtrandis non abs re fuerit Romanorum ſuper nobilitate inſtituta curatius excuſſiſſe. Vt igitur ſuam illam hominum colluuiem

§. XXVII. 1) *Cum ſit hoc generi hominum prope a natura datum, vt qua in familia laus antiqua floruerit, hanc fere qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime perſequantur*, vt ait CICERO Orat. pro Rabirio a princip. H.

2) Accedit ex inſtitutis ciuitatis optimae eſſe, vt antiquae familiae conſeruentur, de quo alibi. CICERO Orat. pro Sextio: *Omnes boni ſemper nobilitati fauemus, & quia vtile eſt Reipublicae nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis: & quia valet apud nos clarorum hominum & bene de Republica meritorum memoria etiam mortuorum.* H.

uiem Romulus in iuſti formam populi componeret, ex vniuerſa multitudine centum delegit, conſilio ſibi praeſto futuros, quos Patres adpellari placuit, exprimendo muneri, aut propter aetatem: reliqui plebs manſere. Iſtorum progenies patricii dicti, ſimpliciſſima denominatione, quaſi Patrum poſteri; aliis ideo, quod hi ſoli patres ſuos poſſent oſtendere: cum caetera turba fugitiuorum fuerit, nec valentium proferre patres ingenuos, verbo, terrae filii. Vid. PLVTARCHVS Romulo, [p.24.] & Quaeſt. Romanis. [p. 278. C.D.] In eam rem argumento vſi ſunt, quod quotiens patricii conuocarentur a regibus, praecones quemque ſuo ac paterno cierent nomine; plebeios vero miniſtri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem excitauerint. Etſi more ſuo DIONYSIVS HALICARNASSEVS Antiqu. Roman. L.II. [c. 8.] inſtitutum hoc mollius interpretetur, euocationem patriciorum per praecones honoris, plebis per cornua celeritatis cauſa factam aſſerens. Contra Dionyſium tamen videtur valere illud Decii apud LIVIVM L. X. c. 8. *En vnquam fando audiiſtis, patricios primo eſſe factos, non de coelo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, id eſt, nihil vltra quam ingenuos? Conſulem iam patrem ciere poſſum, auumque iam poterit filius meus.* IVVENALIS Sat. 8. [v. 272. & ſeqq.]

Et tamen vt longe repetas, longeque reuoluas,
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Vnde adparet, ad primaeuam in vrbe Romana nobilitatem adquirendam ſuffeciſſe *, vt quis ex legitimo natus eſſet matrimonio, parentibus ingenuis. Scilicet *in nouo populo omnis repentina atque ex virtute nobilitas eſt.* LIVIVS L. I. c. 34. Inde quoque eſt, quod patricii ſolis ſibi *gentem* eſſe iactarent, ipſosque inter ſe *gentiles* eſſe. Sic enim gentiles definiuntur a CICERONE in Topicis: *Qui inter ſe eodem nomine ſunt, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruierit, qui capite non ſunt deminuti.* BOETHIVS itidem in Topicis: *Gentiles ſunt, qui eodem inter ſe nomine ſunt, vt Bruti, Scipiones; quod ſi ſerui ſunt, nulla gentilitas eſſe poteſt. Quod ſi libertinorum nepotes eodem nomine nuncupantur, gentilitas nulla eſt, quoniam ab ingenuorum antiquitate gentilitas ducitur.* ICtus CAIVS Inſtitut. *Libertinorum aut ſeruorum gentilitas non eſt.* Etſi poſterioribus temporibus plebeios quoque gentem ſibi aſſeruiſſe conſtat. Add. Franc. CONNANVS Comment. iur. ciuil. L. II. c. 11. Sic hodieque linguae, quae ex Latina profluxere, nobiles ſolent vocare *gentiles homines.* Enimuero cum deinceps plebeii quoque honeſta cum ingenuis inirent connubia, & lapſu temporum labes illa, ſi quae fuit, ſordidae originis exoleſceret; inde vt alia differentia a plebeiis diſtinguerentur patricii, ſacris gentilitiis inſtitutis peculiarem ſibi ſanctimoniam circumponere ſunt aggreſſi. Quo nomine ſibi ſolis deferri poſſe magiſtratus con-

§. XXIIX. * Bene *ad primaeuam nobilitatem.* Nam poſtea patritius fieri, niſi lege nominatim ad populum lata, nemo poterat. Quod fuit aut Regum, aut Conſulum, aut Dictatorum ampliſſimum beneficium. TACITVS XI. Annal. 26. *Caeſar vetuſtiſſimum quemque e ſenatu, aut quibus clari parentes fuerunt, in numerum patriciorum adſciuit: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum & L. Brutus minorum gentium appellauerant; exhauſtis etiam quas Dictator Caeſar lege Caſſia, & Princeps Auguſtus lege Senia ſublegere.* V. Carol. SIGONIVS L. I. de Antiquo Iure ciuium Romanor. c. 7. ' H.

contenderunt; quaſi qui ſoli haberent auſpicia. Vid. LIVIVS L. IV. c. 2. VI. c. 42. X. 7. Quod ludibrium tamen poſtea plebs non immerito exploſit. Quanquam & plebeiorum quidam, eludendae iſti patriciorum praerogatiuae, priuata ſibi ſacra inſtituerunt. Quae cum in haeredes tranſirent non ſine onere, quomodo per coëmtiones extincta ſint, docet CICERO pro Muraena. [c. 2.] Add. GOTHOFREDVS ad Ciceronis Epiſt. Famil. VII. 29.

§. XXIX. AST cum deinceps ſenatoria dignitas, & magiſtratus, qui hactenus penes ſolos patricios fuerant, cum plebe communicarentur, factum eſt, vt Romani dehinc nobilitatem non tam ex antiquitate generis & patriciatu, quam multitudine imaginum aeſtimarent. Ex quo tempore familiae nobiles in patricias & plebeias diſtingui coeptae. LIVIVS L. X. c. 7. *Numerarentur triumphi plebeiorum; iam ne nobilitatis quidem ſuae plebeios poenitere.* IDEM L. VI. c. 37. *Ex ea die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem.* Equites autem ex inſtitutis ciuitatis Romanae nobiles proprie loquendo non erant *. Nam quod eſt apud TACITVM Agricola, eum habuiſſe vtrumque auum procuratorem Caeſaris, *quae equeſtris nobilitas eſt;* hunc habet ſenſum: vt eorum, qui ex ſenatoriis ſunt familiis, nobilitas ex magiſtratibus curulibus aeſtimatur; ita inter equites procuratorem Caeſaris fuiſſe aliquod inſtar nobilitatis habet, cum poſt praefecturam praetorii vix ſplendidius munus in illum ordinem vt talem cadat. Sic igitur poſterioribus temporibus Romae nobiles non conſtituebant peculiarem ordinem, & per inſignia iura a reliquis diſtinctum; ſed prout quis multos *fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros* in atrio diſpoſuerat, aut propria virtute ad honores adſpirauerat, ita maiorum, aut propriis meritis nobilis cenſebatur. Quo facit illud CLAVDIANI Paneg. de Probini & Olybrii conſulatu: [v. 13. & ſqq.]

- - - - - Quemcunque requires.
Hac de ſtirpe virum certum eſt de conſule naſci.
Per faſces numerantur aui, ſemperque renata
Nobilitate vigent.

Quanquam autem Romae multi magiſtratus non minus belli quam pacis tempore valebant, puta, dictatores, magiſtri equitum, conſules, praetores: tamen quia pax eſt veluti ordinarium tempus Reipublicae bellum extraordinarium, adeoque magiſtratus iſti & adpellatione, & indole ſua pacem magis quam bellum viderentur ſpirare; adparet, paci magis quam bello originem ſuam debere nobilitatem Romanam. Neque vero congruens erat, ex ſimplici virtute bellica, & quae non eſſet coniuncta cum munere & artibus ducis, nobilitatem deriuare, quae

§. XXIX. 1) Vere. Nam CICERO *equeſtri loco* ſeu familia *ortum* ſe dixit in *prima agraria & Orat. contra Rullum*, ipſe autem primus nobilitatem familiae ſuae intulit, nouus proinde homo dictus. Neque tamen negandum, equeſtri dignitate exornatos a plebeiis fuiſſe diſtinctos: Vid. TACITVM I. Hiſtor. 13. IV. Hiſtor. 59. DIONEM CASSIVM L. LIX. Hiſtor. Roman. vbi de Caligula, multos etiam extra Italiam in ordinem equeſtrem adlegente, IOSEPHVM II. de Bell. Iudaic. 14. vbi ſcribit, Iudaeos quosdam in Iudaea factos *ἱππικῷ τάγματι*, idque *ἀξίωμα Ῥωμαϊκὸν* vocat. Caeterum de praerogatiuis illorum, qui equeſtris dignitatis erant compotes, multa

quae quidem peculiarem ordinem, & multis iuribus praefulgentem conſtitueret in tali Republica, in qua communis omnium ciuium velut profeſſio erat militia. Sic igitur apud Romanos nobilitas non tribuebat peculiarem ordinem in ciuitate, nec ex illa aliud fere emolumentum, quam quod maiorum imagines aditum ad honores faciliorem panderent.

§. XXX. Ex hisce manifeſtum eſt, ab iſta diuerſum eſſe genium nobilitatis hodiernae in pleriſque Europae regnis. Nam apud nos nobiles peculiarem ordinem conſtituunt [1], a reliquis ciuibus dignitate & eximiis iuribus diſtinctum. Dein nobilitas etiam citra officium publicum confertur ab eo, qui ſummum in Republica habet imperium, & quidem non ita frequenter togatae, quam bellicae virtutis intuitu. Cuius rei inter alia argumentum eſt, quod nobiles familiae tam inter ſe, quam a plebeiis diſtingui ſoleant inſignibus, quae clypeo ſuſtinentur, impoſita galea, & inde *armorum* nomine veniunt. De quorum antiquitate teſtari poteſt illud Diodori Sicvli L. V. c. 30. *Arma Gallis ſunt ſcuta ad ſtaturam hominis porrecta, & inſigni proprio variegata. Quidam aeneas beſtiarum imagines, tam ad defenſionem, quam ornamentum affabre factas praeferunt. Aeneis praeterea galeis cum magnis appendicibus ad prolixam oſtentationem factis capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel auium quadrupedumque facies in illis expreſſas habent.* Add. Hobbes Leuiath. c. 10. De cauſis autem, quare virtuti bellicae tantum iſtae nationes detulerint, cum apud Chinenſes contra eruditi militares viros praecedere valeant, ita eſt habendum. Equidem in ſe non minoris ſunt, quae togati in Rempublicam poſſunt conferre, quam quae ſagati. Leges ſalutares condere, ius integre dicere, opes ciuitatis per artes & commercia introducta augere, eloquentia populi tumentes animos mulcere, & in quam partem expediat flectere, conſilio exterorum conatus aduerſum nos ſubtiliter inueſtigare, atque eludere, praeclariſſima vtique ſunt, & quouis honore digna. Neque iſta tamen ſemper, apud imperitos inprimis, ſat ample aeſtimantur, tum quod artes, ex quibus talia promanant; non adeo in oculos incurrunt, & a plebe parum intelligi poſſunt; tum quod cum tranquillitate quadam, & citra impetum atque periculum ſeſe videantur explicare. Quae omnia in virtute bellica ſecus ſunt. Atque inde, quanquam adminiſtratio togata citra fortitudinem atque firmitatem animi non poſſit obiri; longe tamen ſplendidius creditum apud Martii ſpiritus populos, & qui ſanguine quam ſudore rem quaerere maluerunt, contra tam terribilem armorum adparatum, & vbi praeſentem omnia mortem intentant, intrepidum offerre pectus, & pretioſiſſimam rerum humanarum periculo exponere, vt caeteris eo tutius aeuum exigere liceat. Add. Aristoteles

multa habet egregia Herm. Hvgo L. V. de Militia equeſtri c. 1. Add. tot. til. Cod. Theodoſiani de Dignitate equeſtri. H.

§. XXX. 1) Notandum tamen iam a ſeculo XI. vſque inter illos nobiles in pleriſque regnis introductam dignitatem, quae perſonae adhaereſcebat ac cum perſona extinguebatur, quaque exornati milites & poſtea Equites dicti. Vid. Franciſci Menestrierii Liber Gallica lingua editus de Dignitate equeſtri antiqua & noua. H.

LES Probl. ſect. 27. quaeſt. 5. Sic & plerisque in regnis Europae nobiles praedia ſua feudorum nomine poſſident, a multis immunia oneribus, quibus plebeiorum bona premuntur, vt iſti militarem operam Reipublicae praeſtent. Cuius rei origo videtur inſinuari apud LAMPRIDIVM [2] Alexandro Seuero [c. 58.] *Sola quae de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donauit; vt eorum ita eſſent, ſi heredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent, dicens: attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent.* Inde quoque nobilibus mercaturam exercere inſolitum, non quod illa in ſe habeat quid inhoneſtum & ſordidum [3], ſed ne per eam nobiles a ſtudiis militaribus abſtrahantur, & feuda ſua atque priuilegia gratis poſſideant. Et ſi quibus in ciuitatibus nobiles citra diminutionem dignitatis mercaturae dant operam [4], tuto iudices licet, eam nobilitatem ex militia hautquidquam originem ducere. Conf. BODINVS de Rep. L. III. c. 8. p. m. 560. Aliqui tamen huius rei rationem petunt ex Eccleſ. XXV, 29. & quia, vti CICERO Offic. I. [c. 42.] ait: *Nihil proficiunt, niſi admodum mentiantur.* Facit etiam huc, quod tradit HERODOTVS [5] L II. apud Aegyptios, Scythas, Perſas, & Lydos, denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus ciuibus eos, qui artificia diſcunt, eorumque liberos; generoſiores autem eos, qui a manuariis operibus abſtineant, praeſertim qui ceſſent ob bellum. Add. *L. 6. C. de Dignitatibus. L. 3. C. de Commerc. & Mercator.* [6] ARISTOTELES Polit. L. III. c. 3. SIRACIDES XXXVIII. 25. ſeqq. CICERO Offic. I. *Illiberales & ſordidi quaeſtus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces autoramentum ſeruitutis.* Quin & Romae lex lata a Q. Claudio tribuno plebis; *Ne quis ſenator, quiue ſenatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quae plus quam trecentarum amphorarum eſſet, haberet. Id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos, quaeſtus omnis Patribus indecorus viſus eſt.* LIVIVS L. XXI. c. 63. Cum contumelia quoque IVVENALI Sat. 14. dicitur: *Vilis ſacci mercator olentis.*

2) Conf. *L. 2. & 3. C. de Fundis limitrophis.* Quo pertinent etiam in Orientali Imperio *κτήματα στρατιωτικὰ poſſeſſiones militares.* De quibus Conſtantini Porphyrogennetae Nouella extat apud LEVNCLAVIVM, ſed emendatior apud Carolum LABBAEVM & Ioannem MEVRSIVM. Apud Romanos igitur quaerenda feudorum incunabula. Ab iisdem ſane Franci, qui eorum inſtituta in plerisque ſequebantur, primi accepiſſe videntur; apud hos enim ſaepe fit mentio bonorum de munere Regio, ſiue fiſci, ſiue beneficiorum, quae vaſſi tenebant. Vt alio loco fuſius docui. A Francis deinde ad alios Germaniae populos fluxit. Quin & *κτήματα* illa apud Turcas (Graecorum imitatores & multa eorum inſtituta retinentes, vt docet LEVNCLAVIVS Pandect. Hiſtor. Turcic. n. 173.) peperiſſe videntur Tiniariotas, hoc eſt, Vaſallos & nobiles in Turcarum Imperio. V. TAVERNIER Relatione de Aula Turcica. p. 14. ſequ. H.

3) Adde, poſtremis demum temporibus accidiſſe, vt mercatura pro ſordida & viris honeſtis indigna haberetur: primis enim ſeculis in magno honore fuit. Vid. POTTERI Archaeologia Graeca L. I. c. 8. p. 31. Ed. Lat. L. Bat.

4) Vt Genuae, Anconae, Venetiis, Lucae, Florentiae, vbi nobiliſſimi inter ipſos maximi ſunt mercatores. H.

5) ARISTOTELES VII. Pol. 2. *In omnibus populis, qui vim habent ſubiugandi alios, virtus bellica honorem conſecuta eſt, vt in Scythis, Perſis, Thracibus & Gallis.* Conf. AMMIAN. MARCELLINVS L. XXIII. c. 6. & ibi VALESIVS. Et hodie in Moſcouia quilibet miles eſt nobilis eo ipſo, quum ſe addixit militiae; & qui ſunt nobiles natalibus titulo militum vtuntur, & militiae operam dant, quoad per aetatem licet. Comes CARLISLIVS Deſcriptione Moſcouiae p. 378. H.

6) *L. 12. §. 3. C. de Cohortal. L. 7. C. de Inceſt. nupt. L. 1. C. de Natural. liber.* H.

§. XXXI. 1) Apud Tartaros Precopienſes maiori in

tis. Et quandoque contumelioſum habetur pro pecunia quid ab aliquo velle obtinere. Add. tamen BODINVS de Rep. L. III. c. 8. p. m. 546. ſeqq.

§. XXXI. IN quibusdam tamen ciuitatibus exigua natalium dignatio, & ſua cuique ex virtute propria, meritis in Rempublicam ac muneribus nobilitas [1]. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 92. de laudationibus funebribus apud Aegyptios: *De genere quidem nihil, vt Graecorum conſuetudo habet, memorant; quin omnes aeque nobiles in Aegypto eſſe cenſent, ſed vt a puero educatus, & inſtitutus, & ad virilem aetatem progreſſus pietatem in Deos, iuſtitiam, itemque continentiam, & alias virtutes coluerit, recenſent.* Tullus Hoſtilius apud DIONYS. HALICARNASSEVM L. III. [p. 148. Ed. Sylb. c. 11. Ed. Oxon.] Ὀυ γὰρ ἐν ἄλλῳ τινὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἐυγένειαν ὑπάρχειν νομίζομεν, ἀλλ᾽ ἐν ἀρετῇ. *Nulla alia re quam virtute humanam nobilitatem conſtare ducimus.* Vetus Poëta: Ἀνὴρ ἄριστος ἐκ ἂν εἴη δυσγενής. *Vir optimus nunquam fuerit ignobilis.* De moribus Turcarum Auger. BVSBEQVIVS Epiſt. I. *Turcae neminem ne ſuorum quidem, niſi ex ſe pendunt: ſola domo Othomanorum excepta, quae ſuis cenſetur natalibus.* Add. quae ibidem de Gianizaris tradit. Add. BODINVS de Rep. L. III. c 8. p. m. 557. MARTINIVS Praefat. Hiſt. Sinicae: *A vetuſtate ſanguinis nulla apud hanc gentem nobilitas. Pauperrimo cuique per literas patet iter ad ſumma.* Et ipſe Sinarum Imperator eiusque liberi in deligendis vxoribus non proſapiam, ſed ſolam corporis formam reſpiciunt. NEVHOF. in Legat. p. 280. Iſthaec vti a moribus noſtris abhorrent; ita illud a ſapientibus inculcatur, non debere nobiles ſolo ſanguine, ſed multo magis virtute niti [2]. SENECA Hercule Furente: [v. 339. 340.] *Qui genus iactat ſuum aliena laudat.* BOETHIVS de Conſolat. philoſoph. [L. III. metr. 6.] *Quid genus & proauos ſtrepitis? Si primordia veſtra, Autoremque Deum ſpectes, Nullus de genere extat; Ni vitiis priora fouens Proprium deſerat ortum.* HORATIVS Serm. L. I. Sat. 6. ad Maecenatem: *Referre negas, quali ſit quisque*

ci in dignatione ſunt, qui plures captiuos, cum moriuntur, poſſident. THVANVS Hiſtor. L. LXVII. Apud Tapuias, liberum Braſiliae populum, nobiles cenſentur, qui lucta, haſtarum concurſu ac venatu praecellunt. BARLAEVS de Rebus geſtis in Braſilia p. 424. Apud Friſios olim plurima praedia tenentibus maximus honos, eaque ſola nobilitas. H. GROTIVS L. IV. Hiſtor. Belgic. p. 215. Apud Siamenſes nobilem facit magiſtratum in regno actu gerere; ablato eo, a vili plebe quis non diſtinguitur. LOVBERIVS de Regno Siamenſ. Part. 3. c. 1. §. 7. Apud Guaicuraeos & Abipones, Americae populos, magnates & heroes habentur, qui immaniſſimorum tormentorum patientia fortitudinem ſuam probarunt, vt ſupra ad c. 3. §. 4. ex Nicolao del TECHO docuimus. H.

2) IVVENALIS Sat. VIII. verſ. 19. & ſeqq. 24. & ſeqq. 131. & ſeqq.

Tota licet veteres exornent vndique cerae
Atria, Nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.
Paullus *vel* Coſſus *vel* Druſus *moribus eſto.*
\- - - - - - - -
Prima mihi debes animi bona ſanctus haberi,
Iuſtitiaeque tenax factis, dictisque mereris
Agnoſco procerem - - -
Tunc licet a Pico *numeres genus altaque ſi te*
Nomina delectent, omnem Titanida *pugnam*
Inter maiores ipſumque Promethea *ponas*
De quocunque voles proauum tibi ſumito libro
Quodſi praecipitem rapit ambitio atque libido
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes Caſſo lictore ſecures:
Incipit iſtorum contra te ſtare parentum
Nobilitas claramque facem praeferre pudendis.

Poſterior Iuuenalis locus ex SALLVSTIO expreſſus videtur, de Bell. Iugurth. c. 88. *Quanto vita, inquit, illorum [maiorum] praeclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Et profecto ita ſe res habet: Maiorum gloria poſteris lumen eſt: neque bona, neque mala eorum in occulto patitur.* Nec Iuuenalem laudare neglexit praeſtantiſſimus Salluſtii interpres, WASSEVS.

que parente Natus, dum ingenuus. CLAVDIANVS L. II. de Laudibus Stiliconis. [v. 123. & ſeqq. Ed. Heinſ.] *Lectos ex omnibus oris Euehis: & meritum, nunquam cunabula quaeris, Et qualis, non vnde ſatus.* Add. SENECA de Beneficiis L. III. c. 28. & Epiſtola XLIV. Canuleius apud LIVIVM L. IV. c. 3. *dum nullum faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, creuit imperium Romanorum.* HERODIANVS L. V. c. 1. *Fortunas munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique gloriam conciliat. Et claritas quidem generis, diuitiaeque, atque id genus reliqua, etſi beatorum propria putantur, minime in ipſis vtpote ab aliis tradita, laudantur.* Grauiter quoque Antigonus fortis centurionis ignauo filio ad honores adſpiranti; Παρ' ἐμοὶ, inquit, *ἀνδραγαθίας εἰσὶν ὀ πατραγαθίας τιμαί.* Apud PLVTARCHVM de Vitioſo pudore, [p. 534.] & in Apophth. PLATO in Theaeteto, [p. 128. C. Edit. Wech.] *Innumeri vnumquemque noſtrum aui atque proaui anteceſſerunt, quorum in numero diuites & inopes, reges & ſerui, Barbari & Graeci innumerabiles praeceſſere.* Similis locus extat apud DIONEM CHRYSOSTOMVM Orat. XV. de Seruitute. *Hoc fieri non poteſt, vt ab omni aeuo aliquod ſit hominum genus, in quo non innumerabiles liberi ſint procreati, nec pauciores, qui ſeruitutem ſeruierint: & tyranni, & reges, & vincti, & ſtigmatis notati, & caupones, & ſutores, aliarumque quaecunque inter homines ſunt, conditionum fuerint, omniaque opera, omnes viuendi conditiones, omnes fortunas atque calamitates viciſſim ſint experti.* Addit, ideo heroum genus ad Deos a Poëtis relatum, vt ne, dum vlterius id inueſtigatur, eiusmodi ſordes detegerentur. M. SENECA L. I. Controu. 6. *Quemcunque volueris reuolue nobilem: ad humilitatem peruenies.* Huc facit illud Lycurgi factum, exemplo duorum canum oſtendere conati, magis per diſciplinam, quam naturam ad virtutem nos formari; apud PLVTARCHVM Apophth. Laconicis, [p. 225.] & de Educ. liberis. Sic & noui homines antiquis nobilibus, ſed degeneribus, recte occinunt illud Iphicratis apud PLVTARCHVM Apophth. [p. 187.] cui cum Harmodius vnus de priſci illius Harmodii poſteris exprobraret ignobilitatem, reſpondit: *Meum a me incipit genus; tuum in te deſinet.* Add. PHILO Iudaeus de Nobilitate. STOBAEVS Serm. 84. 85. 86. 87. Th. BROVVNE de Religione Medici Part. II. c. 1. *Vulgum cum dico, non plebeculam tantum & infimae ſortis homunciones intelligo. Eſt & inter patricios plebeia quaedam & ignobilis turba, ex eodem prorſus luto fictam diceres; hominum quidem genus ipſis mechanicis contribue, vtcunque animi tenuitatem deauret cenſus, & crumena pro ſtultitia tranſigat.* Sunt etiam qui diſputant; iniquum videri propter ſolos natales, (qui neque per ſe quid virtutis conferunt, & quos nemo ſibi ipſi praeſtare poteſt, *πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσὶ κακοί,* *Multi enim nobiles ſunt degeneres.* EVRIPIDES Electra.) alicui conferre immunitatem a certis Reipublicae oneribus in fraudem reliquorum ciuium, aut propiorem aditum ad munia Reipublicae concedere; cum artes ad iſta munera obeunda neceſſariae in aliis aeque, aut magis quam in iſtis inueniantur: multoque magis, ſi quis ex illorum ſit cenſu, de quibus ARISTOPHANES Ranis Act III. ſc. 1. v. 2. [v. 752. Ed. Kuſteri.] *Πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας, Ὅςις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον;* & IVVENALIS Sat. 11. [v. 11.] *Quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt.* Eſſe denique morbum Reipublicae non mediocrem, ſi ſumma poteſtas ciuilis circa mandanda munia

nia publica certo ordini ſit ita alligata, vt aliorum opera ciuium vti nequeat in negotiis, quibus maxime deprehenduntur idonei; praeſertim vbi non ſit ipſi conceſſum egregios viros in iſtum ordinem cooptare. Nam ſi principi alicui nobiles ideo ſint fouendi, vt horum ope reliquos ciues eo melius poſſit coërcere, id ſignum eſt poteſtatis titubantis, & paulo minus quam curru iam excuſſae; dum velut in factionem cum parte ciuium cogitur coire, nec amplius aperta imperii vi, ſed callidis artibus nititur. Add. quoque BACO Sermon. fidel. c. 14. & de Augment. ſcient. L. IIX. c. 3. n. 3. vbi monet, *adſpirantibus ad magnitudinem regnis prorſus cauendum, ne nobiles maiorem in modum multiplicentur.*

§. XXXII. ILLVD demum quaeritur, an dignitas, honorumque inſignia in ciuitate, vti in origine, ſic & in duratione a ſummo imperio ciuili dependeant? Vbi putamus diſpiciendum, an honoris inſignia & iura vnice adhaereant alicui muneri in Republica, quod conferre ſit penes arbitrium ſummi imperii; an vero tanquam proprium bonum in ciuem ſint collata. Vbi prius factum eſt, patet, ſummo imperio idem eſſe poteſtatis, quod circa magiſtratus conſtituendos aut remouendos. Sic non magnanimitatis duntaxat ſpecimen exhibebat, ſed & ciuitatis poteſtatem agnoſcebat Fabius Cunctator, dum ſibi Dictatori magiſtrum equitum exaequari patienter tulit. Vid. LIVIVS L. XXII. c. 15. 22. Quo pertinet illud dictum Solonis apud DIOGENEM LAERTIVM, [l. §. 59.] quod etiam expreſſit POLYBIVS L. V. c. 26. *Qui apud tyrannos auctoritate valerent, eos calculis, quibus in componendis rationibus vtimur, comparare conſueuerat. Vt enim illi interdum maiorem numerum, interdum minorem ſignificant: ita & tyrannos horum quemque prout libitum fuerit, aliquando illuſtrem & inclytum, aliquando obſcurum habere & ignobilem.* Addendum quoque factum Amaſis regis Aegyptii, qui ex pelui ſtatuam dei cuiusdam faciebat, apud HERODOTVM Euterpe. [p. 99. Ed. H. Steph.] Et hactenus admittitur illud Ciceronis pro Plancio: [1] *Eſt conditio liberorum populorum, poſſe ſuffragiis vel dare vel detrahere, quod velit, cuique.* Etſi vocabulum *detrahendi* magis denegationem honoris petiti, quam quaeſiti iam ereptionem notare videatur. Verum vbi iſta poſteriori modo a ciuibus poſſidentur, regulariter ipſis adimi nequeunt, niſi per modum poenae. Quo facit illud Ariſtotelis apud AELIANVM V. H. L. XIV. c. 1. *Non eſt ſimile, dignitatem aliquam non ſuſcipere, & cum acceperis, ea ſpoliari. Non enim graue eſt non adipiſci: at cum adeptus ſis, rurſum amittere, id moleſtum eſt* [2]. Huc ſpectat quoque DIONIS CHRYSOSTOMI Rhodiaca. Sed quae honoribus adhaerent, immunitates & priuilegia, vrgentibus Reipublicae temporibus ſuſpendi aut tolli vtique poſſunt, penſatione tamen, quatenus fieri poteſt facta; cum omnia eiusmodi priuilegia exceptionem ſummae neceſſitatis Reipublicae intelligantur habere; & abſurdum ſit, illis tantam ſanctimoniam tribuere, vt ne ſaluti quidem Reipublicae eadem cedere debeant. Ex dictis etiam colligi poteſt, quatenus quaedam ciuitates recte

 potue-

§. XXXII. 1) Vid. ſupra L. III. c. 1. §. 3. H.
2) Ἀλλ' εὖ φρονῶν ᾤετο, μὴ ὅμοιον εἶναι, ἀρχήν τινα μὴ λαβεῖν, ἢ λαβόντα ἀφαιρεθῆναι. Τὸ μὲν γὰρ οὐδὲν μέγα μὴ τυχεῖν· τὸ δὲ ἀλγεινὸν, τὸ τυχόντα ἔπειτα ἀποστερηθῆναι.

potuerint ſancire, vt proditorum filii ſint ἄτιμοι. Quale quid in *Antiphontem* Athenis decretum in *ipſius* vita patet. Et Sylla Romae proſcriptorum liberos honores petere vetuit. Scilicet ab honoribus & magiſtratibus tales excludere potuerunt, exiſtimationem ſimplicem adimere recte non potuerunt [3].

* *

CAPVT V.

DE POTESTATE SVMMI IMPERII CIRCA BONA TAM PVBLICA QVAM PRIVATORVM.

I. *Quid poteſtatis in bona regi ſit, ſi regnum ſit ipſius patrimonium.*
II. *Non vbique ciues dominium rerum ſuarum debent ciuitati.*
III. *Summum imperium poteſt leges ferre, quomodo ciues bonis ſuis vti debent.*
IV. *Idem poteſt tributa exigere.*
V. *Quid obſeruandum circa impoſitionem vectigalium,*
VI. *Et tributorum.*
VII. *De dominio eminente.*
VIII. *Quid liceat regi circa bona publica.*
IX. *De alienatione regni, & eius partium.*
X. *Rex non poteſt infeudare regnum, aut oppignorare ſine conſenſu populi:*
XI. *Neque alienare bona, quae principatum ſequuntur.*

AD intelligendam poteſtatem imperii ſummi in bona ciuium, obſeruandum; eam profluere vel ex ipſa natura ſummi imperii per ſe, vel ex peculiari modo adquirendi imperii. Sane enim non parum intereſt, an is, qui ſummum in ciuitate imperium gerit [1], ſibi ipſi velut ciues fecerit [2], atque primus rerum, quas ciuitas complectitur, omnimodum dominium adquiſiuerit; an vero vltro in imperium ſit vocatus ab hominibus, qui iam quorundam bonorum proprietatem habebant. Priori caſu patet, imperantem in quaeuis bona ciuitate contenta non id modo habere poteſtatis, quod ex imperio per ſe fluit, ſed & quod quiuis paterfamilias in patrimonium ſuum habet; niſi forte vltro quid de iure ſuo remiſerit. Heic igitur ſi rex iſtud dominium ſibi illibatum ſeruarit, ciues ſuos non alio tenebunt iure, quam quo ſerui quondam Romae peculia ſua obtinebant; ſic vt eorum poſſeſſio ſit mere precaria, arbitrio Regis, quandocunque viſum fuerit, reuocabilis. Quamdiu tamen iſtorum bonorum poſſeſſio ciuibus relinquitur, ex iisdem alimenta & alia vitae ſuſtentan-

3) V. ſupra c. 3. §. 32. circa extrem. H.

§. I. 1) Vid. ſupra L. VII. c. 6. §. 16.

2) Vi armorum vel alia ratione. V. ſupra ad L. VII c. 5. §. 10. & c. 6. §. 5. H.

3) Nullam ſcilicet agnoſcens differentiam inter Reſpublicas ciuiles & heriles. V. Notat. ib. H.

4) Et in regno Siamenſi, vbi proprietas rerum immobilium ſemper ſpectat ad Regem, perinde vt in Imperio Habeſſinorum ad Imperatorem. V. ſupra ad L. IV. cap. 6. §. 4. Idem ius in Oriente olim viguiſſe, non temere colligas ex 1 Samuel.

ſtentandae neceſſaria recte ſibi decerpunt velut loco mercedis ob impenſam in iisdem excolendis & cuſtodiendis operam. Atque de eiusmodi duntaxat ſubditis verum eſt, quod male ad quoſuis ciues extendit HOBBESIVS [3] de Ciue c. 6. §. 15. & c. 12. §. 7. *Singulos ciues ſuum ſibi proprium habere, in quod nemo conciuium ſuorum ius habet; non autem proprium ita habere quidquam, in quod non habeat ius ille, qui habet ſummum imperium.* Sicut *filiifamilias proprietatem rerum ſuarum a patre conceſſam habent, diſtinctam quidem a caeteris filiis eiusdem familiae, ſed non a proprietate ipſius patris. Sicut in familia filiorum ſingulorum propria ſint bona, quae & quamdiu vult pater.* Quodſi autem eiusmodi rex de iure ſuo aliquid remiſerit, tantum ſubiecti in bona ſua habebunt iuris, quantum regis conceſſio oſtenderit. Super quo a diuerſis diuerſo modo diſpoſitum. Sic Pharao dominus terrae Aegypti quintam partem frugum ſibi vindicabat, quatuor partes cultoribus relinquebat. Geneſ. XLVII, 23. 24. 26. Excipiebantur tamen agri ſacerdotum, ad quos tertia terrae pars ex donatione Iſidis ſpectabat. Vid. DIODOR. SICVLVS L. I. c. 21. 72. & GROTIVS ad Geneſ. XLVII, 26. De Indorum agricolis STRABO L. XV. [p. 484.] *Cum regio tota ſit regis, ipſi eam conducti operantur pro quarta parte fructuum.* Add. DIODOR. SICVL. L. II. c. 40. Id quod adhuc hodie in regno magni Mogoris obtinet [4], vbi & rex heres eſt ſuorum miniſtrorum & mercatorum. Add. Garcilaſſ. de la VEGA Comment. Reg. L. V. c. 5. Sic in regno Congo nemo proprii quid habet, quod ad heredes transmittere queat, ſed omnia regis ſunt, qui adminiſtrationem & vſum bonorum pro lubitu diſtribuit, teſte Eduardo LOPEZ. In hisce igitur regnis quicquid ſinguli iuris in bona obtinent, id originarie ab indultu regis dependet, qui de vniuerſis bonis abſolutam diſponendi poteſtatem habet, quantum pacta aut conceſſiones irreuocabiliter ab ipſo factae admittunt. Vbi tamen non inſuper habendum, quod BERNIER de nuperis motibus in Imperio Magni Mogolis obſeruauit [5], abſolutum illud Principum dominium in eo regno, aliisque per Orientem imperiis in cauſa eſſe quare iſtae regiones caetera feliciſſimae, incultu, barbarie ac paupertate quotidie in deterius eant, aut ſaltem non eo ſplendore effloreſcant, quo pleraque Europae regna, vbi dominia ciuium per imperantes parcius delibantur, ac vbi ciues habent, quod ſuum etiam aduerſus Principem dicere poſſint. Cui obiter addere poſſis, quod Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. V. c. 2. memorat; ex inſtituto Yncarum debuiſſe ſubditos ſuos prius agros excoluiſſe, quam ad Regis agros colendos accederent: quod fieri non poſſit, vt Regis res bene curentur, niſi ab iis, quibus ſuae res bene ſunt compoſitae: contra pauperes ciues pace ac bello inutiles ferebant.

§. II. ENIMVERO dantur ciuitates, vbi ciues bona ſua originarie hautquidquam tanquam beneficium imperii ciuilis agnoſcunt [1]. Idque vide-

1 Samuel. VIII, 14. *Agros quoque veſtros & vineas veſtras & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Volebant enim Hebraei ad morem vicinorum regnari. Adde de Rege inſulae Ceylon Robert. KNOX Rel. Hiſt. de illa Inſula L. II. c. 3. H.

5) Et de regno Siamenſi LOVBERIVS de Regno Siamenſ. Part. III. c. 14. n. 28. ſequ. H.

§. II. 1) Errat enim Fridericus HORNIVS L. II. de Ciuitat. c. 4. §. 3. & 9. dum ſubditis non niſi vtile dominium relinquere videtur, & verum ac

videtur contingere duobus potiſſimum modis: vel quando populus aliquis auſpicio regis abs ſe creati nouas ſibi ſedes quaeſiuit; vel quando plures patresfamilias, quibus iam ſuae opes erant, in ciuitatem vltro coluere, aut ciuitati iam conſtitutae vltro acceſſerunt, & ſic ſeipſos ac ſua bona imperio ciuili ſubiecerunt. Circa prius ita regulariter fieri ſolet, vt eiusmodi populus auſpicio rectoris ſui occupet regionem aliquam, terminis naturalibus aut ex arbitrio hominum circumſcriptam, per vniuerſitatem, cuius partes deinde ſingulis ſorte, aut arbitrio rectoris, rarius propria ipſorum electione, aſſignentur. Vid. Cornelius Nepos Miltiade c. 2. Vbi ſciendum, quanquam ſingulorum dominium non tam a propria ipſorum adprehenſione, quam aſſignatione rectoris populi videatur incipere; non tamen quod ſinguli habent, beneficium rectoris eſt; cum qui eiusmodi expeditioni ſeſe ſocios vltro adiunxere, ius ſibi perfectum quaeſiuerint portionem aliquam de parta terra habendi. Vid. Geneſ. XIV, 14. 21. 23. 24. Add. ſupra L. IV. c. 6. §. 3. 4. Multo minus autem dominia priuatorum originarie dependent ab arbitrio & indultu regis, quando patresfamilias liberi, bonis iam inſtructi, vltro ſeſe ipſius imperio ſubiecerunt [2]. Quin enim iſti, qui extra ciuitates degunt, proprii quid habere poſſint, manifeſtiſſimum eſt; quidquid repugnet Hobbesivs dicto loco. Sane ponamus, naturam dediſſe cuique ius in omnia, quid tamen obſtat, quo minus interueniente pacto ſua cuique portio poſſit aſſignari [3]. Et quanquam duorum aut paucorum pacta circa rem in medio poſitam reliquis nihil praeiudicent, ſed iisdem ius ſuum primaeuum relinquant integrum: tamen ſi omnes ſuper diuidendis rebus commune ineant pactum, expreſſum aut tacitum, quin vera proprietas rerum introducatur, dubitari non debet. Inde falſum eſt pronunciatum illud Hobbesii: *Patres diuerſarum familiarum, qui neque patri, neque communi domino ſubiiciuntur, ius commune in omnia habent.* Vid. Geneſ. IV, 4. XIII, 5. ſeqq. Etſi hoc certum ſit, eorum qui in ciuitatibus viuunt, dominia longe eſſe firmiora, quam ſingulorum qui in naturali libertate degunt. Nam hi propriis duntaxat viribus nituntur: iſtorum autem bona viribus totius ciuitatis contra exteros iuxta atque conciues proteguntur. Vid. Geneſ. XXXIV, 30. Socrates apud Xenophontem Memorabil. L. II. [p. 433. Ed. H. Steph.] *Κρεῖττον σὺν πολλοῖς οἰκοῦντα ἀσφαλῶς ἀρκοῦντα ἔχειν, ἢ μόνον διαιτώμενον τὰ τῶν πολιτῶν ἐπικινδύνως πάντα κεκτῆσθαι. Melius eſt cum multis ſecure habitare, modicaque poſſidere, quam bona omnium ciuium habere ſolum cum periculo viuentem.* Et hactenus tantum admitti poteſt illud Ciceronis pro Caecinna, [c. 25.] *Iure ciuili ſublato nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, quid alienum ſit.* Idem Off. II. [c. 21.] clarius: *Hanc ob cauſam maxime, vt ſua tenerentur, Respublicae conſtitutae ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen cuſtodiae rerum ſuarum vrbium praeſidia quaerebant.*

§. III.

ac directum penes ſummum imperantem eſſe aſſerit. Falſum quoque eſt, in huiusmodi ciuitate poſſe Principem ſine cauſa de plenitudine poteſtatis ſubdito auferre dominium, quod plures affirmant apud Vasqvivm L. I. Controu. vſu frequent. c. 1. n. 7. etſi multi diſſentiant, vt dubitet ipſe, vtra ſententia ſit receptior. H.

2) Quod poſterius quam prius praeſumendum eſſe potius, docui ſupra ad d. L. IV. c. 6. §. 3. H.

3) Et ſi ius illud Hobbeſianum in omnia ius eſt proprie dictum, cur non occupatione proprietas acquiretur? H.

§. III. In ciuitatibus ergo, vbi bona ciuium originarie a rectoribus non dependent, ſummo imperanti id tantum poteſtatis in eadem competit, quantum ex imperii ſummi natura per ſe fluit, niſi ciues amplius quid vltro ipſi detulerunt. Facit huc illud Senecae de Beneficiis L. VII. c. 4. *Iure ciuili omnia regis ſunt: & tamen illa, quorum ad regem pertinet vniuerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & vnaquaeque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare regi & domum, & mancipium & pecuniam poſſumus; nec donare illi de ſuo dicimur. Ad reges enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. Fines Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter ſe vicini priuata terminatione diſtinguunt. Et totus ager huius aut illius Reipublicae eſt: pars deinde ſuo domino quoque cenſetur. Ideoque donare agros noſtros Reipublicae poſſumus, quamuis illius eſſe dicantur: quia aliter illius ſunt, aliter mei. Omnia rex imperio poſſidet: ſinguli dominio.* Add. Grotius ad 1 Regum XVI, 24. Hinc Adrianus populo, ſeruum aurigantem vt in libertatem aſſereretur flagitanti, reſtitit his verbis: *Neque me alienum ſeruum libertate donare, neque vos domino eius vim afferre decet*, apud Zonaram Tom. II. Et ibid. Imp. Claudius edicto vetuit, ne ab Imperatore res alienae peterentur. Erat enim eo tempore opinio, Caeſarem talia donare poſſe. Vnde & ipſe, quem priuatus hoc modo acceperat fundum, domino reſtituit. Eoque probari non poteſt illud Friderici Imperatoris apud Guntherum Ligurino L. III. [v. 480. & ſeqq.]

Quicquid habet locuples, quicquid cuſtodit auarus.
Iure quidem noſtrum, populo concedimus vſum.
Rege figuratam, regis patet eſſe monetam;
Caeſaris & domino ſub Caeſare fulget imago [1].

Iſta porro poteſtas ad tria potiſſimum capita reuocari commodiſſime videtur: ad ius ferendi leges circa vſum bonorum ad ſalutem ciuitatis attemperandum; deinde ad ius indicendi tributa; & denique ad exercitium dominii eminentis. Ad primum caput referuntur leges ſumtuariae [2], ſeu quae modum ſtatuunt ſumtibus extra neceſſitatem poſitis, quibus priuatae domus, & inde ciuitas exhauritur, pecuniis ad exteros translatis, poſtquam in exoticas delicias luxuria cumprimis ſolet inſanire. Plinius N. H. L. VI. c. 28. *In vniuerſum gentes* (Arabum) *ditiſſimae, vt apud quas maxime opes Romanae Parthorumque ſubſidunt, vendentibus quae e mari aut ſyluis capiant, nihil inuicem redimentibus.* Idem dicto loco c. 23. *Nullo anno imperii noſtri minus HS quingenties exhauriente India, & merces remittente, quae apud nos centuplicato veneant.* Conf. Idem L. XII. c. 18. Quo & illud incommodum accedit, quod qui opes ſuas per luxum diſſiparunt, ad ſumtus in Rempublicam erogandos fiant inepti. Qui enim, verbi gratia, duas quintas partes redituum ſuorum annuorum expendit, ſi duae praeterea quintae

§. III. 1) In vltimis duobus verſibus alluſio fit ad Reſponſum, quod Chriſtus diſcipulis Phariſaeorum, & Miniſtris Herodis dedit, poſtquam ii, interroganti, cuius eſſet imago & inſcriptio nummi, qui Tributi nomine ſoluebatur, reſponderent, *Caeſaris.* Regeſſit enim: *Date ergo Caeſari, quae ſunt Caeſaris & Deo quae ſunt Dei.* Matth. XXII. v. 19. & ſeqq.

2) Vid. Clericus in Parrhaſianis T. II. p. 275. & ſeqq.

quintae partes in tributum ſint erogandae, nihil incommodi ſentit, & ſortem inſuper ſuam vna quinta parte auget. Cum contra qui vniuerſos ſuos reditus expendere ſueuit, vbi in publicum quid eſt conferendum, vel ipſa ſors ſit minuenda, vel de aſſuetis ſumtibus ſit detrahendum. Quales illae leges fuerint in Republica Romana enumerat Paulus MANVTIVS [3] de LL. Romanis ex Macrobii Saturnal. L. III. PLATO L. VI. de LL. [L. VI. p. 810. D. E. Edit. Francof. Ficini.] ad nuptias non niſi decem ex propinquis vocari [4], & a ditiſſimis ſupra minam impendi non vult. Add. AELIANVS V. H. L. III. c. 34. & Garcilaſſ. de la VEGA Comment. Reg. L. V. c. 11. Item, leges contra aleam latae [5]. Vid. t. t. D. & C. *de Aleatoribus*. Add. GRATIANVS c. 7. 8. 9. Diſtinct. 86. Et quae paſſim prodigos coërcent. Quo facit inſtitutum Periandri apud Corinthios, quo non permittebatur *δαπανᾷν πλέον, ἢ κατὰ τὰς προσόδους, non plus inſumere, quam cenſus ferret.* HERACLIDES de Politiis. Id quod cumprimis circa illos obſeruandum, qui Rempublicam tractant. Quo facit inſignis locus POLYBII L. X. in Excerptis Peireſcianis. *Ὀυχ οἷόν τε τῶν κοινῶν προςατεῖν καλῶς τὸν ὀλιγωροῦντα τῶν κατὰ τὸν ἴδιον βίον, οὔτε μὴν ἀποσχέσθαι τῶν τῆς πατρίδος, ὅςις πολυτελέςερον ζῇ τῆς κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπαρξιν χορηγίας. Fieri non poteſt, vt is Reipublicae recte praeſit, qui in priuata vita eſt negligens; neque a diripienda publica pecunia ſibi eſt temperaturus, qui ſumtuoſius viuit, quam priuati reditus ferant.* Conſpirat illud LVCIANI in Antholog. [T. II. p. 834. Ed. Amſter.] *Ὀυκ ἔςι κακῶς κεχρημένον ἀνδρα τοῖς ἰδίοις, εἶναι πιςὸν ἐν ἀλλοτρίοις. Non poteſt male vſus propriis eſſe fidelis in alienis* [6]. Item leges de modo & qualitate poſſeſſionum, qualis erat Romae lex Licinia, ne quis vltra D. agri iugera, neque pecoris maioris vltra C. minoris vltra D. capita haberet. Vid. P. MANVTIVS dicto loco. Huc pertinet Numer. XXXVI, 7. 9. Add. ARISTOTELES Polit. L. II. c. 5. 7. L. VI. c. 4. (5.) vbi memoratur lex in multis ciuitatibus democraticis vſitata, *Μὴ πωλεῖν ἐξεῖναι τοὺς πρώτους κλήρους, Ne primas agri partes liceat vendere.* Et lex Oxyli, *Μὴ δανείζειν εἰς τι μέρος τῆς ὑπαρχούσης ἑκάςῳ γῆς. Ne quis in partem agri cuiusquam mutuum det.* Add. Lex BVRGVNDIORVM tit. 84. §. 1. Huc ſpectat illud SCtum apud PLINIVM L. VI. Epiſt. 19. quo candidati iubentur patrimonii tertiam partem conferre in praedia Italica. Item, leges circa modum donationum [7], legatorum, & quibus teſtandi

3) Sumptuarias leges ex rethris Lycurgi & axonibus Romam translatas, diuque obſeruatas, & ſeneſcentes paulatim reparaſſe Syllam Dictatorem, notauit AMMIAN. MARCELLIN. L. XVI. c. 5. H.

4) MENANDER Comicus Graecus Vitta meminit legis nouae, quae iubebat coquos, quorum opera famularetur nuptiis, apud Cenſores nomen ſuum profiteri:

Ἵνα πυνθάνοιντο τοὺς κεκλημένους ἐὰν
Πλείους τις ὧν ἔξεστιν ἑστιῶν τύχῃ.
Interrogandos, num quis conuiuas ſibi
Vocaſſet plures, lege quam permitteretur. H.

5) Vid. ſupra L. V. c. 9. §. 5. H.

6) Apud IAMBLICHVM, Philoſophum Pythagoraeum, Pythagoras Sectae ſuae Princeps eos, qui negotiorum publicorum adminiſtrationi praeſunt, monet, vt eadem ſollicitudine domum ſuam regant, qua moderanda ſit Reſpublica: *Καὶ τὴν ἰδίαν οἰκίαν οὕτως διανεμεῖν, ὥςε τὴν ἀναφορὰν ἐξεῖναι τῆς προαιρέσεως εἰς ἐκεῖνο* [ſubintellige] *πόλιν ἀνενέγκειν.* De Vita Pythagorae c. 9. num. 47. Ad quem locum vid. KVSTERVS & CLERICI Bibliotheca ſelecta T. XIII. p. 371.

7) *L. 27. L. 32. L. 36. C. de Donation. tot. tit. de Donat. inter vir. & vxor.* H.

8) Vid. ſupra L. IV. c. 11. §. 18. H.

9) Et in inſula Ceylon aedes ſuas calce dealbare duae.

Digitized by Google

ſtandi facultas circumſcribitur [8], aut quibus modus conſecrationi rerum ponitur. Vid. Exodi XXXVI, 6. Item illae leges, quae certos ciues certum genus rerum poſſidere vetant. Sicuti de Indis refert STRABO [9], L. XV. [pag. 484. Ed. Gen. 704. Ed. Pariſ. 1034. B. Ed. Amſt.] *Priuato homini equum & elephantum alere non licet. Vtrumque enim regis poſſeſſio cenſetur.* Et leges contra otioſos [10] latae. Qualis illa apud Nabathaeos, qua *publice mulctabatur, qui opes ſuas imminuerat*, apud STRABONEM L. XVI. [p. 539. Ed. Gen. p. 783. 784. Ed. Pariſ. 1130. B. Edit. Amſt.] Et contra eos, qui res ſuas incultu perire [11] patiuntur. Vid. GELLIVS L. IV. c. 12. Item illa lex regis Amaſis apud Aegyptios [12], qua omnes apud prouinciarum praeſides ſingulis annis demonſtrare tenebantur, vnde viuerent; poena mortis in ſecus facientes conſtituta. HERODOTVS Euterpe. Poſſis etiam huc referre leges, qua certae res ciuibus adquiri, aut certus modus rem augendi vetatur. Sicut de Italia PLINIVS N. H. L. III. c. 20. *Metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. Sed interdictum id vetere conſulto patrum, Italiae parcere iubentium.* Spectat quoque huc lex Venetorum [13], vt nullus teſtamento, venditione, aliaue cauſa bona immobilia perpetuo Eccleſiaſticis relinquere, vendere, alienare inconſulto Senatu queat, apud MAVROCENVM Hiſt. Venet. L. XVII. Item, quae vetant pecunias extra ciuitatem efferri, & commercia cum exteris ſola mercium commutatione expediri iubent.

§. IV. SED & hoc iuris ſummo imperio competit, vt partem aliquam de bonis ciuium decerpere tributi nomine poſſit. Quippe cum tributa intra iuſtum modum imperata, & recte impenſa nihil ſint aliud, atque merces, quam ſinguli pendunt ciuitati pro defenſione ſalutis ac bonorum ſuorum, & ad tolerandos, qui heic requiruntur, ſumtus. Hinc cum *Nero dubitaret, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcerrimum donum generi mortalium daret; impetum eius attinuere ſenatores, diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtineretur, deminuerentur.* TACITVS Annal. XIII. [c. 50.] Apud EVNDEM Hiſt. IV. [c. 74.] Cerialis ad Treueros: *Nos iure victoriae id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tribu-*

re duasque contignationes in iis habere, eſt Regi ſoli reſeruatum; cui & ipſi ſoli licet ſella cum fulcro dorſali vti, & capras alere. Robert. KNOX Relation. hiſtor. de Inſula Ceylon. L. III. c. 6. H.

10) OVIDIVS de Remed. Amor. v. 135. & ſeqq.

Ergo vbi viſus eris noſtrae medicabilis arti
Fac monitis fugias otia prima meis.
Haec, vt ames faciunt, haec vt fecere tuentur,
Haec ſunt iucundi cauſa cibusque mali.
Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtaeque iacent & ſine luce faces.

Add. PARRHASIANA T. II. p. 279. & ſeqq.

iuncta Lege Aegyptiaca, quam laudauimus ſupra L. III. c. 3. §. 2. n. 2.

11) *Expedit enim Reipublicae, ne ſua re quis male vtatur*, §. 2. Inſt. de His, qui ſui vel alieni iuris ſunt.

12) Vid. ſupra L. III. c. 3. §. 2. Adde quae de Corinthiorum more ex Diphilo Comico & Perſis notaui Elem. Pr. ciuil. Part. II. ſect. 2. §. 25. in not. H.

13) Quondam litis materia inter Paulum V. Pontific. & Rempublicam. V. Pauli SARPII Hiſtoria particularis L. I. ad A. MDCV. & MDCVI. Eadem lex eſt apud alios quoque populos. Vid Diſſertat. de Superiorit. territor. §. 11. p. 205. & 210. H.

Digitized by Google

tributis haberi queunt [1]. Apud ISAEVM Orat. VI. dicitur: *Exiſtimans pro ſe modicos ſumtus facere oportere, & quae reliqua erant ciuitati adquirere, vt impenſis ſufficeret.* THEMISTIVS Orat. XIV. *Athenis lex prohibet eos, quorum nomina in aerarium relata ſunt. Rempublicam prius capeſſere, quam debitum illud diſſoluerint.* Quae qui probe expenderit, fatebitur iniquas ſaepe & impudentes eſſe querelas vulgi, cui maxima fere miſeriarum ſuarum cauſa videtur tributorum grauitas [2]. Quam ad rem cumprimis faciunt, quae tradit HOBBESIVS de Ciue c. 12. §. 9. Etſi multo improbiores ſint querelae eorum, in quos cadit illud apud PLAVTVM Epidico Act. II. ſc. 2. [v. 42. & ſeqq.] *Quaſi non fundis exornatae multas incedant per vias. At tributus cum imperatus eſt, poteſſe pendi negant: Illis, quibus tributus maior penditur, pendi poteſt.* Huc ſpectat quoque illud Archidami, qui bello Peloponneſiaco ſociis poſcentibus, vt tributi certam praeſcriberet quantitatem, dixit: Ὁ *πόλεμος οὐ τεταγμένα σιτεῖται*, *Bellum definito non alitur emolumento*, apud PLVTARCHVM Apophth. [p. 219. A.] Et IDEM Craſſo: Ὁ *πρὸς πόλεμον πλοῦτος ἀόριστος.* *Opes ad bellum definiri nequeunt.* PROCOPIVS de Bello Perſico L. II. c. 26. *Πόλεμος τοῖς αὐτὸν διαφέρουσιν, ἐπὶ τοῖς ὁμολογουμένοις οὐ μήποτε ἐστί.* *Bellum ab iis, qui illud inferunt, non poteſt poni in rerum numero, quas certo tenent.* Et raro locum habet illud M. Catonis apud LIVIVM L. XXXIV. c. 9. *Bellum ſeipſum alet.* Imo in vniuerſum ſumtus publici certa quantitate includi ſemper non poſſunt; ob varios caſus, qui non a nobis, ſed a vicinis noſtris dependent, ad quos diſpellendos pecunia opus eſt. Sed & ad quemuis adparatum bellicum adplicari poteſt, quod de claſſe extat apud NICETAM CHONIATEN. L. I. ſuaſu Ioannis Puzeni ſummi quaeſtoris ſub Imperatore Manuele Comneno vectigalia nautica, olim in claſſem conferri ſolita, in fiſcum fuiſſe relata, triremesque abolitas, quod diceret; *Triremes non ſemper Reipublicae eſſe vtiles: ſumtus vero, qui in eas fierent, & annuos eſſe & immenſos. Eos igitur in fiſcum referendos, neceſſitate vero poſtulante, ex Imperatoris theſauris ſtipendia promenda eſſe. Quae cum dixiſſet, vir optimus, & rerum gerendarum peritiſſimus eſt habitus, cum reuera ſententiam crudeliſſimo pirata dignam dixiſſet. Imperatorem enim ſumtuum magnitudine decepit, & paruitate impenſarum rurſus exhilarauit. Qua ſiue temeritate, ſiue tenacitate factum eſt, vt maritimae prouinciae latrociniis vexarentur.* Inde ſecutas calamitates ei aeque imputari potuiſſe, infert:

§. IV. 1) QVINTILIANVS Declam. 341. *Neceſſaria vectigalia ciuitati: exercitus ſtipendium accipiunt: bella quotidie geruntur aduerſus barbaras & bellicoſiſſimas gentes: defendimus ripas & flumina & littora. His adiice & illud, templa exſtruuntur: multum impendiorum ſacra ducunt: aliquid ad ſpectacula opus eſt vectigalibus.* H.

2) Frequens inde ſeditionum & bellorum ciuilium materia. Plenae exemplorum hiſtoriae veteres & recentes. H.

§. V. 1) Hinc etſi ex neceſſitate iuris haut fit, vt ex conſilio ciuium tributa imponantur, vt demonſtrauit Franciſc. SVARETZ. L. V. de LL. c. 17. tamen prudentia id non raro poſtulat. & non audiendus Fridericus HORNIVS L. II. de Ciuitat. c. 4. §. 17. perſuadere volens, periculoſe Conſiliarios agere, qui auctores ſint Principi, vt cauſas petendorum tributorum ſubditis exponat. V. omnino BOECLERVS ad Herodian. L. II. c. 4. p. 493. Caeterum ad triſtitiam tributorum mitigandam vocabula ipſa non exiguam habent efficaciam, praeſertim apud vulgus. PLVTARCHVS in Solone notat, Athenienſes, maxime iuniores, aſperitatem rerum benignis & blandis vocabulis contexiſſe, inuidia nominis vrbane emollita, tributa appellare deſcriptiones, praeſidia ciuitatum ſtationes. Hinc apud Anglos beneuolentia

fert: atque *ſpicam ei, qui ſeuit, acceptam ferimus, & is accuſatur, qui non reſecuit, & incendium non ei duntaxat imputatur, qui ignem iniecit, ſed & ei, qui id reſtinguere cum poſſet noluit.* Gemina habentur apud NICEPHORVM GREGORAM L. IV. qui talia ſub Andronico Palaeologo quoque contigiſſe refert.

§. V. EST tamen prudentis rectoris, hactenus querulo vulgi ingenio ſe attemperare; vt quantum fieri poteſt minimo quaſi cum ſenſu & motu tributa colligantur [1]. Et quidem vulgo durius longe videtur, illa, quae ſemel in bonis ſuis numerauit, iterum erogare, quam quaedam non adquirere. Vid. LIVIVS L. V. c. 23. Et PLVTARCHVS Camillo, [T. II. p. 132. 133.] vbi aegerrime tulit plebs quod decimam partem praedae iam diuiſae cogeretur conferre. HOMERVS Iliad. α. [v. 125. 126.] *quae ex vrbibus captis diripuimus, ea diuiſa iam ſunt. Populum vero non decet ea rurſus collecta congregare.* CLAVDIANVS de Laud. Stilichon. [v. 379. 380.] *Grauiorem amiſſa dolorem, Quam needum quaeſita mouent.* Add. *L. 5. §. 13. D. de Donat. inter vir. & vxor.* [2] Hannibal apud LIVIVM L. XXX. c. 44. *Tantum ex publicis malis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quidquam acrius, quam pecuniae damnum ſtimulat.* Inde multis commodiſſimum viſum, ſemel iſto onere defungi, & partem bonorum in vſus publicos perpetuo diſponere [3]. Vid. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 72. Et Paulus WARNEFRIDVS de Geſt. Langobard. L. III. c. 16. Aliqui minus affici vulgus iudicant per moderata vectigalia [4], & aſſiſias, quas vocant, quam collectas & tributa. Quanquam circa vectigalia in merces importandas conſtituenda [5] conſiderandum ſit, an merces illae ſint neceſſariae [6] an vero luxuriam duntaxat inſtruant. Nam circa has illa recte intendi poſſunt, reprimendo luxui, & quia iſtis fere vtuntur homines locupletes, aut qui alias multis priuilegiis inſtructi Reipublicae parum contribuunt. Vid. *L. 16. §. 7. D. de Publicanis.* Item an non eaedem merces apud nos prouenire, aut elaborari poſſint, ſi adſit indigenarum induſtria [7]. Quam ob rationem recte merces exoticae vectigalibus onerantur, illae cumprimis, per quas luxus tantum inſtruitur, & per quas *exteri tributum a nobis accipiunt*, Φόρους παρ᾽ ὑμῶν λαμβάνουσιν, οὐ τῆς χώρας, οὐδὲ τῶν βοσκημάτων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀνοίας τῆς ἡμετέρας *non pro regione, neque pro pecoribus, ſed pro dementia noſtra;* vti loquitur DIO

lentia, apud Gallos auxilia (les aides) alibi preces, & quae ſunt mollia alia tributorum nomina. Non minus vtile eſt, executores tributorum ex ipſo ciuium corpore deligi: quoniam id humanius & populo gratius. Quam in rem praeclare diſſeruit BARCLAIVS L. III. Argenid. H.

2) *Neque enim pauperior ſit, qui non adquirat, ſed qui de patrimonio ſuo depoſuit.*

3) Hippodamus apud ARISTOTELEM II. Pol. 6. agrum diuidendum cenſuit in ſacrum, publicum & priuatum. Conf. VII. Pol. 10. H.

4) QVINTILIANVS Declam. 341. pag. 673. Edit. Obrechti.

5) *Ελευγωγικὰ* dicta STRABONI L. XVII. Geogr. p. 549. vbi agit de Ciuitate Alexandria. H.

6) Quas nullis aut minimis vectigalibus onerari ratio exigit. V. *L. 5. C. de Vectigalib.* MEVIVM Part. VII. Dec. 120. H.

7) Ita cum inuectio rerum elaboratarum ſiue factarum vetaretur, in Gallia a temporibus Henrici IV. Regis creuerunt commercia, & textura lanae, ſerici, magna incrementa ſumſit. E contrario res rudes, quae a peregrinis inuehuntur, a vectigalibus, quantum fieri poteſt, ſubleuandae: quoniam ciues ex rebus hiſce eas elaborando maius lucrum poterunt capere, quam ipſi venditores: multi quoque opifices hoc modo alliciuntur, alio etiam conceſſuri, ſi materiam, in qua induſtriam exerceant ſuam, non habeant. H.

CHRYSOSTOMVS Orat. 79. Circa exportandas merces videndum [9], an Reipublicae interſit eas non exportari; an vero neceſſum ſit eas exportari, quod aliud non ſuppetat medium ciuibus rem faciendi. Prius facit, vt vectigalia intendi queant, poſterius vt remitti debeant. Neque id inſuper habendum, an exteri vehementer iſtis mercibus opus habeant; an eaſdem quoque aliunde poſſint habere [9]. Cui enim ignota mercurialium hominum ſolertia? *Extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.* Ita enim fieri ſolet, vt ſi in vno loco nimis onerentur mercatores, alia ſibi emporia quaeſitum eant; aut occinant illud Gallieni apud TREBELLIVM POLLIONEM: [in Vita eius c. 6.] *Quid? ſine lino Aegyptio eſſe non poſſumus. Non ſine trabeatis ſatis tuta Reſpublica eſt?* Sicuti & ad vectigalia maxime quadrare iudicauerim illam HESIODI [O. & D. v. 40.] regulam, Πλέον ἥμισυ παντός; *Dimidium plus toto.* Nam ſterilis eſt portus, quem mercatorum frequentia deſtituit. Quo loco etiam obſeruanda conſtitutio Neronis apud TACITVM A. XIII. [c. 51.] *Ne cenſibus negotiatorum naues adſcriberentur, tributumque pro illis penderent.* Sicuti & id ſummi imperii eſt, quae in quaeſtum publicanorum ab ipſis ſubinde inueniuntur, nec non eorundem importunitatem, & vexationes, quae ipſo vectigali grauius tolerantur, circumcidere [10]. Apud DIONEM CASSIVM L. XLII. Caeſar dicitur Aſiam a publicanis, qui eam acerbiſſime habuerant, liberaſſe, & *vectigalia in tributi formam redegiſſe.* Add. *L. 12. Princip. D. de Publicanis.* Sic & laudat edictum Neronis TACITVS A. XIII. c. 50. *Vt leges cuiuſque publici, occultae ad id tempus, proſcriberentur: omiſſas petitiones non vltra annum reſumerent: magiſtratus iura aduerſus publicanos extra ordinem redderent.* Sed nec nimium fauoris tribuendum *fiſco*, *cuius cauſa nunquam mala eſt, niſi ſub bono principe;* & cui nunquam deſunt, qui *fronte graui, & triſti ſupercilio eiusdem vtilitatibus contumaciter adſint.* PLINIVS Paneg.

§. VI.

8) Quibus impoſita vectigalia ἐξαγωγικὰ vocat STRABO dicto loco. H.

9) Vbi reſpectus ad alias ciuitates haberi debet, vt ſic maiori immunitate data commercia attrahantur & lucrum aliis praeuertatur. Apud Hollandos mercaturae prae caeteris parci, teſtatur H. GROTIVS L. V. Ann. Belg. ad A. MDLXXXIIX. ſtudiis regnantium, tum ne maximum atque inſtabile commercium alio pelleretur. Conf. TEMPLIVS Obſeruat. circa Stat. Foederat. Belgii c. 6. p. 335. BOXHORN. Diſquiſit. polit. 28. H.

10) Qui olim vbique male audierunt apud Graecos, Romanos, Iudaeos. VLPIANVS d. L. 12. D. de Publican. & Vectigal. *Quantae audaciae, quantae temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt, qui neſciat.* Senator quidam apud LIVIVM L. XLV. c. 18. *Vbi publicanus eſt, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem ſociis nullam eſſe.* Conf. H. GROTIVM ad Matth. V, 46. ad Lucam III, 13. Illud addendum; apud QVINTILIANVM Decl. 341. legem eſſe: *Quod quis per publicanos improfeſſum tranſtulerit, commiſſum ſit.* Quae ſic defenditur: *Num haec iniuſta poena eſt, in qua furta deprehenduntur, qua lex vindicatur, quae fraus transferentium detegitur?* Vbi tamen aequior eſt ſententia, quae res domini ſiue exercitoris, quorum nomine auriga vel nauta vectigal non ſoluit, a commiſſis eximit. In pacis inter Hiſpanos & Anglos legibus eſt apud H. GROTIVM L. XIII. Hiſtor. Belgic. ad A. MDCIV. *Nautarum delicta fraudi exercitoribus ne forent.* H.

§. VI. t) Enimuero quemadmodum aequalitas illa inueniri queat, maximae profecto difficultatis eſt: quoniam vnusquisque laudat onera in alium caſura, & facultates ſingulorum incertae eſſe conſueuerunt. Apud Romanos cenſus ita fiebat, vt omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur. Quod inſtitutum Seruii Tullii fuit, teſte FLORO L. I.

Digitized by Google

§. VI. Circa imponenda autem tributa, & alia onera id maxime cauendum, ne ſubditis iuſta querelarum cauſa oriatur. Id quod primo fit, ſi onera ciuitatis ciuibus inaequaliter imponantur. Nam, vti recte Hobbesivs de Ciue c. 13. §. 10. quod omnibus ſimul leue onus eſt, ſi multi ſe ſubtrahunt, caeteris graue, imo intolerabile erit. Neque enim homines tam onus ipſum, quam inaequalitatem aegre ferre ſolent, ob dolorem iniuriae, aut inuidia aduerſus immunes. Et cum id, quod a ciuibus in publicum confertur, nihil aliud ſit praeter emtae pacis pretium, rationis eſt, vt qui aeque de pace participant, aequas partes ſoluant, pecunias aut operas Reipublicae contribuendo. Sic vt immunitates & priuilegia, quibus certi homines aut ordines in multis ciuitatibus gaudent, non aliter aequitatem habeant, quam quatenus iſta nobilitate operae, quam iidem Reipublicae praeſtant, penſantur. Vid. Diodorvs Sicvlvs L. IV. c. 73. de Machaone & Podalirio. Et Isocrates in Laudat. Buſiridis, [p. 389. 390.] de priuilegiis ſacerdotum Aegyptiacorum. Enimuero vt iſta aequalitas recte inueniatur, accurate obſeruandum eſt, non heic quaeri aequalitatem pecuniae, ſed oneris: ſeu in eo hautquidquam aequalitatem verti, vt ſinguli aequales pecuniarum ſummas ſoluant, ſed vt quae ſingulis iniungitur portio non magis vnum quam alterum grauet. Quod fit, ſi aequalis ſit ratio inter onera & beneficia pacis. Quanquam enim pace omnes aequaliter fruantur, non tamen emolumenta pacis omnibus ſunt aequalia; cum alii plus bonorum, alii minus adquirant, & rurſus alii plus, alii minus conſumant [1]. Inde quaeſtio ab Hobbesio mouetur: an ciues in publicum contribuere debeant pro ratione eorum, quae lucrantur, an eorum quae conſumunt, hoc eſt, an perſonae taxari debeant, vt pro ratione cenſus contribuant, an vt quisque contribuat pro ratione eorum, quae conſumit? Vbi primo omnium ita eſt pronunciandum, quia beneficio ciuitatis ſuum cuique patrimonium defenditur, igitur iſti poſſe imponi onera pro ratione redituum. Quo ſpectant ea, quae Seruius

L. I. Rer. Rom. c. 6. Conf. *L. 4. D. de Cenſibus.* Carol. Sigonivs L. I. de Antiquo iure ciuium Romanor. c. 14. Iidem aequatores habebant, qui arbitrarentur, num quis iniuſte cenſus eſſet, de quibus ſaluberrimae leges extant *in tit. C. de Cenſ. & Cenſitor.* Hodie plurimis in locis ita fit, vt ſingulos ciues profiteri oporteat, quantum in bonis, reditibus & obuentionibus habeant, profeſſione iurisiurandi religione confirmata. Videatur de modo hocce aeſtimandi Mevivs Part. II. ad Ius Lubecenſ. tit. 3. Art. 3. & Part. IV. dec. 34. Ariſtidis hac in re fidem egregie laudat Plvtarchvs Vit. Ariſtidis. Quibusdam ciuitatibus, vt difficultates illas effugerent, placuit rebus ad victum comparatis tributum indicere. Quod inprimis vſum habet in ciuitatibus, quae mercaturae ſunt deditae. Ciuitates quaedam, praeſertim liberae, morem habent, vt, anguſtiis Reipublicae temporibus, de vniuerſis cuiusque bonis certam pecuniae quantitatem exigant, puta centeſimam, ducenteſimam. Quanquam nec hicce modus difficultate careat, cum quia multorum opes ſunt incognitae, & in locis, vbi mercatura viget, incertae; tum quia ſuſpecta ſaepe eſt profitentium fides. Si tamen eo vti libeat, profuerit omnium opulentiſſimis certum ſummae terminum conſtitui, qua exſoluta vlteriori profeſſionis onere leuentur. Ita complures definitam ſummam ſoluent, quam opibus ſuis non attingunt, vt opulentorum nomen nanciſcantur, & tenuitatem ſuam velare poſſint: diuites vero profeſſione non habebunt opus. V. H. Grotivm L. VIII. Hiſtor. Belgic. ad A. MDXCIX. Ex his indicari poteſt de tributo, quod in capita datur, & ἐπικεφάλια a Cicerone V. ad Attic. 16. capitis tributum ab Vlpiano *L. 3. D. de Cenſib.* dicitur, indicandum ſit. Nimirum onus hocce pauperes magis quam diuites premit, &, niſi collatio ſit modica, tantum a neceſſitate temporum excuſationem habet. Fuit id apud Romanos ſubinde magnum. Ammianvs de Iuliano Caeſare: *Partes eas* (Galliarum) *ingreſſus, pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens vero ſeptenos tantum.* H.

Seruius Tullius de ratione inſtituti cenſus differit apud DIONYSIVM HALICARNASSEVM L. IV. [p 215. Edit. Sylburgi] *Iuſtum exiſtimo, & Reipublicae vtile, vt qui multum poſſident, multa conferant; parum vero, qui ſunt in re tenui* [2]. Sicuti & quae extraordinariis Reipublicae temporibus imperantur, iuxta cenſum imponenda ſunt. Deinde quia ope ciuitatis etiam cuiusque vita defenditur, quae pauperibus aeque ac diuitibus cara eſt; inde ab illis aeque ac his operae militares poſtulari poſſunt, nec minus eodem nomine tributum modicum aequale exigi; vti eſt capitatio, in quo diues non plus quam pauper ſoluit. Verum quia etiam beneficio ciuitatis ciuibus occaſio praebetur, vt ſua induſtria rem ſibi augere poſſint, heic difficultas potiſſimum oritur, quomodo iſto intuitu impoſitio onerum ſit facienda. Vbi commodiſſimum videtur, vt ea taxentur, prout quilibet conſumit, non prout quis lucratur; praeſertim cum etiam homines ſaepiſſime pro modo lucri expenſas ſoleant facere. Nam vbi pro ratione eorum, quae quisque lucratur, impoſitio fieret, & vero contingeret eos, qui aequalia lucrati ſunt, non aequalia poſſidere, (quo nihil eſt frequentius, dum alter parta per parſimoniam conſeruat, alter per luxuriam diſſipat;) neceſſum eſſet, beneficio pacis aequaliter gaudentes, ciuitatis onera non aequaliter ſuſtinere, verbi gratia, Duo per annum lucrati ſunt aequalia; vterque C. ſed vnus conſumſit XL. alter XXC. Heic cum vterque aequaliter pace fruitus ſit, aequum quidem videri poſſit, vt vterque aequalia ſolueret. Atqui duo heic occurrunt incommoda: primo quod difficillimum ciuitati ſit inquirere, quantum quisque ciuium ſingulis annis ſuam per induſtriam lucretur, neque recognitio cenſus tam crebro fieri queat. Deinde ſi impoſitio tributi fieret anno elapſo, vbi vterque rationes acceptorum & expenſorum ſubduxit, & quidem pro ratione eius, quod vtrique ex lucro prioris anni ſupereſt, vni ſimplum, & alteri duplum foret ſoluendum; cum tamen vterque aeque beneficio pacis fruitus ſit. Hoc modo & illud fieret, vt vni ſua parſimonia fraudi, alteri ſua luxuria leuamento foret. Ergo commodiſſimum eſt, ipſas res conſumendas taxari, vt ſic vnusquisque dum rem priuatam conſumit, partem ciuitati debitam pro ratione eorum, quae non habet, ſed beneficio ciuitatis habuit, imperceptibiliter perſoluat, dum id quod ciuitati perſoluitur pro parte pretii rei conſumtae habetur [3]. Caeterum, quod iamiam circa vectigalia monebamus, id ipſum circa tributa, & alia onera publica obſeruandum. Quo ſpectat illud TACITI Agricola, [c. 19.] *Frumenti & tributorum auctionem aequalitate munerum mollire, circumciſis quae in quaeſtum reperta ipſo tributo grauius tolerabantur. Namque per ludibrium aſſidere clauſis horreis, & emere vltro frumenta, & vendere pretio*

2) *Δίκαιόν τε καὶ συμφέρον τῷ κοινῷ τὸ αὐτὸ ἡγοῦμαι, τοὺς μὲν πολλὰ κεκτημένους, πολλὰ εἰσφέρειν· τοὺς δ' ὀλίγα ἔχοντας ὀλίγα.*

3) His Tributis praeterea per modum Accisiarum cohibetur luxus. Si quis enim conuiuiis ſumtuoſis & veſtimentis pretioſis abſtineat, parum habebit, quod contribuat, ſibi imputaturus, ſi aliter rerum ſuarum ſatagat. Vid. HOCHSTETERI Collegium Puſendorfianum Exercit. II. §. 12.

4) Nec omittendum hoc loco genus tributi ſingulare, viceſima ab Auguſto inuenta, quae de hereditatibus (non tamen parentum & liberorum) & legatis detrahebatur. Vnde & lex viceſimaria. Vid. DIO CASSIVS L. LV. & PLINIVS in Panegyric. ad Traianum. Hoc tributum poſtea, vt iniquum, ſublatum eſſe, teſtatur IVSTINIANVS *L. final. C. de Edicto D. Hadriani tollend.* H.

5) De Modo caeterum, quo Princeps reditus ſuos,

pretio cogebantur. Diuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates a proximis hibernis. in remota & auia deferrent, donec quod omnibus in promtu erat, pacis lucroſum fieret. Add. CICERO Actione III. in Verrem. Sed & duram nimis arbitramur vocem Peſcennii Nigri apud SPARTIANVM, [in Vita eius c. 7.] qui cum Palaeſtini rogarent, vt eorum cenſitio leuaretur, reſpondit: *Vos terras veſtras leuari cenſitione vultis: ego vero etiam aërem veſtrum cenſere vellem.* Caeterum quos modos pecuniae colligendae quandoque neceſſitas adhibere ſubigat, ARISTOTELES Oecon. L. II. c. 1. prolixiſſime tradit. Obiter heic monere placet de ſingulari genere tributi [4], quo Yncae apud Peruuianos ab extreme pauperibus quotannis aliquot cornicula pulicibus demta, tributi loco praefectis ſuis offerri iubebant, vt nemo ſe immunem iactaret, & vt ſe ab iſtis inſectis purgarent, apud Garcilaſſum de la VEGA L. V. c. 6. & L. IIX. c. 5. & 6. [5]

§. VII. DOMINII eminentis non tam rem, quam [1] vocabulum aliqui damnant. Ipſam enim vim imperii, propter ſalutem publicam inſtituti, ſufficientem principi titulum praebere, vrgente neceſſitate vtendi bonis ſuorum ſubditorum; eo quod omnia ſimul conceſſa intelligantur, ſine quibus obtineri bonum commune non poteſt. Ambitioſum quoque eſſe id vocabulum, quo mali principes abuti poſſint ad diſſipandas ſubditorum facultates. Verum vti ſuper vocabulis litigare ſuperuacuum eſt; ita particulam ſummi imperii, quae certo ſeſe modo circa certam rem exſerit peculiari nomine inſignire, non praeter rationem eſt. Eius autem dominii quae vis ſit, ex hiſce intelligetur. Naturalis eſt aequitatis, vt, ſi ad communem quampiam rem conſeruandam ab iis qui de eadem participant, conferendum quid ſit, ſinguli ratam duntaxat partem conferant, nec vnus ſupra caeteros grauiter oneretur. Idem & in ciuitatibus obtinet Sed cum ſaepe ea ſint Reipublicae tempora, vt vel vrgens neceſſitas non admittat ratas partes a ſingulis colligi, vel certa quaepiam res vnius aut paucorum ciuium ad neceſſarios vſus Reipublicae requiratur; poterit ſummum imperium eam rem publicis neceſſitatibus adhibere; ita tamen, vt quod ratam partem dominorum excedit, a caeteris ciuibus ſit ipſis refundendum. Exempli loco haec eſſe poſſunt. Si vrbs ſit munitionibus circumdanda, horti, agri, praetoria priuatorum foſſis aggeribusque occupantur [2]. In obſidionibus aedes, arboresque priuatorum deiiciuntur, aut perduntur, ne hoſtibus emolumento, obſeſſis fraudi ſint. Materia quoque, quam ſuis vſibus priuati diſpoſuerant, adhibetur muniendo oppido. Vrgente fame priuatorum granaria recluduntur [3]. Imminente neceſſitate, depoſita publice pecunia, aut priuatorum

ſuos, ita vt Ciuibus grauis non ſit, regere poſſit, Vid. CHARRON de la Sageſſe L. III. c. 2. §. 21. PARRHASIANA T. I. p. 274 & ſeqq. & BVDDEVS in Philoſophia Practica P. III. c. 5. ſect. 7.

§. VII. 1) Vid. BVDDEI Hiſtoria Iuris Naturalis inter eius ſelecta Iuris Naturae, §. 53. Reminiſci autem debemus, quicquid ſinibus territorii alicuius clauditur, & Proprietario ſingulari deſtituitur, modo conſtanti conſuetudine non fuerit relictum in communione originaria, ad Rempublicam pertinere. Vid. L. IV. c. 6. §. 3. & ſeqq. & TITIVS in Specim. Iur. Publ. Romano-Germanici, Lib. II. c. 3.

2) *L. 9. C. de Operib. public.* MYLERVS de Princip. & Statib. Imp. c. 77. §. 3. I. a SANDE L. V. Deciſ. Friſicar. tit. 7. def. 4. H.

3) Exemplum Caroli Flandriae Comitis habes ad AEMILIVM L. V. de Reb. geſt. Francor. H.

rum gazae inuaduntur; vbi, quod ciuilius eſt, a volentibus ciuibus iſtas pecunias velut mutuo accipere non licet [4]; ſicut apud XENOPHONTEM Cyropaed. L. VIII. [c. 2. §. 9. & ſeqq.] Cyrus fecit. Etſi dubiam habeat iuſtitiam factum Caeſaris apud DIONEM L. XLII. licet legitimum dominum fuiſſe ipſum ponas: *Caeſar Romae poſt victum Pompeium mutui nomen ei pecuniae, cuius exigendae probabilis alia ratio non extabat, praetexebat; quanquam vi alioquin eas quoque non ſecus atque debitas ſibi poſcebat, neque redditurus vnquam erat.* Si alia ratio non ſit hoſtem repellendi propria regio vaſtatur, quicquid vſui eſſe poteſt, quod auehi nequit, corrumpitur [5]. Vid. CVRTIVS L. III. c. 4. Imminente bello Romanorum Critolaus cum Achaeorum magiſtratibus egit, *vt exigendi nomina ius ne eſſet, neue ducentem ſequi alieni aeris gratia neceſſe eſſet, ad belli finem vsque debitorum ſolutione dilata.* POLYBIVS Excerpt. Legat. 144. c. 3. Add. *L. vlt. D. de Lege commiſſoria.* Huc etiam pertinet, quod de pecuniis mutuis diſpoſuit Iulius Caeſar apud SVETONIVM c. 42. Ex quibus adparet, dominio eminenti locum non eſſe, niſi Reipublicae neceſſitas requiſiuerit. De qua tamen BOECLERVS ad Grotium L. I. c. 1. §. 6. monet, neceſſitatem, quae heic attenditur, habere vtique ſuos gradus, neque vltimum ſemper eius articulum ſumendum eſſe, vbi hoc vocabulum auditur. Neque tamen liberalis nimium eiusdem iuris facienda eſt extenſio, & quantum fieri poteſt, ad aequitatem idem temperandum. Quam in rem notabile eſt exemplum apud LIVIVM L. XXXI. c. 13. Ex quibus & illud colligitur, ciuem a principe vi dominii eminentis ſolui non poſſe; cum omni priuilegio exceptio neceſſitatis Reipublicae ineſſe intelligatur; ac contradictionem videatur implicare, velle ciuem eſſe, & tamen aliquod ius praetendere, quo ſaluo ciuitas ſalua eſſe nequeat. Caeterum iis, qui hoc modo ſua publico impenderunt, aut perdiderunt, a tota ciuitate quantum fieri poteſt ea reſtitui, aut penſari, manifeſtiſſima aequitate [7] nititur [8]. Exceptionem tamen aliqui faciunt, ſi damnum illatum ineuitabile ſit, adeo vt tale futurum eſſe praeuideri potuerit. Puta ſi aedes in ſuburbiis tempore belli diruantur. Horum enim compenſatio poſci nequit, quia norant conditionem eiusmodi talibus locis annexam eſſe, eamque ipſi, dum nihilo ſecius ibi aedes ponunt, tacite iam ante confirmauerunt. Tanto minus compenſationi petendae locus eſt, ſi omnes eadem neceſſitas ſtringat, aut, aequale damnum inuoluat. Publico

4) Vti fit in Gallia & Hiſpania. Hinc etiam pecuniarum, quas Americana claſſis adfert, pluruma pars, quae ad priuatos pertinet, regias manus, vbi neceſſitas vrget, non ſolet effugere. Vid. GROTIVM Ep. 436. H.

5) Huic ſimilis eſt inundatio ſponte procurata. Vid. de illa A. MDCLXXII. qua Hollandi a Gallorum inuaſionibus patriam liberarunt, MAVRERIVM in Commentar. ad Hiſtor. Holland. pertinentibus p. 254. 259. ſequ. H.

6) Idem, *cum ſciret tota Italia eſſet anguſtior, neque creditae pecuniae ſoluerentur; conſtituit, vt arbitri darentur; per eos fierent aeſtimationes poſſeſſionum & rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuiſſent, vtque eae creditoribus transderentur. Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella ciuilia & diſſenſiones ſequi conſueuit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimans.* Vt ipſe memorat L. III. de Bello ciuili c. 1. Idem alio tempore vetera debitorum chirographa plane ſuſtulit & combuſſit, vt ex DIONE L. LIII. diſcimus. Adde reſcriptum pragmaticum Impp. Theodoſii & Valentiniani circa A. CCCCXLIII. de Afris promulgatum, & Nouellis Theodoſii poſt codicis eius fragmenta ſubiectum. TABOR de Praelid. debitor. egent. praefat. §. 18. 19. Vtilitatem publicam praeferri contractibus priuatorum eſt in *L. 3. C. de Primipil.* Vid. infra c. 10. §. 7. H.

Digitized by Google

blico enim ſatis eſt, ſi neminem ſua culpa deteriorem reddi patitur; & nunquam illud damnis ſubditorum ferendis ſeſe obligauit [9]. Io. Chriſtoph. BECMANNVS Meditat. Polit. Diſſ. XXI. §. 8.

§. VIII. DE publicis autem bonis, quae ad ipſam ciuitatem vt talem pertinent, obſeruandum, circa ea in nonnullis regnis id diſcrimen deprehendi, quod quaedam deſtinata ſint ad ſuſtentationem regis, alia ad ſumtus in conſeruationem regni impendendos. Sicuti & DION. HALICARN. L. III. [c. 1. Edit. Oxon.] aliud eſt *δημοσία κτῆσις*, aliud *τῶν ἀεὶ βασιλέων κλῆρος*, *poſſeſſio publica*, aliud *perpetuum regum patrimonium* [1]. Apud Sinenſes nona agri pars regi attributa eſt, vti tradit MARTINIVS Hiſt. Sin. L. IV. c. 24. Scilicet alicubi de publico regi ſunt aſſignata certa bona, quorum prouentu regiae ſuae ſumtus toleret [2]. Eorum vſumfructum quidem plenum habet rex, ita vt de eorundem prouentibus pro arbitrio queat diſponere; & ſi quid inde comparſum ſit, id priuato regis patrimonio accreſcit, niſi forte leges regni aliter diſpoſuerint. Huc facit illud SENECAE de Beneficiis L. VII. c. 6. *Caeſar omnia habet, fiſcus eius priuata tantum, ac ſua: & vniuerſa in imperio eius ſunt, in patrimonio propria.* Pertinax apud HERODIANVM L. II. cap. 4. Imperatoriis poſſeſſionibus nomen ſuum inſcribi vetabat: *non eſſe illas dictitans imperantium proprias, ſed communes Romanorum & publicas.* Sic olim apud Peruanos ſub imperio Yncarum agri erant tripartito diuiſi, & vna pars Regi, altera Soli, ipſorum Numini, tertia ciuitati aſſignabatur; inde & de ſua parte ciues tributi nihil ſoluebant. Vid. Garcilaſſ. de la VEGA Comm. Reg. L. V. c. 14. Aſt eorum bonorum, quibus tolerantur ſumtus in Reipublicae conſeruationem impendendi, nudam duntaxat adminiſtrationem habet rex, quae pro ſcopo ſalutem ciuitatis habere debet, & non minore religione eſt tractanda, quam tutori in bonis pupilli verſandum eſt. Paul. WARNEFRIDVS de Geſt. Longobard. L. III. c. 16. *In diebus Authari, ob reſtaurationem regni, duces, qui tunc erant, omnem ſubſtantiarum ſuarum medietatem regalibus vſibus tribuunt, vt eſſe poſſit, vnde rex ipſe, ſiue qui ei adhaererent, eiusque obſequiis per diuerſa officia dediti, alerentur.* Ex quibus etiam facile colligitur, ad quemnam pertineant bona, quae abs rege durante ipſius imperio parantur; ad ipſum, an ad regnum? Nam ſi illa parantur

7) Et quidem, ſi id in praeſentiarum fieri nequeat, ſaltem in futurum quam id primum permiſerit Reipublicae Conſtitutio. Vid. GROTIVS L. III. c. 20. §. 7. num. 2.

8) Egregia hanc in rem exempla Principum adduxi Diſſertat. de Colliſ. legum ſect. 2. §. 26. H.

9) Hinc verius etiam eſt, ciuitatem non obligari, vt repenſet damna, quae ſubditi ab hoſte acceperunt, & ſummus imperans pacis legibus non incluſit, ſi modo is pacem aliter habere non potuit. Vid. infra ad c. 8. § 3. H.

§. VIII. 1) Et in Republica Romana initio mutatae Reipublicae ſiue ſub primis Imperatoribus diſtinguebatur inter fiſcum & aerarium vid. *L. 2. §. 4. Ne quid in loco publico.* Diſcrimen id factum Principe Auguſto notat DIO. Hinc TACITVS VI. Annal. 2. *Bona Seiani ablata aerario, vt in fiſcum cogerentur.* PLINIVS in Panegyric. ad Traian. *Fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum, qua aerarium cohibes. Imo [illegible]o maiore, quanto plus tibi licere de tuo quam [illegible]ublice credis.* SPARTIANVS in Hadr[illegible]. *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma in aerario publico recepta.* Lacedaemoniorum Regibus *ἐξαίρετον γῆν*, *aliquid praecipui agri* fuiſſe aſſignatum, ſcribit XENOPHON de Rep. Lacedaemon. Conf. PLVTARCHVS in Lycurgo. H.

2) Dicuntur hodie domania & bona domanialia; in principatibus Germaniae bona Camerae, item menſae ſiue menſalia, maxime in Epiſcopatibus. H.

Digitized by Google

ex bonis ad Rempublicam deſtinatis, aut per tributa & ſanguinem ciuium, ac per talem eorum operam, quam ex communi ſua obligatione ciuitati debent; eadem regno, non autem priuato regis patrimonio accreſcere in aperto eſt. Sed tamen contingere quoque poteſt, vt non ex aerario, ſed ex ſuo patrimonio bellum rex inſtruat, & gerat, ſine vllo ciuitatis onere aut periculo; vel etiam ex ſolis fructibus illius patrimonii, quod principatum ſequitur. Tali bello quod rex adquiſiuerit, iure ſibi, non ciuitati poterit vindicare. Nam prouentus eius rei, cuius ego vſumfructum habeo, pleno iure mei ſunt, deque iis pro lubitu licet mihi diſponere. Add. GROTIVS L. I. c. 3. §. 12. [3]

§. IX. CONSEQVENS hiſce eſt diſpicere, quidnam regi liceat circa alienationem regni aut partium regni, & quidem non eius, quod in patrimonio regis eſt [1], ſed quod vltroneo populi conſenſu ipſi eſt delatum? Agit de hac quaeſt. GROTIVS L. I. c. 4. §. 10. & L. II. c. 6. §. 3. ſeqq. (ad vtrumque locum addantur, quae annotauit BOECLERVS) & L. III. c. 20. §. 5. ſeqq. Summa huc redit, nihil agere regem, qui regnum in alium propria auctoritate transferre aggreditur, nec ſubditos iſto actu regis teneri; verum heic non minus populi, quam regis conſenſum requiri. Nam vti inuito regi regnum non recte eripitur; ita nec inuito populo alius rex poteſt obtrudi. Sed in alienatione partis praeter conſenſum regis requiritur non ſolum populi, qui ſub priſtino rege remanet, ſed vel maxime conſenſus illius partis, de qua alienanda agitur. Cuius rei ratio eſt, quod qui initio in ciuitatem coiuere, aut vltro poſt acceſſere, pacto ſe inuicem obſtrinxerunt, quod vno eodemque imperio regi velint, quamdiu intra eiusdem ciuitatis fines degere placeat. Vnde quemadmodum ſinguli per iſtud pactum tale ius quaeſiuerunt, vt inuiti non poſſint e ciuitate eiici, aut alterius ſub imperium tradi, niſi in poenae vicem; ita vniuerſis in ſingulos itidem ius eſt quaeſitum ex eodem pacto, vt nemo poſſit alterius imperio ſeſe ſubiicere, aut eius ciuitatis imperio renunciare, quamdiu intra eiusdem fines degere placet. Adeoque cum ciuitates tanquam corpora moralia conſenſu partium coaluerint, ex primaeua coeuntium voluntate metiendum, quid toti in partes poteſtatis heic competat. Quae voluntas hautquaquam praeſumi poteſt talis fuiſſe, vt ius eſſet corpori pro mero lubitu partes & abſcindere a ſe, & alii in ditionem dare. Sic apud FROSSARDVM L. IV. & Polydorum VIRGILIVM Hiſt. Angl. L. XX. Aquitani nequidquam per donationem Richardi II. a regno Angliae ſeparari volunt. Enimuero quod dicitur, non licere parti a corpore recedere, ſic vt intra eosdem fines maneat; id hanc habet exceptionem, ni ſumma neceſſitas adegerit, ac aliter ſeruari non potuerit, quam in alterius ditionem ſeſe dedendo. Nam in omnibus eiusmodi conuentionibus excepta videtur ſumma neceſſitas, quae facultatem dat ſalutem ſuam quouis modo expediendi. Hinc nemo iure vrbes reprehenderit,

3) Quaeſtionem, quae in h. §. tractatus, illuſtrat Franciſcus HOTMANVS Quaeſt. Illuſtr. r.

§. IX. 1) Vid. ſupra L. VII. c. 6. §. 15. in fine, & c. 7. §. 11. H.

2) Vid. ſupra L. VII. c. 8. §. 10. H.

3) Plane vt de ciue innocente diximus ſupra c. 2. §. 5. H.

derit, quae vbi pro virili hoſtibus reſtiterunt, dedere ſe demum maluerunt, quam excidium pati [2]. Scilicet qui ab initio in ciuitates coiuerunt, iam antea per naturam ius habebant ſalutem ſuam quouis modo defendendi; Idque vt eo melius poſſent conſequi, ciuitates ſubierunt. Eum finem vbi ciuitas ipſis praeſtare amplius nequit, cenſentur ſoluti vinculo, quo ciuitati tenebantur, ac recepiſſe ius ſuo ſibi arbitrio conſulendi. Aſt ipſa ciuitas non habet aliud ius in membra ſua, quam quod per eos, qui eam initio conſtituerunt, eſt conceſſum. Haec quemadmodum ſingulis defenſionem promittit ſub exceptione, niſi magna neceſſitate impediatur; ita vbi iſthaec ingruerit, non amplius intelligitur prohibere, quo minus quilibet, quantum poteſt, ſaluti ſuae proſpiciat. Nam licet quidem directe perdere membrum aliquod, vt totum corpus ſeruetur, quia membrum non viuit, niſi vita corporis: at membra corporum moralium etiam ſeorſim exiſtere atque viuere poſſunt, adeoque in haec corpori tantum iuris non erit, quantum in illa. Quod ſi autem rex neceſſitate adactus cum hoſte validiore pacem hac lege fecerit, vt ipſi certam regionem concedat, quae tamen iſti ceſſioni contradixit; arbitramur, debere quidem ipſum ex eadem ſua praeſidia deducere, & non impedire, quo minus victor eius poſſeſſionem adprehendat. Hautquidquam tamen eandem cogere poterit [3], vt omnino ſeſe in alterius ditionem tradat. Neque illa regio vlla obligatione videtur impediri, quo minus, ſi viribus ſuis confidat, ſe occupare volenti reſiſtat, aut peculiarem deinceps ciuitatem conſtituat. Sicuti, cum pacto vrbem Niſibin cederet Perſis Iouianus Imperator, ciues obſecrabant, vt propriis viribus patriam ſibi ſedem defendere liceret; apud AMMIANVM MARCELLINVM L. XXV. c. 12. & ZOSIMVM L. III. Igitur eiuſmodi pacto rex quidem & populus ius ſuum ad iſtam regionem amittunt; victor autem ex ipſius conſenſu & fide data in eandem legitimum imperium nanciſcitur. De caetero quod aliqui iactant [4] vel de omnibus [5] regnis, vel de vno aliquo; bona coronae inſerta, ſeu vti loquuntur, incorporata, nulla ratione poſſe alienari, nec longiſſimum temporis tractum, alteriusque quietam poſſeſſionem impedire, quominus vindicari ſemper queant; id ſine dubio vanum eſt. Multo autem ineptius, vni alicui regno eiusmodi priuilegium aſſertum ire; vt ipſum quidem aliis ſua eripere poſſit, ſed quae ſemel arripuerit, nunquam vllo modo ab eodem iterum ſeparari queant.

§. X. EX DICTIS quoque intelligitur, regi non eſſe licitum citra conſenſum populi regnum ſuum deinceps tanquam feudum ab altero recognoſcere [1] ſub onere commiſſi ex felonia, aut vt deficiente familia ad ſeniorem illud deuoluatur. Nam iſthac lege facta infeudatio pro alienatione conditionali habetur. Sicut & vice verſa populus irritam poteſt reddere remiſſionem homagii, quam rex vaſallo fecit ſine populi conſenſu. Sed & hoc conſequitur,

 non

4) Videatur AVCTOR Vindiciarum S. Romani Imperii & vicinae Europae contra Pradium fere per tot. & praeſertim c. 15. H.

5) Vid. nota GRONOVII ad Grotium L. II. c. 6. §. 6.

§. X. 1) Quare videmus infeudationes eiusmodi, inconſultis populis factas, ab ipſis reſciſſas eſſe. Quod exemplis probat H. GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 6. §. 9. Conf. *Libr. meum de Feudis oblatis Part. 2. §. 27.* H.

non poſſe regem alteri pignori opponere partem imperii, ſic vt eius adminiſtratio, & naturalis poſſeſſio tantiſper. ſit penes creditorem, citra conſenſum populi, partisque oppignorandae, multoque minus ſi ſit adiecta lex commiſſoria. Cuius rei ratio non ea ſolum eſt, quod pignoris dationem frequenter alienatio ſoleat [2] comitari; ſed etiam quia populus, regem vltro conſtituens, ab ipſo voluit gubernari non abs quouis alio. Et illi, qui in populum vnum coiuerunt, in plures particulas vt diſcerperentur, noluiſſe praeſumuntur.

§. XI. Sed & illud manifeſtum eſt, citra conſenſum populi non poſſe a rege alienari bona ipſi aſſignata, vt ex iſtorum reditibus tolerarentur Reipublicae aut regiae dignitatis onera. In iſtis enim bonis non niſi vſusfructus regi competit, qui hautquidquam ad ius alienandi ſeſe extendit [1]. Etſi forte rex ſibi ad vitam ſuam ſatis proſpectum iudicet; tamen poſt ipſum alio rege populus opus habet, qui & ipſe pro dignitate eſt ſuſtentandus. Eſt tamen heic accurate diſtinguendum inter ipſa bona, ſeu patrimonium populi, & eorum fructus. Iſta quippe alienare regi vetitum: circa hos libera ipſi diſponendi facultas. Sic vbi in patrimonio regni ſit ius alluuionum, id in alium transſcribere regi non licet. Sed quo minus circa partes per alluuionem adpoſitas pro lubitu diſponat rex, vtpote quae in fructu ſunt, nihil prohibet. Sic ius confiſcandi eſt in patrimonio, bona confiſcata in fructu. Illud Reipublicae proprium; haec ad regem pertinent. Poteſt nihilominus rex, cui poteſtas competit ex cauſa tributa noua proprio arbitrio indicendi, partes patrimonii publici, neceſſitate exigente, pignori opponere. Nam ſicuti populus tributa ab eiusmodi rege ex cauſa indicta tenetur ſoluere; ita & rem ex cauſa pignori oppoſitam luere: cum perinde ſit, an ciues pecuniam contribuant, ne talem rem pignori exponere neceſſum foret, an pecunia poſt collata eandem redimant. Vbi illud manifeſtum eſt, ſingulos ciues non eſſe iſtius pecuniae debitores [2], etſi ad eam exſoluendam quisque ſuam portionem debeat conferre. Vid. Seneca de Beneficiis L. VI. c. 20. [3] Sic & vbi rex ex priuato patrimonio in vſum Reipublicae quaedam erogauerit, merito patrimonium publicum eo nomine hypothecae loco eidem iudicabitur obſtrictum, quousque a populo debitum illud expungatur. Iſthaec tamen omnia ita locum obtinent, niſi lex fundamentalis aut capitulatio aliter heic diſpoſuerit, & regis populiue ius auxerit, aut reſtrinxerit. Add. Grotius dd. ll.

CAPVT

2) Exemplum vid. apud Ioann. Iſaac. Pontanum L. VII. Hiſtor. Danic. ad A. MCCCXXXII. Adde etiam pignora talia difficulter recuperari. Anno MDCXXIV. Foederati Belgae Compendii foedus inituri cum Rege Galliae, recuſabant firmum aliquod oppidum ſupponere pignori, nondum obliti, quanta cura, ſollicitudine animique prouidentia Britannorum manibus pignori data oppida eripuerint. Vt memorat Leo ab Arcina in Hiſtor. Pac. Belgicae. Adde de Orcadum Scotis oppignoratarum redemtione, quae acta a Danis, Thormodum Torffaeum Hiſtor. Orcadenſ. L. II. & III. H.

§. XI. 1) Rupertus Archiepiſcopus Colonienſis

CAPVT VI.

DE IVRE BELLI.

I. *Partitio ſequentium.*
II. *Pax eſt ſtatus hominis ordinarius; bellum extra ordinem a natura indulgetur.*
III. *Bellum eſt vel defenſiuum, vel offenſiuum.*
IV. *Belli cauſa debet eſſe liquida.*
V. *Cauſae bellorum iniuſtae recenſentur.*
VI. *In hoſtem dolo quoque licet vti.*
VII. *Quid in hoſtem quoque liceat.*
VIII. *In ciuitatibus ius belli ſingulis eſt ademtum.*
IX. *Bellum eſt vel ſolenne vel minus ſolenne.*
X. *Magiſtratus vt talis non habet ius bellum mouendi.*
XI. *An idem bellum mouere poſſit ex praeſumta voluntate ſummi imperantis.*
XII. *Quatenus iniuria ciuis praebeat cauſam belli contra ciuitatem.*
XIII. *De aequitate repreſſaliarum.*
XIV. *Pro quibus bellum recte ſuſcipiatur.*
XV. *De belli indictione.*
XVI. *Gentes in bello multum ſibi licentiae ſolent ſumere.*
XVII. *De licentia in corpus.*
XVIII. *An liceat hoſtem interficere immiſſis percuſſoribus.*
XIX. *A licentia bellica non ſunt exemtae res ſacrae.*
XX. *Quomodo res bello adquirantur.*
XXI. *Cuinam res bello captae adquirantur.*
XXII. *Quatenus incorporalia bello adquirantur.*
XXIII. *An creditum bello adquiratur.*
XXIV. *Imperium in victos quot modis adquiratur.*
XXV. *Quomodo res captae recuperentur.*
XXVI. *Quomodo integri populi hoſti iterum eripiantur.*

CVM non minus ſinguli in libertate naturali viuentes, quam ciuitates a natura conceſſam habeant facultatem ſeſe contra vim iniuſte intentatam defendendi, ac iura ſibi ab aliis laeſa aut denegata per vim aſſerendi; conueniens puto fuerit prius diſpicere, quae bella ſingulorum & ciuitatum habeant communia; dein, quae hiſce ſua natura aut moribus gentium ſint propria.

§. II. Id igitvr legi naturali maxime congruit, vt ne quis alteri citra ius noxam, damnumue inferat; vtique inuicem ab hominibus officia humani-

nienſis plurima oppida & caſtella ad menſam Epiſcopalem pertinentia a deceſſore oppignorata reuocauit. Trithemivs Chronic. Sponhem. ad A. MCCCCXLIIX. Adde Ioann. a Sande L. III. Deciſ. Friſicar. tit. 4. def. 1. Mevivm Conſ. 27. H.

2) Sunt enim aliud ciuitas, aliud ſinguli de ciuitate. Vid. ſupra L. [illegible] c. 2. §. 13. H.

3) Seneca de Beneſic. L. VI. c. 20. *Si quis Patriae meae pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor aut candidatus, aut reus: ad exſoluendum tamen hoc, portionem meam dabo.* Add. Grotivs L. III. c. 2. §. 1. num. 2.

manitatis exerceantur, ac inprimis illa vltro praeſtentur, de quibus peculiariter conuenit. Quod vbi mortales inuicem obſeruant, pax dicitur; quae eſt ſtatus humanae naturae quam maxime conueniens [1], & ad eam conſeruandam idoneus, cuique conſtituendae ac ſeruandae lex naturae potiſſimum hominibus eſt inſita. Add POLYBIVS L. XII. c. 14. Imo pax eſt ſtatus humanae naturae, vt tali, proprius, quippe quae oritur ex principio, quod homo prae brutis peculiare habet; cum bellum ex principio ſurgat, quod hominibus & brutis commune eſt. Scilicet & bruta inſtinctu naturali ſeſe vi defendere ac conſeruare nituntur [2]. Pacis autem indolem ſolus homo intelligit. Iſtius enim eſt vltro quid alteri praeſtare, & a laedendo abſtinere intuitu alicuius obligationis, quae eſt in me, & iuris, quod eſt in altero; quae citra rationis vſum intelligi nequeunt. Equidem praeſtant iumenta dominis ſuis miniſteria, ſed ex metu plagarum, aut illecebra pabuli, non ex aliqua obligatione, cuius ſenſus in ipſa non cadit. Abſtinent quoque bruta a laedendis hominibus, aliisque beſtiis, ſed vel ob imbecillitatem, vel quod in iis nihil inueniant adpetitui ſuo congruum. Quaedam denique blandiuntur inuicem, aut opitulantur, ſed vt ad illud ſe teneri non intelligant. Facit quoque huc illud QVINTILIANI Declam. 9. *Natura praeter caetera animalia induit noſtris pectoribus quandam ſocietatem, quae mutuo gaudere congreſſu, contrahere populos, condere vrbes edocuit, & cum mentibus noſtris varios impoſuerit motus, nullum profecto meliorem beneuolentia tribuit affectum. Quid enim forct humano genere felicius, ſi omnes eſſe poſſent amici? Non bella, ſeditiones, latrocinia, lites, caeteraque mala, quae hominibus ex ſeipſis nata ſunt, fortunae acceſſiſſent. Id quia nimium Deo viſum eſt, at certe honeſtis conuenire mentibus, fidem colere, amoris gratiam referre, omnibus temporibus, omnibus gentibus praecipuum, & quodammodo ſacrum fuit.* Nihilominus ipſi quoque homini licitum, & quandoque neceſſarium fit bellum [3], quando nempe alter dolo malo noxam mihi intentat, aut debitum detrectat. Tunc enim propriae ſalutis cura mihi poteſtatem facit quoquo modo, etiam cum laeſione violatoris, me ac mea aſſerendi atque defendendi; *aut ius per vim extorquendi, quod amice impetrari nequitum eſt*, vti apud DICTYN CRETENSEM L. II. [c. 21. p. 41. Ed. Amſt. 1702.] loquitur Vlyſſes. Huc etiam facit illud MAXIMI TYRII Diſſert. 14. Φαίνεται τοίνυν ὁ πόλεμος τοῖς μὲν δικαίοις ἀναγκαῖος, τοῖς δὲ ἀδίκοις ἑκούσιος. *Vnde concluditur, bellum probis neceſſitate imponi, ſponte ſuſcipi ab improbis.* Add. BOECLERVS ad Grot. L. I. c. 3. §. 1. Acce-

§. II. 1) Supra L. II. c. 2. §. 5. & ſequ. c. 3. §. 15. ſequ. H.

2) Quae fere ſententia fuit LACTANTII Diu. Inſtit. L. V. c. 17. num. 30. Edit. Cellarii *In omnibus enim videmus animalibus, quia ſapientia carent, conciliatricem ſui eſſe Naturam. Nocent igitur aliis, vt ſibi proſint, neſciunt enim, quia malum eſt, nocere. Homo vero, qui ſcientiam boni ac mali habet, abſtinet ſe a nocendo, etiam cum incommodo ſuo: quod animal irrationale facere non poteſt: & ideo inter ſummas hominum virtutes innocentia numeratur.*

3) Supra L. II. c. 5. §. 1. H.

4) Τέλος γὰρ ὥσπερ εἴρηται πολλάκις εἰρήνη μὲν πολέμου, σχολὴ δ' ἀσχολίας. ARISTOTELES Politic. L. VII. c. 15. *Bellum autem ita ſuſcipiatur, vt nihil aliud, niſi pax quaeſita videatur* CICERO de Offic. L. I. c. 23. *Iuſtum eſt bellum, Samnites quibus nulla niſi inermis relinquitur ſpes.* LIVIVS L. IX. c. 1.

§. III. 1) Ἐπειδὰν πόλεμον ποιώμεθα, ὅ τι ἐγκαλοῦντες ἀλλήλοις πάθημα, ἐρχόμεθα ἐπὶ τὸ πολεμεῖν. . . . ἐξαπατώμενοί τι, ἢ βιαζόμενοι ἢ ἀποστερούμενοι. *Quando bellum inferimus, de iniuria queri ſol-*

Accedit, quod natura non ſolum acerbum iniuriarum ſenſum animis hominum indidit, vt abhorreant iniuriis aliorum vexari; ſed & manuum agilitate ac robore corpus armauit, ne easdem impune cogerentur tolerare. Ita tamen natura permittit bellum, vt id gerens pro fine ſibi conſtituere pacem debeat [4]. ARISTOTELES Nicom. X. c. 6. *Bellum gerimus, vt in pace degamus. Nemo enim eſt, qui bellum expetat, vel apparatum bellicum faciat bellandi cauſa. Sanguinarius enim prorſus quidam eſſe videretur, ſi amicos ea cauſa ſibi hoſtes redderet, vt pugnae & caedes orirentur.* THEMISTIVS Orat. 10. Πολέμȣ ἆθλον εἰρήνη. Καὶ ςρατεύονται εἰς ἀνάγκη, ȣ̓χ ἵνα διὰ τέλȣς ςρατεύοιντο ἀλλ' ἵνα ἀσφαλῶς ἡσυχάσωσιν, *Belli pretium pax eſt; nec vero bella ſuſcipiunt, quibus id neceſſe eſt; vt perpetuo bellum gerant, ſed vt tuto in otio ac quiete eſſe poſſint.* TACITVS H. IV. [c. 76. num. 3. Ed. Reg.] *Nemo adeo in arma promtus, vt non idem pretium quietis, quam periculi malit.* Inde nequidquam probaueris, in quos cadit illud SILII ITALICI L. III. [v. 330. 331. Ed. Cellar.] *Nec vitam ſine Marte pati, quippe omnis in armis Lucis cauſa ſita, & damnatum viuere paci.* Praeterea etſi qui me laeſit, ſtatim mihi praebeat poteſtatem, quantum in ſe, bellum aduerſus ipſum ſuſcipiendi, circumſpiciendum tamen eſt, quantum boni aut mali in me aut alios, qui me non laeſerunt, probabiliter ſit redundaturum. Quae enim iniuriae ſalutem meam non penitus euertunt, eas bello perſequi non debeo, ſi vel in me meosque exinde grauiora incommoda, quam commoda ſunt oritura; vel ſi aliis quibuscum pax adhuc colitur, occaſione mei belli tanta damna ſit euentura, quae per eiusmodi iniuriae, qualis mihi illata eſt, inultam tolerantiam ex lege humanitatis debebam auertere. Adeoque iniuriam ſibi illatam, ex qua vindicata maius malum exſurgere iudicatur, quam bonum, recte & laudabiliter quilibet bello perſequi omittit.

§. III. IVSTORVM bellorum cauſae [1] ad haecce capita reuocari poſſunt; vt nos & noſtra ſeruemus ac tueamur contra alios, qui nos laedere, aut haec intercipere aut perdere conantur; aut vt, ſi qua ab aliis nobis ex iure perfecto [2] debentur, aſſeramus, vbi vltro iſti eadem praeſtare detrectant: aut denique vt illatorum nobis per iniuriam damnorum reparationem obtineamus, cautionemque de non offendendo in poſterum ab eo, qui nos laeſit prior, extorqueamus. Vnde reſultat diuiſio inter iuſta bella [3] offenſiua, defenſiua, & quorum haec arbitramur eſſe, quibus defendimus & retinere laboramus, quae noſtra ſunt; illa autem, quibus extorquemus debita, quae nobis abnegantur, aut iniuſte erepta

ſolemus, quae nobis ab iis illata ſit, contra quos arma gerimus. . . . . Dicimus enim, fraudem nobis factam, noſtrane intercepta eſſe bona vel vim. Recte autem ab AVCTORE hoc loco omittitur bellum Punitiuum, quia punire non eſt Paris, quales ſunt belligerantes, ſed Superioris. Vid. ſupra c. 3. §. 4. nota 3. Vnde nec falſae religionis cauſſa bellum inferri poteſt: Vid. BVDDEVS de Expeditionibus Cruciatis inter eius Select. Iuris Naturae & Gentium p. 97. & ſqq. neque proinde Inquiſitionis exſtirpandae cauſſa bellum Principibus Proteſtantibus ſuaderi poteſt, quod facit Cl. BARBEYRACVS in nota 1. Dei enim iniuriae Deo curae ſunt.

2) In caſu tamen neceſſitatis ius imperfectum mutatur in ius perfectum, ita, vt is, qui, praeſtare nobis quod petimus recuſat, iuſtam belli cauſſam ſuppeditare videatur. Vid. L. III. c. 3. §. 5. nota 1.

3) Conf. Obſeruatt. Halenſes T. IV. Obſ. 8. & GVNDLINGII Ius Naturae p. 94. §. 6.

erepta recuperatum imus, cautionemque in poſterum quaerimus. Quanquam & aliquando fauor defenſionis ab illius partibus ſtat, qui prior arma alteri infert; puta ſi quis ſubinde repentinis & vagis incurſibus fuerit vexatus, refugo ad ipſius aduentum hoſte; aut ſi quis hoſtem inuaſionis iam certum per celeritatem oppreſſerit, dum ille adhuc in adparando bello eſt occupatus. Vid. IVSTINVS II. 3. 12.

§. IV. IN vniuerſum autem [1] cauſae bellorum inprimis offenſiuorum liquidae debent eſſe, neque dubii quidquam habere [2]. Solent quippe heic ſaepenumero prouenire dubia partim ex ignorantia facti, quando non liquido conſtat, an quid factum ſit, nec ne, aut quo animo factum, partim ex obſcura comparatione ſtricti iuris cum lege caritatis; partim ex illiquida proportione vtilitatum, quae ex bello ſuſcepto aut omiſſo reſultare ſunt aptae. Heic igitur neque ita temere etiam illiquida praetenſio iactanda: neque tamen ſtatim ad arma prouolandum [3]. Sed triplici potiſſimum via tentandum, ne res in arma erumpat; colloquio inter partes aut eorum mandatarios inito [4]; prouocatione [5] ad arbitros [6], aut denique ſorte [7]. VALERIVS FLACCVS [Argonaut.] L. V. [v. 363. & ſeqq.] *An nullas praeferre preces, nec foedera regis Vila ſequi; caeca ſed cuncta impellere pugna Debuimus? ſic Thraces agunt.* Vid. GROTIVS L. II. c. 23. §. 7. 11. [Praecipue [8] autem haec via tentanda illi, qui petit, quippe cum poſſeſſionem cum aliquo titulo fauor vtique comitetur.] Sed vtut liquida ſit belli cauſa, cordato tamen viro, antequam in arma ruat, probe ſunt expendenda, quae monet GROTIVS L. II. c. 24. Nec minus cogitandum, magnam eſſe ſtultitiam tam ſingulorum, quam ciuitatum, quod rebus integris conciliari nequeant. Ἐπὴν δὲ κακῶς ἀλλήλους διαθῶσιν, οὐδενὸς διαλύοντος αὐτοὶ διέστησαν; *Sed vbi alteri alteros mali multarint, nemine dirimente vltro diſcedunt.* ISOCRATES Orat. ad Philippum. [p. 154. Ed. min. Pariſ.]

§. V. INIVSTAS bellorum cauſas recenſet GROTIVS L. II. c. 22. quarum aliquae improbabiles plane ſunt; aliquae colorem, licet ſat dilutum, habent. Ad priorem claſſem refertur auaritia [1], ac libido ſuperflua habendi, ambitio & dominandi cupido, ardorque famam ex oppreſſione aliorum quaerendi. Inter quas tamen illam ſtudioſe velut ſordidi animi indicem ſolent diſſimula-

§. IV. 1) Satis perfunctorie iura belli tractauit AVCTOR, ſine dubio, quoniam, quae dici de iis poterant, ſatis accurate dicta erant a Summo Viro, HVGONE GROTIO. Diſtinguit is L. II. c. 1. §. 1. & c. 22. cauſſas bellorum in *iuſtificas* & *ſuaſorias* de quibus quae diſſerit, deſcribere ſuperuacuum putamus, quum liber eius in omnium manibus ſit. In Compendio praeterea haec omnia legi poſſint apud BVDDEVM Philoſophiae Practicae P. II. c. 1. ſect. 2. §. 2. & ſeqq. Add. einsdem Iurisprudentiae Hiſtor. Specimen §. 82. & ſeqq. vbi iuſtitia bellorum Romanorum expenditur.

2) Conſ. Lib. I. c. 3. §. 7. 8. & GROTIVS L. II. c. 23. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Quaeri porro ſolet, *An detur bellum vtrinque iuſtum?* quam quaeſtionem recte negat BVDDEVS in Philoſoph. Pract. d. l. §. 16. quoniam fieri nequeat, vt pari iure alter rem petat, alter neget. Fit tamen, vt alteruter in ignorantia inuincibili iniuſtitiae cauſſae ſuae verſetur, quo caſu exceptio adeſt a regula, & vtrinque iuſtum bellum dicendum videtur. Vid. GROTIVS L. II. c. 23. §. 13.

3) Supra L. II. c. 5. §. 3. H.

4) Vid. ſupra L. V. c. 13. §. 3. & GROTIVS L. II. c. 23. §. 7.

ſimulare; hanc autem non pauci ſub ſpecie magnanimitatis venditant, *regiam laudem vocantes de alieno certare.* Cum tamen omnes reges ſibi dictum credere debeant illud Philiſci ad Alexandrum: *Δόξης φρόντιζε, ἀλλὰ μὴ ἔσο λοιμὸς, καὶ μὴ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ ὑγιεία. Ad gloriam incumbe, verum ne ſis peſtis, vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſanitas.* Quanquam enim Deus bello ſoleat vti velut purgatione generis humani, ſicut apud EVRIPIDEM Helena [v. 38. & ſeqq.] Iupiter dicit colliſiſſe Graecos & Phrygas, *ὡς ὄχλου βροτῶν πλήθους τε κουφίσειε μητέρα χθόνα, vt turba mortalium & multitudine leuaret terram matrem:* eo propoſito tamen ipſos principes in bella ruere, ſi nulla alia cauſa ſubſit, nefas eſt. Et tamen Ebraei permiſſum ſibi crediderunt [2], ad augendam maieſtatis Iſraëliticae amplitudinem, citra aliam cauſam bello ex ſententia Synedrii indicto alios populos inuadere, ipſosque cum rebus ſuis in poteſtatem redigere. SELDENVS de I. N. & G. L. VI. c. 3. & 12. [3] Ad poſteriorem [4] claſſem ſpectat *metus* ex vicini viribus ac potentia collectus; & *vbi velle putant, quodcunque poteſt.* LVCANVS L. III. [v. 100. 101.] Qui ſolus tamen ad iuſtam belli cauſam non ſufficit [5], niſi de animo nos laedendi certitudine moraliter euidenti conſtet. Nam incerta periculi ſuſpicio id quidem ſuadere poteſt, vt mature tibi praeſidia circumponas; non ius facere, vt prior vim adhibeas, ne ad hunc quidem finem, vt realem, quam vocant, cautionem de non offendendo alter praeſtet. GELLIVS L. VII. c. 3. *Gladiatori compoſito ad pugnandum pugnae haec praepoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupauerit, aut occumbere, ſi ceſſauerit. Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circumſcripta eſt, vt idcirco prior iniuriam facere debeas, quam niſi feceris, pati poſſis.* Quamdiu enim quis alterum non laeſit, nec manifeſte in laeſione adparanda deprehenditur, (inchoata enim iniuria quandoque non minus, quam perfecta bello vindicari poteſt;) is in poſterum quoque officium facturus praeſumi debet, praeſertim vbi verbis & fide data id confirmet. Abs tali realem cautionem per vim extorquere iniquum fuerit; cum is hoc modo deteriore quam nos conditione eſſet, dum is vtique nuda noſtra fide adquieſcere cogitur. Caeterum poſita iuſta bellandi cauſa, gliſcens nimium vicini potentia in deliberationibus ſuper bello magnum habet momentum: cum experientia compertum ſit, pleriſque vna cum viribus etiam dominandi libidinem creſcere. Add. CVMBERLAND de Leg. nat. c. 2. §. 15. in fine. Et BACO Sermon. fidel. c. 19.

 SENE-

5) Vid. ſupra L. V. c. 13. §. 4. & ſeqq.
6) Supra L. V. c. 13. §. 3. H.
7) Vid. ſupra L. V. c. 9. §. 2. 3.
8) Adiicitur haec periodus ex AVCTORIS Officiis hom. & ciu. L. II. c. 16. §. 3. Add. GROTIVS L. II. c. 23. §. 11. 12.

§. VI. 1) Frequens cauſa. PLATO Phaedone *Διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν πάντες οἱ πόλεμοι γίγνονται. Omnia enim bella pecuniarum gratia fiunt.* Cerialis apud TACITVM IV. Hiſtor. 74. *Aurum & opes praecipuae bellorum cauſae.* Vid. FREINSHEMIVS ad Florum L. I. c. 11. n. 1. H.

2) Hauſit haec Seldenus ex traditionibus Talmudiſtarum, quae neque cum Hebraeorum inſtitutis, neque cum eorum hiſtoria congruunt. Vid. inſignis Ioſephi locus L. II. aduerſus Apionem. H.

3) CICERO de Offic. L. I. c. 19. *Sed ea animi elatio, quae cernitur in periculis & laboribus, ſi iuſtitia vacat, pugnatque pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt: non enim modo id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.*

4) V. L. II. c. 5. §. 6. & Offic. hom. & ciu. L. I. c. 19. vbi cauſſae bellorum iniuſtae recenſentur.

5) Supra ad L. II. c. 5. §. 6. H.

SENECA Oedipo, [v. 542. 543.] *Stat ingens arbor, atque umbra graui ſyluas minores vrget.* PROCOPIVS Hiſt. Goth. L. IV. *Grauis per naturam hominibus, quaecunque in vicino modum exceſſit potentia, & ad inferendas iniurias parata. Neque enim deeſſe poſſunt praepollentibus, quas in finitimos, quantumuis innoxios obtendant bello cauſas.* HERODES Orat. de Republica, [p. 224. init. Edit. Wech.] Ὁι πλησίον οἰκοῦντες οὐκ ἄχθονται στασιαζόντων τῶν πλησίον· οἱ μὲν ἀσθενέστεροι, ὅπως ἂν μὴ ἄρχωνται· οἱ δ᾽ ὅμοιοι τὴν δύναμιν, ὅπως ἂν κρείσσονες γένωνται· οἱ δ᾽ ἰσχυροὶ, ὅπως ἂν ῥᾳδιέστερον ἄρχωσι. *Qui prope habitant vicinorum ſeditionem non moleſte ferunt: imbecilliores ne iugum ſubeant; pares viribus, vt potiores fiant; ſuperiores, vt imperium obtineant facilius.* POLYBIVS L. I. c. 83. Ὀυδενὶ χρὴ τηλικαύτην συγκατασκευάζειν δυναστείαν, πρὸς ἣν οὐδὲ περὶ τῶν ὁμολογουμένων ἐξέσται δικαίων ἀμφισβητεῖν. *Nemini tanta eſt adſtruenda potentia, vt cum eo poſtea de tuo quamuis manifeſto iure diſceptare ex aequo non queas.* APPIANVS Alexand. Lybico, [p. 32. Ed. Steph.] Ἐι καὶ φίλος ἐστὶν, οὐ χρὴ σεσσοποιεῖν οὐδ᾽ ἐκεῖνον ἀμέτρως. *Tametſi amicus eſt, tamen ne ipſe quidem augendus ſupra modum. Vtilitati* par cum neceſſitate ius in res alienas dare, impudens foret; vti Athenienſes iactant apud THVCYDIDEM L. I. [c. 76. Ed. Oxon.] *Aequitatem nemo vnquam tanti fecit, vt oblatam occaſionem aliquid vi conſequendi ob eam e manibus dimitteret.* Praeſertim cum reuera generi humano inutiliſſimum ſit futurum id iuris introduci, vt quod mihi vtile videtur, alteri etiam inuito poſſim per vim eripere. Nam in me quoque eandem licentiam alii ſibi afferent, quam ipſe in eosdem ſumo. De reliquis praetextibus, qui dicto loco adducuntur, idem eſt ſentiendum. Sicuti nec nobis probatur illud BACONIS de Verulamio de Augm. ſcient. p. m. 348. quod ad bellum Americanis inferendum putat ſufficere, quod iſti poſſint intelligi, velut per ipſum ius naturae proſcripti, ideo quia apud illos ſit conſuetudo ſacrificandi, homines, & humanas carnes manducandi. Vbi diſtincte conſiderandum fuerit; An princeps Chriſtianus Indos tanquam a natura proſcriptos bello poſſit inuadere, tantum quia carnibus humanis, tanquam alio cibo, veſcuntur [6]. An ideo, quia carnibus hominum ſuae religionis veſcuntur? An, quia carnibus exterorum veſcuntur? Circa quos iterum diſquirendum, an illi extranei accedant tanquam hoſtes & praedones? an vero veniant tanquam hoſpites innoxii, aut vi tempeſtatum compulſi? Nam in hoc vltimo tantum caſu ius belli eſt illis, quorum ciues ita crudeliter habentur; in caeteris non item [7].

§. VI. EST & hoc omnibus bellis commune, vt, quanquam proprius ipſorum modus ac velut genius ſit vis terrorque: dolo tamen aut fraude aduerſus hoſtem liceat vti; modo perfidia, pactorumque, & datae fidei violatio abſit. AGESILAVS apud PLVTARCHVM [Apophthegm. Lacon. p. 209. B.] *Fidem in foedere fallere nihil aliud eſt, quam Deos contemnere: hoſtium vero circumuentio non modo cum iuſtitia, ſed & cum magna laude, & iucundo coniuncta eſt compen-*

6) Vbi rurſus rectiſſime ſe habet AVCTORIS ſententia. Etſi enim iniuſtum & inhumanum ſit, carnibus humanis veſci; tamen huius iniuſtitiae vindictam a gentibus hiſce non vicini aut populi peregrini, petunt, ſed Deus exigit. Vid. nota 1. ad §. 3.

7) Nam

compendio *. Et huc proprie pertinet illud Cleandridae apud POLYAENVM Strat. L. II. [c. 10. n. 5.] Ὅπου μὴ ἐξαρκεῖ ἡ λεοντῆ, τότε χρὴ καὶ τῆς ἀλωπεκῆς προσάπτειν. *Qua leonina non pertingit, vulpina eſt aſſuenda.* SILIVS ITALICVS L. I. [v. 219.] *Et metuens nudo ſine fraudibus enſi.* Add. XENOPHON Cyropaed. L. I. [c. 6. §. 19. Ed. Oxon.] LIVIVS L. XLII. c. 47. GROTIVS L. III. c. 1. §. 6. & ſupra L. IV. c. 1. §. 12. 19.

§. VII. VT autem recte intelligatur, quouſque per vim in hoſtem eiusque res liceat graſſari, obſeruandum eſt, aliter ſe habere licentiam in hoſtem, prout ſimpliciter ex ſtatu hoſtilitatis oritur, aliter prout ipſam manſuetudo legis naturalis temperare iubet. Scilicet cum exhibitio officiorum pacis ex lege naturae mutua debeat eſſe; qui prior illa aduerſus me abrupit, me quoque quantum in ſe abſoluit a praeſtandis officiis pacis; eoque dum hoſtem ſeſe meum profitetur, licentiam concedit vim contra ipſum exſerendi in infinitum [1], aut quantum mihi videatur. Praeſertim cum finis belli, ſiue offenſiui ſiue defenſiui, citra licentiam hanc, ſi neceſſum foret, vim aduerſus hoſtem intra certum modum, & citra vltima ſiſtere, obtineri nequeat. Quam ob cauſam etiam condicta bella aliquod inſtar contractus talis habent; tenta quid ipſe valeas, ego itidem omnia experiar. Atque iſtud obtinet non ſolum, ſi ipſe hoſtis aduerſus me in infinitum graſſari inſtituerit, ſed & ſi forte citra extrema in me iniurius eſſe velit. Neque enim alter maius habet ius mediocrem, quam grauiſſimam iniuriam intentandi. Inde non ſolum eouſque vim licet in hoſtem adhibere, quoad ego periculum ab ipſo mihi intentatum depulero, aut quod iniuſte mihi eripuerat, vel praeſtare detrectabat, recuperauero, aut extorſero; ſed & ad cautionem in poſterum obtinendam progredi poſſum. Quam dum alter per vim ſibi patitur extorqueri, ſatis oſtendit ſibi ſupereſſe animum etiam in poſterum iniurias mihi inferendi. Neque vero ſemper iniuſtum eſt, pro minori malo maius reponere. Nam quod quidam obiiciunt, retributionem fieri debere proportionate; locum duntaxat habet in tribunalibus, vbi poenae a ſuperioribus infliguntur. Aſt quae mala iure belli inferuntur, proprie poenarum rationem non habent [2]; quippe quae nec a ſuperiore vt tali proficiſcuntur, nec ad emendationem laedentis aut caeterorum directe tendunt, ſed ad defenſionem atque aſſertionem ſalutis ac rerum iuriumque meorum. Cui fini licet adhibere media, quaecunque videbuntur commodiſſima contra talem, qui iniuria ſua effecit, vt nulla a me ipſi iniuria poſſit inferri, quouſque denuo inter nos conuenerit de omittendis in poſterum laeſionibus. Aſt vero lex humanitatis non id ſolum conſiderari vult, quid hoſtis citra iniuriam poſſit pati, ſed & quid humanum, adde & generoſum victorem facere deceat. Vnde curandum, vt, quantum eius fieri poteſt, & noſtra defenſio atque ſecuritas in futurum admittit, quae hoſti inferuntur mala temperentur ad eum modum,

7) Nam ἀνθρωποφαγία ſola non eſt iuſta bellandi cauſa. Vid. ſupra c. 3. §. 7. H.

§. VI. * Ἔφη τοῖς φίλοις Ἀποστησαμένους μὲν ἀδίκως, ἀσεβεῖς· τοὺς δὲ πολεμίους παραλογίζεσθαι οὐ μόνον δίκαιον καὶ ἔνδοξον, ἀλλὰ καὶ ἡδὺ καὶ κερδαλέον.

§. VII. 1) Supra L. II. c. 5. §. 3. in med. H.

2) Supra c. 3. §. 7. H.

dum, quem in taxandis delictis, aliisque litibus forum ciuile ſolet ſequi. De quo temperamento prolixe agit GROTIVS L. III. c. 11. ſeqq. ad 16. Sicuti & ad licentiam bellicam intelligendam non parum faciunt tres illae regulae ab EODEM traditae L. III c. 1. §. 2. 3. 4. Saepe quoque, vt licentiam bellicam temperemus, anceps belli alea ſuadet, ne quae ipſi edidimus exempla, conuerſa fortuna in nos ſtatuantur. Vid. DIODORVS SICVLVS L. XIV. c. 47. VIRGILIVS Aen. X. [v. 533.] *Belli commercia Turnus Suſtulit iſta prior, iam tum Pallante peremto.* Huc facit, quod apud Anton. GRATIANVM de Bello Cyprio L. V. refertur, cum Columna captos in praelio ad Naupactum Turcas Romae liberaliter haberi praeciperet, ad Mehemetem verſus, diſciſe, inquit, a nobis humanitatem, qui tam acerbe ac tam crudeliter ſaeuire atque habere Chriſtianos captiuos ſoletis. Cui barbarus: Ignoſcere nobis debes, inquit; neque enim capi & in hoſtium poteſtatem venire, hactenus noſtrorum fuit, & tantum facere captiuos, non etiam eſſe, Turcae didicimus. Quid autem liceat in eos, qui hoſti res duntaxat ſubminiſtrant [3], IDEM docet L. III. c. 1. §. 5. & cap. 17. [4]

§. VIII. VIDEAMVS de quaeſtionibus quae peculiariter ſpectant bellum a ciuitatibus, earundemque rectoribus geſtum. Vbi ab initio obſeruandum, ius belli, quod ſtatum naturalem comitatur, ſingulis [1] in ciuitate ademtum eſſe; adeoque ſingulis non amplius licere iniurias ſibi factas propria vi, proprioque arbitrio vlciſci, aut ſi quid ſibi debitum denegatur propria violentia extorquere; ſed ſuper hisce magiſtratus eſt adeundus, cuius eſt laeſis reparationem damni, cautionemque in futurum praeſtare, atque efficere, vt ſuo quisque iure potiatur. Huc facit *L. 176. D. de Reg. iuris* [2]. *L. 11. §. fin. L. 12. D. Quod metus cauſâ. L. 7. §. 3. D. Quod vi aut clam. L. 14. C. de Iudaeis & coelicolis.* Quanquam autem ſingulis in ciuitate quandoque concedatur licentia propriis ſe viribus defendendi [3], ea tamen proprie ius bellandi vocari nequit. Nam ius belli gerendi hoc vtique continet, vt proprio ex iudicio bellum poſſit ſuſcipi, idque quo vsque viſum fuerit geri, & per pacta cum hoſte componi. Atqui ciui-

3) Diſtinctio, quam Grotius ibi adhibet, multis placuit. Vid. MARQVARDVS L. I. de Iure mercat. c. 15. §. 14. Potius videtur, merces quascunque, quae in bellis vſum habent, etſi & extra bellum, ad hoſtem portare non licere: adeoque illas tantum permitti, quae vſum in bello nullum habent, & luxum tantum inſtruunt. Exempla huiusmodi disceptationum habet etiam GROTIVS L. I. Hiſt. Belgic. ad A. MDLXXXIX. circa finem. Et L. VI. ad A. MDXCVII. vbi Eliſabetha A. R. dicebat, *haut paſſurum ſapientem vlla ope eum iuuari, qui ſuo exitio immineat.* Conf. Richard. ZOVCHAEVM Part. II. Iur. Fecial. ſect. 8. quaeſt. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ZEVECOTIVS not. ad L. II. Flori c. 10. SELDENVS L. II. de Mari clauſo c. 20. H.

4) Quod plerumque ab iis fieri ſolet, qui *medii, non hoſtes, & Neutrales* dici ſolent. Vid. de iuribus eorum BVDDEVS in Elem. Philoſ. Pract. P. II. c. 5. ſect. 6. §. 36. & ſeqq. & BYNKERSHOEKIVS Quaeſtionum Iuris Publ. L. I. c. 9. 10. Quod autem ad quaeſtionem attinet, *vtrum gens non hoſtis, ſiue neutra impediri poſſit, quo minus commerciis cum hoſte noſtro vacet*, conſer. Epiſtola Auctoris noſtri in Io. GRONINGII Bibliotheca vniuerſali librorum iuridicorum p. 105. & Diſſertatio BOECLERI inſcripta, Quies in turbis p. 1004. collectionis Diſſertationum eius, quae prodiit 1701.

§. VIII. 1) Non tantum priuatis, ſed etiam integris vniuerſitatibus, quae dominationem populi, vel Principis cuiusdam ſubierunt. Veteres tamen Reges Perſarum ſubditis ſuis ius mutui belli ſaepe concedere ſolebant. V. Eſther IX. 6. ibique CLERICVS.

2) Supra L. V. c. 13. §. 10. in not. H.

3) Vid. ſupra L. II. c. 5. §. 7. 8.

4) Supra L. II. c. 5. §. 4. & ſequ. H.

ciuibus vim propriam expedire indultum duntaxat in periculo ineuitabili, nec vlterius [4], quam idem fuerit depulſum. Sicuti nec neceſſum eſt, vt per pacta priuatorum pax inducatur, cum eam ſummi imperii auctoritas iam tum ſatis ſanciat. Quin ſi vel maxime inter priuatos reconciliatio interuenit, ea tamen non impedit, quo minus integrum ſit magiſtratui iniuriam vindicare, quae ciuium rixae cauſam praebuit. Interdum tamen contingit, vt ſingulis redeat ius defenſionis, quale in libertate naturali eſt; puta ſi quis deueniat in loca, quae ad nullam ciuitatem pertinent [5], ſed in primaeua adhuc communione ſubſiſtunt. Vbi tamen videndum, an quis ibi a ſuo ciue, an vero ab alio inuadatur. Priori enim caſu praeſens duntaxat periculum vi poteſt depelli, perſecutio iniuriae ad communem dominum deferenda; niſi forte adpareat, inuaſorem iſtum in patriam non reuerſurum; nec iſte domi habeat, vnde pro iniuria ſatisfacere queat. Ab extraneo autem ſi quis in eiusmodi loco inuadatur, non prohibetur quidem ad extremum eundem perſequi, vbi praeualuerit. Licebit tamen & iſtum deferre [6] apud ipſius ciuitatem, ibique ſatisfactionem & poenam exigere, adhibita quoque interuentione propriae ciuitatis, quae, vbi ciui ſuo iuſtitia denegatur, ius nanciscitur violento modo ſatisfactionem ciui ſuo praeſtandi [7]. Vnde ſi quis oceano libero inuadatur, non ſemper neceſſum habet vim propriam vltra depulſionem periculi expromere; cum inuaſori, vbi ad ſuos iterum adpulerit; actio in ſua ciuitate intentari queat. Sed & defenſionem ſuo arbitrio inſtituere quis poteſt, ſi iudicis auctoritatem ciues neglexerint, aut iudex aperte iuſtitiam adminiſtrare detrectet [8]; praeſertim ſi extra territorium ciuitatis excedat. Quod ſi tamen iudex tempora Reipublicae praetendat, & vt perſecutionem mearum iniuriarum differam, aut Reipublicae condonem, hortetur; boni ciuis eſt, ipſius voluntati adquieſcere.

§. IX. FREQVENS eſt diſtinctio belli in *ſolenne*, & *minus-ſolenne*; ad quorum illud requiritur, vt geratur auctore vtrinque eo, qui ſummum habet imperium, & vt rite ſit indictum. Minus ſolenne vocatur, quod denunciatum non eſt [1], aut quod in priuatos geritur. Quorum

5) Inſulas deſertas. H.

6) Manſit enim talis in conditione ſubiectorum, licet tum in loco, neminis imperio obnoxio, verſaretur. H.

7) Repreſſaliis. Vid. infra §. 13. H.

8) Vid. ſupra L. II. c. 5. §. 7. nota 1.

§. IX. 1) Belli indictio publica & ſolennis quibusdam & inter eos Cl BARBEYRACO in nota 1. non tantum Iuris gentium voluntarii, ſed etiam Naturalis videtur. Antequam enim manu & ferro res agatur, publice petendum eſſe, aiunt. quod nobis abſit, aut quod abeſſe queramur, adeoque publice renunciandum eſſe amicitiae. Imo vltra pergunt, & ſolam belli denunciationem non ſufficere, exiſtimant; verum praeterea exigunt, vt exſpectemus, donec alter, voluntatem ſuam declarando, ſignificauerit, velitne petita praeſtare, an in negandis iis perſiſtere. Verum, vtut laudandum ſit conſilium, quod praecipiti conſilio ad arma prolabi prohibet, ſic Iure ſtricto id nemo deſideret. Sufficit, priuatim repeti, quod nobis vi & manu ademptum ſit, & ſi manifeſta negantis ſit laeſio & pertinacia, nihil eſt, quod, omiſſa ſolennitate indictionis, vim vi repellere impediat; quo ipſo concidunt, quae de exſpectanda voluntatis declaratione, & praeſtolando, donec ea ad nos peruenerit, adferuntur. Neque tamen Iure ſolum Naturali, quod ratione nititur, ſed etiam conſtante vſu gentium, adeoque Iure Gentium voluntario, neceſſitas deeſt huic inſtituto. Ecce enim bellum illud internecinum quod inter Hiſpanos & Belgas Foederatos, quum hi Rempublicam liberam meditarentur per LXXX. circiter annos geſtum eſt, abſque vlla indictione a vi mutua coepit. Guſtauus Adolphus

rum illud ſpeciem fere incurſionis aut latrocinii habet [a]: hoc autem ex altera parte inuoluit crimen rebellionis, aut eiusmodi vitae genus, quod indignum aliquem faciat iuſti bellatoris nomine. Sic & minus ſolennia ſunt bella ciuilia, quando ciuitas ita eſt diuiſa, vt ex qua parte ſtet ſummum imperium, non ſatis adpareat. Vbi circa bellum ſolenne eſt obſeruandum, quod qui illud gerunt populi, eorumue rectores ab auctoribus iuſti hoſtes vocari ſoleant, latronibus & praedonibus oppoſiti. Vid. *L. 118. D. de Verb. ſignif. L. 19. §. 2. L. 21. §. 1. L. 24. D. de Captiu.* CICERO Philippica IV. [c. 6.] *Ille eſt hoſtis, qui habet Rempublicam, curiam, aerarium, conſenſum & concordiam ciuium, & rationem aliquam, ſi res ita tulerit, pacis & foederis.* Etſi non ſtatim ciuitas pro coetu latronum habenda [1], quae nonnulla iniuſta velut publice recipit. Neque coetus latronum ciuitatis dignationem ſortitur; licet ipſi inter ſe ſpeciem quandam iuſtitiae ſeruent. Add. GROTIVS L. III. c. 3. §. 2.

§. X. HOC LOCO occaſione eorum, quae a GROTIO L. I. c. 3. §. 4. traduntur, quaeſtio mouetur; an magiſtratui proprie dicto, vt tali, competat poteſtas belli gerendi? Id quod vtique negandum. Cum enim bellum vel praecipuum ſit ex iis negotiis, quibus vniuerſa ciuitas periculo poſſit inuolui, magiſtratui vt tali ex propria auctoritate de bello ſtatuendi poteſtatem dare idem eſt, atque eidem ſummum imperium tribuere [1]. Vid. *L. 7. ad L. Iuliam maieſt.* [2] Equidem id manifeſtum eſt, vbi magiſtratui ab ſumma poteſtate particula negotiorum publicorum exſequenda iniungitur, eidem quoque id virium tributum intelligi, quantum muneri iſti obeundo ſit neceſſarium. Vnde iuris Romani ſcitum eſt, mixtum [3] imperium cohaerere omni magiſtratui, qui iurisdictionem habet, qua tali; idque mixtum imperium definitur per poteſtatem modice coercendi refractarios ad tuendam iurisdictionem, & ius redditum exſequendum. Enimuero ſi qui iurisdictioni praeeſt, magiſtratus vi cogat paucos quosdam imparentes, hautquidquam bellum gerere eſt cenſendus. Vis quippe coactiua in ſubditos non eſt ius belli. Et bellum videtur geri inter aequales, aut qui tales ſeſe praetendunt eſſe. Quod ſi tamen refractariorum tantus ſit numerus, aut ex illorum irritatione tota ciuitas periculo poſſit inuolui, nec ordinarii

phus ſine vlla publica belli denunciatione Germaniam inuaſit, & Ludouicus quoque XIV. Rex Galliarum Hiſpanis anno 1667. bellum non indixit, etſi eos ditionibus, quas tenebant, exutum iret. Regis Poloniarum Auguſti II. quoque copiae ſine vlla publica belli indictione Liuoniam ingreſſae ſunt ſub finem ſuperioris ſeculi. Conf. BYNKERSHOEKIVS Quaeſt. I. Publ. L. I. c. 2.

2) Legatus Anglicanus ad Imperatorem Moſcouiae apud CAMDENVM Hiſtor. Eliſabeth. ad A. MDLXXXIII. *Chriſtiani non eſſe, nec iure gentium licere indictas inimicitias exercere, & bellum gerere, priusquam ille, a quo iniuria eſt orta, moneatur, illatam iniuriam exercere & ab iniuria abſiſtere.* Idem mos Muſulmannorum, vt diſcimus ex LEVNCLAVII Hiſtor. Muſulman. L. VIII. Moris autem huius antiquitatem expoſuit BOECLERVS Diſſertat. de Manifeſtis & clarigatione. Quanquam non deſint populi aut Reges, qui denunciatione vti noluerunt, ſi alter populus aut Rex ſciret, ſe, vt bello petatur, promeritum. Et ſane vt per Feciales bellum indicatur, eſt ſolennitas moribus gentium introducta: Cuiusmodi mores vim obligandi non habere, & eos non obſeruantes tantum in numerum male moratorum redigi AVCTOR docuit ſupra L. II. c. 3. §. 23. Vbi tamen neceſſarium erit, vt alter ſciat, auſpiciis ſummi imperantis bellum geri. Videantur quae Colinius diſſerit apud THVANVM L. LI. ad A. MDLXXII. Caeterum quod GROTIVS d. c. 3. §. 11. aſſerit, ſi denunciatio non

narii lictores aut adparitores ſufficiant, recte magiſtratus ſummae poteſtatis ſententiam ſuper tali negotio expectat. Vnde fallitur GROTIVS L. I. c. 3. §. 4. dum tradit: *Si citra leges ciuiles res ſpectetur, omnem magiſtratum ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam, ita ad exercendam iurisdictionem, ſi vis occurrat, ius habere belli gerendi.* Nam plebem tueri ſummo imperio proprie competit. Magiſtratus autem qui iurisdictioni praeeſt, hactenus tantum plebem tuetur, dum tenuibus contra potentiores ius reddit. Cui fini hautquidquam neceſſarium eſt ius belli gerendi. Eſt & illud heic obiter monendum, etſi recte poena, non bellum vocatur, quod Moſes ob aureum vitulum aliquot millia hominum trucidauit: tamen belli potius quam animaduerſionis indolem habet caedes Beniaminitarum. Iudic. XX. [4] etſi diuerſum videatur ERASMO Roterodamo Epiſt. L. VI. Ep. 29. Quo loco congruum fuerit in vniuerſum quaedam ſubiicere de poteſtate magiſtratuum militarium, ſeu ducum, qui alienis auſpiciis rem gerunt. Dux igitur, qui cum plena poteſtate mittitur ad bellum gerendum, offendere non minus hoſtem, quam ab eo ſeſe defendere poteſt omnibus modis, prout ipſi ex vſu videbitur eſſe. Hic tamen vti nouum mouere bellum nequit; ita nec motum iam pace componere, ſine auctoritate ſummi imperantis. Quod ſi alicui reſtricta mandata circa gerendum bellum ſint data, ex iis manifeſtum erit, quantum ipſi poteſtatis competat. Aſt vero omnes, ſiue libera, ſiue reſtricta mandata habeant, id poteſtatis obtinent, vt quouis modo ab ingruente hoſte ſeſe defendere queant, vbi imperium eius honeſte retrocedendo declinare non datur. Atque in hoc duntaxat caſu admitti poteſt illud CICERONIS Epiſt. X. 16. *Ne in rebus tam ſubitis, tamque anguſtis a ſenatu conſilium petendum putes. Ipſe tibi ſis ſenatus quocunque te ratio Reipublicae ducet, ſequare.* Defenſio autem non in eo tantum conſiſtit, vt intentata ab hoſte vis repellatur aut declinetur, ſed & vt hoſti vis reponatur. Vnde, verbi gratia, nauarchus, iuſſus ſeſe duntaxat defendere, nequaquam prohibetur in claſſem hoſtilem fulminare, eamque perditum ire, vbi ab eadem laceſſitus fuerit; ſed tantum vetatur quieſcentem vltro laceſſere. Sic qui exercitui terreſtri praeeſt, vbi hoſtem inuadere interdictum fuit, ſi caſtra ſua oppugnentur, non modo recte hoſtem repellit, ſed & eruptionibus in eum pugnat. Idem ſi in itinere ab hoſte inuadatur, vbi tuto

non praeceſſiſſet, effectus bello peculiares & inprimis captorum acquiſitionem ceſſare, id argumento nullo probat, & recte refutat ZIEGLERVS in Commentar. H.

3) Supra c. 4. §. 5. H.

§. X. 1) AVGVSTINVS in can. 4. cauſ. 23. quaeſt. 2. *Ordo naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium apud Principes ſit.* H.

2) *Eadem lege [Iulia Maieſtatis] tenetur, & qui iniuſſu Principis bellum geſſerit, delectumue habuerit, exercitum comparauerit.*

3) *Imperium aut merum eſt, aut mixtum. Merum eſt imperium, habere gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quod etiam Poteſtas appellatur. Mixtum eſt Imperium, cui etiam iurisdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit.* L. 3. D. de Iurisd. *Mandata iurisdictione priuato, etiam Imperium, quod non eſt merum, videtur mandari: quia iurisdictio ſine modica coërcitione nulla eſt.* L. 5. §. 1. D. de Officio eius cui mandata eſt iurisdictio. Petitur autem ratio denominationis Imperii meri & mixti a ſimilitudine vini, quod dilutum, adeoque mixtum, lenius eſt quam merum. MARTIALIS,

Callidus impoſuit nuper mihi Caupo Rauennae
Quum peterem mixtum, vendidit ille merum.

4) Vid. CLERICVS in Comment. ad h. L.

tuto & honeſte cedere non licet, praelio recte decertabit. Vnde quilibet prouinciis aut vrbibus gubernandis praefectus, cumprimis ſi milites ſub ſe habeat, vbi abs hoſte inuadatur reſiſtere poteſt, inconſulto ſummo imperio. Aſt non temere bellum in alienas terras transferre, niſi id expreſſe in mandatis habeat. Dux vero aliquis inferior, cui cum praeſidio militum commiſſum eſt vrbem aut arcem tueri, ad eam defendendam omnibus modis conniti debet. Et quidem regulariter eousque [5], donec internecio nulli vſui futura non amplius videtur poſſe euitari. Ex hiſce iudicari poteſt de facto Pinarii apud LIVIVM L. XXIV. c. 37. Illi tuenda arx Ennenſis erat credita. Ciuibus autem claues tradere, flagitium erat capite luendum. Ergo cum iudicaret internecionem ſuis imminere, ni in rebellionem ruentes occuparet, ciues infidos caedendo nihil fecit extra limites ſuae poteſtatis, niſi quod periculo depulſo praeter neceſſitatem ſaeuiiſſe videatur. Neque vero nouum bellum Pinarius ſuſcitabat; ſed iam publicum gerebatur bellum in Sicilia contra Poenos, eorumque ſocios, quibus ſeſe adiungere moliebantur Ennenſes. Sed an in illum populum, qui auxilia hoſti ſubmiſit, praeſertim vbi id bellum eſt compoſitum, arma ſint transferenda, ducis non eſt iudicare. De facto Cn. Manlii in Gallo-graecos mouentis, vid. LIVIVS L. XXXVIII. c. 45. ſeqq. & L. XLI. c 7. & FLORVS L. II. c. 11. Enimuero ſi cui praeſidi prouinciae, cumprimis a metropoli imperii longius remotae, facultas belli paciſque cum vicinis ſuis ſit conceſſa [6]; abs tali ſuſcepta bella ſolennia habebuntur; cum quis eius auctor cenſeatur, qui ad certum quid agendum poteſtatem alicui detulit. Quod ſi autem praeſes aliquis citra auctoritatem ſummi imperii bellum alteri intulerit, penes ſummum imperantem erit, factum ſui miniſtri probare velit, vel non. Si probat, pro ſolenni habendum erit bellum, atque iſthaec ratihabitio velut retro auctoritatem bello impertitur, vt ex eo tota ciuitas teneatur. Aſt vbi ſummus imperans ſui praeſidis auſa improbauerit, pro latrocinio iſtius arma cenſebuntur, nec tota ciuitas eo bello implicabitur, ſi praeſes iſte vel dedatur, vel domi plectatur, reparatione damni dati quantum fieri poteſt procurata. Eo ſpectabat interrogatio legatorum Romanorum, ſua an publica auctoritate Saguntum oppugnaret Hannibal, apud LIVIVM L. XXI. c. 18. Vbi recte excipiebant Poeni, illam prius quaeſtionem decidendam: an Sagunti oppugnatio fieri potuerit ſaluo foedere inter ipſos Romanosque? Hac nondum deciſa, Romani gratis quaerebant, an ciuis Poenorum propria, an vero publica quid auctoritate feciſſet. Addantur, quae ſuper facto Phoebidae Cadmaeam occupantis diſputantur apud XENOPHONTEM Rer. Graec. L. V.

§. XI. VLTERIVS quaeritur, an praeſes, qui generali aut peculiari mandato deſtituitur, poſſit extraneo bellum recte inferre, tantum ex coniectura voluntatis, ſeu quia credit, ſuum factum ſummo imperanti probari? Id quod negan-

5) V. Petr. BELLINVM Part. 10. de Iure milit. tit. 2. n. 102. H.

6) Qualem poteſtatem accipere conſueuerunt Regum Hiſpaniae & Luſitaniae Gubernatores in Indiis, & Praefecti ſocietatis Indicanae Foederati Belgii. H.

§. XI. 1) Quod & GROTIO viſum fuit L. I. c. 3. §. 5. num. 3. cui fruſtra contradicit GRONOVIVS, ipſe refutatus a Cl. BARBEYRACO, in nota 1. qui liquido oſtendit, exceptionem, ſine

negandum [1]. Neque enim hoc ſufficit videre, quid placiturum ſit hoc rerum ſtatu ſummam poteſtatem habenti, ſi conſulatur; ſed hoc magis conſiderandum eſt, quid idem, vbi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, ſe inconſulto cupiat fieri, ſi lex ferenda ſit, ſeu vbi in vniuerſum ſuper eiusmodi caſibus ſit conſtituendum [2]. Heic ſine dubio id ſtatueretur, ne miniſter ſe inconſulto aliquid ſuſcipiat ſummam rerum ſpectans, quale eſt bellum, & inprimis offenſiuum, de quo heic proprie quaeritur, quodque regulariter moram fert. Adeoque etſi contingat, vt ſummus quoque imperans iudicet nunc bellum aduerſus certum hoſtem ſumi; non poteſt tamen non ipſi diſplicere, miniſtrum limites muneris ſui exceſſiſſe. Huc ſpectat factum Cambyſis, qui miniſtros occiderat, quod Croeſo pepercíſſent, quem tamen ipſe ſeruatum gaudebat, apud HERODOTVM Thalia. Item factum C. Piſonis Propraetoris Siciliae apud SENECAM de Ira L. III. c. 16. Add. tamen LIVIVS L. XLIV. c. 10.

§. XII. CAETERVM qui in libertate naturali ſinguli viuunt, vti bello non poſſunt peti, niſi ob iniurias a ſe profectas: ita quomodo in ciuitate reatus iniuriae, & cauſa quare bellum inferri poſſit ab iis, qui immediate eandem patrauerunt, in totam ciuitatem diffundatur, vlterius quaerendum eſt. Id igitur conſtat, communitatem tum aliam quamuis, tum ciuilem, ex facto ſingulorum, non teneri ſine aliquo ſuo facto aut omiſſione culpabili. Nam quantascunque comminationes adhibeat ciuitas, ſemper tamen penes ciuium voluntatem naturalis libertas diuerſum faciendi relinquitur; ſic vt nullo modo ſingulorum facta praeſtare poſſit ciuitas [1]. Add. GROTIVS L. II. c. 21. §. 2. & quae ibi allegantur exempla ex LIVII L. XXIX. 16. XXXV. 31. XLV. 23. VALERIVS MAXIMVS L. VI. c. 6. §. 3. 5. Porro ex illis modis, quibus rectores ciuitatum bello obnoxii fiunt propter iniurias a ſuis ciuibus patratas, duo potiſſimum conſiderandi ſunt: patientia & receptus [2]. De patientia ita eſt habendum: qui ſcit delinqui, idemque prohibere citra probabile periculum grauioris mali poteſt, & tenetur, is ipſe deliquiſſe cenſetur. Scilicet coniunctim requiritur ſcientia & facultas prohibendi, nec alterutrum horum ſeorſim ad reatum alteri affricandum ſufficit. Vid. *L. 1. §. 1. D. Si familia furtum feciſſe dicatur.* [3] Sciri autem a rectoribus ciuitatum praeſumuntur, quae a ſubditis aperte & frequenter patrantur. Facultas prohibendi ſemper praeſumitur, niſi eius defectus manifeſte prohibetur. Facit huc illud LYCVRGI Orat. aduerſ. Leocratem: [p. 194. 195. Ed. Wechel.] *Delicta tantiſper, dum non iudicata fuerint, apud auctores ſuos manent: ſimul ac vero ſententia de illis & iudicium factum fuerit, apud eos manent, qui non iure illa ipſa vlciſcuntur.* Add. POLYBIVS L. IV. c. 27. ab init. GRATIANVS c. 1. & 3. Diſtinct. 86. Circa receptum autem, & quatenus ciuitas cauſam belli contra ſe praebeat recipiendo

 & de-

ſine qua haec dici vetat Gronouius, in ipſis verbis Grotii latere.

2) Vid. ſupra c. 3. §. 17. & L. V. c. 12. §. 20. H.

§. XII. 1) Maxime cum aliud ſint ſinguli, aliud ciuitas. Vid. ſupra L. VII. c. 2. §. 13. H.

2) Supra L. I. c. 5. §. 14. H.

3) *Is autem accipitur ſcire, qui ſcit & poteſt prohibere, ſcientiam enim ſpectare debemus, quae habet & voluntatem.*

& defendendo eos, qui in alios deliquerunt, plene docet GROTIVS d. l. §. 3. 4. 5. 6.

§. XIII. De repreſſaliis, ſiue violentis exſecutionibus in ciues aut bona ciuium alterius Reipublicae, quae iuſtitiam adminiſtrare detrectat, [quibus [1] ſingulorum ciuium bona tenentur hactenus, vt extranei, quibus debetur, iſtis, apud ſe deprehenſis, manus iniicere queant:] ſufficienter tradit GROTIVS [2] L. III. c. 2. Circa quarum aequitatem hoc quoque addiderim [3], quemadmodum ex coniunctione in corpus ciuile factum eſt, vt quae vni infertur iniuria per extraneos, ea totam ciuitatem videatur tangere; ita non iniquum viſum, ſingulos velut in ſubſidium pro debito ciuitatis obligatos eſſe; cum quod eo nomine illi erogauerint, a ciuitate ſua ipſis ſit refundendum. Quod ſi autem hoc modo vnus aut alter ciuium damnum ſentiat, debet id inter illa incommoda referri, quae ciuitates tantum non neceſſario conſequuntur; etſi haec minimam partem faciant eorum malorum, quae ſingulos extra ciuitatem manſura erant.

§. XIV. Bellum non ſolum quemlibet pro ſe, ſed & ſaepe pro aliis gerere ſolere manifeſtum eſt. Sed vt hoc recte fiat, in iſto quidem, cui ſuccurritur, iuſta bellandi cauſa requiritur: in eo autem, qui auxilium alteri latum it, adeſſe debet peculiare aliquod vinculum, quo principali belligeranti nectatur; quod idoneum ſit, vt in gratiam vnius hominis alterum aeque hominem hoſtiliter tractare queat. Alias enim locum habebit illa querela apud LVCANVM L. IV. [v. 707. & ſeqq.]

Quis conferre duces meminit? quis pendere cauſas?
Qua ſtetit, inde fauet: veluti fatalis arenae
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares. - - -

Inter eos igitur, quos non recte ſolum poſſumus, ſed & debemus defendere, ſunt noſtri ſubditi. Idque non ideo ſolum, quia iſti ſunt velut pars rectorum, ſed & quia vt tali defenſione fruerentur, imperia liberi homines vltro conſtituerunt, aut ſubierunt. Sic apud LIVIVM L. VII. c. 31. & FLORVM L. I. c. 16. Campani ineuitabilem Romanis neceſſitatem afferri credebant arma pro ipſis

§. XIII. 1) Adiicitur haec definitio Repreſſaliarum ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 16. Conf. de iis BVDDEVS Philoſ. Pract. P. II. c. 5. ſect. 3. §. 6. & ſeqq. & BYNKERSHOEKIVS Quaeſt. Iur. Publ. L. I. c. 24.

2) Cui tamen accedere non poſſumus aſſerenti d. l. § 7. n. 3. iure gentium ſingulis pignorandi ius eſſe, vt Athenis ἐν ἀνδρολημψίᾳ. Cuius ſententiae etiam BODINVS fuiſſe videtur L. I. de Rep. c. 10. ſcribens: repreſſaliarum exercendarum ius minus recte inter ſummi imperii iura referri, quoniam vbique fere, & maxime in Gallia ad Carolum VII. vsque, magiſtratibus, antiquo etiam iure priuatis, id commune fuerit. Enimuero vti in turbidis temporibus, qualia ſuperioribus ſeculis in Gallia & alibi fuere: ita nunc ſane vniuerſae Europae conſuetudo contrarium ſeruat, nec id temere: quoniam ex repreſſaliarum vſu, non minus quam ex bello, vniuerſa Respublica in diſcrimen adduci poteſt. Vid. ZIEGLERVS L. I. de Iur. maieſtat. c. 34. §. 8. & Comment. ad H. Grotium d. l. Illud apertum eſt, inter ciues eiusdem Reipublicae repreſſalias prorſus exulare debere. Vid. *L. vnic. nullus ex vican. L. 4. C. de Executor. & Exactor. Nouell. Iuſtiniani. 52. & 153.* H.

3) Diſplicet haec ratio ZIEGLERO d. c. 54. §. 32.

Ipſis capeſſendi, dum ſe, ſuaque omnia iisdem dedunt. Quanquam circa hoc exemplum obſeruandum eſt, ſiquidem Campani Samnites antea bello iniuſto laceſſierant, non recte a Romanis eorum vtut deditítiorum defenſionem potuiſſe ſuſcipi, niſi prius aequa pro dato damno, bellique impenſis ſatisfactione oblata. Pro ſingulis tamen ciuibus rectores ciuitatum tunc demum recte arma ſumunt, ſiquidem id fieri poſſit ſine grauiore incommodo omnium aut plurium ciuium. Quippe cum iſtorum officium magis circa totum, quam circa partem verſetur, & quo pars eſt maior, eo propius ad totum accedit. Add. GROTIVS L. II. c. 25. Proximi a ſubditis pro quibus arma ferre teneamur, ſunt ſocii, in quorum hoc foedere comprehenſum eſt. Qui tamen ſubditis noſtris omnino cedunt [1], ſiquidem vtrisque ferri auxilium nequeat; idque ſaluo foedere. Nam nulla ciuitas alicui magis obligatur, quam ſuis ciuibus. Ergo quando aliis auxilia promittit, intelligitur id facere ea lege, quatenus id ſalua obligatione erga proprios ciues fieri queat. Inde etiam ſtultus eſt, qui confidit in foedere, quod ſeruari alterius non intereſt. Quemadmodum autem nemo bella iniuſta aut temeraria debet ſuſcipere; ita & nemo foederatum talia bella mouentem adiuuare tenetur. Quod etſi praecipue in bellis offenſiuis locum habeat; aliquo tamen modo in defenſiuis quoque obtinet. Nam ſi ſocius meus videat, ſe hoſti parem non eſſe, etiam adiunctis meis viribus, & tamen perſeueret in certam perniciem ruere, cum liceat tolerabilibus conditionibus tranſigere; ſtolidus forem, ſi alieno me furori comitem adiungerem. Et hactenus accipiendum illud GROTII d. l. *ad auxilium nos non teneri, ſi nulla ſpes ſit boni exitus; quia boni, non mali cauſa ſocietas contrahitur.* Nam ſi nullum plane periculum, aut damnum pro ſocio ſubeundum fuerit, fruſtra foedus initur. Poſt ſocios locum inueniunt amici [2], ſeu quibus peculiari beneuolentia iungimur. His etſi expreſſo foedere auxilium certum atque definitum non ſit promiſſum, in ipſa tamen amicitiae coniunctione mutua fidem ineſſe intelligitur, vt alteri alterius ſalus curae ſit, quantum arctiores obligationes patiuntur, & quidem impenſius, quam alias communis inter homines cognatio poſtulat. Quae ipſa tamen ſufficere poteſt, vt quis defenſionem alterius contra iniurias aliorum manifeſtas ſuſcipiat; cum praeſertim noſtra quoque facillime intereſſe poſſit, quin & publico omnium bono redundet, vt ne aliquis iniuriis alios impune inſultet. Huc facit, quod Solon interrogatus, quomodo quam paucisſimae in-

 ter

§. 32. exiſtimanti, aliam eamque fortiorem ex iniuſtitia belli gerendi deduci poſſe: repreſſalias enim eſſe bellum quoddam particulare; ſed bellum licite inferri, quando Princeps aut ciuitas vindicare neglexit, quod a ſuis improbe eſt factum, aut reddere, quod a ſuis per iniuriam eſt ablatum. Ergo & repreſſalias licite ac iuſte decerni, ſi ciuitas vel ciuitatis rector negligat aut non curet, illatam vindicare iniuriam, aut quodcunque ablatum eſt, reſtitui. Quanquam AVCTOR ab illa coniunctione, qua ciues inuicem deuincti ſint, rationem petit, illam, quae a iure belligerandi ſumitur, incluſiſſe quoque exiſtimari poſſit. H.

§. XIV. 1) Supra L. V. c. 12. §. 22. H.

2) Amicis tamen BVDDEVS de Comparatione obligationum, quae ex diuerſis hominum ſtatibus oriuntur §. 60. praeferri, ſaltem aequiparari ſuadet eos, qui eiusdem ſint religionis. Recte tamen addit in §. 62. religionis, quae nobis vera videatur, obtentu, neminem ſibi omnia licita credere debere, in eos, qui religioni alii, qualiscunque ea ſit, addicti fuerint. Deteſtari id pleroſque noſtrum in iis, quibus hoc vitium familiare ſit, etſi ab eo ipſi non penitus videamur liberi.

ter homines iniuriae ſint extiturae, reſpondit: Εἰ ὁμοίως ἄχθοιντο τοῖς ἀδικουμένοις οἱ μὴ ἀδικούμενοι. *Si perinde cum laeſis doleant, qui non laeſi fuerunt.* DIOGENES LAERTIVS Solone [3]. Spectat quoque huc illud QVINTILIANI Inſt. Or. L. IV. c. 1. *Eſt naturalis fauor pro laborantibus.* EVRIPIDES Supplicibus [v. 267. 268.] Ἔχει καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν, δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν. πόλις δὲ πρὸς πόλιν ἔπτηξε, χειμασθεῖσα. *Habet refugium petram quidem fera, ſerui aras deorum; ciuitas vero ad ciuitatem confugit, tempeſtate exagitata.* Quae tamen ita temperanda ſunt, vt non ſtatim quilibet, etiam qui in naturali libertate viuit, ius habeat bello alium, qui iniuriam cuiuis alteri intulit, coërcendi & caſtigandi, eo ſolo obtentu, quod boni publici ratio poſtulet, iniurias innoxiis non impune inferri, ac quod vnum tangit omnes tangere debere. Cum enim ei, qui tali modo inuaditur, ademtum non ſit, alterius, quem ipſe vtique non laeſit, vim pari vi repellere; iam pro vno bello duo bella genus humanum turbabunt. Quin & contra naturalem aequalitatem pugnat vltro ſeſe velut arbitrum rerum humanarum obtrudere. Ne nunc dicam, quod eadem res in magnum abuſum pateat, cum vix vllus ſit, in quem non hoc obtentu bellum ſumi queat. Igitur tunc demum iniuria alteri illata ad cauſam belli nobis ſufficere poteſt, quando, qui eadem afficitur, nos in auxilium euocat; ſic vt non noſtro, ſed laeſi nomine, quidquid heic ſuſcipimus, agamus. Sed an & quis arma poteſt capere pro alienis ſubditis, vt ab ipſis iniuriae imperantis arceantur? Super qua quaeſtione videatur ſententia GROTII [4] L. II. c. 25. §. 8. Nobis tutiſſimum videtur ſtatuere, non alio caſu alienorum ſubditorum defenſionem licite ſuſcipi, quam quo ipſi immanem ſuperiorum ſaeuitiam armis recte abs ſeſe poſſint amoliri [5].

§. XV. DE * indictione, quae ad bellum ſolenne requiritur, ſufficientem praebere poteſt informationem GROTIVS L. III. c. 3.

§. XVI. CAETERVM licentiam in hoſtem, quam ius naturae indulgere ſupra diximus, multas gentes ſine fine & modo exercuiſſe, copioſe deducit GROTIVS L. III. c. 4. ſeqq. Vbi tamen obſeruandum, quanquam militibus frequenter a ducibus ſoleant leges praeſcribi, quouſque hoſti debeant nocere, quas vbi transgreſſi fuerint, poenas dant: id tamen fit, non quaſi hoſti iniuriam fecerint, ſed ob violatum ducis imperium, & ſeruandae diſciplinae mili-

3) Ἐρωτηθεὶς γὰρ (ὡς ἔοικεν) ἥτις οἰκεῖται κάλλιστα τῶν πόλεων, Ἐκείνη (εἶπεν) ἐν ᾗ τῶν ἀδικουμένων οὐχ ἧττον οἱ μὴ ἀδικούμενοι προβάλλονται καὶ κολάζουσι τοὺς ἀδικοῦντας. PLVTARCHVS in Solone p. 88. D.

4) Et merentur iungi conſultationes apud GVICCIARDINVM L. III. Hiſt. CAMDENVM Hiſt. Eliſab. ad A. MDLIX. & ad A. MDLXIII. H.

5) Quod vero GROTIVS dicto loco putat, etiamſi daretur, ne in ſumma quidem neceſſitate arma recte a ſubditis ſumi, non tamen inde ſequi, quod arma pro ipſis ab aliis ſumi nequeant; hypotheſi innititur ſupra ab AVCTORE reiectae: poſſe quemuis delinquentem in ſtatu naturali ab alio innocente puniri. Sane alium plus poſſe ex charitate pro me, quam me ipſum, vix datur intelligi; quum egomet proximus ſim mihi. Iam ſi externus veniat, vt oppreſſis opituletur, anne hi ſuppetias ſibi ferentibus aduerſabuntur, aut opes cum eo iungere detrectabunt? H.

§. XV. * Hunc §. perinde ac XVII & XIX. omiſit Cl. BARBEYRACVS in ſuis Editionibus, tanquam meras ad Grotium remiſſiones continentes, quas ipſe in notis ſuis iam exhibuerat ad §§. ſuperiores.

§. XVI. 1) Conf. H. GROTIVM L. III. de I. B. & P. c. 4. §. 3. & 4. H.

militari. Sic & qui in bello ſolenni vltra, quam naturali lege conceſſum, caedibus aut rapinis ſaeuiit, pro homicida, aut raptore haberi, aut puniri non ſolet, ſi iſte ad tertium pacatum forte delatus fuerit [1]. Idque non ideo ſolum, quia noſtra nihil intereſt, quid alibi quis deliquerit; ſed & quia tacite inter gentes videtur conuentum, ne alienorum bellorum arbitria ad ſeſe reuocent. Quare enim, qui neutri bellantium eſt ſocius, alienam litem temere ſuam fecerit? Quid quod etiam in iuſto bello vix ſatis cognoſci poteſt, quis iuſtus ſit ſe tuendi, damnum reſarciendi, vel cautionem exigendi modus. Sic vt praeſtet iſthaec conſcientiae bellantium relinquere, quam cum ſuo periculo eadem damnare. Praeſertim cum ipſi bellantes tacito quodam pacto in ſaeuitiam Martis, cuiusque arbitrio exſerendam aut temperandam, conſenſerint [2].

§. XVII. In ſpecie autem, quousque licentiam in perſonas hoſtium ſoleant multi extendere, late docet Idem L. III. c. 4.

§. XVIII. Illud heic peculiariter quaeritur, an hoſtem liceat interficere immiſſis percuſſoribus? Vbi Grotius L. III. c. 4. §. 18. diſtinguendum iudicat inter eos, qui fidem expreſſe aut tacite datam violant, vti ſunt milites, ciues, vaſalli, recepti; & qui nulla fide tenetur. Poſterioris generis percuſſoribus vti nullo iure prohibitum. Add. Th. Mori Vtopia L. II. Verum talibus vti, quorum facto perfidia ineſt, apud cultiores gentes infame habetur [1]. Etſi aduerſus rebelles, piratarumque aut latronum duces quosuis etiam praemiis inuitare religioſi quoque principes ſoleant; quod ob odium, quibus iſti laborant, non reprehenditur [2]. Pari fere modo reſponderi ſolet ad generalem quaeſtionem, an promiſcue quorumlibet in bello opera vti liceat? Vbi diſcrimen fit inter proditores ac deſertores ſuorum dominorum, qui ſe vltro offerunt, & inter eos, quorum fides promiſſis, aut per praemia corrumpitur. Priorum operam per mores gentium recte adhiberi, poſteriorum non item, ſentit Grotius L. II. c. 1. §. 21. 22. (Conferatur tamen Qvitilianvs Decl. 225.) Id quod tamen non extra dubium eſt poſitum [3]. Quae enim duo iſta hoſtis mei ſubditorum ſolicitatione quaeruntur, auxiliis illum nudare, & damnum eidem dare, vtrumque poſita iuſta belli cauſa faciendi mihi ius eſt. Eum finem cur non etiam corruptis per ſpem praemiorum animis

2) Cum Franciscus Mendoſa captiuus a Batauis ſeruaretur, eumque vidua Bruckii Comitis & Cliuenſium legati poenas grauium facinorum expoſcerent, quae ille partim vt neceſſaria, partim vt imperata defendebat, *non viſum Ordinibus Foederati Belgii in captiuum, belli iure munitum, iudicia exercere.* H. Grotivs L. XI. Hiſt. Belgic. ad A. MDCII. H.

§. XVIII. 1) Quod ex animi Principum magnitudine proficiscitur. Nam ſi ius rigidum & ſtrictum exigas, licitum eſt, hoſtem quacunque ratione perimere, nec intereſt, an id fiat per militem, an per percuſſores, eosque plures, an ſingulos ſiue in fide teneantur, ſiue non teneantur. Vid. Grotivs l. c. & Bvddevs in Specim. Iurisprud. Hiſtor. §. 49. & ſeqq.

2) V. ſupra c. 3. §. 17. H.

3) Forte autem Grotivs cum Avctore conciliari poteſt, ſi ille de foro conſcientiae, hic de externo iure belli intelligatur. *Nam non praeſentis tantum ſeculi, ſed antiquorum etiam temporum dehoneſtamentum fuit, aliorum Principum miniſtros auro corrumpere, atque opera eorum ſubiectos populos ad rebelliones illicere*, vt loquitur & exemplis probat Forstnervs ad XII. Ann. 44. verb. *primores Armentorum ad res nouas illicit.* V. Avctor ipſe infra c. 11. §. 5. H.

mis ciuium adſequi liceat, nulla ſufficiens ratio adparet. Praeſertim cum omnes fateantur, poſſe hoſtis mei ciues ad deditionem, adeoque ad deſerendum ſuum dominum fictis terroribus compelli; qualis deſertio ſane omni vitio non caret: nec leges militares minus ſupplicium capitis intentant iis, qui hoc modo imponi ſibi patiuntur, quam perfidis ac proditoribus, cum ignauia & credulitas officio militari non minus repugnet quam perfidia. Vis porro ita eſt legitimum medium hoſti nocendi, vt ideo dolus non ſemper illegitimum ſit medium. Ac licet illi deſertores ſine proprio peccato id non faciant; ex eo tamen in ſolicitatorem nihil culpae videtur redundare; ideo quod nulla adparet obligatio, vt, qua commodiſſime datur, via ius meum conſequi intermittam, ne occaſionem praebeam peccandi illis, qui mecum commercia iuris per iniuriam ſuam abruperunt. Cur igitur argenteis lanceis oppugnare non poſſim, quos ferreis confodere licebat? Praeſertim cum in arbitrio ipſorum relinquatur, quaecunque demum ſolicitationes adhibeantur, vtrum hoſtem me experiri malint, an gratiam meam vtili mihi opera redimere. At cur in pace, verbi gratia, alterius ſeruum non poſſim ſolicitare, vt deſerto per flagitium domino ſuo, ad me tranſeat, duplex ratio eſt: tum quia nulla mihi poteſtas competit iſtius res interuertendi; tum quia ſeruo ipſi nullum malum recte inferre poteram, ſi ſuo transfugio me ſibi non conciliaret. Quorum vtrumque in iſthoc caſu adparet. Sicuti igitur dominium, quod hoſtis in res ſuas habet, reſpectu noſtri nullum eſt, quin eas poſſimus eripere; ita & ius illud, quod idem in ſuos ſubiectos habet, hactenus nobis nullum eſt, quod nos curare non teneamur, vt iſtud ius inuiolatum ipſi perſiſtat. Vnde quod alias huic ſententiae opponitur; non poſſe aliquem incitare alterum ad id, quo facto is peccet; ſeu peccare, qui alteri peccandi cauſam aut occaſionem dat; inter non-hoſtes duntaxat valere videtur. Hoſtis enim in reſpectu ad me in eo eſt ſtatu, vt dum ius meum aduerſus illum perſequor, non curandum mihi ſit, peccandi is anſam inde arripiat, an minus. Eoque licet argentum aut promiſſa noſtra alterum reuera ad perfidiam mouerint, nobis tamen in perfidia velut proprium peccatum imputari non poſſe videtur, quia in praeſens per hoſtilem ſtatum commercia iuris nobis cum illo abrupta ſunt, & ille quantum in ſe nobis licentiam aduerſus ſe in infinitum dederit. Et cum vbi belli ratio exigit; nobis nefas non ſit hoſtem perdere, neque nefas videbitur anſam ipſi porrigere, vt peccato ſe adſtringat. Nam ea ratio elumbis eſt, quam aliqui adferunt: inter hoſtes fides ſeruari debet, igitur ſubditi hoſtis non poſſunt ſolicitari ad perfidiam. Cauendum tamen eſt, ne quis ſibi ipſe heic exemplo noceat. Et qui, cum poſſet, iſto agendi modo abſtinet, ſine dubio eximiae cuiusdam generoſitatis laudem meretur. Sed & veritas conſtat illi effato apud PROCOPIVM Hiſt. Goth. L. I. [c. 8.] *Cui proditoris vſus contigit, in praeſens quidem gaudet*

§. XX. 1) Vid. ſupra L. IV. c. 6. §. 14. vbi AVCTOR docet, qua ratione ab hoſtibus capta, noſtra fiant.

2) Modo eae hoſtium fuerint. Nam quarum domini nec hoſtium ſint ſubditi, nec hoſtilis animi, eae bello acquiri non poſſunt, modo eas non eo animo miſerint, vt hoſti ſuppetias ferrent. Quod ad res attinet in hoſtium nauibus repertas, in dubio eae hoſtiles eſſe cenſentur, & proinde captae capientis dominium ſubeunt, niſi ſuperior praeſumtio validis in contrarium probationibus poſſit

gaudet beneficio ob victoriam: in poſterum autem, ex rebus actis enaſcente ſuſpicione, eum, a quo beneficium accepit, & odiſſe & metuere incipit, habens apud ſe mala ipſius fidei documenta. Add. VALER. MAXIMVS L. VI. c. 5. §. 7.

§. XIX. QVID in res hoſtium, etiam quae ſacrae dicuntur, licentia hoſtilis ferat, docet GROTIVS L. III. c. 5.

§. XX. ADQVIRERE iure naturali, ac ſalua conſcientia iuſto bello [1] ex rebus hoſtium ea quis poteſt, quae ipſi debentur [2], aut debitis paria ſunt, & ob quorum detrectatam ſolutionem fuit ad arma veniendum; computatis ſimul impenſis in violentam iuris exſecutionem factis, ac ſi quid vlterius hoſti eripi ad cautionem neceſſarium iudicabatur. Vnde ſi quis opum fiducia iniuriam aliis intulerit, eidem victo recte ſuperfluae opes detrahuntur, vt in poſterum ſit modeſtior. Sed moribus gentium in bello ſolemni quis ſine fine & modo ſit dominus eorum, quae hoſti eripit, etſi longe excedant praetenſionem, ob quam bellum fuit motum. Vid. GROTIVS L. III. c. 6. §. 1. 2. ſeqq. vbi etiam traditur, quando res tam mobiles, quam immobiles captae intelligantur. Vbi tamen probe obſeruandum, per adprehenſionem bellicam adquiri tantum ius, quod valeat aduerſus quemuis tertium pacatum. Sed vt captor adquirat dominium, valiturum etiam aduerſus eum, cui res erepta fuit, neceſſum eſt, vt accedat huius cum altero pacificatio & transactio. Citra hanc enim priori domino ius remanere intelligitur ad rem iſtam [3], quandocunque vires ſuperfuerint, hoſti iterum extorquendam.

§. XXI. ILLVD quoque quaeritur, cuinam in bello ſolenni res adquirantur, an toti populo, an ſingulis, qui de populo ſunt, aut iis, qui primi eas adprehenderunt? Id quod nobis paucis videtur poſſe expediri. Conſtat igitur penes ſummum imperium eſſe ius belli, ſub quo comprehenditur ius ciues armandi, & in expeditionem educendi, vt & ius iisdem imperandi pecunias, aut alia ad bellum neceſſaria. Sed cum bella ſuſcipiantur vel ad aſſerenda priuatorum debita, quae hoſtis vltro exſoluere detrectat, vel ob cauſam, quae totam Rempublicam ſpectat, facile adparet, priori caſu primo omnium id eſſe agendum, vt illi, quorum cauſa bellum geritur, ſibi quod debetur obtineant. Quod ſuperat, & vbi publicam ob cauſam bellum geritur, vti auctor belli eſt, qui ſummum imperium gerit; ita & huic primo adquiritur, quidquid in bello capitur, per quoscunque id primum adprehendatur, ſiue illi ſint mercenarii milites, ſiue ciues, quibus militia pro imperio, etiam citra ſtipendium fuit iniuncta. AELIANVS V. H. L. VI. c. 6. Ὀυκ ἐξῆν ἀνδρὶ λάκωνι ἐδὲ σκυλεῦσαι τὸν πολέμιον. *Non licebat viro Lacedaemonio ne ſpolia quidem hoſtis legere.* Quia tamen bellum ciuibus ſingulis oneroſum eſt, ſiue tributum, ſiue opera militaris iniungatur,

poſſit elidi. Conf. GROTIVS L. III. c. 6. §. 5. 6.

3) Cum Batavi A. MDCII. multas Luſitanorum naues cepiſſent, ſcribit H. GROTIVS L. XI. Hiſtor. Belgic. ad d. A. *Illud obſcurius, an quae captis in nauibus Italorum bona inueniebantur, in praedam cederent. Res inter aequitatem & ius belli media, tranſigendo deciſa eſt.* H.

gatur, recte & humaniter facit ille, cui ſummum eſt imperium, vt viciſſim aliquod emolumentum in ſingulos ciues ex bello redundet. Quod fieri poteſt, ſi vel ſtipendium de publico ciuibus in expeditionem euntibus detur. Vid. Livivs L. IV. c. 60. L. V. c. 4. vel praeda inter eos diuidatur, aut cuiuis concedatur [1], vt, quod ipſe rapuerit, ſibi retineat; (ſicuti apud Graecos, quando bellum alicui populo indicebatur, τὸ λάφυρον ἐκήρυξαν, ſpolia ius fasque eſſe capere praeconis voce ſignificabant. Vid. Polybivs L. IV. c. 26. 36.) vel praeda in publicum redacta in poſterum inde onera & tributa ciuium leuentur. Mercenariis autem praeter ſtipendium nihil debetur, niſi ex liberalitate, aut ob praeſtitam inſignem operam, aut incitandae ipſorum fortitudini. Add. Grotivs dicto loco §. 8. ſeqq. qui operoſe hanc quaeſtionem deducit. Vbi circa diſtinctionem actuum bellicorum in publicos, & priuatos, qui occaſione duntaxat belli publici ſuſcipiuntur, obſeruandum: non extra dubium eſſe, omne id, quod priuatis actibus, & iniuſſo priuatorum auſu in bello capitur, id capientium vtique fieri. Nam & haec eſt pars iuris belli, deſignare, quinam hoſti nocere debeant, & quo vsque. Ergo priuatis non licebit praedas ex hoſtico agere, aut quamcunque rerum hoſtilium inuadere ſine permiſſu ſummi imperii. Cuius itidem eſt definire, quo vsque priuati eam praedandi licentiam debeant exſerere, & tota praeda, an pars aliqua ipſis cedere debeat. Sic vt quidquid heic priuatis competit, id omne ex indultu ſummi imperii dependeat [2]. Scilicet vt aliquis miles ſit, & actus bellicos offenſiuos exercere queat, publice auctorandus eſt. Inde Cato *negat ius eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte*, apud Ciceronem Offic. I. [c. 11.] Add. Zieglervs ad Gotii d. l. §. 12. [3]

§. XXII. Circa adquiſitionem incorporalium in bello peculiariter obſeruandum, iſta non adquiri, niſi cum ſubiecto, cui inhaerent [1]. Quod ſubiectum ſunt vel perſonae, vel res. Rebus, verbi gratia, praediis, fluminibus, portubus, oppidis, regionibus ſaepe quaedam iura inhaerent; vel potius perſonis, quatenus iſtas res poſſident, certa iura in alias res aut homines competunt. Sed heic videndum eſt, vtrum iſti rei hoc ius competat ex pacto aliquo perſonali, an ex pacto reali; ſeu vtrum is, qui primus illud ius cum re coniunxit, ita pactus fuerit, vt illud ius perpetuo penes poſſeſſorem eius rei eſſet, quisquis is ſit, & quocunque titulo ad eum res iſta peruenerit; an vero id ius duntaxat valere voluerit, quando certae perſonae eam rem certo titulo

§. XXI. 1) Quod hodie in plerisque fere Europae ciuitatibus vſitatum eſt. Circa perſonas autem captas quid obtineat complurium populorum leges adduxi Comment. de Lytro ſect. 2. §. 2. H.

2) A Grotio maluit ſtare Kvlpisivs Diſſert. de Priuatis in hoſtem excurſion. §. 17. nominatim Avctorem refellens, eique exprobrans, quod confundat diſtinguenda. Nimirum talem priuatum haut dubie occupatione bellica acquirere res hoſtium, & quidem ſibi, non ciuitati, cuius inſtrumentum non fuerit; quippe contra voluntatem eius agens: Poenae tamen obnoxium eſſe, quatenus contra mandatum egit. Enimuero ſi hoc concedit Kulpiſius, ſimul etiam fateatur neceſſum eſt, dominium illud, quod acquiſiuit talis capiens, non niſi reuocabile eſſe. Quid enim vetat, quo minus ſummus imperans tali per modum poenae auferat contra ius acquiſitum. Caeterum de volonibus notat H. Grotivs L. III. de I. B. & P. c. 6. §. 23. *tacita conſuetudine vbique fere*

tulo obtinerent. Si poſteriori modo ius alicui rei adhaereat, non ſtatim is, qui rem quoquo titulo occupauit, illud ius exercere poteſt, ſed videndum eſt, vtrum id ius etiam titulum bellicae adquiſitionis ex prima eiusdem inſtitutione ſequi debeat. Illa autem iura, quae per ſe & immediate alicui perſonae competunt, tendunt vel in alias perſonas, vel in res. Iura quae perſonae competunt in aliam perſonam, cum non niſi huius conſenſu ſint quaeſita, (qui conſenſus non promiſcue quemlibet ſpectauit, ſed certum duntaxat hominem,) hautquidquam ſimul adquiſita intelligentur [2], vtut perſona, cui iſta competebant, in hoſtium manus peruenerit. Sic rege ab hoſtibus capto, non ſtatim hoſti regnum quoque fuit adquiſitum. Marito aut patre capto, non ſtatim poteſtas in vxorem & liberos adquiritur [3]. Quando autem quis vxorem ſimul cum marito cepit, ius in vxorem captiuam accipit, non ex eo quod maritum ſimul cepit, ſed vnice ex eo, quod iſtam cepit; nec plus aut minus poteſtatis accepit, ſiue maritum ſimul, ſiue non ceperit. Neque victor iſte in captam alterius vxorem poteſtatem maritalem accipit, ſed quale ius in captiuos adquiri mos eſt. Conf. GROTIVS L. III. c. 7. §. 4. Circa iura autem in res diſtinguendum eſt, vtrum aliquis viuat in ciuitate, an vero extra ciuitatem in ſtatu mere naturali. Si in hoc ſtatu viuat, qui perſonam cepit, omnes ſimul ipſius res cepiſſe intelligitur, aut ſaltem facultatem nactus eſt easdem quoque capiendi; quia nemo amplius obſtat, qui iſtarum occupationem prohibere iure poſſit. Verum in ciuitatibus receptum, vt non cum perſona res quoque ipſius pereat; ſed vt iſtius ius ad alias perſonas eius ciuitatis deuoluatur, aut his non extantibus publicis bonis accreſcat. Vnde ſi ciuis ab hoſte captus fuerit, bona iſtius, quae ſimul capta non fuerunt, non adquiruntur capienti, ſed ad eum perueniunt, quem leges ciuiles ad ſucceſſionem vocabant, ſi iſte naturali morte functus eſſet. Quod ſi autem ſimul cum perſona hoſtis ipſius quoque bona ceperit, ſufficit ipſi ad dominium rerum captarum titulus captionis bellicae, nec opus eſt, vt iſtud dominium demum arceſſat ex perſona prioris domini ſimul capti; adeoque perinde eſt, quantum ad ius captoris in res captas, ſiue dominum ſimul ceperit, ſiue non.

§. XXIII. AD iſthaec illuſtranda facit quaeſtio, apud Amphictyonas quondam agitata, de qua QVINTILIANVS Inſt. Or. L. V. c. 10. *Cum Thebas euertiſſet Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutua Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has, quia vſus erat commilitio Theſſalorum, donauit his vltro,*

fere introductum, vt ſua faciant, quae capiunt ſubditi, qui ſine ſtipendio & ſuo ſumtu ſuoque periculo rem gerunt. Interdum tamen pacta ſuper iſta re ineuntur, maxime ſi plures priuati per ſocietatem aliquam expeditionem faciant, aut lege publica pars praedae factae publico ſeponitur. Vid. GROTIVM d. c. 6. §. 24. n. 6. H.

3) Potuiſſet aliquid addere AVCTOR de Foederatis, qui & ipſi partem praedae ferre debent, quamuis in ipſo foedere nihil ea de re cautum ſit.

§. XXII. 1) Hinc chirographo capto ius debitum exigendi & accipiendi acquiſitum non eſt: nam ius illud perſonae adhaeret, & in chirographo tantum probatio debiti continetur. Vid. ſupra L. III. c. 6. §. 16. Ioach. BVRGERVS Cent. I. Obſeru. iuridic. polit. militar. 26. H.

2) Hinc captor creditoris non etiam huius nomina, licet eius oſſibus, vt loquuntur, inhaerentia acquirit. Ius enim in debitorem eſt ex mutua conuentione. H.

3) Vid. H. GROTIVS L. III. de I. B. & P. c. 7. §. 4. H.

poſtea reſtituti a Caſſandro Thebani repoſcunt Theſſalos [1]. Thebanorum rationes dicto loco adferuntur [2]. Quibus Theſſali reponere poterant: I. Quod vi iuſta ablatum eſt, hautquidquam repoſci poſſe. Conſuetudine porro gentium vim in bello ſolenni adhibitam pro iuſta reputari, adeo vt priori domino in erepta tali bello nulla praetenſio remaneat, poſtquam pacificatio interuenerit. II. Ius belli vtique aliquid valere in iis, quae in iudicium trahuntur. Sane enim poſt finitum bellum, ſi de re, quam bello adquiſiui, controuerſia moueatur, ſufficit titulum bellicae occupationis allegaſſe. III. Bello iuſto parta vel maxime etiam in pace iure poſſideri, inprimis poſtquam pacto vtrinque pax eſt conſtituta. Heic enim poſſeſſoris manere intelliguntur, de quorum reſtitutione expreſſe non fuit conuentum. IV. Cum perſona capta adquiri vtique poſſe iura illa, quae proprie & vltimato in ipſis rebus fundantur, ita tamen vt captus per conſenſum ſuum ea in me transferat: quem conſenſum intentatione grauioris mali mihi eliciendi facultas eſt. Vnde quemadmodum donare alteri poſſum actionem meam cum hoc effectu, vt debitor id aeque ipſi, quam antea mihi ſoluere teneatur: ita ſi captus conſenſu ſuo actionem ſuam in me transtulerit, vtique debitor, quod capto debuerat, mihi debere incipit. Et hoc modo Alexander creditum illud ſibi adquirere poterat [3], ſiquidem Thebas ciuitatem reliquiſſet, adactis illis, vt ius ſuum in ipſum transferrent; & reuera adquiſiuiſſe intelligitur, poſtquam citra vllius rei exceptionem Thebarum dominus factus erat. Qua ratione ius habebat id debitum a Theſſalis exigendi, aut illud iisdem condonandi. Quin & Thebanos immediate adigere poterat, vt debitum illud Theſſalis remitterent. Vnde Alexander, dum Theſſalis debiti tabulas concedit, non tam hoc agebat, ne Thebanorum ciuitas, quam ipſe delebat, aliquando debitum poſſet exigere, ſed vt teſtaretur, quod ipſe eo nomine nihil iſtos eſſet poſciturus. V. Illud falſum, quamdiu aliquis ſupereſſet ciuium, eſſe & cenſeri ipſum totius ſummae creditorem, adeoque habere idem ius, quod ciuitas habebat, exigendi, quod huic debebatur. Qui ſinguli enim de diſſoluto plane ciuitatis corpore ſuperſunt, hautquaquam ius ciuitatis

§. XXIII. 1) Vide, quae de eadem quaeſtione exhibuit TITIVS Obſeru. in Comp. Lauterb. DLCCCXXXIIX. & HOTMANNI Quaeſtion. Illuſtr. 5.

2) Pro quibus etiam calculum poſuere HOTOMANNVS Quaeſt. illuſtr. V. AYLA L. I. de Iur. militar. c. 5. H.

3) Nam imperio occupato iura ſimul publica ſunt occupata; ſub quibus vti aerarium, ita nomina quoque publica continentur. Hinc diuerſus plane caſus eſt, ſi miles priuatus chirographum occupauerit, de quo ad §. 22. dictum. Hic enim nihil acquirit, niſi quod manu cepit, abſtulit & in cuſtodiam deportauit. H.

4) V. infra c. 12. §. 8. H.

5) Cui ius, iam aliis quaeſitum, non potuit donare Caſſander. H.

§. XXIV. * Et AVCTOR de Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 16. §. 14. Add. L. VII. c. 7. §. 3. 4. GROTIVS L. III. c. 15. BVDDEVS Philoſ. Pract. P. II. c. 5. ſect. 6. §. 9. & ſeqq. & LOCKIVS de Gubernatione ciuili [illegible]5.

§. XXV. 1) Quod [illegible]re poſtliminii, quod inde dictum, quod quis ad limina ſuorum, aut amicorum redeat. Conf. BVDDEVS Philoſ. Pract. II. c. 5. ſect. 6. §. 25. & ſeqq.

2) Idque iure poſtliminii, quod in ipſa naturali ratione eſt fundatum. Quandoquidem Reges aut populi liberi, qui bellum ſuſcipiunt, credi volunt, iuſtas ſibi fuiſſe cauſas, cur id faciant: contra autem iniuriam facere eos, qui aduerſum ſe arma ferunt, ac proinde occupationem rerum eſſe iniuſtam. Quanquam Romani non pauca in eo ex vſu ſuae Reipublicae conſtituerint; quae proinde a quibusdam ad ius gentium male referuntur. Nimirum ius poſtliminii non eſt tale ius, quod gentibus inuicem intercedit, ſed eſt proprium ciuitatum, quod in illis ſummi imperantes

tis ſibi poſſunt aſſerere, cum ipſi nequaquam amplius eam ciuitatem conſtituant [4]. Patet autem Alexandrum Thebanorum ciuitatem penitus deleuiſſe, adeo vt qui cladi ſupereſſent, nequaquam pro populo aliquo poſſent cenſeri. Et qui poſt Thebanorum oppidum inſtaurarunt, nouus plane fuere populus [5]: qui ſi qua peculiaria veteres Thebani iura habuerant, nequaquam ſibi ex ſolo loco vindicare poterant, niſi de integro ea quaeſiiſſent. Quod circa illud Theſſalorum debitum factum non erat. VI. Theſſali non quocunque modo poſſeſſionem tabularum nacti erant, ſed vltro eas acceperant traditas ab eo, qui omnia Thebanorum adquiſiuerat, animo id debitum ipſis condonandi.

§. XXIV. Qua ratione in victos imperium quaeratur, docet Grotius L. III. c. 8. *

§. XXV. Videndum & paucis eſt, quomodo res bello ereptae iterum ad antiquos dominos redeant [1]. Vbi illud quam maxime aequitati naturali congruere arbitramur, vt per bellum capti, vbi manus hoſtium quocunque modo euaſerint, neque illis fide data ſint obſtricti, atque ad ſuos redierint, non modo priſtinum ſtatum, ſed & omnia ſua bona ac iura recuperent [2]. Quod autem res attinet, quamdiu bellum durat, ſi hoſtibus iterum ſint ereptae ſiue per nos ipſos, ſiue per noſtros ciues aut milites, eas ad antiquos dominos redire par eſt, non immobiles tantum, ſed & mobiles, modo liquido a nobis poſſint dignoſci. Nam cum ciuitati incumbat quantum fieri poteſt bona ciuium defendere; eiusdem quoque erit, quantum in ſe eſt curare, vt quae ipſis erepta ſunt, recuperentur. Neque obſtat, quod illa a militibus ſint recepta. Hi enim miniſtri tantum ſunt ciuitatis, & quae adquirunt, ciuitati, non ſibi proprie adquirunt. Cum autem iniquum ſit, vt iſta bona ciuibus erepta ſibi adquirat ciuitas, nihil aliud ſupererit, quam vt ea priſtinis dominis reſtituantur [3]. V. 1 Samuel. XXX, 22. ſqq. Apud Homerum Iliad. λ. praeda diuiſa memoratur inter eos, quibus res ab hoſtibus ante ereptae fuerant. Sed quid iure Romano potiſſimum circa poſtliminium ſit diſpoſitum, accurate tradit Grotius L. III. c. 9 [4].

tes ſecundum rationem naturalem, de qua modo dixi, indulgent ciuibus ſuis. Ex quibus iam ſponte ſua fluit deciſio quaeſtionis, non ſemel inter populos diſceptatae, an ſi perſona vel res captae in ciuitatem, quae neutrarum eſt partium, deueniant, libertatem iure poſtliminii conſequantur? Quod haut dubie negandum: quoniam illi, qui in bello ſunt medii, factum pro iure accipiunt, adeoque captiuitatem improbare non poſſunt. H.

3) Recte: hoc enim congruit rationi naturali, ob quam poſtliminii ius eſſe introductum modo dixi, & quae Grotius heic pro iure gentium venditat; ad ius gentium interueniens perperam referuntur. Vid. ſi libet. L. I. Paroemiar. Iur. Germ. 86. §. 2. Adde Ius Militar. Hollandic. art. 63. ſequ. Apud Romanos expulſis hoſtibus ex agris, quos ceperant, dominia eorum ad priſtinos dominos redibant, nec aut publicabantur, aut praedae loco cedebant. *L. 20. §. 1. D. de Captiu. & poſtlim. reuerſ.* At mobiles res (ſeruis exceptis, & ſi quae aliae erant ad belli vſum, veluti naues longae atque onerariae, item equi aut equae fraeni patientes) poſtliminii iure non gaudebant, ſi modo in caſtra ſiue ſtationes hoſtium fuiſſent perductae. Nam quod legimus apud Livium L. III. c. 10. L. V. c. 16. L. X. c. 20. & c. 35. dominis res reſtitutas, id non iure poſtliminii factum, ſed quia eorum eſſe nondum deſierant; quippe ad praeſidia hoſtium nondum perlata. Vid. *L. 44. D. de Acquirendo rer. domin.* Illa haut dubie mera liberalitas fuit P. Scipionis, quando capta Carthagine pronunciari per praecones iuſſit, vt Siculi ad ſua ſimulacra, quae dudum amiſerant, recognoſcenda conuenirent, eaque reciperent. Cicero VI. Verrinar. & Plutarchus Apopht. regiis. H.

4) Cui addendus Bynkershoekius Obſeruat. L. I. c. 20. & L. III. c. 6.

§. XXVI. Integer autem populus ſi vel propriis viribus, vel ſociorum armis iugum hoſtile excuſſerit, ſine dubio libertatem & ſtatum antiquum recuperat [1]. Quod ſi autem aliqua pars bonorum, quae antea ad ipſum pertinuerant, adhuc ſub poteſtate hoſtis remaneat, ad illam recuperandam praetenſionem retinet, quamdiu bellum pace nondum fuit compoſitum [2]. Sed ſi tertius aliquis ſuo nomine hoſti ſubactum antea populum bello eripuerit, hic dominum tantum mutabit, neque libertatem recuperabit. Idem quoque de parte alicuius populi eſt dicendum. Quod ſi pars populi vindicetur ab illo populo, cui tantiſper auulſa fuit, aut iſtius ſociis, antiquo iterum corpori coniungetur, & in priſtinum locum ac iura redibit. Quanquam & cum ſociis ita conueniri poſſit, vt ipſi retineant, quod quondam noſtrum hoſti eripuerint. Sicuti Demetrius malebat Philippo regnum ſibi ademtum cedere, quam id Romanis relinquere, apud Ivstinvm L. XXIX. c. 2. Sed & ſi proprio auſu praeſidia hoſtilia deiecerit, ad antiquum corpus reuertetur, nec peculiarem conſtituere ciuitatem praetendet; cum ciuitas iſta ſuo iuri ad iſthanc partem non renunciauerit.

* *

CAPVT VII.

DE PACTIS BELLICIS.

I. *Pacta, quae bellum praeſupponunt, diuiduntur.*
II. *An pacta, quae ad ſtatum belli tollendum non ſpectant, ſint valida.*
III. *Quid ſint induciae?*
IV. *De duratione induciarum.*
V. *Induciae relinquunt cauſam belli.*
VI. *Poſt inducias indictione non eſt opus.*
VII. *Induciae expreſſo pacto contrahuntur.*
VIII. *De initio & fine induciarum.*
IX. *Quando induciae obligent ſubditos.*
X. *Quid per inducias liceat, quid non?*
XI. *Quid ſi quis in hoſtico poſt elapſas inducias inuitus deprehendatur?*
XII. *Quid ſi violentur induciae?*
XIII. *De iure commeatus.*
XIV. *De captiuorum redemtione.*
XV. *De pactis ducum.*
XVI. *De pactis priuatorum in bello.*

Diſpiciendvm iam de pactis publicis, quae ſtatum belli praeſupponunt. Eorum aliqua ipſum ſtatum belli tollunt, alia eundem relinquunt, ſed aliquatenus temperatum. De his antequam ſigillatim agamus,

§. XXVI. 1) V. ſupra ad L. VII. c. 5. §. 21. H.

2) Eumenes, etiamſi fractus opibus nihil praeter arcem, in qua obſidebatur, ſuum dicere poſſet, dicebat apud Plvtarchvm in eius Vita: *Superiorem ſe agniturum neminem, quamdiu gladium manu exſertum teneret.* H.

§. II. 1) Imò hoc quoque genus conuentionum, non minus quam aliud, religioſe ſeruandum videtur, donec tempus eius praeterlapſum ſit, aut hoſtis, migrando conditiones ipſius, fide noſmet liberauerit. Quae ab Avctore adferuntur, iuſto plus probant. Nulla enim aliter ratione, bello finis imponi poſſet. Nam, eadem

Digitized by Google

agamus, in vniuerſum erit videndum de validitate poſterioris generis pactorum.

§. II. De pactis igitur, quae cum hoſte ineuntur, in vniuerſum pronunciat Grotius L. III. c. 19. ea ſeruanda eſſe. Quod quanquam omnino obtineat circa pacta, quae ad pacem tendunt; tamen circa illa, quae ſtatum belli relinquunt, neque ad eum tollendum ſpectant, res non omni caret dubio [1]. Neque enim adeo valida eſt argumentatio: hic intelligit, quid geratur, & poteſt conſentire; Ergo ex promiſſo ipſius alteri cuicunque naſcitur ius, aut ipſi aduerſus alterum obligatio. Status enim belli, vt talis, proprium agendi modum vim agnoſcit; pacis autem proprium inſtrumentum eſt fides. Igitur incongruum videtur fidem adhibere, vbi de pace reducenda aut conſeruanda non agitur; imo vbi ſtatus belli magis foueri, quam deſtrui videtur. Dein, quicum paciſcor, ab eodem poſtulo, vt fidem mihi adhibeat. Atqui implicat, poſtulare, vt alter fidem meam ſequatur, & nihilominus profiteri, me velle ipſius hoſtem manere, id eſt, qui quacunque via ipſi nocere velit. Nam hoſtilis ſtatus vtique in ſe dat licentiam nocendi alteri in infinitum. Ergo proteſtatio de non vſurpanda aduerſus alterum hoſtilitatis licentia facto videtur contraria, quamdiu quis in pleno ſtatu belli ſeſe permanſurum fert. Vnde neque locum heic habere poterit, quod ſupra traditum fuit [2], eos qui inter ſeſe paciſcuntur, eo ipſo renunciaſſe exceptionibus, quae ex alterius perſona deſumtae metum poſſent facere, ne alter fidem fallat. Nam ſi ſerio iſtis exceptionibus renunciant, iam hoſtes eſſe deſinunt: ſin de hoſtilitate adhuc continuanda aperte profitentur, ipſa res verbis eorum fidem detrahit; ac potius praeſumendum eſt, eos inter ſe inſidias ſtruere, & viam nocendi quaerere altero in ſecuritatem dato. Quo facit illud apud Procopium Hiſt. Goth. L. IV. cum legati Narſetis ad Totilam dicerent; *In quod tempus praelium condicis? ille, poſt octo, inquit, dies pugnemus. Reuerſi ad Narſetem legati audita, conuentaque renunciant. At ille fraudem Totilae ſuſpectans, parabat ſe, vt poſtero dimicaturus, neque eum feſellit ſua coniectura: ſequenti enim luce adeſt nuncium omnem praeueniens cum toto exercitu Totilas.* Quin nec alteri, qui eiusmodi pacto decipitur, nouum aliquod ius aduerſus decipientem oriri poteſt; quippe cum iam ipſa hoſtilitas aduerſus hoſtem in infinitum vim exſerendi praebeat. Quod ſi autem quis dicat, ideo ſtandum eſſe eiusmodi conuentis, ne hoſtis deceptus vehementer irritetur, & in nos deinceps acrius ſaeuiat; is hoc ipſo agnoſcit, eadem vtilitate aeſtimari. Quo referendum eſt illud Ambrosii Off. L. I. c. 29. *Si conſtitutus ſit cum hoſte aut locus, aut dies praelio, aduerſus iuſtitiam putatur, aut loco praeuenire, aut tempore. Siquidem vehementioribus hoſtibus & inſidis, & his qui amplius laeſerint, vehementior refertur vltio.* Equidem non tenemur omnem licentiam belli in hoſtem exſerere, & ſaepe,

dem de cauſſa, licitum nobis videri poſſet rumpere inducias, rite petentibus datas, & in vincula coniicere, quibus Liber Commeatus conceſſus. Equidem, quamuis de pace agamus, hoſtes nondum eſſe deſiimus, imo potius reapſe induciae tantiſper fiunt, vt adpareat, an bellum finiri queat. Quare & actus hoſtiles, ſi tractatio de Pace exitu felici deſtituatur, denuo incipiunt. Id vero facile dari Auctori poteſt, bene nobis cauendum eſſe, antequam hoſti promittamus, quoniam ad fidem fallendam procliues ſunt homines, quoties ſuis ſic conſulunt commodis, in primis quando eum talibus eis res eſt, quibus odio ipſi ſunt, quum odio eos proſequantur.

2) L. III. c. 6. H.

ſaepe, cui extrema quaequae poterant inferri, parcere cum laude eſt coniunctum. Sed tamen cum hoc fine bellum ſit conceſſum, vt iura noſtra tueamur, aut aſſeramus, vbi pacificis mediis id obtineri non poterat: igitur breuiſſimam quamque viam, qua eo pertingi poſſit, naturae quam maxime probari cenſendum eſt. Adeoque vbi per pacta illa, vim hoſtilem temperantia non niſi bellum alatur, naturae eadem repugnare manifeſtum eſt. Conf. HOBBESIVS de Ciue c. 3. §. 27. Vtut iſta ſint, tamen inter cultiores gentes, vti plura alia, ita & hoc in fauorem fortitudinis bellicae receptum [3], vt & iſta pacta valerent, quae ad ſtatum belli tollendum non pertinerent, ſed tantum ad hoſtilitatem cum aliquo moderamine exercendam ſpectarent. Qualia ſunt induciae paucarum dierum aut horarum ſepeliendis mortuis, pactum de concedendo tranſitu per noſtra praeſidia. Item vt certis locis, hominibus aut rebus plane parceretur, vt certo tempore hoſtilitas non exerceretur, vt certa inſtrumenta nocendi non adhiberentur. Sic Ad. OLEARIVS Itin. Perſici L. V. c. 20. tradit, inter Perſas & Turcas pactum eſſe, vt mercatores etiam belli tempore vtrinque tuto commercia queant exercere, & hinc inde commeare; quod vtriusque populi interſit commercia non intermitti. Scilicet expedire rebus humanis videbatur, quaedam velut commercia belli inſtituere, & in artem quaſi bellum redigere, poſtquam plurimos in bella haut neceſſaria ambitio, & habendi cupido impulit; vt ſaltem innocentibus iniuriae eo fierent tolerabiles magis, ſi non omnem ſuam licentiam ſtatus bellicus exſereret. Accedit quod bellatoribus noxia fere ſit opinio perfidiae, aut per pacta aliis illudendi; & quod cordatiores non niſi ſemel decipiantur. Prudentis tamen non fuerit, eiusmodi pactis multum confidere [4], aut in ſecuritatem ſeſe reſoluendo hoſti nocendi occaſionem praebere; adeoque ad talia citra neceſſitatem non deſcendere, niſi vbi fallenti paria reponendi facultas ſuppetat, aut alias ſatis nobis cautum ſit.

§. III. INTER pacta, quae ſtatum belli non tollunt, ſed eius actus tantum ſuſpendunt, ſunt induciae, quae ſunt conuentio, per quam bello manente, ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt. Quae definitio illuſtratur a GROTIO L. III. c. 21. §. 1. Nam vtique ad plures annos induciae ſolent dari. Vbi tamen pro excuſando Varrone & Paulo [1] dici poſſit [2], eos ob oculos habuiſſe illas duntaxat inducias, quae manentibus vtrinque in expeditione exercitibus ſolent iniri [3]; quae regulariter non niſi paucorum dierum ſunt: non autem

3) Ita ergo ex ſententia AVCTORIS. (Vid. ſupra L. II. c. 3. §. 23.) pacta iſthaec, vi iuris non obligabunt. Quod minime admittendum cenſeo. Nam in pactis eſt iuris translatio, adeoque in iis aliquid plus eſt, quam in ſola teſtatione. Vnde cadit argumentum AVCTORIS praecipuum: hoſtilem ſtatum licentiam nocendi dare in infinitum: id enim verum eſt, quousque alter, qui ſe hoſtem ferebat, iſtud ius non abdicanit, vel omnino vel ex parte. Conf. AVCTOR L. IV. c. 1. §. 19. H.

4) Atqui AVCTOR hanc cautionem etiam in foederibus commendat L. III. c. 6. §. 9. in fine: quae tamen obligare non eſt dubium. Caeterum idem monitum eſt POLYBII L. VIII. Hiſt. c. 2. Τοῖς μὲν γὰρ ἀσκέπτως ἑαυτοὺς ἐγχειρίζουσι τοῖς ὑπεναντίοις ἐπιτιμητέον· τοῖς δὲ τὴν ἐνδεχομένην πρόνοιαν ποιουμένοις ἐγκλητέον· τὸ γὰρ μηδενὶ πιστεύειν εἰς τέλος ἄπρακτον. *Nam illi quidem demum reprehenſione digni ſunt, qui temere ſuorum hoſtium fidei ſe permittunt: illi vero non ſunt culpandi, qui prouide prout poſſunt ſibi cauent: nam credere quidem prorſus nemini, amittere eſt facultatem rerum gerendarum.* H.

§. III. 1) Induciae *ſunt, cum in breue & in praeſens tempus conuenit, ne inuicem ſe laceſſant.* L. 19. §. 1. D. de Captiu. & de poſtliminio.

Digitized by Google

tem illas, quibus totus belli adparatus diſſoluitur, & quae intra praefinitum tempus plenae pacis inſtar gerunt; praeſertim vbi iſthaec clauſula ſit expreſſe induciis inſerta, vt interea de plena pace conſtituenda tractetur. Obſeruandum autem eſt & hoc, licet induciae poſterioris generis regulariter complectantur omnes ditiones vtrinque belligerantium; conueniri tamen ita poſſe & ſolere, vt certis duntaxat in locis induciae obſeruentur, in aliis autem bellum poſſit geri, verbi gratia, populi Europae, qui in India orientali aut occidentali terras poſſident, inducias concludere poſſent per Europam valituras, bellum autem in Indiis continuare [4].

§. IV. Hoc loco quaeri poteſt: ſi certus terminus temporis ſit paci additus, puta in annos XX. XL. an pro induciis illud ſit habendum. Nobis videtur omnem pacem ſua natura aeternam eſſe, id eſt, quandocunque pax initur, partes ita paciſcuntur, quod ſuper illis controuerſiis, ex quibus bellum extitit, nunquam deinceps arma ſint mouenda; ſed quod vel illae iam penitus tollantur, vel ad arbitros aut amicabilem compoſitionem reiiciantur. Vnde pax iſta aeterna hautquidquam rupta cenſebitur, etſi poſt inter eosdem bellum ex noua, & a priori diuerſa cauſa oriatur. Neque enim paci aeternae ineſt obligatio, alterius iniurias citra reſiſtentiam in perpetuum deuorandi. Hinc licet vocabulum pacis adhibitum reperiatur, ſi tamen certum tempus fuerit additum, quo vsque illa debeat durare, nec controuerſia, ex qua bellum ſurrexit, penitus ſit ſublata, induciae duntaxat erunt, per quas interea officia pacis inuicem ſint exercenda. Sic apud Ivstinvm L. III. c. 7. Lacedaemonii in annos L. pacem pepigiſſe dicuntur [1]; ſed mox cum poſt ſexennium bellum recruduiſſet, *inducias* rupiſſe arguuntur. Ex aduerſo abſurdum videtur, verbi gratia, Romulum cum Veientibus ad centum annos inducias feciſſe, apud Livivm L. I. c. 15. (quanquam ſimpliciter Dionysivs Halicarnassevs L. II. [c. 55.] *σπονδὰς foedera* adpellet.) Cum nulla videatur iniuria dari, quae non tanto temporis ſpatio vltro velut exoleſcat, ſic vt eius perſecutionem vltra ſeculum reiicere abſurdum ſit [2]. Quod enim apud Evndem L. VII. c. 20. *populo Caeriti pax data* dicitur, ſed *inducias in centum annos factas in SCtum relatum* fuiſſe; id ideo factum crediderim, ne manifeſtam iniuriam ita ſimpliciter condonando auctoritati ſuae quid Senatus detraheret [3]. Apud Sozomenvm Hiſt. Eccleſ. L. IX. c. 4. Theodoſius II. cum Perſis inducias in centum annos pepigiſſe dicitur.

2) *L. 19. D. de Captiu. & poſtlim. reuerſ.* H.

3) Dicunturque hodie armiſtitia. Donatvs ad Terentii Eunuchum: *Induciae ſunt pax in pauces dies, vel quod in diebus dentur, vel quod in dies otium praebeant.* H.

4) Hoc Hiſpani *prodigio* aiebant *ſimile*, apud H. Grotivm L. XVII. Hiſtor. Belgic. ad A. MDCIIX. Plane vt olim Argiuorum poſtulatum Lacedaemoniis ſtultum videbatur, vt Cynarius ager medius inter Argos & Spartam belli maneret materia, teſte Thvcydide L. V. Hiſtor. H.

§. IV. 1) Et Guſtauus Sueciae Rex cum Chriſtiano Daniae Rege in idem tempus, apud Loccenivm L. VI. Hiſtor. Suecan. ad A. MDXLI. H.

2) Itaque tales vſi cenſentur *συνεχῶς*, qua certum tempus pro incerto ponitur. H.

3) Plane vt Henricus VII. Angl. Rex cum populis pacem auerſaretur, inducias palam inibat cum Iacobo III. Scot. Rege, easdemque in vim pacis clam efformabat. Baco de Verulam. Hiſtor. Henrici VII. H.

citur. Sic & pacis in centum annos inter Ambraclotas & Acarnanes mentionem facit DIODORVS SICVLVS L. XII. c. 60. Sic Ferdinandus Catholicus & Alphonſus V. rex Luſitaniae pacem fecerunt in annos centum & vnum [4], apud CONNESTAGIVM de Vnione Luſitan. L. I.

§. V. CVM igitur per inducias ſtatus belli maneat, id quod fieri nequit, niſi manente praetenſione, & nondum compoſita controuerſia, ob quam bellum fuit exortum; patet abſurde peti *, vt alter quidem inducias mecum ineat, & tamen omni praetenſioni aduerſus me renunciet. Hoc enim ſi fiat, quid ad pacem amplius deeſt? aut quare mihi velim reſeruare licentiam poſt elapſum certi temporis ſpatium ſine cauſa bellum renouandi? Vid. BAVDIVS de Induciis belli Belgici. p. m. 118.

§. VI. SED & hoc ex natura induciarum patet, ſi poſt illas elapſas ad arma iterum ſit redeundum, noua indictione belli opus non eſſe [1]. Conf. GROTIVS L. III. c. 21. §. 3. Nihilominus in longioribus induciis, & quibus adparatus belli fuit plane ſolutus; quibusque regulariter clauſula haec ineſt, aut ſaltem ineſſe debet, vt interea de controuerſia penitus tollenda tractetur; ſi non neceſſarium, ſaltem decorum fuerit [2], aliquam denuo praemittere indictionem conditionatam, vt teſtemur nos bello non delectari, neque per nos ſtetiſſe, quo minus plena pax coiret.

§. VII. ID quoque monendum, inducias, quarum quidem ſeruandarum aliqua ſit obligatio, non niſi pacto expreſſo contrahi, aut per tales actus amicitiae pacique ſimiles, qui ad nullam aliam cauſam poſſunt referri; etſi tractatus de pace per ſe vim induciarum non habeant, niſi expreſſe ſit conuentum. Vnde ex eo ſolo, quod ab exercendis actibus hoſtilibus ego aliquantiſper abſtinuerim, hoſtis hautquidquam recte concludit, me cum ipſo in inducias conſenſiſſe. Nec ſi poſt eiusmodi quietem, qua ipſum in ſecuritatem dedi, eundem de improuiſo inuadam, fidei tacitae violatae me poteſt arguere. Et hoc modo ſunt explicandi auctores, qui intermiſſum hoſtilitatis exercitium ad aliquod tempus citra pactum, induciarum tacitarum vocabulo ſolent notare. Vid. IVSTINVS L. VI. c. 7. LIVIVS L. II. c. 18. & c. 64. & L. XXIII. c. 40. Quorum locorum ſenſus

4) Baiazetes Turcarum Imperator cum Venetis in centum annos & vnum diem. CROMERVS L. XXX. Rer. Polonic. ad A. MD. H.

§. V. * Simul quoque hinc intelligitur, bellum quod inducias ſequitur, non nouum, ſed inſtauratum eſſe. Cuius obſeruationis vſum ſub exemplo docet Richard. ZOVCHAEVS Part. II. Iur. fecial. ſect. 9. quaeſt. 47. H.

§. VI. 1) Eam ob cauſam Guſtauus Adolphus Rex Sueciae Polonis bellum per Feciales indicere, vt Poloni ipſi exprobrabant, indicere non iudicauit neceſſarium apud LOCCENIVM L. VIII. Hiſt. Suecan. ad A. MDCXXX. H.

2) Vid. ſupra ad c. 6. §. 9. H.

§. VIII. 1) Maxime cum ipſe GROTIVS d. l. §. 4. n. 2. dicat, temporis productionem fauorem in ſe habere. H.

2) PVFENDORFII ſententia Grotianae praeferenda videtur, vtpote quieti producendae, quam contrahendae aptior. Optime fecerint paciſcentes belli Duces, ſi ambiguae diſceptationi diſertis verbis modum poſuerint. Quod ad reliqua, etſi hi inducias obſeruare debeant a momento interpoſiti pacti; ad ſubditos tamen eae non antea pertinent, quam quidem ipſis innotuerint. Quare nec Nulli ſunt actus hoſtiles, interea ab iis commiſſi, nec vlla indemnitas peti poteſt ab iis, quibus damnum illatum, etſi aliud viſum ſit GROTIO III. 21. 5.

§. IX. * Omiſit h. §. perinde ac 13. Celeb. BAR-

ſus eſt, per iſtud tempus hoſtes bona fide quieuiſſe non ſecus, ac ſi ſuper ea re conuentum fuiſſet.

§. VIII. De tempore, quo induciae circumſcribi ſolent, vid. Grotius d. l. §. 4. Vbi tamen id probare non poſſumus, quod tradit; a quo die menſura aliqua temporis incipere dicitur, is dies intra menſuram non erit; quia praepoſitionis *a* vis eſt diſcernere, non coniungere. Nam initium vtique maxime eſt pars rei. Vnde ſi ita conuentum ſit: induciae erunt in decem dies a calendis Iuliis; ſane nemo hoc aliter interpretabitur, quam illas calendas induciis quoque comprehendi [1]. Neque ſemper voculae *a* vis eſt diſcernere eam rem, cui adponitur, a ſequente; ſed ſaepe etiam initium notat in aliqua re comprehenſum. Quid notius illis locutionibus a capite ad calcem, ab ouo ad mala? [2]

§. IX. Qvando * induciae ſubditos potiſſimum vtrinque bellantium obligare incipiant, docet Grotius d. l. §. 5.

§. X. Qvantvm per inducias liceat, quantum non liceat, enumerat Grotius d. l. §. 6. ſeqq. Vbi tamen arbitramur, in quauis induciarum ſpecie actus mere defenſiuos eſſe licitos *, licet forte ſub alio praetexto induciae ſint petitae & obtentae. Vnde non erit illicitum, verbi gratia, ſi tantum ſepeliendorum hominum cauſa datae ſint induciae, ſeſe in locum tutiorem recipere, aut munitionibus circumdare. Aut ſi obſeſſi per inducias ſibi tantum ſtipulati ſint, ne oppugnentur, auxilia ab iisdem & commeatus admitti. Nec Grotii d. l. §. 10. ratio videtur ſufficere: *Cum illae induciae alteri partium proſint, non debere interim eius, qui dedit, cauſam duriorem facere.* Nam cum nullo pacto ius ſeſe defendendi ſoleat abdicari, ipſe qui tales inducias conceſſit, ſuae facilitati & imprudentiae adſcribat, qui non ſatis cauit, ne hoſtis ſeſe interim confirmare poſſet. Vid. Xenophon Orat. de Ageſilai laudibus, [c. 1. §. 10. 11. Edit. Oxon.] & Cornel. Nepos Ageſilao, c. 2. de induciis Tiſſaphernis cum Ageſilao: vbi arbitramur, ſi reuera iſte regi ſuo ſignificauit, an aliqua ratione ipſi cum Lacone conuenire poſſet, periurii eum ideo ſolum non eſſe reum, quod in omnem euentum arma parauit. Add. quoque Montagne Eſſais L. I. c. 16.

§. XI. Finitis induciis, quod qui vi maiore impeditus intra fines hoſtium deprehenditur, retineri queat *, docet Idem d. l. §. 9.

Barbeyracvs, quoniam remiſſiones, quas continent ad Grotium, in notis exhibuerat.

§. X. * An ſub iis actibus contineatur, in locis, de quibus controuerſia eſt, munitiones extruere? Vid. diſceptationem apud Avctorem L. XIX. Rer. Brandenburg. §. 56. 57. 58. ad A. MDCLXXXVII. Singulare eſt, quod de induciis inter Hungaros & Turcas Paulus Iouius Hiſtor. L. XXXVI. obſeruauit: *Ex inueterata conſuetudine in finibus minuta praelia & extraordinarias incurſiones eos admiſiſſe: niſi iuſtis copiis cum iuſto tormentorum muralium apparatu vis inferretur.* H.

§. XI. * Recte tamen Bvddevs Philoſ. Pract. P. II. c. 5. ſect. 7. §. 16. addit, humanitatis eſſe, vt hoc hominum genus potius dimittatur: vtpote qui vim maiorem, tanquam caſum fortuitum, praeuidere, adeoque cauere nequiuerint. Multum autem intereſt, inter eos, qui in eiusmodi Principis regionibus verſantur, qui confeſtim Reipublicae ipſorum bellum declaret, & eos, qui, finitis induciis, in terris hoſtilibus caſu fortuito detinentur. Inter illos enim, & Principem, in cuius terris deprehenduntur, nulla interceſſit conuentio: quum contra poſteriores id demum petant, quod vi induciarum conſequi potuiſſent, niſi caſus conſilia eorum turbaſſet. Quandoquidem enim exploratum eſt, liberum commeatum iis ſecedere volentibus ipſo induciarum tempore praeſtari debuiſſe; idem iis poſt inducias quoque permitti

§. XII. Si fides induciarum ab altera parte rumpatur, laeſo liberum eſt ſine indictione ad arma redire. Quanquam & ſi velit ad induciarum terminum quieſcere poſſit. Quod ſi de certa poena ſit conuentum, exſoluenda ab eo, qui prior inducias violauit: vbi illa poſtulatur, & perſoluitur ab eo, qui contra inducias fecit, iam bellandi ius non eſſe patet. Nam ideo multa ſoluitur, vt caetera ſalua maneant [1]. Contra ſi laeſus bellum moueat, a poena receſſiſſe intelligitur. Etſi & illud pacto repugnet, neglecta poena ſtatim ad arma ruere. Nam regulariter non ita ſolet conueniri, vt optio ſit alteri [2], poenam commiſſam accipere, an arma reſumere velit. Vid. Grotivs dicto loco §. 11. 12.

§. XIII. De pactis circa indulgendum commeatum, ſeu praeſtandum ſecurum itum & reditum per loca hoſti infeſſa, & quomodo iſta ſint interpretanda, plene docet Grotivs dicto loco §. 14. ſeqq.

§. XIV. Pacta circa redemtiones captiuorum apud Chriſtianos multum habent fauoris, praeſertim ſi quis apud barbaros captiuus detineatur, in quorum redemtionem etiam ſacra vaſa recte conflantur. Vid. *L. 21. C. de SS. Eccleſ.* [1] Gratianvs cauſ. 12. quaeſt. 2. c. 13. 14. 15. Etſi moribus Romanorum ſecus erat, de quibus vid. Livivs L. XXII. c. 59. 61. Horativs Carm. L. III. Od. 5. Silivs Italicvs L. X. [v. 654. 655.] *Noxam ſuperauerat omnem Armatum potuiſſe capi.* Apud Evtropivm L. III. [c. 6. num. 2. Edit. Cellar.] Hannibali, qui Romanis captiuos, vt redimerentur, obtulit, a ſenatu eſt reſponſum: *eos ciues non eſſe neceſſarios, qui cum armati eſſent, capi potuiſſent.* Plato quoque de Republ. L. V. [p. 662. B. Ed. Wechel. Ficin.] *Τὸν ζῶντα εἰς τὲς πολεμίες ἁλόντα ἆρ' ἐ δωρεὰν διδόναι τοῖς θέλεσι, χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅ, τι ἂν βέλωνται; κομιδῆ γε. Eum qui viuus ab hoſtibus captus fuerit etiam gratis reddere volentibus relinquendum, vt praeda quomodocunque lubet vtantur? Omnino.* Qvintilianvs Declam. 339. *Longe feliciſſimum in bellis eſt vincere: fortiſſimum, ſi victoria non detur, pro cauſa mori. Eſt tamen tertium aliquod inter dedecora,*

mitti oportet, ſi adpareat, in poteſtate eorum non fuiſſe, vt conditione induciarum vterentur. Aliud ſi dicamus, induciae hae in euentibus quotidianis decipularum inſtar, erunt, quibus homines innocentes, ſine vlla ſua culpa, in hoſtium manus tradantur.

§. XII. 1) Id quod etiam legibus Romanis congruit *L. 115. §. fin. D. de Verb. Obligat. L. 4. §. 7. de Doli mali & metus except. L. 14. C. de Pact. L. 37. L. 40. C. de Tranſact.* H.

2) At ſecundum regulam Romani iuris contrarium dici oportet *L. 10. §. 1. de Pactis L. 28. pr. de Action. emt. d. L. 40. C. de Tranſaction.* H.

§. XIV. 1) *Nam ſi neceſſitas fuerit in redemptione captiuorum, tunc & venditionem praefatarum rerum diuinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus, quoniam non abſurdum eſt, animas hominum quibuscunque vaſis vel veſtimentis praeferri.*

2) Quam rationem, Iure ſtricto probandam cenſerem, & ſi aliud videatur Hertio. Quum enim *Spoliari*, & omnibus quae ſecum habet priuari Iure belli captiuus poſſit, recte Muſachius cauſſabatur, hos nummos ſibi iam cum perſona acquiſitos eſſe. Neque id aliter hodie fert mos militaris. Conf. de caeteris Boecleri miles captiuus in I. Vol. Diſſertat. quae A. 1700. iunctim publici iuris factae ſunt.

3) Recte. Nam qui agit cum captiuo, vt ſe liberet, is pretio quod ſtipulatur, contentum ſe fore declarat; vt adeo eo ipſo momento poſſeſſionem rerum, quas cum perſona nactus erat, amiſiſſe videatur. V. *L. 3. §. 6. D. de A. vel A. poſſeſſ.* Quae ratio tanto magis valet inter populos, quos inter ſeruitutis vſus deſiit. Eoque inprimis ſpectaſſe Grotius videtur, cui alioquin non temere contradixit Zieglervs. Reliqua, quae ad

decora, in patriam certe redire, & ſi vincere non detur, effugere. Poteſt enim credi qui hoc fecit, ad ſecundam ſe aciem ſeruaſſe, & victum aduerſis animum repoſuiſſe. Ille vero qui ſe inter virtutem hoſti dedit, qui abiectis armis paratas in vincula praebuit manus, quam tandem nobis ſpem in poſterum facit? Quae ſpes in milite reſidua eſt, ſi nihil potius fuerit, quam capi? Quae circa iſthaec obſeruanda ſint, docet GROTIVS dicto loco §. 23. ſeqq. Vbi ad §. 28. addimus, quod apud Marinum BARLETIVM de vita Caſtriotae L. VII. memoratur, cum captus adoleſcens barbarus Muſachio praedae nomine conceſſus cum ipſo conueniſſet de CC. aureis loco lytri, eum mox iſtos ex veſte depromtos victori numeraſſe. Qui recuſauit eum dimittere, cauſatus, iam ſibi iſtos numos cum perſona adquiſitos [1]. Sed re ad Caſtriotam delata, ipſe pro barbaro pronunciauit [2].

§. XV. DE pactis ducum, & quid circa illa obſeruandum, tradit GROTIVS L. III. c. 22. [1] Vbi tamen ad §. 8. notandum: breuiores duntaxat inducias concedere ducum eſſe [2], non autem tales, quibus adparatus bellicus plane diſſoluitur. Hoc enim eſt ſummorum imperantium.

§. XVI. DENIQVE quouſque priuati in bello cum hoſtibus paciſci queant [1], docet IDEM L. III. c. 23. Quibus addi poteſt mos Anglis & Scotis quondam receptus circa iſthaec pactorum genera [2]. *Si quis ad diem dictum non redeat, haec poena eſt. In congreſſibus, quae ob res reputandas fieri ſolent, qui deceptum ſe queritur, manus effigiem aut chirothecam in haſta oblonga omnibus conſpicuam circumfert. Ea ſumma apud ipſos infamia habetur: adeo vt, qui fidem violauere, amicis propinquisque fiant deteſtabiles: nec paulo honeſtior eos conuictu, ſermone, aut domo ſua dignetur.* BVCHANANVS Rer. Scotic. L. IX. Notabile quoque eſt pactum militis Gothi & Romani, qui in eandem foueam inciderant, apud PROCOPIVM Hiſt. Goth. L. I. [c. 1.] qui mutuam inuicem ſalutem ſtipulati ſunt; quorum conuentionem Gothi ratam dein habuerunt.

ad hoc argumentum pertinent, fuſe perſecutus ſum *Comment. de Lytro ſect. 2.* H.

§. XV. 1) Vtique ſcilicet Princeps obſtringitur ad ſeruandum conuentiones, factas a Ducibus ſuis bellicis, tanquam perſonam ipſius repraeſentantibus, modo eae nihil contineant, quod limites egreditur muneris ipſorum, aut mandatorum quae iis data ſint, latitudinem. Neque intereſt, vtrum de Mandatorum ſumma omnibus, an iis tantum, quibuscum egerunt, conſtet. Imo, etſi conuentio ab initio contra voluntatem Principis facta, deinde ab eo expreſſe, vel tacite ratihabeatur, palam eſt, conſenſum Principis retrotrahi debere. Conuentionem Ducis ſui ſeruare quoque Princeps tenetur, ſi is iuſſa ſecreta ſua migrauerit. Dux enim culpae reus eſt, non illi, qui cum eo pepigerunt, & ſi aliter fieret, facile eludi poſſet vis omnis generis conuentionum. Conf. GROTIVS L. III. c. 22.

2) Petr. BELLINVS Part. V. de Re militari tit. 1. *Communis eſt*, inquit, *Doctorum opinio, Ducem non poſſe treugas* (ita barbare inducias vocant) *facere, niſi ſit treuga breuis.* Vbi exempla addit. V. & TACITVM XV. Ann. 5. H.

§. XVI. 1) Quod genus conuentionum pro valido haberi nequit, niſi quatenus conſenſu expreſſo tacitoue Reipublicae vel Principis coaluerit: quo caſu Princeps illos, qui eas inierunt, ſi in fide praeſtanda negligenter ſint, ad eam implendam cogere poteſt. Leges autem & Mandata Principum ita ſemper explicari debent, vt nihil contineant, quod ſupra vires humanas ſit.

2) Cui non multum diſſimilis mos hodie vſitatus, quando promiſſor fidem deſtituens publice infamis declaratur, & interdum eius nomen patibulo affigitur, teſte HOIERO ad Ius militar. Brandenb. art. 70. H.

Digitized by Google

CAPVT VIII.
DE PACTIS PACEM REDVCENTIBVS.

I. *An pacta pacis infirmentur per exceptionem metus?*
II. *An cum rebellibus valide pax ineatur?*
III. *Quatenus in pace bona priuatorum condonari poſſint.*
IV. *Terminus implendae pacis ſtricte interpretandus.*
V. *Quid ſi pax referatur ad euentum praelii?*
VI. *Obſes in principis locum ſuccedens non amplius tenetur.*
VII. *De ſponſoribus pacis.*

De pactis, queis bellum plane finitur, ita plene exſecutus eſt Grotivs L. III. cap. 20. vt vix quidquam niſi per modum ſpicilegii addere liceat. Circa quae praecipua eſt quaeſtio: num illa poſſint reddi irrita per exceptionem metus iniuſte incuſſi? Id quod circa bella ſolennia negat Grotivs L. II. c. 17. §. 20. & L. III. c. 19. §. 11. cum contrarium iure gentium ſit receptum ideo, quod alias eiusmodi bellis, quae valde ſunt frequentia, nec modus nec finis potuiſſet imponi; id quod tamen fieri generis humani interſit. Etſi ſalua conſcientia bello iniuſto extortum retineri nequeat. Enimuero vti de reſtitutione quidem dubium non eſt: ita nondum adeo liquido conſtat de iure aliquo gentium, per quod non liceat contra victorem iniuſtum exceptionem metus opponere. Et ſi vel maxime tale ius extaret, non tamen tranquillitati generis humani multum videtur deceſſurum, ſi iſtud negligatur. Nam, tradente Grotio, belli ſolennis, qualemcunque habeat cauſam iuſtificam, hic eſt effectus, vt dominium, quod ipſe vocat, externum rerum hoſtilium adquiratur [1]. Si quis ergo ſolenne bellum antea victori poſt intulerit, vtut nullam iuſtificam belli cauſam praeter metum illum habuerit; vbi fortuna arriſerit, non amiſſas modo per iniuſtum bellum res, ſed & omnia hoſtis bona adquiret. Inde ſimplex valde eſt, ſi quis iniuſta vi quid alteri extorſit, qui alia ratione quam vi poſſeſſionem ſuam magis ſtabiliri credit. Non minus ineptus, qui alterum per iniuſtam vim ad duras pacis leges adegerit, ni ſtatim, quamdiu adhuc alterum oppreſſum tenet, exſecutionem pacis fieri curet; ſed ſolo victi pacto adquieſcat, eumque in tali ſtatu relinquat, vt malum, quod paſſus fuit, reponendi ſit facultas. Vid. Gvicciardinvs Hiſt. L. XVI ſub

§. I. 1) Intelligit autem Grotivs ius proprietatis, quod tantum in iudicio humano, & quidem coactiuo, valeat, ita, vt nemo vi vti poſſit ad recuperandam rem, quae hac ratione poſſidetur, etſi non intercedat vir eruditiſſimus, quo minus eam reſtituamus ex pudore conſcientiae. Vid. eius L. III. c. 7. §. 6. & c. 10. §. 5.

2) Supra L. V. c. 9. §. 3. H.

3) Supra L. III. c. 1. §. 7. Et hic locum habet, quod eſt in *L. 20. pr. D. Quod met. cauſ. hos ſibi ipſis metum inſuliſſe.* H.

Digitized by Google

ſub fin. & L. XVII. ſub init. Ergo verius videtur, eum, qui bello iniuſto petitus, poſtquam ad pacificam diſceptationem ſeſe obtulit, & bellum deprecatus eſt, ad iniquam pacem adigitur, nullo iure prohiberi, quo minus paci nondum impletae exceptionem metus opponat; aut poſt occaſione data reparationem iniuriae quaerat. Sicuti & POLYBIVS L. III. c. 30. pronunciat, iuſtam fuiſſe Poenis cauſam belli ſecundi in Romanos ſuſcipiendi, eo nomine, quod quondam ipſis inter res domi ancipites verſantibus Sardiniam, & magnam vim pecuniae Romani extorſiſſent. *Καιρῷ γὰρ πεισθέντες, ἠμύνοντο τοὺς σὺν καιρῷ βλάψαντας. Occaſione enim inuitati, vltum iuerunt eos, qui per occaſionem temporum ipſis nocuerant.* Aliter tamen dicendum fuerit [2], ſi inter belligerantes ab initio contractus velut aleae fuerit initus. Id quod fieri intelligitur, quando de cauſa nondum liquida reiectis mediis pacificis ad arma protinus conuolatur, aut perſecutio iniuriarum, praetenſionumque, quae via iuris aut per tranſactionem haberi poterat, euentui belli committitur. Heic enim aperte Mars arbiter ſumitur, & hoc animo vtrinque in bellum deſcenditur; aut bello ius iniuriamue aſſeram, aut plura perdam. Hoc ſane modo qui in bellum ruunt, vbi aduerſi quid patiantur, non magis de iniuria ſibi facta conqueri poſſunt, quam ſi qui ex condicto in duello pugnans vulneratur [3]. Sic vt qui heic ſuccumbit, adplicare ſibi debeat illud PLAVTI Amphitruone Act. 1. Sc. 1. [v. 240.] *Vt lubet, quod tibi lubet fac, quoniam pugnis plus vales.* Conf. *L. 3. §. 3. D. de Iniuriis, & L. 7. §. 4. D. ad L. Aquiliam.*

§. II. ILLA quoque quaeſtio varie agitatur; an pax & tranſactio cum ciuibus rebellibus a ciuitate, eorumue rectoribus ſit ſeruanda? GROTIVS L. III. c. 19. §. 6. ſeqq. affirmatiuam ſat copioſe deducit. Nobis autem planius ita dicendum videtur. Subditos rebelles qui per vim in ordinem redegit, quid de ipſis ſtatuat, ipſe viderit. Sed ſi per pacta res componatur, ipſa negotii natura oſtendit, regem rebellibus gratiam delicti facere; ſic vt obtentu rebellionis pacta nequeant irrita reddi *. Rebelles autem per eam pactionem de integro ciuitati coniungi, eique obſequium ſpondere intelliguntur; cuius ſui obſequii velut conditionem praeſupponunt obſeruantiam eius pacti a ciuitate praeſtandam. Sic vt in regnis potiſſimum illud vim capitulationis aut legis fundamentalis obtineat. Iis tamen, qui ideo rebellant, vt principi cupita extorqueant, bene obſeruandum illud GRAMONDI Hiſt. Gall. L. II. *extra fidem regi debitam nihil eſt praeſidio ſubditis.*

§. III. QVANTVM circa condonanda priuatorum bona per pacificationes ciuitati liceat, ex indole dominii eminentis intelligitur. Cuius vi vtique bona priuatorum, quocunque titulo quaeſita, pro neceſſitate Reipublicae aut magna ipſius vtilitate poſſunt tradi; ita tamen, vt ciuitas iſtud damnum tenea-

§. II. * Contrarium ſuaſit Boxhornius L. I. Inſtit. Polit. c. 14. §. 19. & LIPSIVS, refutatus propterea a THOMSONO & LOCCENIO in Animaduerſ. ad Lipſium. At nos cum AVCTORE facimus (v. ſupra L. III. c. 6. §. 11.) Niſi ſingulares cauſae ſint, propter quas pacta huiusmodi reſcindi aequitas ipſa ſuadeat. Quales quidem occurrebant in pactione Maximiliani I. Regis cum Flandris, quas in ſolenni Procerum Imperii iudicio diſcuti curabat Fridericus III. Imperator, apud Sigismundum a *Bircken Oeſterreichiſchen Ehrenſpiegels* L. V. c. 38. ad A. MCCCCLXXXVIII. H.

teneatur priuatis ſarcire, de publico vel ſtatim, vel vbi ſoluendo eſſe coeperit [1]. Caeterum illa diſquiſitio, vtrum bona ciui priuato ſint auferenda aut condonanda, in monarchia ad regem ſpectat: vt autem ſingulis damnum hoc modo extra ſuam ratam ſarciatur, vniuerſitas ciuium obligatur rege exigente. Aſt exteri, quibus ea bona traduntur, non opus habent inquirere, ex vſu ciuitatis fuerit, nec ne, illa ſibi tradi; ſed ſufficit illis ad dominium legitimum adquirendum factum regis, tum ob praeſumtionem, quae actus regis comitatur; tum quod nulla ratio foret cum extraneis tranſigendi, niſi fixum foret, rite geri, quae a capite ciuitatis geruntur. Porro vti eiusmodi bona hoſti conceſſa, ſic & damna priuatis ab hoſte data per reliquos ciues pro viribus ſarciri lex ſocietatis ſuadere videtur [2]; praeſertim ſi nulla ipſorum peculiari culpa bellum excitum fuerit. Vid. *L. 52. §. 4. D. pro Socio & t. t. D. de Lege Rhodia de iactu.* Etſi ſatis apertum ſit, vbique fere miſeros ciues eiusmodi damna inter fatales calamitates referre iuberi.

§. IV. Si tempus praefigatur, intra quod conditiones pacis debeant impleri, illud ſtrictiſſime fuerit interpretandum. Sic vt ſtricto iure non admittatur purgatio morae * ob breue tempus, niſi vis maior impediuerit, aut omnis doli ſuſpicio abfuerit. Ratio eſt, quia etiam breue tempus ad magnas rerum conuerſiones valere poteſt. Si igitur ad implendas pacis conditiones alteri mora indulgeretur, facile foret occaſionem nanciſci a pactis reſiliendi. Accedit quod alter exercitum, qui vtique magno ſumtu ſuſtentatur, non prius tuto poſſit dimittere, quam conditiones pacis fuerint impletae.

§. V. Qvandoqve pactiones pacis [1] referri ſolent ad euentum alicuius pugnae, inter ſingulos, binos, ternos, pluresue, aut integros quoque exercitus ineundae. Vbi ardua eſt quaeſtio [2], an fortuna totius ciuitatis aleae eiusmodi praelii recte committatur? Equidem videtur hoc modo parci ſanguini humano, & calamitates belli velut in compendium mittuntur. Sed contra ſatius videtur vel cruento bello defungi, quam libertatem & ſalutem ciuitatis per eiusmodi duellum ſimul & ſemel perdi [3]; cum ex aduerſo etiam poſt vnum atque alterum infelix praelium fortuna belli reparari queat. Quod ſi tamen nulla ſpes boni euentus ſit [4], ſi viribus totius ciuitatis certetur, tanquam e malis minimum admittente hoſte eiusmodi ſingularis pugna ſuſcipietur. Sed & vbi principes non de iuribus ciuitatis, ſed propriis ſuper negotiis bellum gerunt;

§. III. 1) Supra c. 5. §. 3. H.

2) Diſſentiunt heic non temere Vasqvivs L. I. Controu. illuſtr. c. 4. n. 11. cum multis quos profert, & Zieglervs L. I. de Iure maieſt. c. 4. §. 5. Nam nihil commodi ex facto hoſtium in ciuitatem redundat, adeoque nec de vi maiore, qualis eſt hoſtium incurſus, teneri ciuitas poteſt. Quod ſi dicas cum Avctore damna illa ſocietatis cauſa contigiſſe, & aequitatem velle vt reſarciantur. Negabunt diſſentientes, ciues coëundo in ſocietatem ciuilem ad omnia damna reparanda ſe voluiſſe obligare. Nam damna ex chaſmate, incendiis, furtis & ſimilibus, caeteri ciues non repenſant. Ergo nec illa, quae facto ciuitatis non contigerunt, praeſertim cum res pereat ſuo domino, nec dici poſſit, periiſſe illi, cuius non fuit. Licet autem ciuitas bellum gerat, tamen iure id ſuo facit, & par ab hoſte expectare periculum cogitur. H.

§. IV. * Grotivs L. III. de I. B. & P. c. 20. §. 25. H.

§. V. 1) Vid. Bvddei Iurisprudentiae Hiſtoricae ſpecimen a §. 21. ad §. 30: Quae conſuetudo adeo apud veteres inualuerat, vt inuenti ſint Principes, qui Regnum amiſerint, quod hanc conditionem ſubire detrectarent. Ita poſteritas Theſei regno Athenarum deturbata fuit. Conon Lib. XXXIX. apud Phot. Cod. 186. Vid. Perizonivs de Praetorio p. 6. 7. Ed. 1696.

Digitized by Google

gerunt; facile concedere poſſunt ciuitates, vt iſti inter ſe ſingulari pugna decernant. Exemplum vid. apud DIODORVM SICVLVM L. IV. c. 60. DIONYSIVS HALICARNASSEVS L. III. [Antiq. R. L. III. p. 149. 150. Ed. Sylb. c. 13. p. 144. Ed. Oxon.] *Duces ſi proprium afferant principatum, honeſte ac neceſſario tale inter ſe certamen ſuſcipere: quotiens vero ciuitates ipſae de principatu contendunt, non modo periculoſam eſſe huiusmodi aleam, ſed etiam turpem* [5]. Etſi ipſi principes controuerſiam adhuc ancipitem tam violento modo recte non diſceptent. Vbi tamen obſeruandum, qui ſic in euentum pugnae deciſionem controuerſiae reiiciunt, de ſuo quod habent iure poſſe tranſigere, non autem alteri, quod ius penes ipſos non eſt, dare. Vnde ſi rex ſuper regno, quod in ipſius patrimonio non eſt, certare velit, nihil aget [6], niſi accedat conſenſus populi, & eorum qui iam nati ad ſucceſſionem ius habent. Caeterum in eiusmodi condictis praeliis ſaepe in controuerſiam venit, quis pro victore ſit habendus [7]. Vbi ſciendum, regulariter eiusmodi pugnas eſſe decretorias. Vnde ſi inter duos pugnetur, ille victor erit, qui aduerſarium occiderit, aut ita debilitauerit & oppreſſerit, vt victum ſe ipſe fateatur. Sicut Turnus graui vulnere ſaucius faciebat, apud VIRGILIVM Aeneid. XII. [v. 931. & ſeqq.] Vbi plures pugnant, illa pars victrix erit, quae aduerſarios occiderit, aut fugatos ita debilitauerit, vt reſiſtere amplius nequeant. Quod ſi res geratur inter integros exercitus, ſpolia legere, ad ſepulturam corpora concedere, in loco pugnae pernoctare, praelio iterum laceſſere, per ſe victoriam non probant, cum talia poſſint etiam qui aequo Marte pugnauerunt. Sed ſi alia concurrant indicia, non parum momenti faciunt ad probandam hoſtium fugam. Et certe qui loco ceſſit poſt conflictum, in dubio magis eſt vt fugiſſe credatur. Vbi apud neutram partem firma ſunt victoriae argumenta, res manet eo loco, quo fuit ante praelium; & ad bellum, aut nouas pactiones erit redeundum. Memorabile eſt exemplum, quod refertur a PLVTARCHO in Parallelis, & HERODOTO in Clio. *Argiuis & Lacedaemoniis de agro Thyreatico altercantibus, Amphictyones pugna vtrinque lectorum hominum rem decernendam cenſuerunt, victorique agrum detulerunt iſtum. Lacedaemonii a parte ſua Othryadem ſummae rei, Argiui Therſandrum praefecerunt. Praelio de Argiuis duo ſuperſtites fuerunt, Agenor, & Chromius, qui de victoria ciuibus nuncium attulerunt. Facta autem quiete Othryades etiamnum viuens, fultusque haſtilibus ſemifractis, mortuorum ſcuta abſtulit, tropaeum erexit, ſuoque ſanguine id Ioui, tropaeorum tutori, inſcripſit.* Ego non dubitauerim ſecundum Argiuos pronunciare. Add. Io. MEVRSIVS Miſcell. Lacon. L. IV. c. 14.

§. VI.

2) Conf. ſupra L. V. c. 9. §. 3. & ibi dicta. H.

3) Cuius victoria ſaepius fortunae quam virtutis eſſe ſolet. H.

4) Aſt tum non eſt credibile, alterum maioribus ſuccinctum opibus, victoriam, quam in manibus ſuis habere ſe confidit, incerto praelii eiusmodi paucorum euentui permiſſurum. Iam & de viribus noſtris, praeſertim ſi iuſtitia cauſae nitimur, deſperare non debemus. Eſt enim in coelis Numen, quod ſaepius per paucos, quam per multos innocentiam defendere aduerſus vim iniuſtam ac tueri ſolet. H.

5) Λέγων [ὁ Ἀλβανὸς] ὅτι τοῖς μὲν ἡγουμένοις τῶν στρατοπέδων, ὅταν ἰδίαν κατασκευάζωνται δυναστείαν, καλὸς καὶ ἀναγκαῖος εἴη ὁ περὶ τῆς ἀρχῆς πρὸς ἀλλήλους ἀγών, ταῖς δὲ πόλεσιν αὐταῖς, ἐπειδὰν περὶ τῶν πρωτείων διαφέρωνται πρὸς ἀλλήλας, οὐ μόνον σφαλερὸς ἀλλὰ καὶ αἰσχρὸς ὁ διὰ μονομαχίας κίνδυνος, ἐάν τε τῆς κρείττονος λάβωνται τύχης, ἐάν τε τῆς χείρονος.

6) Vid. ſupra L. VII. c. 7. §. 12. H.

7) Conf. GROTIVM L. III. de I. B. & P. c. 20. §. 45. H.

§. VI. Circa obſides [1], qui pacis firmandae cauſa dantur, praeter tradita a Grotio [2] L. III. c. 20. §. 52. ſequ. id quoque obſeruandum, ſi contingat, vt obſes haeres & ſucceſſor fiat eius, qui ipſum dedit, poſtquam hic fato fuerit functus, non amplius obſidem teneri, etiamſi foedus iſto mortuo non expirauerit. Hic enim caſus tacite exceptus intelligitur, vt non amplius eſſet obſes, ſi in principalis debitoris locum ipſe tranſierit: ita tamen vt alium pro ſe teneatur ſubſtituere, vbi id poſtulatum fuerit.

§. VII. Est & alius modus cauendi ſecuritati pacis, dum alii, inprimis qui mediatores paci interuenerunt, fidem ſuam interponunt, conuenta vtrinque ſeruatum iri. Cui velut fideiuſſioni implicitum eſt foedus [1] circa ferendum auxilium illi, qui contra pacta inuaditur, aduerſus iniuriae auctorem. (vid. Diodorvs Sicvlvs L. IV. c. 55.) Ad quod auxilium ferendum ſponſores non tenebuntur, ſi ex noua cauſa bellum ſit motum; ſed tantum, ſi pax conuenta rupta fuerit [2].

* *

CAPVT IX.
DE FOEDERIBVS.

I. *Foederum diuiſio.*
II. *Foedera, quibus nihil extra iuris naturalis debitum diſponitur.*
III. *Quid foedera aequalia ſint, & quotuplicia.*
IV. *De foederibus inaequalibus.*
V. *Vtri ex pluribus foederatis potius ſit ferendum auxilium.*
VI. *Foederum alia realia, alia perſonalia.*
VII. *Quae dignoſcuntur vel ex conſideratione ſingulorum;*
VIII. *Vel ex generalibus notis.*
IX. *An foedera pertineant ad reges expulſos?*
X. *An ſociorum nomine etiam futuri veniant?*
XI. *Foedera tacite non intelliguntur renouari.*
XII. *Ad quid ſponſores teneantur ſponſione non ratihabita.*
XIII. *An ſponſio ratihabeatur per ſilentium ſummi imperantis.*

Videndvm deinceps eſt de illa pactorum publicorum ſpecie, quae peculiariter foederum nomine veniunt. Quae a Theſeo inuenta Plinivs N. H. L. VII. c. 56. tradit. Quod admitti non poteſt, niſi hoc ſenſu,

§. VI. 1) Vid. c. 2. §. vlt. & Bvddei Iurisprud. Hiſtor. Specimen §. 54. & ſeqq. vbi de Cloelia, virgine Romana obſide data agens, oſtendit, obſidi integrum non eſſe, vt fuga ſibi conſulat.

2) Et ſupra c. 2. §. 6. H.

§. VII. 1) Vt nominatim cautum in pace Oliuenſi inter Sueciae ac Poloniae Reges A. MDCLX. inita art. 36. Et huiusmodi fideiuſſiones a ſec. XII. vsque ſaepe interpoſitae a ſubditis pro dominis ſuis. V. Leibnitii Codic. diplom. dipl. 6. A. MCC. & Diplom. 15. §. 8. A. MCCLIX. Roger. ab Hoveden Part. II. Annal. in Iohanne Angliae Rege. Meyer L. XII. Annal. Flandr. ad A. MCCCXXXIX. & L. XVII. Ann. Flandr. vbi in conditionibus Pacis Peronenſis A. MCCCCLXVIII. eſt: *Si Rex Galliae fefelliſſet, licere ab omnibus regni Principibus absque vlla religione & dedecore ſe Carolo Duci Burgundiae aut eius heredibus adiungere contra Regem aut eius ſucceſſores.* Adde transactionem inter Auguſtum Electorem Saxon. & Iohannem Fridericum eiusque filios

ſenſu, quod vel primus in Graecia iſte foedera icerit, vel certos ritus, ſacraque adiecerit. Eorum diuiſionem commodiſſime deſumemus ab eorundem materia, dum alia quid conſtituunt, quod iam antea iuris erat naturalis; alia autem officiis iuris naturalis aliquid ſuperaddunt, aut ſaltem eadem, vbi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

§. II. Ad priorem claſſem referuntur illa foedera, quibus de ſimplici duntaxat humanitate hinc inde exercenda conuenitur, aut de noxa inuicem non inferenda. Vid. Geneſ. XXII, 23. In foedere, quod Lacedaemonii cum rege Perſarum iniuerunt, haec clauſula legitur apud Thvcydidem L. VIII. [c. 18. Edit. Oxon.] *Quaecunque regiones, vrbes, rex iam poſſidet, regisque maiores poſſederunt, in regis ditione maneant. Eas [1] ſiue belli inferendi, ſiue alio modo nocendi cauſa Lacedaemoniis, eorumue ſociis adeundi ius ne eſto, neue tributum exigendi Lacedaemoniis, ſociisue eorum ius eſto. Regi de ſua ditione ſtatuere licitum eſto.* Niſi dicere velimus; hanc clauſulam continere renunciationem omnium praetenſionum, quae vllo modo Lacedaemonii in Aſiam obtinere poſſent. Alias enim citra foedus Laconicum Aſia regis erat; & ex natura dominii fluit, tum ne quis rem meam inuadere debeat, tum vt de ſua re quisque ſtatuere poſſit. Conferatur quoque foedus pacis inter Athenienſes & Perſas apud Diodorvm Sicvlvm L. XII. c. 4. Caeterum eiusmodi foedera neceſſaria, apud antiquos cumprimis, habebantur inter eos, qui antea nihil inuicem negotii habuiſſent. Nimirum quod apud complures dogma illud iuris naturalis; (cognationem quandam inter homines eſſe a natura, ac nefas proinde alterum citra antegreſſam offenſam laedere;) obliteratum foret [2], adeo vt crederetur in ſolos ciues humanitatis officia eſſe conferenda, exteros quosque hoſtium eſſe loco, quos lucri noſtri cauſa laedere non nefas foret. Vid. Grotivs L. II. c. 15. §. 5. Enimuero inter illos, qui iuris naturalis obſeruantiam cultu morum profitentur, talia foedera non ſunt [3] neceſſaria [4]. Niſi quod vti inter ſingulos, quando primum aliquid negotii inuicem coepit intercedere, prolixiorem amicitiae conteſtationem adhiberi non indecorum ſit. Quo adplicari [5] poteſt illud Ciceronis Epiſt. ad Famil. XIII. 10. *Sed tamen in omnibus nouis coniunctionibus intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione quaſi amicitiae fores aperiantur.* De caetero pudere propemodum debebat homines cultos pactum inire, cuius capita nihil aliud contineant, quam ne ſimpliciter ac directe ius naturae violetur; quaſi citra illud pactum non ſatis quis officii ſit memor futurus.

filios Duces Saxon. A. MDLIV. §. 94. apud Hortlederum L. III. de Progreſſ. Belli Germ. c. 88. H.

2) Pax autem ſecundum Grotivm L. III. c. 20. §. 27. ſequ. rupta cenſetur, faciendo aut contra id, quod omni paci ineſt; aut contra id, quod in pace dictum eſt aperte; aut contra id, quod ex pacis cuiusque natura debet intelligi. H.

§. II. 1) *Ὁπόσην χώραν καὶ πόλεις βασιλεὺς ἔχει, καὶ οἱ πατέρες βασιλέως εἶχον, βασιλέως ἔστω.* Verba reliqua, quae tanquam eiusdem foederis Auctor refert, apud Thvcydidem non leguntur.

2) V. ſupra L. II. c. 3. §. 8. ſequ. Huius conſuetudinis reliquiae videntur eſſe in *L. 5. §. 2. D. de Captiu. & poſtlimin. reuerſ.* H.

3) Vid. ſupra L. II. c. 2. §. 11.

4) Vtilitate tamen ea non carere oſtendit Obrechtvs Diſſ. de Sponſor. pacis c. 1. §. 3. H.

5) Et ſi propric is locus, vt verborum nexus & ſeries docent, ad litteras commendatitias pertineat, quibus aliquem in alicuius amicitiam admitti petimus.

Digitized by Google

futurus. Conf. *L. 50 D. de Pactis.* Equidem veniunt iſta foedera frequenter nomine amicitiae. Verum fas amicitiae proprie dictae plura requirit, quam commune illud humanitatis officium. Nam vtut praeſtationes amicitiae non ſint definitae, ſicuti quae ex pacto debentur: tamen in genere id quilibet amici nouit eſſe, bona cum amico libenter communicare, de ipſius ſalute curam agere, monendo, conſulendo ſuccurrere, mala ipſi imminentia pro viribus propulſare, eaque omnia intentiore cum affectu, quam quae aliis ex nuda humanitate praeſtantur. Ad hoc genus etiam GROTIVS dicto loco refert foedera, quibus cauetur, vt vtrique ſit ius hoſpitii, & ius commercii, quatenus iſta iure naturali debentur. Vid. ſupra L. III. c. 3. §. 9. 11. Enimuero ſocios & foederatos proprie non eſſe, qui nil niſi communia humanitatis officia ſunt pacti, explicatur apud LIVIVM L. XLI. c. 24. Vbi Macedonibus ob offenſam in regem Perſea regione ſua interdixerant Achaei. . Exinde horum ſeruis fugitiuis Macedonia receptaculum erat, quod illius fines ingredi vererentur Achaei ad vindicandum ſuos homines. Perſeus igitur eam gentem conciliare ſtudens, literis pollicetur, ſeſe fugitiuos ipſis traditurum, modo tollatur decretum, quo Achaia prohibeantur Macedones. Cum ea res agitaretur in concilio Achaeorum, Callicrates gratificandum regi negabat, ne Romani offenderentur. Contra Arco differebat, ſalue foedere cum Romanis regis petito poſſe ſatisfieri, addita ratione: *Non enim agi de nouo foedere aut noua ſocietate; ſed tantum peti commercium iuris praebendi repetendique, ne interdictione finium & ipſi quoque regno arceamur, ne ſeruis noſtris aliquo fugere liceat.* Neque hoc eſſe aduerſus Romana foedera, vtpote in quibus nihil peculiariter aduerſus Perſea fuerit conuentum.

§. III. AST foederum, quibus aliquid adiicitur officiis, quae iure naturali homines inuicem debent, alia ſunt aequalia, alia inaequalia. Illa ſunt, quae vtrinque eodem ſeſe modo habent, ſeu quando non ſolum vtrinque aequalia promittuntur, ſimpliciter, aut obſeruata virium proportione, ſed & aequali modo, ita vt neutra pars ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia. Quae inaequalia ſint, mox videbimus. ISOCRATES Panegyr. [p. 132.] *συνθῆκαι μὲν εἰσιν, αἵ τινες ἂν ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχωσι, προστάγματα δὲ, τὰ τοὺς ἑτέρους ἐλαττοῦντα.* *Pactiones* ſeu foedera aequalia *ſunt, cum par & aequum ius vtrisque tribuitur: iuſſa vero*, ſeu foedera inaequalia, *cum alteri deteriore ſunt conditione.* Nam vt addatur *παρὰ τὸ δίκαιον*, non opus eſt. Vtraque porro iniri potiſſimum ſolent ob aliquam ſocietatem contrahendam; quae ſocietas ſpectat vel ad commercia, vel ad communitatem belli, ſeu auxilia mutuo praeſtanda in bello offenſiuo aut defenſiuo; vel ad alias res. Aequalia foedera circa commercia varia eſſe poſſunt: puta, ſi conueniatur, ne ciues vtriusque foederati ad alterutrius terras aut portus accedentes vllum vectigal ſoluant, aut non plus quam in praeſens ſoluitur, aut ne ſupra certam quantitatem, aut ne plus quam ciues, vel alii ſocii ſoluunt, & quae ſunt ſimilia. Aequalia foedera circa

§. III. * Aut aedificet. Quod citra pactum hocce licere, niſi iuſtis indiciis appareat arces in finibus ſtrui, non tuendi, ſed nocendi cauſa, recte aſſerit GROTIVS L. II. de I. B. & P. c. 22. § 5. & L. III. c. 20. §. 40. Perperam diſſentiente Alberico GENTILE, cuius argumentis reſpondit

circa ſocietatem bellicam ſunt, ſi conueniatur, vt vtrinque praeſtentur paria auxilia militum, nauium, aut alterius adparatus bellici: idque vel vtroque tempore, ſiue bello alteruter inuadatur, ſiue alteri bellum velit ipſe inferre; vel ſi alteruter bello impetatur. Quandoque etiam auxilia promittuntur ad certum duntaxat bellum, aut contra certos hoſtes, aut contra omnes quidem, ſed exceptis vtriusque foederati ſociis. Denique aequalia foedera circa alias res ſunt, ſi conueniatur, ne in confinio alterius alter arces habeat *, ne ſubditos alterius defendat, aut recipiat, aut vt comprehenſos alteri transmittat, ne iter alterius hoſti praebeat, & quae ſunt alia. Grotivs dicto loco §. 6.

§. IV. Ex aequalibus porro foederibus quae ſint inaequalia, facile eſt intelligere: ſcilicet quando vel inaequalia ſunt, quae inuicem promittuntur, vel alterutra pars eſt deterioris conditionis. Inaequalia promittuntur aut a digniore foederato, aut a minus digno. Illud fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur; aut ſi maiora quam alter, ſeu huic non proportionata auxilia promittat. Hoc contingit, ſi foederatus inferior plura teneatur praeſtare, quam ab altero recipit. Iſtorum foederum nonnulla cum imminutione ſummi imperii ſunt coniuncta. Quale erat foedus Romanos inter, & Poenos in fine belli ſecundi Punici; in quo cautum, ne cui Carthaginenſes bellum facerent iniuſſu populi Romani. Quo poſſis referre Armeniam maiorem, de qua Appianvs Alex. Praefat. [p. 2. A. Ed. H. Steph.] [1]Ἧς Ῥωμαῖοι οὐκ ἄρχουσι μὲν ἐν φόρου κομιδῇ, αὐτοὶ δὲ αὐτοῖς ἀποδεικνύουσι τοὺς βασιλέας. *Nulla quidem Romanis tributa pendens, ſed ex eorum auctoritate reges accipiens.* Addatur quoque pactum Petri cum Theudato circa Siciliam initum, apud Procopivm Hiſt. Gothicae. L. I. [c. 6.] Vice verſa, illa foedera ſummum imperium non imminuunt, quae adiunctum habent aliquod onus tranſitorium, ſeu quo ſimul & ſemel licet defungi, verbi gratia, ſi in pace alteri parti iniungatur ſtipendia alterius militibus ſoluere, ſumtus belli reſtituere, aut certam ſummam pecuniae multae loco numerare; item ſi teneatur moenia arcesque diruere, locis quibusdam decedere, obſides, naues, arma tradere. Sic Plinivs N. H. L. XXXIV. c. 14. tradit: in *foedere, quod expulſis regibus, populo Romano dedit Porſena, nominatim comprehenſum invenimus, ne ferro niſi in agricultura vterentur.* Conf. 1 Sam. XIII, 19. 20. Quo loco notatu dignum eſt, quod refert Procopivs L. IV. Hiſt. Goth. cum ex induciis, quae Iuſtinianum inter & Chosroëm conuenerant, ille bis mille libras auri ſoluere deberet, hasce illico poscebat. *Isdiagunus legatus Perſicus: ſed Iuſtinianus dare volebat annis ſingulis quadringentas, vt a violandis induciis eo velut pignore Chosroëm retineret. Sed conceſſere tandem Romani, ſummamque totam praeſente pecunia exſoluerunt, ne annua tributa pendere viderentur. Adeo vocabula magis turpia quam res ipſas auerſari mos hominum eſt* [1]. Sed de hoc potiſſimum dubitatur, vtrum illa foedera inaequalia, quae permanentia & perpetuo duratura onera habent adiuncta, ſemper & in ſe ſum-

 mum

dit Zieglervs L. I. de Iur. Maieſt. cap. 35. §. 10. & ſequ. H.

§. IV. 1) Hanc ob cauſam non tributa, ſed dona vel pacta appellari ſolebant. V. Elem. Prud. ciuil Part. I Sect. 12. §. 12. in not. At foedam mercedem vocat Clavdianvs. Vid. ſupra L. II. c. 7. §. 11. H.

mum imperium minuant; ſeu vtrum alterius ſocius inaequalis poſſit retinere ſummum imperium? Onera iſta perpetua ſunt, verbi gratia, vt vnus debeat eosdem amicos cum altero habere, non vice verſa; ne liceat certis locis arces extruere; ne exercitum ducere; (ſicuti in foedere Romanorum cum Latinis cautum erat, ne hi proprio arbitrio copias conſcriberent, eisque ſuos duces praeficerent, ac in expeditionem emitterent; ex quo fiebat, vt cum Romani ſoli de bello & pace decernerent, ſocii quidem laboris eſſent participes, gloria autem & fructus victoriarum in Romanos redundaret, quorum auſpiciis res gerebantur. Vid. DIONYS. HALICARN. L. IIX. [c. 15. Edit. Oxon.]) ne naues habere vltra definitum numerum; ne vrbem condere, ne nauigare, ne militem certis locis conſcribere; & quae ſunt alia. Inprimis ſi vnus foederatorum alterius maieſtatem comiter teneatur colere [2]; adeoque alterum dignitate ſe ſuperiorem agnoſcere, & in omnibus actionibus reuerentiam quandam aduerſus ipſum oſtendere. Id quod etiam explicat CICERO *pro L. Cornel. Balbo.* Sic ISOCRATES Panegyr. Athenienſes cum ſociis ita egiſſe tradit, vt penes ipſos quidem ſumma rerum directio eſſet, ſeorſim vero hiſce libertatem concederent, & formam Reipublicae democraticam apud eosdem conſtituerent. Ad iſthanc quaeſtionem reſpondet GROTIVS L. I. c. 3. §. 21. ex *L. 7. D. de Captiuis.* [3] Enimuero ex ſubſequentibus mox ICti verbis difficultas mouetur [4]: *At fiunt apud nos rei ex ciuitatibus foederatis, & in eos damnatos animaduertimus.* Nam id ſane ſubiectionem arguit [5], ſi ius alteri competat ciues noſtros ad tribunal ſuum euocandi, eosque plectendi. Quo ſpectat exemplum Decii Magii apud LIVIVM L. XXIII. c. 7. ſeqq. Inprimis autem, quod memorat PAVSANIAS in Achaicis, [p. 215. 216. Ed. Wech. c. 15. 16. Ed. Lipſ.] cum inſtinctu Callicratis legatus Romanus Achaeorum principes partibus Perſei ſtuduiſſe argueret, eorum vnus Xenon fiducia conſcientiae dixit, ſe non dubitare vel in Senatu Romano ſuper hoc crimine iudicium ſuſtinere. Quod a legato ſubdole arreptum, quaſi vltro Romam prouocaret. Atque inde ipſe & plurimi alii Romam miſſi ſunt. Et tamen, vti POLYBIVS Excerpt. legat. 105. loquitur de iſtis euocatis: *Τό, τε γὰρ κρίνειν ἐκ ἐνόμιζεν αὐτῇ καθήκειν. Vt iudicium de reis peragerer Senatus, conuenire ſibi non arbitrabatur.* Heic planiſſima eſt reſponſio,

2) Quod & Iuri Romano conuenit. *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus: ſiue is foederatus eſt: item ſiue aequo foedere in amicitiam venit, ſiue foedere comprehenſum eſt, vt is populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruaret: hoc enim adiicitur, vt intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe: non, vt intelligatur, alterum non eſſe liberum: quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque iure omni nobis pares ſunt, ſic eos, qui maieſtatem noſtram comiter conſeruare debent, liberos eſſe intelligendum eſt.* L. 7. §. 1. D. de Captiuis & Poſtliminio. Vid. L. VII. c. 5. §. 18 in fine.

3) Verba legis ſunt: *Non dubito quin* (Deſid. HERALDVS ſubſtituit *quanquam*) *foederati & liberi nobis externi ſint.* Vbi BVDDAEVS contra exemplarium fidem, vt ipſe fatetur, legendum cenſet: *Externi non ſint.* Male. Nam externi apud Romanos dicebantur, qui non erant ſubditi: VIRGILIVS:

Omnem quidem ſceptris terram quae libera noſtris
Diſſidet, extraneum reor.

Sequitur in d. l. *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus, ſiue is foederatus eſt: item ſiue aequo foedere in amicitia venit, ſiue foedere comprehenſum eſt, vt is populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruaret.* Vbi pro verbis *ſiue is foederatus eſt*, id eſt, *hoc aequo foedere in amicitiam venit; ſiue foedere.* Notandum heic non omnes ciuitates, quae apud Romanos dicebantur liberae, in hunc cenſum veniſſe: Quaedam enim vltro in clientelam ſe dederunt, & hae

ſponſio, priora verba capienda de antiquis temporibus populi Romani, quando maior cura ipſi fuit foederum leges obſeruare, & alio modo tractare, qui vltro in amicitiam conceſſerant, quam qui bello victi fuerant. Sicuti CICERO Offic. II. penes antiquos *patrocinium* fuiſſe ſociorum, non *imperium* praedicat. Et Scipio iactat: populum Romanum *exteras gentes malle fide ac ſocietate iunctas habere, quam triſti ſubiectas ſeruitio.* Poſteriora autem verba capienda ſunt de ſequentibus ſeculis, quibus paulatim reuerentia foederum antiquorum minui coepit, nulloque diſcrimine bello victi ac ſocii iugo premebantur. Vid. LIVIVS L. XLII. cap. 1. APPIANVS de Bello ciuili L. I. [p. 414. Ed. Steph. 689. Ed. Amſt.] vbi memorat, Syllam adegiſſe omnes ſocios hactenus immunes ad tributum conferendum [6]. Quo tempore id quoque vſurpatum, vt ex ciuitatibus foederatis rei Romam euocarentur, atque velut ſubditi Romanorum plecterentur. Satis autem adparet, in epiſtola *Proculi* inter priora & poſteriora verba non pauca fuiſſe interiecta. Grotius autem poſtquam operoſe enumeraſſet controuerſiarum genera, quae inter ſocios oriri poſſunt, demum tamen ad motam difficultatem nihil reponit. Vid. quoque Antonius MATTHAEVS de Criminibus ad tit. ad L. Iul. Maieſtatis c. 1. §. 5. 6. Bene tamen monent prudentes [7], plerumque accidere, vt qui ſuperior eſt in foedere, ſi potentia multum antecellat, paulatim imperium proprie dictum exerceat; inprimis ſi foedus ſit perpetuum, & cum iure introducendi praeſidia in oppida. Vid. BODINVS de Republ. L. V. c. 6. ISOCRATES Archidamo: [p. 211.] *Χρὴ τοὺς βουλομένους ἐλευθέρους εἶναι τὰς μὲν ἐκ τῶν προσταγμάτων συνθήκας φεύγειν, ὡς ἐγγὺς δουλείας οὔσης. Cupidis libertatis foedera cum mandato fugienda ſunt: parum enim differunt a ſeruitute.*

§. V. ILLAM porro quaeſtionem: ſi plures eiusdem foederati bellum gerant, vtri potius auxilium ferre debeat, qui vtrique eſt foederatus; deducit GROTIVS [1] L. II. c. 15. §. 13. [2] Vid. etiam SIMLERVS de Repub. Heluetiorum L. I. p. m. 119. Vbi & illud addendum, in omnibus foederibus, quae rex aliquis cum extraneis circa ferenda auxilia init, ſubintelligi debere hanc exceptionem: ſiquidem per rationes proprii regni illud commode fieri poſſit, quae etiam quibusuis reſpectibus priuatis, & ipſi ſanguinis atque affinitatis neceſſitudini

hae haut dubie fuerunt liberae: quaedam hoſtibus ereptae in libertatem reſtitutae ſunt (Vid. LIVIVM L. XXXIII. c. 32.) & has iure poſtliminii libertatem recuperaſſe puto; quaedam denique bello ſubiugatae poſtea libertate redonatae ſunt. Vid. infra ad c. 10. §. 9. Quae non niſi improprie fuerunt liberae dictae, nec ſummae poteſtatis fuerunt compotes. H.

4) Vid. ſupra L. VII. c. 5. §. 18. H.

5) CICERO de Prouinciis conſularibus: *Omitto iurisdictionem in libera ciuitate? Contra leges ſenatusque conſulta.* SVETONIVS in Caligula, de Germano: *Domi foriſque ciuilis, libera ac foederata oppida ſine lictoribus adibat.* H.

6) Quod imitati ſunt poſtea Syllae diſcipuli tres, vt ex eodem APPIANO L. V. eiusdem Operis diſcimus. H.

7) Idque exemplis probant. Vid. GROTIVS d. L. I. c. 3. §. 21. FORSTNERVS ad XIV. Annal. Taciti 31. Add. de Tataris Procopienſibus Ioachim. PASTORIVM L. I. Hiſtor. Polon. plenior. p. 57. H.

§. V. 1) Et in Appendic. epiſtolar. 16. H.

2) Cuius ſententia huc redit. Quando duo foederati vtrinque ſibi bellum iniuſtum inferant, neutri ſuccurrendum eſſe. Sed ſi alteruter iuſtam belli cauſſam habeat, praeferendum eum eſſe, non tantum extraneo, ſed etiam foederato: niſi hoc quoque conuenerit, ne aduerſus eum auxilia mittere liceat. Quod ſi foederati in alios bellent, iuſta quisque de cauſſa, vtrique auxilia mittenda eſſe, ſi id fieri poſſit, aut, ſi id fieri nequeat, eum praeferendum eſſe, cum quo antiquius ſit foedus. Add. BVDDEVS de Comparatione obligationum, quae ex variis hominum ſtatibus oriuntur & THOMASIVS de Sponſione Caudina. §. 17. & ſeq.

dini praeponderant. Add. GELLIVS L. II. c. 29. Nam cum nemini rex propius teneatur, quam ſuis ciuibus; non poteſt extraneo valide promittere, quod cum ipſorum vtilitate aperte pugnat. Apud GVICCIARDINVM Hiſt. L. XVI. Franciſcus rex dicit: *Praecedere iuramentum Rhemis factum, quo obligentur reges Franciae, ne quid de patrimonio coronae alienent.* In quem ſenſum admitti poteſt, quod habet BACO de Verulamio de Sapientia veterum c. *Inter principes vnum eſt verum & proprium fidei firmamentum, neceſſitas, (magnum potentibus Numen.) & periculum ſtatus, & communicatio vtilitatis.* ARISTOTELIS Nicom. L. VIII. cap. 5. ſimplicius dixerat: Δοκοῦσι αἱ συμμαχίαι ταῖς πόλεσι γενέσθαι ἕνεκα τοῦ συμφέροντος. *Confoederationes inter ciuitates fieri vtilitatis cauſa videntur.* IDEM Rhetor. L. III. c. 14. Ἀπιστοῦσι ἄλλο τι πράττειν ἑκόντα, πλὴν τὸ συμφέρον. *Non credunt, aliud agere quenquam ſponte, praeter id, quod vtile eſt.* VALERIVS FLACCVS L. IV. [v. 744.] *Certa fides animis, idem quibus incidit hoſtis.* ISOCRATES Orat. ad Philipp. [p. 156.] *Ciuitates neque inimicitiarum, neque iuriſiurandi, neque vllius rei alterius rationem ducunt, niſi ſi quid ſibi profuturum putent.* Sic POLYBIVS L. II. c. 47. de Arato dicit: *Cum ſciret, reges natura quidem neminem vel hoſtem vel amicum ducere, verum ex ſuis vtilitatibus ſemper amicitias & inimicitias aeſtimare.* Andr. MAVROCENVS Hiſt. Venetae L. I. de Senatu Veneto. *Amicitias publica vtilitate dignitateque metimur* [3]. Etſi de Rhodiis tradat POLYBIVS Excerpt. legat. 93. c. 6. eos per centum quadraginta annos nullum cum Romanis foedus percuſſiſſe, licet in pluribus bellis auxilia ipſis miſerint. Ratio huius inſtituti haec ſubiungitur: *Qui enim nulli regum ſpem auxilii ſocietatisque ſuae vellent abſcindere, arctius ſe cum quoquam copulare, & libertatem ſibi iureiurando ac pactis praecipere nolebant; ſed omnia ſibi ſeruantes integra, ſpes ſingulorum lucrari.* Ob aliam rationem a foederibus feriendis abſtinere Vtopienſes, tradit: Th. MORVS Vtop. L. II. Qui autem per foedus, quod mutatis alterius rationibus expirat, damnum capit, habet quod ſibi imputet, quod non accuratius ſocii ſui conditionem perſpexerit. Vid. *L. 19. D. de Reg. iuris* [4]. Quanquam boni ſit ſocii, vbi res ſuae non ferunt diutius in ſocietate perſiſtere, alterum monere, quo & ipſe rebus ſuis ſimul conſulere queat. Nam vti eſt apud EVRIPIDEM Iphigenia in Tauris: [p. 605. 606. 607.] Τὰ τῶν φίλων αἴσχιστον, ὅστις καταβαλὼν εἰς ξυμφορὰς αὐτὸς σέσωσται. *Turpiſſimus eſt, qui poſtquam amicorum res in diſcrimen coniecit, ipſe ſolus ſeruatur.* Inde in foederibus bellicis maximi momenti habetur clauſula; ne ſeparatim & excluſo ſocio, liceat cum communi hoſte paciſci. Cui tamen aliqui ex aequitate hanc ineſſe reſtrictionem tradunt, dummodo alter ſociorum aequas pacis conditiones non reſpuat.

3) Idque probant Exempla apud IVSTINIANVM Hiſtor. Venet. L. V. L. X. L. XII. L. XVI. PARVTAM L. V. Hiſtor. Venet. Vbi Leonhardus Hemus Senator Venetus loquitur. Adde ſupra L. III. c. 6. §. 9. in fine. H.

4) *Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius.*

§. VI. 1) Verba haec vncis incluſa exemplo Cl. BARBEYRACI ex Offic. Hom. & Ciu. L. II. c. 17. §. 6. adiecimus.

2) Vid. infra c. 12. §. 1. Equidem Tarquinio Superbo a Romanis expulſo, & principatu ac regio imperio in Rempublicam popularem commutato, negabant Sabini, foedera cum Tarquinio inita durare, aut Romanis prodeſſe, apud DIONYS. HALICARNASSEVM L. V. Roman. Origin. Quod & Hernici cauſabantur apud eundem L. VIII. negantes, *foedus vsquam ſibi vllum interceſſiſſe cum populo Romano: quod autem cum Tarqui-*

ſpuat. Hoc enim caſu foedus videri violatum, & alteri ſocio fas eſſe ſibi ſeparatim conſulere. Quod tamen cum grano ſalis accipiendum, ne anſa eludendo foederi hoc modo quaeratur, & vnus ſociorum alterius velut iudex conſtituatur. Vid. Ioh. LABARDAEVS Hiſt. de Reb. Gallic. L. V. p. 313. Edit. Pariſ. An. 1671.

§. VI. [OMNIVM [1] autem foederum, tam aequalium, quam inaequalium frequentiſſima ſunt, quae ad auxilia in bello defenſiuo aut offenſiuo praeſtanda, aut ad commercia regenda pertinent. Arctiſſimam autem foederum ſpeciem producunt, quae ad coniunctionem aliquam perpetuam plurium ciuitatum ſpectant.] Eſt & illa nobilis foederum diſtinctio in realia & perſonalia; quorum haec ſunt, quae cum rege intuitu ipſius perſonae fuerunt inita, & cum ipſo ſimul extinguuntur: illa vero, quae non tam ipſius regis, populiue rectorum, quam ipſius regni & Reipublicae intuitu ſunt inita, ac perdurant, extinctis licet rectoribus populi, penes quos adminiſtratio Reipublicae tempore foederis initi erat. Ad vtram claſſem quodlibet foedus pertineat, ex ſequentibus manifeſtum erit. Illud igitur certum, quaeuis foedera, quae cum libero aliquo populo ineuntur, ſua natura eſſe realia, & perdurare vsque ad terminum in ipſo foedere expreſſum; vtut magiſtratus illi, quorum interuentu id fuit percuſſum, extincti ſint aut mutati. Ex quo inferri poteſt [2], ſiquidem foedus abs libero populo ſit initum, ac poſt ſtatus Reipublicae ex democratico in monarchicum fuerit mutatus, foedus eſſe manſurum: ideo quod idem populus maneat, forma licet Reipublicae mutata. Et quia rex conſenſu populi in regnum adſcitus intelligitur id ſuſcipere cum omnibus obligationibus, quae ab iſto populo, quatenus in ſe ſummum habuit imperium, ſunt contractae. Accedit, quod cum foedera ineantur ab his, qui ſummo imperio gaudent, cuius imperii commune ſubiectum eſt ciuitas: idem cenſebitur eſſe ſummum imperium, quod exercetur per ſuffragia vniuerſi populi, & quod geritur poſt a rege per conſenſum populi conſtitutum. Excipienda tamen heic ſunt illa foedera, quae praeſentis ſtatus conſeruationem pro fine habent; puta ſi duo liberi populi foedus iniuerint mutui auxilii contra illos, qui per vim ſtatum Reipublicae mutare aggrediantur. Nam ſi tunc alteruter populus in mutationem ſtatus Reipublicae libere conſenſerit, intelligetur ipſum quoque foedus, ceſſante eiusdem ratione, expirare. Enimuero non ſi foedus, quod cum libero populo initur, regulariter eſt reale, ideo omne foedus cum rege initum perſonale eſt, & cum rege extinguitur. Nam pleruuque perſona pacto inſeritur [3], non vt perſo-

Tarquinio ictum ſit, finitum eſſe, imperio ei ademto eique mortuo in exilio. Verum CLAVDIVS d. L. V. ſatis coarguit Sabinos. H.

3) V. TABOR Barboſ. locuplet. voce pactum axiom. 5. Neque enim perpetuum eſt, quod Turnus Herdonius diſputabat apud DIONYS. HALICARNASSEVM Roman. antiq. L. IV. cum negaret ea, quae Tarquinio Priſco a Latinis conceſſa fuerant, ad Tarquinium Superbum eius nepotem, qui poſt Seruium Tullum regnabat, pertinere: Διὰ τὸ μὴ προςγεγράφθαι ταῖς ὁμολογίαις, τὴν αὐτὴν εἶναι δωρεὰν καὶ τοῖς Ταρκυνίου ἐκγόνοις· *Eo quod foederi adiectum non eſſet, idem quoque datum Tarquinii poſteris.* Sabini etiam poſt exceſſum

perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur, qua perſona interueniente pactum ſit factum. *L. 7. §. 8. D. de Pactis* [4]. Quia tamen conſtat, quaedam foedera a regibus inita omnino hac intentione facta, vt cum ipſorum morte expirent, quaedam autem, vt & apud ſucceſſores continuentur; igitur certae notae ſunt habendae, ex quibus pateat, ad quam ſpeciem quoduis foedus regium ſit reuocandum.

§. VII. GROTIO L. II. c. 16. §. 16. magis placet, ex cuiusque foederis conceptis verbis hanc rem diiudicare, quam in vniuerſum aliquid definire. Sic igitur realia foedera erunt, quibus clauſula haec expreſſe eſt addita, vt ſint perpetua; aut quod ſint facta in bonum regni; aut quod ineantur cum rege & ipſius ſucceſſoribus; aut ſi durationi certum tempus ſit praefinitum. Sed & alia verba, & ipſa interdum materia foederis, nec non cauſa ad id ineundum impellens, coniecturam poſſunt praebere non obſcuram. Quod ſi autem coniecturae in vtrumque ſunt aequales, ſupererit, vt fauorabilia eſſe credantur realia [1], odioſa vero perſonalia [2]. Fauorabilia autem ſunt foedera commerciorum cauſa. Foedera autem bellica nequaquam ſunt omnia odioſa, ſed defenſiua magis ad fauorem, offenſiua ad odium accedunt.

§. VIII. PAVLO diſtinctius tamen videtur deduci poſſe, quatenus anteceſſoris regis foederibus ſucceſſor teneatur. Nam primo conſtat, pace ab anteceſſore facta ſucceſſorem quoque teneri. Per pacem quippe antegreſſae iniuriae, quae bello cauſam dederant, plane extinguuntur. Legibus pacis rite expletis. Deinde dubium non eſt, quin ſucceſſor teneatur ſeruare illas conuentiones legitimas, quibus ab anteceſſore ſuo in tertium ius fuit collatum. Sed & illud certum eſt, quando alter foederatorum ex foedere iam quid praeſtitit, & rex antequam quod ipſe debebat, repoſuerit, ſit mortuus; ab ipſius ſucceſſore id omnino ſoluendum. Cum enim id, quod ſub conditione praeſtandi aequipollentis ab altero praeſtitum fuit, in vſum Reipublicae ceſſerit aut ſaltem ea intentione fuerit exhibitum: patet ſane, ni reponatur aequipollens, ius remanere alteri ad repetendam rem velut iam indebito praeſtitam: adeoque ſucceſſorem teneri ad refuſionem rei ab altero praeſtitae, ni malit id ipſum, quod in lege tanquam aequipollens eſt expreſſum, exhibere. Denique

ceſſum Seruii Tulli foedera cum eo icta ad Tarquinium Superbum pertinere negabant. Cauſati & idem Hetruſci, addito colore admodum contumelioſo: Se enim Tarquinio Priſco ἡγεμονίαν conceſſiſſe, Principi clarorum virorum: id non poſſe Seruium Tullium, eius ſucceſſorem, ταπεινὸν κατὰ γένος ὄντα, vſurpare. Quae omnia HALICARN. d. L. IV. narrat. De Eduardo VI. Angliae Rege, qui Carolo V. R. Hiſpan. ex foedere, quod hic cum Henrico IIX. inierat, ſe obligatum negabat. Vid. Richard. ZOVCHAEVS Part. II. Iur. Fecial. ſect 4. quaeſt. 27. Cuiusmodi tricae vt tollerentur quibusdam vtile viſum, mentionem heredum inſerere, aut formulis vti perpetuum foedus ſignificantibus. Qualis illa in foedere pacis inter Romanos & Latinos apud HALICARNASS. Origin. Roman. L. VI. Μέχρις ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσιν. *Quamdiu coelum & terra eandem ſtationem retinebunt.* Alii non ſolum Principes, ſed & eorum populos, vt foedus eſſet vere reale & perpetuum, comprehenderunt. Quam in rem ex Iohanne Iuuenale VRSINO in Annalibus Caroli VI. Gall. Reg. exemplum annotauit Deſid. HERALDVS L. II. de Auctor. Rer. iudicat. c. 18. § 11. H.

4) *Verum autem in rem, an in perſonam pactum*

niqve circa illa foedera, ex quibus aut nihil adhuc ab alterutra parte fuit praeſtitum, aut quae praeſtita fuere, aequalia ſunt, in vniuerſum hoc videtur pronunciandum: regem ſi foedus fecit tanquam caput ſui populi, & cum intentione commodum populi promouendi, intelligi reale foedus feciſſe [1], quod ſucceſſorem quoque teneat. Quia iſtud foedus totum quoque populum ſtringit, cuius caput ſequens rex eodem iure, eodemque ſub onere eſt, atque prior fuit. Aſt vbi foedus directe ſpectauit commodum perſonae ipſius regis, eiusque familiae; patet ipſo mortuo aut hac extincta, foedus quoque expirare. In conſuetudinem tamen abiit, vt foedera etiam indubie realia rege mutato renouentur, ſaltem verbis generalibus: ne forte excipi poſſit, cum ex illo foedere nihil adhuc ſit in vſum regni conuerſum, foedus ſola ineuntis fide ſtetiſſe, nec in ſucceſſorem tranſire. Praeſertim cum foedera ineantur ad promouendam Reipublicae vtilitatem [2]; de qua cum diuerſum iudicare queat ſucceſſor, quam anteceſſor, aliam quoque iure ſuo viam heic inſiſtere poteſt, adeoque negligere foedus, quod iam ſuo regno inutile cenſet. Add. Ioan. LABARDAEVS Hiſt. de Reb. Gallicis L. V. p. 74. 75. Edit. Pariſ. an. 1671. Eſt & hoc monendum, ſi quibusdam inter ſe diuerſa antehac foedera interceſſerint, & iſta deinceps ab iisdem renouentur in genere; poſtremum potiſſimum intelligi renouatum; cum poſteriora ſemper prioribus derogent. Vid. POLYBIVS Excerpt. Legat. XLI. c. 4. Vbi tamen nullo modo excuſari poteſt foeda plane ſocordia tam legatorum, quam eius qui eos miſerat; quod cum renouare foedus cum Ptolomaeo rege inſtituerent, ipſi ignorarent, quae foedera olim Achaeis cum rege interceſſiſſent, aut quodnam ex illis iam renouare vellent.

§. IX. ID quoque heic quaeritur, ſi rex, quicum foedus fuit initum, a ſubditis ſuis fuerit pulſus, vtrum foederatus teneatur illi ferre auxilia promiſſa, cum adhuc regno potiretur? GROTIVS dicto loco §. 17. affirmat; ideo quod ius regni maneat penes talem per iniuriam expulſum, vtcunque poſſeſſionem regni amiſerit. Nobis de eo quidem caſu certum videtur, ſi foedus expreſſe ad defenſionem perſonae regis, eiusue familiae ſit conceptum, quod ad recuperandum regnum auxilia debeant ferri. Sed vbi foedus ſancitum ſit in vtilitatem regni, valde dubium eſt, an rex expulſus foedere auxilia poſtulare queat. Nam auxilia praeſumuntur eſſe promiſſa aduerſus hoſtes externos: de hoc autem caſu cogi-

Ooo 2 tatum

ctum factum eſt, non minus ex verbis, quam ex mente conuenientium aeſtimandum eſt: plerumque enim (vt & Pedius ait) perſona pacto inſeritur, non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur cum quo pactum factum eſt.

§. VII. 1) Quod quum ſaepe anceps ſit, tutius eſt, foedera in dubio pro *realibus* habere, quia, ſi aliud non pateſcat ex conceptis verbis eius, Princeps nomine totius populi egiſſe intelligitur. In perſonalibus eximia plerumque & inuſitata Principis, quocum ineuntur, virtus reſpicitur. Ita ſtatus nonnulli Imperii morte Guſtaui Adolphi finitum foedus aiebant. V. PVFENDORFIVS Rerum Suecicarum L. V. §. 4.

2) Hoc in conuentionibus publicis admittit, in priuatis locum inuenire negat SCHILTERVS Exercit. ad D. 8. § 15. Quanquam quod addit in not. eam diſtinctionem, etiam quantum attinet publicas conuentiones, non ſatis in iure fundatam, ſaluti & tranquillitati inuicem multum nocere poſſe; fateor me non capere, ſi de foederibus ſermo ſit. H.

§. VIII. 1) Vid. infra cap. 10. §. 8. H.

2) Et niſi redintegrentur, refrigeſcere aut intermori ſoleant. Quam ob cauſam foedere Atheniensium & Laconum conuenit apud THVCYDIDEM L. V. Hiſtor. iusiurandum quotannis renouari ab vtrisque. H.

tatum non fuit. Etſi nec idem foedus obſtare videatur, quo minus legitimo regi ad depellendum inuaſorem ſuppetias latum eamus. Sicuti & vbi foedus nobis ſit cum populo libero, quem ſub ſeruitium redigere inteſtinus inuaſor laborat, recte auxilia ad illum deiiciendum ferre poſſumus, antequam in legitimum principem eualuerit. Nam qualitates in foederibus; puta ſi dictum ſit, foedus eſſe initum cum *rege* & eius *ſucceſſoribus*, notant ius proprie dictum, non nudam vſurpationem *, ſeu tales, qui iuſto titulo regnum adquiſiuerunt, non qui iniuſta vi nituntur.

§. X. Est & illa quaeſtio illuſtris, ſi in foedere cautum ſit, vt vtriusque ſocii ab vtrisque tuti ſint, num per ſocios intelligantur illi tantum, qui ſocii erant tempore foederis initi, an & hi, qui poſtea ab alterutro adſciſcuntur? Ea ſuper quaeſtione quid diſceptatum fuerit quondam inter Romanos & Poenos ſub initium belli ſecundi Punici, vid. apud Polybivm L. III. [c. 27.] & Livivm * L. XXI. c. 19. Grotii deciſio d. l. §. 13. eo redit, ſaluo foedere & Poenos potuiſſe Saguntinis, a Romanis deinceps in foedus adſcitis, bellum inferre, & Romanos eorundem defenſionem ſuſcipere. Quippe cum ſaluo foedere fieri poſſit, vt duorum ſociorum vnus eundem oppugnet, alter eidem auxilia mittat. Sicuti & ſuper eo caſu expreſſe in foederibus ſolet conueniri. Vid. foedus, quod Poenos inter & Romanos ictum eſt tempore belli Tarentini, apud Polybivm L. III. c. 25. Quanquam ex tali occaſione proximus ſit gradus ad rumpenda foedera; cum pari ſenſu afficiant plagae, quas alieno quis nomine, quam quas proprio infligit; inprimis vbi belli ſedes in auxiliatorum terras transferatur. Vid. Ivstinvs L. III. c. 7.

§. XI. Est & illud monendum, foedera ad tempus certum inita, elapſo illo, hautquidquam tacite renouata intelligi, non ideo ſolum, quod nemo praeſumatur ad nouum onus temere ſeſe adſtringere, ſed etiam quia iſthoc modo de eiusdem duratione conſtare non poſſet. Vnde ſi qui poſt illud finitum exercentur actus, pro beneuolentiae magis, quam renouati foederis indiciis habendi erunt [1]. Nam ſimplex vtique amicitia etiam poſt finitum foedus perſiſtit. Denique ex communi natura pactorum eſt [2], vt vbi vna pars foedere non

§. IX. * T. Quintius Flamininus cum Nabidem Lacedaemoniorum tyrannum, foedera cum antiquis Lacedaemoniorum Regibus pacta allegantem, confutaret apud Livivm L. XXXIV. c. 34. *Amicitia & ſocietas*, aiebat, *nobis nulla tecum, ſed cum Pelope Rege Lacedaemoniorum, iuſto ac legitimo facta eſt. Num quid minus conueniret, quam nos, qui pro libertate Graeciae aduerſus Philippum gereremus bellum, cum tyranno inſtituere amicitiam? & tyranno quam, qui vnquam, ſaeuiſſimo & violentiſſimo in ſuos?* Quanquam Romanos cum Nabide minus ſincere egiſſe, exiſtimet Boeclervs Diſſert. de eo quod egit ciuitas H.

§. X. * Qui exiſtimarunt, non eſſe veriſimile, Romanos de iis, qui tunc ſibi ſocii eſſent, duntaxat ſenſiſſe: Siquidem nemini probari poſſe, Romanos aut nullos ſibi ſocios impoſterum adſciſcere voluiſſe, aut ſi quos ſibi adſciſcerent, iis carere noluiſſe. Vt igitur foedus illud aliter acciperetur, aliquid adiiciendum fuiſſe, vel vt ſocios nouos adſciſcere ius ne eſſet, vel hoc foedere eos non comprehendi, qui ad ſocietatem poſt factam pacem acceſſiſſent. H.

§. XI. 1) Addit limitationem Kvlpisivs Coll. Grot. Exercit. 7. §. 4. ſi actus nullam aliam quam renouati foederis interpretationem recipiant, & tunc renouationem in ſingulos ſolum annos factam intelligi. Enimuero tales actus oſtendere erit difficile, & quod in annuum foederis renouatio

re non ſtetit, & alteri ab eo diſcedere liceat. Poteſt tamen a foederatis conueniri; vt licet in vno capite foederi non fuerit ſatisfactum, reliqua tamen inuiolata obſeruentur. Quod tamen ita capiendum eſt, vt altera pars non teneatur praeſtare, quod capiti ab vna parte neglecto reſpondebat, & ne ſimul poſitiua aliqua noxa alteri inferatur.

§. XII. Videndvm iam eſt de ſponſionibus, ſeu pactis illis publicis, quae a miniſtro [1] ſummae poteſtatis circa negotium ad eandem ſpectans ſine ipſius mandato ineuntur. Super quibus ardua cumprimis quaeſtio mouetur; ſi ſponſio pure ſit facta, citra adiectam conditionem ratihabitionis faciendae a ſumma poteſtate, vbi eam ratihabere abnuit ſumma poteſtas, ad quidnam ſponſores teneantur illis, quibuscum pepigerunt? De qua re acriter diſceptatum legimus occaſione ſponſionis Caudinae apud Livivm L. IX. c. 8. ſeqq. [2] Et ſane, ſi ſtricto iure rem velimus metiri, neque ad iſtam ſponſionem ratihabendam, neque ad rem in priorem ſtatum reſtituendam tenebatur S. P. Q. Romanus; ſed ſufficiebat ſponſores dedere. Vid. Grotivs L. II. c. 15. §. 16. Valerivs Maximvs L. IV. c. 8. §. 1. Io. Mariana Hiſt. Hiſpan. L. XXI. c. 12. Si tamen ex aequo & bono rem aeſtimare velimus, omnino videbatur, populum Romanum ratihabere debuiſſe illam ſponſionem, vtut ſuo iniuſſu factam. Equidem penes conſules non erat citra peculiare mandatum de toto bello tranſigere, & pacem ac foedera cum hoſte facere. Quia tamen iſti conſenſum populi non praeter rationem praeſumſerant [3], & tot millia ciuium, adeoque flos ipſe populi, alio modo ſeruari non poterant, & ab hoſtibus fuerat praeſtitum, quod vtique paci & foederi aequipolleret, par ſane erat a populo ratihaberi conditiones nihil duri & iniqui habentes, (vid. Gvicciardinvs Hiſt. L. XII. p. m. 542. & 344. vbi agit de ſponſione Tremollii Diuione cum Heluetiis inita; & Templivs in Obſeruationibus ad ſtatum Prouinciarum Vnitarum Belgii p. m. 153. Vbi refert, ſe anno 1668. intra quinque dies tres tractatus cum Statibus Generalibus concluſiſſe, inconſultis prouinciis, quod obſeruato agendi modo ordinario illi omnino artibus aliorum forent diſturbandi, cum tamen iidem Reipublicae eſſent ſumme neceſſarii. Additque, ni prouinciae factum ipſorum probaſſent, de capite ipſos fuiſſe periclitaturos, cum ea res alias

 iſtorum

nouatio fieri cenſeatur, rationem vix habet. Equidem ſocietas inter priuatos interdum tacite renouata intelligitur: Verum id eſt ex lege ciuili, & inter priuatos tantum locum habet. Vid. *L. planе 37. D. Pro Socio* H. Felicivs de Societat. c. 41. H.

2) Vid. ſupra L. V. c. 10. §. 9. H.

§. XII. 1) Praetermiſit Avctor Iura Legatorum, niſi quod in L. I. c. 3. in tranſcurſu ea adtigit. Eadem nec quisquam adhuc alius vniuerſim Latino ſermone pro dignitate perſequutus eſt. Nam Grotivs L. II. c. 18. quando de Legatis, agit Ius Gentium voluntarium, ſiue quod in moribus Gentium poſitum ſit, expendit. In genere igitur hic commendandus eſt Auctor Gallicus, Iean de Wicqvefort de l'Ambaſſadeur, cuius optima Editio prodiit Amſterodami 1730. in 4to. De foro autem Legatorum, ſolerter pro more ſuo egit Corn. van Bynkershoek in opere ſingulari; de Iure Aſyli vero legatorum aedibus competente Chriſtianus Thomasivs.

2) Euoluatur Livivs L. IX. c. 8. & ſeqq. cui adiiciendus Bvddevs in Iurisprud. Hiſtor. ſpecimine & Thomasivs de Sponſione Caudina & Numantina, quae inter Lipſienſes 6. & 14. ſunt.

3) Ad hoc alii reſpondent coniecturam voluntatis in talibus non ſufficere. Vid. ſupra c. 6. §. 10. Quibus reponi poteſt, heic non tantum eſſe periculum, quale eſſe ſolet, vbi quis alteri bellum facit. H.

iſtorum mandata excedat.) Nam tunc demum praefracte populus potuiſſet inſiſtere illi principio, ſe non poſſe iniuſſu ſuo a magiſtratibus obligari, ſi intolerabile quid Samnites poſtulaſſent. Id mordebat ambitioſum populum, quod ſub iugum miſſus fuerat exercitus, ſtulto ſane conſilio ducis Samnitis, dum contumelia, viribus nihil detractura, iras ferocis populi immenſum accendit. Verum ea ignominia dignus erat exercitus, quod nullis praemiſſis exploratoribus in locum incognitum ita temere ſeſe conieciſſet. Quam ipſam tamen ſufferre ſatius erat, quam vires populi R. exſcindendas praebere. Expendantur, quae Lentulus ſponſionem ſuadens diſſerit apud LIVIVM L. IX. c. 4. Quin & ſaepe a ciuitate ratihabentur promiſſa & acta ducum ob inſignem eorum auctoritatem [4], & ne ipſorum fidem aliis proſtituant. Inde apud TACITVM A. XII. [c. 18.] *Mithridates conſultat: cuius miſericordiam experiretur: quod Romanorum nemo id auctoritatis adeſſet, vt promiſſa eius magni penderentur.* Sed nimirum ſuperbiſſimus populus nolebat conſiderare, ſibi non eſſe priuilegium, quo minus & ipſe aliquando experiretur, quod aliis ſaepe intulerat. Generoſe tamen Samnites, quod deditos ſponſores non reciperent. Id autem ridiculum plane & ineptum erat, quod cum deditio fieret, Poſthumius genu ſuo A. Cornelii fecialis femur, quanta maxima vi poterat, perculerit, & clara voce inclamauerit: ſe Samnitem ciuem eſſe, illum legatum fecialem a ſe contra ius gentium violatum, eo iuſtius bellum geſturos. Nec inſuper habendum, quod LIVIVS ita de hoc proceſſu iudicat: ſponſores; poſtquam dediti erant, & non recepti, iterum in caſtra Romana diſceſſiſſe, *ſua fide liberata*, ſed dubitabundus addit, *forſitan & publica.*

§. XIII. AD quaeſtionem denique: ſi ſumma poteſtas nouerit a miniſtro ſuo ſponſionem factam, & ſiluerit, an inde colligatur hanc ab ipſa adprobari? reſpondet GROTIVS dicto loco §. 17.

CAPVT

4) Cum A. MDCII. Franciſcus Mendoſa, Reg. Hiſpaniae Dux, captiuus promiſiſſet, curaturum ſe vt ſoluerentur, quicunque Foederatis populis vbicunque locorum capti tenerentur, *in tantum valuit apud Regem Hiſpaniae aut Mendoſae, aut futurorum Ducum reſpectus, vt pactis acceſſerit.* H. GROTIVS L. XI. Hiſtor. Belgic. ad d. A. H.

CAPVT X.

DE PACTIS REGVM PROMISCVIS.

I. *Ordo ſequentium.*
II. *Quatenus rex reſtitutione in integrum gaudeat contra extraneum:*
III. *Et quatenus contra ciues ſuos:*
IV. *Contractus regum quatenus exemti legibus ciuilibus.*
V. *Rex de ſuo iuramento valido diſpenſare nequit.*
VI. *Quatenus ciui actio contra regem ex contractu ſit.*
VII. *Contractus ciuium ſubiacent dominio eminenti.*
VIII. *Quatenus ex contractu regum obligentur ſucceſſores.*
IX. *An donationes regum ſint reuocabiles.*

REſtat vt videamus de illis quaeſtionibus, quae circa pacta regum promiſcua agitari ſolent. Quae ad tria capita reuocari poſſunt, primo an regi competat peculiaris aliqua poteſtas circa pacta propria; deinde quid ipſi liceat in obligationes aduerſus ſubditos contractas: & denique qua ratione ſucceſſores ſuos queat obligare.

§. II. Circa primum quaeritur, cum rex ciues ſuos in contractibus laeſos in integrum queat reſtituere, aut iuſtis de cauſis a iuramento abſoluere, an idem quoque poſſit in ſe ipſo; vbi ſcilicet per dolum aut vim, vel ex lubrico aetatis cum altero damnoſe contraxerit, aut ſi alias in contractu enormiter laeſus ſit, aut ſi temerario iuramento ſeipſum obſtrinxerit. Vbi obſeruandum, ſi iſthaec quaeſtio ita crude, & vti verba iacent, accipiatur, eam contradictionem inuoluere. Nam reſtituere in integrum, abſoluere a iuramento, tales ſunt actus, qui non ſolum in alium tendunt, ſed & qui proficiſcuntur ab eo, qui poteſtate aliqua ſuperiore eſt inſtructus in alterum [1], qui reſtituendus aut abſoluendus eſt. Ergo quaeſtio ita potius exprimenda fuerit: ſi rex in obligatione aliqua contrahenda laeſus fuerit, an poſtea laeſione deprehenſa, propriam per auctoritatem poſſit declarare, obligatione illa ſeſe ob adhaerens ei vitium non teneri? Heic ſciendum, quemadmodum qui in libertate naturali viuunt, nemini mortalium ſubiecti, ſuarum rerum ipſi ſint arbitri [2]; ita ſi ab altero in pacto iniuſte laedantur, ipſi per ſe reſtitutionem aut ſupplementum exigere poſſunt, modo laeſio & iniuria ſit manifeſta. Nam vbi ea dubii quid habet, par fuerit per arbitros rem definiri [3]. Igitur ſi rex, vtpote naturali gaudens libertate, pacto ſuo ineſſe aliquod vitium deprehenderit, per ſeipſum alteri poteſt declarare [4], ſe ex vitioſo illo pacto nolle teneri; neque neceſſum eſt, vt ab alio

§. II. 1) V. ſupra L. IV. c. 2. §. 24. H.
2) Et iudices L. V. c. 13. §. 2. H.
3) d. c. 13. §. 3. & ſequ. H.
4) Etiamſi metu fuerit initum. V. ſupra L. III. c. 6. §. 11. H.

quo eius relaxationem impetret, quod intrinſeca ſua natura ad obligationem & ius producendum eſt ineptum. Apud GRAMONDVM Hiſt. Gall. L. II. Ludouicus XIII. aſſerit: *iuſtam appellationem a rege in vinculis poſito ad regem liberum eſſe.* Enimuero quia fieri poteſt, vt quis per malitiam ad fidem fallendam incitatus perfidiae ſuae vitium aliquod pacti praetexat; inde in ciuitatibus recte conſtituitur, quinam actus ipſo iure pro inualidis & nullis ſint habendi, aut ſuper quibus cognitio & ſententia iudicis ſit expectanda.

§. III. Quod ſi autem regi ſit negotium cum ſuis ciuibus, tunc de diſtinctis caſibus diſtincte putauerim pronunciandum. Minorennitas regis tamdiu durare iudicatur, quod regni adminiſtratio penes tutores eſt. Intra eam cum extraneis quidem ipſe nihil contrahere poteſt. Sed ſi cum ciue ſuo contraxerit, eoque deinceps contractu laeſum ſe deprehendat; non adparet ratio, quare nec ipſe legum beneficio frui debeat [1], quod aliis indulget; cum alias deteriore conditione, quam priuatus eſſet; nec propter aetatis infirmitatem praeſumi poteſt, ipſum exceptioni minorennitatis valide renunciaſſe. Pacta cum extraneis per tutores regios legitime inita rex ſub obtentu minorennitatis poſt reuocare non poteſt [2], quia alias nemo ſecure cum rege minorenni paciſci poſſet. Tutores tamen adminiſtrationis ſuae rationem reddent. Sed nec vlla exceptio metus aut laeſionis, doliue valet contra capitulationes [3], circa quas cum regibus limitatis populus in delatione regis conuenit. Quod ſi leges iſtae nimis durae videbantur, nemo erat, qui regnum ſuſcipere cogeret. Nec praeſumitur, populum aliquem adeo imprudentem eſſe, vt regem ſuum eiusmodi legibus velit adſtringere, quae ſummum imperium reddant mancum, aut velut immobile. Quo loco & illud obiter quaeritur: an Dauid potuerit retractare iuramentum, quo Simei, qui profugum conuiciis inſectatus fuerat, impunitatem promiſerat? Id quod negandum. Nam neque per vim metumue, aut per imprudentiam iurauerat rex, ſed cauto potius conſilio, vt tanto clementiae ſpecimine defectionis ſibi conſcius populus eo fidentius ad obſequium rediret. Et vero impunitas illa in ſe non erat illicita, poteratque delictum illud rex, vtpote in ſuam perſonam commiſſum, citra cuiusquam iniuriam condonare. Verum an recte fecerit, quod in vltimis mandatis Salomonem ſuper facinore iſto monuerit [4], quidam dubitauere. Nos arbitramur Dauidem nihil heic contra iuramentum ſuum feciſſe. Neque enim praecipiebat filio, vt ipſe Simei ob delictum plecteret; ſed monebat duntaxat, vt hominem prauum, & familiae ſuae infeſtum caute obſeruaret, ne res nouas moliretur, & ſi quid flagitii denuo committeret, in venia danda non adeo facilis eſſet. Hinc Salomon ipſi praecepit, vt Hieroſolymis ſub oculis regis habitaret, nec riuum Cedron tranſiret, ne adſpiciendo locum, in quo Dauidi tam foede maledixerat, ſuper impunitate ſua gaudium conciperet. Verum diuina prouidentia ita diſpoſuit, vt leges tam faciles, abs ſeſe quoque adprobatas, violaret, vt iuſta foret occaſio, condigno nequam hominem exitio tradendi.

§. IV.

§. III. 1) Maxime cum & leges illae contra ipſum valeant. V. §. ſeq. H.

2) Niſi tutores mala fide egerint, aut poteſtas eorum a concilio aliquo fuerit ſuſpenſa. V. quae dixi Diſſertat. de Tutel. regia ſect. 2. §. 12. H.

3) V. ſupra L. VII. c. 6. §. 9. H.

4) Conf. L. IV. c. 2. §. 13. vbi haec iisdem fere verbis leguntur.

§. IV. Obſervandvm deinde, vtut reges, quando actus quoſdam cum ciuibus ſuis exercent non vt reges, ſed vt quiuis alii priuati, praeſumantur ob oculos habuiſſe leges ciuitatis poſitiuas [1], quae ſuper validitate talium actuum extant: tamen cum ipſi ſint ſuperiores legibus ciuilibus, nulla neceſſitate ſtringuntur, vt omnino eas leges etiam in priuatis actibus ſequantur. Igitur ſi ſcientes volenteſque contractum aliquem ineant, qui alias per leges ciuiles inualidus erat; cenſentur contractum iſtum abs vi legum ciuilium, ſi qua eſt, exemiſſe, ex iisdem irritum non declarandum; cum alias nihil ab ipſis foret actum. De facto Philippi II. regis Hiſpaniarum, qui obtentu legum aere ſe alieno exſolutum ibat circa finem ſuperioris ſeculi, videatur Grotivs Hiſt. Belgicae L. V [2]. Id tamen omnino admiſerim, ſi in contractu enormem laeſionem, quam ab initio non videbat, poſtea rex deprehenderit; eum contractum ab ipſo poſſe reſcindi, aut ſaltem ad aequitatem reformari. Add. Grotivs L. II. c. 14. §. 2.

§. V. Illvd manifeſtum eſt, hautquidquam licere regi iuramentum ſuum reſcindere, valide conceptum, & cui nullum adhaerebat vitium, eo tantum obtentu, quod quaedam ſuorum ſubditorum iuramenta eidem liceat reſcindere. Nam quae hoc modo reſcinduntur, iam antea hanc conditionem in ſe habebant; ni ſuperior noluerit. Atqui nullam poſſe contrahi obligationem, ſi quis ſuo arbitrio reſeruauerit facultatem non praeſtandi, in aprico eſt. Add. Grotivs dicto loco §. 3.

§. VI. Caetervm etſi promiſſa ac pacta aeque conſcientiam regis, quam alicuius priuati ſtringant: in eo tamen eſt diuerſitas inter obligationem regis & ſubditorum, quod iſte facili negotio a ſubdito tergiuerſante debitum poſſit extorquere. Verum ciui, quamdiu tali, nullum ſuppetit medium ab inuito rege debitum extorquendi. Etſi nullus cordatus rex legitime contractum debitum ſoluere abnuet, qui cogitauerit, ſuam ſalutem atque eminentiam fide pactorum niti; ac indignum eſſe, ſi cui iuſtitiae aſſerendae eſt ipſe conſtitutus, eam ipſe vltro proculcet. Quod ſi tamen reges ex contractu ſubditis aduerſus ſe actionem concedant in proprio tribunali *, iſta actio non tam iure ciuili, quam aequitate naturali nititur; quaſi cognita ſua obligatione non poſſint, quod debent, non velle praeſtare. Adeoque eiusmodi actione non id quaeritur, vt rex cogatur ad ſoluendum debitum, ſed vt ſubditus liquido oſtendat, principem ad id ſoluendum ſeſe obligaſſe. In eiusmodi autem iudicio merito debet obtinere illud Siſimethrae apud Heliodorvm Aethiop. L. X. Τὰς ὑπεροχὰς ὀ δυσωπεῖ τὸ δίκαιον· ἀλλ᾽ εἷς ἐςὶν ὁ βασιλεύων ἐν ταῖς κρίσεσι, ὁ τοῖς εὐλογωτέροις κρατῶν *Faſtigia dignitatis non reſpicit aequitas: ſed is regnat in iudicio, qui probabilioribus vincit rationibus.*

§. VII. Id quoque contingere poteſt, vt ſubdito ius quaeſitum ex contractu auferatur, in poenam, vel ex vi dominii eminentis; vt tamen heic neceſſitas Reipublicae antecedat, & refuſio de publico fieri debeat *. Sicuti etiam

§. IV. 1) Vid. ſupra ad L. VII. c. 6. §. 3. H. 2) Et L. XVI. Hiſtor. ad A. MDCVII. in fine, vbi refert, Philippum III. Reg. Hiſp. creditoribus minuiſſe vſuras, ſibi prorogaſſe diem. H.

§. VI. * Vid. ſupra L. VII. c. 6. §. 2. H.

§. VII. * Vid. ſupra c. 5. §. 7. H.

etiam ex cauſa ſolutio differri poteſt, vbi magna Reipublicae neceſſitas pecuniam, priuato alias ſoluendam, tantiſper ſibi impendi imperat. Ex quibus etiam adparet, quid de tabulis nouis iudicandum ſit: quae Soloni vocabatur σεισάχθεια. Vid. PLVTARCHVS Solone. CICERO Offic. II. [c. 24.]

§. VIII. PORRO vt adpareat, an & quatenus rex anteceſſor poſſit obligationem transmittere ſuo ſucceſſori ex contractu priuato; videndum prius eſt, an rex regnum ſuum habeat in patrimonio, an vero idem poſſideat iure velut vſufructuario [1]. Qui regi ſuccedit, cui priori modo regnum tenetur, is, vt in omnia ipſius bona, ſic & in debita, & obligationes, quae non vltimato in ipſius perſona terminabantur, ſuccedere cenſendus eſt. Circa debita autem regum, qui poſteriori modo regna obtinent, GROTIVS L. II. c. 14. §. 11. cenſet, ad iſta exſoluenda non teneri ſucceſſores ἀμέσως, & eo ipſo, quod in locum alterius ſubeunt. Nam tales reges ius ſuum ad regnum non accipiunt ab eo, qui proxime deceſſit, ſed ab ipſo populo [2]. Verum ἐμμέσως & per interpoſitam ciuitatem [3] etiam tales ſucceſſores ex debito anteceſſorum obligantur, non quidem veluti pro ſe, ſed tanquam capita ciuitatum, quam vltimato afficit debitum a rege tanquam iſtius capite contractum. Quod enim regibus competat facultas ipſam ciuitatem per debita obligandi, inde manifeſtum eſt, quod ſaepe alia ratione neceſſitatibus Reipublicae non poſſit ſuccurri, quam vt eiusmodi debita contrahantur. Cum autem regi competat facultas ciuitatem adminiſtrandi & conſeruandi, etiam competent ipſi omnia media, ſine quibus finis ille non poteſt obtineri. Neque tamen illa poteſtas obligandi ciuitatem in infinitum abit; ſed tantum eo vsque, quoad probabilem rationem debitum contrahendi rex habuerit. Neque enim ad eas anguſtias redigendus eſt rex, vt non niſi illa debita in ciuitatem deuoluere poſſit, quae actu in vtilitatem ciuitatis ceſſerunt; (licet municipales magiſtratus huc adſtringi poſſint; vid. *L. 27. D. de Rebus creditis:*) ſed ſufficit ſi probabilem rationem facti ſui habuerit [4], licet fors praeter ſpem euentu deſtitutus fuerit. Vid. *L. 12. C. de Transact.* Sic igitur contractus regum obligabunt ciuitatem, qui non manifeſte abſurdi aut iniqui ſunt; etſi in dubio pro ratione regis praeſumitur. Adeoque ex illis etiam ſucceſſores tenebuntur, quatenus capita ciuitatum. Quin & ipſe populus tenebitur, ſi rege ſublato, ſui iuris eſſe coeperit [5]. Nam & ſi quid populus antea liber contraxiſſet, obligaretur & is, quem poſtea populus etiam pleniſſimo iure conſtituiſſet. Atque hoc modo iſthanc quaeſtionem definire melius eſt, quam adhibita diſtinctione inter laeſionem modicam & magnam [6]. Nam in adminiſtratione rerum ciuilium

§. VIII. 1) Quam Regnorum diuiſionem fundamento deſtitui ſupra monitum fuit.

2) Vid. ſupra L. VII. c. 7. §. 12. circa fin. H.

3) Siue potius populum pacto primo coniunctum. H.

4) Plane vt in adminiſtratione ex mandato & negotiorum geſtione negotium ex iuſta neceſſaria vel vtili ratione inchoatum vel ſuſceptum eſſe ſufficit, etſi id effectum non habuerit. *L. 10. §. 9. D. Mandati L. 10. L. 12. L. 22. D. de Negot. geſt. L. 17. D. de In rem verſo.* H.

5) Infra c. 12. §. 2. H.

6) Aut inter regna ſucceſſiua & electiua, in quibus ſucceſſores obligari negat KLOCKIVS de Contribut. c. 5. n. 53. ſeq. cum iis, quos profert. Non enim electus Rex ex perſona deceſſoris, ſed propter populum obligatur. H.

§. IX. 1) Vbi edictum Diui Neruae exhibetur.

ciuilium longe aequius eſt probabilem rationem, quam exitum ſpectare; cum etiam prudentiſſime cogitata improuiſus caſus ſoleat intercipere.

§. IX. Isthaec, quae de contractibus regum dicta ſunt, etiam ad donationes eorum adplicari debent; vt nempe illae a ſucceſſoribus reuocari nequeant, ſiquidem probabilem rationem habuerint. Vid. Svetonivs Tito c. 8. Plinivs L. X. Epiſt. 66. [1] Gratianvs Cauſ. 25. quaeſt. 1. c. 15. Contra Galba largitiones a Nerone factas repetere inſtituit, decima tantum liberalitatis parte apud quemque relicta. Svetonivs Galba c. 15. Tacitvs H. L. II. [c. 55. num. 4.] Et apud Evndem H. L. III. ridentur Vitellii Rempublicam lacerantis donationes, *quae neque dari neque accipi ſalua Republica poterant.* Sic Senatus rurſus vectigales iuſſerat ciuitates, quas Sulla pecunia accepta immunes fecerat. Quod tamen improbat Cicero Offic. III. [c. 22.] Et ſane videtur, pecuniam ipſis fuiſſe reſtituendam, ſiquidem ea in publicos vſus impenſa fuerat. Sic etiam Baſilius Macedo, cum anteceſſor ipſius Michaël omnem pecuniam publicam diſſipaſſet, decreuit, *vt qui nulla probabili de cauſa pecuniam accepiſſent, eam, vt ſaltem eius ſemiſſem reſtituerent*, apud Zonaram in Baſilio Macedone. Add. Hieron. Osorivs de Reb. geſt. Eman L. I. vbi de donationibus regis Ioannis, morte inſtante factis, agit. Quanquam & circa eiusmodi donationes obſeruandum, de quonam factae ſint. Si de ſuo rex donauit, plane irreuocabilis donatio erit. Sin de fructibus bonorum facta donatio fuerit, quorum adminiſtratio penes regem erat; ſpectandum omnino, an ea rationem, modumque habuerit. Nam vti nemo negauerit, quin ex aerario bene meritis aut merentibus donare quid poſſit, prout opes Reipublicae ferunt: ita ſi in homines nauci, atque inutiles immodica pecunia ſit profuſa, aerariumque per ambitionem exhauſtum, ſatius credo fuerit, inde reuocari, vnde publicae egeſtatis cauſa [2]. Add. Boeclervs ad Grot. L. I. p. m. 107. Grotivs d. l. §. 12. Non inſuper quoque habendum, quod de Ferdinando Arragonio refert Laurentius Valla de Rebus geſtis eius Regis L. III. *In patrimonio regali tuendo tenax, quod qui alienarent, aiebat, inimicos potius parare ſibi, quam amicos, quia ex ſubditis illos quosdam regulos facerent, ſemper ſolicitos ac ſuſpicantes, eorum iura licentiamque iri deminutum.* Eadem quoque adplicari poterunt ad priuilegia [3] & immunitates [4], vt nempe inſpiciatur, an & ipſa rationem atque modum habuerint, & an cum ſalute ciuitatis conſiſtere poſſint. Nam quin haec pluris eſſe debeat, quam inconſulta regis facilitas, dubium non eſt. Sicuti & alias eiusmodi priuilegia, quatenus ad onerandos reliquos ciues pertinent, ſtricte interpretanda ſunt [5].

tur. Quem morem in regno Franciae, perquam religioſe obſeruari, ſcribit Cviacivs in Paralipom. oper. poſth. ad tit. X. *de Confirm. vtili vel inutili.* H.

2) Iacobus Rex Scotiae donationes omnes, in praeiudicium coronae factas, & emtiones reuocauit. Robert. Ionhstonvs L. V. Rer. Britannic. ad A. MDXCI. H.

3) Vid. Obſeruatt. Halenſes T. II. Obſ. 12. 14. 15. Adde, Reuocationem Priuilegii, quamuis iuſtiſſimis de cauſſis fiat, rem periculoſam eſſe, & quae multum prudentiae deſideret. Solent enim, ſi ſaepe Priuilegia reuocentur, inde ſeditiones oriri ſedatu ſaepe difficillimae.

4) Vid. quae diſputata in Anglia ſuper priuilegiis ciuitatum Hanſeaticarum apud Grotivm L. VII. Hiſtor. ad A. MDXCIIX. Camdenvm Hiſtor Eliſabeth ad A MDXCVII. H.

5) Vid. Zieglervs L. I. de Iur. maieſt. c. 12. §. 14. Adde ſupra L. V. c. 6. §. 22. hoc libro c. 5. §. 32. H.

Digitized by Google

Conf. *L. 1. §. 10. 16. D. Ne quid in loco publico*, & Oratio DEMOSTHENIS aduerſus Leptinem. [p. 279. E. Ed. Steph.] Apud APPIANVM Alexandr. Ibericis, cum Romanis tributa & militiam exigentibus Celtiberi priuilegia ab ipſis Romanis conceſſa opponerent; additur: *Et ita ſe res habebat. Sed cum Senatus eiusmodi priuilegia alicui indulget, ſemper hanc addit exceptionem:* Κυρίας ἔσεσθαι μέχρι ἂν αὐτῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ. *valitura, quamdiu ſibi populoque Romano libuerit.* Apud GVICCIARDINVM Hiſt. L. VII. Ludouicus rex, Genuenſibus rebellibus deuictis, annullauit omnes conuentiones inter ipſum, & eam ciuitatem initas [6]: ſed tamen eadem omnia iterum conceſſit, tanquam priuilegia, non tanquam pacta; *vt ſemper foret in ſua poteſtate iſtis eandem priuare.* Quod tamen circa quaeuis priuilegia procedere non crediderim; ſed illa tantum, quae non niſi vim precarii obtinent.

* *

CAPVT XI.

QVIBVS MODIS CIVIS ESSE QVIS DESINAT.

I. *Ciuis quis eſſe deſinit, rege ſine ſucceſſore mortuo.*
II. *Item, ſi quis migret.*
III. *Quid in migratione obſeruandum?*
IV. *An gregatim poſſit diſcedi.*
V. *An licitum ſit ſimulare transfugam?*
VI. *An ciuitas poſſit expellere ciuem pro lubitu?*
VII. *De exilio.*
VIII. *Ciuitas amittitur per vim hoſtilem.*
IX. *An deditus, nec receptus, ciuis maneat?*

I. INTER modos, quibus aliquis ciuis eſſe deſinit, a nonnullis & iſte numeratur, ſi rex ſine omni haerede & ſucceſſore moriatur, aut regnum habere coeperit pro derelicto. Tunc enim ſingulos in libertatem natura-

6) In Romano etiam Imperio moris erat, cum prouinciae ſe ſubmitterent, ab Imperatoribus πρόσταγμα ſiue edictum publicari, cuius tenore primum dominationem omnem & poteſtatem in illum populum ſibi vindicabant; deinde de iure ſuo remittebant, facta inſinuatione ſecuritatis & libertatis populi ſubditi. Prouinciae autem, vt horum priuilegiorum honorem redderent Imperatoribus, in perpetuam memoriam omnia acta publica ab illo tempore computabant. Quod exemplo Antiochiae, a Caio Iulio Caeſare libertate redonatae, docet Ioannes ANTIOCHENVS L. IX. Chronograph. MSS. apud Ioh. GREGOR. not. & obſeruat. ad loca aliquot ſcripturae c. 36. Haec forte cauſa, quare libertas quandoque ademta foederatis ciuitatibus. Vid. SVETON. in Auguſto c. 47. in Tiberio c. 37. vbi de Cyzicenis, in Claudio c. 23. in Veſpaſiano c. 8. vbi de Achaeis, Lyciis, & aliis. H.

§. I. * Vid. ſupra L. VII. c. 7. §. 7. H.

§. II. 1) Ego contra cum ARNISAEO L. I. Rel. Pol. c. 5. ſect. 8. diſceſſum ſine venia impetrata nego eſſe licitum, ob duplex pactum, quo ciuitatem firmari ſupra diximus. Nec obſtat, primo pacto ſocietatem conſtitui, cui renunciare fas ſit. Etenim hoc ex conſtituto, & ciuili non naturali iure prouenire, ſatis oſtendit foederum obligatio, in qua id non obtinet. Quare ſic exiſtimo, vbi lex vel conſuetudo aliud non introduxit, vltroneam ciuis ſubditi demigrationem a voluntate ſummi imperantis pendere hactenus, vt aeſtimet, an ea fraudi vel damno ſit Reipublicae. Nam ſi nullo vel exiguo ciuitatis commodo diſceſſum & ſimul fortunam ciuis remoretur, ſummus impe-

naturalem abire. Sed cum planum ſit regnum eiusmodi caſu non penitus diſſolui, ſed in formam interregni recidere; igitur perit quidem tunc obligatio ciuium aduerſus regem, qui nullus amplius exſiſtit, ita tamen, vt primaeuo adhuc ciuitatis pacto inter ſe ciues coniuncti maneant *.

§. II. ILLVD frequentiſſimum eſt, vt quis ſponte, permittente ſua ciuitate, in aliam ciuitatem concedat, ſedem ibi fortunarum fixurus. Iſthaec ſpontanea migratio quo vsque ciuibus ſit permiſſa, ex modis, quibus aliquis in ciuitatem ſit receptus, colligitur. Quidam enim iuſto bello victi, aut extrema neceſſitate adacti in ciuitatis alicuius ditionem concedunt: qui quanta heic libertate gaudeant, ex legibus ciuitatis eſt cognoſcendum. At ſi quis liber homo, qui vel nullius imperio ante ſubiectus fuit, vti priſci illi patresfamilias, vel eo, quo antea tenebatur, iam ſolutus, ſponte ſeſe alicui ciuitati adiunxerit; itidem ex ſtatutis eius ciuitatis erit iudicandum, quidnam circa migrationem libertatis ipſi ſit relictum. Dantur enim ciuitates, ex quibus citra expreſſum earundem conſenſum migrare non licet. Alicubi certo onere ea licentia eſt redimenda; puta ſumma aliqua pecuniae, aut aliqua bonorum portione. De Argiuis OVIDIVS Metam. L. XV. [v. 28. 29.] *Prohibent diſcedere leges, Poenaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.* Vbi autem circa eam rem nullae extiterint leges, quid liceat, ex conſuetudine aut ex natura ſubiectionis ciuilis colligendum. Quae conſuetudo admittit, eorum licentiam quilibet ciuis habere cenſetur. Si neque haec praelucet, & in ſubiectionis pacto in neutram partem ea de re mentio ſit facta: magis eſt, vt licentiam pro arbitrio migrandi liber ſibi homo reſeruaſſe intelligatur [1]; vtque adeo *mundanum* ſe potius cum Socrate quam glebae certae adſcriptum ferre velit [2]. VALERIVS FLACCVS L. VII. [v. 227.] *Omnibus hunc communem animantibus orbem, Communes & crede deos; patriam inde vocato, Qua redit itque dies: nec nos dis nata malignis Cluſerit hoc vno ſemper ſub frigore meſſis, Fas mihi non habiles, & fas tibi linquere Colchos.* Qui enim ciuitati ſe adiungit, ille cura ſui ac rerum ſuarum hautquidquam ſeſe abdicat; ſed id potius agit, vt inſigne ſibi firmamentum

 circum-

imperans haud dubie peccat. Cui conſequens eſt, non iniuſtum eſſe vectigal, quod ab imperantibus interdum ob peculiares Reipublicae rationes (v. Nicol. BVRGVNDVM L. III. Hiſtor. Belgic. ad A. MDLXV.) exigitur. Deinde leges vel mores, emigrationem ciuium ſub poena vetantes, quales olim apud Argiuos, Ouidio teſte, hodie in Moſcouia, Ducatibus quibusdam Italiae, & alibi (V. BODINVM L. I. de Rep. 6.) vniuerſe pro irritis aut iniquis haberi haut poſſe. Poſtremo ciuem, emigrandi licentiam nactum, ob hoc ipſum & alia beneficia ante percepta antiquae patriae permanere obligatum, quatenus nouae ſtatus patitur. Ita Ioannes Storius Anglus, vt vt Hiſpaniae Regis ſubditus iuratus, quod multa contra Angliae regnum machinatus eſſet, ex inſidiis captus, maieſtatis damnatus fuit: aiebant enim Angli, *neminem patriam, in qua natus ſit, exuere, nec ſolum natale aut Principem pro arbitrio eiurare poſſe.* Vt CAMDENVS ad A. MDLXXI. & Ioann. MEVRSIVS in Vita Guilielm. Auriac. L. V. ad A. MDLXIX. referunt. Quanquam H. GROTIVS Appendic. Epiſt. 670. & 672. A. MDCXLIII. ſub exemplo Rougemontii ſecus ſentiat, ſcribens inter alia: *Ego exiſtimo, licere Belgis, vt & Hiſpanis, patriam derelinquere, ſine vllis vinculis reliquiis.* Caeterum & ille CICERONIS *pro Balbo* locus, quem AVCTOR adduxit, ſatis euincit, ius mutandi ciuitatem eſſe beneficium, & Romanis ex lege competiiſſe. H.

2) Apud PLATONEM cuiuis priuato Athenis integrum erat, examinare leges & conſuetudines Reipublicae, &, ſi eas e re ſua eſſe non putaret, cum omnibus bonis ſuis, quo vellet, ſecedere. Vide eius Criton. p. 51. D. Edit. Serrani.

circumponat. Quia tamen ſaepe contingit, vt publicum regimen priuatis alicuius rationibus parum expediat, aut alibi commodius iisdem queat proſpici: & vero poſtulari nequit, vt ad vnius aut paucorum lubitum Reſpublica reformetur: proximum erit, vt ipſis ſit conceſſum per migrationem rebus ſuis conſulere. CICERO Tuſc. Quaeſt. L. V. *Demaratus Tarquinii regis pater tyrannum Cypſellum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi ſuas fortunas conſtituit. Num ſtulte antepoſuit exilii libertatem domeſticae ſeruituti?* Add. DIODORVS SICVLVS L. I. c. 67. Aliis vt dotes animi exſerant, ſua ciuitas campum non praebet. In quos cadit illud STATII Syluar. L. I. *Vidi ego tranſfertos alieno in robore ramos Altius ire ſuis.* Alii experiuntur illud: Ὀυδεὶς προφήτης δεκτὸς ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. *Nullus Propheta eſt acceptus in patria ſua;* quod liuore tumeant ignaui oculi, cum virtute ſupra ſe euectos ſentiunt, quos quondam in aequo, aut infra viderunt. Vel etiam quia, vt Lacydes aiebat apud DIOGENEM LAERTIVM L. IV. [§. 60.] Τὰς εἰκόνας πόῤῥωθεν δεῖ θεωρεῖσθαι. *Procul ſpectari imagines oportet;* quia *minuit praeſentia famam.* Talibus licentiam migrandi denegare velle, idem foret atque liberis hominibus imperare, vt ſupra parentum ſuorum conditionem nunquam adſpirare audeant. Sed & ipſae ciuitates ex hac migrandi licentia commodum ſentiri poſſunt, adſcitis aliunde egregiis viris. CICERO pro Balbo [c. 13.] *Iure noſtro neque mutare ciuitate quisquam inuitus poteſt, neque ſi velit, mutare non poteſt, modo adſciſcatur ab ea ciuitate, cuius eſſe ſe ciuitatis velit.* Et mox: *Multi etiam ſuperiore memoria ciues Romani ſua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis, alias ſe in ciuitates contulerunt. Et ex omnibus ciuitatibus via eſt in noſtram, noſtrisque ciuibus patet iter ad caeteras ciuitates.* Idque ius ampliſſimis verbis extollit: *O iura praeclara,* inquit, *atque diuinitus iam inde a prnicipio Romani nominis a maioribus noſtris comparata, ne quis inuitus ciuitate mutetur, neue in ciuitate maneat inuitus. Haec ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtrae libertatis, ſui quemque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum.* Add. *L. 12. §. 9. D. de Capt. & poſtl.* & GROTIVS L. II. c. 5. §. 24. Neque obſtat, quod patresfamilias, qui initio ciuitatem conſtitutum iuerunt, pacto intelligantur ſinguli ſingulos obſtrinxiſſe, quod ipſi ſuas vires in commune velint coniungere. Nam etiam aliis ſocietatibus renunciare poteſt ſocius, ſi id fiat citra dolum malum, non intempeſtiue & in fraudem caeterorum, praeſertim ſi ad certum tempus ſocietas non ſit contracta. Quanquam & ideo multae ciuitates parum curent, an ſui ciues migrent, quod multitudine hominum laborent, & potius circa eam minuendam ſint ſollicitae.

§. III. ISTA tamen migraturo ex debito aut decoro obſeruanda ſunt, vt, cum ciuitatis plerunque interſit noſſe ciuium numerum, indicet de ſuo diſceſſu. Niſi forte certis ex argumentis colligat, ciuitatis nihil intereſſe, gnara ipſa, an inſcia quis diſcedat. Illis autem vtique expreſſo ciuitatis conſenſu opus eſt, qui ad peculiare munus, praeſertim ad certum tempus, ſeſe obſtrin-

§. III. 1) Hinc transfugas licet, vbicunque inuenti fuerint, quaſi hoſtes interficere, vt eſt in *L. 3. in fin. D. ad L. Corneliam de Sicar.* Conf. *L. 7. D. de Re militar.* CVIACIVS L. IV. Obſeru. 9. H.

2) Quales olim in Germaniae Principum regio-

obſtrinxere; puta qui legationem obeunt, qui in expeditione verſantur [1], aut alio in munere, quod ex ſingulari pacto fuit ſuſceptum. Sed & tempeſtiue debet fieri diſceſſus, & quando ciuitatis non peculiariter intereſt, ne is fiat. Quam in rem haec adfert exempla G R O·T I V S dicto loco. *Si magnum ſit contractum aes alienum, niſi paratus ſit ciuis in praeſens partem ſuam exſoluere. Item ſi fiducia multitudinis aut virtutis certorum ciuium bellum ſit ſuſceptum, praeſertim ſi obſidio immineat; niſi paratus ſit ciuis ille alium aeque idoneum ſubſtituere, qui Rempublicam defendat.* Vid. L Y C V R G I Oratio contra Leocratem. Nec bonos ciues dixeris, in quos adplicari queat illud H O R A T I I L. I. Od. 35. [v. 26. 27. 28.] *diffugiunt cadis Cum fece ſiccatis amici, Ferre iugum pariter doloſi.* Id autem probe obſeruandum, vocabulum migrandi ita heic accipi, vt quis alicuius ciuitatis fines & territorium excedat; non vt imperio ciuitatis in ſe renunciare velit, & nihilominus intra eiusdem territorium domicilium habere [2]. Quae enim certis finibus ditionem ſuam circumſcripſit ciuitas, cenſetur ſimul prohibere, ne quis ipſa inuita domicilium ibi habeat, qui eius imperium nolit agnoſcere. Quo loco & illud obſeruandum, ſpurium eſſe modum obligatione ſuae ciuitatis ſeſe exſoluendi, qui olim Hiſpaniae Proceribus frequentabatur, vt publicis tabulis patriae renunciarent, & in alia loca ſe conferrent. Quo facto credebant, nefas ſibi non eſſe, arma Regi patriaeque ſuae inferre, nec eo nomine maieſtatis poſtulari ſe poſſe. Vid. M A R I A N A de Rebus Hiſpan. L. XIII. c. 11. Ex hactenus dictis etiam colligi poteſt, quam efficaciam habeant mandata auocatoria, queis indigenas ab exterorum miniſteriis abſtrahere vult ciuitas. Scilicet ſi ex ciuitate, in qua promiſcue ius emigrandi vſurpatur, aliquis nullo peculiari vinculo adſtrictus in aliam ciuitatem fortunarum ſedem tranſtulerit, in eum nihil amplius iuris habet antiqua ciuitas; adeoque nihil agit, ſi vel maxime diſpendium famae non pariturо minetur. Aſt in illum adhuc ciuitati ius manet, qui vel contra ipſius leges migrauit, vel peculiari vinculo fuit obſtrictus, vel bona adhuc praeſertim immobilia ſub ipſius ditione poſſidet, vel denique peregrinandi duntaxat cauſa, reſeruato ſibi ciuitatis iure abeſt. Quo loco etiam obiter memoranda lex Solonis apud P L V T A R C H V M in ipſius vita: qua *recipi ciuitate vetat, niſi qui ſint in perpetuum exilium patria ſua exacti, aut cum toto domicilio Athenas artis ſuae exercendae gratia commigrauerint. Quod ſtatuiſſe ferunt eum non tam ſummouendorum cauſa alienigenarum, quam inuitandorum Athenas ſpe certa in communicationes ſe venturas ciuitatis ſimul fidos exiſtimans fore hos, quod conſulto, illos quod coacti patriam ſuam repudiauiſſent.* Caeterum cum in eum, qui ſemel vinculo ciuili liberatus eſt, ciuitas nihil poteſtatis retineat, in aprico eſt, iſtum, ſi a noua ſua ciuitate, in quam ſe contulit, ad veterem ciuitatem tanquam legatus mittatur, omnino priuilegiis legatorum frui, inter quae praecipuum eſt, vt exemtus ſit a iuriſdictione eius, ad quem mittitur [3]. Nam ſi quis veterem ciuem tali honore dignari non velit, admiſſionem iſtius detractare poteſt. Quod eo vsque videtur extendendum, vt ſi ciuis ſciente ſua ciuitate alteri ciuitati fidem

regionibus erant Phalburgeri dicti, variis Imperatorum Conſtitutionibus repreſſi. H.

3) Modo ſe vt legatum gerat, & hoſtilia in ciuitatem, quae eam admiſit, non moliatur.

Add. Rich. Z O V C H A E V S Part. II. Sect. 4. quaeſt. 19. de exule, an ei ad Principem ſuum legato ſecuritas debeatur? H.

fidem ſuam addixerit, circa huius negotia ibidem ſub charactere legati & miniſtri publici expedienda, iſta eidem obligationem ciuicam remiſiſſe intelligatur; cum duae obligationes eiusmodi indolis in vno ſubiecto haerere nequeant. Eoque talis ex eo tempore in patria ſua, quam fictione quadam mutaſſe iudicatur, vtique iuribus & priuilegiis legatorum fruetur.

§. IV. Gregatim tamen non poſſe diſcedi Grotivs d. l. aſſerit ex ea ratione, quia hoc conceſſo, ciuilis ſocietas non poſſit ſubſiſtere. In moralibus autem neceſſarium iudicari, citra quod finis aliquis obtineri nequit; & fieri non poſſe, quod eundem intercipit aut deſtruit. Add. Livivs L. XLI. c. 8. 9. Quae tamen ſententia dubio non caret. Si enim ſingulis licet pro arbitrio migrare, cur non idem liceat pluribus, quibus ſedem fortunarum eodem tempore transferre commodum eſt; modo nihil eorum, quae ſupra monuimus, obſtet [1]. Nec ad rem facit, quod hoc modo ciuitas debilitetur. Nam qui ius non habet me inuitum retinendi, illi non fit iniuria [2], ſi futurum aliquod commodum nondum debitum, meo diſceſſu ipſi intercipiatur. Neque vero neceſſarium eſt, vt haec ciuitas tot myriades ciuium habeat, aut vicinis ſemper ſit formidanda: non magis, quam vt hic vel ille priuatus tot millia poſſideat, quorum vtrique tamen per media illicita nihil ſubtrahendum. Vnde etiam Grotii argumento parum roboris ineſſe videtur. Licet enim haec vel illa ciuitas per migrationem ciuium gregatim factam inſigniter debilitetur, ac demum plane deſoletur: non tamen ideo ſocietas ciuilis inter homines penitus tollitur. Sed vnius corruptio alterius eſt generatio; vnius decrementa alteri incremento cedunt. Natura quippe ciuiles eſſe ſocietates in genere humano iam multiplicato voluit; ſed vt haec vel illa ciuitas perpetua, florensque ſubſiſteret, nusquam iuſſit. Sic Babylon per Seleuciam, haec per Cteſiphontem exhauſta fuit. Plinivs N. H. L. VI. c. 26. Si qui tamen gregatim diſcedere velint, illis itidem, vti ſingulis, territorium ciuitatis eſt relinquendum. Alias enim ſumma imperiorum confuſio foret, ſi liceret integris vrbibus aut regionibus pro lubitu a ciuitatis ſuae imperio ſeſe ſubtrahere, & aut alteri ſe ſubiicere, aut peculiarem deinceps Rempublicam conſtituere.

§. V. Qvo loco etiam illa quaeſtio eſt examinanda, vt probandi ſint illi, qui transfugas ſe ſimulant, vt hac ratione graue damnum illis concilient, ad quos confugiunt, in vſum ſuae ciuitatis? Equidem imprudentiae notam non effugiunt, qui eiusmodi hominibus temere fidem adhibent. Vid. 1 Samuel. XXIX, 4. Nec valde reprehendas illos, qui proditoribus poſt praeſtitam operam dignum impoſuere ſupplicium. Vide Vopiscvm Aureliano, c. 23. Nequaquam tamen alterum honeſte poſſum fallere ideo tantum, quia inſidiis meis facilem ſeſe praebet. Nec debere aliquem ſuo ſcelere ciuitati inſeruire,

§. IV. 1) Sed maius Reipublicae detrimentum inde naſcitur, ſi ciues gregatim diffluant, quam ſi ſinguli dilabantur. Imo in ſingulis quoque pacto Ciuitatis primaeuo id interdum repugnare poteſt, vi cuius ciuibus quicquid ciuitati detrimento eſſe poteſt, interdictum eſt. Quod proinde ratione multitudinis gregatim diſcedentis eo magis admittendum erit. Neque his obeſt, quod vnius Reipublicae deſtructio alterius generatio eſſe dicitur. Eſt enim id Politices vniuerſalis, quum hic de vtilitate vniuscuiusuis Reipublicae ſingularis quae-

ſeruire, ſupra oſtenſum. Quin autem ſcelus ſit, fidem dare,. vt ea violata, occaſionem grauius nocendi nanciſcare, extra dubium eſt. Et exſecranda ſemper bonis viſa eſt vox Lyſandri ſiue Philippi, *pueros talis fallendos, viros iureiurando.* Vid. AELIANVS V. H. L. VII. c. 17. Si igitur expreſſe eiusmodi transfuga fidem dederit, ſine ſcelere non poterit eam violare, vt iis, quos deſeruit, ſerio aut ſimulate, vtile aliquod officium exhibeat. Quod ſi autem aliquis regerat: cum is, ad quem transfuga ſe contulit, noſſet, hunc ipſi ſine ſcelere non poſſe operam aliquam praeſtare, neque ad ſcelus patrandum aliquem ſe valide potuiſſe obligare, adeoque fidem a transfuga datam eſſe nullam; ergo ipſi non fieri iniuriam, ſi, dum rei inani confidit, deceptus fuit. Heic non opus eſt, vt inquiramus, peccet aliquis vtendo opera transfugarum, an non. Neque enim ſequitur: ego vtendo alicuius opera pecco: ergo ille eo ipſo ius habet mihi noxam inferendi. Vti non ſequitur: qui ſicarium conducit ad alterum confodiendum, non minus quam ipſe ſicarius peccat: ergo ſicarius recte in conductorem ſuum ferrum conuertere poteſt. Etſi communis ſit ſententia, quod *transfugam iure belli recipiamus*, in *L. 51. D. de Adquir. rer. dom.* id eſt, quod contra ius belli non ſit eum admittere, qui deſertis hoſtium partibus, noſtras eligit; vti illam legem explicant CVIACIVS Obſ. L. IV. c. 9. & GROTIVS L. III. c. 1. §. 22. Quod tamen an de externo iure belli, quod Grotius vocat, an de interno, quod ad legem naturae examuſſim congruit, ſit capiendum, non immerito dubites [1]. Sane ſi quis plenam licentiam adhibendi operam transfugarum defendere velit, putauerim, ipſum non tam hoc argumento niti debere, quod etiam Deus diaboli & impiorum parata opera vtatur; quam fauore iuſtorum armorum, quae geruntur repellendis alterius iniuriis, aut conſequendo iuri noſtro [2]. Ob quem fauorem non videtur iuſto bellatori curioſe inquirendum, vtrum illi, qui hoſtilem ſtatum aduerſus ipſum exuerunt, honeſtis an inhoneſtis cauſis fuerint moti. Adeoque cum praeſumere poſſit, iuſtis de cauſis eos priores partes deſeruiſſe, tanquam ex adprobatione iniuſti transfugii reatum non contrahet. Quidquid tamen huius ſit, illud in aprico eſt, nefas eſſe fidem inter inſtrumenta fallendi diſponere. Deinde patet, fidem eiusmodi transfugae, qui citra iuſtam cauſam partes ſe ſuas deſeruiſſe fert, inanem eſſe; vtpote quae tendit ad ſcelus faciendum, aut continuandum; adeoque valde imprudenter agere, qui in iſta aliquid fiduciae collocat. Inde plerumque transfugae, qui aliquo numero eſſe cupiunt apud receptatores ſuos, quiue nocendi occaſionem ſimulatione transfugii aucupantur, prae ſe ferunt, intolerandis ſe iniuriis adactos, vt hac ratione ſaluti ſuae conſultum irent. Sic quis ignorat, qua ratione ſibi Zopyrus apud Babylonios, Sextus Tarquinius apud Gabinos fidem conciliauerit? Sic qui M. Craſſum in patentia camporum traxit Mezeras Syrus, vti *Floro* vocatur, aut Abarus Arabs, vti *Appiano*, aut Ariamnes, vti *Plutarcho*, Pompeii in ſe beneuolentiam & beneficia extollendo, de

quaeratur. Conf. WERNHERVS in Elem. Iur. Nat. & Gent. c. 26. §. 4.

2) Atqui AVCTOR §. 3. dixit, debitum aut decorum poſtulare, vt bona ciuitatis venia quis diſcedat. Huius igitur eſt vtique diiudicare, num ſit nociturum gregatim ciues demigrare. H.

§. V. 1) Vid. ſupra c. 6. §. 18. H.

2) Vid. c. 6. §. 16.

de ſtudio ſuo in Romanas partes infelici fidem fecit. MARO [Aen. L. II. v. 57. & ſeqq.] quam graphice deſcribit aſtum Sinonis, vt ab imprudentiae labe Troianos purget! Fingit iſte, ſe inuiſum fuiſſe Vlyſſi, de quo nulla non fraus credi poterat, & cuius odium commendationis inſtar apud Troianos habebat. Odii cauſam arceſſit a nece Palamedis, ideo occiſi, *quia bella vetabat.* Se aris deſtinatum dicit, non oraculo deorum, ne videretur ſe victimam pro ſalute ciuium voluiſſe ſubtrahere, ſed mendacio Calchantis, ab Vlyſſe ſubornati, & temeraria caeterorum adprobatione. Quae vtique tam atrox ſit iniuria, vt recte dicere poſſit: *Patriae teneor neque legibus vllis.* Et tamen veterator deos, & omnia ſacra prius teſtatur, vt *fas ſibi ſit odiſſe viros*, iam quidem iniuſte infenſos, quondam tamen ciues. Nec id tamen plene iisdem perſuaſit, priusquam oſtento dicta eiusdem firmata viderentur. Recte quoque apud LIVIVM L. XXII. c. 22. dicitur, *transfugam ſine magnae rei proditione venientem ad hoſtes, nihil aliud quam vnum vile atque infame corpus eſſe.* Add. oratio Indibilis apud EVNDEM L. XXVII. c. 17. Et Cn. Marcii ad Volſcos apud DIONYSIVM HALICARN. L. VIII. Segeſtis apud TACITVM A. I. [c. 58.] *Neque odio patriae, (quippe proditores etiam iis, quos anteponunt, inuiſi ſunt,) verum quia Romanis Germaniſque idem conducere, & pacem, quam bellum probabam.* AMMIANVS MARCELLINVS L. XVIII. c. 11. in fine. Sub transfugarum autem numerum non veniunt, qui recte ad hoſtes abeunt, quo improuiſam aliquam cladem iſtis inferant, neque fidem dant, quod ipſorum partes ſint ſecuturi. Neque cenſendi ſunt tacite fidem dediſſe, quod nihil inimici ſint tentaturi in ſtatum hoſtium, eo ipſo, quia inter praeſidia hoſtium verſantur. Eiusmodi enim tacita fides praeſumitur de eo, qui ad alterum venit pacis, non qui belli tempore.

§. VI. PORRO & hoc quaeritur: an non ciuitas ex aduerſo pro ſuo arbitrio ciuem poſſit expellere inuitum, nullo antegreſſo delicto? Equidem CICERO dicto loco inter fundamenta libertatis poſuit, *ne quis inuitus ciuitate mutetur.* Neque ideo heic deterior ſit conditio ciuitatis, quam ſingulorum ciuium, quod hi pro lubitu migrare poſſint; illa inuitos pellere nequeat. Qui enim in ciuitatem aliquam concedit, vtique omnes ſuas rationes, ſaltem in praeſens, eidem velut illigat, quas turbari aut euerti neceſſum foret, ſi quolibet tempore poſſet expelli. Quod cum ſit ſumme odioſum, inde ciuis hoc quoque abs ciuitate velut ſtipulari intelligitur, ne inuitus praeter meritum poſſit eiici [1]. Sed contra ciuitas fortunas ſuas & incolumitatem vni alteriue vulgari ciui non ſuperſtruxit, adeoque nihil aut parum ipſius intereſt, ſi is pro lubitu demigret. Vbi enim in aliquo eximio ciue magnam collocarit fiduciam ciuitas, ſolet eundem peculiaribus pactis adſtringere, ne pro lubitu diſcedere amplius poſſit. Nec inuidendum eſt, pluſculum heic licere ciui, quam ciuitati. Nam vbi ille ad arbitrium ciuitatis ſe non compoſuerit, facile poteſt in ordinem

§. VI. 1) Conf. L. I. c. 9. §. 2.
2) SENECA Conſolat. ad Heluiam c. 7. *Populus Romanus quot colonias in omnes prouincias miſit? Vbicunque viuit Romanus, habitat.* De ſcopo eorum in deducendis coloniis v. SIGONIVS L. II. de Antiqu. iur. Ital. c. 2. 3. 4. 5. Deductionem illam in vniuerſum iniquam non eſſe, docet CONRINGIVS Machiauelli Princip. c. 3. H.
3) V. infra c. 12. §. 5. H.

ordinem redigi. Ciui autem ſi adminiſtratio Relpublicae diſplicuerit, nihil aliud relictum, quam patientia aut emigratio. Solet nihilominus a ciuitatibus vſurpari medium minus odioſum amoliendi ciues ſuſpectos, aut ſuperuacuos, & multitudine praegraues, quo caeteris laxior locus fiat; vt nempe eos in colonias transſcribant [2]. Etſi plerunque volentibus hoc fit, dum lautiorem conditionem in coloniis ſperant, qui domi cum inopia conflictabantur, aut ipſi ex oculis ciuitatis, cui inuiſi ſunt, ſeſe ſubtrahi gaudent. Sic ISOCRATES Orat. ad Philippum huic ſuadet, vt in Aſia vrbes condat, & in iis collocet, *qui nunc ob rerum egeſtatem oberrant, & obuia quaeque infeſtant.* Verbo, vrbium purgamenta. Quod idem ab Athenienſibus factum in Panathenaico commendat. Add. BACO Sermon. fidel. c. 33. De more autem illo, multis barbaris atque Graecis recepto, iuuentutem Deo cuipiam ſacram emittendi ad quaerendas nouas ſedes, luculenter tradit DIONYSIVS HALICARNASSEVS L. I. IDEM L. II. ſcribit, Aborigines fuiſſe talem iuuentutem, diis conſecratam more patrio, ad quaerendas ſedes, quascunque fortuna obtuliſſet, a parentibus miſſam. Sic PLINIVS L. III. c. 13. Picentes ortos dicit *a Sabinis, voto fere ſacro.* Et STRABO L. V. [p. 336. Ed. Amſt.] Samnites ſimili ratione a Sabinis ortos memorat. Adde IVSTINVM L. XXIV. c. 4. & FESTVM, in Ver ſacrum & in Mamertini. LIVIVM L. XXXIV. c. 44. Quomodo Lydus & Tyrrhenus, vrgente frugum ſterilitate ſortiti ſint, vter cum parte multitudinis patria decederet, videatur apud VELLEIVM PATERC. L. I. c. 1. DIONYSIVM HALICARN. L. I. STRABONEM L. V. Paria de Scandinauiae populis memorat Paulus WARNEFRIDVS de Geſtis Longobardor. L. I. c. 2. Poſſunt autem & ſolent coloniae diuerſo modo deduci. Vel enim manent pars ciuitatis, vnde emittuntur; vel ciuitati matrici reuerentiam exhibere, eiusque maieſtatem comiter conſeruare deinceps tenentur [3], adeoque velut inaequali foedere iunguntur, vel denique pari iure cum metropoli agunt. Add. Garcilaſſus de la VEGA Comment. Reg. L. VII. c. 1.

§. VII. INVITI ciues eſſe deſinunt, qui ob crimen verum aut per calumniam intentatum ciuitate eiiciuntur. Dum enim ciuitas aliquem pro membro ſuo non amplius vult agnoſcere, & finibus ſuis expellit, remittit ipſi obligationem, qua antea tanquam ciuis tenebatur. Quo ipſo illi fit facultas vbicunque poſſit ſedem ſibi nouam conſtituendi, nec ciuitati in eiusmodi exules quid iurisdictionis remanet. Inde apud EVRIPIDEM Heraclidis v. 186. Iolaus negat Argiuis fas eſſe ipſos Athenis abducere, quippe qui in exilium ab iſtis eiecti ſint [1]. Eſt autem in exilium eiici ob falſum crimen grauis iniuria, (etſi aduerſus iſtam viro forti ſolatia non deſint. Vid. STOBAEVS Serm. 38.) ob verum, grauis poena, ſic vt morte grauius id iudicet PHILO [2] Iudaeus de Abrahamo. [p. 359. A. Ed. Pariſ.] Si enim vel maxime ſalua relinquantur bona, alio tamen ea transferre moleſtum eſt: nec minus acerbum a neceſſitu-

 dinibus

§. VII. 1) Ἐπεὶ γὰρ Ἄργους οὐδὲν ἐσθ' ἡμῖν ἔτι. Vid. GROTIVS L. II. c. 5. §. 25.

2) Medea apud EVRIPIDEM:

Μόχθων
δ' οὐκ ἄλλος ὕπερθεν
Ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι.

Malum enim
Non eſt aliud maius,
Quam ſolo patrio priuari. H.

dinibus abſtrahi: & ignominiae plenum, indignum fuiſſe iudicatum, cui in ciuitate locus concederetur. Add. OPPIANVS Halieut. L. I. v. 274. ſeqq. Penitus enim effrontem eſſe oportet, in quem dici queat illud IVVENALIS Sat. I. [v. 49.] *Hic damnatus inani Iudicio, (quid enim ſaluis infamia nummis?) Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur diis Iratis.* Nec eſt quod aliquem moueat illud CICERONIS pro Caecina: [c. 34.] *Exilium non ſupplicium eſt, ſed perfugium portusque ſupplicii. Nam qui volunt poenam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eo ſolum vertunt, hoc eſt, ſedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege noſtra reperietur, vt apud caeteras ciuitates, maleficium vllum exilio eſſe multatum. Sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quae ſunt legibus conſtitutae; confugiunt quaſi ad aram in exilium. Qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur his ciuitas, ſed ab his relinquitur atque deponitur.* Add POLYBIVS L VI. c. 12. Scilicet hoc eſt ex peculiari ratione antiqui iuris Romani, per quod inuito non poterat ciuitas adimi. CICERO pro domo ſua: [c. 29.] *Hoc ius a maioribus proditum, vt nemo ciuis Romanus ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit.* Quo minus autem a magiſtratibus togatis ciui capitalia ſupplicia iniuſſu populi irrogarentur, leges Porciae & Semproniae prohibebant. Ne tamen delicta impunita manerent, & nihilominus nemo inuitus ciuitate eiectus videretur, voluerunt credi, exilium ſponte a ciuibus ſuſcipi declinandae poenae cauſa. (contrarium plane inſtitutum apud Aethiopes memorat DIODORVS SICVLVS L. III. c. 5. Apud SALLVSTIVM Catilin. [c. 50. p. 161. Ed. Waſſ.] Caeſar: *Aliae leges condemnatis ciuibus non animam eripi, ſed exilium permitti iubent.* Et iterum: *Exilium damnatis permiſſum.* Neceſſitatem tamen ſoli vertendi ſatis innuebant, quando capitalium criminum damnatis aqua & igni interdicebant, ſeu ne iis intra ditionem populi Romani vterentur. Etſi circa irrogationem exilii cauendum eſt, ne ex illa in ciuitatem damnum redundet, dum qui ciuitate expellitur, in hoſtem abire poteſt. Vnde quibusdam populis poena exilii non vſurpatur, puta Turcis, Moſcouitis, & quondam Iudaeis, licet ex alia ratione, ne iacturam ſimul faceret religionis. Mitior poena eſt relegatio, per quam ius ciuitatis non amittitur, ſed tantum in certo loco neceſſarium quis domicilium habere, aut certa ciuitatis parte abſtinere iubetur. Quod poſterius quibus iniunctum, apud Romanos proprie *interdicti* vocabantur. Vid. BRISSONIVS Select. antiq. L. III. c. 5. Anton. MATTHAEVS de Crimin. ad tit. de poena c. 1. §. 6. 10. [3] Aliquando tamen non abſurde adplicari poteſt illud Diogenis, cum quidam ipſi diceret; *Σινωπεῖς σοῦ φυγὴν κατέγνωσαν, Sinopenſes exilio te multarunt*, reponebat iſte, *ἐγὼ δέγε ἐκείνων μονήν, ego autem illos manſione.*

§. VIII. ALIO modo ciuitatem non lubens quisquis mutat, quando vi hoſtili ſubactus alterius ſe imperio ſubiicit, tanquam ciuem & ſubditum, ſiue

ſimul

3) Add. NOODTII Probabilia L. III. c. 3.

§. VIII. * Vid. ſupra L. VII. c. 7. §. 4. c. 8. §. 10. H.

§. IX. 1) *Quem [deditum hoſtibus] hoſtes ſi non recepiſſent, quaeſitum eſt, an Ciuis Romanus maneret? quibusdam exiſtimantibus, manere, aliis contra: quia quem ſemel Populus iuſſiſſet dedi, ex ciuitate expuliſſe videretur: ſicut faceret, cum aqua & igni interdiceret, in qua ſententia videtur* Publius Mucius *fuiſſe. Id autem maxime quaeſitum eſt in* Hoſtilio Murcino, *quem Numantini*

ſibi

ſimul ſedem mutet, ſiue non. Id quod non ſingulis modo ciuibus, ſaltem qui non alio quam communi ciuium vinculo tenentur, ſed & integris vrbibus, ac prouinciis licere, quando alia ſalutis expediendae via non adparet, in confeſſo eſt. * Vid. GROTIVS L. II. c. 6. §. 5.

§. IX. SOLET & illud contingere, vt ciuis abs ſua ciuitate propter iniuriam alteri ciultati illatam eidem dedatur, ne illa ob iſtud factum cauſam belli contra ſe praebeat. Vid. HERODOTVS [L. IX. p. 344. Ed. H. Stephani.] vbi de Timegenide & Attagino narrat, qui auctores fuerant Thebanis, vt Perſis ſeſe adiungerent. Vbi quaeſtio oritur: an qui a ſua ciuitate deditur, nec ab altera receptus ſit, in illa ciuis maneat, nec ne? Proponitur haec quaeſtio in *L. 17. D. de Legationibus* [1]. Non manere cenſebat P. Mutius, quia quem ſemel populus iuſſiſſet dedi, ex ciuitate videatur expuliſſe, ſicut faceret, cum aqua & igni interdiceret. Eadem quaeſtio quoque magna contentione fuit agitata circa Mancinum, qui Numantinis deditus, ab iis receptus non fuit. Quem dein ſenatum intrare volentem tribunus plebis Rutilius prohibuit, obtendens, quo tempore pater patratus, ad ſoluendam religione ciuitatem, hoſtibus ipſum populi Romani dediderit, ciuem eum Romanum eſſe deſiiſſe. Plures tamen in mitiorem ſententiam inclinabant, hoc inter alia vſi argumento: nihil videri traditum eſſe, quod ab eo, cui traderetur, receptum non foret. Nobis ſuper ea controuerſia ita videtur: ciuitatem laeſam in alienum ciuem habuiſſe ius bello ipſum perſequendi. Sed per deditionem eum ſic ſubiici alienae ciuitati, vt tanquam de proprio ciue poſſit ſupplicium ſumi. Qui vbi receptus fuit, priori ciuitati omne ius in ipſum periit, quia illa volente ſub alterius ciuitatis imperium peruenit. Vbi autem deditus receptus non eſt, licebit ciuitati dedenti iſtum vel plane eiicere, vel pro ratione delicti punire. Vbi tamen neutrum horum contigit, cenſebitur non amiſiſſe ius ciuitatis. Quia deditio in ſe eſt tantum oblatio iuris illius, quod ciuitas habet in ſuum ciuem, facta alteri ciuitati, non autem pura abdicatio & renunciatio. Adeoque deditio in ſe non priuat aliquem iure ciuitatis, niſi forte per expreſſam legem ſit conſtitutum, vt qui talem in caſum prouenerit, eo ipſo ciuitate excidiſſe ſit cenſendus. Facit huc illud CICERONIS pro Caecina. [c. 34.] *Ciuis, quem pater patratus dedidit, ſi non eſt ab hoſte receptus, retinet integram cauſam, & ius ciuitatis* [2]. Ex dictis etiam illud colligitur, ſi deditio ſit acccepta, & poſtea caſu aliquo in patriam reuerſus fuerit is, qui deditus erat, eum ciuem non futurum, niſi ex nouo beneficio. Vid. *L. 4 D. de Captiu. & poſtlim.* [3] Nam ius poſtliminii illis tantum prodeſt, qui ſua ciuitate inuita in aliorum poteſtatem venerunt [4], non quos ipſa ciuitas vltro in aliorum poteſtatem tradidit.

 CAPVT

ſibi deditum non acceperunt: de quo tamen Lex poſtea lata eſt, vt eſſet Ciuis Romanus, & Praeturam quoque geſſiſſe dicitur.

2) *Nam neque deditionem, neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe.* IDEM Topic. c. 8. & de Oratore L. I. c. 40. & L. II. c. 32.

3) *An, qui hoſtibus deditus, reuerſus, nec a nobis receptus, Ciuis Romanus ſit, inter Brutum & Scaeuolam varie tractatum eſt. Et conſequens eſt, vt ciuitatem non adipiſcatur.*

4) Ex ratione, quam ſupra dedimus c. 6. §. H.

CAPVT XII.

DE MVTATIONE ET INTERITV CIVITATVM.

I. *Mutata forma Reipublicae idem manet populus.*

II. *Debita ciuitatis per mutationem non tolluntur.*

III. *Acta inuaſoris quatenus eo depulſo conſiſtant.*

IV. *Quem ciuitas poſt mutationem locum obtineat?*

V. *Quid ſi ex vna ciuitate plures fiant?*

VI. *Quid ſi plures ciuitates vniantur?*

VII. *Populi quatenus aeterni.*

VIII. *Quomodo materiale populi pereat?*

IX. *Quomodo formale?*

MVTATIONES in ciuitate triplici modo contingunt, vel vt ciuitas maneat eadem, vel vt non amplius ſit eadem, vel vt ciuitas eſſe plane deſinat. Primi generis mutatio accidit, mutata ciuitatis forma; puta ſi regnum migret in ariſtocratiam, aut ſi ex democratia & ariſtocratia fiat regnum. Heic enim forma ciuitatis eſſentialis manet [1]; mutatur duntaxat illa forma, quae ex ſubiecto proprio ſummi imperii reſultat [2]. Vnde & idem eſt populus ſiue a rege, ſiue ab Optimatibus ſiue populariter regatur. Quin etſi contingat, vt populus antea liber ſub regis alicuius ditionem bello ita perueniat, vt deinceps in eius patrimonio ſit, non ideo idem deſinit eſſe populus, modo rex victor populum ſubiectum tanquam peculiare regnum in poſterum velit regere, non autem tanquam prouinciam alteri populo eundem annectere. Cum enim is ſit populus, qui complexu ſuo ſummum imperium continet; ideo quantum ad naturam populi nihil intereſt, pleno an minus pleno iure imperium rex obtineat: vtrouis enim modo vnius & eiusdem corporis caput eſt.

§. II. Ex dictis reſoluenda eſt quaeſtio ab ARISTOTELE Polit. L. III. c. 1. & 2. propoſita: ſi ciuitas ex tyrannide aut oligarchia in libertatem & populare imperium peruenerit, an tum συμβόλαια, pacta conuenta, vt & alia acta tyranni & oligarchicorum ſeruare oporteat ciuitatem liberam? Qui negabant, hisce [1] rationibus vtebantur; quod, quae tyrannus aut pauci illi egerint, non ege-

§. I. Vid. ſupra L. VII. c. 5. §. 1.

2) Hinc facile ſoluitur obiectio *mutata* Reipublicae *forma ſubſtantiam rei prope perimi*, vt eſt in *L. Iulianus 9. §. 3. D. ad Exhibend.* neque enim tunc conſiſtere eandem rei ſpeciem, & ideo rem non eandem videri; maxime cum negandum non ſit, ſpecies rerumpublicarum, vti ſunt monarchia, ariſtocratia & politia, eſſentia inter ſe differre. Vtut enim haec vera ſint, ſi ſpectetur pactum ſecundum, quod prout in ciuitatis conſtitutione variat, ita regendi rationes multum ſolent differre, vt prudentia ciuilis nos docet. Tamen in iure publico vniuerſali, vbi ad pactum primum, quo populus colligitur, ſimul reſpici debet, res aliter ſe habet. V. ſupra c. 9. §. 6. H.

§. II. 1) Videtur hic Auctor prima fronte duobus rationibus vti, & tamen vtraque deinde in vnam abſoluitur, & ab Auctore tanquam vnica refutatur. Altera igitur ratio rationis eſt. Si enim ciuitas,

egerit ciuitas, quae tantum ex facto ſuo obligatur. Et quod ciuitas ſit, vbi ad communem omnia vtilitatem referuntur; vbi aliter fiat, non ius, non nomen Reipublicae ſed vim ſolam & poteſtatem supereſſe. Quae ratio ſine dubio friuola eſt. Nam ne illa nunc proferamus, quae ſupra de tyranno tradita ſunt [2], etiam morbidum caput, caput eſt; & quae a morbido licet capite aguntur, ipſa ciuitas egiſſe cenſetur. Et quis morbo laborantem ciuitatem ex claſſe ciuitatum excludere velit? Agitabatur quondam haec controuerſia apud Athenienſes ex tali occaſione. Triginta illi viri, qui Athenis rerum potiebantur, pecunias mutuo a Lacedaemoniis publico nomine ſumſerant. His eiectis, Lacedaemonii Athenienſes iam liberos pecuniam repoſcebant. Vbi praeualuit ſententia eorum, qui debitum illud communi ciuitatis diſſolui aequum & concordiae proficuum putabant. De quo facto ita iudicat DEMOSTHENES contra Leptinen: *φασὶ τὸν δῆμον ἑλέσθαι συνεισενέγκειν αὐτὸν καὶ μεταχεῖν τῆς δαπάνης, ὥστε μὴ λῦσαι ὁμολογημένων μηδέν. Ferunt populum maluiſſe per ſe conferre impenſas, quam de pactis conuentis quidquam non impleri.* Et mox Athenienſes alloquens: *Et tum quidem etiam illis, qui iniurii in vos fuerunt, pecunias illas conferre voluiſtis, ne quid de rerum conuentarum fide deperiret.* Idem factum tangit ISOCRATES in Areopagitico. Quin ne quidem ſi in formam prouinciae redacta ciuitas eſſe deſinat, quod antea pecuniae mutuo accepit, debere deſinit: quippe cum debitum illud in iſta ciuitate non praeciſe vt tali, ſed vt bona aliqua poſſidente [3] fundatum, ad quemcunque poſſeſſorem ſimul tranſeat.

§. III. SED vti de aere alieno, quod in vſum ciuitatis impenſum, ac in toto iſtius corpore velut haerere praeſumitur, res plana videtur: ita num idem de omnibus actis alicuius inuaſoris, eodem depulſo, pronunciandum ſit, non ita liquidum eſt. Equidem ſi inuaſor ciuitatis cum alia ciuitate foedus iniuerit de auxiliis in communem hoſtem conferendis, ſi partem praedae eidem donauerit, aut vendiderit; & foedus, & donatio, & venditio firma manebunt, inuaſore depulſo. Alteri enim ciuitati ſane ius validum ex iſtis actibus fuit quaeſitum, quippe quas iniuit cum inuaſore tanquam capite ciuitatis, & velut in emolumentum eiusdem: quocunque autem titulo ad imperium iſte peruenerit, ſua nihil intereſſe iudicauit. Neque iſti actui aliud inſuper vitium ſubeſt. Quid ſi autem ſpolia ciuibus oppreſſis per iniuriam erepta, inuaſor externae ciuitati vendiderit? Num eo depulſo, iſti vindicare eadem poterunt? Heic BOECLERVS Diſſert. de Eo, quod egit ciuitas, fas eſſe putat, ſi ſcientes emerint, vt ſuam culpam agnoſcant, & aequo animo careant illis, quae nec vendi nec emi ſine iniuria

ciuitas, ſecundum eos, quorum ſententiam Ariſtoteles refert, obſtricta non eſt, ſoluere debita, & probare inſtituta Tyranni, vel Oligarchiae, id ideo contingit, quoniam ſecundum eos geſta eorum pro nullis habentur. Ratio autem huius poſitionis in eo ſita eſt, quod dominatio Tyranni vel Oligarchiae non tendebat ad vtilitatem publicam, ſed ſola vi armorum nitebatur, & proinde non erat legitima, vnde inferebatur, populo inuito facta adeoque probanda non eſſe, quae ab ipſis profecta fuiſſent. Ἀποροῦσι γάρ τινες, πότ' ἡ πόλις ἔπραξε; καὶ πότε οὐχ ἡ πόλις· οἷον ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία. τότε γὰρ οὔτε τὰ συμβόλαια, ἔνιοι βούλονται διαλύειν, ὡς οὐ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τοῦ τυράννου λαβόντος. οὔτ' ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων, ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. ARISTOTELES Polit. L. III. c. 3.

2) L. VII. c. 8. §. 5. & 6. H.

3) Et quatenus pacto primo continngitur, in cuius vtilitatem pecunia mutuo ſumta ob auctoritatem Summi imperantis verſa cenſeri debet. H.

iuria poſſunt; imo etſi imprudentes emerint. Quod quidem in foro conſcientiae plauſibiliter dicitur. Si tamen communem populorum morem reſpiciamus, non adparet, quomodo ſpoliati abs tertia ciuitate, quae amiſerunt, vindicare queant. Nam quamdiu inuaſor mera duntaxat violentia graſſatur, pro hoſte ciuitatis habetur: & ſpolia ciuibus extorta, vbi in alienam ciuitatem translata fuerint, eodem iure cenſebuntur, quo aliae res mobiles [1], quouis bello partae [2]. Vbi autem conſenſu ciuium iſtius inuaſoris imperium fuerit confirmatum, exteri bona ciuibus erepta tanquam iure confiſcata habere poſſunt. Nam vt alias pacifici, quorum nihil intereſt, belligerantes aequaliter aeſtimare, & factum ſequi poſſunt ac ſolent; ita quid aliena ciuitas de ſuo imperio apud ſe diſponat, exterorum non eſt iudicare. Verum acta inuaſorum iniuſtorum, quae intra ciuitatem terminantur, iſtis delectis ſane reſcindi poterunt [3] abs legitima poteſtate; quantum ex vſu Reipublicae fuerit. Idque non ſolum circa leges abs talibus latas valet; ſed & circa donationes, aut alienationes rerum, quae ſalua Republica ſaluisque legibus in alios transferri non poterant.

§. IV. Solet & alia heic quaeſtio moueri: quisnam locus ſit aſſignandus regi, qui in populum antea liberum ſibi imperium quaeſiuit, aut populo libero poſt abolitum ſtatum regium? Vbi quidem Grotius L. II. c. 9. §. 8. reſpondet, eundem ciuitati poſt mutationem locum deberi, quem antea ipſa eiusue caput in conuentibus habebat. Nobis tamen diſtinguendum videtur, vtrum verbi gratia rex, qui in liberum populum ſibi imperium quaeſiuit in antiquo conuentu aut ſyſtemate permaneat [1]: an vero ab eo deinceps ſeſe diſiungat, ſuasque res ſeorſim adminiſtret. Nam priori caſu ſine dubio non poterit alium praetendere locum, quam antea populus liber obtinebat, non obſtante illo ſplendore aut maieſtate, quae perſonam regiam comitatur. Sicut & vice verſa populus liber, exterminato ſtatu regio, in communi conuentu eundem quem ipſius quondam reges locum obtinebant, ſibi vindicare poterit. Aſt ſi vel populus vel rex penitus ſeſe ab antiquo conuentu aut ſyſtemate ſeparauerit, antiquus iſtius ciuitatis locus praeiudicium illi nullum adferet, vt neceſſario locus inferior ſit occupandus, cedendumque illis, qui in communi quondam conuentu priorem tenebant locum; cum naturaliter inter ſe aequales ſint [2], qui ſummum imperium obtinent.

§. V. Mvtationes, quae efficiunt, vt ciuitas non amplius videatur eadem, duplici potiſſimum modo contingunt: vel vt ex vna ciuitate duae pluresue fiant; vel vt plures ciuitates in vnam coniungantur. Prius euenit vel conſenſu mutuo vel vi bellica. Conſenſu mutuo ex vna ciuitate plures fiunt, emiſſis

§. III. 1) Conf. Grotivs L. III. c. 9. §. 14.

2) Praeſertim intuitu externorum, qui poſſeſſionem ſequuntur. V. ſupra L. VII. c. 8. § 9 H.

3) Demosthenes Orat. aduerſus Timocratem recitat legem: Ὁπόσα ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη, ἢ ἰδίᾳ, ἢ δημοσίᾳ, ἄκυρα εἶναι. *Quaecunque ſub triginta tyrannis acta ſunt, aut iudicia facta, ſiue priuatim ſiue publice, irrita ſunto.* Conf. Andocidem Orat. I. Honorivs Imperator in *L. 13. C. Theodoſ. de Infirmand. quae ſub tyranno. Heracliani tyranni geſta omnia promiſcue damnat.* Add. *L. 5. 6. 7. 8. d. tit. L. 16. C. Iuſtin. de SS. Eccleſiis.* Quanquam Conſtantinus Imperator in *L. 2. & 3. d. tit. C. Theodoſ.* legitime geſta & reſcripta conformia Licinii Tyranni confirmet. H.

§. IV. 1) V. ſupra L. VII. c. 5. §. 21. vbi exemplum Philippi. H.

2) V. ſupra c. 4. §. 20. H.

§. V. 1) *Eae enim iura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habeant*, teſte Gellio L. XVII. N. A. c. 13. H.

emiſſis coloniis ad eum morem, qui Graecis quondam erat. Nam Romani poſt, quos & hodie populi Europaei fere ſequuntur, colonias ita deducebant, vt illae pars ciuitatis matricis ſiue maioris patriae manerent [1]. Sed quae priori modo deducebantur coloniae, peculiarem deinceps ciuitatem conſtituebant; ita tamen vt maiorem patriam decenti honore, & quodam quaſi pietatis cultu tenerentur proſequi. Vid. THVCYDIDES L. I. & Henric. VALESIVS ad Excerpta Peireſciana. p. 6. & 7. HOBBES de Ciue c. 9. §. 8. Caeterum hoc modo emiſſa colonia, niſi in eius deductione id expreſſe fuerit conuentum, non tenebitur exſoluere debita abs ciuitate matre contracta; quippe quae huius bona vltimo afficiunt, de quibus colonia (quod ſupponitur,) nihil participat. Et licet aliqua commoda ex illis debitis forte in perſonas colonorum redundarint eo tempore, cum ipſi in antiqua adhuc patria haererent; eo tamen nomine nihil ſeſe exacturam profitetur antiqua ciuitas, dum liberos eos abs ſeſe dimittit. Quanquam ſi accurate rem conſideremus, ciuitas, emiſſa colonia, in ſe non mutatur, nec eadem videri deſinit; ſed (vti in naturali generatione) efficit, vt pro vna deinceps duae ciuitates exſiſtant. Quod ſi autem regnum aliquod in duas pluresue diſtinctas deinceps ciuitates communi conſenſu diuidatur [2]; aequum fuerit, vt regni patrimonium publicum, nec non debita toti inhaerentia aequaliter diuidantur. Etſi quando eiusmodi diuiſio vltro inſtituitur, vix contingere queat, vt non expreſſe ſuper eiusmodi caſibus diſponatur.

§. VI. AD eiusmodi mutationem, qua ciuitas aliqua eadem eſſe deſinit, referunt quoque, ſi duo populi vniantur, non per modum foederis [1], aut per communem regem [2], ſed vtreuera ex duabus ciuitatibus vna fiat. Quo caſu GROTIVS dicto loco cenſet, iura, quae ſingulae ciuitates vniendae habuerunt, non amitti, ſed communicari, ſicut & onera atque debita, vbi diuerſum non conuenerit. Vid. LIVIVS L. I. c. 52. ſub init. Eſt tamen accurate conſiderandum; an duo pluresue populi ita ſe coniungant, vt pari deinceps omnes iure nouam aliquam ciuitatem conſtitutum eant; puta, ſi duo diuerſi populi democratici, abolito priſtino regimine, in vnum populum regnumque coaleſcant; aut ſi duo regna, ſublatis vtrinque legibus fundamentalibus, remotisque familiis antiquis regnatricibus, nouum regnum condant. Qua vnione priores ciuitates deleri, ac nouam exſurgere manifeſtum eſt. Aſt vero vbi vna ciuitas alteri ita coniungitur, vt vni quidem ſua Respublica ſedesque maneat, alterius vero ciues relicta ſua ſede, in alterius ciuitatis iura ſedemque adſciſcantur [3], vnam quidem penitus perire conſtat: illa autem quae remanet, eadem eſſe non deſinit, vtut tali acceſſione inſignia capiat incrementa. De caetero

2) Vt fit in regnis diuiduis. Quale erat Francorum ſub primae & ſecundae ſtirpis Regibus. V. Chartam diuiſionis Caroli M. A. DCCCVI. Ludouici Pii A. DCCCXIV. & aliam A. DCCCXXXVII. quas omnes Steph. BALAZIVS Tom. I. Capit. Francor. inſeruit. H.

§. VI. 1) De quo ſupra L. VII. c. 5. §. 18. H.

2) D. c. 5. §. 17. V. Richardum ZOVCHAEVM Part. II. Iur. Fecial. ſect. 2. quaeſt. 11. Vbi quaeſtionem inſignem habet, vtrum, cum iure communi Angliae extra regnum natus hereditatem in terris vel fundis intra regnum acquirere nequeat, idem ius contra Scotos valeat ſub vno Rege cum Anglis coniunctos? Quae in Anglia pro Scotis deciſa fuit. H.

3) Qomodo Sabini & Albani cum Romanis iuncti. Vid. LIVIVS L. I. c. 13. c. 28. c. 30. c. 52. H.

caetero vniri ciuitates diuerſas, vt maneat quaeque quod fuit, non poſſunt, niſi per modum arctioris foederis; quod ſyſtema aliquod, non autem ciuitatem proprie dictam producere aptum eſt.

§. VII. Mvtatio denique, qua ciuitas penitus eſſe deſinit, contingit, quando ipſe populus diſſolutus fuerit, aut extinctus. Equidem communi dicterio iactatur: reges [1] eſſe mortales, Reſpublicas aeternas. Sed hoc ideo dicitur, non quod non populi quoque violento aliquo caſu extingui aut diſſipari queant; ſed quia non, vti ſinguli homines, certo decurſo aeui ſpatio, per naturam deficiant, ſed mutatis licet ſingulis, alii continuo ſuccedant, idque vel ſurrogatione exterorum in locum deficientium, vel propagatione ſobolis. Qua ſucceſſionis continuatione idem ſemper populus videtur, iisdemque iuribus fruitur, vtut ſaepius ſinguli ciues fuerint mutati [2]. Lvcianvs in Amoribus, [p. 888. Ed. Amſt. T. I.] *Sciens deinde* (natura) *quod omnes mortalis ſimus materiae opificium, & quod breue adeo tempus viuendi vnicuique fato praeſtitutum ſit; alterius interitum, vt alterius ortus eſſet, excogitauit; ac morienti, id quod naſcitur, e diuerſo adpendit, vt mutuis ſucceſſionibus in perpetuum tempus viueremus.* Virgilivs Georg. IV. [v. 206. & ſeqq.] de Apibus: *Ergo ipſas quamuis anguſtus terminus aeui Excipiat, (neque enim plus ſeptima ducitur aeſtas;) At genus immortale manet, multosque per annos Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.* Quae res vt accuratius intelligatur, obſeruanda ſunt, quae ſuper diuerſitate corporum ab antiquis Philoſophis tradita ſunt, verbi gratia, apud Plvtarchvm Coniugal. praecept. [p. 142. F.] *Τῶν σωμάτων οἱ φιλόσοφοι τὰ μὲν ἐκ διεστώτων λέγουσιν εἶναι, καθάπερ στόλον καὶ στρατόπεδον· τὰ δὲ ἐκ συναπτομένων, ὡς οἰκίαν καὶ ναῦν, τὰ δὲ ἡνωμένα καὶ συμφυῆ, καθάπερ ἐστὶ τῶν ζώων ἕκαστον. Corporum philoſophi alia aiunt ex partibus deiunctis conſtare, vt claſſem, exercitum; alia ex compactis, vt domum, ac nauim; alia ex vnitis, & in vnam naturam concretis, vt animalium ſingula.* Add. *L. 30. D. de Vſurp & vſucap L. 23 §. 5. de Rei vindicat.* Cviacivs Obſeru. L. XV. c. 33. & L. XXVI. c. vlt. Seneca Epiſt. 102. Quae etiam tali modo exprimi poſſunt: quod in vniuerſum corpus ſit, quod ἕξει aliqua, cohaerentia, aut vinculo aliquo ita continetur, vt vnum ſit. Illud vinculum porro, quo partes corporis in vnitatem combinantur, triplex eſt, naturale, artificiale & morale [3]. Vinculum naturale eſt, quo corpora naturalia continentur. Artificiale, quo res, alias natura diſiunctae, per induſtriam humanam compinguntur in vnum & continuum aliquid. Morale denique, quo per inſtitutum humanum diuerſa indiuidua ita colligantur, vt vnum eſſe intelligantur. Qualia corpora etiamſi ex brutis quoque conſtare poſſint, vt grex: praecipue tamen coniunctio multorum

§. VII. 1) *Principes mortales, Rempublicam aeternam eſſe*, Tiberius ait apud Tacitvm Annal. L. III. c. 6. Add. Livivs L. XXVIII. c. 28.

2) *Et ita ciuitas ſit aeterna, quamuis morientibus & naſcentibus ſingulis: ſicut perennis eſt opacitas oleae, vel lauri, atque caeterarum huiusmodi arborum, ſingulorum lapſu ortuque foliorum:* vt ex Cicerone loquitur Avgvstinvs L. XXII. de Ciuitat. Dei c. 6. H.

3) Vnde Philoſophis vnum eſt vel per ſe, vel per accidens, vel per aggregationem. Vid. Sextum Empiricvm aduerſ. Phyſic. L. I. c. 2. Plvtarchvm in Praecept. coniugalib. H.

4) *Reſpondi.* [Alfenus,] *non modo ſi vnus, aut alter, ſed & ſi omnes Iudices mutati eſſent, tamen & rem eamdem, & iudicium idem, quod antea fuiſſet, permanere. Neque in hoc ſolum euenire, vt partibus commutatis eadem res eſſe exiſtimaretur, ſed & in multis ceteris rebus: nam & legionem eamdem haberi, ex qua multi deceſſiſſent, quorum in locum alii ſublecti eſſent: & populum eumdem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuiſſet,*

torum hominum helc attenditur. Atque hinc reſultant tria genera corporum, naturalia, artificialia, & moralia. Quae omnia hoc habent, vt manere eadem videantur, quamdiu illa connexio, per quam ab initio iſtorum partes continebantur, ſimul & ſemel abrupta non fuerit. Exinde eſt, vt homo idem videri non deſinat, etſi particulae corporis ipſius varie transſpirauerint, & in eorum locum ex nutrimentis aliae ſuffectae ſint. (Th. BROVVNE de Religione Medici ſect. 36. *Hoc quicquid eſt, quod intueris corpuſculi per os intrauit, haec olim carnis fabrica in quadra iacuit, ipſi denique nos ipſos deuorauimus.*) Quo ſpectat locus apud SENECAM Epiſt. 58. & PLVTARCHVM de Eἶ apud Delphos, Edit. Xyland. p. 392. A. B. Add. LVCRETIVS L. III. v. 860. ſeqq. qui tamen cum grano ſalis accipiendus, ne ad articulum de reſurrectione carnis extendatur. Huc quoque circa corpora artificialia ſpectat quaeſtio apud antiquos vexatiſſima ſuper naui Theſei, quae ſucceſſu temporis ita erat paulatim refecta, vt nihil de iſtis lignis, ex quibus ab initio fuerat extructa, ſupereſſet. Vid. PLVTARCH. Theſeo p. 10. C. *L. 76. D. de Iudiciis*[4] *L. 10. D. Quibus modis Vſusfr. amitt.* etſi huic legi repugnare videatur *L. 98. §. vlt. D. de Solution. L 83. §. 5. D. de Verb. obligat.* DIONYS. HALICARN. L. I. [c. I.] de Caſa Romuli. Add. ALEX. AB ALEXANDRO L. III. c. I. Mich. PICCARTVS ad Polit Ariſtot. L. III. c. 3. De corporibus moralibus agit *L. 76. D. de Iudiciis.* Luculentus quoque eſt locus PLVTARCHI de Sera Numinis vindicta, [p. 559. A.] *Ciuitas eſt res quaedam vnica & continens, animalis inſtar; neque mutationibus ſecundum aetates ſuam exuit naturam, aut ratione temporis aliud fit ex alio, ſed ſemper easdem erga ſe affectiones, & naturae ſuae conſentaneas ſeruat. quamdiu communitas, quae mutuis complexibus deuincit, vnumque corpus efficit, vnitatem ſuam conſeruauerit*[5]. Addit, ſingulos homines ſucceſſu temporis plus mutationis ſuſcipere, quam ciuitates. Si enim intra paucos annos amicum tuum non videris, adeo habitum vultumque eius, imo ſaepe & mores ſic reperies mutatos, vt eum vix ſis agniturus. Contra ſi vel poſt XXX. annos in eandem venias ciuitatem, non ſolum eadem aedificia, ſed & eadem inſtituta, eosdemque mores populi deprehendes. Add. GROTIVS d. l. Etſi lapſu temporum omnino fiat, vt populus ſecundum[6] omnes effectus non pro eodem habeatur. Vid. *ſupra L. 8. c. 3. §. 29.* HOBBESIVS Philoſ. prima c. 11. §. 7. iſthanc doctrinam ita maluit exprimere: *Si rei alicui propter formam talem, quae ſit principium motus, nomen inditum ſit, manente eo principio, idem erit indiuiduum.*

§. VIII. HAEC quanquam ita ſint; fieri tamen vtique poteſt, vt populus aliquis plane intereat, idque ſi vel ſimul pereat materiale populi, ſeu multitudo ciuium, vel morale vinculum, quo populus cohaeret, abrumpatur. Materiale ſeu corpus populi perit, vel ſublatis ſimul omnibus partibus[1], ſine quibus corpus ſubſiſtere, nequit,

fuiſſet, cum ex illis nemo nunc viueret: itemque nauem, ſi adeo ſaepe refecta eſſet, vt nulla tabula eadem permaneret, quae non noua fuiſſet, nihilominus eamdem nauem eſſe exiſtimari. Quod ſi quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri: fore, vt ex eius ratione, nos ipſi non iidem eſſemus, qui abhinc anno fuiſſemus; propterea quod, vt Philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſiſteremus, hae quotidie ex noſtro corpore decederent, aliaeque extrinſecus in earum locum accederent. Quapropter cuius rei ſpecies eadem conſiſteret, rem quoque eamdem eſſe exiſtimari.

5) Ἓν γάρ τι πρᾶγμα καὶ συνεχὲς ἡ πόλις, ὥσπερ ζῷον οὐκ ἐξιστάμενον αὑτῆς ταῖς καθ' ἡλικίαν μεταβολαῖς, οὐδ' ἕτερον ἐξ ἑτέρου τῷ χρόνῳ γενόμενον, ἀλλὰ συμπαθὲς ἀεὶ καὶ οἰκεῖον αὑτοῦ, καὶ πᾶσαν ὧν πράττει κατὰ τὸ κοινὸν ἢ ἔπραξεν αἰτίαν καὶ χάριν ἀναδεχόμενον, μέχρις ἂν ἡ ποιοῦσα ταῖς ἐπιπλοκαῖς κοινωνία, τὴν ἑνότητα διαφυλάττῃ. τὸ δὲ πολλὰς πόλεις, διαιροῦντα τῷ χρόνῳ ποιεῖν, μᾶλλον δὲ ἀπείρους, ὅμοιόν ἐστι τῷ πολλοὺς τὸν ἕνα ποιεῖν. Ἄνθρωπον, ὅτι νῦν πρεσβύτερός ἐστι, πρότερον, δὲ νεώτερος, ἀνωτέρω δὲ μειράκιον ἦ.

6) Vid. c. 3 §. 29.

§. VIII. 1) Quod fit terrae motu. V. ANTONIVS L. IV.

quit, vel ſublata corporis ratione. Exempla populorum, qui ſimul & ſemel fuere extincti, memorat GROTIVS dicto loco §. 4. Add. *L. 21. D. Quib. mod. Vſufr. amitt.* Vbi quaeritur, ſi ex eiusmodi clade tam pauci ſuperfuerint, vt ipſi amplius pro populo cenſeri nequeant, num hi iura populi antiqui retineant? (vid. *L. vlt. D. Quib. mod. Vſusfruct. amitt.*) GROTIVS dicto loco ſentit, poſſe in iſtis paucis ſubſiſtere dominium, quod populus habebat ad modum priuatorum; non ſi quid populo vt tali competiit, id eſt, poſſe tales ſibi aſſerere poſſeſſiones & bona deletorum ciuium, non poſſe autem ſibi eosdem attribuere ſummum imperium, & quae alia inde dependent. Quod ſi tamen pauci iſti, alio praeter bellum caſu ad paucitatem redacti, ſe tantisper contra exterorum inuaſiones tueri poſſint, donec iterum in iuſti numerum populi allectis aliis ſeſe ſuppleuerint, non video, quare prioris populi iura ſibi aſſerere nequeant. Vid. IVSTINVS L. V. c. 6. n. 5. praeſertim cum nondum ſit definitum, quotnam patresfamilias ad populum requirantur [2]; & ab initio cum genus humanum in populos diſcederet, ſat exiguus numerus populum fecerit. Apud IVSTINVM L. X. [c. 1. n. 6.] quinquaginta filii Artaxerxis *tantus populus* vocantur. Niobe apud OVIDIVM Metam. L. VI. [v. 197.] quatuordecim ſuos liberos vocat *populum.* APVLEIVS Apologia: *Quindecim liberi homines, populus eſt.* Add. *L. 7. §. 2. D. Quod cuiusque vniuerſit* [3]. Vbi etiam in vno nomen vniuerſitatis [4], (collegii, non populi) ſtare dicitur; cui tamen neceſſum fuerit de adſciſcendis collegis mature diſpicere. Interit quoque multitudo hominum, ex qua populus conſtat, quando non quidem ſinguli ciues extinguuntur; ſed tamen ſponte ob peſtilentiam aut ſeditionem diſcedunt, aut vi ita diſtrahuntur, vt coire amplius inter ſe nequeant. Vnde per adulationem magis, quam ex vero Ilienſes Romanorum ſeſe maiores iactabant, ap. IVSTINVM L. XXIIX. c. 1. & L. XXXI. c. 8. Quomodo Scoti a Maximo diſperſi fuerint, videri poteſt ap. BVCHANANVM Rer. Scot. L. IV. ſub finem.

§. IX. FORMALE ſeu ſpecies populi interit, ſi aut omnis, aut perfecta iuris communitas tollatur. Penitus tollitur communitas iuris & imperii, ſi ciues ſinguli paſſim diſtracti diuerſis ciuitatibus accreſcant; ſiue libertatem perſonalem retineant, ſiue ad ſeruilem quoque conditionem redigantur. Exemplum Capuae vide ap. LIVIVM L. XXVI. c. 16. Perfecta autem communitas iuris inter membra eiusdem populi tollitur, ſi ſinguli quidem libertatem perſonalem retineant, inque oppidis & agris ſuis relinquantur; ita tamen, vt alterius ciuitatis imperium ſubeant. Quales populi in prouinciae formam redigi dicuntur [1]. Sola tamen mutatio loci, oppidorumque, aut detractio munimentorum, vt populus idem eſſe deſinat non efficiunt [2].

L. IV. de Reb ſuis §. 48. & in annot. GVTACKERVS, vbi plura exempla memorantur ciuitatum, quae terrae motibus euerſae perierunt. H.

2) Vid. ſupra L. VII. c. 2. §. 2. H.

3) Adiicimus elegantem locum Ciceronis apud AVGVSTINVM de Ciuitate Dei L. XXII. c. 6. *Ciuitatibus autem mors ipſa poena eſt: quae videtur a poena ſingulos vindicare: debet enim conſtituta ſic eſſe ciuitas, vt aeterna ſit. Itaque nullus interitus eſt Reipublicae naturalis, vt Hominis, in quo mors non modo neceſſaria eſt, verum etiam optanda perſaepe. Ciuitas autem, quum tollitur, deletur, exſtinguitur, ſimile eſt quodammodo, vt magnis parua conferamus, ac ſi omnis hic mundus intereat ac concidat.*

4) Supra d. c. 2. §. 19. H.

§. IX. 1) V. ſupra L. VII. c. 5. §. 16. GROTIVS d. c. 9. §. 6. H.

2) Nicias apud THVCYDIDEM L. VII. Hiſt. Ἄνδρες πόλις καὶ οὐ τείχη. *Viri ciuitas ſunt, non moenia.* GROTIVS dicto loco §. 7. H.

F I N I S.

INDEX

INDEX AVCTORVM.

ARISTOTELES. Eius ſententia de certitudine diſciplinarum moralium. I. 2. 1. contradictionis abſoluitur intuitu voluptatis & doloris. I. 4. 7. n. 4. eius genuina mens ſuper ſpeciebus iuſtitiae, I. 7. 12. ſententia eius falſa. ib. §. 17. definitio eius iurisiurandi explicat. IV. 2. 18. iniquus eſt vſuris. V. 7. 10. diriſſimum inſtitutum, quod commendat reprimendae ciuium multitudini. VI. 1. 8. argumentum eius ſine conſequentia pro antiquitate Monarchiae. VII. 5. 4. eius ſententia de Rebuspublicis mixtis. VII. 5. 12. de Monarchia plena & abſoluta. VII. 6. 5. n. 1.

B.

BACO, Franciſcus de Verulamio. examen rationis, quam ad bellum Americanis inferendum ſufficere putat. VIII. 6. 5.

BALDVS, Petrus. ſententia eius immitis. II. 5. 8.

BALSAMON, Theodorus. ſententia eius de tutela corporis reiicitur. II. 5. 9.

BARBEYRACVS, Ioannes. I. 6. 14. n. 1. III. 2. 2. V. 2. 3. n. 2.

BAELIVS, Petrus. ſententia eius, qua homines fruitione boni praeſentis magis, quam metu mali futuri moueri contendit. I. 6. 14. n. 1. comparatio eius, qua Atheiſmum ſuperſtitioni confert. II. 3. 19. n. 3. 4. 5. n. 5. Perperam apud vllam gentem, praeter Medos, poenam contra ingratos ſancitam eſſe, negat, III. 3. 17. n. 3. ſententia eius de communione mulierum. VI. 1. 15. n. 4.

BENTLEIVS, in Phalaridem. I. 6. 6. n. 8.

BILANCIA Politica. eius principia refutantur. VII. 5. 9.

BOCCALINI, Traianus. ratio, propter quam Polygamiam a Mahomete permiſſam eſſe, ait, reiicitur. VI. 1. 16.

BOCHARTVS. I. 3. 7. n. 2. I. 5. 3. n. 2.

BOCHAT, Ludouicus de. VIII. 1. 8. 5.

BODINVS, Ioannes. proportio Geometrica, quam in poenis infligendis obſeruari vult, reiicitur. VIII. 3. 25. ratio, quam contra diuortia, quae iudicis auctoritate fiunt, adfert, ſatis valida non videtur. VI. 5. 22.

BOECLERVS, Ioannes Heinricus. ratio, qua libertatem reſiſtendi in infinitum reiicit, refellitur. II. 5. 3. male ſtatuit, res diuidere, eſſe praeceptum Decalogi. IV. 4. 4. ſententia eius de origine Proprietatis bonorum examinatur, ib. §. 12. 13.

BOEL, Tobias. III. 6. 6. n. 6.

BRANCHV, Balthaſar. II. 3. 19. n. 6. V. 1. 4. n. 1.

BRISSONIVS, Barnabas. locus libri eius de Reg. Perſ. notatur. IV. 1. 2. n. 3.

BROVVNE, Thomas, de Religione Medici. III. 6. 6.

BVDDEVS, Ioannes Franciſcus. male refert ſententiam Hobbeſii, de poteſtate matris in infantem. VI. 2. 2. n. 3. 4. ſententia eius de officio liberorum ancillae erga dominum examinatur. VI. 3. 9. n. 5. ciues etiam ſola dubitatione de iuſtitia belli impediri contendit, quo minus Principis iuſſu ad bellum proficiſcantur. VIII. 1. 8. n. 2.

BYNCKERSHOEK, Cornelius van. ſententia eius de duratione dominii. IV. 6. 1. n. 1. de origine ſucceſſionis ab inteſtato. IV. 11. 2. *

C.

CARTESIVS, Renatus. eius conſilium contra fluctuationem animi, & morſus conſcientiae emendatur. I. 3. 9.

CATO, Marcus, vſuris iniquus, ipſe foenerator aſtutus. V. 7. 10.

CHARRON, Petrus, vindictae nomine aliquem occidere, ſtultis vulgi opinionibus accenſet. VIII. 3. 23.

CICERO, M. Tullius. eius philoſophia ſanctiſſima. III. 2. 2. 6. eius ſententia de promiſſo latronibus facto expenditur. III. 6. 11. eius locus de ſimulatione & diſſimulatione elucidatur. IV. 1. 9. n. 4. eius Philoſophia de pacto pro capite pretio ſine fraude non afferendo contra Grotium adſeritur. IV. 2. 8. verba de Iureiurando reſtituta. IV. 2. 15. n. 4. eius opinio nimis rigida de diſſimulatione mercatorum reiecta. V. 3. 4. eius mens de promiſſis non ſeruandis, quae inutilia ſint, quibus promiſeris reiecta. V. 12. 22. defenſa. ib. n. 5.

CONNANVS, Franciſcus, pactis nudis Iure Naturae vim ineſſe negans, refellitur. V. 5. 9. ſeqq. an excuſari poſſit? n. 2.

CORINTHIORVM I. c. 11. v. 14. exponitur. V. 3. 10. n. 5.

CREECH, Thomas, VII. 3. 3. n. 2.

CVIACIVS, Iacobus. legem XII. tabb. perperam interpretatur. II. 5. 17. n. 5. vſucapionem Iuri Gentium falſo contrariam eſſe, ait. IV. 12. 7.

CVMBERLAND, Richardus, praemiis magis, quam poenis leges ſanciri tradit, I. 6. 14. nimis late, terra iam hominibus repleta, liberum eſſe ait, in caelibatu, aut coniugio vitam tranſigere. VI 1. 7. rationes Hobbeſii parum apte retorquet. VII. 2. 4.

D.

DIODORVS, Siculus. eius falſa traditio de origine generis humani. IV. 4. 8. lex, quam refert, Charondae, contra ſecundas nuptias, retorquetur. VI. 1. 7.

DIONIS Chryſoſtomi definitio Ciuitatis vindicatur. VII. 2. 13. n. 3.

E.

ERASMVS, Deſiderius. eius ſententia de caede 25000. virorum ex tribu Beniamin reiicitur. VIII. 6. 10. eius reſponſio ad Luciani declamationem, quae inſcribitur tyrannicida reiicitur. V. 12. 17.

EVSTRATIVS, Commentator Ariſtotelis. Exemplum memorabile, quo vtitur actionis mixtae. I. 4. 9.

F.

FALSTERVS, Chriſtianus. IV. 11. 6. n. 3.

FELDENVS, Ioannes. eius ſententia de Romanorum iure gentium. II. 3. 23.

FILMERVS, Robertus. poteſtatem parentum cum Maieſtate comparat. VI. 2. 10. n. 2.

G.

GOESIVS, Guilielmus. V. 7. 1. n. 1.

GRAMONDVS, Bartholomaeus. iudicium de ſententia eius. VIII. 4. 21.

GRASWINCKEL, Theodorus. dictum eius de matre infanticida inſtinctum erga prolem alio inſtinctu ſuperante. VI. 1. 3.

GRONOVIVS, Ioannes Fridericus. Grotium

Grotium falſo Sophiſticae cauillationis accuſat. VII 6. 3 n. 6. ab eodem fine cauſſa diſſentit. ib. 7. 15. n. 2. VIII. 6. 11. n 1.

Grotivs, Hugo, reprehenſus ratione fundamenti moralitatis actionum humanarum. I. 2. 6. defenſus ea in cauſſa. II. 3. 4. *. eius ſententia de cauſſis dubiorum in actionibus moralibus examinatur, I. 2. 9. perinde vt definitio legis, I. 6. 4. & dictum de peccatis quotidianae incurſationis, I. 5. 8. ac conſcientia dubia. I. 3 8. eius diuiſio iuſtitiae expenditur. I. 7. 11. an probari poſſit ſententia eius, iura naturalia locum habitura, etiamſi daremus, non eſſe Deum. II. 3. 19. aut ratio, quam ſuppeditat legis Moſaicae contra fures. II. 5. 18 aut dictum de furto in caſu extremae neceſſitatis. II. 6. 6. excuſatur, quum iure communionis adhuc aliquid auferre licere, ait, ibid. n. 1. & regula iuris ciuilis per modum accommodationis vtitur. ib. n. 2. quae de aeſtimatione rei furtiuae non amplius exiſtentis tradit, refutantur. III. 1. 11. diſcutiuntur quae de conceſſione innoxii tranſitus per terras noſtras docet. III. 3. 5. & tranſitu porro mercium per easdem. Ib. §. 6. & de promiſſis metu extortis. III. 6. 12. eius deciſio quaeſtionis, an vni poſſit negari, quod promiſcue omnibus conceditur, illuſtratur. ib. §. 14. Legem Pandectarum parum accurate interpretatur. ib. 15. eius reſponſio ad quaeſtionem, an, ſi turpe facinus velut ex obligatione fuit patratum, alter ad mercedem pro ea ſoluendam teneatur? expenditur. III. 7. 8. vt & de re promiſſa, quae nunc non ſit in poteſtate promittentis, aliquando tamen eſſe poſſit. III. 8. 4. ac de ambiguis. IV. 1. 13. non ſufficere videtur ratio, qua mendacium non committi cenſet, ſi infanti falſum dicatur. IV. 1. 15. nec quo probat factum Rachabae. ib. §. 16. reprehenditur exemplum, quod adfert Labani Iacobo iurantis, IV. 2. 14. quod defenditur in n. 3. eius ſententia de iureiurando Ioſuae refutatur. ib. §. 7. n 2. vt & de obligatione iurisiurandi. ib. §. 6. n. 1. & §. 8 eius ſententia de origine communionis bonorum examinatur. IV. 4. 9. ſuperuacua eius eſt ſolicitudo, quando flumina proprietatis capacia vult oſtendere. IV. 5. 3. male inter obiecta occupationis etiam imperium referre dicitur. IV. 6. 14. eius ſententia de Iure Romano intuitu acceſſoriorum refutatur. VII. 7. 5. vt & falſa explicatio terminorum limitrophorum. IV. 7. 11. n. 2. eius definitio teſtamenti expenditur. IV. 10. 2. eius ſententia, qua teſtamenta Iuris Naturae eſſe, ait, reiicitur. IV. 10. 4. n. 2. eius fundamentum praeſcriptionis examinatur. IV. 12. 8. eius menſura rerum maxime naturalis conſideratur. V. 1. 4. exemplum contractus mixti male excogitatum. V. 2. 10. eius ratio, quare contrahentes ſibi vitia rerum detegere debeant, defenditur. V. 3. 3. n. 1. eius argumentum, quo theſauros apud Hebraeos priuatis ceſſiſſe, putat, non omni exceptione maius eſt. ib. n. 2. quae de Mandato dicit, explicantur. V. 4. 5. eius deciſio de re duobus vendita refellitur. V. 5. 5. exemplum Ioſephi Aegypti proregis non recte adductum. V. 5. 7. exemplum Strabonis male explicatum ib. eius ſententia de eadem opera pluribus pro aequipollente mercede praeſtita, ſubducitur. V. 6. 4.

vocabu-

vocabulum vſurae proſcribit, rem ipſam retinet. V. 7. 11. diſtinctio eius inter odioſa & fauorabilia V. 12. 12. n. 3. & §. 13. n. 3. eius regula de conflictu duarum legum negatiuarum non ita liquida dicitur. ib. §. 23. eius ratio, qua inceſtum in linea recta vetitum eſſe perhibet, illuſtratur VI. 1. 32. eius falſa citatio vel adplicatio legum quarundam Pentateuchi ad ſeruos pertinentium. VI. 3. 4. n. 3. examen eorum, quae pro diuiſione partium ſummi imperii molitur. VII. 4. 14. an recte Dictatorem pro vero Monarcha venditet. ib. §. 15. a Gronouio ſine cauſſa carpitur. VII. 7. 15. n. 2. perperam contendit, in perſecutionibus propter ſacra Chriſti diſcipulis nihil licere praeter fugam & patientiam. VII. 8. 5. n. 9. eius bellum punitiuum reiicitur. VIII. 3. 4. n. 3. quae de iuſtitia refert, ad quam poenae referendae ſint, expenduntur. VIII. 3. 5. conſideratio ſententiae, qua non eſſe punienda peccata ait quae nec directe nec indirecte ad ſocietatem humanam, ſpectent. VIII. 3. 14. verba Senecae male exhibet. ib. §. 16. n. 5. dextre explicandum eſſe, quod dicit, veniae locum eſſe etiam ante legem poenalem. VIII. 3. 16. cauſſae eius liberandi aliquem a poena examinantur. ib. 17. eius regula, qua ad auxilium nos non teneri, ait, ſi nulla ſpes ſit boni exitus, temperatur. VIII. 6. 14. obſeruatio de iis, quae de praeda diſtribuenda dicit. VIII. 6. 21. eius ſententia, de tempore, quo induciae circumſcribi ſolent, improbatur. VIII. 7. 8. perinde ac ea, qua enumeratur, quid per inducias liceat, quid non liceat. VIII. 7. 10. locum T. Liuii male explicat. VIII. 9. 2.

GVNTHERVS, Ligurinus, obſeruatio ad verba, quae loquentem introducit Imperatorem Fridericum. VIII. 5. 3. n. 1.

H.

HEINECCIVS, Io. Gottl. IV. 5. 8. n. 7.

HEINSIVS, Daniel. III. 2. 8. n. 2.

HEMMINGIVS, Nicolaus. I. 2. 3. n. 2.

HERTIVS, Io. Nicolaus, exempla quibus vtitur, parum apta actionum mixtarum. I. 4. 9. n. 9. eius ſententia de condictione indebiti refellitur III. 4. 5. n. 3. locum Philonis male interpretatur. IV. 1. 4. n. 1. quae de iureiurando populi integri contra Auctorem differit, refelluntur. IV. 2. 17. n. 6. vt & quae adfert de poteſtate occupandi loca deſerta. IV. 6. 5. n. 2. verbum, *obiicere*, male interpretatur ib. §. 12. n. 1. fruſtra negat, tractus terrae interdum per vniuerſitatem occupatos fuiſſe. IV. 7. 12. n. 1. verba auctoris non recte capit. V. 12. 9. n. 1.

HOBBESIVS, Thomas. Minus recte monet, in ciuitate contingere, vt quis perſonam gerat rei inanimatae. I. 1. 12. ratio eius refellitur, qua probatum it, doctrinam moralem & politicam demonſtrari poſſe. I. 2. 4. eius dogma, quo libero arbitrio locus praeſcinditur, eliditur. I. 4. 2. erroresque circa indolem boni refelluntur. I. 4. 4. & communem menſuram virtutum & vitiorum. I. 4. 6. eius ſententia de conſilio diluitur. I. 5. 14. inutilis eius ſubtilitas, qua leges naturae eatenus tantum legum vim obtinere tradit, quatenus in Scripturis ſacris oratione Dei ſint promulgatae. I. 6. 4. eius ſententia, qua in Regno Dei

Dei ius regnandi repetit a potentia irreſiſtibili, expenditur. I. 6. 10. non admittendum quod aſſerit, ληστικὴν non fuiſſe contra Ius Naturae. II. 2. 10. conſideratio eorum, quae dicit de iuſtitia diſtributiua. I. 7. 9. de iniuſtitia & iniuria. ib. §. 13. de fundamento Iuris Naturae. II. 2. 3. II. 3. 16. eius principium, quo ſtatus naturae eſt ſtatus belli, refutatur. II. 2. ſ. ſeqq. & plenius. II. 3. 16. ſeqq. aequalitatem naturalem parum apte reſtringit ad paritatem virium. III. 2. 2. male fortem in arbitrariam diſtinguit & naturalem. ibid. §. ſ. falſa eius ſententia de Atheiſmo. III. 4. 4. expenditur opinio eius de translatione iuris. III. ſ. 2. ius in omnia Hobbeſianum non datur, ib. §. 3. expenditur eius ſententia de ſuſpicione deceptionis pactum iam initum reddente inualida II. 6. 9. de validitate promiſſionum ex conuentionum vi extortarum. §. 13. de pactis non ad rem ipſam, ſed ad ſummum conatum obligantibus. III. 7. 4. & de obligatione inualida ad mortem, aut vulnera, vel aliud damnum corporis ſuſcipienda. ib. §. ſ. de differentia contractuum & pactorum. V. 2. 1. de fundamento poteſtatis patriae & matriae. VI. 2. 2. ſeq. de familia ſeparata & independenti Statum repraeſentante. VI. 3. 1. de ſeruis VI. 3. 8. de mediis ſecuritatis in ſtatu naturae. VII. 1. 8. idem perperam negat, non dari conuentionem inter Principem & ſubditos. VII. 2. 9. & ſeqq. & perperam adfirmat, Imperium in omni Republica eſſe penes populum. ib. §. 14. excutiuntur opiniones eius de conſtitutione Democratiae. IV. ſ. 6. Ariſtocratiae ib. §. 8. an recte factum hoſtile vocet, non poenam, quod infligitur auctoritate quidem publica, ſed non praecedente condemnatione. VII. 6. 12. an omnem principatum recte abſolutum adpellet? ibid. §. 13. an recte neget, electiuos reges non habere ſummam poteſtatem? VII. 6. 17. aut tempore interregni, populum non amplius eſſe perſonam vnam? VII. 7. 9. aut in ratione ſuccedendi ad imperium nepotes prae patruis vocet? ib. §. 11. aut frugalitatem virtutem principis eſſe, iure inficietur? VII. 9. 10. expenduntur opiniones eius, quibus leges ciuiles legibus naturalibus contrariari non poſſe, contendit. VIII. 1. 2. & leges Decalogi leges ciuiles eſſe, ait. ib. §. 4. & iuſtum vel iniuſtum ante inſtituta ciuilia non dari, aſſeuerat. ib §. ſ. exploditur eius fundamentum & origo Iuris vitae & necis, quo Principes in ſubditos vtuntur. VIII. 3. 1. definitio poenae. ib. §. 7. refutantur eius cogitata de reis laeſae Maieſtatis ib. §. 33. de duellis. VIII. 4. 8. de fundamento honoris. ib §. 13. de fabulis paganorum. ib. an recte omnia ſubditorum bona principi tribuat? VIII. ſ. 1. 2. eius corpus Politicum III. 6. 9.

Homervs. Obſeruatio ad dictum eius aliquod de Hectore. IV. 2. 14. explicatio locorum quorundam eius, e quibus vulgo euincitur, tempore belli Troiani pecuniam numeratam adhuc incognitam fuiſſe. V. ſ. 1.

Hornivs, Io. Fridericus. falſa, qua vtitur ratio, cur ſocietates quaedam vocentur ſimplices. VI. 1. 1. quae de fundamento poteſtatis maritalis differit, refutantur, VI. 1. 12. & ſeq. perinde ac quae adfert de origine ſocietatis Ciuilis. VII. 1. ſ.

de origine Maieſtatis. VII. 3. 3. & ſeqq. de ciuibus Ariſtocratiarum & Democratiarum. VII. 5. 5. de modis acquirendi imperium violentis. VII. 7. 3.

I.

Iavchivs Siegm. Reich. de Negationibus Pandectarum. III. 8. 4. n. 2.

Iosephvs. in quibusdam, quae de Caino narrat, fidem mereri non videtur. IV. 4. 6.

Iosvae liber. Obſeruatio ad caput eius IX. de iureiurando a Ioſua Gibeonitis praeſtito. IV. 2. 7. n. 2.

Isocrates. Epitheton ineptum, quod Nilo tribuit. IV. 5. 7. non recte formam ciuitatis pro anima eius venditat. VII. 2. 13. commendatio eius nobilitatis expenditur. VIII. 4. 25.

Ivs Romanvm. eius definitio iuſtitiae inconueniens videtur, I. 7. 6. perinde ac definitio iuris naturae, II. 3. 2. & ea iuris gentium II. 2. 23. conſenſus fictus vel praeſumtus vindicatur. III. 6. 2. n. 5. ſi debitori chiragraphum reddam, pactum, quod Iure Ciuili fingitur, ad liberationem eius non videtur neceſſarium. III. 6. 2. V. 11. 7. doctrina eius de dolo contractui cauſſam dante & incidente male ab Auctore adoptatur. III. 6. 8. n. 1. de metu fulcitur. ib. §. 10. n. 3. vera ratio, qua ad factum quisquam cogi nequit. III. 7. 4. n 1. Limitatur regula, qua, quod ab initio inualidum eſt, ex poſtfacto conualeſcere nequit. III. 6. 14. exponitur L. 3. D. de Pollicitat. III. 6. 15. praeterea L. 4. §. 3. D. de Condict. ob turp. cauſſam. III. 7. 8. abſurda videtur L. 3. §. 3. D. de Iureiur. quae permittit contra mulierem iurari, quod non ſit praegnans. IV. 2. 2. Regula vulgata, Quod proprium eſt alicuius, id amplius eius fieri nequit, limitatur. IV. 4. 2. Conſtitutio Imperatoris Friderici de Sacramento impuberis illuſtratur. IV. 2. 11. Pauones & columbae arbitraria ratione animalibus feris accenſentur. IV. 6. 5. quemadmodum ſimilis ratio Romanos mouit in iis, quae de beſtia, in libertatem naturalem ſe recipiente, conſtituerunt. ib. 1. 12. Regula, qua planta domino ſoli cedit defenditur. IV. 7. 5. quum contra poſitiua videatur, quae ſcripturam addicit domino chartae. ib. §. 7. obſeruatio de ſpecificatione. ib. §. 10. logomachiae de poſſeſſione. IV. 9. 7. diſtinguuntur tempora in praeſcriptione temporis longi & longiſſimi. IV. 12. 3. n. 6. pactum veſtitum quid ſit? II. 2. 5. inueſtigatur ſpecies L. 2. C. de Reſcind. vendit. V. 3. 9. n. 1. exponitur L. 16. §. 4. D. de Minoribus, quae in pretio emtionis venditionis contrahentibus ſe circumuenire permittit. ib. §. 10. explicatur L. 5. §. 4. D. Commodati, qua commodatarius in communi periculo res ſuas commodatis praeferre prohibetur. V. 4. 6. n. 11. illuſtratur L. 1. D. de contrah. emt. & ſimul quaeſtio veterum, an emtio intelligi poſſit ſine nummo? V. 5. 1. Vlpiani dicto tollitur, quod in Iure R. durum videtur ratione ſocii, damnum paſſi in adminiſtratione rei communis. V. 8. 1. n. 5. exponitur L. 1. §. 3. D. de Seruo corrupto, qua perſuadere plus eſſe dicitur, quam compellere atque cogere. VI. 1. 21. illuſtratur L. 5. D. ad L. Pompei. de parricid. VI. 2. 11. contra Grotium defenditur L. 27. D. de receptis. VII. 2. 18. illuſtratur diuiſio obligationum, qua in

in eas quae ex conſenſu, & quae ex delicto oriuntur, diſpeſcuntur. VIII. 3. 5. exemplum acceptionis perſonarum in L. 1. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar. VIII. 3. 25. obſeruatio, de infamia facti. VIII. 4. 7. & de iunctis foedere inaequali. VIII. 9. 4.

IVVENALIS. Sancta eius Philoſophia III. 2. 2. n. 6. locus eius de nobilitate ex Salluſtio expreſſus. VIII. 4. 31. n. 2.

K.

KERKRAAD, Abrahamus a. VI. 2. 9. n. 4.

L.

LACTANTIVS, Ciceronem carpens, de ſui defenſione, refellitur. II. 5. 14. Virgilium male interpretatur. IV. 4. 8.

LE GRAND, eius tradita falſi poſtulantur. I. 4. 2.

LEIBNITIVS, Gottfr. Guilielmus. perperam teſtamenta nullius momenti eſſe, ait, niſi anima eſſet immortalis. IV. 10. 4. n. 6.

LEYSERVS, Auguſtinus. IV. 10. 3. n. 3.

LIPSIVS, Iuſtus eius regula Politica reſtringitur. IV. 1. 19.

LIVIVS. eius loci exponuntur & illuſtrantur. I. 7. 4. n. 3. VIII. 9. 2.

LVCRETIVS. eius ratiocinium contra Pyrrhonis diſcipulos, reiicitur. V. 12. 19.

LVDEWIG, Io. Petrus VII. 3. 9. n. 2.

LYCLAMA, Marcus. V. 7. 7. n. 4.

M.

MATTHAEVS, Antonius, eius ſententia de redactis ad extremam neceſſitatem reiicitur. II 6. 7. inanem religioſitatem probat in iureiurando vi extorto. IV. 2. 8. commentitia ſunt, quae de iureiurando C. Caeſaris tradit. ibid.

MATTHAEVS, Euangeliſta eius verba comparantur cum ſententia Sophoclis. IV. 1. 16. n. 8. eius verba de theſauro in agro abſcondito, illuſtrantur. V. 3. 3. n. 2. vt & ea de ſeruo nequam. V. 7. 10. n. 2.

MILTONVS, Ioannes. eius Paradoxa de Diuortiis diluuntur. VI. 1. 24.

MOLESWORTH, ratione vectigalium in fretis A. conſpirat. III. 3. 7. n. 3.

MONTAGNE, Michael. notabile, quod refert, inſtitutum Witoldi, Lithuaniae ducis. VIII. 4. 6.

MONZAMBANO Seuerinus de, VII. 5. 15. n. 3.

MORNACIVS, Legem Romanam inepte interpretatur. V. 3. 10.

MVELEN van der. eius ſententia reiicitur. II. 6. 7. n. 3.

MVRETVS M. Antonius. Ariſtotelem non recte capit. I. 4. 7. n. 4.

N.

NICOLAVS, Damaſcenus. eius locus explicatur. V. 2. 3. n. 2.

NOODT, Gerardus. V. 3. 10. n. 1.

O.

OTTO (Euerardus) VII. 4. 9. n. 2.

P.

PERIZONIVS, Iacobus. eius nota in Aelianum illuſtratur. V. 2. 3. n. 2.

PHILO Iudaeus, eius interpretatio verborum Moſis, Exodi XXI. v. 21. 23. I. 1. 7. 4. eius ſententia de imperfecto principe reiicitur. L. VII. 4. 11.

PHILOSTRATVS. rationem foeditatis in mendacio parum diſtincte tradit. IV. 1. 8. lite inter venditorem & emtorem de theſauro orta, parum diſtincte inſpici iubet, vter vir melior ſit. IV. 6. 13.

Digitized by Google

PLATO. eius locus emendatur. I. 2. 6. n. 4. falſiloquium non habet pro illicito. IV. 1. 17. n. 2. ſententia eius, qua rebus ſingulis natura ineſſe rectam nominis rationem putat, refutatur. IV. 1. 4. vt & communio eius bonorum. IV. 4. 7. & communio vxorum. VI. 1. 15. eius nimia ſcrupuloſitas in quaeſtione, cui cedere debeat theſaurus. IV. 6. 13. eius ſententia, qua non niſi incorrigibiles morte affici vult, limitatur. VIII. 3. 10.

PLINIVS maior. quo ſenſu ferri poſſit, quod dicit, Lacedaemonios inueniſſe ſeruitia. VI. 3. 5. quod dicit, foedera a Theſeo inuenta. VIII. 9. 1.

PLVTARCHVS. exemplum, quod refert, memorabile illuſtratur. IV. 6. 8. haud recte reprehendit verba Colotis de ſocietatibus ciuilibus. VII. 1. 11.

PVFENDORFIVS, Samuel. eius verus dies natalis Praef. p. 3. an linguae Graecae peritus fuerit? p. 17. Suecorum partibus contra Danos fauet. III. 33.

Q.

QVINTILIANVS. locus eius de oratore iudici veritatem cauſſae auferre volente, illuſtratur. IV. 1. 21. exponitur locus alius de reſtitutione Depoſiti. V. 4. 7.

R.

ROY, Hugo de. eius principia de praeſcriptione examinantur. IV. 12. 6.

RVE, Tuſſanus de la. III. 6. 3. n. 4.

S.

SALMASIVS, Claudius. V. 7. 5. n. 1.

SAMVEL. eius libri 1. locus aliquis illuſtratur. VII. 6. 9.

SANDERSON, Robertus. eius ſententia de Deo, de iurantis veracitate atteſtante, reiicitur. IV. 2. 2.

SCHARROCK, Robertus. quae de regula, quod tibi non vis fieri &c. adfert, diluuntur. II. 3. 13.

SCHWARTZIVS, Chriſt. Gottl. IV. 6. 8. n. 4.

SELDENVS, Ioannes. quomodo accipiendus ſit, quando caedem bellicam in poenae ratione contineri, ait. VIII. 3. 4.

SENECA. ſyngraphas inania habendi ſimulacra vocans, notatur. III. 7. 16. eius vana ſubtilitas de venia. VIII. 3. 15.

SIDNEIVS. expenditur dictum eius, quo virtutes, quas Ariſtoteles a principe exigit, nuſpiam inueniri, ait. VII. 6. 5. n. 1.

SOPHOCLES. loci eius explicantur. II. 4. 6. n. 2. IV. 1. 16. n. 5.

SPINOSA, Benedictus. eius ſententia de fundamentis Iuris Naturae reiicitur II. 2. 3. de Atheis refellitur. III. 4. 4.

STELLERVS. VIII. 1 6. n. 3.

STRABO. locus eius illuſtratur. V. 2. 3. n. 2.

T.

TACITVS. locus eius exponitur. IV. 11. 18.

TAVRELLVS, Laelius. IV. 8. 12. n. 6.

TERENTIVS. locus eius explicatur. VIII. 3. 20. n. 4.

THOMASIVS, Chriſtianus. expenditur eius ſententia de conſcientia dubia. I. 3. 8. n. 1. de obligatione iuri ſemper reſpondente. III. 5. 1. n. 1. de interpretatione vltimarum voluntatum. III. 6. 6. n. 4. de iure circa bona naufragorum. IV. 13. 4. n. 2. ad L. 2. C. de Reſc. vendit. V. 3. 9. n. 1.

Digitized by Google

n. 1. 2. & denique de pacto de emendo vendendo. V. 5. 2. n. 3.

Titivs, Gerh. Gottl. expenditur eius ſententia de conſcientia dubia. I. 3. 8. n. 1. fruſtra auctorem carpit principium ſocialitatis ſtabilientem. II. 3. 15. n. 1. perinde ac ratione aequalitatis naturalis. III. 2. 2. n. 3. & rei commodatae, quae perierit. V. 4. 6. n. 11.

Trekell, Albertus Dietricus. IV. 2. 18. n. 2.

V.

Vasqvez. reiicitur eius ſententia, qua Deum, ſi voluiſſet, potuiſſe conſtituere, ait, vt blaſphemiis aut contemtu coleretur. II. 3. 4. reiicitur eius ſententia de legibus poenalibus. VIII. 3. 5.

Velleivs Patercvlvs. ſtupendum elogium, quo T. Scipionem Aemilianum mactat. I. 5. 8. n. 2.

Velthvysivs. eius Philoſophia de habitibus moralibus expenditur. I. 5. 13. & n. 3. eius ſententiam male cepit Auctor. II. 3. 6 n. 1. opinio eius de origine pudoris. VI. 1. 30.

Verdvyn, Henricus. III. 6. 6. n. 6.

Victor, Aurelius. II. 4. 23. 4.

Victoria, Franciſcus de. expenditur eius ſententia de idoneis titulis, ex quibus Hiſpani Indos debellare potuerint. III. 3. 9. & de libertate commerciorum. ib. §. 12.

Virgilivs. eius locus contra Lactantium vindicatur. IV. 4. 8.

W.

Wachtervs, Io. Georgius, IV. 1. 2. n. 1. V. 1. 12. n. 1.

Weigelivs, Erhardus. I. 2. 3. & n. 2.

Witt, Ioannes de. V. 5. 1. n. 6.

X.

Xenophon. eius ſententia ab Auctore male exhibetur. Praef. p. 17.

Z.

Zieglervs, Caſpar. male duas ſpecies certitudinis moralis confundit. I. 2. 11. eius ſententia de damno per omiſſionem, ex obligatione imperfecta factam, ſarciendo reiicitur. III. 1. 4. vt & ea de aeſtimatione lucri intercepti. III. 1. 7. eius opinio, de reſtituendo damno, quod liberi legitimi ex concurſu prolis adulterinae fecerunt, confirmatur. ib §. 9. Grotium male contradictionis arguit. III. 3. 6. eius diſtinctio dominii & proprietatis reiicitur. IV. 4. 2. eius opinio de origine proprietatis refellitur. ib. §. 11. vt & ea de acquiſitione ferarum captarum contra leges venationis. IV. 6. 7. ac iſta denique qua feras per recuperationem libertatis noſtras abſciſſe eſſe deſinere, ait ibid. §. 12. legem Pandectarum male applicat. IV. 13. 5. diſtinctionem Grotii intuitu patriae poteſtatis ſine ratione carpit. VI. 2. 7.

❁ ❁ ❁

INDEX RERVM.

Abſtinere, quilibet tenetur ab alterius rebus. IV. 13. 1.

Acanthos, IV. 6. 8. & n. 4.

Acceptatio, an in omni pacto neceſſaria? III. 6. 15. & n. 10. IV. 10. 6. quatenus quis poſſit pro altero acceptare? III. 9. 5. ab heredibus non poteſt acceptatio fieri. 6.

Acceſſio, an indiſtincte modus acquirendi originarius ſit? IV. 7. 1.*

Acceſſiones, quotuplices? IV. 7. 1. regulariter pertinent ad dominum rei, 2.

Acceſſus ad littus alienum, an promiſcue concedi debeat? III. 3. 8.

Acquirendi modi quotuplices? IV. 6. 1. originarii. 2. deriuatiui. IV. 10. 1.

Actio iniuſta, quid? I. 7. 14.

Actio moralis, quid? I. 5. 1. aliena quomodo imputetur. 14. qualitates actionum moralium quot? I. 7. 1. bonitas & malitia, 3. moraliter indifferens. I. 7. 5. * eius effectus quomodo deleatur? I. 9. 6.

Actio de tigno iuncto. IV. 7. 6. n. 2.

Actio perfecta, ſeu completa. I. 8. 4.

Actiones antecedenter ad voluntatem diuinam bonae, vel malae, an dentur? I. 4. n. 2. I. 2. 6. 2. mixtae. I. 4. 9. II. 3. 4. *

Aduocato, quid liceat pro reo? IV. 1. 21.

Aedificia, quatenus ſolo cedant? IV. 7. 6.

Aegyptii, eorum inſtitutis furta licita. VIII. 1. 3. n. 2.

Aenigma Samſonis, an ex regulis artis compoſitum fuerit? V. 9. 4.

Aequalitas naturalis qualis? III. 2. 2. rationes pro eadem populares, 3. conſideratio aequalitatis naturalis homines commodos reddit, 4. quomodo per eam res inter plures diuidenda 5. in eam peccatur per ſuperbiam, 6. & contumeliam aliis illatam. 7.

Affectus, quomodo ſollicitent voluntatem? I. 4. 7. ratione regendi. II. 4. 12.

Africani, fratres liberis praeferunt in ſucceſſione ab inteſtato. IV. 11. 3. n. 1.

Agri arcifinii IV. 7. 11. n. 2. adſignati ib. limitati ib.

Alapa, an morte infligentis vindicari poſſit? II. 5. 12.

Aliena, fruſtra promittuntur. III. 7. 10.

Alienatio, ex dominio fluit. IV. 9. 1. in ea requiritur duorum conſenſus. 2. qui exprimendus per ſigna, 3. fit pure aut ſub conditione. 4.

Alimenta, liberis an a parentibus debeantur? IV. 11. 4. quid comprehendant? 5. quid praeter ea liberis debeatur, & quare? 7.

Alluuiones integrarum regionum. IV. 7. 11. & agrorum priuatorum. 12.

Alueus derelictus, ad quem pertineat? IV. 7. 11. a fluuio finitore derelictus, an mutet imperii terminum? n. 7.

Amaſiorum peccata Spartae amatores luebant. I. 5. 2. & n. 5.

Amici, an cognatis praeferendi in ſucceſſione ab inteſtato? IV. 11. 15.

Anna Britannica, Maximiliano I. deſponſata, an Iure ei praerepta ſit a Carolo VIII. rege Galliarum? III. 1. 3. 2.

Ἀπέῤῥητα. vide Sacra.

Apum coetus quid differat a ciuitate? VII. 2. 4.

Arbitri. ad eos deferendae ſunt controuer-

Digitized by Google

trouerſiae, quae colloquio inter partes expediri nequeunt. V. 13. 3. inter arbitros & partes non intercedit pactum. 4. Arbitri in dubio intelliguntur adſtricti iuri. 5. Arbitris non ſufficit pronunciaſſe ſuper poſſeſſione. 6.

Arbitri, circa ſucceſſiones in regnis. VII. 7. 15.

Areopagi ſapiens inſtitutum, III. 3. 2. 2.

Ariſtocratia, quomodo conſtituatur? VII. 5. 8. modus acquirendi in ea imperium variat. VII. 7. 2.

Ars Critica. eius praecipuae regulae. V. 12. 3. n. 1.

Aſſecuratio. V. 9. 8.

Aſſertio, nuda non obligat. III. 5. 5.

Athei, quando puniri poſſint? III. 4. 4.

Atheiſmus, repugnat obligationi congenitae naturali. III. 4. 4. non tantum imprudentiae, vel ignorantiae peccatum eſt. ib.

Aurelianus cum populo coronas bilibres promiſiſſet, coronas de panibus dedit, III. 5. 10. & n. 2

Auro, cur principatus datur in cudendis nummis? V. 1. 13. n. 1.

Αυτοχειρία an licita? II. 4. 19.

B.

Baptiſmus, an S Athanaſio inter ludendum collatus? I. 1. 15. n. 2.

Barbaros, honoris ſe cauſſa appellant Burgundiones, IV. 1. 6. & Franci n. 2.

Bellum quid & quotuplex? I. 1. 8. Punitiuum an detur? VIII. 3. 4. n. 3. extra ordinem a natura indulgetur. VIII. 6. 2. eſt vel defenſiuum, vel offenſiuum, 3. eius cauſſa debet eſſe liquida. 4. cauſſae bellorum iniuſtae recenſentur. 5. in ciuitatibus ius belli ſingulis eſt ademtum. 8. bellum eſt vel ſolenne, vel minus ſolenne, 9. Magiſtratus vt talis non habet ius bellum mouendi. 10. an idem bellum mouere poſſit ex praeſumta voluntate ſummi imperantis? 11. quatenus iniuria ciuis praebeat cauſſam belli contra ciuitatem? 12. pro quibus bellum recte ſuſcipiatur? 14. de belli indictione, 15. gentes in bello multum ſibi licentiae ſolent ſumere. 16. a licentia bellica non ſunt exemtae res ſacrae. 19. quomodo res bello acquirantur? 20. cuinam res bello captae adquirantur? 21. quatenus incorporalia bello adquirantur? 22. an creditum bello adquiratur? 23.

Benefactores, an cognatis praepolleant in ſucceſſione ab inteſtato? IV. 11. 16.

Beneficentia. III. 3. 15.

Beniaminitae. VIII. 6. 10.

Beſtiae, an ratione praeditae ſint? I. 3. 1. n 3. an iis rationem tribuerint veteres ICti? III. 2 1. cur in delictis quibusdam vna cum hominibus detrudantur? II. 3. 3. 6. dubia circa caedem & vſum earum. IV. 3. 4. qui tamen defenditur, 5. abuſus iuris in beſtias reprehendendus, 6. quomodo eum vetitum eſſe, oſtendi poſſit ex principio ſocialitatis? Praef. p. 14.

Bodmeria. V. 7. 12. n. 12. c. 9. §. 8. n. 2.

Bona fides an i. N. neceſſaria ſit ad praeſcriptionem? IV. 12. 3. n. 8.

C.

Cambium ſiccum. V. 7. 12. & n. 9. reale, ib. maritimum, ib.

Canis, ſtipendia merens. VII. 2. 1. & n. 1.

Captiuorum redemtio. VIII. 7. 14.

Carnifex, an ſententiam, quam iniuſtam nouerit, executioni dare poſſit? VIII. 1. 6. n. 3.

Caſus,

Caſus, ſolitus, inſolitus & inſolentiſſimus. V. 6. 3. n. 3.
Charta, cedit ſcripturae. IV. 7. 7.
Chriſtianiſmus eius praerogatiua prae paganiſmo. II. 4. 3. n. 6.
Ciues, a ſummo imperante an vitae periculo exponi poſſint? VIII. 2. 1. non vbique dominium rerum ſuarum debent ciuitati. VIII. 5. 2.
Ciuis, quis ſit? VII. 2. 20. de peculiaribus functionibus ciuium. 24. ciui a ciuitate an iniuria fieri poſſit? VII. 8. 2. ciuis ſaepe iniuſte de imperio ciuili queritur. 3. quot modis ciui a rectore ciuitatis Iniuria fieri queat? 4. ciuium deſignare ordinem eſt ſummi imperii. VIII. 4. 23. quomodo diuerſarum ciuitatum ciues comparentur? 24. ciuis an quis eſſe deſinat, rege ſine ſucceſſore mortuo? VIII. 11. 1. vt ſit, ſi migret. 2. an poſſit expelli ciuis pro lubitu? 6. an deditus, nec receptus ciuis maneat? 9.
Ciuitas quid ſit? VII. 2. 13. & n. 1. an per conſecrationem naturalem producta? VII. 1. 5. an indigentia fuerit cauſſa conſtitutae ciuitatis? 6. & VII. 1. 7. n. 3. genuina ciuitatis conſtitutae cauſſa 7. ad ciuitatem requiritur vnio voluntatum & virium. VII. 2. 5. pacta tria, quibus ciuitas conſtituatur §. 8. n. 1. amittitur per vim hoſtilem. VIII. 11. 8. mutata forma ciuitatis, eadem manet ciuitas VIII. 12. 1. debita ciuitatis per mutationem non tolluntur. 2. quem ciuitas poſt mutationem locum obtineat? 4. quid ſi ex vna ciuitate plures fiant? 5. quid ſi plures ciuitates vniantur? 6. ciuitates quatenus aeternae? 7. quomodo materiale ciuitatis pereat? 8. quomodo formale? 9. dantur & formae irregulares ciuitatum ac ſyſtemata. VII. 5. 2. in quo conſiſtat natura earum 14.
Commeatus ius. VIII. 7. 13.
Commodatarius, quam culpam praeſtet? V. 4. 6. n. 1. an tempore incendii rem alienam viliorem ſuae pretioſiori praeferre cogatur? n. 11.
Commodatum quid? & in quo differat a precario? V. 6. 4.
Communio quid? IV. 1. n 2. de communione primaeua. 5. ab eadem quo ordine diſceſſum. 6. fuit ea res vtilis generi humano. 7. argumenta eorum, qui communionem primaeuam oppugnant, 10. 11. 12. 13. poſitiua & negatiua quid? IV. 4. 2. n. 20.
Communioni bonorum an hodie locus ſit? IV. 4. 7. n. 6.
Compenſatio aduerſus quem & a quo opponatur? V. 11. 5. vbi ea locum habeat? 6.
Conatus ſummus an ſemper ſufficiat? III. 7. 4.
Conditio quid? III. 8. 2. an referatur ad tempus praeſens aut praeteritum 3. caſualis, poteſtatiua, mixta 4. impoſſibilis & turpis 5.
Confuſio, V. 11. 14.
Confuſio linguarum Babylonica vnde fuerit? IV. 1. 3. n. 5.
Conſcientia quid & quotuplex? I. 3. 4. motuum eius celeritas, n. 3. probabilis 5. regulae de ea, §§. 5. & 7. dubia, 8. an detur? n. 1. ſcrupuloſa, 9. v. *Libertas.*
Conſenſus requiritur in promiſſis & pactis. III. 6. 1. ſignificatus expreſſe vel tacite 2. ſupponit vſum rationis 3. de conſenſu acceptantis 15. de ſignis & monumentis conſenſus, 16. eius veritas vnde aeſtimetur? n. 2.
Conſenſus aliorum, an requiratur ad originariam dominii acquiſitionem? III. 5. 3. n. 2. §. 4. n. 3.

Conſen-

Digitized by Google

Conſenſus tacitus, praeſumtus & fictus. III. 6. 2. n. 5.

Conſtitutum poſſeſſorium. IV. 9. 9. n. 10.

Contractus diuiduntur in μονοπλεύρους & διπλεύρους. V. 2. 5. reales, conſenſuales, verbales, literales 6. nominatos & innominatos. 7. beneficos & oneroſos, 8. enumeratio contractuum oneroſorum 9. contractus mixti. 10. in contractibus oneroſis debet eſſe aequalitas, V. 3. 1. Inaequalitas emergens quatenus corrigenda? 9. in contractu oneroſo nihil donari praeſumitur, V. 6. 8. in contractibus beneficis aequalitas locum non habet. V. 3. 7.

Contractus regum quatenus exemti legibus ciuilibus? VIII. 10. 4. quatenus ciui actio contra regem ex contractu ſit? 6. Contractus ciuium ſubiacent dominio eminenti. 7. quatenus ex contractu regum obligentur ſucceſſores? 8.

Corporis cura. II. 4. 14.

Creaturis aliis Deo volente homo vtitur. IV. 3. 2.

Creditum, an bello adquiratur? VIII. 6. 23.

Culpa, eius gradus tres, quibus in latam, leuem, & leuiſſimam diſpeſcitur, vindicantur, I. 7. 16. n. 2. ſeqq. quae I. C. praeſumenda ſit in Commodato? ib. quae in Mandato? V. 4. 3. n. 1. quae in Societate? V. 8. 4. n. 5.

Cultura, homini eſt neceſſaria. II. 4. 1. circa quae verſetur. §. 2.

D.

Damnum quid ſit? III. 1. 3. ſi quod datum reparandum. 2. damnum quinam dent? 4.

Data turpiter, an repeti poſſint? III. 7. 9. an reſtituenda ſint. IV. 13. 16.

Decalogi praecepta an ſint leges ciuiles? VIII. 1. 4. praeceptum IV. an ad Principes etiam pertineat? VII. 3. 2. n. 3.

Defenſio eius, qui iniuriae initium fecit II. 5. 19.

Defenſio rerum. II. 5. 16.

Defenſio ſui violenta, an licita? II. 5. 1. an etiam naturali iure praecepta? 2. qualis in libertate naturali? 3. qualis eadem in ciuitatibus? 4. an & contra inuaſorem errantem? 5. Tempus defenſionis in libertate naturali, 6. & in ſtatu ciuili quomodo ſe habeat? 7. ſeqq.

Delectationes, quantum circa eas laborandum. II. 4. 11.

Delegatio V. 11. 13. eam Auctor cum Ceſſione confundit, n. 2. Delegationis & Ceſſionis differentiae, n. 3.

Delicti magnitudo aeſtimatur tum ex obiecto, VIII. 3. 18. tum ex affectu, quo quis impulſus fuit. 19. tum ex intentionis magnitudine. 20. tum ex firmitate animi delinquentis, 21. tum denique ex habitu. 22. delictum ob alienum nemo eſt puniendus. 33.

Democratia, quomodo conſtituatur? VII. 5. 6. eius requiſita ordinaria, 7. modus acquirendi imperium in ea eſt vniformis. VII. 7. 1.

Demonſtratio, quid ſit in moralibus? I. 2. 2.

Depoſitum, V. 4. 7.

Depoſitarius, quam praeſtet culpam? V. 4. 7.

Derelicta fiunt denuo occupantis, IV. 6. 12.

Deus vnde dicatur, IV. 1. 3. n. 2. etiam paganis omniſcius & omnipotens viſus. §. 3. n. 1.

Diſpenſatio legis, I. 6. 17.

Digitized by Google

Diſſenſu mutuo quatenus ſoluatur obligatio? V. 11. 8.

Diuiſio an fuerit modus acquirendi primaeuus? IV. 4. 9. n. 5. IV. 6. 2. n. 4.

Diuortium. ei cauſſam praebent adulterium & malitioſa deſertio. VI. 1. 21. & n. 1. an & mores intolerabiles? §. 22.

Dolo, in hoſtem vti licet. VIII. 6. 6.

Dolus, cauſſam dans Contractui, & incidens, III. 6. 8. n. 1.

Dolus malus, III. 6. §. 8 an eius ſuſpicio pacta reddat inualida? §. 9.

Dominium. eius origo. II. 6. 5. IV. 4. 1. n. 3. antiquorum, de ea ſententia IV. 4. 8. quo ſenſu dominium dicatur iuris naturalis? 14. vel abſtrahit a poſſeſſione, vel eandem inuoluit. IV. 9. 6. quatenus per ſola pacta acquiratur? 8.

Dominium eminens, VIII. 5. 7.

Dominus, rem ſuam vindicans an pretium reſtituere cogendus ſit? IV. 3. 2. n. 2.

Donationes mortis cauſa IV. 10. 9. inter viuos. V. 4. 1. n. 1.

Donationes regum an ſint reuocabiles? VIII. 10. 9.

Duellum, legibus vetitum detrectare, non eſt infame. VIII. 4. 8.

E.

Ebrietas quomodo ſolicitet voluntatem, I. 4. 8. quando imputetur n. 5. j. I. 3. 10. 9. I. 5. 10. magna impedit conſenſum in conuentionibus, III. 6. 5.

Electio quotuplex? VII. 7. 6.

Emere, an quis aliena teneatur? III. 3. 12.

Emphyteuſis. IV. 8. 3. an ſingularis ſpecies contractus. n. 2.

Emtio venditio. an circumuentio naturaliter in ea licita? V. 3. 6.

Emtionis Venditionis contractus quando ſit perfectus? V. 5. 2. de periculo & commodo rei venditae, 3. de pactis emtioni venditioni adiici ſolitis 4. quid emtor venditori & hic illi praeſtare debeat? 5. de emtione ſpei. 6.

Entia moralia quid ſint? I. 1. 3. quis eorum auctor. ibid. §. 3. origo & finis eorum, ibid. §. 3. eorum vis & effectus, ibid. diuerſae ſpecies, ibid. §. 5. quomodo tollantur? ibid. §. 23.

Entia phyſica quid? I. 1. 2.

Error quid & quando imputetur? I. 3. 11. ſeqq. quando vitiet promiſſa? III. 6. §. 6. & n. 2. pacta & contractus? 7. & n. 2. ſeqq.

Exercitus quid? V. 12. 4.

Exilium. VIII. 11. 7.

Exſecutio facti illiciti an licita? I. 5. 9. 4.

Exſecutio rei iudicatae, V. 13. 10.

Exiſtimatio quid? I. 1. 22. quantum circa eam laborandum? II. 4. 9. definitur & diuiditur. VIII. 4. 1. ſimplex, naturalis, 2. quae eſt vel integra, 3. vel deminuta, 4. vel conſumta. 5. exiſtimatio ciuilis ſimplex deficit, vel ex ſtatu, 6. vel ex antegreſſo delicto. 7. ſimplex ab arbitrio imperantium non dependet, 9. neque pro illis conſumi poteſt, 10. intenſiua, 11. eius fundamenta. 12.

F.

Falſiloquium non omne mendacium & turpe eſt, IV. 1. 9. neque tamen idem probandum in regula. IV. 1. 9. n. 5.

Falſum quatenus infantibus dicere liceat? IV. 1. 15. pro ſalute aliorum dicere fas eſt, 16. rectoribus ciuitatum quatenus dicere ſit conceſſum?

17

17. quatenus praue curioſis eo illudi queat? 18. hoſti falſum dicere licet. 19.

Fauorabilia, odioſa & mixta an dentur? V. 12. 12. n. 3. §. 13. n. 3. 7. 9.

Fatum Stoicum minime admittendum. II. 4. 4.

Feudum quid? IV. 8. 2. * 12. n. 6.

Fideiuſſor non poteſt teneri in plus, quam principalis debitor. V. 10. 9. poteſt tamen teneri arctius, 10. quae fideiuſſori beneficia iuris competant? 11.

Fideiuſſor indemnitatis, V. 10. 11.

Fiducia. V. 10. 8.

Foederum diuiſio. VIII. 9. 1. foedera quibus nihil extra iuris naturalis debitum diſponitur. 2. quid foedera aequalia ſint? 3. de foederibus inaequalibus. 4. vtri ex pluribus foederatis potius ſit ferendum auxilium? 5. foederum alia realia, alia perſonalia, 6. quae dignoſcuntur vel ex conſideratione ſingulorum, 7. vel ex generalibus notis. 8. an foedera pertineant ad reges expulſos? 9. foedera tacite non intelliguntur reuocari. 11.

Foetus animalium ad quem pertineant? IV. 7. 4.

Formulae Iuris R. cui fini adhibitae fuerint? III. 6. 11. n. 3.

Forum exteris an promiſcue praebendum? III. 3. 11.

Fructus quotuplices? IV. 7. 3.

Fugere an teneatur, quem quis alius aggreditur? II. 5. 13.

Fur cum telo & ſine telo. II. 5. 18. 1.

Fur nocturnus. II. 5. 17. ſeq.

De *Futuro*, quae fiunt verba ius non transferunt, III. 5. 8.

G.

Gentes quaedam Iure Naturae infames. III. 2. 3. 3.

Gibeonitae mendacione an falſiloquio vſi ſint apud Ioſuam? IV. 2. 7. n. 2.

Gratus animus, III. 3. 16.

H.

Habitatio, IV. 8. 9.

Heres quatenus defuncti debita exſoluere teneatur? IV. 11. 19.

Homicidii in ebrietate commiſſi qua ratione abſolui poſſit Clericus? I. 3. 10. 9.

Hominis nobilitas II. 1. 5. prauitas 6.

Homo hominis commoda promouere tenetur III. 3. 1. idque vel indefinite, 2. vel definite, per vulgarem humanitatem 3. eius exempla minutiora. 4. Deo volente aliis creaturis vtitur. IV. 3. 2. & vegetabilia citra iniuriam conſumit. 3.

Honeſtum an detur ante omnem impoſitionem? I 2. 6.

Honoris fundamentum an ſola potentia? VIII. 4. 13. per eam producitur tantum aptitudo ad honorem 14. quatenus ab arbitrio ciuitatis dependeant? 32.

Hoſpites, an promiſcue admittendi? III. 3. 9.

I.

Ideae innatae. iis non fauet Scriptura. I. 3. 13. 3.

Ignis. incognitus incolis Inſularum Canariarum. II. 2. 2. 4.

Ignorantia iuris & facti. I. 3. 10. efficax, n. 4. concomitans, n. 5. per ignorantiam patrata nemini imputantur. I. 5. 10.

Ignoſcere an quandoque liceat? VIII. 3. 15. quatenus id liceat ante legem poenalem? ib. & poſt eandem? 17.

Illicita, in ea non cadit obligatio. III. 7. 6.

Immortalitas animae, an recte ſeponatur in iure naturae? Praef. p. 15.

Imperantium ſummorum officium vnde cognoſcatur? VII. 9. 1. illud iis probe eſt addiſcendum. 2. ſalus populi ſuprema lex eſt. 3. ciues bonis moribus imbuendi 4. commodae leges ferendae, 5. eaedem executioni dandae, 7. poenae recte temperandae. 7. iniuriae ciuium mutuae prohibendae. 8. idoneis & probis miniſtris vtendum, 9. tributa recte exigenda & collocanda. 10. facultates ciuium promouendae, 11. factiones prohibendae, 12. aduerſus inuaſiones exterorum vires parandae, 13.

Imperium, quatenus occupetur per vim iuſtam? VII. 7. 3. quatenus per vim iniuſtam 4. qua ratione quis alterius imperio exſoluatur? 5. ſummo imperio, iuſta imperanti, non debet reſiſti. VII. 8. 1.

Imperium, eius origo, I. 6. 11. in ciuitate quare ſummum dicatur? VII. 6. 1. illud qui habet eſt ἀνυπεύθυνος 2. & legibus humanis ſuperior, 3. abſolutum quid? 7. non deprehenditur aeque in omnibus rerumpublicarum formis, 8. imperia limitata vnde? 9. quibus pactis illa exiſtant? 10. qua ratione diuerſae partes imperii limitentur? 11. modus habendi imperium quotuplex? 14. an detur ſummum imperium temporarium? 15.

Imperium in victos, quot modis acquiratur? VIII. 6. 24.

Impoſſibilia, ad ea nemo tenetur. I. 5. 8. III. 7. 2.

Impoſſibilitas, circa pacta emergens. III. 7. 3.

Imputatio. eius cauſſa & fundamentum. I. 5. 5. actualis, I. 9. 1 ex gratia, 2. ex debito, 3. quid alteri efficaciter poſſit imputari? 4.

Inaequalitas. inter homines vnde proueniat? III. 2. 9.

Incendia, damnum ex iis ortum, quomodo optime ſarciatur? II. 6. 7. 4.

Inceſtus. VI. 1. 28.

Indictio belli ſolennis, an neceſſaria? VIII. 6. 9. n. 1.

Induciae, quid ſint? VIII 7. 3. de duratione induciarum, 4. induciae relinquunt cauſſam belli. 5. poſt inducias indictione non eſt opus. 6. induciae expreſſo pacto contrahuntur. 7. de initio & fine induciarum. 8. quando induciae obligent ſubditos? 9. quid per inducias liceat, quid non? 10. quid ſi quis in hoſtico poſt elapſas inducias, inuitus deprehendatur? 11. quid ſi violentur induciae? 12.

Infantes. quatenus ſint capaces dominii? IV. 4. 15.

Ingeniorum varietas, II. 1. 7. imbecillitas, ac naturalis incultus, 8.

Ingratus animus, III. 3. 17. ingrati actio an detur? ib.

Iniuria fit tantum ex proaereſi. I. 7. 16.

Innocentem ciuem an ciuitas dedere poſſit? VIII. 2. 5.

Inſtrumentis amiſſis, quod arbitri officium ſit? V. 13. 8.

Intellectus, quid ſit? I. 1. 2. eius an ſint duae facultates. I. 3. 2. naturaliter rectus eſt circa moralia. ibid. 3.

Intentio qualis requiratur in foro Diuino I. 8. 2. qualis ſufficiat in foro humano. 3.

Interpretationis rectae neceſſitas. IV. 12. 2. verba regulariter intelligenda ex proprietate populari, 3. verba artis ex arte, 4. per coniecturas eruitur ſenſus,

ſenſus, ſi verba ſint ambigua, 5. aut repugnent, vel repugnare videantur. 6. coniecturae petuntur ex materia ſubſtrata, 7. ex effectu, 8. ex coniunctis, origine aut etiam loco. 9. quomodo ex ratione legis eius ſenſus colligatur? 10. quaedam vocabula habent ſignificationem latam & ſtrictam. 11. res quaedam auctori habentur fauorabiles, quaedam odioſae, 12. vnde regulae ei formantur. 13. coniectura propter quam legis fit extenſio, 17. de his, quae in fraudem legis fiunt. 18. coniectura propter quam legis fit reſtrictio. 19. ſeqq. quid ſi diuerſae leges, caſu aliquo, inter ſe collidi videantur? 23.

Interregnum quid? VII. 7. 7. ſeq.

Inuaſor quo caſu habendus pro legitimo principe? VII. 8. 9. eius iuſſa quatenus ciues obligent legitimo rege adhuc ſuperſtite, ſed expulſo? 10. eius acta, quatenus eo depulſo, conſiſtant? VIII. 12. 3.

Inuitum quomodo ſolicitet voluntatem? I. 4. 10. nemini imputatur. I 5. 9.

Iſraëlitae iurantes ſe Beniaminitis filias ſuas vxores non daturos. IV. 2. 13. n. 3.

Iurare an permiſſum? IV. 2. 3. n. 12.

Iura in re aliena quot? IV. 8. 2.

Iuri an ſemper reſpondeat obligatio? III. 5. 1. nota 1.

Ius quid? I. 1. 20. permiſſiuum I. 6. & n. 15. omnium in omnia. I. 6. 10. perfectum & imperfectum, I. 7. 7. 3.

Ius Gentium Naturali contradiſtinctum an detur? II. 3. 23. exempla eius, nota 1. quo ſenſu ſumatur a veteribus ICtis? II. 3. 7. primaeuum & ſecundarium. II. 3. 23. n. 4.

Ius Naturae an hominibus cum brutis commune? II. 3. 2. ſeq. non nititur conſenſu gentium. 7. ſeqq. eius fundamentum an vtilitas? 10. ſeq. an id ex fine conditi mundi elucescat? 12. genuinum eius fundamentum petendum ex conditione hominis. 14. quaedam dicuntur iuris naturalis reductiue & abuſiue. 22. iuris naturalis partitio 24. ius naturae, quare immutabile? II. 3. 5. 1. permiſſiuum II. 3. 24. 2.

Iusiurandum. eius ſanctimonia. IV. 2. 1. iusiurandum quid? 2. iuratur tantum per Numen, 3. & quidem iuxta religionem iurantis. 4. de intentione iurantis, 5. iusiurandum eſt vinculum acceſſorium obligationum, 6. de iuribusiurandis dolo elicitis, 7. de iuribusiurandis metu extortis, 8. iuraiuranda circa res illicitas non obligant, 9. nec quae impediunt maius bonum. 10. iusiurandum non immutat naturam actus cui adiicitur, 11. excludit cauillationes, 12. non tamen ſemper ſtricte interpretandum, 13. aut citra tacitas conditiones & limitationes, 14. explicatur ex intentione deferentis, 15. de iureiurando in alterius animam, 16. quatenus heres teneatur ex iureiurando defuncti? 17. iuriumiurandorum diuiſio, 18. iusiurandum confirmatorium, 19. teſtificatorium 20. litis deciſorium, 21. ſuppletorium & purgatorium. 22. an quaelibet iurisiurandi violatio faciat periurum? 23. de iuriumiurandorum relaxationibus. 24. iusiurandum an exigere liceat, ab homine quem peieraturum eſſe, veriſimile ſit? IV. 2 21. n 6. iusiurandum per Genium Principis, IV. 2. 3. n. 5. 8. Rex de ſuo iureiurando valido diſpenſare nequit. VIII. 10. 5.

Ius Regium 1 Samuel. c. 8. v. 11. quid ſit? VII. 6. 9. n. 4.

Iuſtitia eſt vel perſonarum, vel actionum, I. 7. 6. iuſtitia actionum quid? 7. iuſti-

7. iuſtitia vniuerſalis, particularis, 8. & in nota * iuſtitia diſtributiua, 9. commutatiua, 10. attributrix & expletrix. 11.
Iuſtitiae recepta definitio vindicatur, I. 7. 6. 3. I. 8. 2. 2. I. 8. 3. 1.
Iuſtum num aliquod fuerit ante leges ciuiles? VIII. 1. 5.
Ius vitae & necis, an a ſingulis in ciuitatem conferri potuerit. VIII. 3. 1.

L.

Laeſio quot modis fiat? III. 1. 6. quo ordine laedentes teneantur? 5.
Laeſionis vltra dimidium caſus, an praeſto apud Cominaeum? V. 3. 9. n. 1.
Latitudo actionum moralium an detrahat certitudini demonſtrationis moralis. I. 2. 8. ſeqq.
Latrocinia gentium, II. 2. 10. & nota 6.
Lazarus, an ei, quem primum mortuus, heredem ſcripſerit, bona eius obtinere licuerit? III. 6. 6.
Leges Diuinae vniuerſales, I. 6. 18. 1.
Leges imperfectae, I. 6. 14. 3.
Leges ſine exceptione an dentur? I. 2. 5. & n. 2.
Leges Zaleuci, I. 6. 6.
Legum ciuilium indoles, VIII. 11. 1. an poſſint repugnare legibus naturalibus? 2. an crimina pro lubitu definire poſſint? 3.
Lex quid ſit? I. 6. 4. differt a conſilio, 1. a pacto, 2. & iure, 3. lex & legislator debent eſſe cognita, 13. permiſſio legis quid? 15. ea omnes ſubditi obligantur. 17. legis diuiſio. 18.
Lex an cadat in hominem? II. 1. 1.
Lex Cincia, I. 6. 14. n. 5.
Lex commiſſoria, V, 5. 4. V. 10. 14. VII. 5. 17. n. 5.
Lex Hebraea, an vbique adaequata poenarum menſura ſit? VIII. 3. 26.
Lex Naturae fundamentalis II. 3. 15. obligatio eius eſt a Deo 20. de ſanctione legis naturalis. 21. ſola eius reuerentia pacem generis humani non continet. VII. 1. 8. coërcendis hominibus acriori fraeno, quam ſola lege naturali opus eſt. 11.
Lex ſacrata an abrogari poſſit? I. 6. 6.
Liberi legitimi praeualent naturalibus, 9. modo pater illos agnoſcat, 10. aut non ab hereditate excluſerit. 11.
Liberorum nomine quinam veniant? IV. 11. 6.
Libertas quid? II. 1. 1. VI. 3. 10. in Deo qualis? 3. brutorum qualis? 4. an cum caede inuaſoris defendi poſſit? II. 5. 19. 2.
Libertas conſcientiae, an armis defendi poſſit? VII. 8. 5. n. 9.
Licentia bellica in corpus. VIII. 6. 17. ab ea non ſunt exemtae res ſacrae. 19.
Litterae ab oris ſimilitudine ortae dicuntur. IV. 2. 1.
Locatio - conductio: eius cum emtione venditione communia. V. 6. 1. definitus rei vſus interceptus, eſt damno locatoris 2. incertus regulariter damno conductoris. 3. an eadem opera pluribus locari poſſit? 4.
Loci adiectio. III. 8. 6.
Lombardiae, V. 7. 12.
Lotariae, V. 9. 6.
Ludi, V. 9. 5. Romae vetiti. V. 9. 5. n. 5.

M.

Maieſtas. reſultauit ex pactis, quibus ciuitas eualuit. VII. 3. 1. an ſit immediate a Deo? 3. & n. 2. quomodo qui vaſalli vinculo exſoluitur, maieſtatem accipiat? 7. an liber populus, aut monarcha, imperium in alterius manus reſignans, efficiens cauſa maieſtatis ſit? 8. realis & perſonalis, VII. 6. 4.

Mala

Mala humanam conſtantiam ſuperantia, an quis pacto ſuſcipere poſſit? III. 7. 5.

Malitiae cauſſa nequaquam in Deo quaerenda. I. 7. 5.

Mandata quotuplicia? III. 9. 2.

Mandatarius an auctorem ſuum obliget, ſi, cum mandatum manifeſtum & arcanum haberet, arcanum exceſſerit? III. 9. 2. mandatarius debet adhibere ſummam diligentiam. V. 4. 3. quatenus indemnis praeſtari debeat? 4. an ei ſarciendum damnum a latronibus illatum §. 4. n. 3.

Mandatum quid? V. 4. 1. eius ſingularis apud Romanos religio. 2. an recte expleatur per aequipollens? 5. prauum ſuperioris an quis aliquando exſequi poſſit ſine peccato? VIII. 1. 6.

Maris dominium. diuina conceſſio dominio maris non repugnat. IV. 5. 5. rationes contra proprietatem maris. 6. vſus maris quinam? 7. quaenam maris partes occupatae ſint? 8.

Marito vnde imperium in vxorem oriatur? VI. 1. 11.

Mater. ex mente Hobbeſii primaeua poteſtas in prolem eſt penes ipſam. VI. 2. 2.

Matrimonium an promiſcue concedendum? III. 3. 13. an ſit aliqua ad ineundum id obligatio? VI. 1. 3. matrimonia Amazonica. 9. minus ſolenne. 36. ſoluitur adulterio & malitioſa deſertione. 21. n. 2.

Matrimonium ad talacho. VI. 1. 20. n. 10. emancibado. n. 11. caſato di media charta. ib.

Mediator. differentia inter mediatorem & nuncium. III. 9. 4. de mediatoribus pacis. V. 13. 7.

Membri ad mutilationem auertendam an permiſſa caedes? II. 5. 10.

Mendacium quid? IV. 1. 8. ius quod mendacio violatur, quale & vnde ſit? 10.

Mercatura cur contemta. VIII. 4. 30.

Meretrici datum an repeti poſſit? III. 7. 8. n. 2.

Meritum quid? I. 9. 5.

Metus creſcentis potentiae an iuſta belli cauſſa? II. 5. 6. 2.

Metus promiſſa & pacta reddit inualida. III. 6. §. 10. 11. 12. 13.

Metus, qua ratione cauſſa primarum ciuitatum dici poſſit? VII. 1. 7. n. 3.

Mexicanorum Regum promiſſum enorme. I. 5. 6. & n. 2.

Migratio. quid in ea obſeruandum? VIII. 11. 3. an gregatim poſſit diſcedi? 4.

Militiam in bello iniuſto an ciuis recte ſuſcipiat iuſſu Regis? VIII. 1 8 & §. 6. n. 3. an militiam detrectare liceat propter pactum cum hoſte? VIII. 2. 2. ad eam nemo ſe inutilem reddere debet. 3.

Militum, quanta ſit obligatio? VIII. 2. 4.

Minor, an ex contractu, durante minorennitate inito, conſcientiae ſaltem praeceptis teneatur? III. 6. 4. n. 5.

Minorennitas an impediat conſenſum? III. 6. 4.

Moderamen inculpatae tutelae. II. 5. 15.

Mohatra. V. 7. 12.

Monachi. III. 3. 2.

Monarchia quomodo conſtituatur? VII. 5. 9. modus acquirendi in ea imperium variat. VII. 7. 2.

Monetae mutatio in bonitate intrinſeca, V. 7. 6. in valore extrinſeco. 7.

Monopolia. V. 5. 7.

Montes pietatis. V. 7. 12.

Moralitas actionum, v. Actiones.

Mutuum quid? V. 7. 1. de mutuo tacito. 4. an mutuum ſit alienatio? 5.

N.

Naufragorum bona occupandi ius. II. 3. 8. 4. II. 4. 4. n. 7. conſuetudo miniſtrorum Eccleſiae ex ſuggeſtu Deum orantium, vt iuri circa bona naufragorum benedicat, an ſit rationabilis? IV. 13. 4. n. 2.

Neceſſitas quotuplex? II. 6. 1. vbi ius aut fauor eius fundetur? 2. quid illa cuique det iuris in ſeipſum, aut directe in alios 3. quid indirecte eadem indulgeat? 4. quid iuris eadem indulgeat in res aliorum? 5. ſeqq.

Negari an vni poſſit, quod promiſcue omnibus conceditur? III. 3. 14.

Nemeſis Diuina. II. 3. 21. & n. 4.

Nobilitas. natalibus non ineſt a natura, VIII. 4. 25. ſed ab impoſitione ciuitatum. 26. quae tamen meritis niti ſolet & debet. 27. indoles Romanae nobilitatis primis temporibus, 28. eam poſtea geſti honores metiebantur. 29. quae indoles nobilitatis hodie in pleraque Europa? 30. alicubi nobilitati ſanguinis exiguum pretium. 31.

Nouatio. V. 11. 15.

Nummi inuentor, V. 1. 12. n. 1.

Nummorum valorem quatenus determinare poſſint rectores ciuitatum? V. 1. 14. in eo quoque reſpectus eſt habendus ad fundos. 15. eorum valor mutationi obnoxius. 16.

Nuncius. differentia inter nuncium & mediatorem. III. 9. 4.

Nuptias an filius iure naturae contrahere poſſit ſine patris conſenſu? VI. 2. 14.

O.

Obligata alteri, fruſtra promittuntur. III. 7. 11.

Obligatio quid? I. 1. 21. I. 6. 5. ſeqq. hominis erga Deum vnde naſcatur? I. 6. 12. an ſemper reſpondeat iuri? III. 5. 1. 1. an detur ad ferenda mala humanam conſtantiam ſuperantia? III. 7. 5. an cadat in illicita? 6. an in pacta turpia? 7. vel nec turpia, opera iam praeſtita? 8. obligatio ad pandenda alteri animi ſenſa vnde? IV. 1. 7.

Obligationes ſunt vel congenitae, vel aduentitiae. III. 4. 3. congenitis repugnat Atheiſmus. ib. §. 4. ciuiles & naturales, 5. quae vtriusque efficacia? 6. perpetuae & temporariae, 7. non mutuae, 8. perfecte aut imperfecte mutuae, 9. aduentitiae vnde proueniant? III. 5. 1.

Obligationis ſoluendae modus maxime naturalis eſt explere conuenta. V. 11. 1. vnius perfidia alterum obligatione ſoluit. 9. vti & mutatio ſtatus, in quo fundabatur obligatio. 10. quatenus tempore exſpiret obligatio? 11. morte quae obligationes exſpirent? 12.

Obſes, in Principis locum ſuccedens, non amplius tenetur. VIII. 8. 6.

Obſides. VIII. 2. 6.

Obſtagium. V. 10. 10.

Occupatio fit per vniuerſitatem, aut per fundos. IV. 6. 3. mobilium dependet ab arbitrio ſummi imperii. 4. quando occupatae intelligantur res immobiles? 8. quando mobiles? 9. de occupatione bellica, 14. per eam

prima & antiquiſſima dominii acquiſitio facta. IV. 4. 4. n. 4.

Oceanus quatenus occupari poſſit? IV. 4. 8. n. 7.

Oceanus vaſtus, dominii expers. IV. 5. 9. oceani nauigatio & commercia quatenus libera? 10.

Officia erga Deum, & nosmetipſos. II. 3. 15. 2.

Olla fortunae. V. 9. 7.

Onus, promiſſo adiectum. III. 9. 7.

Opera turpia, iam praeſtita, non obligant. III. 7. 8.

Operae ſeruorum. IV. 8. 10.

Opes, quantum circa eas laborandum? II. 4. 10.

P.

Pacta, non poſſunt non in ſocietate hūmana exiſtere. III. 4. 1. ſeruanda ſunt, 2. pactis nudis an inſit vis obligandi? III. 5. §§. 9. 10. 11. pacta turpia re integra non obligant, III. 7. 7. diſcrimen inter pacta & promiſſa conditionata, III. 8. 8. eorum diuiſio, III. 9. 8. eorum & contractuum differentia. V. 2. §. 1. 2. 3. 4. pacta ſorte mixta. V. 9. 1. locum habent tam in pace, 2. quam in bello. 3. pacta acceſſoria duplicis generis, V. 10. 1. pactorum adiectorum varietas, 2. pactum adiectum, ſi turpe ſit, inualidum eſt, 3. quandoque negotium facit irregulare, 4. in continenti adiectum, caeteris paribus eſt validum, 5. ex interuallo adiectum negatiuam parit exceptionem. 6. affirmatiuum, quatenus valeat? 7.

Pacta ducum, VIII. 7. 15. priuatorum in bello, 16.

Pacta pacis an infirmentur per exceptionem metus? VIII. 8. 1.

Pacta, quae ad ſtatum belli non ſpectant, an ſint valida? VIII. 7. 2.

Pacta tria ciuitatis conſtituendae, VII. 2. 7. n. 2. & §. 8. n. 4.

Pacta veſtita, vnde dicantur? V. 2. 2. n. 5.

Pagani an religionis cauſſa mutuis inter ſe odiis exarſerint? II 2. 10. 5. Dei omniſcientiam & omnipotentiam perſpectam habuerunt, II 4. 3. n. 6. eorum doctrina moralis interdum ſatis ſobria. IV. 13. 1. n. 4.

Pater aduerſus eum an moderamini inculpatae tutelae locus? II. 5. 5. 2. II. 5. 14. 4.

Patria poteſtas. eius origo VI. 2. 1. quibus rationibus nitatur? §. 4. quatenus patris ius potius, quam matris? 5.

Pax, quid & quotuplex? I. 1 8. naturalis pactis opus non habet, II. 2. 11. eſt parum fida 12. non continetur ſola legis naturae reuerentia, VII. 1. 8. neque ſolis arbitris, vel pactis, 9. diſcrepantia iudiciorum pacem generis humani turbat. 10. eſt ſtatus hominis ordinarius. VIII. 6 2. an cum rebellibus valide ineatur? VIII. 8. 2. 9. quatenus in ea bona priuatorum condonari poſſint? 3. terminus implendae pacis ſtricte interpretandus, 4. quid ſi pax referatur ad euentum praelii? 5.

Peccata recte Stoicis omnia aequalia eſſe dicuntur, I. 8. 1 1. quaenam ſuperuacuum ſit punire in foro ciuili? VIII. 3. 14.

Permutatio. V. 5. 1.

Perſonae morales ſimplices & compoſitae. I. 1. 12. 13. fictae. 15.

Phineae factum. VIII. 3. 19.

Pignorum vſus. V. 10. 13. pignus eſt vel fructuoſum, vel ſterile, 14. pignus an vſucapiatur? 15. quomodo differat ab hypotheca? 16.

Piſces qui in lacu noſtro ſunt, an noſtri ſint? IV. 6. 11.

Poena ad eam an obligemur? VIII. 3. 4. n. 6. humanae an locus in libertate naturali? §. 2. 3. quid ſit? 4. ſumere poenas ad quam ſpeciem iuſtitiae referendum? 5. eius exigendi poteſtas cui competat? 7. tres poenae fines, a §. 8. ad 13. quid circa determinandam poenae quantitatem ſpectetur? 23. quae ſit poenarum menſura? 24. in iis reſpicitur quoque perſona eius, qui patitur. 25.

Poenitentia quid? I. 6. 6.

Pollicitationibus an iure naturali inſit vis obligandi? III. 5. §§. 6. 9. 15.

Polygamia an iure naturali licita? VI. 1. 17. 18.

Populi integri quomodo hoſti iterum eripiantur? VIII. 6. 26.

Poſſeſſio bonae fidei, IV. 8. 5. quid & quotuplex ſit? IV. 9. 7.

Poſſeſſor bonae fidei ad reſtitutionem non tenetur, ſi res periit, IV. 13. 7. idem non tenetur ad reſtituendos fructus, neque exſtantes, §. 6. n. 1. neque conſumtos, §. 9. n. 1. §. 8. n. 2. nec ad eos, quos neglexit percipere, 10. non tenetur, ſi rem emtam vendiderit, cum diſtinctione, 12. quatenus pretium recuperare poſſit, qui rem alienam bona fide emit? 13. an res aliena emta reſtitui venditori poſſit? 14. qui rem alienam habet, cuius dominus ignoratur, recte eam poteſt retinere. 15.

Praecedentia. quis eam habeat prae altero? VIII. 4. 15. argumenta ex quibus peti ſolet, 16. an eam tribuat antiquitas? 17. potentia? 18. 19.

Praeſcriptio, an bona fides iure naturae in ea neceſſaria ſit? IV. 12. 3. n. 8. genuina eius ratio. §. 8. n. 4.

Pretium, quid? I. 1. 22. quotuplex? V. 1. 3. vulgaris fundamentum quodnam? 4. quare multae res vtiles pretium non habeant? 4. pretia rerum cur intendantur? 6. de pretio affectionis 7. de pretio legitimo 8. de pretio communi 9. cauſae, quae commune pretium intendunt, vel remittunt, 10. pretium vulgare non ſuffecit vitae humanae, 11. inde conſtitutum pretium eminens in nummo. 12.

Prima naturae homini cum beſtiis communia. II. 3. 3. 11.

Princeps, aduerſus eum an moderamini inculpatae tutelae locus? II. 5. 5. 1. an vnquam imperio priuari poſſit? V. 11. 10. n. 4. eius atrocibus iniuriis an reſiſti poſſit? VII. 8. 5. eius officia. VII. 8. 10. n. 6. & c. 9. §. 2. n. 8.

Probabilitas Caſuiſtarum. I. 3. 5.

Promiſſio imperfecta obligat, ſed alteri ius non dat. III. 5. 6. promiſſio perfecta. §. 7. quomodo conualeſcat promiſſio inualida? 14. promiſſio quotupliciter fiat? III. 8. 1. diſcrimen inter promiſſa conditionata & pacta. III. 8. 8.

Proportio Arithmetica, I. 7. 10. n. 1. & n. 4. 5. Geometrica. I. 7. 9.

Propria. quid requiratur, vt res propriae fieri queant? IV. 5. 1. res vſus inexhauſti non fiunt propriae, 2. res propria aliquo modo cuſtodiae debet eſſe obnoxia, 3. quarundam rerum propriarum vſus omnibus patet. 4.

Proprietas quid? IV. 4. 1. n. 2. non niſi inter plures vno locum habet, 3. & immediate fluit ex conuentione hominum. 4. an deſinat cum poſſeſſione? IV. 6. 1. n. 1.

Pudicita, an pro conſeruatione eius, caedes ſit licita? II. 5. 11.

Digitized by Google

Pudor vnde ſit? VI. 1. 29. an ſit argumentum, dari honeſtum ante omnem impoſitionem? I. 2. 7.

Purpura, cedit veſtimento. IV. 7. 9.

Pyxidis nauticae inuentor, III. 3. 2. n. 5.

Q.

Qualitates morales. I. 1. 17.

Quantitates morales. I. 1. 22. V. 1. 2. quantitas actionum moralium abſoluta. I. 8. 1. quantitas actionum moralium relatiua. 5.

Quaſi-contractus. III. 6. 2. n. 5. IV. 13. 5. n. 10. V. 7. 4. n. 3.

Querela non numeratae pecuniae. III. 6. 16. n. 2. V. 2. 6. n. 5.

R.

Radix. cur ex ea veteres dominium arboris aeſtimauerint? IV. 7. 5. n. 1.

Reges, niſi vere tales, ſacroſancti non ſunt. VII. 8 8.

Regium titulum tribuere, penes quem ſit? VII. 3. 9.

Regna patrimonialia. VII. 6. 16. VII. 7. 11. VIII. 5. 1. an dentur? n. 1.

Regnum voluntate populi conſtitutum. VI. 6. 17. de ſucceſſione in eo, VII. 6. 12. de alienatione regni & eius partium, VIII. 5. 9. non poteſt infeudari a Rege, aut oppignorari ſine conſenſu populi. 10.

Religio, ea imbuendus eſt animus. II. 4. 3. quid Principi liceat circa eam? VII. 4. 8. v. *Officia* erga Deum.

Remiſſione ſoluitur debitum, V. 11. 7.

Reparationis exemplum in homicida. III. 1. 7. in eo, qui mutilauit, 8. in adultero, 9. in ſtupratore, 10. in fure. 11.

Repraeſentationis ius. IV. 11. 12.

Repreſſaliae. de aequitate earum. VIII. 6. 13.

Res alienae apud nos exſtantes ſunt reſtituendae. IV. 13. 2. quod probatur, 3. & illuſtratur. 4. ex illa obligatione contractus poſteriores exceptionem admittunt. 5. reddendum id, quod quis ex alieno eſt lucratus. 6.

Res captae quomodo recuperentur? VIII. 6. 25.

Res fungibiles, V. 7. 1. earum duplex vſus. 2.

Res, quid pro eis ſeruandis liceat in res aliorum? II. 6. 8. circa eas occupatur magna pars iuris. IV. 3. 1.

Res ſacrae a licentia bellica non ſunt exemtae. VIII. 6. 19.

Reſeruationes mentales. IV. 1. 14.

Reſpublica mixta. VII. 5. 13. vid. *Ciuitas*.

Reſtitutio in integrum. quatenus ea rex gaudeat contra extraneum? VIII. 10. 2. & quatenus contra ciues ſuos? 3.

Reus, an negare crimen poſſit? IV. 1. 20.

Rex regi cedere non tenetur. VIII. 4. 20. quomodo reges conuenire poſſint citra contentionem? 21. Rex leges ferre poteſt, quomodo ciues bonis ſuis vti debeant, VIII. 5. 3. idem poteſt tributa exigere, 4. quid liceat Regi circa bona publica? 8. non poteſt alienare bona, quae principatum ſequuntur. 11. vide *Regnum*.

Romani, cur ſemper in menſa aliquid reliquerint, neque lampades exſtinxerint? III. 3. 4.

Digitized by Google

S.

Sacra ἀπόῤῥητα. II. 4. 19. n. 1.
Sata, ſolo cedunt IV. 7. 5.
Schema Sphaericum actionum moralium. I. 8. 1.
Sedes exteris an promiſcue concedenda? III. 3. 10.
Sententiarum paritas in ciuitate Ariſtocratica, & Democratica. VII. 2. 17. de coniungendis & diuidendis iis. 18.
Sepulturae ius, quomodo deriuetur ex principio ſocialitatis? Praef. p. 14.
Sermone quomodo vtendum? IV. 1. 1. origo eiusdem, 3. de ſermone ambiguo. 13. eius vis ſignificatiua vnde? IV. 1. 5. n. 2.
Serui, an perſonam habeant. I. 1. 12. 1. an dentur natura? III. 2. 8. VI. 3. 2.
Seruitutis primaeua origo videtur ex contractu. VI. 3. 4. incommoda ſeruitutis. 10. quibus modis tollatur? §. 10.
Seruitutes quid & quotuplices? IV. 8. 6. praediorum vrbanorum, 11. & ruſticorum. 12.
Signa quotuplicia? IV. 1. 2.
Simulatio, in rebus quatenus licita? IV. 1. 12.
Socialitas, an bene a Pufendorfio pro principio Iuris Naturae habeatur? Praef. p. 12.
Societas. homo natura magis amat ſe, quam ſocietatem. VII. 1. 2. ex adpetitu tamen ſocietatis, non ſtatim ſequitur adpetitus ciuitatis. 3. in homine multa ſunt vitia, ciuilem ſocietatem perturbantia. 4.
Societas quot modis ineatur? IV. 8. 1. collatio pecuniae cum opera diuerſimode fit, 2. ſocietas irregularis, 3. ſocietas omnium bonorum. 4.
Societas herilis quae? VI. 3. 1.
Socii. ordo inter eos. VIII. 4. 22. an ſociorum nomine in foederibus etiam futuri veniant? VIII. 9. 10.
Sodalitia ad praedam. II. 2. 10.
Solutio, quae pro ignorante facta, V. 11. 2. cui facienda? 3. qua in re facienda? 4.
Somnambulus, quatenus ei imputari poſſint actiones durante ſomno perpetratae? I. 5. 11. 4.
Somnus, per eum viſa, nemini imputantur. I. 5. 11.
Specificatio. IV. 7. 10.
Sponſiones. V. 9. 4. an ratihabeantur per ſilentium ſummi imperantis? VIII. 9. 13.
Sponſores pacis. VIII. 8. 7. ad quid teneantur ſponſione non ratihabita? VIII. 9. 12.
Stapulae ius, III. 3. §. 6. & n. 4. 5.
Status naturalis cum ciuili comparatio. II 2. 5.
Status naturalis diuerſa conſideratio. I. 2. 1. eius miſeria, 2. & iura. 3. an is habeat indolem belli? 5. ab eo exulare non debet ratio. 9. eum non conſtituunt barbari mores. 10.
Status primaeuus, & aduentitius. II. 3. 22. n. 1.
Status quid? I. 1. 6. naturalis & aduentitius, 7.
Studia literarum. II. 4. 13.
Succeſſiones ab inteſtato nituntur praeſumta voluntate defuncti. IV. 11. 1. liberi reliquis omnibus praeferuntur. 3. nec tamen neceſſario aequaliter bona inter liberos diuidenda. 8. deficientibus liberis, ſuccedunt parentes, 13. & his deficientibus cognati, pro ordine propinquitatis. 14. ordo inter

ter cognatos. 17. ciuilibus tamen legibus ampla heic diſponendi facultas. 18.

Superbia, quid diſtet a vera generoſitate? III. 2. 6.

Superficies. IV. 8. 4.

Syſtemata ciuitatum non ſtatim ſunt imperia, quae habent prouincias. VII. 5. 16. quomodo negotia in iis communicentur? 19. quomodo talia ſyſtemata diſſoluantur? 21.

T.

Tabula, cedit picturae. IV. 7. 8.

Talio. VIII. 3. 27.

Temporis adiectio. III. 8. 7.

Teſtamentum quid? IV. 10. 3. an ſit iuris naturalis? 4. & n. 2. ſi nemo contradicat, hereditatem ex teſtamento ſolennitatibus defecto, capere licet. 7. vtrum id, heredi ab inteſtato, ſubuertere liceat? 8. an per teſtamentum fiat alienatio? IV. 10. 2. n. 2.

Teſtes. V. 13. 9.

Theſauri. IV. 6. 13. apud Hebraeos cedebant inuentori. V. 3. 3. n. 2.

Tituli honorum. I. 1. 18.

Tormenta an idoneum veritatis expiſcandae remedium? VIII. 3. 4. n. 12.

Traditio an iure naturae ſit modus acquirendi dominium? IV. 9. 8. n. 1. 2. ad eam an cogi poſſit venditor? V. 5. 5. n. 2.

Traditio. an requiratur ad alienationem? IV. 9. 5. vera vel ficta. 9.

Transfugam ſimulare an licitum ſit? VIII. 11. 5.

Tranſitus militaris quando inuito Principe vicino fieri queat? I. 1. 19. n. 2. de tranſitu per alienas terras concedendo perſonis, III. 3. 3. & n. 1. 3. 7. & mercibus, §. 6. an pro tranſitu exigi vectigal queat? 7.

Translatio iuris in quo conſiſtat? III. 5. 4.

Tributa. quod obſeruandum circa impoſitionem eorum? VIII. 5. 6.

Tulipa. eius pretium immodicum. V. 1. 6.

Turpiter data an repeti poſſint? III. 7. 9.

Tyrannus. in eum, qui talis dicitur, non ſtatim vis eſt licita. VII. 8. 6. an vnquam ſolio deiici poſſit? VII. 8. 6. 2.

V.

Vades. V. 10. 12.

Vectigalia, quando exigi poſſint? III. 3. 7. in fretis exigi Auctori interdum odioſum videtur, ibid. quid obſeruandum circa impoſitionem eorundem? VIII. 5. 5.

Velorum ſubmiſſio, an ſignum ſit ſubiectionis? IV. 5. 8. n. 4. eius ſimile quid veteribus in vſu fuit. n. 1.

Venatio, alicubi quibuslibet permiſſa. IV. 6. 5. alicubi ſolis Principibus relicta. 6. an qui contra leges venatur, feram captam ſuam faciat? 7. an vulnerata a me fera, ſtatim mea ſit? 10.

Venere illicita, an, conſeruandae ſanitatis cauſſa, vti liceat? II. 6. 3. 2.

Veſtimenta vtrum in vero an in quaſi vſufructu ſint? V. 7. 2. n. 4.

Veritas quid? IV. 1. 8. pars veri quatenus recte diſſimuletur? 11.

Vita, eius vſus. II. 4. 15. an ſit aliqua obligatio ad ſeruandam eam? 16. quatenus in aliorum vſus impendenda? 17. aut pro altero periculo expendenda? 18.

Vniuerſitas, quomodo puniatur? VIII. 3. 28. delicta eius lapſu temporis demum exſtinguuntur. 29.

Vocabula, ſignificant ex impoſitione. IV. 1. 4. eadem an comitetur conuentio? 5.

Voluntas quid? I. 1. 2. I. 4. 1. eius libertas. I. 4. 2. eius indifferentia neceſſario aſſerenda, 3. quomodo in bonum feratur? 4.

Voluntas Dei, an ſola principium *eſſendi* iuris naturae dicenda ſit? Praef. p. 11.

Voto an iure naturae inſit vis obligandi? III. 6. 15.

Vſucapio quid differat a praeſcriptione? IV. 12. 1. quid legibus Romanis fuerit? 2. quatenus in ea requiratur bona fides? 3. & poſſeſſio continuata? 4. rationes introductae vſucapionis, 5. an lex de vſucapione ſit poenalis? 6. vſucapionem multi ad ius ciuile referunt, 7. an ea oriatur ex tacita domini derelictione. 8. ea niti videtur tacita conuentione gentium. 9. quatenus noceat nondum natis? 10. etiam inter diuerſas gentes locum habet 11.

Vſurae, Hebraeorum ſuper iis tradita. V. 7. 8. eas iuri naturali non repugnare oſtenditur. 9. 10. contractus vſuris aequipollentes probantur. 11. eluſiones infamiae vſurariae paſſim inuentae. 12.

Vſurae an Chriſtianis licitae? V. 7. 9. n. 4. 5. §. 10. n. 2. 3. cur ab auctoribus iuris Canonici interdictae, & aliis nominibus permiſſae fuerint? §. 11. n. 1.

Vſus. IV. 8. 8.

Vſusfructus. IV. 8. 7.

Vſus inexhauſti res, non fiunt propriae. IV. 5. 2.

Z.

Zeli iudicium. VIII. 3. 13.

F I N I S.

COR-

CORRIGENDA.

T. I. p.	73. n. 2. l.	2.	pro	*μεῖρον*,	lege	*μέτρον*.
	101.	10.	-	*Non abſque*,	-	Nam abſque.
	102.	25.	-	*auſu*,	-	auſi.
	148.	7.	-	*ὁμὲν*,	-	*ὁμὸν*.
	154. 5.	6.	-	*damnum onus maxi-*	-	damnum ſaepe maxi-
			-	*mum ſocietatis*	-	mum ſocietati.
	208. 5.	5.	-	*eiicimus*,	-	adiicimus.
	347.	5.	-	*Tenberi*,	-	Tenchteri.
	488. 3	4.	-	*Beniaminitae*,	-	Iſraëlitae.
		9.	-	*Beniaminitarum*,	-	Iſraëlitarum.
T. II.	414. §. 1.	14.	-	*ciues ſuos*,	-	ciues ſua.

S. P. ERIS

Digitized by Google

SAMVELIS PVFENDORFII

ERIS SCANDICA,

QVA

ADVERSVS LIBROS

DE

IVRE NATVRALI ET GENTIVM

OBIECTA DILVVNTVR.

ANNO M DCC XLIII.

Digitized by Google

IVLIVS RONDINVS
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

VT alienae fabulae prologum agerem, amicitia in cauſa eſt, quae mihi cum editore horum Scriptorum intercedit; cui cum placeret iſta denuo publicae luci tradere, a me rogauit nonnulla praemitti, quae aliquid lucis hiſce controuerſiis adſerre queant. Ipſe enim Auctor aliis negotiis intentus ſatis habuit aduerſariorum calumnias depuliſſe, ac ſententiarum ſuarum veritatem atque innocentiam adſtruxiſſe, inglorium de caetero atque indecorum exiſtimans cum hominibus rixoſis vlterius, quam neceſſum fuit, contentionis ſerram reciprocare. Cui cum id ſemper fuerit propoſitum, vt pro modulo ingenii aliquid in commune conferret, quoquo ſe non inutilem reipubl. literariae ciuem fuiſſe teſtaretur; repente a maleuolis eo ſe redactum deprehendit, vt tantum non de vita & fama certandum ſibi foret. Origo ipſi moleſtiarum ab inuidia, quod in Academia Carolina recens tunc inſtituta lautiore quam caeteri ſalario frueretur, ac magnam partem nobilis iuuentutis a ſe haberet pendentem. Ea res cumprimis male habebat *Nicolaum Beckmannum*, hominem fatuum iuxta ac rudem, ſed cui immenſos ſpiritus dabat vocabulum Doctoris in Schola Aurelianenſi triginta ſcutatis emtum; & quia collegium Pandectarum Marpurgi dictante quodam Profeſſore exceptum in Gallia ſumtibus ſuis publicaſſet titulo *Medullae Iuſtinianeae*. Is cum nullo ſe numero fore crederet, quamdiu Lundini Pufendorfius floreret, ad eum ſubruendum omnes cogitationes intendit. Iis deſtinatis perficiundis idoneam ſibi occaſionem oblatam putauit, quando iſtius Libri de Iure Naturae & Gentium Lundini imprimerentur, quos in typographia ſubinde inſpectos, cum ſupra ſtuporem ſuum ſentiret, nouitatis crimine arguere inſtituit, eo ſecurius, quod ipſe Pufendorfius non inficias eat, ſe nunquam in verba Magiſtrorum noſtro-

rum iuraſſe. Sed cum, quae Anſer iſte notauerat, nuſpiam cohaererent, nec aliam idem rationem adferre noſſet, quare illa damnaret, quam quod eadem non caperet; Igitur paulo ſolertior aſſumitur calumniae architectus *Ioſua Schwartzius*, qui expeditiſſimam ſibi viam inueniſſe viſus eſt ad Puſendorſium perdendum, ſi Theologos iſti negotio immiſcere poſſet. Igitur ſceleſto artificio non modicum Indicem errorum Theologicorum contexuit, nefario modo detortis, aut interpolatis ſententiis innoxiis, & ad Theologiam nihil plane ſpectantibus. Inſtigabatur Scaniae tunc Epiſcopus, ſenio iam in puerilitatem vergens, vt a Rectoribus Regni poſtulare auderet, ſibi cenſuram ſcripti Puſendorfiani committi. Eo foro conſtituto nil praeter rogum manebat Puſendorſium, actore iuxta ac iudice Schwartzio: qui & eo facilius a reliquo Clero applauſum ſibi ſperauerat, quo pauciores ex illo ſunt, qui operae quid poſuerunt in eo ſtudiorum genere, quod Puſendorſius excolendum ſibi ſumſerat. Sed cum improbum auſum Rectores Sueciae non ſine indignatione damnaſſent, ac ſilentium turbulentis hominibus impoſuiſſent, ad tenebras perpetuas damnato Indice Schwartziano, nondum a furore quietem ſibi imperare *Nic. Beckmanni* malitia potuit, publicato contra interdictum Regis in Germania iſto Indice, diffamandi Puſendorſii gratia, & quia crediderat, praecipites aliquos, rixoſos aut maleuolos homines ibi inuentum iri, qui bellum iſti mouere non ſint dubitaturi. Quo praeiudicio armati in Suecia denuo impetum in Puſendorſium daturi erant. Enimuero ſceleris conuictus iſte praemium accepit, quale merebatur, infamem e Regno Sueciae relegationem; ex qua tamen id boni aſſecutus videbatur, vt deletae iam ſemel exiſtimationis nullam amplius rationem habendam ſibi duceret; eoque poſtea libellos famoſos publicare auſus eſt, quibus ſtolidiores iuxta atque impudentiores ſeculum hoc non vidit. Et quia e Proteſtantibus nemo homini infami & inſulſo panem gratis praebiturus erat eiuratis, quibus innutritus erat, Sacris, Eccleſiam Romanam vno morione fecit auctiorem. Diuerſa Ioſuae Schwartzii in non diſpari ſcelere fortuna fuit. Silere quamtumuis a Superioribus iuſſus, muſſitauit tamen, & cumprimis dignum ſacerdote facinus patraſſe ſibi viſus eſt, ſi e cathedra ſacra velut e plauſtro conuitia iactaret, & ibi latraret, vbi a fuſtibus cautum ſibi credebat. Poſt bello inter vicinos Reges exorto, cum Puſendorſius in tuta ſe ſubduxiſſet, iam plenam calumniandi libertatem nactum ſe iudicauit. Itaque coram aurigis & olitoribus, eorumque vetulis, idoneis ſcilicet talium rerum arbitris, impudentiſſimas conciones eructauit, quas poſt typis diuulgauit, quod eruditio ipſius non vlterius aſſurgat, quam ad compilandam miſeram homiliam. Sed eo flagitio non contentus ad grauiora deſcendit, & publica itidem concione ciues a legitimo ſuo Rege in hoſtium partes pertrahere inſtituit; prorſus quaſi ciuis fide ſua exſolueretur hoſte ingruente, vbi adhuc praecipua munitionum præſidio regio tenebatur; & ipſe Rex cum exercitu indies expectabatur, cum hoſte manum conſerturus. Vnde mox hoſte victo periurii & rebellionis poenam formidans in pedes ſe dedit, & transfugam egit, apud hoſtem ſola flagitii commendatione, & odio in nationem Suecicam panem primo, mox & nouam functionem nactus. Ac demum pro eo facinore quo alii funem merentur, aliquod temporariae infulae inſigne reportaſſe dicitur;

eodem

Digitized by Google

eodem, vt videtur, fato cum meretricibus Londinenſibus gauiſus, quas in patria quidem haerentes mox ergaſtulum aut noſocomium, vel etiam fuſtigatio manebat; vbi in Iamaicam, aut alias partes Noui Orbis delatae ſunt, matrimonii vocabulo veteres ſordes obumbrante, poſt honeſtas ſe matronas ferunt. Caeterum Index iſte Schwartzianus, Beckmanno obſtetricante in lucem editus, vti auctoris circa calumnias concinnandas dexteritatem orbi ſatis prodidit; ita primo intuitu, & antequam Pufendorfii ſtrigilem idem expertus eſſet, in erubeſcendum errorem induxerat graue alias Collegium, quod ex illo ſiniſtrum de libris Pufendorfii iudicium ferre non dubitauerat. Cuius dignitati niſi Pufendorfius pepercisset, in procliui fuiſſet ipſi oſtendere, quam turpe ſit eiusmodi viris, ex ſolo libelli famoſi teſtimonio iudicium ferre de ſcripto, quod ipſi nunquam ſe inſpexiſſe fatebantur. Poſt & alii quidam in controuerſiae huius partem venerunt, ſed diuerſo fine, nec eodem modo. Nam non multum a furore Beckmanniano abiere *Fridericus Geſenius*, Garlaeae Praeſul & *Valentinus Veltbemius*, barbariei apud Ienenſes columen non infimum. Caeteri pro hypotheſibus ſuis a Pufendorfiana diſcrepantibus pugnare videri voluerunt. Occurſum eſt vtriſque ad eum fere modum, quem laceſſendi impudentia, aut diſceptandi modeſtia merebatur; nec puto vllum fore, qui iure queri poſſit, Pufendorfium in aere ipſius eſſe. Vnicus *Valentinus Albertus*, Lipſienſis Theologus, nondum adquieſcere videtur, velut turpe ſibi foret, inane litigium non in infinitum protrahere. Etſi in eo vehementer laudandum ſit viri ingenium, quod cum vtique extremam perſonam in hac fabula agere pertenderet, ita inficetam defenſionem aduerſus Iulium Rondinum adornauit, vt nemo cordatus naenias iſtas reſponſo dignaturus ſit: quod aduerſarii ſilentium ipſe poſt velut conceſſionem victoriae interpretaturus ſit. Sane enim cum nihil praeter crambem bis coctam apponat, rancidis quibuſdam diſtinctiunculis, & pedantico plane pipere conditam, primo ſtatim intuitu lectorem nauſea opplet, nedum vt quis in eam ſe obfirmare patientiam queat, vt commentis iſtis operoſe deſtruendis horam impendere poſſit. Etſi vt verbo praecipuas hominis vanitates notemus, forte non abs re fuerit, ſi forte iſtum permouere poſſimus, ne ſuis ſibi naeniis tantopere placeat. Sic quam putidum eſt, quod poſt tam perſpicue deductam ſtatus naturalis indolem, nondum deſinat coccyſſare Albertus, a Pufendorfio *pro primario haberi principio ſtatum hominis miſerum, fictum illum atque commentitium, in quo hominem, tanquam proiectum vtcunque aut vndecunque in hunc mundum imaginatur ſibi.* Nuſpiam quippe a Pufendorfio haec hypotheſis aſſumitur, hominem vndecunque aut vtcunque in terram proiectum: ſed cum vellet demonſtrare, quantum boni ex ſocietate in hominem redundet, & quam miſer ſit homo ſibi ſoli relictus, etiam a parentibus fuit abſtrahendum, ſeu ab illo auxilio, quod nati homines a parentibus ſuis experiuntur, niſi hoc per peculiarem Numinis curam ſuppletum fuerit. An haec eſt hypotheſis, aut principium, ſi alicuius rei vſum demonſtrem ex eiuſdem remotione? Aut an tali modo demonſtrandi admittitur aliquid homini Chriſtiano indecorum? ſed & naſi parum ſibi eſſe Albertus oſtendit, quod non ſine gratiarum actione acceptet, regulas, quas ipſe commentus eſt, cum illis comparari, quae de in-

uentione medii termini in Logicis iactantur; cum vtraeque iſtae regulae vanitatis arguantur. Sane ſi quis vel millies regulas iſtas Logicas voluat reuoluatque, nihil ſibi mediorum terminorum pullulare videbit ad probandam aliquam theſin, ni aliunde eiuſdem probationem didicerit. Sicuti nec hilum quidem regulae Albertinae ad eruenda officia legis naturalis conferunt, ni quis eorundem antea habuerit notitiam. Porro auctor rixae & ille habendus eſt, qui alterum etiam intra priuatos parietes multis arbitris vellicat. Et quomodo alias Puſendorfio de iſta Philoſophia Chriſtiana, quam Albertus meditabatur, innoteſcere potuiſſet? Per miracula concedit Albertus Phyſicam haud fieri locupletiorem, quia illa ſint res plane ſupernaturales. Et tamen per propoſitiones perſonales atque ſacramentales Logicam locupletari contendit. Atqui Logica eſt Diſciplina rationalis, & quae indolem ratiocinii noſtri naturalis tradit. Circa dictas autem propoſitiones oportet captiuare rationem ſub obſequium fidei. Nec ideo iſta Logici, vt ita dicam, ſunt commercii, qui conſtant ſubiecto & praedicato, ſunt categoricae & affirmatiuae. Haec enim etiam dici poſſunt de hac propoſitione: Homo eſt lapis. Et eo ipſo, quod inuſitatae dicuntur, ſphaeram Logices tranſcendunt, & ad ſublimiorem diſciplinam vnice ſpectant. Id vero nimis incogitanter ab Alberto poſitum, quod dicit: *Aquas ſupracoeleſtes,* quas ſcaeua interpretatio voculae Hebraicae *meal* peperit, *quomodocunque locentur aut ordinentur, tanquam ſupracoeleſtes eſſe altiores, vt perinde ſit, quodcunque mundi ſyſtema praeſupponatur.* Nam ſi quis ex illis, qui vortices Carteſianos ſtatuunt, quaerat, vtrum aquae iſtae ſingulis vorticibus ſint circumfuſae, an vero non niſi vniuerſis; & hoc poſito, quam figuram habeant, aut quem motum, aut num nihil aurae aethereae illis ſuperius ſit, plus difficultatum Albertus inueniet, quam vt tam imperioſo reſponſo defungi queat. Sicuti & magnam gratiam a curioſis rerum naturalium ſcrutatoribus inibit, ſi v. g. fontes Albis, aut Rheni, *per continuam aquarum particularium progreſſionem vel reptionem in materia terreſtri ad loca vicina fonti exſurgere* demonſtrauerit. Sed nimirum ad phaenomena phyſica explicanda liquidiore demonſtratione opus eſt, quam conglomeratione quorundam vocabulorum ſenſu carentium, & a natura rerum abhorrentium. Ad eundem guſtum reliqua ſunt miſellae defenſionis, quorum vanitatem quilibet deprehendere vltro poteſt, qui iſthaec Puſendorfii ſcripta legit, quae heic coniuncta damus. Et tantum ſibi de aequitate iuxta atque ingenio Lectorum pollicetur Puſendorfius, vt ad liquidum iſtis ſuper controuerſiis iudicium ferendum nullas amplius apologias deſideraturi ſint. Quin ſaepe malae cauſae ſuſpicionem praebet, circa defenſionem ſuam nimis trepide ſatagere. Nec minus in eo facilem Beneuoli Lectoris aequitatem ſperat Puſendorfius, quod ſalem paulo aſperiorem quandoque adhibuerit, defricandis aduerſariis. Nam pro horum indole ac meritis calamus temperandus fuit. Et vti circa quaeſtiones mere literarias valde ſtomachari impotentis eſt animi; ita ſalutem atque exiſtimationem noſtram improba ratione impugnantes acriter repuliſſe, apud aequos rerum arbitros vel applauſum ſtrenuae defenſionis, vel veniam iuſti doloris habet. B. V.

POST

Digitized by Google

POST SCRIPTVM.

ISTA cum iam in chartam conieciſſem, allatus eſt Viri Illuſtris Dn. Viti Ludouici a Seckendorf liber, cui titulum idiomate Teutonico fecit Chriſtenſtaat: in quo ſuper controuerſia inter Puſendorfium & Albertum agitata ſic pronunciare ipſi placet; *Addit:* p. 315. *de Iure Naturali, prout id ex Verbo Dei ſolidius docendum, e D. Valentino Alberti, & aliis. Ex iisdem rationibus*, inquit, *quibus profeſſionem Moralem in Academiis emendari optarim*, vt nempe loco Ethicae Ariſtotelicae Theologia Moralis tradatur, *id quoque ſuaſerim, vt Ius publicum vniuerſale, ſiue id naturale, ſiue Gentium vocitetur, e principiis Chriſtianiſmi deducatur, aut ſaltem, quae e lumine rationis promanant, ad iſta exigantur & attemperentur; vti D. D. Valentinus Alberti in erudito & ingenioſo Compendio Iuris Naturalis Orthodoxae Theologiae conformato, & Anno 1678. Lipſiae edito facit. In quo etiam multos egregios auctores & ſuffragatores habet; quos inter merito honoris gratia nomino Io. Henricum Boeclerum p. m. cuius excelſa gloria apud eruditum orbem indelebilis erit, & quo ego ante quadraginta annos Argentorati praeceptore vſus ſum: vti & ſolide doctum atque eximium ICtum D. Caſparem Zieglerum. Equidem methodum illam, quam Dn. Samuel Puſendorfius a principiis reuelatis abſtrahendo ſecutus eſt, in ſe reiicere nolim, nec ipſius hypotheſin eandem cum Hobbeſiana iudicare, multo minus aculeatis diſceptationibus, quae inde ſurrexere, me ingerere cupiam: pro modico tamen ingenio meo tantam vtilitatem e ſeparatione principiorum naturalium a iure diuino reuelato, ſeu quod eodem fere recidit, a Decalogo quaeritur, perſpicere non poſſum, quanta prima fronte videtur. Etſi enim verum ſit, quod Ethnicus, qui S. Scripturam pro vera, aut regula actionum humanarum non habet, ex ſola ratione, & illo lumine, quod ſaltim apud pleraſque & cultiſſimas nationes agnoſcitur, informandus ſit: Tali tamen modo in Chriſtiano Orbe ſcribere, & fundamentum iuris diuini reuelati poſtponere aut negligere non adeo neceſſarium eſt. Turcae atque Ethnici libros noſtros Latinos aut alia lingua conſcriptos non legunt; cum illis efficacius diſceptatur machinis & gladiis; aut ſi quid cum iiſdem ſuper commerciis & ſimilibus negotiis tractetur, principia iam nota ſunt; & horum praecipuum, nempe vtilitas mutua ſubtili diſceptatione haud conſtat. Haec vbi claudicat aut ceſſat, fruſtra ratiocinari inſtituas. Enimuero e recentibus hypotheſibus (contra mentem quidem & ſcopum Auctorum) proterua noſtra, & verbum Dei quotidie magis faſtidiens iuuentus anſam arripit, vt veteres regulas, quae apud ipſos tanquam Chriſtianos merito valere debebant, non amplius magni aeſtimet, recentibus autem haud conſtanter fidem adhibeat, & non vlterius, quam quatenus expedit. Vnde & hodie plures quam vnquam alias dantur homines, qui Principum ac Rerumpublicarum deſtinatis qualibuſcunque e laxis illis, & per probabilitatem corruptis principiis facile aſſentiri, coloremque allinere poſſunt.* Non dubium eſt, quin ex hoc iudicio Viri inter ſuos non exiguae auctoritatis Alberto non modici Spiritus acceſſerint. Sed quia in iſtum, quantum mihi conſtat, a partibus non fuit compromiſſum, ac in republica Literaria lex ea vigeat, vt ſi quis vltro circa controuerſiam quampiam ſententiam pronunciare aggre-

Digitized by Google

aggrediatur, vbi ſuperſit qui reſpondere velit, huic quoque e tribunali deſcendendum, ac aequo animo ferendum ſit, vt iudicium ſuum iudicio ſubiiciatur: igitur nihil iniqui feciſſe videbimur, ſi parem libertatem, quam in alios ſibi ſumſit Seckendorfius, in ipſum quoque exerceamus. Puſendorfii igitur mens eſt, Ius Vniuerſale deducendum eſſe e principiis luminis rationis cognitis, quo illud ſit ad captum omnium hominum, quamcunque circa ſacra perſuaſionem foueant, quo idem idoneum ſit ad dirigendas omnium inter ſe hominum actiones nullo religionis diſcrimine. Iſthoc autem Iure vniuerſali rite adornato & ſtabilito licebit ad ſpecialia progredi, & diſquirere, an & quatenus ab hocce abeant, quidue eidem ſuperaddant tum religio Iudaica vetus, & Chriſtiana, tum ſingularum ciuitatum ſtatuta. Sicuti & methodi lex hoc requirit, vt generalia praemittantur, ſequantur ſpecialia. Et vti Medicus dicitur incipere, vbi deſinit Phyſicus, ita Theologus Moralis, & certae Ciuitatis ICtus incipit, vbi Iuris Vniuerſalis Doctor deſinit. Vnde intelligi nequit, quid religionis Chriſtianae interſit, vt diſciplina ſua natura prior eadem religione, nec ei aduerſa aut repugnans, ſed amice potius conſpirans, praeter natiuam ſuam indolem alteretur, aut particularis reddatur per aſſumtas e religione Chriſtiana hypotheſes, quae alii non Chriſtiani ignorant aut non agnoſcunt, imo ex ipſis Chriſtianis aliqui in dubium reuocant, quibus tamen vniuerſali iure vtique opus eſt. Vtque adeo pro limpidis & homogeneis fontibus ſubſtituatur mixtura Albertina, quae neque pro compendio Theologiae Moralis haberi poteſt, neque vicem ſuſtinere diſciplinae iuris vniuerſalis, quae iuri ciuili ſubſterni queat; quem poſteriorem vſum inter alios potiſſimum Puſendorfius reſpexit. Et ſi cura promouendi Chriſtianiſmi vtique eo extendenda eſt, vt Philoſophia Moralis e ſolo rationis lumine deducta e Chriſtianorum Scholis plane proſcribatur, (ad quod maiore auctoritate quam Seckendorfii opus eſt,) inque eius locum Theologia Moralis ſubrogetur; in diuerſam plane formam compendium Albertinum refingendum fuerit, quod longe infra ambitum Theologiae Moralis ſubſiſtit. Enimuero hoc modo exiſtet duntaxat diſciplina iuris particularis, quam plusquam dimidia pars generis humani repudiabit, quae religionem Chriſtianam non amplectitur. Ac valde dubito, an ICti diſciplinam ſuam regulis Albertinis ſuperſtruere poſſint aut velint. Ne nunc multis arguam, quod Seckendorfius non recte hypotheſin Albertinam eandem iudicet cum ſententia illorum, qui Decalogum iuri naturali ſubſternendum iudicarunt. Nam Decalogus, quin tota religio tam Chriſtiana quam Iudaica vetus, ac omnium populorum leges, peccatum & ſtatum hominis corruptum praeſupponunt. Quae ipſa res Albertum ſubegit ad abſurdam illam & ridiculam analogiam confingendam, per quam etiam, ſi Diis placet, bellum nunc ad analogiam ſtatus integri gerendum eſt, & carnifex Lipſienſis iam non quidem formaliter, normaliter tamen ad ſtatum Paradiſiacum meretrices virgis caedere iubetur. Caeterum vbi Ius Vniuerſale genuinis e principiis deductum fuerit, nemo repugnat, quo minus eiuſdem ſcita in Theologia Morali ad dogmata religionis Chriſtianae examinentur, & ſi quid ad regendas hominum actiones quolibet in caſu deeſſe videatur, inde ſuppleatur. Alia attemperatione opus non eſt. Videamus nunc rationes,

ob

ob quas Albertinum commentum Puſendorfianae hypotheſi praeferat Seckendorfius. Negat igitur inſignem vſum ſe perſpicere eius inſtituti, vt nempe decreta Iuris Vniuerſalis deducantur e principiis per naturalem rationem ſuggeſtis, abſtrahendo ab illis, quae reuelatio diuina ſuppeditat. Nam apud Ethnicos, S. Scripturam ignorantes, hac docendi via procedendum; in Orbe autem Chriſtiano ea methodo vti neceſſum non eſſe, poſtpoſito aut neglecto fundamento iuris diuini reuelati. Enimuero finis & ſcopus S. Scripturae tum Veteris, tum inprimis Noui Inſtrumenti non eſt tradere principia, aut diſciplinam Iuris Vniuerſalis. Et quanquam eadem paſſim praecepta morum ingerat; non minus tamen diſciplinam iſta ex profeſſo tradentem praeſupponit, aut ſaltim non impedit, quo minus haec ad leges genuinae methodi conſtituatur. Sic *Roman.* I. & II. gentes arguuntur volutaſſe ſe per vitia lumini rationis repugnantia, habuiſſe legem inſcriptam cordibus, non agnouiſſe Deum, qualem poterant, & debebant e contemplatione naturae rerum. 1 *Corinth.* V accuſatur quis flagitii Ethnicis inauditi. Cum autem iſta, & infinita eius generis alia diuinae literae ex profeſſo, & ad formam diſciplinae aut artis non deducant, non repugnant, quo minus eiusmodi diſciplina adornetur, vbi iſta e lumine rationis explicentur; quin non obſcure eandem praeſupponunt. Nec merito Ethnici legem naturalem violaſſe argui poſſent, ſi haec ad methodum Albertinam vtique formanda foret, cuius regulae cordibus hominum inſcriptae non ſunt. Deinde Ius ciuile Romanum, cuius iam vſus in magna parte Orbis Chriſtiani eſt, ab Ethnicis primo conditum eſt. Ad eiuſdem ſolidam cognitionem multum conducit diſcrimen noſſe inter ea, quae ſunt iuris naturalis ſeu perpetui, & quae iuris poſitiui. Ad hunc finem plus conducere hypotheſin Puſendorfii, quam Alberti nemo inficiabitur, niſi cui inuidia mentem plane corrupit. Vnde vel hic vſus ſufficere poſſit, vt ius vniuerſale ad Puſendorfianam formam adornatum in ſcholis Chriſtianis tolerari debeat. Ne nunc dicam quanti ſit, ope iſtius diſciplinae iudicare poſſe de legibus quarumuis ciuitatum, ſanae rationi congruant, an minus, adeoque in imitationem ab aliis trahi, an damnari plane debeant. Non autem *negligit* fundamentum iuris diuini reuelati, qui ex hocce quae promanant peculiari diſciplina, vniuerſali Iuri contradiſtincta tractandum vult, nempe Theologia morali, quae quod reſpectu ordinis & natiuae methodi hoc ſequatur, non magis contemtum aut neglectum aliquem arguit, quam quod cognitio linguarum & philoſophiae ſtudio Theologico praemittenda dicitur. Nec id ratiocinium cohaeret; quia Turcae & Ethnici noſtros libros non legunt, igitur ius vniuerſale non eſt aptandum ad captum omnium gentium, ſed ſuperſtruendum eſt hypotheſi, quae a magna parte generis humani non agnoſcitur. Sane artes ac ſcientiae formandae ſunt, prout indoles ipſarum requirit, paucos an multos Lectores inueniant. Medici non eo minus ſcita ſua formant ad captum omnium hominum, ſeu vt omnium gentium morbis inſeruire queant, vtut Moſcis allium fere panaceae loco habeatur. Quin ſi vel maxime illiteratis gentibus ne vocabulum quidem Iuris Vniuerſalis auditum ſit, non minus, quae cum iſtis a Chriſtianis exercentur actiones ad normam iſtius iuris moderandae ſunt. Nec ideo populis Chriſtianis pauca negotia cum Muhammedanis & Gentilibus intercedunt,

cedunt, ſi vel maxime inter Sudetes montes ac ſaltus Thuringicos tractus a ſolis Chriſtianis habitetur. Praeterquam autem quod & bello ſua ſint iura, falſum eſt, ſolis armis aduerſus Turcas & infideles opus eſſe, niſi quando indictum cum ipſis eſt bellum. Nam pacis tempore vtique communia humanitatis iura aduerſus iſtos ſunt exercenda. Et hominem ideo hoſtili modo habere, quia circa ſacra diuerſam a nobis, falſamque fouet opinionem, & religioni Chriſtianae, & ſanae rationi repugnat. Sic, verbi gratia, Germaniae non minus armis opus eſt aduerſus Regem Chriſtianiſſimum, quam Turcas: nec ideo tamen nullus Iuris naturalis vſus aduerſus Gallos eſt. Iſta quoque ſe non conſequuntur; ſi quis cum Turcis & Ethnicis ſuper commerciis & ſimilibus negotiis tractet, principia iam nota ſunt; igitur ſuperuacuum eſt diſciplinam Iuris Vniuerſalis adornare ad captum omnium hominum. Sicuti non ſequitur; etiam ruſtici norunt, quid ſit emere & vendere: igitur ſuperuacuum eſt in diſciplina iuris de iſtis contractibus tradere. Sic haud ideo Euclides & ſubtilia Mathematicorum tradita proſcribenda ſunt, quia fabri dimenſiones ſuas ad inſtrumenta ſua parum operoſa exegiſſe ſatis habent. Quin plerarumque artium principia ſunt planiſſima; nec eo minus inde deducuntur propoſitiones haud quibusuis obuiae. Denique vtilitas mutua, quae haud ſubtili diſquiſitione conſtare dicitur, non eſt regula actionum inter diuerſas nationes ſuſceptarum, ſed cauſa, quae has ad negotia inter ſe contrahenda impellit: quae ubi ceſſat, negotii nihil contrahitur, quia prudentis non eſt, fruſtra quid ſuſcipere. Sed quid inde aduerſus neceſſitatem atque vtilitatem Iuris Vniuerſalis concludi poteſt? Querela autem, quae ſubnectitur, de faſtidio iuuentutis circa Verbum Dei, diſciplinam Iuris Vniuerſalis ad ductum ſanae rationis adornatam non tangit. Qui enim ius iſtud cum Theologia morali non confundi vult, haud impedit, quo minus pietati operetur iuuentus. Quin potius pietatis ſtudium commendatur, ſi demonſtretur, ordini in ipſa rerum natura conſtituto repugnare, qui vitiis immergitur. Quod hypotheſes in ſe innoxiae in alium ab Auctorum mente ſenſum trahantur, culpa penes calumniatores eſt, qui alios morſicando famam ſibi qualemcunque quaeſitum eunt. Quid per *veteres regulas* intelligat Seckendorfius, haud ſatis aſſequi poſſum. Veteres alias regulae, ſi falſae & inutiles ſint, merito non amplius aeſtimantur: ſi verae ſint, nimirum valde ſtupidos oportet Doctores eſſe, qui earundem auctoritatem ſartam tectam conſeruare nequeant. Recentibus autem regulis, vbi idonea demonſtratione nitantur, qui conſtanter fidem non adhibet, morbo mentis laborare cenſendus eſt. Laxa denique & per probabilitatem corrupta principia quaenam ſint, diſtinctius debebat exprimi. Sane eiusmodi principiis Puſendorfii ſcripta ſuperſtructa non ſunt. Igitur longe ſolidioribus rationibus opus eſt, vt credamus, rem Chriſtianam libello Albertino magnopere promoueri, aut Ius naturale ad ſolius rationis humanae captum adornatum e Chriſtianorum ſcholis proſcribendum eſſe.

SAMVE-

SAMVELIS PVFENDORFII
APOLOGIA
PRO SE ET SVO LIBRO, ADVERSVS AVCTOREM LIBELLI FAMOSI, CVI TITVLVS, INDEX QVARVNDAM NOVITATVM, QVAS DN. SAMVEL PVFENDORF LIBRO SVO DE IVRE NATVRAE ET GENTIVM CONTRA ORTHODOXA FVNDAMENTA LONDINI EDIDIT.

Q. D. B. V.

DIFFICILIS & anceps ſane habetur diſceptatio, quid cordato viro ſit faciendum, vbi exiſtimatio ipſius ab impuris nebulonibus per diſſeminatos in publicum famoſos libellos laceratur; ſilentione & contemtu aduerſus eos ſit vtendum, an vero eorundem vanitas, auctorumque improbitas ſtylo in iuſtam indignationem laxato ſit vlciſcenda. Qui enim eiusmodi ſcripta pari cum latratu canum dignátione habenda cenſent, diſſerere ſolent; ſuperuacuum eſſe circa iſta diſcutienda laborare, quae ipſe ſcribendi modus vanitatis arguit; quippe cum veritas aperta via incedere gaudeat, mendacium furtiuis tramitibus graſſetur. Dignationem vltro iſtis furciferis addere, qui iisdem reſpondere aggreditur. Conuicia ſpreta exoleſcere; ſi iraſcare, agnita videri. Eſſe puſilli animi, ad cuiusuis maleuoli gannitum commoueri. Conſcientiae ſuae ſecuro famae mendacia ridenda eſſe. Falſum crimen in caſtam vitam iactum perire, ſicut ignis in aquam coniectus continuo reſtinguitur. Praeſertim vbi non in obſcuro aliquo angulo, ſed in luce & celebritate vixeris, innocentiaeque tuae infinitos teſtes excitare queas.

Digitized by Google

Ex aduerſo conſtat, non ſemper famae noſtrae ſatis caueri tacito calumniarum contemtu, quae aliqua probabilitatis ſpecie adornatae veſtigia fere relinquunt, niſi curioſe abſtergantur. Quae & ipſa cauſa improbos homines ad audacter calumniandum impellit, quod vulnere curato cicatricem remanſuram ſperent. Canes quamdiu latratu tantum perſonant, negligi poſſunt: vbi dentes quoque cruribus imprimere inſtituant, fuſtis vtique eſt expediendus. Neque vero omnibus adeo cogniti ſumus, vt per ſe liquido diſcernere norint, quid falſo in nos iactetur. Multis non vacat, ex noſtris ſcriptis malitiam calumniantium inueſtigare. Pleriſque non ea talium rerum peritia eſt, vt proprio Marte aera lupinis dignoſcere queant. Quo ſi accedat, vt his velut cuniculis ad ſubruendam noſtram fortunam aditus quaeratur; nimirum non amplius tacendum eſt, ſed in hoſtem, faedum licet, arma vibranda. Neque vero ſummis ducibus in latrones, piratas, aut fugitiuos pugnaſſe inglorium fuit. Atque iſtae rationes me quoque iam ſubigunt, vt ſtylum in nefarium illum *Indicem* ipſe ſtringam; vtut fortaſſe non defuturi ſint alii, qui nebulonis iſtius ruditatem & improbitatem ſint caſtigaturi. Nam nemo mentem meam meipſo accuratius noſſe & interpretari poteſt; & multa ad huius negotii illuſtrationem inſigniter faciunt, quae extranei alicuius notitiam fugiunt, vtpote heic locorum inter paucos geſta. Licet etiam velut embryo huius *Indicis* iamdudum a me ſtricturis confoſſus, & a Superioribus improbatus ſit: tamen cum, qui hactenus erucae inſtar tacite circumrepſit, nunc neſcio quo interpolante & fouente alas ſumpſerit, & tanquam papilio longe lateque circumuolitet, non abs re fuerit alas iſti amburere, vt in ſtercus, ex quo enatus fuit, relabatur. Licet quoque *Sereniſſimo & Potentiſſimo Regi*, Domino meo Clementiſſimo, qui exiſtimationis & fortunae meae ſummus heic poſt Deum eſt arbiter, ſatis de innocentia mea conſtet; nemo quoque ex Illuſtriſſimis Regni Proceribus non agnouerit, iniuriam mihi ab *Indicis* compilatoribus factam, quorum auctoritate & patrocinio munitus facile poſſum impuri alicuius ſcurrae maledicta deſpicere: videtur tamen ex dignitate glorioſiſſimae Nationis, vt ne quis ab Ipſa probatus ſibi impune inſultari patiatur, vtque opinionem, quam apud Eandem habet, apud quoſuis quoque alios tueri valeat. Cumque qui hunc *Indicem* a Sacra Regia Maieſtate iam ſuppreſſum interpolare & in lucem protrahere non exhorruit, hoc ipſo eiusdem ſupremam auctoritatem enormiter violauerit, nec minus exiſtimationem eorum, qui primum librum meum adprobauerant, proterue ſuggillauerit; officii mei eſt, apud omnes, in quorum manus infamis ille *Index* inciderit, oſtendere, vtriſque iudicii ſui rationem conſtare. Quid de caetero praemii tam faedi facinoris auctoribus debeatur, publica Nemeſis proſpiciet. Illud igitur hoc ſcripto nobis agetur, vt & pudendam Auctoris inſcitiam, quam paſſim in hoc *Indice* prodit, paulo diſtinctius omnium oculis repraeſentemus, & nefarias calumnias atque mendacia in nos iacta repellamus. Quanquam enim multorum literis moneat, a cordatiſſimo quoque *Indicem* iſtum, tanquam idiotae & nebulonis alicuius foetum contemni: tamen quia ex aduerſo conſtat, inuidos aliquos & maleuolos ſe hoc *Indice* delectare, nonnullos complura ſibi exemplaria afferri curaſſe, quibus credo parietes ſuos ſunt exornaturi in vicem pictarum tabularum, aut

vti

vti ruſtici in Germania prodigia ianuis hypocauſtorum affigere ſolent: efficiendum eſt, ne iſthaec voluptas hiſce ſit nimium diuturna; ſimulque ſpecimen aliquod exhibendum, non impune mihi viuenti barbam quantumuis minutam vellicari. De caetero hoc in medio relinquemus, beneuoli lectoris arbitrio decidendum, ruditati an improbitati in *Aſinio Tenebrione (hoc enim* vocabulo calumniatorem inſignire tantisper placet,) prior debeatur locus. Nam vt haec quoque diſquiſitio me exerceat, operae pretium vix videtur.

§. II. ANTEQVAM autem ad ipſum *Indicem* caſtigandum accedam, obiter heic viſum fuit, querelam mouere ſuper iniuria, abs duobus aliis viris nomini meo in Germania proximis temporibus illata. De qua vt publice conſtet, itidem exiſtimationis meae non parum intereſt. Et circa priorem quidem ita ſe res habet: Triennium abhinc eſt, cum Holmiae Epiſtolam ſuper diuortio conſcripſit *Dn. D. Balthaſar Menzerus;* quam poſtea hoc inſcio turbidus quidam ſacerdos impreſſam diuulgauit. Aliquanto poſt prodiit Dialogus de Polygamia, epiſtolae illi oppoſitus, ſub ficto nomine *Sinceri Wahrenberg.* Eius dialogi Pufendorfium eſſe auctorem per non pauca Germaniae loca diſſeminauit Vir quidam non obſcurae alias famae, & non infimi ſubſellii: cuius nomen heic adponere per modeſtiam, & in reſpectu certi cuiusdam Principis parco. Quo ipſo grauis mihi ab illo iniuria fuit illata, dum apud multos ea res credita non parum ſiniſtrae de me opinionis excitauit. Quamobrem exiſtimationis meae tuendae neceſſitas, quae optimo cuique maxime curae eſt, ſubigit, vt heic publice conteſter, Virum iſtum, dum me auctorem praedicti dialogi ſparſit, turpiter fuiſſe *mentitum.* Nec excuſabitur a calumniae crimine, ſi dixerit, ſe ab aliis id accepiſſe. Nam facile fuerat viro erudito iudicare, ſcriptum iſtud neutiquam ab ingenio meo promanaſſe, vtpote ab indole caeterorum ſcriptorum meorum plane abhorrens. Neque vero ſum iudicio adeo infelici, vt negotio ad me nihil ſpectanti me immiſcerem aduerſus virum, quem amicum mihi credebam; aut famam antea eruditorum fauore quaeſitam eiusmodi libello vltro deſtructum irem, meque hominibus importunis exagitandum exponerem. Et ſane, ſi quis cordatus ſcriptum iſtud penitius expenderit, facile ibi deprehendet genium viri haut quidquam literas profeſſi, ſed naturali iudicio fere ſubnixi. Quod ſi autem iſte reponere velit, ſibi non de me, ſed de Fratrē meo ſermonem fuiſſe; tunc ipſius nomine itidem *mentitum* eum pronuncio. Nam habet profecto alia Frater meus, quibus tempus ſuum impendat. Et ſi libris ſcribendis ille voluiſſet inclareſcere, ſplendidior & plauſibilior materia defutura non erat.

§. III. ALTERA iniuria priore non paulo atrocior videtur, dum quidam valde muſteus ſcriptor, qui ſibi fictum *Chriſtiani Vigilis Germani* vocabulum indidit, in *Diſſertatione ſuper Polygamia ſimultanea Sincero Wahrenbergio oppoſita,* aperte me ſub iſto Wahrenbergio latitare arguit. Qui licet forte rumorem a priori diſſeminatum cauſari velit, non eo minus tamen calumniae & mendacii eſt reus; cum hautquidquam fas ſit, vtcunque audita chartis illinere, & publice pro ſuis aſſerere. Et eo grauius eſt ſcripto publico, quam priuato ſermone mendacia de aliquo ſpargere, quo plurium in manus iſta perueniunt. Accedit praeter ſupra adductas rationes, quae ipſum ab hac calumnia mihi impingenda

reuocare debebant, quod in opere meo de *Iure Naturae & Gentium* L. VI. c. 1. §. 19. clare perſpicere poterat, me polygamiae neutiquam eſſe fautorem. Quae ergo ratio mouere me poſſet, vt alio ſcripto eius me propugnatorem ferrem, & dicta Sacrarum Literarum cauillari aggrederer? Praeſertim cum mihi ſemper viſum fuerit, vbicunque potius, quam circa oracula diuina, ingenium exercere. Equidem iſte *Vigil* humaniter valde mecum agere velle videtur, dum inuidioſis me encomiis onerat; ſed quae facile ipſi potuiſſem remittere. Peſſimum inimicorum genus laudantes, qui palpum obtrudunt, vt eo acrius mordeant. Apage iſtas viperino velle adſperſas blanditias. Abi, & aliam quercum excute, ac vide, num quem inuenire poſſis, qui abs te ad errorem ſuum reuocandum compellatur. Nam mihi quidem cum *Wabrenbergio* nihil commercii eſt. Et hoc meae humanitati beneficium debe, quod nomen tuum, de quo optime mihi conſtat, diſſimulauerim, ne publice mendacii exprobrationem deglutire cogaris. Quod ſi excipere velis, non mihi, ſed Fratri meo *Wabrenbergium* abs te adſcribi, idem tibi, quod priori, dictum puta. Atque haec iſto loco inſerere placuit, quod omnino dicenda forent, nec commodior iam occaſio eadem publicandi occurreret.

§. IV. His obiter expeditis, ad *Indicem* euoluendum accingimur; qui in ipſo frontiſpicio non obſcure prae ſe fert, qua claſſe eiusdem Auctor cenſeatur, dum *Novitates* libri mei notare inſtituit. Quod vocabulum familiare valde eſt hominibus indoctis & ſtupidis, quorum omnis ſcientia vno & altero compendio memoriae mandato abſoluitur; abs quo quicquid diſceſſerit, hoc ſolo nomine damnatur, quod ignorantiam ipſorum arguit. Sicut iſti hominum generi *nouitatis* vocabulum non errorem aliquem in altero, ſed in ipſis ruditatis confeſſionem notet. Hoc vbi inſonuit, ſtatim velut ad commune incendium reſtinguendum concurrit vniuerſa ſemidoctorum turba, ludimagiſtrorum colluuies, & ex ſacerdotum ordine, qui poſtillas tantum euoluere callent. Et ſane ſi quaeuis noua doctrina ab ipſorum compendiis & tabellis diſcrepans inualuerit, ad idiotarum claſſem redigi ipſos manifeſtum eſt, qui hactenus magno cum faſtu definitiones & regulas ſuas crepauerant. Iudicant quoque iſti homines, vocabulo *nouitatis* magna cum inuidia iactato ſubtile ineſſe ſtratagema pedanticum, ſequeſtrandae rationi, & declinando oneri ad aliorum argumenta reſpondendi; ſimulque vt poſtquam vanitatis conuicti ſunt, aliquid ſaltem cauſae proferre queant, quare tumultum mouerint. Enimuero nouimus in vera religione, verbo DEI nixa, nihil eſſe nouandum. Crimen quoque eſt in republ. res nouare. Aſt in diſciplinis, quae rationi ſubiectae ſunt, eo ampliorem ingenii ac induſtriae laudem merentur ſcriptores, quo plus nouitatum inuenerint. Contra qui nihil continet liber, quod non ab aliis dudum ad nauſeam fuit inculcatum, is relegandus eſt ad piper, & quidquid chartis amicitur ineptis. Eſt quoque circa titulum famoſi libelli non inſuper habendum, quod iſtae nouitates *contra Fundamenta orthodoxa* editae ferantur. Cur non apertius loquebaris, Aſini Tenebrio: contra Scripturam Sacram, & ſymbola Suecanae Eccleſiae? Scilicet olent & iſta *Fundamenta orthodoxa* dictionem hominum indoctorum, quibus hoc nomine venire ſolet, quidquid communiter a Theologis traditur

circa

circa quaeſtiones philoſophicas paſſim ſyſtematibus Theologicis admiſceri ſolitas. Atqui cum circa talia dogmata Theologi nondum reliquos omnes, qui ſana ratione aeque ac ipſi poſſunt vti, ſacramento ſuo adegerint; non nouitatis aut heterodoxiae maledictum, ſed rationem opponere debent, ſi quis a tralatitiis ipſorum dogmatibus diſceſſerit.

§. V. In vniuerſum autem circa modum, quo in conſarcinando iſthoc famoſo libello auctor vſus eſt, obſeruandum; Aſinium vtut protritiſſimae eruditionis, ab artibus tamen ſycophantarum vberrime inſtructum deprehendi, ac imperitorum animis ſat ſolerter adrepere. Qui alterum non per calumniam erroris arguere inſtituit, ei primo ſtatuenda eſt certa theſis, extra dubium vtrinque poſita, vel ab ipſo immotis rationibus abſtruenda. Tum oſtendendum eſt, alterum huic theſi directe contradicere; ſimulque ſi quas idem rationes affert, ſolide deſtruendae. Aſt nihil horum a ſycophanta iſto fit. Tantummodo Sociniani, aut Caluiniani, aut Pontificii ſcriptores allegantur. Aliquando ne hoc quidem additur; quaſi immota foret haec conſequentia. Aſinius Tenebrio dicit Pufendorfium hoc ſtatuere: Igitur hoc falſum eſt. Atqui praeterquam quod noſtra tradita toto coelo a Socinianorum, Caluinianorum ac Pontificiorum commentis abeunt, etiam maximus imperitis fit fucus inſidioſa iſta heterodoxorum allegatione. Id enim genus hominum, quod proprio ex iudicio inter rectum & prauum diſcernere nequit, quodque odium erga certos ſcriptores, ſectasque ex auditione duntaxat hauſit, ſtatim, vbi eiusmodi inuiſum nomen inſonuit, exhorreſcunt, ac de Eccleſia iam conclamatum arbitrantur. Nec mora, auctor liberque inclementi cenſura notatur, praeeunte calumnia primarii cuiusdam ſycophantae, cuius ob reuerendum ſchema ab iſtis omnia, quae hic per inconſultos affectus, aut inſcitiam eructauerit, velut oracula inclinato in terram capite adorantur. Aſt quis tam imperitus eſt, qui neſciat, ſcriptores extra Eccleſiae noſtrae communionem conſtitutos non vndiquaque ab orthodoxae religionis ſcitis diſſidere, in multis amice conſpirare; quaeſtiones autem extra fidem, ac reliquas diſciplinas non minus feliciter quam noſtros tractare; in non paucis noſtratibus palmam praeripere. Si quis igitur Pontificii alicuius Logicam magis, quam manuale Scharffii, aut tabellas Stirii cuiusdam ſequatur, num ideo orthodoxiae ipſius aliquid decedere iudicandum eſt? An & iam in philoſophiam, medicinam, & iurisprudentiam inferentur odia, quibus Chriſtiani ob diſcrepantiam religionis inter ſe flagrant? Quin potius hanc viam inſiſtimus, vt dogmata fidei a noſtra orthodoxia abeuntia damnemus: circa caetera, quae iſti praeterea in re literaria elaborarunt, ſaltem non deteriore eos quam ethnicos loco habeamus, quibus quotidie omnia pulpita reſonant. Illud autem improbum & inficetum habeatur, ſi cum aliquo heterodoxo in quaeſtione extra fidem conuenias, argui, quaſi & eiusdem errores circa articulos fidei adprobes. Sic, exempli gratia, in nuperrimo *Commentario ad prima iuris ſundamenta* ab Ampliſſimo Auctore Nicolao Beckmanno p. 678. quaeſtio ſane lepidiſſima, & rariſſima *ingenii acuendi cauſa* ventilatur, *vtrum mulieres ſint homines. vel non?* quam pari felicitate, atque Alexander nodum Gordium ſoluit hoc modo: *Quanquam mulier quidem non eſt κατ' ἐξοχὴν homo, ſicut mas, eſt tamen homo,* *cum*

cum anima rationali ſit prædita. Atqui eodem tendit effatum Muhammedis in *Alcorano capite de Vacca.* Quis tamen ideo magnum Virum Muhammedanum pronunciauerit, aut praeputium eius in dubium reuocauerit? Enimvero ad haec nobis confugere non eſt neceſſum, quod dogmata noſtra a Socinianorum, aliorumque placitis plane diuerſa ſint, vti ad ſingulos articulos clare oſtendemus.

§. VI EXAMINEMVS nunc ſingulos errores, quorum me reum peragit Aſinius Tenebrio. I. *Statuit, ciuitatem eiusmodi doctrina perſonare debere, quae cum fine & vſu ciuitatum congruat; explicatque hoc ipſum non tantum de ſcientia humana, ſed etiam ea, quae eſt circa cultum Dei. Sic enim pag.* 910. *Inde expedit, vt publice &c. confer. p.* 911. Debuerat etiam conferri p. 1013. §. 4. Circa hunc articulum etſi non opus erat aliquid reponi, cum omnes boni Chriſtiani, bonique ciues eandem mecum foueant ſententiam; vel ideo tamen quaedam erunt monenda, vt eo liquidius in apricum protrahatur, quid veneni monſtrum iſtud intra praecordia ſua alat. Ac illud initio manifeſtum eſt, me de ciuitate, eiusque natura, deque ſummo imperio ciuili non alia tradere, quam quae ex dictamine rectae rationis, ipſaque adeo lege naturali promanant. Sic & quod de recto duntaxat & legitimo vſu ſummi imperii ciuilis ſermo mihi ſit, *caput vltimum Libri VII. de officio ſummorum imperantium* ſatis arguit. Cum eiusdem abuſu, prauisque imperantium artibus nihil mihi negotii eſt. Deinde vsque adeo a me nulla repugnantia inter genuinam politicam, & ſinceram, doctrinaeque & praxi Seruatoris noſtri & Apoſtolorum conformem religionem Chriſtianam adſeritur, vt potius d. p. 1013. non obſcure innuam; nullam religionem tam perfecta continere praecepta moralia, & quae magis ad tranquillitatem & decus ciuitatum adaptata ſint, quam Chriſtianam. Praeterea & hoc mihi perſuaſum eſt, ideo Seruatorem noſtrum, Apoſtolosque nihil nouorum ſcitorum circa politicam architectonicam doctrinae ſuae admiſcuiſſe; quod iſthanc ſatis liquido ex rationis lumine mortales eruere poſſent, ita vt ſi illud heic rite ſequerentur, voluntati Numinis nihil aduerſi ſint facturi. Quo ſpectat quoque Auguſtanae Confeſſionis effatum: *Euangelium non abolet politias.* Ex quibus omnibus tuto videor concludere poſſe; officia boni ciuis, politicique, ac boni Chriſtiani haut quidquam ſibi inuicem repugnare. Qualem porro *finem, vſumque ciuitatum* ſtatuam, perſpicue ſatis expoſui L. VII. c. 1. §. 7. vt nempe praeſidia ſibi homines circumponerent contra mala, quae homini ab homine imminent. Ad hunc finem obtinendum vnionem & imperium neceſſarium eſſe demonſtraui L. VII. c. 2. & 4. Hanc vnionem quae deſtruunt aut perturbant dogmata, & *quae ius naturale, & ſanae politicae ſcita conuellunt, adeoque exitiabiles morbos in republ. producere apta ſunt,* e ciuitate proſcribenda cenſeo, ſiue *ſub ſpecie religionis, ſiue alio modo obtrudantur.* Vbi probe notandum, non eſſe hanc meam theſin; *cultum Dei ad vſum civitatum aut regulas politicas formandum*, vti Aſinius Tenebrio innuere videtur. Nam cultus Dei preſſe conſideratus ex altiore principio eſt deriuandus. Sed hoc dico; nulla dogmata moralia; qualia omnem fere religionem comitantur, contra ius naturale & ſanam politicam pugnantia, *ſub ſpecie religionis obtruſa*, in ciuitate eſſe toleranda. Qualia ſane peſtilentiſſima ſub religionis larua alicubi irrepſiſſe nemo re-

rum

Digitized by Google

rum humanarum peritior eſt, qui ignorat. Ex eo genere ſunt iſthaec dogmata: dari poteſtatem extranei alicuius ſacerdotis, quibus ſummi imperantes ciuiles ſint ſubiecti, quique ipſos ſolio deiicere, ac ciues obligatione aduerſus eosdem abſoluere queat: omnibus ſacerdotibus cuiuscunque reip. Chriſtianae neceſſario dependendum ab ſacerdote aliquo extraneo: in ſacerdotes ſummo imperio ciuili nullam eſſe poteſtatem: ſacerdotibus neceſſario competere immunitatem ab oneribus reip. vt tamen ipſis in infinitum ſuas opes cumulare liceat: quemlibet ciuem actiones ſuas exteriores, & ad ſtatum ciuitatis ſpectantes iuxta propriae conſcientiae dictamen poſſe regere, etiam contra leges publicas & iuſſa ſummorum imperantium: non dependere abs cuiusque arbitrio actiones, ſuper quibus in foro humano ſolet ratio exigi: illicitos eſſe homini Chriſtiano aliquos actus ad conſeruationem ciuitatum in iſthac mortalium conditione neceſſarios; aut dari aliquod vitae genus ciuitati neceſſarium, quod per ſe vitio & impuritate laboret: fanaticorum hominum deliria & commenta pro oraculis diuinitus inſpiratis; & ſi quae ſunt eius farinae alia. Cum igitur Aſinius Tenebrio meam ſententiam hactenus expoſitam, tanquam orthodoxis fundamentis repugnantem damnet; neceſſum eſt, vt ipſe hunc articulum fidei fundamentalem ſtatuat: *Debere ciuitatem eiusmodi doctrinis perſonare, quae cum fine & vſu ciuitatum non congruunt, animosque ciuium à puero iſtis imbuendos, etiam talibus, quae ſiue ſub ſpecie religionis, ſiue alio modo obtruduntur, ius naturale ac principia ſanae politicae conuellunt, adeoque exitiabiles morbos in ciuitate producere aptae ſunt.* Hoc tam egregio fundamento ſubſtrato ſupereſt, vt nouus ille doctor pro ſublimi ingenio ſuo integrum ſyſtema eiusmodi dogmatum adornet, vt homines turbulenti, inter quos ipſe non obſcurum nomen decusque gerit, in promptu ſemper habeant praetextus, ob quos tumultus in rep. excitare queant. Hoc tam praeclarum opus cuicunque Principi obtulerit, quam parcus ille ſit, praemii tamen loco laqueum ſcriptori offeret. Caeterum ne ſine ratione meam doctrinam damnaſſe, ſuamque pro articulo fidei venditaſſe videatur, addit: *Qui error Theologiam Gentilium ἠθικὴν ſequitur; quippe quae etiam vtilitati publicae reſpondere debebat.* Heic primo exorandus eſt Aſinius Tenebrio, vt explicet nobis, quaenam ſit illa Gentilium Theologia moralis. Cum enim Theologia moralis notet doctrinam de regendis moribus & actionibus, depromptam ex principio illo, quo cultus diuinus traditur, (ſicut Theologia moralis inter Chriſtianos eſt doctrina de formandis moribus & vita hominis Chriſtiani, prout ſuper iis diuinae literae docent: velim ſcire, vbinam extent eiusmodi velut biblia gentilium, ex quibus praeter doctrinam de cultu deorum peti queant officia hominis Ethnici vt talis, ſeu quomodo idolorum cultor ſeſe debeat gerere, vt profeſſione idololatriae ſuae dignus habeatur. Equidem id tralatitium eſt, Romanis quondam non niſi inter inſtrumenta ſtatus adhibitam, cuius ope animos vulgi per lætitiam, metum, ſpem, confidentiam, timorem, ſimilesque affectus verſare poſſent, prout praeſentibus reip. temporibus expedire videretur. Quamob cauſam quoque ſacerdotes ibi non conſtituebant peculiarem ordinem, à politicis ſeparatum; ſed qui ampliſſimis in rep. muneribus, iidem & ſacerdotiis fungebantur, ne forte circa temperandam religionem, vel

 ſuperſti-

ſuperſtitionem potius a commodis reip. aberraretur. An tamen ſuper hac re peculiare caput in Theologia Romanorum morali extiterit, adparebit, quando Aſinius Tenebrio Catecheſin Pompilii Numae, qui liber diu in bibliotheca eius rariſſimis inſtructa codicibus latitauit, publici iuris fecerit. De caetero dubito, an haec rite conſequantur, quia gentiles religionem non ad perturbandam remp. ſed potius ad eiusdem vtilitatem promouendam adhibuerunt, ideo fas eſſe ſacerdoti Chriſtiano cornua imperio ciuili obuertere, & plebem in principes concitare, aut peculiarem ſibi factionem in republica formare. Sicuti non, quia gentiles mendacium & calumniam pro foediſſimo vitio habuerunt, ideo iam hominem Chriſtianum decet, Indices nouitatum in aliorum libros conſcribere. Videmus iam, quomodo impuriſſimus nebulo ex iſthoc articulo anſam arripuerit, diriſſimam in me calumniam euomendi. *Corrupta hac doctrina*, inquit, *luculenter innuit, ſicut ſibi proficuum fuit Heidelbergae agere Caluiniſtam, ita in Suecia ſub ſpecie pietatis Lutheranum ficte profitetur.* Male pereas, infame caput; ita ambiguum eſt, vtrum oratio tua ſit vitioſior, an calumnia deteſtabilior. Ego Heidelbergae Caluiniſtam egi? Atqui impudentiam huius mendacii norunt non ſolum omnes eius vrbis incolae; ſed & maximus numerus egregiae iuuentutis ex omnibus partibus Germaniae, ac imprimis Illuſtres, nobiles, ac praeſtantiſſimi iuuenes, ex Suecica natione, qui per ſeptennium, quo ego profeſſoris ibi munere fungebar, magno numero Heidelbergae degebant; quorum aliqui contubernio ac menſa, plurimi informatione mea vtebantur. Neque vero is eſt locus Heidelberga, vt vlla quempiam cauſa ſubigat hypocritam agere, ſuamque religionem diſſimulare. Imo vltro irrideretur, & pro vaniſſimo homine haberetur, qui ſimulationem reformatae religionis ad fortunas ſuas ibi ſtabiliendas aut augendas adhibere inſtitueret. Extruxerant ſibi ciues noſtrae religioni addicti nouam ibi aedem ſacram, cui primum lapidem ipſe SERENISSIMVS PRINCEPS ELECTOR ſua manu poſuerat. Heic pari nos libertate noſtram religionem exercebamus, atque reliqui ſuam. Niſi quod hoc vehementer conſcientias noſtras angeret, quod ſonitu Caluinianarum campanarum ad noſtra ſacra euocaremur. De caetero pari gratia cum aliis apud Optimum & Sapientiſſimum Principem florebamus, cui citra diſcrimen religionis acceptus erat, quisquis recte faceret. Id tamen non abnuerim, me alioſque Lutheranos cum Reformatis amice & iucunde conuerſatos fuiſſe. Nullae in congreſſibus noſtris feruidae diſceptationes ſuper religione audiebantur; non maledictis nos & conuiciis eo nomine inſectabamur; non inuicem nos diaboli filios in conteſtationem Chriſtianae caritatis ſalutabamus. Tali modo me Heidelbergae vixiſſe nec caeteros poenituit, & meipſum nunquam poenitebit. Et vero valde dubito, an maior laus illi debeatur, qui obtentu ſingularis cuiusdam zeli eiusmodi turbas dat, vt ni patria ſua profugiat, vita ſub carnifice ſit ipſi ponenda; aut qui moribus eſt ita tetris, vt vbicunque pedem poſuerit, rixas Furiae alicuius ad inſtar ferat, ſocietatemque, in quam malo ſidere coniectus eſt, continuis turbis exercitam teneat. Quod ſupereſt ego vti in religione Lutherana natus educatusque ſum; ita eandem & Heidelbergae, & in Suecia non *ficte*, ſed ſincere & ex animo profiteor, & ad vitae finem

nem profitebor. Fictam pietatem illis occine, mi Aſini Tenebrio, qui ſchema Phariſaicum prae ſe ferunt, qui irreprehenſibiles ſeſe vndiquaque crepant, qui precum ſuarum horam aeris campani pulſu diuulgant; & interea pectus ambitione, ſuperbia, contumacia, inuidia, aliorumque horridorum affectuum ſentina turgidum gerunt, quae quotidie intolerabilem mephitim cum bonorum omnium deteſtatione eructat. Sed & ita hactenus SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS SVECIAE gratia, ac glorioſiſſimae nationis Suecicae fauor mihi allubuit, & in poſterum quoque de ſe ſperare iubet, vt non opus futurum mihi ſit *in Muſchouia benigniorem fortunae auram* captare; in cuius extremas partes potius auctor famoſi Indicis deportari meretur, vt cum zobellis & martibus bellum ibi gerat, in praemium bellorum, quae nullos ſane habitura triumphos gerit. Caeterum infra pluribus exponam, quo ſine hocce mendacium contra propriam, ſi quam habet, conſcientiam finxerit *niger ille calumniator, nigrae ſcholae primipilus, nigri magiſtri niger diſcipulus, nigrae ſcholae tiro niger, calumniatorum omnium anteſignanus, vel potius orci aut inferni monſtrum, monſtrorum omnium teterrimum;* quo elogio luculento ſane id genus homines mactat Generoſiſſimus atque Reuerendiſſimus Dominus, Dominus PETRVS WINSTRVPIVS, Dominus Aulae Lundenſis & Werpingae, Theol. Doctor, Epiſcopus Scaniae, Academiae Carolinae Procancellarius, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Praeſes, vndiquaque eminentiſſimus &c. &c. Poëta & Orator ſine aemulo, cum multis aliis nominibus, tum imprimis vaſto opere Pandectarum ſacrorum propriis ſumtibus & citra vllam lucri ſpem editorum de Eccleſia meritiſſimus, in elegantiſſima ſua *Oratione Synodica de Calumniis & Calumniatoribus* anno 1667. habita; cuius alteram editionem nonnullis annotationibus auctiorem libenter adornarem, ſi pace Auctoris fieri poſſet; quia pleraque ibi contenta ad praeſens hocce negotium leui facta immutatione adplicari apta ſunt.

§. VII. Circa ſecundum articulum Indicis prius ſententiam noſtram, prout libro noſtro exprimitur, perſpicue declarabimus. In *capite* igitur *I. Lib. II.* docetur, quod hominis quidem naturae non congruat, vt viuat exlex; Deum autem ſupra leges poſitum, bruta infra leges abiecta. In Deum porro §. 3. omnimodam, & omnis defectus ac impedimenti neſciam libertatem cadere aſſeritur, quae & ipſa cum omnipotentia eſt coniuncta. Vnde quod Deus quaedam non agit, v. g. quod non plures Lunas circa terram, vti circa Iouem & Saturnum creauit, aut quod non omnia ſemper agit, v. g. quod quotidie noua corpora mundana, aut nouas ſpecies non creat; id non eſt ex defectu libertatis, ſed ex proprio beneplacito. Hanc enim ſolam rationem circa ſimiles quaeſtiones reddere ſimplicius, & in maieſtatem diuinam reuerentius duco, quam ſubtilia commenta curioſe adornare, quibus omnipotentia diuina in ordinem redigitur. Quod autem Deus quaedam non poſſe agere dicitur, v. g. mentiri, aut promiſſa ſua deſtituere; id non prouenit ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, naturali aut morali, id eſt, illud non ideo non poſſe dicendus eſt, quod ens aliquod extra Deum conſtitutum ipſius facultatem agendi vinculo quopiam conſtringat; ſicuti qui homo vinculis & compedibus oneratur, ei facultas

cultas quoquo verſus ſeſe mouendi adimitur, aut quod ab ente aliquo extra ipſum conſtituto obligatio quaedam ei ſit iniuncta, cuius vi a certo actionum genere abſtinere ſit eidem neceſſum. Nam qui naturale vinculum alteri iniicit, robuſtior, aut dexterior & aſtutior eſt illo, cui vinculum iniicitur. Qui autem morale impedimentum agendi alteri afferre poteſt, ſuperior eſt illo, cui id impedimentum affertur. Ergo alterutrum horum aſſerere, ponit aliquid Deo potentius, aut ſuperius, ipſamque adeo omnipotentiam & ſummam Dei maieſtatem deſtruit. Imo ex Deo facit non Deum. Qui enim non eſt ſummus, Deus non eſt. Add. Lib. I. c. 6. §. 4. 8. Quae cum ita ſint, nil aliud relinquitur, quam vt dicamus, ex proprio beneplacito Dei prouenire, quod is quaedam agere non poſſe dicatur; *quod beneplacitum ad magnitudinem & praeſtantiam ipſis attemperatum concipimus.* Quae verba Aſinius Tenebrio omiſit, vel quod ea non caperet, vel quod per ipſa anſam calumniandi ſibi praeripi animaduerteret. Scilicet quando mortales de Deo loquimur, non ſolum id reuerenter faciendum, & citra omnem petulantem curioſitatem, ac dictatoriam definiendi inſolentiam: ſed etiam locutiones, quas a rebus humanis commodato velut ſumtas, & ad modulum rerum humanarum primitus formatas Deo adplicamus, ab omni velut imperfectione depurare debemus, ne Deum anguſtiis, queis humana natura circumſcripta eſt, includere velle videamur. Inde quando de homine ſermo eſt, ſolemus eius voluntatem, potentiam, & agendi neceſſitatem ſeu obligationem ſaepe ſibi inuicem opponere. Sic ſaepe dicimus; homo vult aliquid ſupra vires ſeu potentiam ſuam poſitum; vult quod eſt contra ipſius obligationem: agit quod eſt contra eandem. Idque ideo, quia in facultatibus hominis non eſt eiuſmodi perfecta vnio, vt omnes ſemper amice conſpirent; ſed illae ſaepiſſime in diuerſa abire, ſibique inuicem repugnare deprehenduntur. Aſt in attributis diuinis, quae ad analogiam facultatum in homine vtcunque ſolemus concipere, perfectiſſima vnio & velut conſpiratio eſt intelligenda; ſic vt voluntas Dei eiuſdem magnitudini, praeſtantiae, iuſtitiae, ſanctitati, bonitati nunquam repugnare poſſit, & conſequenter voluntas Dei nunquam eiusdem bonitati, ſanctitati aut iuſtitiae ſit opponenda. Sic quando dicimus, Deus non poteſt mentiri, quia non vult; non hic eſt ſenſus, quaſi Deus mentiri quidem poſſet, modo vellet, aut quaſi hoc agendi obiectum ab ipſius magnitudine non abhorreret, modo voluntas verſus illud ſe moueret; (ſicuti hominibus ſaepe naturalis facultas peccatum aliquod patrandi adeſt, in quod tamen voluntas ipſorum heic & nunc non fertur:) ſed quia voluntas Dei nunquam eius magnitudini & perfectioni aduerſatur. Sic vt iſta aſſertio plane conſpiret cum hac theſi: Deus non poteſt fidem fallere, aut mentiri, quia hoc repugnat eius veracitati & iuſtitiae. Eodem inquam redeunt hae duae aſſertiones, quando Deo adplicantur: quae tamen ſi de hominibus enunciarentur, diuerſae ſunt, & aliquando vna earum falſa. Perinde inquam eſt, ſiue dicam; mentiri repugnat iuſtitiae Dei eſſentiali: ſiue dicam, idem repugnat eius voluntati, quae ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperata concipitur. Vbi autem de libertate Dei ſermo eſt, conuenientius meo quidem iudicio eiusdem perfectioni exprimendae videtur, voluntatem, qualis in perfectiſſimum

ens

ens cadere poteſt, velut principium ipſius actionum aſſignare, quam iuſtitiam; quod hoc vocabulum ſimplicioribus facile inſinuare poſſit, quaſi in Deo exiſteret obligatio extrinſecus accedens, quae prohiberet certas ipſum obire actiones, abs quibus alias, ipſius natura & voluntas per ſe non abhorreret. Ex quibus ita explicatis eiusmodi reſultat interpretatio tralatitii illius; *Deus ſibi ipſe eſt lex:* hominum quidem voluntas legibus eſt circumſcribenda, ne ad ea patranda aberret, quae ipſis indigna ſunt. Enimuero Deo lege aliqua extrinſecus accedente opus non eſt, ſed voluntas eius ita ſancta, ita perfecta eſt, vt in omnibus exactiſſime, prout diuina magnitudine & perfectione dignum eſt, ſeſe velut moueat, non ſecus ac ſi exquiſitiſſima quadam lege regeretur. De caetero manifeſtum eſt, ſiquidem iſtud dicterium proprie accipiatur; inde ſecuturum maximum hocce abſurdum: Deum ſeipſo eſſe ſuperiorem, cum lex decretum ſuperioris ſit. Conferamus cum hiſce articulum II. Indicis: *Deum, eo quod agens liberrimum eſt, naturae ſuae legibus ita non teneri docet, vt hoc vel illud (intellige peccata) agere non poſſit, affirmatque omnia illa, quae non agere poſſe dicitur, non per naturale impedimentum, ſed ex placito vel voluntate non agere, legemque; ſibi ipſi non niſi ex placito eſſe*, p. 133. §. 3. *Quod autem* & p 166. §. 6. *ſicut & valde ἀκύρως. ibid. Sed nec citra animaduerſionem &c.* Hunc articulum ſi conſidero, ſane mediocris mihi videtur fraus diaboli, quando in allegando Scripturae dicto vnum & alterum vocabulum inſidioſe reticebat; ita vt ſi comparetur cum detorſionibus heic adhibitis, vix pro ſpecimine primae laureae in facultate calumniandi haberi queat. Enim vero Aſinius Tenebrio Licentiatum & Doctorem ſe in eadem facultate iam exhibet, ad cuius pedes tiro ille adhuc puto diabolus tanquam diſcipulus ſedere, & biennium ſuum abſoluere debebat, ſi cum honore velit in ea facultate locum obtinere, abs qua ipſi nomen eſt inditum. Primo enim haec verba, *Deum legibus ſuis non ita teneri, vt peccata agere non poſſit*, a deterrimo ſycophanta ita ſunt concepta, ac ſi docerem: Deum per leges ſuae naturae non impediri, quo minus peccare poſſit, adeoque Deum reuera poſſe peccare. Quae blaſphemia tantum a verbis & mente mea abeſt, quantus ad aetherium coeli ſuſpectus Olympum Neque dictis locis, neque alibi in meo libro haec extat theſis: *Deus naturae ſuae legibus ita non tenetur, vt hoc vel illud* (nempe peccata) *agere non poſſit.* Sed haec ſunt mea verba: *Quod Deus quaedam non poſſe agere dicitur, eſt ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperatum concipimus.* Sed nec illa mea eſt theſis: OMNIA *illa, quae non agere poſſe dicitur, non per naturale impedimentum, ſed ex placito vel voluntate non agere.* Verum ita ſe habent verba mea: *Quod Deus* QVAEDAM *non poſſe agere dicitur, id non prouenit ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, naturali aut morali.* Quid diſcriminis inter haſce theſes intercedat, caecus ſit qui non videat. Quod ſi autem aliquis quaerat, quare ego theſin meam particularem poſuerim; cauſa eſt, quia caetera peccata, quae in homines cadunt, quaeque nos animo concipere poſſumus, ideo in Deum non cadunt, partim quia illa exercentur actu aliquo corporeo; Dei autem eſſentia eſt ſpiritualis: partim quia patrantur aduerſus ſuperiorem, Deus autem ſuperiorem non habet; adeoque quia obiectum eiusmodi

 actio-

Digitized by Google

actionum in Deo citra contradictionem fingi non poteſt. Et ſic Deus peccare non poteſt, quia quaedam peccata ſanctiſſimae, iuſtiſſimae, & perfectiſſimae eius voluntati aduerſantur, reliqua contradictionem inuoluunt. Denique nec haec theſis vſpiam in libro meo extat: *Deum ſibi ipſi legem non niſi ex placito eſſe.* Quae & ipſa tam abſurda, nulloque plane ſenſu eſt, vt non niſi in cerebro Aſinii Tenebrionis naſci potuerit. Neque vero conſequitur; ſi homo legibus naturae tenetur, Deum quoque ſuae naturae legibus teneri. Nam quod homini dictamina rectae rationis leges ſint, cauſa eſt, quia Creator O. M. homini praecepta ſua per iſta inſinuat, ſic vt iisdem imperium Dei vim legum tribuat; vti oſtendimus *lib. II. c. 3.* §. 20. Sed ſi vel maxime eſſentiam diuinam ad modulum noſtrae rationis vellemus exigere, quod nempe & ipſe, quando actionem aliquam eſt ſuſcepturus, velut reflexionem faciat ſuper eſſentia & attributis ſuis, an haec eandem deceat, vel non: tamen illud ipſum, quod ita concipitur, velut dictamen, lex proprie dicta vocari nequit, vt pote quae neceſſario a ſuperiore proficiſci debet. Nec ad rem faciunt, quae Aſinius deinceps blaterat; (*Ex quo poſteriori loco* nempe p. 166. §. 6. vbi dixi, intolerabile eſſe homuncionem oggannire ſuo Creatori, Deus *debet neceſſario* aliquid facere) *intelligitur fundamentum erroris eſſe, quod exiſtimat, legibus naturae adſtrictum eſſe, maieſtati omnipotentiae incongruum eſſe: cum tantum quidem abſit, vt vel omnipotentiae vel beatitudini diuinae hoc quidquam deroget, vt etiam perfectionem & immutabilitatem Dei quam maxime confirmet.* Equidem maieſtatem terreni alicuius Principis non dedecet, legibus, queis alias per faſtigium ſuum exemtus videri poterat, vltro ſe ſubiectum profiteri; quia omne regnum humanum ſub grauiore regno eſt. Aſt hoc vtique maieſtati diuinae derogat, legibus proprie dictis obnoxium eſſe; quia ſi Deus legibus proprie dictis tenetur, habet ſuperiorem; ſi ſuperiorem habet, Deus non eſt. Claudit demum ſycophanta hunc articulum: *Sequitur autem Pufendorfius in errore hoc Zwinglianos, qui etiam legibus Numen non teneri ideo docent, quia libere cum creaturis agere licet.* Atqui ego nequaquam aſſertionem meam ex eo fundamento deduxi, quia Deo libere cum creaturis agere licet. Deinde etſi mihi iam non vacat inquirere, quid illi, quos iſte Zwinglianos vocat, ſuper iure Dei in creaturas ſtatuant: hoc tamen mihi perſuadeo, neminem eorum tam ſtupidum eſſe, vt ita ratiocinetur: *Numen legibus non teneri, quia libere cum creaturis agere licet.* Cum potius inuerſo ordine dicendum fuerat: ideo Numini libere cum creaturis agere licere, quia legibus non tenetur. Caeterum non obſcurum eſt, quo fine nequam calumniator iſthanc clauſulam addiderit. Vult quippe aliis perſuadere, me errore iſto, tantopere a noſtratibus exagitato, teneri, quaſi Deus citra vllam velut reflexionem magnam partem hominum ad aeternos inferni cruciatus condiderit. Abs quo dogmate tantopere abhorret mea mens, vt illud manifeſtam in ſe contradictionem inuoluere iudicem: ex abſoluto placito aliquem ad aeternas poenas damnare. Quia omnis poena iuſta demeritum praeſupponit: nec bonum dixeris creatorem, ſi hoc fine creat, vt creaturae infinities peius ſit, quam ſi creata non fuiſſet.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII. Articvlvs III. paucis verbis expediri poteſt. *Quando p. 133. docet, ex placito vel voluntate, non autem ex naturali vel eſſentiali impedimento prouenire, quod Deus quaedam agere non poſſe dicatur; voluntatem vtique & eſſentiam Dei non vnum idemque, ſed diſtincta eſſe cum Vorſtio T. de Deo docet.* Heic verba mea mutilata adduci adparet; quae ita ſeſe dicto loco habent: quod Deus quaedam non poſſe agere dicitur, id non prouenit ex aliquo impedimento *extrinſecus accedente naturali aut morali*, ſed ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperatum concipimus. Vbi manifeſtum eſt, furciferum omittere verba haec, *extrinſecus accedente*, & pro *morali* ſubſtituere *eſſentiali*, quaſi inter duo haec nihil intereſſet. Et res ipſa loquitur, me voluntatem Dei opponere coactioni validioris, & imperio ſuperioris; nequaquam autem vel eſſentiae, vel ſanctitati, bonitati, aut iuſtitiae diuinae. Eat igitur, & alium quaerat, quem cum Vorſtio heic conſenſiſſe mentiatur.

§. IX. Circa articulum IV. prius noſtra ſententia liquido erit repraeſentanda, vt eo clarius omnibus adparere queat, qua fide in meo libro Aſinius Tenebrio ſit verſatus. Verba mea haec ſunt, p. 134. *Hinc & quando Deo tribuitur iuſtitia, non illa eſt intelligenda reſpicere aliquam obligationem, aut ius in altero, ſicut iuſtitia humana id infert. Sed quia talem agendi modum perfectiſſimae ſuae naturae congruere ipſe operibus & per reuelationes oſtendit: inde eidem mortales id vocabulum adplicamus, quo, quae recte a nobis aduerſus alios aguntur, exprimimus.* Adſtruitur eo loco haec theſis, quod libertas Dei nullis legibus proprie dictis circumſcribatur. Obiici heic poterat, Deum vtique eſſe iuſtum. Iam autem iuſtitiam tam perſonae, quam actionis inuoluere reſpectum ad legem; ad quod reponitur; iuſtitiam Dei, & iuſtitiam humanam diſparis eſſe indolis. Nam iuſtitia humana reſpicit obligationem, quae legem & ſuperiorem ponit: ius autem, ſi perfectum ſit, notat facultatem alterum cogendi ad praeſtandum vi propria, aut actione in foro intentata; aut vbi imperfectum ſit, ſaltem probabilem rationem ſuper alterius inhumanitate conquerendi. Atqui quae Deus agit, haud quidquam ex obligatione aliqua, aut dictante lege agit, quia Deo ſuperior non datur; & nemo ius aduerſus Deum valiturum iactare poteſt. Quis enim vel vi aduerſus Deum contendet, vel in quo foro actionem aduerſus eundem inſtituat, vel qua fronte creatura ſuper inhumanitate creatoris expoſtulabit? Quia autem Deus conſtantiſſime ſua promiſſa ſeruat, & ſupremi legum latoris & aſſertoris, atque iudicis munere incorrupte fungitur; idque quia hic agendi modus cum perfectiſſima ipſius natura congruit, quicum & voluntas eiusdem perpetuo conſpirat· inde iſtud attributum diuinum ſolet exprimi vocabulo iuſtitiae, quia & iuſtitiae humanae non poſtrema pars eſt promiſſa ſeruare, & ius ἀπροσωπολήπτως dicere. Sic & p. 166. §. 6. & p. 177. §. 12. nihil aliud inculcamus, quam iuſtitiam Dei, & iuſtitiam hominum non eodem modulo eſſe metiendam. Nam iuſtitia commutatiua & diſtributiua magnam humanae iuſtitiae partem abſoluit. Atqui iuſtitia diſtributiua verſatur circa contractum ſocietatis, commutatiua circa pacta reciproca de rebus & actionibus in commercium venientibus. Vid. Lib. I. c. VII. §. 9. 10. Quis vero mortalium cum

cum Deo contractum iniuit ſocietatis circa habendum pro rata parte lucrum & damnum? Quis Deo quid vendidit, quis ab eo quid emit? quis pecuniam ipſi credidit. Vid. *Pſalm. L, 10. 11. 12. Roman XI, 35.* Add. quoque p. 164. 165. Audiamus iam Aſinium Tenebrionem, qui heic vtique dat ſine mente ſonum. Bellua viſa loqui, rudere viſus homo. Et ſane monſtri ſimilis eſt in eodem animali aſtutia plusquam diabolica, & ſtupor ſeſquiaſininus tam mire inuicem mixtus & confuſus. *Statuit*, inquit, *Iuſtitiam ad Deum propter ſimilitudinem ſaltem, talem nempe agendi modum, qualis eſt in hominibus, ad Deum adplicari, Deoque ἀκύρως, imo etiam minus Deo quam hominibus competere* p. 134. *Hinc & quando &c. inter homines ſanctum.* p. 166. §. 6. p. 177. §. 13. *Iſtis locis &c.* Heic patet, priora verba mutilate eſſe adducta, & prout heic ponuntur, nullum plane exprimere ſenſum. Per horribilem quoque calumniam affingitur mihi, quod ego ſcripſerim, *Deo iuſtitiam ἀκύρως competere:* quod dictum nullibi in meo libro extat. Ego doceo, Deum eminentiſſime eſſe iuſtum in ſeruandis promiſſis, & exercendo velut munere iudiciario: alios actus iuſtitiae humanae in Deum propter perfectiſſimam eius naturam non cadere. An qui ita de iuſtitia Dei docet, ἀκύρως ſeu improprie, Deum eſſe iuſtum docet? Par mendacium eſt, quod addit, me ſtatuere, *iuſtitiam minus Deo quam hominibus competere.* Vbi iſta verba in libro meo legiſti, furcifer? An, ſi dicam, in Deum non cadit iuſtitia, quae contractus oneroſos regit, quippe qui inuenti ſunt ad ſubleuandam indigentiam humanam; ideo dico, Deo minus competere iuſtitiam, quam hominibus? Perinde ac ſi velles inferre: Dei ſcientia non paratur per diſcurſus humano ratiocinio ſimiles, a notioribus ad ignotiora procedendo; igitur Deo ſcientia minus quam hominibus competit. Ex quibus omnibus conſtat, nihil meam ſententiam commune habere cum Socinianorum commentis; quos paſſim nebulo in famoſo ſuo libello ad fucum ſimplicioribus faciendum, velut illi mecum conſpirarent, adducit.

§. X. Articvlvs V. inauditam nouitatem continet. *Deum non principaliter propter eſſentiam, ſed propter poteſtatem, voluntatem & beneficia coli.* Vbi miſeret me Brochmanni, & aliorum, qui hactenus orthodoxi crediti, nunc ab Aſinio Tenebrione in Socinianorum claſſem compinguntur. Ita enim ille *Artic. de Praedeſtinat. cap. 3. quaeſt. 7. Omne ius, quod Deus ſibi vindicat in creaturas veluti aequitate temperatum eſt, ita nititur aliquo Dei in creaturas beneficio. Si enim quidquam in rerum natura eſſet, quod per actionem nullam diuinam eſſet id, quod eſt, nullo certe iure illud Deo ſubditum dici poſſet, eo quod a Deo non dependeret, ac ea propter ſui iuris eſſet.* Et ſane ita clare a me ea res d. p. 91. 92. eſt expoſita, vt non niſi aſinus eam non capere, non niſi ſycophantarum princeps calumniari queat. Exponitur ibi, vtrum haec ſola ratio ſufficiat imperio in alterum ſibi arrogando, quod quis natura praeſtantiore, quam alter, ſit præditus? id quod a nobis negatur; quia praeſtantior gradus eſſentiae per ſe non inuoluit neceſſario, dependentiam minus praeſtantis gradus. Additur, etſi impia ſit Epicuraeorum theſis, Deos felicitati ſuae immerſos, humana non curare, probandam tamen eorum ratiocinationem, illa theſi poſita religionem inanem fore. Nobilitatem enim eſſentiae admirationem excitare poſ-

ſe,

ſe, cultum non poſſe. Cultus enim diuini præcipuae partes ſunt ex religione naturali, Deum diligere, timere, in eum ſperare, eidem parere. Aſt quomodo diligere eum poſſumus, qui nihil boni nobis fecit, aut qui nullo modo ad nos quid ſpectat? quomodo timere, qui nihil acerbi nobis inferre vult, aut poteſt? quomodo in eum ſperare, qui nulla noſtri cura tangitur? quomodo ei obſequi, qui regimen in nos nullum exercet? Sed res tam clara eſt, vt putidum ſit, verbum amplius addere. Et qui contrarium aſſerunt, horrendis ſeſe abſurditatibus inuoluunt. Statuendum quippe illis eſt; Deum propter ſolam eſſentiae ſuae praeſtantiam debere coli etiam ab illis, qui ab eodem dependent. Atqui iſti, quos citra vllum a Deo acceptum beneficium ſola eius eſſentiae nobilitas ad cultum obligare dicitur, erunt Deo vel aequales, vel inaequales. Si aequales, ſequetur, plures eſſe Deos, aequales & inuicem independentes: ſequetur, cultum ab aequali in aequalem proficiſci poſſe; cum tamen omnis cultus inuoluat agnitionem eminentiae in eo, qui colitur. Sin inaequales, ſequetur: Deum non eſſe conditorem omnium ſubſtantiarum; & exiſtere aliquid in hoc vniuerſo non ſummum, quod tamen a Deo non dependeat; darique entia finita, quae vel ab alio quopiam Deo praeter eum, qui eſt creator coeli & terrae, ſint condita, vel a ſeipſis originem ſuam duxerint. Quae ſunt theoremata digna Aſinii Tenebrionis theologia, abs cuius ſingulari ingenio orbis eruditus curioſiſſimum iam opus expectare incipit, *Syſtema Theologiae eorum hominum, quorum Deus non eſt creator.* Sed nec citra animaduerſionem transmittendum eſt, quod vocabulum *voluntatis* theſi ſuae infercit. Neque enim in meo libro dicto loco aliquid de voluntate extat; & nullum ſenſum haec propoſitio habet: *Deus eſt colendus propter voluntatem*. Solennis tamen haec ipſi ars eſt, verba mea ſuis aſſumentis interpolare, vt demum theſis calumniae capax procudi queat. Velim quoque conſiderari ea verba, quae in Indice ſequuntur: *Idque primum implicite his verbis p. 79. Adeoque legibus obeditur non principaliter propter rem ipſam, ſed propter voluntatem praecipientis.* Iubeo, vt omnes aciem mentis ſuae intendant, an poſſint capere hanc conſequentiam: legibus non principaliter propter rem ipſam, ſed propter voluntatem praecipientis obeditur; Ergo Deus eſt colendus non principaliter propter eſſentiam, ſed propter beneficia.

§. XI. SEQVVNTVR *errores circa hominem in ſtatu integritatis*, qui in Aſinii Tenebrionis male temperato cerebro ſunt enati. Quos vltro euaneſcere deprehendet; qui conſiderauerit, mihi propoſitum fuiſſe, diſciplinam iuris naturae & gentium non ad mores vnius aut alterius populi, aut ad genium certae religionis accommodare; ſed ita vniuerſaliter eam concipere, vt ſit ad captum quarumcunque gentium, quamcunque religionem foueant, modo locum aliquem ſanae rationi apud ſe relinquant. Quae cauſa etiam fuit, vt eiusmodi fundamenta & principia forent aſſumenda & conſtituenda, quae apud omnes populos citra vllum religionis diſcrimen admitterentur, aut ſaltem ad quae admittenda iſti ope ſolius rationis naturalis adigi poſſent. Niſi enim in principio conueniamus, fruſtra omnis opera circa perſuadendas alicui concluſiones impenditur. Atque hoc ipſum ſatis clare profeſſus ſum in praefatione

ad Lectorem circa finem hiſce verbis: *Cum haec diſciplina non ſolos Chriſtianos, ſed vniuerſum mortalium genus ſpectat; tale ſane principium conſtituere conuenientius fuerit, quod nemo, modo rationis ſit compos, abnuere queat.* Inde quando nobis de ſtatu hominum naturali ſermo eſt, id eſt, quando conſideramus, qualis futura eſſet hominum vita, ſi nihil auxilii, nihil communicationis ab aliis hominibus accederet; fingimus nobis animo conditionem alicuius hominis ſolitarii, vndecunque in hanc terram ab omni humano cultu vacuam proiecti; vt eo clarius conſtet, quantum auxilii & ſolatii homini ab alio homine accedat. Nequaquam autem loquimur de ſtatu Adami, quem Scriptura ſacra nobis feliciſſimum deſcribit, de quo hiſce quidem temporibus liquido conſtare non poteſt, niſi ex ſacris literis: poſtquam quae ſuper eodem traditio in genere humano primis ſeculis viguiſſe videtur, lapſu temporum apud plurimos plane exoleuit, apud reliquos tenuia quaedam, multisque fabulis admixtis confuſa veſtigia reliquit. Ex quibus patet, inter ea, quae Sociniani de ſtatu Adami tradunt, & inter ea, quae nos ſuper conditione cuiuspiam plane ſolitarii meditamur, tantum intereſſe, quantum verus homo a fictitio diſtat. His praemiſſis excutiamus articulum VI. *Docet illum ſtatum, in quo homo absque vlla cura vel ope ab alio homine accedente conſideratur, longe miſerrimum eſſe; ne illo quidem excepto, in quo homo iuſta ſtatura ac robore praeditus fuit, quum primum exſiſtere cœpiſſet, hoc eſt, ſtatum Adami ante Euam creatam.* p. 140. § 2 Conferamus cum hiſce noſtra verba; & deſinemus mirari, quare ex eodem flore apis mel, aranea venenum trahat. *Per ſtatum hominis naturalem intelligimus heic illam conditionem, in qua homo per ipſam natiuitatem conſtitutus* CONCIPITVR, *prout* ABSTRACTA INTELLIGVNTVR *inuenta atque inſtituta humana quibus aliam velut faciem vita mortalium induit.* Hunc ſtatum ita conceptum & abſtrahendo intellectum dicimus miſerrimum fuiſſe futurum (*Si igitur* CONCIPIAMVS, ſunt verba noſtra dicto loco) *hominem in hunc mundum proiectum* ſi, inquam, fingamus nobis aliquem hominem vndecunque demum in hunc mundum delapſum, & non praeditum pluribus dotibus, quam prout nunc homines naſcuntur; non autem Adamum a Deo in Paradiſo collocatum, vbi veſtibus non erat opus, & vbi delicatiſſimos cibos arbores vltro velut porrigebant: Si inquam fictum iſtum noſtrum hominem concipiamus *citra illam curam opemque ab alio homine accedentem, & prout plurimae partes naturae rerum nondum per induſtriam humanam ad vſum hominis erant excultae ac diſpoſitae;* tunc de eiusdem ſtatu pronunciamus, eum fore *miſerrimum.* Idque non ſolum, ſi ponamus iſtum hominem eſſe infantem, cui ſine dubio pereundum fuerit; ſed etiam *ſi ponamus eum vel maxime iam iuſta praeditum ſtatura ac robore, quum primum,* ita nempe in mundum proiectus *exſiſtere coepiſſet.* Id ſi Aſinius Tenebrio capere non poteſt, age, exuamus eum omnibus veſtibus, adimamus ei omnia inſtrumenta, cibi potusque nihil relinquamus, & in deſertam aliquam, ac ab omni humano cultu vacuam inſulam deportemus; ibique ſolum deſtituamus. Ni intra annum faſſus fuerit, a ſe miſeram ibi vitam trahi, tunc ego bonum & doctum virum eum fatebor. Et tamen Aſinius multarum in ea ſolitudine rerum notitiam habebit, quae iſti, quem fingimus, homi-

ni

ni deeſt. Vid. quae de Petro Scarano tradit Ynea Garcilaſſus de Vega Comment. Regii L. I. c. 8. Ex hiſce omnibus manifeſtum eſt, quomodo foediſſimus ſycophanta verba mea in talem ſenſum detorſerit, de quo mihi nunquam in mentem venerat. Cum enim haec ſit mea theſis: ſi fingatur homo ſolitarius in mundum incultum proiectus, etiamſi ponatur iam iuſta ſtatura & robore eſſe, cum tali modo exſiſtere coepiſſet, eius ſtatus erit miſerrimus; ex hac talem ille concinnat propoſitionem: ſtatus illius hominis, qui iuſta ſtatura erat praeditus, quam primum exſiſtere cœpiſſet, erat longe miſerrimus. Quæ profecto maior eſt transmutatio, quam cum ex aſino fit Doctor.

§. XII. Qvantvm articulo VII. ſit ponendum pretium, patebit, ſi ſententiam meam declarauero. Poſtquam igitur d. p. 140. oſtenderam, ſtatum hominis alicuius ſolitarii in mundo inculto deſtituti fore miſerrimum, inde vlterius infero; ſi aliquis ſacrarum literarum cognitione carens, & ſolo naturali lumine ſubnixus conſiderauerit mortalium primaeuam indigentiam & imbecillitatem, quam debiles ſint, quam indigi omnium rerum, vbi naſcuntur; cum is vtique rationis ductu colligere poſſit, aliquando genus humanum initium cepiſſe: non aliter ſibi perſuadere poteſt, quam peculiarem curam Numinis circa primam hominum ſtirpem interueniſſe, quousque ipſi vſu & meditatione, ac coniunctis inter ſe operis neceſſitatibus ſuis proſpicere didiciſſent. Atque hoc ipſum etiam auctoritate ſacrarum literarum confirmatur. Poſtquam enim Adamus in eam conditionem fuerat redactus, in qua iam genus humanum eſt conſtitutum, (nam hanc conditionem ſemper praeſupponimus, quando ex ſolo rationis lumine diſſerimus, cui ſtatus hominis in Paradiſo eſt incognitus,) ſane legitur, Deum ipſi confeciſſe veſtimenta ex pellibus. Ac dum ad agrum colendum eundem ablegat, quis dubitauerit, quin Deus docuerit ipſum naturam ſeminum, tempora ſementis, quo modo, quibusque inſtrumentis terra ſemini accipiendo praeparanda foret. Quarum rerum ſcientiam vtique ex Paradiſo efferre non poterat, vbi hortus vltro ad victum neceſſaria proferebat. Et ſi propria demum meditatione & experientia hoc debuiſſet addiſcere, dudum fame fuerat pereundum. Igitur in malam crucem abeat iam cum ſuo articulo Aſinius Tenebrio: *Docet, primum ac recentem orbis incolam, hoc eſt, Adamum, ſeruari non potuiſſe, niſi Deus ipſum neceſſaria etiam vitae media adhibere peculiariter docuiſſet.* p. 140. §. 2. *Inde licet de originibus &c.* Nam de conditione Adami in paradiſo plane mihi ſermo non fuit.

§. XIII. In articulo VIII. repraeſentatur horridum quodpiam ſomnium cerebri graui intemperie laborantis, quo ex varie velut diſcerptis ac mixtis ſpeciebus male cohaerens imago deformatur. *Quod homo prout ex creatione phyſice perfectus extra ſocietatem exſiſtit, ſine lege, ordine & decore reluctantem habuerit voluntatem, brutisque ipſis inferior ac prauior fuerit, quae cauſa, quamobrem lex illi ſuperaddita ſit. Hoc ſibi vult pag. 3. Nobis illud* §. 3. *Exinde* p. 4. §. 4. p. 136. §. 5. & 6. p. 138. §. 8. Vah mi Aſini Tenebrio, quam multi ruditatem & malitiam tuam ignorare poterant, ni male conſulta mens, poe-

Digitized by Google

naeque ſuae imminens, ad Indicem Nouitatum compilandum te ſtimulaſſet. Nunc quia hac potiſſimum via inclareſcere voluiſti, age efficiam, vt voti tui compos fias. Cum igitur Aſinio librum meum legenti ſomnus obrepſiſſet, viſus eſt ſibi videre ſpeciem hominis primitus quantum ad ſubſtantiam ſuam creati perfecti, qui tamen foret exlex plane, & horridus, prauiſque cupidinibus ſcatens, ſic vt brutis miſerior & prauior exſiſteret; donec ea conditio hominis Deo diſpliceret, qui ad ipſam diſpellendam legem ei ſuperaddidit. Credo ad eundem modum, vti qui parietes ex rudi lapide extruxit, poſtea eorum aſperitate offenſus tectorio eosdem inducit. Mox cum ſomnus placide diſcuſſus eſſet, putauit ſe id in libro meo legiſſe. Atqui antequam tua ſomnia chartae illineres, debueras denuo librum meum legere, vt conſtaret, num Morpheus forte tibi illuſerit. Sane enim a me nuſpiam ſcriptum eſt, *hominem phyſice perfectum ſine lege, ordine & decore vnquam extitiſſe.* Contrarium a me docetur p. 6. & p. 312. 314. Nuſpiam a me ſcriptum fuit, *hominem ab ipſa creatione reluctantem rationi habuiſſe voluntatem, brutiſque ipſis miſeriorem ac prauiorem fuiſſe.* Contrarium potius inſinuo p. 136. vbi rationes, quare exlex vita hominem non decuerit, petuntur ex conditione hominis *primigenia, aut poſt ſuperueniente.* Quare primigeniae hominis conditioni non conuenerit vita exlex, exponitur dicto loco §. 5. Quare eadem non conuenerit conditioni hominis poſt ſuperuenienti, docetur dicto loco §. 6. 7. 8. Quando autem neceſſitatem legis ex conditione ſubiecti demonſtratum eo, non ſtatim ſuppono, ſubiectum illud aliquando a lege immune fuiſſe. Sicuti verbi gratia, ſi dicam, congruum valde eſſe & vtile homini pedes habere, ne tanquam vermis humi repere cogatur; non ſtatim praeſuppono, hominem aliquandiu pedibus caruiſſe, & deprehenſa reptionis deformitate pedes ipſi ſuperadditos. Quo ſenſu autem entia moralia rebus & motibus phyſicis ſuperaddita dicantur, ſequenti § tradetur. Inde & adparet quam ridiculum ſit, quod addit: *Talia vero Socinianorum & Hobbeſii principia ſecutus docet:* cum ſatis conſtet de illis, que Tenebrio heic comminiſcitur, nemini mortalium vnquam in mentem veniſſe.

§. XIV. ARTICVLVS IX. ita ſe habet: *Attributa vel Entia moralia originitus homini phyſice perfecto, ſuperaddita ſaltem, non concreata eſſe,* p. 3. §. 3. & 4. Video iſti homini parum cum entibus moralibus conuenire; tentabo, an poſſim illum cum hiſce in gratiam reducere. Quod ſi aliquis dicat, me operam ludere, dum aſinum docere aggredior; excuſabit me ille neſcio quis ex Sanctis minorum gentium, qui anſeribus concionatus memoratur. Trado igitur dicta p. 4. §. 4. modum originitus producendi entia moralia vocari *impoſitionem*; ſicuti modus originarius producendi ſubſtantias phyſicas ex vſu Theologorum vocatur creatio; licet Latini auctores vocabulum creationis productioni perſonarum moralium frequentiſſime adhibeant. Cauſa autem, quare impoſitionis vocabulum nobis heic potiſſimum arriſerit, eſt, quia non ſolum illud a Philoſophis in ſimili materia adhiberi coepit; ſed & quia magis appoſitum nondum diſpicere potuimus. Cum enim entia moralia ſint modi, ſeu ſi ita mauis, accidentia, quae vtique ſubiectum aliquod praerequirunt; & vero accidentia phy-
tica

Digitized by Google

ſica ipſam ſubſtantiam rerum phyſicam perficiant, alterent, aut alio modo diſponant & afficiant, eamque velut ingrediantur; entia moralia contra rebus quoad ſubſtantiam phyſicam perfectis velut ſuperaddita intelliguntur. Exemplum proponemus, ex quo illa impoſitio, in omni claſſe entium moralium, (quarum quatuor potiſſimum nos facimus, ſtatum, moralem perſonam, quantitatem & qualitatem, liquido perſpici queat. Eſt igitur aliquis ſtudioſus, Nicolaus Beckmannus, non quidem auream, ſed plumbeam in literis, mediocritatem ſectatus, qui ad munus aliquod inuolandum non parum ſibi doctoris titulum profuturum ſperat. Is abit in Galliam, pecuniam Profeſſoribus offert. In cathedram ducitur; per ſeſqui horam ſilet & erubeſcit, quod diſputationis inauguralis loco habetur. Poſt mitra imponitur, Doctor creatur, renunciatur, proclamatur, ab omnibus pro tali haberi & honorari iubetur. Heic, ne comoediam actam credamus, repente ex omni entium moralium genere aliquid ipſi fuit ſuperimpoſitum. In nouum *ſtatum* ſeu ordinem iam protruditur, in quo antea non erat. Noua quoque *perſona* ipſi imponitur. Qui enim antea ſimpliciter Dominus Nicolaus erat, iam Dominus Doctor Nicolaus, & quidem Vtriusque Iuris factus eſt. Ex claſſe *quantitatum* moralium noua quoque exiſtimatio ei ſuperadditur. Qui enim antea frater ignorantiae habebatur, iam vbi nomen Doctoris inſonuit, a ruſticis creditur herniam poſſe curare, aut putridos dentes extrahere, aut lumbricos inteſtinis elicere. Ex claſſe *qualitatum* moralium ſuperadditur eidem nouus titulus, vt Doctor audiat, qui Aſinus eſt. Confertur poteſtas publice docendi, ſi vocationem nanciſcatur; ſalarium eo nomine accipiendi, ſi detur; de Iure reſpondendi, ſi quis conſulere ipſum velit. Denique obligatio ei iniungitur, vt quando de Iure conſulitur, in principia iuris ne impingat. Tanta moles entium moralium imponitur & ſuperadditur homini, qui iam phyſice erat perfectus, id eſt, qui corpus & animam, oculos & aures, manus & pedes, ventriculum & iecur habebat. *Superadditur*, dico, quia ſubſtantiam & qualitates eius phyſicas per ſe entia moralia non afficiunt, aut alterant. Poſtquam enim Doctor renunciatus fuit, non fit longior aut craſſior, nec accipit nouum membrum corporis, ſi antea habuit caput acuminatum, illud non fit deinceps rotundum; non fit quoque vel pilo melior & doctior, non ſaltat elegantius, quam antea, non digladiatur dexterius, non leuius ineptit. Ex accidenti tamen fieri poteſt, vt entia moralia occaſionem praebeant qualitates phyſicas augendi aut deprauandi. Nam quibusdam titulus incitamento eſt ad eruditionem parandam, vt fiant, quod audiunt; aliorum ruditas augetur, dum tituli inani ſonitu adquieſcunt. Nonnullis grauitas & modeſtia, aliis faſtus & ſtolida iactantia accedit. Mouet aures meus auditor, credo quod iam aliquid de entibus moralibus quaſi per nebulam ſibi cernere videatur. Et quia iam aliquod veſtigium docilitatis in eo animaduerto, ſcrupulum, qui ipſum vrgere videtur, eidem adimam; num igitur nulla dantur entia moralia concreata? Quippini, mi Aſini? Nam ego nusquam *ſuperadditum* eſſe, & *concreatum* eſſe oppoſui; nec noſtrae ſententiae repugnabit, qui aliqua entia moralia homini concreata, id eſt, in ipſa creatione ſuperaddita dixerit. Imo & ego de ſtatu naturali p. 6. & de obligationibus congenitis p. 312. trado.

Quod autem ſubſtantia modo vel accidente, ſubiectum adiuncto, vt vt tempore ſimul, natura tamen prius ſit, etiam tirones philoſophiae norunt. Sic vt nihil repugnet, ſtatum aliquem aut obligationem homini eſſe concreatam aut congenitam; & tamen eidem phyſice perfecto velut ſuperadditam concipi. Audiamus nunc, num & antehac entia moralia probe intellexerit Aſinius Tenebrio. *Intelligit autem*, inquit, *per entia moralia illos etiam modos*, (*vt loqui amat*, *quibus homo creaturæ eſſe debet*, *auctorem ſui agnoſcens*, *colensque*, *quibusque diuerſa plane a brutis ratione vitae eidem exigenda eſt* (*hoc eſt*, *legem naturae*.) *Sic enim entia moralia ipſe explicat pag*. 5. & 6. §. 6. & 7. Tu qui in meum librum nefariam tibi cenſuram arrogabas, tantopere coecutiebas, vt non animaduerteres, me nuſpiam legem in genere, aut legem naturae inter entia moralia referre. Equidem *normam actionum moralium* eam nuncupo Lib. I. c. 6. Aſt vt norma cum normato eiusdem naturae ſit, neceſſarium non eſt. Ad ferream normam etiam lapides & ligna exiguntur. De caetero quid planius eſt meis verbis p. 6. § 7. dum doceo, ſtatum naturalem abſolute conſideratum vocari illam conditionem, in qua homo conſtitutus eſſe intelligitur, dum eximium prae aliis animantibus eum eſſe voluit Creator, id eſt, dum legi eum naturali obnoxium fecit, a qua bruta ſunt immunia. Ex quo ſtatu fluit, (id eſt, quia Deus hominem conſtituit in tali ſtatu, in quo lex naturalis ipſi foret obſeruanda, & eiusmodi dotibus ornauit, quibus bruta carent, conſequitur,) quod homo debeat eſſe creatura auctorem ſui agnoſcens, colensque, & cui diuerſa plane ratione a brutis vita ſit exigenda. Pergit Aſinius: *Illud vero, nempe quod entia moralia originitus ſuperaddita ſaltem, non autem concreata homini ſint, quando docet, cum Papiſtis maxime facit. Et his enim Bellarminus cap. 6. de gratia primi hominis eundem in modum ſcribit Creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad ſuperaddita dona. Et mox: Innocentia autem ad illius veſtem non naturalem.* Atqui virtutes illae, & innocentia primi hominis, de quibus inter noſtrates, & Pontificios diſceptatur, non ſunt entia moralia. Imo ne ipſa quidem virtus moralis ens morale eſt, ſed pertinet ad claſſem qualitatum phyſicarum; quod Aſinio paradoxum videri non miror. Quod autem *Bellarminus* dona primi hominis vocat ſupperaddita, & ego entia moralia homini ſuperaddita doceo, exinde non magis ego cum iſto conſpiro, quam haec conſequentia eſt bona: calceus induitur, thorax induitur, ergo calceus eſt thorax. Subiungitur demum huic articulo emblema aliquod, non quidem Tribonianum, ſed furciferianum. *Vt multa paucis exprimantur*, inquit, *ſi quis penitius inſpexerit Puſendorfii opus, non diffitebitur, Puſendorſium non modo entia moralia, verum etiam totum ferme librum primum, tam obſcure tractare, vt ipſe vix intelligat, quid infirmis ſuis nouitatibus ſibi velit, niſi vt eas imprudenti iuuentuti ſub terminis metaphyſicis & fictitiis venales indigne exponat.* Aſt mi nimium ſtolide furcifer, ſi re ſera paucis multa volebas exprimere, id debueras dicere; te & alios, qui Pufendorfii librum allatrarunt, fuiſſe aſinos ad lyram. Et quis cogebat te tuosque complices omnino librum meum legere, aut ad eum carpendum prouolare, ſi prae obſcuritate ipſum non intelligebatis? Quod alias obſcuritatem attinet, cum illa duplex ſit, dictionis, & rerum; de illa ſane nemo

mo queri poteſt, qui Latine nouit. Hanc autem amoliri non ſemper eſt penes ſcriptores. Et quid aſinis ſatis clarum eſſe poſſit? Quod ſi quae in genere ſuper entibus moralibus traduntur, obſcuritate quadam videantur laborare, culpa fere pen s philoſophos eſt, qui vix leui brachio iſta attigerunt Ac decedet obſcuritas, ſi iſta vſu trita fieri incipiant. Imo deſinent & tibi entia moralia obſcura videri, modo per aliquod tempus inter auditores meos aſſidere velis; qui te eo libentius in coetu ſuo ferent, quod dum longas tuas aures ſubinde motitas, eadem opera muſcas a vicinis ſis depulſurus, aut lenem ventulum facturus.

§. XV. Articvlvs X. eſt. *Primos homines, prout in origine ac ſtatu ſuo primaeuo ſe habuerunt, non tantum mortalium nomine appellat, ſed tantam etiam illis imbecillitatem tribuit, vt ſine peculiari cura ſeruari non potuiſſent. Mortalitatis etiam cauſa genus humanum diuerſitate ſexus, propagandique ſeſe facultate creatum eſſe*, p. 140. §. 2. *Inde licet*, pag. 750. Huius articuli priori membro ſupra §. 11. ſatisfactum fuit; vbi ſatis patet, nos primos homines in ſtatu integritatis haut quidquam *mortalium* vocabulo inſignire; cum de iſtis eo loco ſermo non ſit. In poſteriore membro calumniator pro more ſuo verba mea foede corrumpit, quae p. 750. §. 2. ita ſe habent: *Poſtquam igitur morti obnoxium fuerat redditum genus humanum, ne aut noua ſemper ſtirps creando eſſet ſufficienda, aut tam nobilis ſpeciei duratio vnius aeui ſpacio extingueretur, ſapientiſſimus Creator proſpexerat diſcrimine ſexus, & naturali facultate indita commixtis corporibus ſeſe propagandi.* Heic animaduertere debebat ſycophanta, non fruſtra verbum plusquam perfecti temporis, *fuerat, proſpexerat*, eſſe poſitum, ad ſignificandum, genus humanum non ab initio fuiſſe morti obnoxium, ſed poſtea ad eam conditionem deuolutum & in hunc euentum, quem Deus vtique praeuiderat, velut prouiſionaliter diuerſitatem ſexus, & facultatem ſe propagandi humano generi inditam eo quoque fine, vt idem morti obnoxium factum citra nouam creationem durare poſſet. Idem alio modo efferri poteſt Ab initio par hominum diuerſo ſexu creatum fuit, vt ſtirpem ex ſe propagare poſſent morti non obnoxiam. Poſtquam homines morti fuerant obnoxii redditi, illa propagandi ſe facultas huic quoque fini inſeruiebat, vt non ſubinde noui homines eſſent a Deo immediate creandi, neue intra ſpatium vnius aetatis genus humanum foret extinguendum. Eique rei ſapientiſſimus Creator quaſi euentualiter proſpexerat per diuerſitatem ſexus, quae tam in ſtatu integritatis, quam corruptionis vſum haberet. Non credo eſſe, qui luculentiorem heic declarationem deſideret.

§. XVI Articvlvs XI. ex prioribus iugulatur. *Recentem & ſolitarium orbis incolam attonitum, hoc eſt, conſternatum fuiſſe*, p. 140. §. 2. Quid tum? Ille recens orbis incola non eſt Adamus, ſed quem fingimus, animoque concipimus in mundum vndecunque proiectum. Quem ſi ponamus ita repente ſolum in orbe inculto deſtitutum, quis negauerit ſubita rerum imagine confuſum, & attonitum fuiſſe circumſpecturum vaſtam mundi machinam, corporum coeleſtium ſplendorem; nec non anxie meditaturum, quid ſibi inter omnia ignota & noua

noua agendum foret. Hoc ſi capere non poteſt Aſinius Tenebrio, per me in Morboniam abeat.

§. XVII. Articvlvs XII. non firmiore, quam prior, ſtat talo. *Illud autem, quod primus homo extra ſocietatem ſine lege, ordine ac decore miſerrimus fuerit, probari illo poſſe dicto putat: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Praefat. fol. 3. fac. 1. Caeterum* &c. *Inprimis vero* p. 138. §. 8. *Igitur quod homo non miſerrimam, &c.* Taedet me toties repetere, dicto loco, non eſſe mihi ſermonem de Adamo in ſtatu primaeuae felicitatis. Sed quando p. 36. §. 6. ſeqq. adduco rationes, quare homini non conueniat, vt viuat exlex, earum aliquas deſumo *ex conditione naturae humanae poſt ſuperueniente*, quae verba extant, dicta *pag. 136. lin 9. 10.* Inter has rationes p. 138. §. 8. adducitur quoque *hominis imbecillitas*, quae miſerrimum ab omni aliorum auxilio & ſocietate deſtitutum effectura erat. Quem locum hiſce verbis claudo: *Igitur quod homo*, ex conditione ſcilicet poſt ſuperueniente, *non miſerrimam vitam inter omnia animantia degit, a coniunctione ſui ſimilium habet.* Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, *non ad matrimonium duntaxat, ſed ad ſocietatem cum aliis hominibus in vniuerſum pertinet.* Quis non videt, iſtam ſententiam a natiua ſua ſede & intentione ad aliam materiam transferri & adplicari; qualis adplicatio ne a ſacris quidem literis aliena eſt. Sicuti fas mihi eſt pleraſque ſententias Pſalmi LII. & CXX. ad conditionem meam, qua heic inter maleuolorum quorundam calumnias per annum & amplius conflictatus ſum, adplicare. Quae cum ita ſint, plane praeter rem Aſinius Tenebrio tanto cum ſupercilio heic febriculoſam ſuam philoſophiam expromit. *Quaſi vero*, inquit, *externa illa ſocialitatis felicitate deficiente naturalis etiam & eſſentialis hominis deficeret felicitas.* Quaſi vero non ipſe Deus declaraſſet, felicitatem primi hominis etiam in paradiſo non futuram fuiſſe omnibus numeris perfectam citra ſocietatem: *Quaſi vero, inquam*, pergit coaxare rana, *bonis fortunae deficientibus bona ſtatim animi & corporis deficerent.* Quaſi vero, inquam, aliquis magnopere gauiſurus ſit animi & corporis ſui bonis, ab omni humana ope in ſolitudine deſtitutus. *Alicuius, non autem omnis humanae felicitatis cauſa eſt ſocialitas; augmentum, non fundamentum.* Argute dictum, & ſupra Aſinii captum. Quaſi vero ego alicubi aſſeruerim, omnis felicitatis humanae cauſam eſſe ſocialitatem. Nam non ſtatim cuius abſentia me miſerum reddit, eius praeſentia omnem mihi felicitatem conciliat. Si tua vxor in capillum tibi inuolat, miſer es: ſi eadem blando tibi arridet vultu, non ideo albae gallinae filius es.

§. XVIII. Seqvitvr Locus *de homine in ſtatu corruptionis.* Nam tanta fuit nebulonis iſtius circa calumniam mihi inſtruendam ſolicitudo, vt etiam quos ipſe ſomniauerat errores, velut ſub locos Theologicos redigeret, ad fucum ſimplicioribus faciendum, quaſi ego integrum ſyſtema nouae cuiuſdam & inauditae Theologiae procudere inſtituiſſem. Heic igitur primo occurrit articulus XIII. *Entia moralia eorumque effectus originitus etiam conſiderata amitti, vel deleri pro lubitu poſſe, ſine vlla mutatione aut corruptione eius rei, cuius antea fuerunt, pag. 4. §. 4. Ac per eadem*, p. 19. §. 23. Credit heic Aſinius, hac aſſertione negari labem illam, quae ex amiſſa imagine Dei per lapſum in genere humano

Digitized by Google

humano conſecuta eſt. Sed vno verbo illi ſomnium hoc excutiam. Quae per lapſum Adami amiſſa ſunt, haudquidquam erant entia moralia, ſed longe ſublimioris indolis. Qui amiſſo rationis vſu in delirium incidit, qui amiſſa valetudine horridis morbis corripitur, qui amiſſo viſu excoecatus eſt; in eo hautquidquam ens aliquod morale periiſſe aut mutatum eſſe dicimus. Quod ſi tamen ſtupor Aſinii capere non poſſit, vera entia moralia, eorumque effectus deleri poſſe, nulla mutatione phyſica in re, cui erant ſuperaddita, prouenienте, ſeu vt ipſa rerum ſubſtantia phyſica hautquidquam immutetur; age afferamus exemplum, quod Aſinius Tenebrio manibus palpare queat. Fingamus Aſinium Tenebrionem, ſi diis placet, profeſſorio munere fungi. Fingamus eundem ob quaedam ſcelera, puta, ob famoſos libellos editos, munere dimoueri & infamem fieri. Quot heic entia moralia perierunt? Periit ipſi ſtatus, in quo hactenus egit, periit perſona, quam geſſit, periit obligatio ad legendum & diſputandum; periit denique titulus, vt deinceps audire cogatur Dominus Exprofeſſor. Et tamen eiusdem iam intra nebulonum claſſem coniecti ſubſtantia phyſica nullam ſentit mutationem. Statura eius non contrahitur; crura priorem retinent longitudinem; ſtolidum manet caput antiquo loco poſitum, manent aures, (nam praeſupponimus illas per carnificem non abſcindi,) manet facies lurida & cicatricoſa; manent qualitates phyſicae, manet eruditio, ſi quam habuit, manet vox graculis aemula, manet libido ſaltandi; manet ars digladiandi, circumforaneis laniſtis non concedens. I nunc Aſini Tenebrio, & de entium moralium obſcuritate querelam moue.

§. XIX. In articulo XIV. extremum proponitur, quouſque aut brutalis ſtupor, aut diriſſima calumniandi libido progredi poſſit. Sic enim ſacerrimus index: *Negat quaedam per ſe citra omnem impoſitionem honeſta vel turpia eſſe, omnesque actiones hominis, adeoque ipſum furtum, homicidium, inceſtum, adulterium, blaſphemiam &c. natura ſua actiones eſſe indifferentes.* pag. 25. 26. NB 27. *Hoc enim modo, conf. pag. 47* §. *14. pag. 167.* §. *4.* Ad hanc calumniam diſpellendam. etſi nihil amplius neceſſarium ſit, quam vt quis loca adducta in meo libro accurate legat; explicare tamen paulo clarius ibi tradita placet, vt eo manifeſtius conſtet, Aſinium Tenebrionem omnibus ſycophantis & nebulonibus palmam praeripere. Quando igitur a Scholaſticis inquirebatur, quodnam diſcriminis eſſet inter ea, quae naturali, & quae poſitiua lege vetantur aut praecipiuntur; id demum ab vno vel altero pronunciatum in tralatitium dogma inualuit, vt quae lege naturae praecipiuntur, aut vetantur, in ſe & ſua natura honeſta aut turpia eſſe; quae vero poſitiua, per voluntatem & imperium legislatoris talia fieri dicerentur. Et admiſiſſe vt haec fortaſſe commodam explicationem, modo certum conſtituiſſent γνώρισμα, ex quo liquido conſtaret, an & cur aliquid in ſe eſſet honeſtum vel turpe. Id dum non fecerunt, neceſſum fuit prouenire definitionem legis naturalis, quae non poſſet non in circulum reuolui, & petere id, quod eſt in principio. Si enim quaeras ex iſtis hominibus, de quibusnam lege naturae diſponatur? reſpondent; de iis, quae per ſe ſua natura honeſta & turpia ſunt. Sin vlterius quaeras, quaenam autem ſunt illa; per ſe & ſua natura honeſta vel turpia? nihil aliud habent, quod reſpon-

Digitized by Google

deant, quam ea, de quibus lege naturae diſponitur. Ex quo & aliud horribile abſurdum conſequitur; ſi nempe datur aliquid honeſtum & turpe in ſe antecedenter ad Deum, vel admittendum eſſe fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus; vel dari aliquod principium Deo prius aut coaeternum, formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui ne Deus quidem contrauenire debeat, aut poſſit. Quo cum nihil ſtolidius fingi poſſe videatur, ſaepe miratus ſum, non Grotium ſolum, ſed & plerosque ex noſtratibus Theologis iſtam aſſertionem citra vllam dubitationem paſſim aſſumere. Contra id mihi fixum ſedet, diſcrimen honeſti & turpis vtique a Deo, eiusque definitione eſſe petendum, nec idem ab alio extra ipſum principio dependens fingendum eſſe. Quo poſito conſequitur, neceſſitatem illam, quae actionibus ad honeſtatem & turpitudinem tribuitur, non eſſe abſolutam, ſed hypotheticam, ſupponentem nimirum, creationem animantis rationalis, quam nemo eſt, quin liberrimae Dei voluntati adſcribat. Id eſt; quod quaedam dicantur neceſſario honeſta aut turpia homini, hoc ſemper eſt intelligendum cum relatione ad naturam hominis tanquam animalis rationalis & ſocialis; & conſequenter cum relatione ad voluntatem Dei, qui vti omnia, ita & hominem, & quidem tale animal liberrima ſua voluntate creauit. Cui coniunctum eſt, vt ſi conſideremus actiones hominum, prout ſunt nudi motus facultatis alicuius phyſicae, aut eiusdem negatio, antecedenter ad legem, ſeu abſtrahendo ab omni lege circa eum motum aliquid diſponente, eſſe indifferentes, id eſt, neque bonas neque malas: bonitatem autem & malitiam, quae in illis deprehenditur, oriri a conuenientia & diſconuenientia cum lege. Et annon ipſa Scriptura ſacra peccatum ſeu actionem malam definit per ἀνομίαν, ſeu diſcrepantiam a lege? Ac nullus ruſticus eſt tam ſtupidus, quin intelligat & adplicare norit tritum illud:. Vbi non eſt lex, ibi non eſt transgreſſio. Enimuero heic probe obſeruandum, quid ſit notus motus phyſicus; & quod hautquaquam omnia vocabula actionem exprimentia notent nudum motum phyſicum, ſed quod pleraque exprimant actiones cum relatione ad legem. Toto quippe coelo differentes propoſitiones ſunt; actio, prout conſideratur tanquam nudus motus phyſicus, citra & ante omnem reſpectum ad quamcunque legem, eſt indifferens, id eſt, nec bona nec mala: & omnia vocabula actionem exprimentia notant nudum motum phyſicum, ſeu actionem in ſe indifferentem nec bonam, nec malam. Prior propoſitio mea eſt, quam vt arbitror inuictis rationibus ſtabiliui. Altera nulli mortalium praeter Aſinium Tenebrionem, in mentem vnquam venit. Quis enim eſt tam ſtupidus, qui neſciat, quasdam voces aut locutiones notare nudum & indifferentem motum phyſicum, a reſpectu ad legem abſtractum; alias & quidem longe plurimas notare actionem cum reſpectu ad legem, ſeu actionem bonam aut malam, vero gratia, loqui, ſcribere, manum extendere, lapidem emittere, arma vibrare, concumbere, rem de loco in locum transferre, ignem excitare, & plurima alia, exprimunt meros & ſimplices motus phyſicos, qui citra reſpectum ad legem, & vllam deſignationem obiecti, aut alterius circumſtantiae conſiderati, vtique indifferentes, id eſt, neque boni neque mali ſunt. Sed mentiri, blasphemare, calumniari, Indices Nouitatum ſcribere, lapide vulnerare,

tare, armis laedere innocentem, homicidium committere, ſcortari, moechari, inceſtum committere, furari, incendiarium agere, & infinita alia, non notant nudum motum phyſicum & indifferentem, ſed motum aliquem lege vetitum. Pari ſe modo res habet circa motus animi. Amare, honorare, ſperare, probare, gaudere, dolere, & ſimilia, citra reſpectum ad legem vtique indifferentia ſunt. Prout autem illi motus verſantur circa obiectum legibus probatum aut improbatum, boni vel mali fiunt, verbi gratia, Amare Deum, honorare Deum, ſperare in Deo, probare bonum, gaudere bonis euentibus bonorum, dolere ob peccata, ſunt bonae actiones. Contra amare vitia, honorare idola, ſperare in diabolo, probare peccata, gaudere calamitatibus innocentum, ſunt actiones malae. Impoſſibile autem foret, vt verbi gratia, *amare* pro diuerſitate obiecti fieret bonum aut malum, ni illud extra obiecti aut legis conſiderationem eſſet indifferens. Et quid clarius verbis meis p. 26. *Haec ipſa vocabula*, nempe *maleuolentia*, *impudentia*, *inuidia*, *adulterium*, *furtum*, *homicidium*, *non notant nudos & ſimplices motus actusue phyſicos*, *ſed tales*, *qui legibus repugnant.* Sic & nuda intermiſſio motus alicuius phyſici citra reſpectum ad legem vtique eſt indifferens; verbi gratia, non dare, non facere, quieſcere, non moueri. Aſt eadem cum reſpectu ad legem, obiectum, tempus, locum, modum determinante, mala fit; verbi gratia, non dare mercedem operario, non reddere mutuum, commodatum, depoſitum, opus ſibi iniunctum non facere, quieſcere quando laborandum erat, non obedire ſeu non facere, quod a legitimo imperante iubebaris. Iudicet nunc cordatus lector, num mica probitatis aut eruditionis inſit illis, qui affingere mihi non erubuerunt, me omnia peccata ſtatuere indifferentia, ſeu (vt horridum vocabulum faedae calumniae conueniens fingerent) me indifferentiſmum velle introducere. Caeterum quaſi impudentiae nondum ſatis foret litatum, allegatur quoque contra me diſputatio quaedam Vltraiectina. *Qui Hobbeſii error Vltraiecti nuper publica diſputatione refutatus eſt.* Extat ea diſputatio ſubiuncta libello *Giſperti* Cocqvii, cui titulus: *Hobbes ἐλεγχόμενος*, *ſiue Vindiciae pro Lege*, *Imperio*, *& Religione*; editus *Vltraiecti anno 1668.* Ne taedeat, quaeſo, diſputationem illam penitius inſpicere. Illa igitur p. 12. proponit ſententiam *Becani*, *ſtatuentis actus quosdam*, *vt Deum colere*, *proximum diligere*, *parentes honorare*, *eſſe ex ſe & natura ſua bonos*, *eosque praecipi lege naturali*, *& contra*, *furtum*, *falſum iuramentum*, *homicidium &c. eſſe actus ex ſe & natura ſua malos*, *ac proinde lege naturali prohiberi.* Hanc ſententiam dicit *magis eſſe tolerandam*, quam quae Hobbesio traduntur *de Ciue cap. 14. artic. 9.* Sed mox ſequenti p. 14. addit: *Nec tamen Becani ſententia ſimpliciter probanda eſt. Quare vt intelligatur*, *quid in hac materia ſtatuendum ſit*, *notare iuuat*, *dupliciter tantum ſe habere poſſe actiones humanas*, 1. *in ſtatu poſſibilitatis*, *prout ſunt in potentia obiectiua*, 2. *in ſtatu actualis exſiſtentiae*, *prout ſcilicet ſubiectiue*, *vel potius effectiue ſunt a Petro vel Paulo. At vero neutro modo ſunt actiones per ſe & natura ſua bonae vel malae: non primo quidem; quia ne ſic quidem entia realia ſunt proprie*, *ſed tantum ex hypotheſi*, *& καταχρηστικῶς; eodem igitur modo neque bonae aut malae proprie dici poſſunt*, *non poſteriori modo, quia vt ſic plusquam manifeſtum eſt*, *habere eas*

ſuam bonitatem & malitiam moralem a lege; quoniam moralis earum bonitas in conformitate cum ea, malitia autem in difformitate ab ea formaliter conſiſtit. Non ergo hi actus, Deum colere, diligere proximum, parentes honorare, ſunt boni ex ſe & ſua natura; ſed fluit eorum bonitas, vt iam dixi, ex imperio & voluntate Dei, qui de regulandis his actionibus leges naturales menti creaturae rationalis impreſſit. Atque hactenus in theſi verum eſt, quod HOBBES *dicit* c. 12 art. 1. omnem actionem natura ſua eſſe adiaphoram. & quod actio aliqua iuſta vel in iuſta ſit, a iure imperantis prouenire. *Sed in hypotheſi hoc falſum eſt, nimirum ante leges ciuiles iuſtum & iniuſtum non extitiſſe.* Quem errorem Hobbeſii & ego confutaui *lib 8.* c. 1. §. 5 Locum quantumuis prolixiorem huc transtuli, non quod mea intereſſe putem, quid Cocquius Vltraiecti diſputet; ſed vt hoc ſpecimen manifeſtum exhiberem, aeque in aliorum ſcriptis, quam in meo libro Aſinium Tenebrionem caecutiiſſe. Etſi in eo Cocquius ille grauiter erret, quod actus illos, Deum colere, parentes honorare, putet in ſe indifferentes; cum illi non ſint nudi motus phyſici, ſed inuoluant reſpectum ad legem. Nam colere, honorare, ſunt tantum motus phyſici in ſe indifferentes; ſed dum obiectum additur, ſtatim ſimul inſinuatur actus lege praeceptus. Cum igitur diſputatio illa Vltraiectina contra Aſinium Tenebrionem faciat, neque vtut contra me eſſet, magnopere ego Cocquii auctoritate terrerer: non aliam cauſam diſpicere poſſum, quare ea heic iam ſit adducta, quam quod Cocquii vocabulum vetus ipſi gentilitium nomen Coquinorum e Gallia oriundorum perſpicua alluſione repraeſentat. Nam in Aſiniorum familiam adoptione tranſiit. Sub finem magnus ille vir ſolicitudinem ſuam pro ſalute reipublicae teſtatur. *Quantum mali,* inquit, *ex tam impiis nouitatibus in rempublicam redundare, incautaeque iuuentutis animos opinione citius corrumpere poſſit, norunt Theologi.* Atqui mi nimium caute Aſine, illas impias nouitates non liber meus continet; ſed tu iſtas ſomniaſti, & incautae iuuentutis animos inani terrore agitas, vt etiam in clariſſima luce ſpectra ſeſe cernere arbitrentur. Miror quoque, quare furcifer nunc aliquid intereſſe putet, quid ex dogmate aliquo mali in rempublicam redundare queat, cui in articulo 1. ethnica opinio videbatur, ciuitatem perſonare debere doctrinis cum fine & vſu ciuitatum congruentibus. Nec illud ſatis digero, quare Theologi potius, quam Politici melius intelligant, quae dogmata reipublicae noxia ſint. Niſi hoc fortaſſe dicere vis, Illuſtriſſimos viros, qui nomine S. Regiae Maieſtatis librum meum adprobarunt, minus perſpicaces fuiſſe, quam illos eruditiſſimos viros, qui Londini in Scania Indicem Nouitatum in eundem moliti ſunt, quorum triumphos inferius tangemus.

§. XX. ARTICVLVS XV. *Peccatum alienum exſequi, peccatum non eſſe,* p. 1028. 1029. non ſine maxima fraude ita indefinite proponitur, ac ſi in omni caſu cuilibet citra vllam conſiderationem liceret alteri miniſterium ſuum ad peccatum exſequendum exhibere. Cum tamen ſermo mihi ſit de peculiaribus tantum caſibus, ac quibus rigidiſſimae limitationes adduntur; puta, vt imperans ſe ſolum auctorem facinoris haberi velit, & alteri meram executionem iniungat; vt quis miniſterium, quantum poteſt, deprecetur; vtique eo praefracte denegato

gato grauiſſimum ſibi periculum vitae immineat. Neque vero habet Aſinius, quod contra ſolidiſſimas rationes opponat; niſi quod, ne nihil plane dixiſſe videatur, gannit. *Quemadmodum in plurimis aliis, ita & in hoc caſu, amplam fouet conſcientiam, & nouitatis cum piorum offenſione eſt ſtudioſiſſimus.* Sceleſtum caput! De conſcientia etiam aliquid mutire audes, qui edito famoſo libello, ſi quid ſcientiae, aut conſcientiae forte habueras, prodegiſti? Aut quinam ſunt illi pii, qui offenduntur? Credo vetus aliquis calumniarum inſtitor, qui compendioſam valde viam inuenit, quaeuis dogmata proſcribendi; *ſe ſe hoc propoſitione offendi, hoc ſibi nouum videri.* Ne tamen forte quis obiiciat, fruſtra eſſe quaeſtiones nulli futuras vſui anxie diſceptare; paucis monere lubet, quaeſtionem iſthanc tanti eſſe momenti, vt ni ea rite decidatur, conuulſio diſciplinae militaris, & obſequii ciuilis inde ſecutura ſit. Id quod vno & altero exemplo declarabimus Sine dubio peccatum eſt, bello alium ſine iuſta cauſa inuadere. Peccatum etiam eſt, cum commodiore via controuerſia componi poſſet, ad arma prouolare, tanto malorum prouentu exuberare ſolita. Denique & hoc peccatum eſt, fiducia ſuorum armorum alteri denegare, quae ipſi debentur. Heic ergo, ſi nullo caſu quis alienum peccatum citra ſuum peccatum exſequi poſſet, neceſſario ſequeretur, vel ſalua conſcientia nullum ciuem poſſe arma ferre, vel ciui obtentu ſuae conſcientiae licere operam militarem reipublicae denegare. Scilicet eſt non leuis diſquiſitio, num aliqua cauſa ſit iuſta, & ad mouendum bellum, quod infinitam poſt ſe malorum ſegetem trahit, ſufficiens. Longe altioris indaginis eſt illa diſceptatio, an heic & nunc reipublicae noſtrae neceſſaria & vtiliſſima ſit via, controuerſiam cum altero armis exſequi; quae etiam ſummos viros, & vſu rerum praeſtantiſſimos anxios ſolet habere. Circa tantae molis diſceptationes non poterit non maxima vulgi pars, tanta rerum momenta ponderare neſcia, grauiſſima dubitatione inuolui; & quia id, de quo dubitas, non eſt faciendum, obtentu conſcientiae omnem operam bello denegabit; caeteri ex timiditate aut taedio belli ſcrupulos fingent. Quam facile demum foret ciuibus ad militiam vocatis obtendere; ſe vereri, ne fiducia exercitus ſui rex abutatur ad iniuriam alteri inferendam; ſe nolle oblato ſuo miniſterio efficere, vt Rex animum peccandi concipiat: ſi nemo ciuis militare velit, neceſſario Regi quieſcendum, & ab iniuriis inferendis abſtinendum eſſe. Add. L. VIII c. I. §. 8. Hoc nouum Euangelium ſi quis ruſticis noſtratibus annunciare velit, maximam ſine dubio gratiam ab iisdem inibit, qui ad coelum vſque tam pium, tam anguſtae conſcientiae doctorem efferent, cuius concionibus nixi moleſtiam militiae plane ſubterfugere poſſint. Alio quoque exemplo oſtendemus, quid abſurdi ſecuturum ſit, noſtra theſi non admiſſa. Sine dubio peccatum eſt, innocentem in carcerem compingere. Nocens autem quis ſit, ante cauſae cognitionem ſciri nequit. Ex doctrina igitur Aſinii Tenebrionis, meae vtique theſi oppoſita, neceſſum erit, vt quando magiſtratus aliquem comprehendere vult, prius cum lictoribus in concilium eat, & ipſorum ſententiam exquirat, num ſufficiens ipſis cauſa videatur adeſſe ad iſtum hominem comprehendendum. Aſt vt de hoc ſolidi quid pronunciare queant, neceſſum fuerit, vt non ſolum prima iuris fundamenta delibauerint, ſed & vt

ipſam Iuſtiniani medullam exſorbuerint. Et quid aliquid relictum erit, quam vt deinceps ex ipſo ICtorum ordine lictores petantur? Cui fini aptiſſimus ſane erit, non tam prout quisque ſubtili legum peritia, aut inſigni docendi, diſputandique facultate prae caeteris fuerit inſtructus, quam prout proceritate corporis, virium vaſtitate, ac cum primis artis gladiatoriae dexteritate reliquos ſui ordinis eminuerit, vt ſi forte reſiſtere velit reus, manum cum ipſo conferere, aut ſi idem fugae ſe dederit, curſu ſuperare eundem queat. Quibus omnibus ſi accedat horrida ad terrorem incutiendum apta facies, perfectiſſimi inſtar lictoris inde reſultabit. Sic vt Aſinii Tenebrionis dogma non leue argumentum ad illuſtrandam Iurisconſulti in republ. neceſſitatem afferre poſſit. Addamus tertium exemplum, ſi forte priora nimis obſcura fuerint viſa, peccatum vtique maximum eſt, de innocente ſupplicium ſumere. Quod ſi igitur nemo poſſet vllo caſu meram alieni peccati executionem facere, non ſufficiet carnifici, ne conſcientiam nimis laxam videatur fouere, & piorum animos offendat, ſententiam a iudicibus pronunciatam audire. Sed quia iudicis iniquam ſententiam ex ignorantia iuris, aut per affectus pronunciare poſſunt, neceſſum plane fuerit, viros illos, quibus tam facile eſt hominem iugulare, quam vulpes pirum comeſt, in omnibus tribunalibus, vbi de rebus capitalibus agitatur, aſſeſſores facere, ſaltem ſupernumerarios aut honorarios, quo ipſi certo intelligant, ab initio ad finem cauſam rite fuiſſe diſceptatam. Ne autem velut κωφὰ πρόσωπα iſti hominum mactatores aſſideant, & inani tantum tituli ſonitu ſuperbi circumvolitent, non paulo plenius, quam lictores, Iuſtiniani medullas liguriiſſe debent. Sic tandem eo res redibit, vt aut carnifices debeant fieri Iureconſulti, aut Iureconſulti carnificum munus exercere. Quod dogma ſi in rempublicam introducendum ſit, gratulor ſane mihi de iudicio illius viri, qui ſub finem libelli famoſi allegatur, cuius auctoritate freto, inter philoſophos latitare licebit.

§. XXI. IAM ſeſe nouus iterum locus aperit *errorum circa liberum arbitrium*; vbi articulus Indicis XVI, ita habet: *In ipſa facultate apprehenſiua & in iudicio naturalem ineſſe rectitudinem, vel intellectum hominis naturaliter eſſe rectum*, p. 37. §. 3. p. 72. Si Aſinius Tenebrio integra excerpſiſſet verba mea, tuto poteram omni reſponſione heic ſuperſedere. Primo enim proteſtatus ſum, non eſſe mihi ſermonem de viribus intellectus circa res a peculiari diuina reuelatione dependentes, ſed de aliis viribus, quae ſufficere poſſunt actionibus legi naturali attemperandis, quantum fori humani vſus, & ratio vitae humanae iam fert. Heic aſſero intellectum hominis naturaliter, (id eſt, non accedente peculiari deprauatione & corruptione ex mala educatione & aſſuetudine.) eſſe rectum, id eſt, recte adprehendere poſſe, & iudicare, quid honeſtum, quid turpe ſit; neque tam facultatem adprehenſiuam, quam iudicium ita deprauatum eſſe, vt inuincibilis error aut ignorantia circa dictas actiones ſemper verſetur. Addo tamen, *debita adhibita attentione, & praemiſſa debita inquiſitione;* ne quis etiam circa haſce plenam perfectionem intellectui a me tribui arbitretur. In aliqua autem facultate ineſſe rectitudinem, cui tamen cultura etiam laborioſa ſit adhibenda, nihil repugnat. Caeterum intellectui humano tantum rectitudinis, quantum ad hunc finem ſufficit, etiam poſt lapſum eſſe tribuendum, manifeſtiſſime inde colligi-

tur;

tur; quod alias neceſſum foret, ethnicos contra legem naturalem ex ignorantia inuincibili peccaſſe, & ſic non potuiſſe illis aduerſus eandem admiſſa imputari. Quod non ſolum ſacris literis repugnat, vbi ſaepe numero ethnici propter eiusmodi peccata grauiter reprehenduntur; ſed etiam res ipſa loquitur, ethnicos vtique circa agenda & omittenda in plurimis rectiſſimas fouiſſe ſententias quas magno numero paſſim inuenire eſt. Atqui ſi naturalis in iſta facultate eſſet detorſio & obliquitas, non magis recte homines talia adprehendere & iudicare poſſent, quam per vitrum fractum aut diſtortum rectae rerum imagines videntur, aut per idem coloratum veri rerum colores adparent. Allegatur dictum ex *Articulis Schmalcaldicis loco de peccato*. Verum iſtud explicandum eſt ex *Apologia Auguſtanae Confeſſionis* p. 217. (qui locus etiam in margine citatur.) Vbi ita traditur: *Neque vero adimimus humanae voluntati libertatem. Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per ſe comprehendit. Poteſt aliquo modo efficere iuſtitiam ciuilem &c. Cum enim reliqua ſit in natura hominis ratio & iudicium de rebus ſenſui ſubiectis, reliquus eſt etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendae iuſtitiae ciuilis*. Redditur dein ratio additae reſtrictionis *aliquo modo*. *Quanquam tanta eſt vis concupiſcentiae, vt malis affectibus ſaepius obtemperent homines, quam* RECTO *iudicio, & diabolus, qui eſt efficax in impiis, non deſinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta*. Apparet igitur, ideo iuſtitiam ciuilem imperfectionis argui, quod praui affectus rectae rationi tam ſaepe & valide obluctentur, vt videant quidem homines meliora, probentque, deteriora ſequantur. Fatendum tamen eſt, Aſinio Tenebrioni conſtare rationem, quare recto iudicio intellectus tantopere infenſum ſeſe ferat. Nam ſi vel mica recti iudicii honeſtatiſque, qualis etiam in maxime barbaros homines cadit, in eo fuiſſet, nunquam ad eiusmodi Indicem Nouitatum compilandum animum adplicuiſſet.

§. XXII. SEQVENS articulus XVII. paris cum priori notae eſt. *Omnibus affectibus vel paſſionibus imperare hominem poſſe, ne in actionem erumpant verbis Carteſii, quae ſua facit, ſtatuit*, pag. 55. *Illud inſtituto noſtro &c.* Quousque ego homini imperium in affectus ſuos aſſeruerim, ſatis explico, L. VIII. c. 3. §. 14. nimirum ne erumpant in actionem aliquam, in quam poena fori humani ſolet conſtitui. Et ſane ſi omnium gentium leges euoluamus, nullibi reperietur illa delicta plane excuſari, quae ex violentia affectuum fuere patrata. Quod certiſſimo argumento eſt, omnes legiſlatores praeſupponere, penes hominem eſſe, affectus ſiſtere. Quanquam facile agnoſcamus, hunc laborem, hoc opus eſſe, & vti *Carteſius* quoque innuit, multum induſtriae adhibendum ad homines inſtituendos & dirigendos, quibus imperium in affectus ſuos eſſe debet. Non omnibus enim hanc Corinthum adiri, indicio eſt, quod mihi ſane noti ſint homines, non iuuenta feruidi, ſed prouecta aetate, magnoque ſapientiae & pietatis faſtu turgentes, ac in tali officio conſtituti, quo aliis exemplo moderationis praeire deberent: qui tam violentis agitantur affectibus, vt aetatem, & dignitatem, & munus ſuum ſaepe turpiſſime proſtituant; & non magis ſe amabiles, quam vrſos, aliasue mordaces belluas reddant.

§. XXIII.

§. XXIII. Nvnc in ipſa fundamenta noſtri libri inuadit Aſinius Tenebrio, Reatini, Arcadicique agri grandiſſima beſtia, & *Errores circa legem naturae* proponit; immemor tam fidelis moniti quod certis hominibus in praefatione libri mei occinebam; ne ſutor vltra crepidam. Eſt igitur articulus XVIII. *Genuinum, ſufficiens, & adaequatum principium cognoſcendi legem naturae eſſe ſocialitatem*, p. 181. §. 14. p. 183. §. 15. NB. p. 188. §. 9. Atqui hoc ipſum ita me demonſtraſſe arbitror, vt nemini cordato amplius ſuper ea re dubium ſupereſſe queat. Quod ſi autem aliquis ita ingenio polleat, vt ex ſola ratione inueſtigare poſſit aliud principium, quod omnes gentes, quamcunque habeant religionem, admittant, aut ad idem admittendum euidentia rationum adigi poſſint; illum & vehementer mirabor, & multum ab eo me didiciſſe profitebor. Neque vero erat, quare Phyſignathus tanto cum faſtu ſuum illud *quaſi vero*, crepare inciperet. *Quaſi vero*, inquit, *Paulus Rom.* I. *ex profeſſo iuris naturalis principia enumerans ignorauiſſet ac omiſiſſet principium maxime genuinum, manifeſtum, ſufficiens & adaequatum*. Quid audio? An igitur *ex profeſſo* Paulus iuris naturalis principia enumerat; & ex doctore gentium iam repente factus eſt doctor iuris gentium? O hebetes tot eruditos viros, qui principia eius diſciplinae tam clare ibidem expoſita perſpicere nondum potuerunt! Sed nimirum reſeruabatur inuenti huius gloria Aſinio Tenebrioni, abs cuius illuſtri ingenio eruditi propediem expectant nouum iuris naturalis Syſtema, ex ſolo *capite* I. *ad Romanos* deductum; quod ſine dubio reliquorum omnium, qui hactenus circa eam diſciplinam aliquid elaborarunt, luminibus obſtruet. Equidem dicto loco Apoſtolus oſtendit, gentiles inuiſibilem Dei maieſtatem ex contemplatione creaturarum ita clare potuiſſe colligere, vt facile iisdem fuerit animaduertere, indignum eſſe, Deum ſub imagine hominis, aut brutorum animantium coli, aut haec in Dei velut locum ſubſtitui. Inde Deum quoque ex iuſto iudicio eos tradidiſſe cupidinibus ſuis, vt infandis ſe flagitiis macularent. Hoc tu igitur principium ſolum aſſume, & ex eo omnia officia hominum inter ſe perſpicue deduc, & ita quidem, vt non ſolum ipſa praecepta, ſed & praeceptorum rationes liquido adpareant, & pro Tenebrione deinceps Lucifer mihi eris.

§. XXIV. Articvlvs XIX. eſt: *Legem naturae inſitum quendam vel connatum habitum eſſe negat.* Vti adparet, magnopere nobis ſudandum erit, vt oſtendamus, infantes non naſci Iureconſultos. Videamus primum verba noſtra: *Quam ad rem* (vt nempe ex lumine rationis leges naturales inueſtigentur,) *vix neceſſarium arbitramur praefracte contendere, animis hominum ab ipſa natiuitate congenita & velut impreſſa eſſe iuris naturalis ſaltem generalia praecepta, ad modum diſtinctarum & actualium propoſitionum, quae ſtatim atque vſus ſermonis acceſſit, citra vlteriorem informationem aut meditationem abs homine poſſint exprimi.* Heic adparet, theſin meam eſſe hanc: poſſe ex lumine rationis demonſtrari legem naturalem, etſi actuales & diſtinctae propoſitiones circa illam animis infantum ab ipſa natiuitate non inhaereant. Sic vt per me nemini ſit interdictum, quantum velit habituum connatorum credere. Quia tamen Aſinius Tenebrio pro imperio iubet me ſtatuere, quod ipſi aliquam calumniandi

di anſam praebere queat, age oſtendamus pecori iſti, non ita facile eſſe in infantibus aliquos habitus intellectuales aſſerere. Per habitum igitur legis naturae nihil aliud intelligi poteſt, quam ſyſtema aliquod propoſitionum, officia hominis exprimentium, animo infantis actu inhaerens. Illum quippe habitu verbi gratia Theologiae praeditum dicimus, in cuius animo haerent propoſitiones dogmata theologiae exprimentes. Aſt quomodo quis demonſtrauerit, in animo infantis haerere propoſitiones actuales? Omnis enim propoſitio conſtat nomine & verbo; affirmando vel negando inter ſe combinatis. Atqui infantes naſcentes neque nomina neque verba ſciunt, multo minus haec per affirmationem aut negationem coniungere norunt. Quod ſi autem quis peculiare genus imaginum in animis infantum fingere velit, quae agenda aut fugienda repraeſentent, non tamen ad modum propoſitionum nomine & verbo conſtantium; is optime ſeſe captui lectorum accommodabit, ſi id genus imaginum ſchemate aliquo repraeſentauerit. Et ſane manifeſtum eſt, quibus incrementis ſcientia infantum procedat. Primo enim omnium ex frequenti auditione addiſcunt nomina rerum, quae quotidie in oculos ipſorum incurrunt. Inde progreſſus fit ad verba, communiſſimas actiones exprimentia, ſed quae primo in infinitiuo modo, tanquam ſimpliciſſimo, efferuntur. Dein paulatim nomina, & verba infinitiui modi combinantur. Inflexiones verbi & nominis, aliaeque particulae pedetentim addiſcuntur. Ac talibus incrementis etiam imagines rerum, quae per propoſitiones exprimuntur, procedere videntur. Cum porro praecepta legis naturalis ſint, verbi gratia homicidium non eſt patrandum, non moechandum, non furandum, non mentiendum; ſcire velim, quomodo in animo infantis exiſtere poſſint imagines homicidii, furti, falſi teſtimonii; quae etiam a maiuſculis demum pueris intelliguntur. Neque vero ſatis hiſce difficultatibus ſeſe extricare videntur, qui habitus iſtos connatos *imperfectos* iactant. Arbitror enim tanta eosdem imperfectione laborare, qua laborant propoſitiones, in quibus neque nomen, neque verbum, neque copula adparet. Quin ergo ſatius fuerit, minus monſtroſe philoſophari, & iuxta receptam plurimorum veterum & recentiorum ſententiam ſtatuere; intellectum hominis naſcentis eſſe tabulae nudae ſimilem, cui quiduis poſſit inſcribi; ſeu habere natiuam facultatem recipiendi & retinendi imagines, quae per ſenſus ſeſe inſinuant; ex quarum tamen collatione inter ſe idem aptus ſit nouas quaſdam imagines formare, & quam ope ſenſuum recepit cognitionem in ſe ipſo multiplicare. Caeterum habituum connatorum aſſertores patet velut arcem cauſae ſuae collocaſſe in phraſi illa *Roman.* II, 15. *inſcriptum eſſe cordibus.* Sed cum illa phraſis ſine dubio ſit metaphorica, ex aliis S. Scripturae locis caeterarumque linguarum vſu videndum, quid eadem ſignificet. Vid. 2. *Corinth.* III. 3 *Prouerb.* III, 3. VII, 3. *Ierem.* XXXI, 33 conf. XXIV, 7. Hebr. VIII. 10 X, 16. *Ierem.* XVII, 1. *Æſchylus Prometheo vincto:* Σοὶ πολύδονον πλάνην φράσω ἣν ἐγγράφε σὺ μνήμοσι δέλτοις φρενῶν. *Tibi ediſſeram multiplicem errorem, tu inſcribas tabulis firmis mentis.* Quibus omnibus probe perpenſis hic demum dicti loci ad Rom. II. ſenſus emergit: Legis naturalis cognitionem ex dictamine rationis hauſtam ita firmiter animis gentilium impreſſam, eosdemque tam euidenter de eius certitudine fuiſſe

conuictos, vt nunquam eandem excutere potuerint, ſi vel maxime ad ſopiendas conſcientiae vellicationes illas plane animo eiicere conati eſſent. Igitur a me quidem dictum illud nequaquam *in falſam ſententiam detorquetur*, vti Aſinius Tenebrio mentitur; ſed genuino ſuo ſenſui vindicatur. Neque obſtat, quod fortaſſe Sociniani iſtis habitibus connatis parum detulerint. Nam & hoc ipſum faciunt multi ex Theologis & Philoſophis orthodoxae religioni addictis. Et quid aliud inſinuat Scriptura ſacra, quando infantes negat diſcernere poſſe inter bonum & malum, *Eſaiae* VII 15 16. inter dextrum & ſiniſtrum *Ionae* V, 4. *vlt*.

§. XXV. Etſi articulo XX in ſuperioribus ſatisfactum fuit; tamen, quia ita vult Aſinius Tenebrio propter eandem crambem bis adpoſitam; bis quoque vapulabit. *Eſſentialem Dei iuſtitiam prototypum iuris naturalis eſſe negat*, p 163. & 164. Si aures pauliſper vis immobiles tenere, experimentum capiam, an forte aliquid humani ſenſus ſub iſta pelle deliteſcat. Quod alicuius prototypi ἐκλύπωμα vocari poteſt, non ſolum omnes eius partes, & veram ſimilitudinem repraeſentare; ſed & reuera ad eundem expreſſum eſſe debet, non autem per accidens tantum cum eo conuenire; vtut de caetero prototypus nobilior aut amplior ſit, quam ἐπτύπωμα. Hoc poſito, dico, *difficile probatu* fore, legem naturalem eſſe ἐκτύπωμα iuſtitiae Dei eſſentialis, id eſt, praecepta legis naturalis, queis officia hominum inter ſe praeſcribuntur, expreſſa eſſe ex iuſtitia Dei eſſentiali, omneſque eius partes accurate repraeſentare. Iuſtitiam vocamus illud Dei attributum, iuxta quod promiſſa ſua firmiter ſeruat, ac munere ſupremi iudicis, legumque ſuarum velut aſſertoris incorrupte fungitur. Ea iuſtitia eſſentialis dicitur, quia ut ita agat, non lege aliqua a ſuperiore iniuncta compellitur, neque diſciplina ad id aſſuefactus eſt; ſed quia perfectio eſſentiae diuinae non alium heic agendi modum fert; quippe cum diuerſo modo velle & poſſe agere cum imperfectione ſit coniunctum. Atqui praeterquam homini officium ſuum a ſuperiore ſit iniunctum, ſane iuſtitia humana longe pluribus partibus abſoluitur, quam ſola promiſſorum expletione, & incorrupta iurisdictione. Accedit, quod iuſtitia diuina exerceatur a ſupremo domino in creaturas; iuſtitia autem humana ab iis, qui natura inter ſe ſunt aequales Vnde patet, quanta abſurditate ſe ſe inuoluant, qui noſtram ſententiam oppugnatum eunt; quippe quibus hoc aſſerendum eſt: Iuſtitiam Dei, & iuſtitiam hominibus inter ſe exercendam ſibi quoad omnes partes inuicem reſpondere, Deoque eadem, quae hominibus officia incumbere. Addidi praeterea dicto loco, non videri mihi firmam hanc conſequentiam: homo eſt creatus ad imaginem Dei; ergo iuſtitia hominibus inuicem exercenda eſt expreſſa ad iuſtitiam Dei eſſentialem tanquam ad prototypum. Rationem ſubnecto; quia imago Dei per lapſum amiſſa eſt, lex autem naturalis & eius ſenſus atque cognitio in hominibus adhuc ſupereſt. Hiſce argumentis, an ego *iuſtitiam Dei cum eius imagine, vel eo, quod ei conforme eſt, confuderim*, vti Aſinius Tenebrio nugatur, eruditi iudicent. Gannit inſuper, *hunc errorem etiam legi in Elementis iuris vniuerſi, eſſeque grauiſſimum*, *quippe quo fides Chriſtiana de imagine Dei ex ipſo fundamento euertitur.* Id priusquam Aſinius ex doctrina mea exſculpſerit, proban-

dum

dum ipſi eſt, ad hoc, vt homo ad imaginem Dei conditus dici queat, requiri, vt homini Deus per omnia ſit ſimilis, vt omnia attributa Dei in homine ſint expreſſa, vt denique Deus iisdem quibus homo officiis obſtrictus teneatur. Carpit porro, quod ſcripſeram; *imaginem Dei amiſſam, cum tamen ſenſus legis naturalis remanſerit.* Gratis a me hoc addi dicit: *Quandoquidem ita ſimpliciter amiſſam eſſe imaginem Dei non credimus, vt nullae eius ſuperſint reliquiae, quae nunc lex naturae ſunt. Neque praeterea valet conſequentia haec, Imago eſſentialis Dei iuſtitiae eſt amiſſa. Ergo lex naturae non poteſt eſſe* ἐκτύπωμα *Dei iuſtitia. Nam ſimpliciter illam quoad ſpiritualia amiſſam eſſe credimus, nihilominus tamen ſpiritualia illa, quibus ad imaginem Dei renouamur,* ἐκτύπωμα *eſſentialis Dei ſapientiae, iuſtitiae & ſanctitatis ſunt.* Heic non pauca ſunt, quae fuſtem merentur. Inepte dicitur; lex naturae eſt pars imaginis diuinae. Si enim vtique imago Dei ad legem etiam naturae pertinet, ita dicendum fuerat, liquida & perfecta cognitio legis naturalis erat pars imaginis Dei. Sicuti corpus Iuris non eſt pars Iuris conſulti, ſed Doctore ad cathedram ambulante famulus illud pone ſequens ſub brachio geſtat. Deinde liquido probandum eſt, imagine Dei amiſſa reuera aliquas eius particulas remanſiſſe, & quaenam ſint illae particulae, & quod inter illas particulas fuerit ſenſus & cognitio legis naturalis. Denique demonſtret Aſinius Tenebrio, quod quaeuis imago, quaeuis ſimilitudo, etiam inadaequata & imperfecta, ſit ἐκτύπωμα, quale ſupra deſcripſimus, ex amuſſim prototypo reſpondens; ſeu quod homines per regenerationem & renouationem fiant ἐκτυπώματα ſeu imagines adaequatae & expreſſae ex ſapientia, iuſtitia & ſanctitate Dei, id eſt, homines fide Chriſti imputata iuſtificatos, & paululum quid in diuinis vel vt per ſpeculum in aenigmate cernentes, & mores ſuos vtcunque emendare conantes, eſſe ἐκτυπώματα ſeu imagines ſapientiam, iuſtitiam & ſanctitatem Dei vndiquaque repraeſentantes. Quae dogmata an Eccleſiae orthodoxae probentur, mihi nondum conſtat.

§. XXVI. Articvlvs XXI. eſt: *Negat legem naturae eſſe aeternam,* p. 25. §. 6. *Et ſane,* p. 28. *Ex quibus apparet.* Circa aeternitatem legis naturalis res paucis expediri poteſt. Qui primi legem naturae aeternam dixere, eidem oppoſuerunt legum ciuilium recentem originem ac mutabilitatem, quaſi diceres, lex naturalis non a Solone, aut Minoe coepit, ſed ipſis ciuitatibus antiquior & generi humano coaeua eſt. Nec ea mutationibus eſt obnoxia, ſicut leges ciuiles, quae ob mutatam reipublicae vtilitatem, aut ex libidine imperantium rogantur, aut abrogantur: ſed vna & eadem perpetuo durat, quousque genus humanum ſupererit. Hanc aeternitatem & nos legi naturali tribuimus, p. 28. Vt autem lex naturae Deo coaeterna ſtatuatur, id mihi neceſſarium non videtur. Cum enim illa Deum non ſpectet, vti ſupra oſtendimus, ſed humano generi diuinitus data ſit: quid opus eſt, fingere iſtam legem actu extitiſſe, antequam homines, quibus ferretur, exiſterent. Quod ſi autem quis cauillari velit, eius legis ideam ab aeterno in praeſcientia Dei fuiſſe, ille hoc modo legi naturae nihil peculiare prae caeteris rebus tribuit.

Digitized by Google

§. XXVII. Articvlvs XXII. verbo poteſt expediri. *Entia moralia*, (*adeoque etiam leges naturae*) *mutabilia eſſe docet*, p. 19. §. 23. Nuſpiam enim leges a me inter entia moralia referri ſupra dictum eſt. Et immutabilitas legis naturalis a me ſatis adſtructa eſt p. 163. §. 5. Sed huic articulo additum epiphonema miram quandam affectuum prae ſe fert mixturam, dum primo quidem turgidum liuore pectus pro more in calumniam deſpumat; mox ſublimiori & velut prophetico ſpiritu inflatur, & incipit loqui ore non ſuo. *Haec noua*, inquit, *plus veneni*, *quam commodi iuuenibus afferunt*. Atqui in meo libro venenum non inuenit Aſinius, ſed peſtilentiſſimo ſuo pectore depromtum intulit, dum circa res, quas ſtupor ipſius non capiebat, ſtolida ſibi ſomnia finxit. Miror quoque, cur tantam vbique oſtentet iuuentutis ſolicitudinem. Mitte quaeſo hanc de pectore curam. Nam pro ſpeciminibus, quae tu edidiſti, ne bubulcus quidem filium ſuum tuae diſciplinae eſt commiſſurus. Caeterum repente in aliam ſe formam mutat turgida mens, & os ſacrum in oracula ſoluere incipit Vbi tamen illud minus ex decoro, quod lectorem citra praeparationem, & ita incompoſitum ad iſta myſteria admiſiſti. Exclamandum prius fuerat: procul o procul eſte profani; aut quod magis pietatem tuam decebat, ſurſum corda! aut Dominus vobiſcum. *Beati*, inquit ſanctiſſimus vir, *qui ſimplici via ius naturae & decalogum tractant*, *& entia moralia*, *eorumque mutabilitatem Puſendorſio ſoli voluenda ac reuoluenda relinquunt!* Eat nunc aliquis & hiſce temporibus vates, ſomnia atque miracula deeſſe queratur. Heic enim, ni fallor, oraculum adparet Dauidico compar, aut ſublimius Beatus qui non ambulauit in conſilio impiorum, obſoletum prope iam eſt. Heic nouus ſeſe pandit μακαρισμὸς, & auguſtior quaedam via ad perfectionem Euangelicam emergendi. Et quia protrita iamdudum ſunt illa conſilia Euangelica, ex quibus veterum ambitioſa pietas noua ſibi vitae genera comminiſcebatur; igitur iam vt adparet, auſpice Aſinio Tenebrione (quod felix fauſtumque ſit,) ſuper iſthoc oraculo fundandus erit nouus ordo Equitum ſanctae ſimplicitatis, qui praeter tria vſitata vota Ruditatis, Stultitiae & Inuidiae, hoc quarto loco velut ſummam perfectionem daturum emittant, inexpiabili bello entia moralia, (ſicuti equites Melitenſes infideles) perſequi, & non niſi ſimplici via ius naturae & decalogum tractare. Et ſane videtur hic ordo breui tempore futurus numeroſiſſimus, quo minus laboris eſt, non in naturae ſolum iure, ſed in omni ſcientiarum genere rudem, & plus quam ſimplicem deprehendi. Quia tamen hocce tempore plerorumque Principum & priuatorum liberalitas in pias cauſas refrixit, valde metuendum, ne nouus iſte ordo patrimonio fruatur ſatis tenui, ſic vt plerique ſine ſtipendio & tanquam honorarii militare cogantur. Saltem plerique donationes ſuas videntur ſuſpenſuri, quouſque conſtiterit, quem euentum prima Aſinii Tenebrionis in entia moralia expeditio ſortita fuerit, in qua niſi aliquot millia eorundem trucidauerit, aut ad remum dederit, parum gloriae nouo ſuo ordini erit circumpoſiturus. Interea dum Equitum S. ſimplicitatis inſignia, (& quae alia, quam crux nigra in campo griſeo, quam notam aſinis natura impreſſit) habitus & leges publicantur, & quoad de ſucceſſu nouae huius militiae liquidius conſtiterit, licebit mihi in Aſinium Tenebrionem μακαρισμὸν

καϑαρμὸν illum retorquere, haut paulo verius: *Beati, qui non ſcribunt Indices Nouitatum, quia non confundetur facies eorum in conſpectu omnis populi.*

§. XXVIII. In articulo XXIII. ſingulari ſtudio eruditionem ſuam oſtentare conatur Aſinius Tenebrio. *Principium eſſendi*, inquit, *vel fundamentum legis naturae non naturam hominis ponit, quatenus integra & incorrupta ad imaginem iuſtitiae & ſanctitatis Dei eſſentialis velut prototypi creata erat, (quod recte qui ſentiunt cum Maeuii Prodromo ſecundum Scripturas & Formulam Concordiae de tertio vſu legis, theſi* 1. *Etenim ne primi &c. faciunt) ſed legis naturae fundamentum, quatenus a Creatore ſocialis facta eſt, adeoque ipſam ſocialitatem cum duce ſuo* HOBBESIO *Haeretico ponit eſſe, idque ſtatim in praefat. fol vlt. Caeterum id quoque monere viſum, ibidem: quid porro planius eſt, quam hoc &c. Adde p. 167. Sic quod &c* Heic moneo, me nuſpiam in iſta materia terminum illum, *principium eſſendi* adhibuiſſe, & cum non niſi ineptiſſime idem heic adplicari queat, me nolle quid cum ipſo habere negotii. Deinde ego nuſpiam ſocialitatem oppoſui naturae humanae, prout a Deo integra fuit creata. Quis enim dubitauerit, quin homines in ſtatu quoque integritatis perſiſtentes futuri fuerint ſociabiles. Ergo opponit Aſinius, quae non erant opponenda, ſeu vt magis ad captum tanti Philoſophi loquar, committit elenchum oppoſitorum. Quare autem a ſtatu integritatis abſtraxerim, & conſiderauerim hominem prout nunc eſt, non attendendo an primitus aliter ſe habuerit; rationem attuli ſatis grauem quia propoſitum mihi fuit hanc diſciplinam ita generaliter tractare, vt & eadem ad captum ethnicorum foret. Qui vtique ſtatum integritatis ignorant, quem ex ſolis diuinis ſcripturis licet addiſcere. Socialitatem autem omnes agnoſcunt, aut ad eandem agnoſcendam euidentibus argumentis adigi poſſunt. Diſplicet haec ratio Aſinio Tenebrioni, vt tantopere ſibi adamatam *quaſi vero* eructandi iterum habeat occaſionem. *Ratio ipſius eſt*, inquit, *quod noſtrum Orthodoxorum illud fundamentum illi tantum ex Chriſtianis admittunt, qui peccatum Originis agnoſcunt, non autem vniuerſum mortalium genus. Quaſi vero ab ignorantia illius fundamenti ad negationem eius deſcendendum ſit; praeſertim cum iſta ſit ignorantia non facti, ſed iuris vniuerſalisſimi, quod ſcire omnes & debent, & poſſunt, ſecundum illud Apoſtoli Roman.* X. v. 16. 18. *Multi qui Euangelio inobedientes ſunt. Ego vero dico annon audiuerunt, &c.* Heic primo quaerere lubet, quo in concilio, aut quo Symbolo definitum ſit, quod omnes orthodoxi circa deducendam diſciplinam iuris naturalis, etiam ethnicis accommodatam, debeant fundamenti loco ſubſternere; hominis naturam ab initio integram fuiſſe creatam? Sed nec video, quare HOBBESIVS, ſi nullo alio errore tenetur, hoc tantum nomine Haereticus audire debeat, quod fundamentum legis naturalis ſocialitatem conſtituit. Niſi ſi ea Aſinio Tenebrioni in ſocialitatem odiorum cauſa eſt, quod ipſe reuera animal inſociabile videatur, omnibus vitiis ſcatens, quae ſocietatem perturbare apta ſunt, vera Alectus ſoboles, paci infeſta, turbis mouendis vnice occupata. Deinde non impugno ego illud Aſinio dictum *noſtrum orthodoxorum fundamentum*; ſed tantum dico illud non idoneum eſſe attemperaturo ſe enim ethnicis; quia niſi principia vtrinque confeſſa

Digitized by Google

conſtituantur, fruſtra omnis diſceptatio ſumitur. *Atqui ethnici debebant ſcire hoc Principium & poterant; adeoque verſantur in ignorantia non facti, ſed iuris vniuerſalisſimi.* Quid audio? Hactenus credideram Aſinium Tenebrionem nil niſi Theologaſtrum eſſe, & quidem vti iſthoc ſpecimine oſtendit, ab ortu in iſtius ordinis opprobrium & dedecus eliſum. Nunc etiam video eum in titulo de ignorantia iuris & facti non mediocriter verſatum; niſi forte cum aliquo ICto ſocietatem coiuerit, quo ſuggerente haec myſteria hauſit. Enimuero mi Aſini, ſit ignorantia iuris, ſit facti, quod ethnici ſtatum primaeuae integritatis ignorant; non eo minus tamen nihil aget, qui antequam ipſi diuinas literas agnouerint, ex hoc fundamento officia hominis apud eosdem deducere aggrediatur. Addit denique: *Quanquam fundamentum illud noſtrum materialiter etiam gentes ex parte admittunt, quando principia connata, quae nihil aliud ſunt, quam reliquiae imaginis diuinae, nobiſcum agnoſcunt.* Aſt ego te cum materiali & partiali tua admiſſione in malam rem abire iubeo; ita non materialiter & ex parte, ſed formaliter & in totum rudiſſimum iuxta & ad vitiligandum proiectiſſimum monſtrum es.

§. XXIX. In articulo XXIV. ſolicitus eſſe videtur Aſinius Tenebrio, ne forte aliquando pro meritis ſuis poenae loco duas domum ducere ſimul vxores cogatur. *Plures vxores quam vnam*, inquit, *domum duxiſſe contra ius naturae (vel decalogum) non eſſe implicite docet p.776. §. 16. vbi dicit 2 Sam.* XII. *v. 8. Deum Dauidi tanquam inſigne beneficium imputaſſe, quod ei complures vxores dederit. Nam ſingulare Dei beneficium ſi fuit aliquando polygamia, nunquam contra ius naturae, quod aeternum & immutabile eſt, eſſe poterit, add. pag.778. §.17. p.782. §. 19.* Heic repono, me a pag.776. ad 782. §. 16.17.18. tantum referre, quae ab aliis in vtramque partem diſceptantur. Sed p. 782. §.19. quid mihi ſuper polygamia videatur, explicare. Quod eo redit, etſi ex adductis contra polygamiam argumentis liquido & citra omne dubium colligi nondum a me potuerit, eandem directe legi naturali repugnare; ſicuti caedes, adulterium, furtum, calumnia, confectio Indicis nouitatum, & alia eidem repugnant: id tamen etiam ex ſola ratione perſpici, *optimum & maxime decorum, ſimulque ad quietem domeſticam accommodatiſſimum eſſe, vnum vna viuere contentum; adeoque hoc matrimonii genus ſine dubio perfectiſſimum habendum.* Quid amplius poſtulas ab eo, qui diſciplinam iuris naturae non aliter tractat, quam quatenus ratio ſola iam pertingere poteſt? Intende ergo tu neruos tui ingenii, quod ſentio, quam ſit exiguum, agita aures tuas, & tenta, num tua ratione vlterius poſſis progredi. Attingo praeterea ſub finem dicti loci rationes politicas contra polygamiam tam prauas, vt licet illa omnibus diuinis legibus abſolute & ſemper fuiſſet permiſſa; tamen legibus ciuilibus tanquam pleriſque ciuitatibus exitioſa proſcribi debeat. Caeterum illud circa hanc quaeſtionem de polygamia cordati facile vident, poſtquam animaduerſum eſt, multos ex ſacerdotibus ad eandem tantopere commoueri, non paucos in priuatis ſermonibus paulo liberius heic philoſophari coepiſſe, vt iſtis hominibus aegre faciant. Nam quod foeminae ad hanc quaeſtionem ſtatim incaleſcant, id inde eſt, quod nunquam digerere queant illud Heſiodeum: Dimidium plus toto. Aſt profecto vti aliquos

quos nonnullam divortiorum licentiam ſerio optare non abnuerim; ita pauciſſimos ex Chriſtianis dari crediderim, qui duas pluresue iuſtas habere ſimul vxores cupiant. Et valde ſimplex eſt, cui perſuaderi poteſt, vllum eſſe principem Chriſtianum, qui polygamiam in rempublicam introducere velit, aut ſerio velle poſſit. Sicuti nec capio, quod per licentiam potiſſimum polygamiae, vti aliqui arbitrantur, atheiſmus aditum ſibi ſternere moliatur. Nam ad mendicitatem ea quidem certiſſima via eſt; & ſi ad excitandam pietatem aliquid calamitates domeſticae faciunt, longe maximum videtur pietas incrementa ſumptura per introductam polygamiam, dum miſeri mariti in remedium tantorum malorum beatam analyſin ardentiſſimis precibus indeſinenter ſunt optaturi. Quod autem attinet Elementa Iurisprudentiae vniuerſalis circa hanc quaeſtionem, eorum patrocinium commendabo celeberrimo Theologo D. *Iohan. Adamo Oſiandro*, qui in *Obſeruat. ad Grot.* p. 748 eandem propugnat ſententiam. In quem itidem Indicem Nouitatum adornare licebit Aſinio Tenebrioni, ſi nondum heic ſatis vapulat.

§ XXX. SEQVVNTVR iam *errores circa Decalogum*, ex quibus miror quare peculiarem voluerit locum formare Aſinius Tenebrio, cum tamen ipſi ius naturae cum decalogo idem videatur. Sub iſto loco articulus XXV. Indicis eſt *Deum praecepta, prout duabus tabulis inſculpta, & per Moſen populo Iſraëlitico promulgata fuerunt, ciuiles (vel forenſes) leges eiusdem populi fuiſſe*, p 1015. §. 4. Heic ſatis adparet, Aſinium Tenebrionem non legiſſe, aut percepiſſe eius capitis §. 1. p. 1018. vbi *lex ciuilis dici* traditur duplici modo, *vel reſpectu auctoritatis, vel reſpectu originis. Priori ſenſu ciuiles leges vocari poſſunt omnes leges, iuxta quas in foro ciuili ius dicitur, ex quacunque demum origine promanent.* In §. 4. autem dicti capitis proponitur & reiicitur ſententia HOBBESII, qui ideo praecepta decalogi ciuilia, non naturalia vocat, quod ante ciuitates nihil proprium, nihil alienum, nullum matrimonium, & quidlibet in quemlibet fuerit licitum. Haec inquam HOBBESII ſententia a me refellitur. Addo autem alio ſenſu praecepta decalogi leges ciuiles poſſe vocari; nempe *reſpectu auctoritatis*, quam in republica Iſraëlitica obtinuerunt, dum iuxta iſtas in foro eius populi ius dictum fuit, eaedemque ſanctionibus poenalibus, in foro eius populi valituris, fuerunt munitae. Quod nemo ignorat, qui pentateuchum inſpexit. Poterat autem facile animaduertere Aſinius Tenebrio, leges *ciuiles* & *forenſes* mihi non eſſe vnum & idem: adeoque me non attendere heic diuiſionem legis, Theologis vſitatam, qua illam intuitu materiae diuidunt in moralem, ceremonialem & forenſem. Debuiſſet igitur prius diſcere Aſinius quid a me lex ciuilis vocaretur, antequam rudere inciperet. Nam quantam calumniandi rabiem hoc arguit, quod in eo ipſo loco *in tantum ſequi me* Hobbeſium addit, *a quo tamen perraro diſcedere ſoleo*. Quid ais carnificis victima? Ego perraro ab Hobbeſio diſcedo? Oſtende ergo aliquem, qui errores Hobbeſii in politicis, (nam Theologiam, quam iſte ſibi finxit, aliorum eſt deſtruere) magis ex fundamento euerterit, quam ego in libro meo feci. Nam ex illis qui ita in vniuerſum eundem damnauerunt, plerique eius mentem non ſunt aſſecuti; aliqui eum, quem damnant, ne quidem legerunt. Sicuti conſtat,

ſtat, vnum ex illis non imi ſubſellii, qui negotium mihi heic faceſſiuerunt, cum primum de Hobbeſianiſino mihi impingendo inter ſocios agitaretur, tunc prima vice Hobbeſii nomen audiuiſſe, & eius librum de Ciue velut nouum ex Africa monſtrum adſpexiſſe.

§. XXXI. Articvlvs XXVI. eſt: *Nudam illam & vniuerſalem cognationem, quae ex ſimilitudine naturae reſultat, cauſam & fundamentum eſſe propter quam homo hominem diligit*, p. 6. §. 7. *In ordine autem*, p. 187. §. 18. *Nam reuera.* Quod attinet priorem locum, p. 6. §. 7. ibi verba noſtra haec ſunt. *In ordine ad alios homines conſideratus naturalis ſtatus ille dicitur, prout intelliguntur homines ſeſe inuicem habere ex nuda illa & vniuerſali cognatione, quae ex ſimilitudine naturae reſultat, ante factum aliquod aut pactum humanum, quo peculiariter vnus alteri redditus fuerit obnoxius*, id eſt, Illi homines in ſtatu naturali inuicem viuere dicuntur, qui nullo alio vinculo praeter communem illam cognationem iuncti ſunt. Quid hoc ad fundamentum dilectionis, Aſini Tenebrio? In altero autem loco p. 187. haec verba extant: *Nam reuera ad communem iſtum amorem nulla alia requiritur ratio, quam quod quis homo ſit. Natura quippe ob cauſas ſupra dictas* (p. 183. §. 15.) *reuera generalem aliquam amicitiam inter omnes homines conſtituit.* Vbi ſane patet, rationem illam communis dilectionis, *quod quis homo ſit*, plura complecti, praeter nudam illam naturae ſimilitudinem. Et ſi vel maxime ſolam naturae ſimilitudinem cauſam communis dilectionis ſtatueremus, quid abſurdi inde ſequeretur? Annon Adamus cauſam dilectionis erga Euam allegabat, quod eſſet caro de carne, & os de oſſibus ipſius? Nam quod additur, (*ita vero ſentit contra illud Geneſ. IX, 6. vbi imago Dei fundamentum mutuae charitatis eſſe ponitur*) ad hoc regero; ſoli rationi, ex qua ego hanc diſciplinam deduco, ignotam eſſe doctrinam de imagine Dei, quae articulum Theologiae Chriſtianae conſtituit. Deinde dicto loco, *Geneſ.* 9. non dicitur, cauſam dilectionis eſſe, quod homo ſit conditus ad imaginem Dei; ſed hoc eſſe cauſam abſtinentiae a caede humana. Quae duo non ſunt idem, nec ex ſe neceſſario conſequuntur. Non, inquam, neceſſario ſequitur; quae cauſa eſt, quare ego hominem non debeam occidere, eadem etiam cauſa eſt, quare ego hominem debeam diligere.

§. XXXII. Articvlvs XXVII. eſt: *Dictum Saluatoris, quo iubemur proximum noſtrum diligere ſicut nos ipſos, explicandum eſſe non tam de gradu dilectionis, quam eiuſdem ſinceritate*, p. 226. Ad hoc reſpondeo; diſputari a me dicto loco, defenſionis licentiae non poſſe opponi notiſſimam ſententiam Saluatoris. Nam certe, ſi illa eouſque valeret, vt in pari caſu periculi ego potius, quam alter perire debeat, vtique iuberemur proximum magis diligere, quam noſmetipſos. Ac generale eſt illud Saluatoris effatum, ex quo peti non poteſt deciſio caſus alicuius particularis, ſingularibus circumſtantiis veſtiti; quid nempe faciendum, ſi ego meipſum & alterum ſimul diligere nequeam. Nam caeteris paribus proximum cedere nobis ipſis expreſſe traditur 2 *Corinth.* VIII, 13. Quid ergo aliud inde ſequitur, quam quod in illis caſibus, vbi meipſum recte praeferre aliis poſſum, *τὸ ſicut teipſum* de gradu dilectionis intelligi nequeat; adeoque

Digitized by Google

adeoque illud *ſicut* in genere de dilectionis ſinceritate interpretandum; ſed quid in colliſione ſalutis noſtrae cum aliis ſit faciendum, ex aliis fundamentis deducendum. Nam vti caſus dantur, vbi ego meipſum recte praefero aliis; ita vice verſa caſus dantur, vbi mea incolumitas aliis poſtponi debeat. Hos caſus tam diuerſos quomodo quis ex ſolo illo dicto deduxerit; diliges proximum tuum ſicut teipſum? Add. OSIANDER ad Grotium, p. 615.

§. XXXIII. ARTICVLVS XXVIII. eſt: *Neminem ſibi ipſi obligatum eſſe, niſi reſpectu ſocialitatis, quo reſpectu etiam homo Dei ſeruus eſt, p. 86. & Praefat. fol. vlt. fac. 1. dantur ſane.* Heic patet Aſinium Tenebrionem pro more ſuo affingere mihi theſin, quae mea non eſt. Haec enim ſunt verba mea, dicta p. 86. *Hactenus homo ſeipſum conſeruare tenetur quatenus Dei ſeruus, & ſocietatis humanae pars eſt, cui ſeſe vtilem iuſſu Dei praeſtare debet.* Quae verba ab Indice multum diſcrepant. Neque *in praefatione* haec theſis extat; homo reſpectu ſocialitatis ſeruus Dei eſt. Sed hoc tantum dicitur: *Cum religio, quatenus ad diſciplinam iuris naturalis pertinet, intra ſphaeram huius vitae terminetur; eo quoque intuitu ad ſocialitatem referri poteſt, quatenus illa ſocietatibus hominum efficaciſſimum vinculum praebet.* Quae aſſertio nequaquam repugnat illi theſi, quod cauſa obſequii, Deo ab homine debiti, ſit creatio, & alia beneficia, quae a Deo in hominem conferuntur. Caeterum illud obiter obſeruandum, dum in hoc & quibusdam aliis articulis Aſinius Tenebrio nihil cauſae allegat, quare aſſertionem meam reiiciat; non obſcure ipſum hoc ſibi auctoritatis arrogare, quaſi quod ipſe non capit, aut quod etiam abſque ratione ei diſplicet, aut quod in obſoletis ſuis compendiis non reperit, citra vlteriorem inquiſitionem damnari debeat. An tanta auctoritas Aſinio Tenebrioni ſit tribuenda, ſi nullum aliud praeter hunc Indicem Nouitatum ſpecimen ediderit, vehementer dubito.

§. XXXIV. ARTICVLVS XXIX. eſt: *Nullam eſſe morum honeſtatem & innocentiam vbique & extra ſocietatem ſeruandam, ſeu citra reflexionem ad alios homines in praefat. fol. vlt. fac. 1.* Eſt vir conſtans Aſinius Tenebrio; ad finem vſque Indicis retinet morem meas theſes detorquendi. Nam nuſpiam a me dicitur: nullam morum honeſtatem vbique & extra ſocietatem eſſe ſeruandam. Sed ita dico: *Quaenam ſit illa morum honeſtas & innocentia, vbique & extra ſocietatem ſeruanda, ſeu citra reflexionem ad alios homines, nondum diſpicere potui.* Si ergo quid voluiſſet agere, debebat exemplum eiuſmodi morum honeſtatis afferre. Et tunc meum fuiſſet, vltro tam ingenioſo viro pro communicata ſua ſapientia gratias agere.

§. XXXV. POSTQVAM Aſinius Tenebrio dudum omnem pudorem conſumſerat, circa finem nihil intereſſe putauit, quid infelicibus chartis illineret. *In naturali ſtatu*, eſt articulus XXX. *neminem altero ſuperiorem eſſe, cuius arbitrio voluntatem ſuam, ſuumque iudicium ſubmittit, p. 143. & 763. Sic pater filium, & maritus vxorem non regerent, nec iis dignitate, iudicio, robore corporis, animo, & aetate praeualerent.* Quis liquido iurare poteſt, iſta ab homine pronunciata eſſe? An oblitus es, ſtipes, te paulo ante allegaſſe paginam 6. vbi

ſtatus naturalis in ordine ad alios deſcribitur, prout homines ſeſe inuicem habere intelliguntur ex nuda illa & vniuerſali cognatione; quae ex ſimilitudine naturae reſultat, *aut factum aliquod aut pactum humanum, quo peculiariter vnus alteri redditus fuerit obnoxius.* Aut ſi haec obſcura tibi videbantur, an non legiſti p. 146. §. 5. illos a me dici in naturali ſtatu viuere, *qui neque communem dominum habent, neque vnus alteri paret, aut imperat.* An nondum adhuc capis, inter maritum & vxorem, inter patrem & liberos pactum & factum humanum intercedere, ob quod vnus alteri peculiariter redditus fuit obnoxius, & arctiore vinculo coniunctus, quam communis illa cognatio, ex ſimilitudine naturae reſultans, ferebat? An nondum inquam intelligis, maritum cum vxore, patrem cum liberis non viuere inuicem in ſtatu naturali; quia maritus vxori, & pater liberis imperat. An forte haec ideo noua tibi videntur, quia quid ſit vxori ſuae imperare ignoras?

§. XXXVI. Opinione citius deſtituit nos Aſinius Tenebrio. Expectabamus integrum ſyſtema Theologiae nouae, per omnes locos deductum Nunc repente finem mimo imponit, promulgato tamen prius *ingenti errore circa magiſtratum politicum. Principi (abſoluto puta) iniuriam ſubditis inferenti, ſi euitandi locus non ſit, vi occurri poſſe,* p. 1004. 1006 & 1007. *contra illud 1 Petri* II, 18. Vbi primo notandum, in hac quidem quaeſtione a me Principes abſolutos & limitatos, ſeu qui in certas leges fundamentales & pacta cum populo ſuo conuenerunt, non diſtingui, modo reuera habeant ſummum imperium. Ergo ex Aſinii Tenebrionis doctrina nihil obſtat, quo minus principibus limitatis a ſubditis reſiſtatur. Deinde falſum eſt, quod ego definitiue aut poſitiue aſſeram, Principibus iniuriam inferentibus vi occurri poſſe. Verba mea haec ſunt, p. 1004. *Dum hoſtem pro Principe induit, ciui quoque obligationem, qua is ei deuinctus tenebatur, remiſiſſe intelligitur. Etſi fuga heic, quantum poteſt, ſit arripienda; ac tertii alicuius patrocinium quaerendum, cui nulla aduerſus Principem iſtum obligatio. Quin & ſi fugae via non datur, moriendum potius, quam occidendum eſt, non tam propter ipſius Principis perſonam, quam propter totam rempublicam, quae tali occaſione grauibus fere turbis ſolet inuolui* Sic & verba paulo poſt ſequentia ſatis oſtendunt, me nihil heic poſitiue definire. *Eſt inſuper & illud obſeruandum, ſi vel maxime concedatur, interdum alicui ciui nefas non eſſe, ſalutem ſuam vi contra atrociſſimas iniurias ſuperioris defendere,* &c. Pagina 1006. reiicio perniciosum illud dogma politicae Graecanicae de tyrannorum caede licita. *Illi ſane ferendi non ſunt, qui ita crude iactant, regem, vbi in tyrannum degenerauerit, poſſe a populo exui imperio & puniri.* Pagina 1007. §. 7. recenſetur a me Grotii mens ſuper hac quaeſtione, vbi iſthaec potiſſimum ſententia a me probatur; *nulli Principi competere poteſtatem ex mera libidine innocentem occidendi, vt huic nullo modo reſiſtere* liceat; ſeu, quod eodem redit; *nullus Princeps, quando innocenti ciui vltimum exitium intentat, ſuo iure poſtulare poteſt, vt innocens ille ſibi non reſiſtat.* Ex qua aſſertione tamen non arbitramur ſequi hanc, aut eidem aequipollere: ſubditus principi extremam iniuriam intentanti recte poteſt vi reſiſtere. Non inquam ſequitur; ille ſuo iure poſtulare nequit, vt ipſi non reſiſtam: ergo ego eidem recte poſſum reſiſtere.

Nam

Digitized by Google

Nam ex alia ratione, praeterquam ex iure iniuriam inferentis, illa reſiſtentia fieri poteſt illicita. Probatur autem iſta aſſertio duplici argumento; tum quia eiuſmodi poteſtas ad ſalutem ciuitatis nihil facit, ex qua ſane amplitudo imperii ciuilis eſt metienda; tum quia illa a ciuibus imperanti collata intelligi nequit. An autem ſacrae literae in hac quaeſtione peculiare quid diſponant, aliorum eſt inquirere. De caetero ea mihi doctrina ciuitatibus vtiliſſima videtur, vt ciuibus quidem inculcetur, perſonam Principum eſſe ſacroſanctam, eorumque ingenia ferenda; Principibus contra diligentiſſime imprimatur, non ſolum homines ſe eſſe, ſed & hominibus imperare, quorum ea indoles, vt atroces & continuatae iniuriae eos demum ad deſperationem adigere queant. Sed & valde dubito, an in hac quaeſtione recte allegetur dictum 1 *Petri* II, 18. Sane enim Apoſtolus in genere ibi docet, etiam σκολιοῖς, aſperis dominis parendum eſſe, qui colaphis & flagellis per moroſitatem plus quam par eſt in ſeruos ſaeuiant: nequaquam autem eam quaeſtionem definit, an ſeruus iugulum quoque praebere immotum debeat domino, trucidare innocentem volenti. Et neſcio quam indignum videtur, conditionem liberi alicuius populi mancipiorum conditioni aequare; parique modulo metiri ſeruum exiguo aere emtum, quem pro lubitu Dominus vendere iterum poſſit, cum populo aliquo ex multis myriadibus virorum fortiſſimorum conſtante; qui ex ſingulari affectu, aut ob merita maiorum, propriaeque opinionem & ſpem virtutis ſummum imperium in aliquem vltro contulit. Denique qui citatur ab Aſinio GERHARDVS plane mecum facit, *Articulo de Magiſtratu politico*. inprimis §. 488. circa finem.

§. XXXVII. DESTRVCTO Indice ſupereſt, vt etiam concluſionem tanto opere dignam conſideremus. Ex qua ſole meridiano clarius patebit, quem ſcopum ſibi perditiſſimus furcifer propoſitum habuerit. Quanquam enim fortaſſe alius articulorum iſtorum ſit auctor, alius autem appendices maledicentiſſimas addiderit, opusque tam nobile in lucem protraxerit: tamen iſta iam ita curioſe mihi diſcernere non vacat, & tantiſper Aſinius Tenebrio vniuerſi libelli famoſi auctor habebitur. Ille calido mihi ſanguine, aut puluerulento potius tergo poenas dabit. Ille erudito orbi proſtituetur tanquam monſtrum ex ignorantia & malitia conflatum, quod ex inuidia furore mixta tam nefario modo, probisque omnibus deteſtando famam meam maculare, & ad fortunas meas ſubruendas viam ſibi aperire voluit. *Quem*, inquit bellua, *corruptarum nouitatum pruritus praepoſtere inſtigat contra iuris naturae & diuini ſolida fundamenta, is vnicum omnium inſtar ſibi commendatum habeat Pufendorfium, a quo vnius anni ſpatio tam imm[illegible]m nouarum opinionum cumulum ſibi comparabit, quos omnes orthodoxi Theologi per omnem vitam ei adimere non valebunt.* Quin deſinis latrare nouitates nebulo? quo ipſo aut ruditatem tuam debuccinas, aut meum ingenium aut induſtriam commendas. Quid enim non in omnibus artibus & diſciplinis aliquando nouum fuit? Quod ſi eo ſolo nomine fuiſſet proſcribendum, vniuerſo generi humano intra barbariem erat haerendum. Cum porro hoc ſeculo tanta bonorum iuxta ac malorum ſit librorum copia, nil niſi ludibrium eruditis debet, qui libros edere vult, in quibus nihil plane noui occurrat, aut ſaltem vbi quae ab aliis minus exacte traduntur, curioſius non diſ-

cutiuntur & expoliuntur. An credis, ſi quis ex quatuor aut quinque libris ſextum compilauerit, aut ex quadraginta codicibus in machinam verſatilem diſpoſitis, quam ipſe in ſella verſatili ſedens in vertiginem det, ad eum fere modum, quo Peripateticorum Intelligentiae orbes coeleſtes rotant, farraginem aliquam ſine iudicio congeſſerit: illum aliud agere, quam vt tabernas aromatariorum cucullis inſtruat? Caeterum quod iſtae, quae a me tradi arguuntur nouitates aut corruptae ſint, aut ſolidis iuris naturae & diuini fundamentis repugnent, ex Indice iſto expurgatorio hactenus nondum adparuit. Et ſi quis alius ſit eruditus, qui honeſto modo quaedam a me tradita in diſquiſitionem vocare velit, ſentiet non defutura mihi, quibus mea defendam. Eiusmodi enim ſtolidorum Indicum confectores, ac famoſorum libellorum architectos non magis inter eruditos numero, quam aſinos inter citharoedos: quibus diſplicere bonis & cordatis placere eſt. Abite ſues, nihil vobis oleo. Illa vero furioſi plane & mente mori vox eſt, intra vnius anni ſpatium tam immenſum nouarum opinionum cumulum a me poſſe addiſci, quas omnes orthodoxi Theologi per omnem vitam alicui adimere non valebunt. Quaero enim ex te, totius Arcadiae auritiſſima beſtia, illae nouitates, quae ex me intra ſpatium hauriuntur, ſuntne verae, an falſae? Si verae ſunt, quid circa illas orthodoxis Theologis negotii eſt? Aut cur illi circa eas conuellendas aliquid operae ſumant? Niſi forte Theologorum eſſe credis, barbariae ſeſe defenſores praebere, obſoletis naeniis ſcholas occupatas tenere, bona ingenia opprimere, importuniſſimam dictaturam in omnes eruditos exercere. Sin autem falſae ſunt meae nouitates, tunc tu vero neſcio quam miſeros & ſtupidos homines mihi narras, qui vniuerſi per tantum temporis ſpatium non poſſint ſubuertere falſa dogmata viri neque proceritate corporis eminentis, neque prolixo barbitio venerabilis, neque vim miracula faciendi aut diabolos expellendi ſibi vindicantis, neque ſomniorum ſuorum praeſagia, neque doctrinae ſuae papalem infallibilitatem iactantis, & quod maximum eſt, qui nunquam per ſomnum carmina fecerit. Poſt tam ſtolidam ſententiam Aſinius Tenebrio iam demum intima pectoris ſui recludit, & quid ad famam meam infeſtandam ipſum compulerit, non obſcure fatetur. Nimirum illi Magnatum & Nobilium filii, qui informatione mea vſi ſunt, & adhuc vtuntur, Aſinium eiusque complices tanta inuidia aduerſus me impleuerunt, vt crepandum ipſis fuiſſet, niſi hac via virus ſuum ex parte euomere licuiſſet. Hos vt abs me auerterent, non alia potior aut magis compendioſa via fuit viſa, quam de nouis dogmatibus religionem tangentibus rumorem ſpargere. Quo audito quis amplius ſuos [illegible]s mihi commendaret: Praeſertim cum matres eo vocabulo audito mirum in modum ſoleant exhorreſcere; & trepidae preſſere ad pectora natos. Et ſpes erat, pleroſque concionatores aulicos, qui fere circa dirigendam puerilem informationem Palinuri vice funguntur, in patres deſcenſuros. Vis tu filios tuos commendare Pufendorfio? Per omnes Deos Deasque ne feceris, ſi ipſorum ſalutem amas. Ille Heidelbergae vixit, vbi Lutherani aeque ac Caluiniani vinum libentius quam cereuiſiam bibunt. Ille habet mira principia; non credit amplius in quatuor elementa, nec in ſanctiſſima decem praedicamenta. Ab iſthoc viro liberi tui

ita

ita corrumpentur, vt compendium logices & rhetorices, quo recitari audito tanto ſolebas gaudio perſundi, deinceps nauci ſint facturi. Et habet entia moralia, quibus conſpectis aſini in rabiem aguntur. An non audiſti, quod Monzambanum legit, qui tamen Ieſuitis tantopere eſt inuiſus, & Hobbeſium, qui librum de diabolo ſcripſit. Imo credit ille, horreſco referens! multos aſinos binis pedibus incedere. Quin tu ergo potius commendas eos alicui viro pio & ſimplici, qui ab antiqua pedanteria ne latum vnguem diſcedit, qui iuxta ſuam in re literaria ſimplicitatem nulla entia moralia intelligit. Qui meris medullis diſcipulos ſuos paſcit, ſicut quondam Chiron Achillem, ex quo cibi genere magni heroës proueniunt, qui Troiam vel biduo expugnare queant. Ac qui inſuper recreationis cauſa cum filiis tuis lectiones ſaltatorias repetere poterit, circa quas ipſi ſubtiliſſimum iudicium, non minus quam circa generoſiſſimas ſpecies aquae vitae. Quis iam dubitauerit, quin confeſtim quicquid eſt nobilis iuuentutis Puſendorſio vale ſit dicturum, & ingenti agmine pium illum doctorem. Equitum S. ſimplicitatis Commendatorem magnum, ſtipaturum, eiusque crumenam inaniis turgentem auro oppleturum? Aſt mi nimium odioſe obtrectator, credas hoc mihi velim ex animo loquenti. Si vel maxime ego in Moſchovia, vti tu augurаris, Kneſius factus fuero, tu tamen profecto Aſinius Tenebrio manebis. Ergo brutalibus tandem tuis affectibus fraenum impone, & ſi quid in caduca hac mortalitate curas, id vnum cura, vt ne deinceps vnquam Indices Nouitatum edas. Et vt videas, me calumnias tuas nauci facere, en verba tua bona fide repraeſento. *Multos quidem*, (non obſtantibus iſtis nouitatibus) *Magnatum*, *& Nobilium filios Heidelbergae olim habuit diſcipulos*, (quo nomine etiam nemo, qui arces ſuas extra lunam poſſidebat, ibi me oderat,) *& iam Londini in Suecorum Vniuerſitate habet*, (*vt fama fertur*.) *Attamen eorum neminem ex abortu ſuo Monzambano & damnato Hobbeſio, quos ipſis continuo inculcare ſtudet, quidquam praeclari docuit. Hos accepta eorum pecunia, ſplendide inanes domum remittit, ſic ſuae crumenae, & non ingenio eorum conſulit. O tempora o mores!* Vbi miror impuri nebulonis belluinam incogitantiam, quod cum nuper tantam doctrinae meae efficaciam tribuiſſet, vt ab omnibus Theologis per totam vitam extirpari nequeant, quae a me vno anno hauriuntur; iam omnes a me diſcipulos ſplendide inanes dimitti ganniat. Sed talis eſt Aſinius, vt ſua mendacia ipſe deſtruat. Diſcipulos meos quod attinet, eorum duas poſſum facere claſſes; alii publicas tantum & priuatas meas frequentarunt lectiones; alii inſuper peculiari meae commendati fuerunt curae. Circa priores nos, qui publice in Academiis docemus, pari cum concionatoribus iure fruimur, vt ſi quod noſtri eſt officii fecimus, de profectibus auditorum rationem non reddamus. Qui capere vult, capiat. Et tamen multos eorum nominare poſſum, qui honorificam adhuc mei memoriam retinent. Ex iis qui priuata mea diſciplina vſi ſunt, quidam ad inſignem eruditionis gradum peruenerunt, amplisque muneribus & in hoc regno, & in Germania admoti ſunt; qui ſummum in me amorem quauis occaſione teſtari non intermittunt. Qualem ſi Aſinius Tenebrio vnum haberet, dudum eius effigiem in domus ſuae inſigne publice ſuſpendiſſet. Fuit vnus & alter, qui minores profectus fecit.

Et quis vnquam fuit doctor, qui omnes ſuos diſcipulos quantum cuperet eruditos praeſtare potuit? Certum tamen mihi eſt, neminem eorum vnquam culpam in me collaturum. Imo vt videas, Aſini Tenebrio, quam parum tuis mendaciis mouear, iam publice denuncio, ſi quis tales meae informationi commendare velit adoleſcentes, qui vel ſtupidiſſimo ſunt ingenio, vel animum a literis plane auerſum gerunt, nil niſi arma & venationem ſpirantes, aut qui ſub prioribus praeceptoribus nulla fundamenta poſuerunt, & intra annum abs me vniuerſam eruditionem deglutire habent, aut qui dimidiam partem temporis domi apud parentes, reliquam heic in Academia conſumere volunt, aut qui formoſarum amore puellarum flagrantes maximam diei partem dulciſſimis confabulationibus abſumunt, per reliquum tempus domi mellitorum labiorum & ſelibrium mammarum memoriam ruminantur; hos omnes denuncio apud me parum aut nihil profecturos; quin me ſusque deque habere, an tales mihi commendentur vel non, praeſertim vbi culpam deinde in me conferre velint. Quin & hoc inſuper addo, ſi quis ſemicruda adhuc ſtudia abruperit, & praematuris ſeſe peregrinationibus vel diſcurſationibus potius dederit, apud eundem pauciſſima literarum veſtigia, vbi domum reuerſus fuerit, adparitura. Inprimis autem arguit Aſinius, quod ex Monzambano & Hobbeſio diſcipulos meos nihil praeclari doceam. Ergo ſufficit, quod ex caeteris libris, quos ipſis praeterea inculco, aliquid praeclari doceam. Priorem autem ne deinceps quoque diſcipulis meis commendem, Aſinius quidem Tenebrio me nunquam prohibebit. Hobbeſium autem & Grotium, qui tam multa a religione noſtra abeuntia ſuis operibus immiſcuerunt, ne amplius iuuentuti praelegere cogerer; librum meum praecipue edidiſſe me profeſſus ſum; in quibus non omnia a me probata fuiſſe, ille ipſe meus liber ſatis teſtari poteſt. Quod autem furcifer Monzambanum abortum meum vocat, ad id repono, me nunquam id ſcriptum pro meo agnouiſſe, vtut nolentem volentem publica me fama eius auctorem ferat. Inde mea nihil refert, an ab Aſinio iſte liber abortus vocetur. Id tamen dicere non verear, non erubeſcere auctorem, quisquis is eſt, eo foetu debere, qui tanto cum applauſu per cultiſſimam Europae partem a cordatiſſimis quibusque ſit receptus; & cuius impugnatores non multo ampliorem gloriam reportarint; quam confectorem Indicis Nouitatum manet. Illud tamen neſcio, an quis mihi ſit ſuaſurus, vt, ne Aſinio Tenebrioni prae inuidia ilia rumpantur, repudiare debeam liberalitatem quorundam Magnatum, & aliorum, qua operam meam, ſi non ſemper euentu, tamen fide aeſtimandam proſecuti ſunt; praeſertim cum tam raro noſtri ordinis homines aureus imber inundare ſoleat. Neque tamen erat, quare Aſinium tantopere mea crumena angeret; quippe cum hanc praecipuam mearum diuitiarum partem ducam, quod nemini debeam. Cui rei tamen non parum contuliſſe iudico, tum quod vxor mihi contigit parum ſumtuoſa, tum quod nullos libros propriis ſumtibus edidi. Caeterum illud optime in rebus humanis comparatum eſt, quod inuidia ſibi ipſa ſupplicium eſt; quae tunc demum aſperrima tormenta admouere eſt cenſenda, quando ad confeſſionem doloris ſui inuidos cogit. Et quantopere iſtum nebulonem excruciari arbitramur, qui continere ſeſe amplius nequit, quin

excla-

exclamet; *o tempora! o mores!* Quid enim heic clamor aliud arguit, quam diriſſimos morſus, quibus iſte proprium ſibi pectus lacerat, dum me aliquo inter eruditos numero, ſe non niſi Aſinium Tenebrionem videt. Perge igitur inuidia aeſtuare, furcifer, angere dies noctesque, excoque infidum iſtud pectus, palleſce, exareſce, a laqueo demum veſaniae tuae remedium pete, vt iſta impura anima per dignam ſe portam triumphalem exitum inueniat.

§. XXXVIII. Restat vt etiam executiamus auctoritatem magnorum virorum, quos Aſinius Tenebrio aduerſus me teſtes excitat, quibus & ego & liber meus vehementer diſplicuit; ne forte ſolus Aſinius ex inuidia aut ruditate nos allatrare videatur. Grauiſſimum ſane praeiudicium, vel doctrinae valde irregularis, vel morum plane difficilium, caetera diſſentientes in me improbando conſpirare. Eo curatius horum teſtimonia diſcutienda mihi erunt, vt quatenus Aſinii cauſa per iſta ſubleuetur adpareat. Primo igitur loco prodeant Profeſſores Londinenſes. *Nobis inſuper a fide dignis nuperrime relatum eſt, ipſos Profeſſores Londinenſes praeſertim Theologos Lutheri animoſitate Puſendorfium iamdudum multorum errorum accuſaſſe, quem tamen Procerum gratia penes Regem contra omnium inſultus adhuc conſeruauit, &c. Relatum eſt*, inquit, *nobis nuperrime.* Vbi credamus Aſinium Tenebrionem aulam ſuam habere? Nam illam longe abhinc ſitam eſſe arguit, quod *nuperrime* demum audiuit rem, quae iam ante annum non ſine ſtrepitu geſta eſt; cum tamen iſtum nebulonem plus ſatis curioſum circa rumuſculos de me captandos fuiſſe adpareat. Ettamen dum dicit, illos *iamdudum* me errorum accuſaſſe, cum mihi demum paulo ante editum ſuperiore anno librum meum innotuerit, illos neſcio quid in me machinari; ſuſpicionem excitat Aſinius, quaſi dudum arcana quaedam commercia ei cum iſtis interceſſerint, vt quid iidem aduerſus me parturirent, longe ante ipſi innotuerit. *Relatum eſt nobis*, inquit. Quo argumento probabis, *Aſini Tenebrio*, tibi non potius haec fuiſſe verba adhibenda; quaeque ipſe miſerrima vidi, & quorum pars magna fui? Num etiam ex te ſcire poſſumus, quinam ſint iſti *viri fide digni;* num fortaſſe mendacio tibi illuſerint? Nam ſi neminem habent praeter te; abs quo commendentur, non erit, qui magnam iſtorum verbis fidem eſt adhibiturus. Cur etiam aut tu fuiſti tam incurioſus; vt quinam forent iſti errores non inquireres? aut ſi de iſtis intellexiſti, quare erudito orbi tantorum virorum obſeruationes inuideres, quae magnum lumen Indici tuo potuiſſent afferre? Sed quid multis ambagibus vtor? Mi Aſini Tenebrio, affatim quidem eſt tibi improbitatis, vt ſis nebulo; ſed ad id parum tibi eſſe aſtutiae patet, vt ſcelera tua paulo tectius poſſis expromere. Nam hic ipſe Index a Theologo quopiam Londinenſi confectus eſt, qui iam diriſſimis ſeſe exſecrationibus deuouet: illum ſibi ab Aſinio Tenebrione furto ſubductum, ac quibusdam in locis interpolatum, ſeque inſcio typis exſcriptum. Sic vt iſte quidem ſatis tenuem tibi referat gratiam pro tuo elogio, quo Lutheri animoſitatem ei tribuis; cum ipſe vice verſa palam iactet, te vt furem & nebulonem egiſſe. Verum ſuper hac re in iudicio videbimus. Caeterum poſtquam ad hunc locum peruectus ſum, ſolenniter prius proteſtandum eſt, me,

quae

quae mox narraturus ſum, non referre animo iniuriandi; ſed ex ineuitabili neceſſitate famam meam ab omni ſiniſtra ſuſpicione purgandi apud omnes, in quorum manus Index iſte ſacerrimus peruenit; ad quod plurimum facit, ſi ipſi intelligant, quodnam heic loci Indicis fuerit fatum. Neque vero crediderim illum fore cordatum, qui vitio mihi vertat, quod nihil eorum diſſimulem, quae ad tuendam meam exiſtimationem faciunt. Conceſſit mihi Deus, vt quantulumcunque nomen inter eruditos nactus ſim, ac largitus eſt ſtationem, vltra quam ambitionem meam non profero. Sed cum tam illud, quam haec diu ſtare nequeat, ſi talis ſum, qualem Aſinius Tenebrio mentitur, indignus ſane & diuina illa gratia forem, & tanto ſummorum iuxta ac mediocrium hominum fauore, ſi vnius vel alterius inuidi calumniis opprimi me per ſilentium paterer. Sed & cognatis atque amicis, quin vniuerſis meis popularibus merito erubeſcendus haberer, ni tantum mihi ineſſet facultatis, vt rudiſſimi hominis deliria diſſipare poſſem. Seponatur ergo pauliſper reſpectus aliorum, quoad meae famae & quae inde dependet fortunae conſultum ſit. Iacturam alii faciant exiſtimationis ſuae merito ſuo, qui immerentem foediſſima labe adſpergere non erubuerunt. Fruſtra quis dignitatem ſuam mihi occinit, quando ipſe ferrum iugulo meo intentat. Id tamen mihi gratulor, quod nullus Profeſſorum ex natione Suecica huic ſeſe negotio immiſcuerit, vt ne mihi neceſſum foret, quaedam parum honorifica memorare de vllo ex ea natione, cuius fauorem in me meosque ſemper ſum expertus proniſſimum. Quod ſi illis, qui me tam atroci modo impugnarunt, acerbum videatur, ſua facta propalari; habent quod Aſinio Tenebrioni indignentur, qui ſcrinia ipſorum expilauit, & iam obelo confoſſum Indicem in lucem protraxit. Iſtum nebulonem, iſtum plagiarium, iſtum calumniatorem, iſtum famoſorum libellorum architectum mecum exſecrentur. Duas tamen vias videre videor, qua excuſari poſſint ea, quae in me iſti egerunt, ſane a communi iure, & modo inter honeſtos viros agendi non parum abeuntia. Vna eſt, ſi heroico ſeſe ſpiritu actos dicant, quem ad vulgares agendi regulas non alligatum, creditur, cuique adeo iura nata non ſint. Atque hoc ipſum non obſcure inſinuat Aſinius Tenebrio, dum *animoſitatem Lutheri* illis tribuit; quem ſane virum animos ſupra communem ſortem geſſiſſe nemo eſt ex noſtratibus, quin agnoſcat. Dicant ergo, ſe habuiſſe heroicum Lutheri ſpiritum, ſed qui per diurnitatem temporis vehementer degenerauerit, aut qui in impura vaſa inſuſus ex generoſiſſimo velut vino in mordaciſſimum acetum abierit. Ni malint vti dicto Poëtae: aetas Parentum peior auis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. Accedit & hoc, quod vnus ex illorum numero quondam de altero, qui non parum ad conflandum hocce negotium contulit, pronunciauerit iſtud dictum; Deum, ſi inſigne opus efficere velit, excitare ingenia heroica; (ita *Winſtrupius de Nicol. Beckmanno.*) Id quod in vulgus heic notum eſt. Imo & vnus eorum (*Ioſua Schwartzius*) cum proximo anno ipſi mitra doctoralis inter tubarum clangores imponeretur, a quopiam ſtudioſo, qui in eius culina diu oſſa arroſerat, inter enormia alia elogia *pretioſus Dei filius* (GOttes werther Sohn) nuncupatus fuit; quod nomen ſoli Seruatori noſtro in lingua Teutonica tribui omnes linguae eius periti norunt.

runt. Et ſane, quicquid eſt Iudaeorum per orbem terrarum diſperſum, huc velut ad nouum Meſſiam confluxiſſet, ni iſtis Sueciae regno interdictum foret. Talis tantusque quare non heroëm ſe ferre poſſit? Altera autem via paulo ſimplicior videtur, ſi nempe pertinaciter haereſeos arguere pergant articulum XVII. Indicis, ſupra excuſſum: ſe affectibus ſuis imperare non potuiſſe, nec debuiſſe; ſe pro orthodoxis Theologis non fuiſſe habendos, ni affectibus fraena laxarent: iis ſeſe adeo occaecatos fuiſſe, vt Pufendorfii librum damnauerint, antequam intelligerent, vt neque Chriſtiani hominis officium, neque aetas aut dignitas, grauitasque muneris, nec reſpectus cenſurae & adprobationis regiae, neque amicitia mecum quondam culta, neque officia quaedam illis a me exhibita, vel paululum ipſos retinere potuerint, quo minus tanquam deterrimum me haereticum diffamarent; aut ſaltem damnationem ſuam eouſque ſuſpenderent, quoad meam mentem & explicationem ſuper iſtis articulis audiuiſſent. Sed dum iſti deliberant, vtra via ſeſe excuſandi ipſis magis ſit ad palatum; ego interea rem, prout eadem heic notoria eſt, fideliter referam, non eo fine quidem, vt aliquem velim infamare, ſed vt famam meam contra Aſinii Tenebrionis calumnias aſſeram, qui iſto velut praeiudicio me premere inſtituit. Cum igitur ad finem iam properaret libri mei impreſſio, animaduertere licuit, tres potiſſimum, inter quos hactenus ſimultas, aut frigida valde amicitia fuerat, repente ſyncretiſmum velut coiuiſſe; concurſare, trepidare, crebra inter ſe conuenticula agitare; (*Beckmannum, Schwartzium & Chriſtianum Foſſium.*) Cui fundamento noua iſta amicitia innixa ſit, ſequentia oſtendent. Vt factioni robur & auctoritas accederet, adſciſcitur aliquis (*Petrus Winſtrupius*) cuius canitie caeteri abuterentur, vt, velut poſt Aiacis clypeum Teucer latitans, ſagittas ſuas eo tutius in me emittere poſſent. Plures ſolicitantur, ſed qui tamen parum glorioſum huius rei finem augurantes, ſacramento iungi recuſarunt. His ergo velut quadrigis Bellona in librum meum irruitura inuehebatur. Stimulabantur illi contra me pari fere odio, cauſis diuerſis. Ardebat vnus & alter paedagogicam quandam dictaturam in nos ſibi ſtruere; cuius quietam poſſeſſionem ſibi me heic ſaluo deſperabant, vtpote apud quem eiusmodi vana arrogantia riſum potius, quam venerationem excitare ſolet; & qui ideo a legibus cuique muneri ſuos limites praeſcriptos arbitratur, ne quis pro ſua libidine aliis inſultare praeſumat. Alius hancce compendioſiſſimam iudicabat viam inclareſcendi, ſi me ſubuertiſſet; qui perfectiſſimae cuiusdam, & ad quintam vſque eſſentiam ſublimatae Theologiae ſpecimen credebat, Indicem Nouitatum in Pufendorfii librum congeſſiſſe. Alius denique me ſepulto & ſummam eruditionis famam, & lautiſſimam fortunam ſibi ſperabat acceſſuram; qui me viuum ſuis luminibus, vtut toto vertice ſupra ſit, officere putabat. Et commendatione digna eſt vnius (*Schwartzii*) ex iſto numero ingenuitas; qui apud amicos non amplius negat, hanc ſibi intentionem fuiſſe, vt ego ab hac Academia dimouerer. Id tamen ſe nunquam quaeſiuiſſe, vt fortunae meae ruinam procuraret. Eſſe enim S. Regiae Maieſtati longe plurimas ſtationes, in quibus opera mea vti poſſit; quibus non obſtet, ſi vel maxime ego quaſdam erroneas opiniones foueam. Cui ego quidem pro ſingulari ſua beneuolentia, ex qua

pro mea promotione tam ſolicitum ſeſe exhibuit, dignas gratias ago; viciſſimque opto, vt ille aliquando Martyrum corona potiatur, quae iam iam capiti eius quondam imminebat, ni fuga ſibi conſuluiſſet; quo ipſius nomen deinceps pro nigro rubrum in Calendario ſtet. Simulque rogo, velit eiusmodi commendatione mei ad ſplendidius officium deinceps ſuperſedere. Cum ergo & caeteris ſociis mea promotio tantopere cordi eſſet, vt finem ſuum obtinerent, nullam faciliorem viam ſibi relictam iudicant, quam vt calumniam mihi intentarent, cui ſemper apud ſemidoctorum ſecem eruditiſſimus quisque patuit, me noua habere principia, me iuuentutem ita corrupturum, vt non amplius antiquum Donatum ſit veneratura. Accendebat iſta vnus ex ſociis, qui ſubinde in typographiam currebat, & cum pleraque pro ſua ſimplicitate, quam ille tantopere in iure naturali commendare ſolet, non caperet, mire eadem traducebat. Augebat ſuſpicionem, quod ego prohibuiſſem, ne antequam opus perſectum foret, ſingulae paginae hinc inde raptarentur. Hinc certa fides monſtroſum eſſe, quod tam ſolicite a me occultaretur. Quid multis? Indicitur concilium ſolenne Ceruiae, Pontificiae ditionis oppido, miſſa Spiritus ſancti cantatur, & poſt aliquot ſeſſiones vnanimi Patrum conſenſu ſtatuitur, Puſendorfium haereticum eſſe faciendum. Offertur decretum Concilii Pontifici ratificandum, (nam vt ipſe Conciliis interſit, recentiores doctores eius maieſtate indignum ducunt.) Ille laudata patrum pietate decretum approbat, & annulo piſcatoris obſignat. Hoc facto duo quidem ex ſociis in latibula ſua ſe recipiunt, nec apertius deinceps negotio immiſcentur, ex euentu animos ſumturi, aut ſi ſecus res cadat, extra periculum ſubducti. Reliqui duo negotii executionem in ſe recipiunt; ſomniaturi haereſes, ſi non inuenirent. Noua tamen ſpes oritur, fore, vt ſi diligenter inquirerent, magnam vim nouitatum ſint deprehenſuri, quod certus homo duo folia de praefatione, digitis forte fortuna adhaerentia, e typographeio attuliſſet; in quibus occurrebant ea verba, quae concilio iſti expreſſe oppoſueram; quibus tritum illud, ne ſutor vltra crepidam, occinebam iis, quos ad ſumendam in eiusmodi ſcripta cenſuram faſtus, ignorantia, aut petulans πολυπραγμοσύνη impellit. Interea liber abſoluitur, ego Holmiam proficiſcor. Et iam in publicum emergere incipiunt, quae hactenus in me cuſa fuerant conſilia. Primo in prologi vicem epiſtola Holmiam ſcribitur, hoc fere argumento, inſignem grauitatem praeferente: Prodire iam in publicum Puſendorfii librum, quem ipſi tamen nunquam viderint, quod is noluerit quenquam naſum ſuum in eo exercere, priusquam S. Regiae Maieſtati, cui inſcriptus eſt, offerretur. Quia tamen ſibi eius libri cenſura non fuiſſet oblata, ſe excuſatos haberi velle, ſi quid iſte orthodoxae religioni, quae ipſorum humeris, tanquam Atlante coelum, potiſſimum niteretur, contrarium contineret. Petebant praeterea, vt ſibi denuo liber iſte cenſendus committeretur; in quo negotio ipſi magna cum circumſpectione eſſent progreſſuri, & nullam mihi iniuriam illaturi. Nam illos Illuſtriſſimos Regni Senatores, qui iuſſu S. Regiae Maieſtatis librum meum adprobaſſent, tam profunda non inſtructos fuiſſe ſapientia, vt de iure gentium iudicium ferre potuerint; cum politicorum nemo tam demens vnquam fuerit, vt priuilegium infallibili-

fallibilitatis ſibi arrogaret. Adduntur & quaedam de Monzambano, quem ego auderem priuatim heic legere. Eum in Germania publico Caeſaris edicto proſcriptum, (quod ſibi ſolis ſit conſpectum.) Cum autem hoc regnum prouincias poſſideat in Germania, metuendum eſſe, ne haec belli cauſa arripiatur, & Croatis, milite ferociſſimo, Septentrio inundetur. Reſpondebatur ad has literas a ſuperioribus leniter & humaniter: quieſcerent, & rerum ſuarum ſatagerent. Librum meum eſſe politicum, nec ad Theologos quidquam ſpectare. Iam S. Regiae Maieſtatis cenſuram & adprobationem acceſſiſſe. Neminem in ipſos ob eum librum culpae quid collaturum; nec rationem eius rei ab illis reddendam, quae nunquam ipſis foret commiſſa. Tanta lenitas iſtorum hominum pertinaciam magis accendit; nec ita facile concilii ſui decreta eludi debere arbitrantur; praeſertim cum iam diriſſima quaeque de libro meo in vulgus ſpargere coepiſſent, quae ita repente vana deprehendi auctoritati ſuae parum conducere cenſebant. Interea ne ipſi in me ex inuidia rapi aut conſueto vitilitigandi morbo agitari viderentur, aliae literae ſcribuntur ad certum Theologum, tunc Holmiae agentem, in quibus aliqua loca libri mei quaſi errorem fouentia annotantur, ac iſte rogatur, vt pro eo feruore, quo circa religionem flagret, hanc rem apud Illuſtriſſimos Regni Proceres diligenter inſinuet, & quantum ex meo libro verae religioni periculum immineat, ſolicite demonſtret. Easque literas iſte vni & alteri ex praecipuis regni officialibus recitauit; qui facile infami fraude animaduerſa, auctorem earundem. & foedas calumniandi artes grauiter ſunt deteſtati. Nullam enim aliam ſubſcriptionem illae literae praeferebant quam hanc: *Hafniae. Tuus quem ex fama noſti.* Qua epiſtola etiam Theologis Hafnienſibus, viris ſane cordatiſſimis, non leuis iniuria fuit illata, quaſi ipſi, vbi quid in libro meo deſiderarent, non ingenue & aperte, prout viros bonos & doctos decet, fuiſſent monituri, ſed per tramites non niſi nebulonibus vſurpatos forent graſſaturi. Enim verone quis aliquem Hafnienſem in ſuſpicionem vocet, iſtae literae Londinum habent patriam; ac retulerunt mihi aliquot viri, qui earum literarum autographum apud dictum Theologum huc reuerſum viderunt, ſeſe manum probe agnouiſſe. Nec difficile erit; eum ſcriptorem obſcurarum epiſtolarum in lucem protrahere, ſi quidem in eam rem ſerio inquiratur. Vbi miror inficetam plane aſtutiam illius ſcriptoris, quod ſperaret, ſeſe tam prudentibus viris ita facile illudere poſſe; cum potius vel ſola haec fraus iſtos conatus plane redderet ſuſpectos. Iam tertius a publicatione mei libri menſis labebatur, & Index in formam embryonis coaleſcere videbatur, ac non obſcura vitae ſigna dabat; cum alius ab iſtis inſultus (vt Aſinii Tenebrionis vocabulo vtar,) tentatur. Obſtabat quippe adhuc cenſura & adprobatio regia, quae non ſine ſpecioſo aliquo obtentu proculcanda erat. Qui facile inueniri poterat ab hominibus, queis conſcientia qualitercunque informata regum iuſſis longe potior eſt. Neque enim ignotum eſt, maxima ſcelera ſub larua conſcientiae, & inter allegata paſſim ſeu profane potius detorta dicta ſacra expromi. Scribit ergo epiſtolam ſenior ad profeſſores Theologos huius Academiae; adiungit elenchum errorum, qui in libro meo deprehendantur; adiurat ipſos per omnia ſacra, per tremendum vltimi iudicii diem, velint

 ſuper

Digitized by Google

ſuper iſtis articulis ingenue & libere ſuam confeſſionem edere; prout id ipſorum munus, & communis Chriſtianorum obligatio requirit, qua ab Apoſtolo parati eſſe iubentur ad reſpondendum cuilibet petenti rationem eius ſpei, quae ipſis eſt. Iſthoc tam horribile carmen duo priores ex Theologis ſurdis auribus accipiebant, certi alieno ſeſe furori ſocios non addere. Tertius autem, in cuius vtero Index ille conceptus erat, magna cum pietatis & conſcientiae conteſtatione profitetur; ſe vtique illis articulis grauiſſime offendi, ſeque adeo poſſe, & debere, & velle confeſſionem ſuam edere, prout pium virum & Theologum decet, quantacunque mala ipſum eo nomine ſint manſura. O inauditam animoſitatem! O genuinam Lutheri ſobolem, Aſinio Tenebrione encomiaſta dignam! Vbi neſcio an magis miranda ſit ſubtilitas commenti, per quod obtinuiſſe ſeſe arbitrabantur, vt in eodem negotio ipſi actorum, iudicum, ac teſtium loco eſſe poſſent; an vero argutiſſima ratio per compendium de errore aliquem conuincendi, dum *offendi* aliqua ſe doctrina iactant. Lubet tamen quaerere, cum fieri poſſit, vt quis eiusmodi offenſam mentiatur, quo indicio liquido deprehendatur, teneram eius conſcientiam reuera laedi? Nam barbitium, & togam, & faciem ac verba in grauitatem compoſita, & deierationes multis velandae nequitiae inſeruire, etiam in vulgus notum eſt. Deinde non diſpicio, an ſatis dignum ſit viro, per quem Seruatori noſtro titulum ſuum non amplius retinere licet, profiteri, doctrina ſe aliqua *offendi.* Vulgarium hoc animarum, & humi repentium videtur, & qui nullam aliam rationem, quare ſibi quid diſpliceat, allegare queunt, quam inſcitiam & ſtuporem ſuum. Magni iſti & animoſi Lutheri, qui clauem ſcientiae poſſident, quosuis errores ſolis ronchis diſſipare debeant. Infirmi in fide, & qui lacte adhuc indigent, ſuper offenſione queri ſolent. Denique neſcio an ad rei literariae incrementa multum faciat, ſi bonis & alacribus ingeniis hanc velimus legem dicere, vt ne quid in diſciplinis rationi ſubiectis eruere, aut olim tradita limae ſubiicere laborent, ne fortaſſe aliqui iſta nouitate offendantur, aut potius, ne in pudorem dentur antiquae pedanteriae conſulti, dum vident ſua compendia, ex quibus ipſi aliquot regulas & definitiones memoriae mandarunt, inter quisquilias deinceps habenda. Si tamen haec ratio ſuperioribus placet, age & nos mentum mentemque ſylueſcere patiamur, proſcribamus bonos libros, inſipidas naenias per totam vitam cantillemus, denique ordini equitum S. ſimplicitatis nomina demus; & ſub auſpiciis Aſinii Tenebrionis internecinum bellum in entia moralia geramus. Caeterum cum confeſſio vnius, (*Ioſ. Schwartzii,*) qui & antea turbulenti ac vani ingenii non pauca ſpecimina ediderat, parum ponderis habitura videretur, a ſeniore conuentus Theologorum indicitur, an tunc fortaſſe caeteri, vt offendi ſe quoque faterentur, permoueri poſſent. Tunc enim conclamatus plane erat meus liber, ſi abs tota Facultate, (quae cur non pari iure atque Concilium Tridentinum immunitatem ab erroribus ſibi arrogare poſſet?) fuiſſet damnatus. Conueniunt; conſidetur. In menſa expoſitus erat meus liber, & protocollum magnae molis recens compactum, cui nihil adhuc inſcriptum erat. Poſtquam a ſeniore cauſa conuentus expoſita fuit, prima erat quaeſtio, quis ſecretarii vices obire deberet; quia protocollum ſeipſum conſcri-

conſcribillare non didicerat. A ſenioris dignitate id alienum erat. Duo priores Theologi nullam eius negotii partem attingere volebant. Vltimus ob imperitiam linguae Danicae ei ſcriptioni inhabilis iudicabatur. Sic protocollum tunc quidem virginitatem ſuam immaculatam retinuit. Quanquam autem hoc modo nulla futura erant acta Confeſſionis Lundenſis; hortatur tamen ſenior, vt nihilominus annotatos in ſcheda articulos ordine excutiant, & vbi ſinguli iſtorum in libro meo extarent, inſpiciant. Enim vero alter eorum negat, ſe iudicium ferre poſſe de libro, quem nondum legiſſet. Alter cauſabatur, ſeſe vnum vel alterum locum inſpexiſſe, nec deprehendere potuiſſe, meam eſſe ſententiam, quam ipſi mihi vellent impingere. Heic ſtatim ſenior non ſine ronchis fremere; tu ea non intelligis; ille tertius, qui iſtos articulos non ſine labore enixus eſt, haec optime intelligit. Ad quae & iſte incaleſcebat; ergo ſolus, inquiens, iſte intelligat. Et ſic irritatis animis ſellae crepant, conſurgitur, & confeſſui finis imponitur. Interea regiae aduenerant, hoc argumento; ſi quis vtique ius ſibi competere crederet aliquid circa librum meum monendi; vt mecum priuatim conferret, ſententiamque & declarationem meam audiret. Si nondum adquieſcere vellet, ad Conſiſtorium Academicum referret; quod cognoſceret, an digna res foret, quae ad Illuſtriſſimum Academiae Cancellarium remitteretur. Omnia tamen placide & modeſte peragerentur, citra turbas, & infeſtas concertationes. Et mox quoque adeſt Illuſtris vicinae prouinciae Praeſes, ad negotium illud cominus inſpiciendum. Auditque primo auctorem Indicis, huncque ſcripto ſibi exhiberi poſtulat. Inde & me audit, ac vt itidem ſcripto reſponſum meum ad Indicem paucis verbis concipiam, iubet. Vtrumque ſcriptum in aulam tranſmittitur. Ex quo cum facile vanitas accuſationis intellecta fuiſſet, aliae literae a S. Regia Maieſtate huc veniunt, queis ſilentium aduerſariis meis iniungitur, & ne quis ſuper libro meo deinceps quid mouere audeat, ſeuere interdicitur, praeter grauem comminationem addito & hoc; S. Regiae Maieſtati alias curae fore, vt ſi vtique iſte liber noua cenſura opus videatur habere, ea res committatur viris idoneis, & qui dextre eandem obire queant; nec vnquam id cenſendi munus illis deferendum, qui tam praepoſtere hactenus circa id heic verſati eſſent. Cum ne iſtae quidem literae ferociam Indicificis compeſcere valuiſſent, tertiae demum literae Regiae menſe Ianuario huius anni huc mittuntur, quibus denunciatur: meritum eum eſſe, vt ſeuere in ipſum animaduertatur, hac tamen vice adhuc ipſi veniam dari; caueat deinceps clementia regia abuti. Mihi quoque vt actione aduerſus eundem ſuperſedeam, iniungitur. Ac ſane peſſimum ſortita eſſet exitum ſpuria iſta Lutheri animoſitas, ni ſingularis quaedam S. Regiae Maieſtatis clementia meritis poenis ſubtraxiſſet virum, neſcio an per mollia remedia emendandum. Sane diuino iure calumniatorem manebat eadem poena, quam proximo ſuo intentauerat. Igitur cum ipſe fateatur ſibi propoſitum fuiſſe ab Academia hac me dimouere, deprecari non poterat, quin ipſe abhinc in patriam ſuam relegaretur. Petebantur porro per meum latus Illuſtriſſimi Regni Senatores, quibus libri mei cenſura commiſſa fuerat, quos iſte vel craſſiſſimae inſcitiae, vel faedae negligentiae proterue accuſabat; proculcabatur priuilegium Regium, ac ſaepius re-

 petitae

petitae literae Regiae vix tandem contumaciam hominis vtcunque frangebant. Quibus omnibus quae poena debeatur, leges huius regni non obſcure definiunt. Adparet igitur Aſinium Tenebrionem parum ſubleuari auctoritate Theologorum Lundenſium. Nec credo magnam ab ipſis eundem iniuiſſe gratiam, vtut alias decempedalibus elogiis immane quantum videantur titillari, quod neceſſitatem mihi attulerit animoſa eorum facta publice iam exponendi. Praeſertim cum ipſe Aſinius Tenebrio ſui oblitus ſtupenda mentis vertigine mox meam cauſam agere incipiat. *Quem tamen*, inquit, *Procerum gratia penes Regem contra omnium inſultus adhuc conſeruauit.* Contra *inſultus* dicit. Atqui ſolenne eſt Theologis diaboli in pios molimina inſultuum vocabulo nuncupare. Sicuti profecto ex eo genere fuerunt inſultus, quos animoſi iſti viri in me ſunt moliti. Quos cum Proceres Illuſtriſſimi tam gratioſe depulerint, ac innocentiam meam aduerſus maleuolorum improbas calumnias protexerint, immortales iisdem eo nomine gratias ago. Et ſane cum iſti viri me probent, parum puto referre, quid Aſinius Tenebrio, & reliqua inuidorum turba, qui famam meam allatrant, de me ſentiat. Spes quoque eſt inſultatorum iſtorum importunitatem, quae hactenus molli tantum ratione repulſa fuit, aliquando ita caſtigatum iri, vt mihi & probis omnibus negotium deinceps faceſſere ſint deſituri.

§. XXXIX VLTIMO loco producuntur quoque aduerſus me Profeſſores Heidelbergenſes. *Nec mirum*, inquit, *periculoſas & inauditas Pufendorſii nouitates Theologis orthodoxis vehementer eſſe inuiſas. Periculoſas* dicit nouitates, quia ſi quis illas eo modo attigerit, quo Aſinius Tenebrio, ei maximum infamiae periculum imminet. *Inauditas* addit. Atqui quos Indicis auctor mihi affinxit errores, obſoleti ſunt, & ab Eccleſia Orthodoxa dudum proſcripti, & in omnibus auditoriis Theologicis exagitati. *Theologis orthodoxis*, ait, per quos intelligit κατ' ἐξοχὴν compilatorem Lundenſis Indicis, quem iam iam repraeſentabimus, hominem nomine ſuo obſcuriorem, & qui, quid probet aut improbet, nemo ſanus cicum interduit; & alterum illum, cui ſpecimen ſenilis puerilitatis viſum, damnare, quae non legerat aut intellexerat, ac negotio tam inſulſo barbitii ſui auctoritatem, velut tutelare aliquod numen, accommodare. Nam quod vllus praeterea Theologus periculoſas in meo libro ſomniauerit nouitates, nondum audiui; & ne vllas cuipiam deinceps ſomniare in mentem veniat, hoc ſcripto efficiam. *Cum iam ante multos annos*, pergit furcifer, *ipſis etiam Caluinianis Profeſſoribus Heidelbergenſibus, tam Theologis, quam Iureconſultis, vt & Cancellario Blumio propter nouas rerum formas, fictitios terminos, monſtroſa entia moralia &c. valde diſplicuerit, quem vt Philoſophum & Philoſophiae Profeſſorem magis in ſtudio hiſtorico, quam in Theologico vel Iuridico verſatum autumarunt.* Vſque adeo, bellua, omnem tibi memoriam conſumſit mentiendi libido, vt propria tua commenta ipſe deſtrueres? Supra enim Heidelbergae me Caluiniſtam egiſſe ganniebas, id eſt, talem, qui Theologis iſtis maxime placere laborauit: nunc iisdem me valde diſplicuiſſe nugaris. Etſi reuera heic lupum auribus teneam. Si enim dicam, me iſtis viris non diſplicuiſſe, Caluiniſtam oportebit me eſſe apud illos, qui ſummam hanc orthodoxiae perfectionem arbitrantur, coelum nolle introire, ſi Caluiniſtis quoque eodem aditus

aditus pateat. Sin autem agnoſcere velim, quae furcifer blaterat, indignum ſane foret candore praeſtantiſſimorum virorum amicitiam vnquam abnuere. Sed ea de re ſupra iam dictum. Fui ego plerisque ibi carus; fuerim vni vel alteri inuiſus. Quid tum? An cuiquam contigit, omnes pariter habere amicos? An non vbique vnum vel alterum *piperis granulum* occurrit? Id tamen certum eſt, neminem toto, quo ibi fui, ſeptennio vllum verbum ſuper ea diſplicentia ad me feciſſe. Nullumne mihi amicum aut inimicum ibi fuiſſe, qui tanto temporis ſpatio ſuper tam horribilibus rebus aut me moneret, aut easdem mihi exprobraret? Nam quam atrocia ſunt iſta, ob quae Heidelbergenſibus diſpliciuiſſe arguor? *Nouae rerum formae*, ſeu irregulares rerumpublicarum formae, ingratum valde pedanticis palatis ferculum, *fictitii termini*, quia nupero Imperii receſſu prohibitum eſt, nullos amplius nouos terminos procudere, & *monſtroſa entia moralia*, Equitibus S. Simplicitatis tantam triumphorum materiam praebitura. Nec iſthoc ſatis. *Autumarunt etiam, eum vt Philoſophum*, (vt ignominiam eius vocabuli declaret Aſinius Tenebrio, ſanae rationi bellum indixit:) *& Philoſophiae Profeſſorem*, (atqui etiam ipſi iuſtitiae ſacerdotes Vlpiano veram, non ſimulatam Philoſophiam affectare dicuntur:) *magis verſatum in ſtudio hiſtorico:* (quia iam magno cuipiam ICto glorioſum ſcripſiſſe ad prima iuris fundamenta; *Ægyptii reges ſuos partim Ptolomaeos, partim Pharaones, partim* ARSACIDAS *nominarunt:*) *quam in Theologico*, (ad hoc enim docendum me Heidelbergenſes euocauerant;) *vel Iuridico.* (Quid in hoc ſtudio praeſtiterim, vel non praeſtiterim, ſcripta mea oſtendunt. Id tamen non diffiteor, cum anno 1660 a Sereniſſimo Electore Palatino profeſſio inſtitutionum iuris mihi clementiſſime oblata fuiſſet, me eam recuſaſſe; quod iudicarem, non adeo ſplendidum exſerendi ingenii campum eſſe, ſi poſt nongentos nonaginta nouem Inſtitutionum Commentarios, ego milleſimum adderem.) De *Cancellario Blumio* nil habeo, quod peculiariter addam, quem vix credo agnoſcere tale ſuum de me iudicium. Quicquid tamen ille de me iudicauerit, ſane vti ego cuique ſuam in iudicando libertatem relinquere cogor; ita & mihi contra fas eſt, & de iſtis iudicibus, & de eorundem iudicio iudicare. Neque enim heic quaeſitor Minos vrnam mouet. Audiamus demum concluſionem tam lepidi ſcripti. *De hiſce nouitatibus*, inquit (ſane in meo libro non natis) *quas vnico obolo venales nimis care vendi emique credimus*, (ingenue agit Aſinius, qui merci ſuae non enorme pretium ſtatuit;) *ſuo tempore prolixius agam*, (nimirum quando a carnifice tergum tibi pro nauata hac opera virgis publice fuerit conſcribillatum.)

§. XL. Coronidis loco addere neceſſum iudicaui illos ipſos articulos Lundenſes, de quibus ſupra mentionem feci; qui huic negotio non parum lucis afferre poſſunt; ſimulque multos, qui in Germania ob iſtum libellum famoſum immerito in ſuſpicionem vocantur, liberabunt. Eorum compilator eſt *Ioſua Schwartz, Theologiae Doctor & Profeſſor in hac Academia.* Qui tamen publico programmate d. 17. Kal. Iul. heic publice circa mutationem Rectoratus affixo teſtatur, illos per Aſinium Tenebrionem plagio ſibi ſubductos, & aliquot in locis interpolatos, ſeque inſcio typis exſcriptos. Verba ad iſthanc rem ex dicto

dicto programmate haec ſunt: *Homo rudis quidam & prauus illa non ſolum, de quibus eſſe aliqua diſſenſio coepit, per apertiſſimum plagium, tantumque non calumniandi nocendique ſtudio typis nuper diuulgare, ſed ineptis etiam ſuis & improbis commentationibus adſperſis, infamare omnia ſuſtinuerit; quando ita meum, vt bonorum omnium de iſto, eſt votum illud Pauli ad Galatas,* ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς! Repraeſentabo autem illos articulos de verbo ad verbum, prout illi ſuperiori aeſtate Illuſtri vicinae prouinciae Praeſidi fuerunt ab Auctore exhibiti. Ex quo adparebit, quid politurae illis articulis poſt acceſſerit, & quam improba metamorphoſi illud innoxium ante & eruditum ſcriptum in faediſſimum libellum famoſum abierit. Vt hoc exemplo moniti eruditi accuratius ſua ſcrinia obſerare diſcant, ne tam facile eiusmodi Harpyiae, quae contactu ſuo omnia faedant, eadem diripere queant. Quod enim antea meram ambroſiam ſpirabat ſcriptum, poſtquam in Aſinii Tenebrionis manus incidit, nil niſi oletum eſt.

Index praecipuarum Nouitatum, quas Dn. Prof. PVFENDORFIVS libro ſuo de Iure Nat. & Gentium hîc apud nos edidit.

DE THEOLOGIA IN GENERE.

I. DOCET, quod in articulos fidei non abeant, quae proprie ad Ius Naturae pertinent, idque in praefatione fol. 2. fac. 2. Neque enim ſi qui ex illis &c. Ad hunc articulum ego in ſtricturis extemporaneis ita repoſueram: *Per articulos fidei Auctor intelligit capita religionis ſaluificae, ex reuelatione diuina profluentia, & ad ſalutem aeternam ſpectantia. Ius autem Naturae, quod hoc libro traditur, ex lumine rationis cognoſcitur, & tranquillitatem huius vitae pro fine habet. Igitur demonſtrandum Schwartzio eſt, articulos fidei eſſe, qui ex lumine naturae demonſtrari poſſunt, & non ad ſalutem aeternam, ſed ad tranquillitatem huius vitae vltimato tendunt, adeoque vniuerſam Philoſophiam moralem & Iurisprudentiam eſſe articulos fidei. Probet quoque ſtatim articulum fidei fieri, quicquid Theologi quidam ſibi tractandum ſumunt, etiam dum falcem mittunt in alienam meſſem.* Adparet puto ratio, quare primogenitum ſuum iugulauerit ipſe Indicis pater. Sicuti primogenito aſini, quod oue redimere dominus nolebat, ceruices frangebantur, Exodi XIII, 13.

II. STATVIT, Ciuitatem eiuſmodi doctrina perſonare debere, quae cum fine & vſu ciuitatum congruat; explicatque hoc ipſum non tantum de ſcientia humana, ſed etiam ea, quae eſt circa cultum Dei. Sic enim p. 910. Inde expedit vt publice &c.

DE SCRIPTVRA SACRA.

I. QVAESTIONEM facti hoc eſſe docet, de quo non niſi ex diuinarum literarum auctoritate conſtare poteſt: vtpote doctrinam de ſtatu integritatis & corruptionis. In praefat. fol. vlt. fac. 2. Enimuero praeterquam &c.

(EGO

(Ego repoſueram: *Heic nulla eſſet nouitas, ſi Schwartzius intelligeret, quid ſit quaeſtio facti.* Quo audito patrem ſua proles parum decere viſa fuit, coque illam expoſuit.)

DE DEO.

I. Negat Deum naturae ſuae legibus teneri, vt hoc vel illud agere non poſſit; affirmatque omnia illa, quae non agere poſſe dicitur, ex placito non agere, legemque ſibi ipſi non niſi ex placito eſſe, p. 133. §. 3. Quod autem idem quaedam &c. confer p. 166. §. 6.

II. Iustitiam ad Deum propter ſimilitudinem ſaltem, talem nempe agendi modum, qualis eſt in hominibus, applicari, Deoque ἀκύρως, imo etiam minus Deo, quam hominibus competere, p. 134. Hinc & quando &c. p. 166. §. 6. pag. 177. §. 12. iſtis locis argumentum a minori ad maius ductum videtur, conf. p. 164.

III. Devm non principaliter propter eſſentiam, ſed propter poteſtatem, voluntatem & beneficia coli. Idque primum implicite p. 79. his verbis: Adeoque legibus obeditur, non principaliter propter rem ipſam, ſed propter voluntatem praecipientis. Deinde explicite pag. 92. Inde etſi impia ſit Epicureorum, &c.

DE HOMINE IN STATV INTEGRITATIS.

I. Docet, illum ſtatum, in quo homo abſque vlla cura vel ope ab alio homine accedente conſideratur, longe miſerrimum eſſe, ne illo quidem excepto, in quo homo iuſta ſtatura ac robore praeditus fuit, quum primum exſiſtere coepiſſet, hoc eſt, ſtatum Adami ante Euam, aliosque homines creatos exſiſtentis, p. 140. §. 2. Si igitur, &c. (Ad vltima verba huius articuli ego monueram: *Obiter petit, vt Schwartzius ſibi oſtendat, quinam ſint illi* alii homines, praeter Adamum & Euam a Deo *creati*. Ne igitur Praeadamitas videretur introducere velle, ea verba expunxit.)

II. Docet primum ac recentem orbis incolam, hoc eſt, Adamum ſeruari non potuiſſe, niſi Deus ipſum neceſſaria vitae media adhibere peculiariter docuiſſet, p. 140. §. 2. Inde licet de originibus &c.

III. Qvod homo prout ex creatione phyſice perfectus extitit, ſine ordine & decore, reluctantem habuerit voluntatem, brutisque ipſis prauior fuerit, quae cauſa, quare lex illi ſuperaddita ſit, pag. 4. §. 4. Nobis illud iam &c. p. 3. §. 3. Exinde &c. p. 136. §. 5. 6.

IV. Attribvta vel Entia moralia originitus homini phyſice perfecto ſuperaddita ſaltem, non concreata eſſe, p. 3. §. 3. 4.

V. Primos homines prout in origine & ſtatu ſuo primaeuo ſe habuerunt, non mortalium tantum nomine appellat, ſed tantam etiam illis imbecillitatem tribuit, vt ſine peculiari cura ſeruari non potuiſſent. Mortalitatis etiam cauſa

genus humanum diuerſitate ſexus, propagandique facultate creatum eſſe, p. 140. §. 2. Inde *licet* &c. p. 750. §. 2. Poſtquam &c.

VI. Recentem & ſolitarium orbis incolam attonitum, hoc eſt, conſternatum ſtetiſſe.

(Ad vltimum vocabulum huius articuli repoſueram: *Probet Schwartzius fundamentalem hunc articulum fidei: quod Adamus quando primum hanc mundi machinam mirabundus adſpiciebat, ſteterit non vel iacuerit vel ſederit.* Hinc illud *ſtetiſſe* mutatum in *fuiſſe.*)

DE PECCATO ORIGINIS.

I. Entia moralia, eorumque effectus originitus etiam conſiderata amitti vel deleri pro lubito poſſe, ſine vlla mutatione vel corruptione eius rei, cuius antea fuerunt, p. 4. §. 4. Ac per eadem ipſis & p. 19. §. 23.

II. Non poſſe nobis imputari, quae ex cauſis extra directionem noſtram poſitis proueniunt, vel vires noſtras excedunt, p. 64. porro vt aliqua actio &c. p. 66. §. 8. p. 37. §. 3. nec vitio nobis verti &c.

(Quia reſponderam, hanc regulam tantum ad forum humanum pertinere, ergo & hic articulus in manus Aſinii Tenebrionis non incidit.)

DE PECCATIS ACTVALIBVS.

I. Negat quaedam per ſe citra omnem impoſitionem honeſta vel turpia eſſe, omnesque actiones hominis, adeoque ipſum furtum, homicidium, & ſimilia natura ſua actiones indifferentes eſſe, p. 25. 26. NB. 27. Hoc enim modo &c. conf. p. 47. p. 14. p. 161. §. 4.

II. Qvod coeli ſolique genius, & humorum in corporibus temperatura voluntatem hominis ad peccata vergere faciat, p. 53. Inter illa igitur &c.

(Hic repoſueram: *Auctor non dicit coeli ſolique genium diſponere homines ad peccata, ſed ad* certum genus actionis: *Hoc ipſum autem qui credere non poteſt, parum ſeſe peregrinatum fatetur.* Haec cauſa fuit, cur articulus hic in cunis elideretur. Nam Schwartzius per integrum octiduum Pariſiis fuit; & in Hollandia cum crumeniſecis ludens viaticum amiſit.)

III. Peccatvm alienum exſequi peccatum non eſſe, p. 1028. 1029.

DE LIBERO ARBITRIO.

I. In ipſa facultate apprehenſiua & iudicio naturalem ineſſe rectitudinem, vel intellectum hominis naturaliter eſſe rectum p. 37. §. 3. p. 72. Nam id vtique &c.

II. Omnibvs ſuis affectibus vel paſſionibus imperare hominem poſſe, veri is Cartesii, quae ſua facit, ſtatuit, p. 55. Illud inſtituto noſtro &c.

DE

DE LEGE NATVRAE.

I. Genvinvm, ſufficiens & adaequatum principium cognoſcendi legem Naturae eſſe ſocialitatem, p. 181. §. 14. p. 183. §. 15. NB. p. 188. §. 19.

II. Legem naturae inſitum quendam vel connatum habitum eſſe negat, primum quidem implicite toties, quoties entia moralia naturae perfectae ſuperaddita ſaltem vel ſuperimpoſita eſſe ſtatuit, item quoties diſcrimen honeſtorum, aut turpium ex informatione, aſſuetudine & diſcurſu eſſe docet, id quod potiſſimum p. 179. 180. 190. facit. Deinde explicite p. 178. §. 13. Quam ad rem &c. adde p. 19. Nunquam enim.

III. Essentialem Dei iuſtitiam prototypum vel fundamentum Iuris naturalis eſſe negat, p. 163. §. 5.

IV. Negat igitur Legem naturae eſſe aeternam, p. 25. §. 6. & ſane p. 28. Ex quibus adparet.

V. Entia moralia omnia, adeoque etiam leges naturae, mutabilia eſſe docet, p. 19. §. 23.

VI. Principivm eſſendi vel fundamentum Legis Naturae ſocialitatem eſſe docet, vel Naturam, quatenus a Creatore ſocialis facta eſt, idque ſtatim in praefat. fol. vlt. Caeterum id quoque monere viſum, &c. Quid porro planius eſt, quam hoc.

VII. Plvres vxores quam vnam domum duxiſſe, contra ius naturae, quod materialiter decalogus eſt, non eſſe. p. 776. §. 16. Sic 2 Samuel. XII, 8. Add. p. 778. §. 17. 782. §. 19.

DE DECALOGO.

I. Decem praecepta, prout duabus tabulis inſcripta, & per Moſen populo Iſraëlitico promulgata fuerunt, ciuiles leges eius populi fuiſſe, p. 1025. §. 4. Quando tamen.

II. Nvdam illam & vniuerſalem cognationem, quae ex ſimilitudine naturae reſultat, cauſam vel fundamentum eſſe, propter quod homo hominem diligit, p. 6. §. 7. In ordine autem &c. p. 187. §. 18. Nam reuera.

III. Dictvm Saluatoris, quo iubemur proximum noſtrum diligere, ſicut nos ipſos, explicandum eſſe non tam de gradu dilectionis, quam de huius ſinceritate, p. 226.

IV. Valde dubium eſſe, an inuaſor aliquis ſub proximi nomine venire poſſit, ibid. p. 226.

(Heic regeſſeram: *Si Schwartzius probauerit ex Lucae X, 36. 37. latrones viatoris iſtius ſeminecis proximos fuiſſe: Auctor quoque credet, ipſum & ſocios bonorum virorum officio functos, dum eum tanquam haereticum infamare inſtituunt.* Credo poſthaec matrem ſuus conterruit infans.)

V. Neminem ſibi ipſi obligatum eſſe, niſi reſpectu ſocialitatis, quo reſpectu etiam homo Dei ſeruus, p. 86. & praefat. fol. vlt. fac. 1. Dantur ſane &c.

VI. Nullam eſſe morum honeſtatem & innocentiam vbique & extra ſocietatem ſeruandam, ſeu citra reflexionem ad alios homines in praef. fol. vlt. fac. 1.

VII. In naturali ſtatu neminem altero ſuperiorem eſſe, cuius arbitrio ſuam voluntatem, ſuumque iudicium ſubmittat, p. 143. 763.

DE MATRIMONIO.

I. Qvicqvid iuris habet mas in faeminam, ex ipſius conſenſu habere, p. 763. (Ego regeſſeram: *Adde tanquam ex cauſa ſecunda & proxima, quae reſtrictio extat, p. 770. lin. 15.* Et ſic iſte embryo vitalis eſſe deſiit.)

DE MAGISTRATV POLITICO.

I. Imperivm Magiſtratus in ſubditos ex pactis, Deumque cauſam ſaltem adprobantem, hoc eſt, moralem eſſe, p. 897. 898. 899. 900. 902.

(Hic repoſueram: *Sine dubio ad finem properanti Schwartzio ſomnus obrepſit, quando iſtum articulum fidei excerpſit. Nam expreſſe Auctor pag. 899. ſententiam Grotii reiicit, quaſi Deus ex poſtfacto tantum ciuile imperium* adprobauerit: *& antecedenter Deum id introduci voluiſſe aſſerit. Praeterea eo loco de cauſa proxima & ſecunda imperii ciuilis agit.* Inde probabile eſt, ſomno diſcuſſo a matre proli manus illatas; ne per Aſinium Tenebrionem pars libelli famoſi fieret.)

II. Principi iniuriam inferenti, ſi euitandi locus non ſit, vi occurri poſſe, p. 1004. 1006. 1007.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

I. Si miniſter ſuo iure, ſeorſim ſibi competente, hoc eſt, ita vt hoc ius non dependeat a magiſtratu, agat, dominium mundanum contra magiſtratum ſibi ſumere, p. 913. Denique penes &c.

(Ego reponebam: *Cautius vt animum ſuum in Principes Schwartzius obtegat, ſuadet Auctor. Interim vbi Schwartzius diſtincte explicauerit, quouſque illud ius miniſtris ſeorſim competens extendat, Auctor ab illis, qui ipſius librum adprobarunt, percunctabitur, quid ad hunc articulum ſit reſpondendum.* Hoc audito Schwartzius abortum fecit. Et inde eſt, quod Index iſte, capite & cauda truncatus in nefarii plagiarii manus inciderit.)

Hactenus Lundenſis Index Nouitatum.

Vt puto ita depexum dedit Aſinium Tenebrionem, vt cuiuis in procliui ſit futurum iudicare, quo loco & Index Nouitatum, & eius auctor editorque ſit habendus. Sed & illud quiuis cordatus agnoſcet, ex ineuitabili neceſſitate ad exiſtimationis meae defenſionem iſthaec mihi fuiſſe publicanda. De caetero quid praemii mereantur, qui tam foedo exemplo graſſantur in famam bonorum virorum, & qui pro modulo ingenii Spartam, quam ſortiti ſunt, ornare laborant, magiſtratui curae erit; cuius auctoritas ne a ciuibus ſuis ludibrio habeatur, ipſius quam maxime intereſt.

SAMVE-

Digitized by Google

* *

SAMVELIS PVFENDORFII
EPISTOLA

AD

PLVRIMVM REVERENDVM ATQVE CELEBERRIMVM VIRVM

DN. D. IOH. ADAMVM SCHERZERVM,

THEOLOGVM APVD LIPSIENSES PRIMARIVM,

SVPER CENSVRA QVAPIAM IN LIBRVM SVVM INIQVE LATA.

PLVRIMVM REVERENDE, ATQVE CELEBERRIME VIR,

ANTIQVA eſt iſta eruditorum ſors, qui prius inuentis aliquid addere, aut polituram adhibere ſunt aggreſſi, vt primum fere hunc laboris ſui fructum percipiant, varia variorum iudicia incurrere; ac ſaepe maleuolorum aut ſciolorum dentem laſſare. Scholaſtica cumprimis ingenia quibus morbis agitentur, quis eſt qui ignoret? Inuidere alterius famae, arreptam ſemel opinionem mordicus defendere; carpendis aliis auctoritatem ſibi conciliatum ire, clarorum virorum inimicitiis inclareſcere velle; intemperie litigandi laborare, velut epidemica iſti ordini labes ſemper fuit. Quid ergo mirum, ſi & mea ſcripta vnius vel alterius ſupercilio non omni ex parte ſe potuerunt adprobare? Et qua fronte poſtulare velim; vt omnia mea in oraculorum vicem ab aliis adorentur; cum ipſe nunquam circa res rationi ſubiectas in vllius magiſtri verba iurandum mihi duxerim? Aut cur aegre feram; quam ego in alios innoxiam libertatem mihi ſumſi, eandem alios in me quoque exercere? Enimuero quae in me tentata ſunt, poſtquam illuſtrandae diſciplinae iuris naturalis meam quoque ſymbolam conferre inſtitui, neſcio ad quam morbi ſpeciem referenda ſint. Vt enim inter officia heroicae pietatis referre velis, ſententias non intellectas, aut maligne interpolatas diſtortasque haereſium vocabulo diffamare; tamen libellos famoſos publice edere, in duellum prouocare, de ſicariis immittendis minas iactare, ſupra ludimagiſtrorum rabiem eſt. Sic facile eſt, vt *Vigilis* alicuius vecors maledicentia contemnatur. Aſt quod abs tam graui Collegio apud populares meos liber meus tam atroci

notatus ſit cenſura, id plane praeter omnem meam opinionem accidiſſe fateor; cum potius in iſtis non leue mihi praeſidium poſitum aduerſus aliorum iniquitatem arbitrarer. Et ſane cum viderem, tantos viros ex libello famoſo de me ſententiam tuliſſe, non poteram non grauiter commoueri, non tam quod apud intelligentes ea reș exiſtimationem meam laeſura eſſet; quippe cum facere iniuriam, non pati, turpe ſit: ſed quod neceſſitas mihi foret impoſita ſecus ſentiendi de illis, quos ſincero affectu proſequi perpetuo cupiebam. Animus tamen erat tantam iniuriam tacite concoquere, eamque natali ſolo, quod me ac mea ſtudia quondam tam benigne fouit, condonare; inprimis quod ſpes eſſet, obliuione eandem paulatim ſepeliendam, diemque temere praecipitata iudicia emendaturam. Aſt id non amplius integrum eſt per importunitatem *Chriſtiani Vigilis*, ſub quo vocabulo *Dn. Fridericum Geſenium Superintendentem Garlebienſem* latitare fama publica & amicorum literae indicant; qui in impudenti ſuo ſcripto tam odioſe Saxonicae cenſurae mentionem iniicit, vt in me, meosque iniurius ſim, ſi eiusdem iniquitatem vlterius diſſimulem. Praeſertim cum apud imperitos tam ſpecioſa nomina a maleuolis magna cum ambitione iactentur, velut quibus ipſorum cauſa immane quantum ſubleuetur. Quod autem iſthoc ſcriptionis ad Te potiſſimum, *Vir Celeberrime*, dirigam, eius ratio inferius ſatis adparebit. Viſum eſt enim iam vna fidelia duos parietes dealbare, & ad maledicum *Vigilis* libellum pauca quaedam reponere; vt agnoſcas, quam turpe Tibi ſit futurum, ſi ab iſtorum partibus ſtare videaris, qui ruditatem & malitiam ſuam tam impudenter apricantur.

PRAETER Sycophantias igitur & maledicta, quae impuro ſcripto paſſim ſpargit *Vigil*, tria ſibi praecipue agenda ſumit, vnum eſt, vt *iniquitatem in ius naturae* me admiſiſſe arguat, quod retorſionem ipſi impegerim ob attributum Fratri meo aut mihi *Sinceri* WARENBERGII *de diuortio dialogum.* Heic ſi quid efficere volebat *Vigil*, probandum erat, vel plane id ſcripti a ſe nobis non fuiſſe tributum, vel vere tributum. Horum cum neutrum praeſtare poſſit, nugas tamen agere mauult, quam delictum ſuum agnoſcere. Ac ſane nulla erat cauſa, quae *Vigili* neceſſitatem imponebat ieiunum illud ſcriptum emittendi. Horribile mendacium eſt, *in Suecia controuerſiam agitari ſuper coeleſti monogamias praecepto; triuiales* ibi *diſcurſus in congreſſibus publicis ac conuiuiis ſolennioribus* ea ſuper re frequentari. Sane illis qui in Suecia habitant, de hoc nihil auditum fuit. Neque *Dn. D.* MENZERI *epiſtola* tale quid tradit. Non enim, ſi vnus vir ſuper epulis, incertum ſerio, an ingenii exercendi, vel informationis petendae cauſa cum erudito viro quid diſſeruerit, id ſtatim triuialis & publica erit controuerſia, vt non ſolum fato huius Regni ſit indoleſcendum, ſed & vicinis a contagio periculum immineat. Et quidem vt *Vigil* potiſſimum ingruenti malo obuiam ire debuerit; cui potius incumbebat, auditores ſuos monere, vt probae notae cereuiſiam coquant. Sane enim ſi quid heic in moribus aut dogmatibus labet, non deerunt idonei emendandi auctores: nec vnquam eo nobiſcum res redibit, vt Praeſulis Gardelebienſis opera Eccleſiae noſtrae indigeant. Vtut non ſine faſtu crepet; *ſe a Deo Eccleſiae non ita vni deſtinatum,*

vt

vt non totius etiam ſalutem quaerere debeat. Nam valde dubito, an Pontifex Romanus Praeſulem Garlebienſem aequo animo collegam ſit admiſſurus. Quid porro opus erat *Vigilis* ſcripto, cum iam dialogus iſte a *Dn. D. Menzero*, quem ea res propius ſpectabat, abunde eſſet confutatus? Cuius tamen aemulum ſe ferre per modeſtiam abnuit, dum ait: *ab initio ſe ſibi potius quam aliis ſcripſiſſe*. Credas graues ſtimulos carnis ſenſiſſe hominem, vt aegre a pluribus vxoribus ducendis abſtinere ſe potuerit, niſi demum emphaſin phraſeos, *& erunt duo in carne vna*, ſibi ad nauſeam inculcaret, ardoribusque ſuis ab aquis diluuii, & igne Sodomorum, ſyllogiſmiſque in forma propoſitis medicinam peteret. Sed ſi tanta ſcribendi libidine miſer aegreſcebat, cur Puſendorfium nomen vellicandum ſibi ſumebat? Cur non *Dn. D. Menzeri* prudentiam imitabatur, qui rem ipſam tractaſſe contentus, de auctore parum ſolicitus eſt? *Fama publica*, inquit, *ſuſurrabat*, *Puſendorfium eſſe auctorem triuialis diſcurſus in Suecia de polygamia diuinitus non interdicta*. Aſt antequam *ſuſurris* fidem adhiberet praeſul, euoluiſſe debuerat illud *Siracidis* XIX, 15. Quin ipſe *Vigil* agnoſcit, a me non potuiſſe Holmiae diſcurſus diſſeminari, qui in Scania dego, in quam eo tempore vix biennium erat cum adpuliſſem. Fratrem autem meum eius *opinionis auctorem & profeſſorem* fuiſſe, effrons plane commentum erat: quem conſtat proximis nouem annis apud exteros perpetuis legationibus detentum, hoc ſpatio non niſi ſemel paucos per menſes Holmiam inuiſiſſe. Quod ipſum aeque facile noſci poterat; quam quo munere is quondam in Suecia functus eſſet. Nil ergo habet, quod indignetur *Vigil*, ſi ad famam noſtram vindicandam retorſione in ipſum vſus ſum. Cur enim remedium iuris communis nobis ſolis non pateat? Neque vero in ea retorſione dictum quid eſt, quod leges non permittunt. Nam ad ipſum ſolus §. 3. *Apologiae* ſpectat. Et quod *Vigil* in Aſinii Tenebrionis elogia inuolare velle videtur, id ſi vel maxime ego non inuideam, ipſe tamen Aſinius intercedet, qui per iſta martyrum ſe coronam meritum arbitratur. Fruſtra porro ad famam *Vigil* prouocat, cuius falſitas facillime deprehendi poterat; & quae nondum inueterata, aut longo meo ſilentio confirmata erat. Frequens autem eſt; vt vbi plures de aliquo ſiniſtri quid ſparſerint, vt ille talitrum accipiat, qui primus id publice ſpargere auſus eſt. Ergo caueat deinceps *Vigil* naſum ſuum ante primum, agmen protendere. Ridiculum autem eſt; quod ſcribit, me debuiſſe *ſcandalum, quod Warenbergii ſcripto Eccleſiae obuenerat, tollere*. Nimirum quia iam ſcandalum dat is, de quo mendacia ſparguntur, non is qui mentitur. Sed nec dignitas ſua *Vigilem* tutum praeſtabat, quo minus retorſionem audiret. Non enim credit Puſendorfius, Praeſulatum Garlebienſem id habere faſtigii, vt iniurias inde profectas tacite deglutire debeat. Intentio pia, quam iactat, excuſare *Vigilem* potuiſſet, ſi priuatim ſcripta epiſtola me monuiſſet. Sed vbi publice fama noſtra laeditur, defenſio nobis patet etiam aduerſus ſtolide credulum, aut inconſultae pietatis ſpecimen edere parantem. Quin ſi *Vigil* aliquem ex ſuis cereuiſiae coctoribus, famae mendacio deceptus, grauis cuiusdam facinoris pro ſuggeſtu nominetenus arguiſſet, iniuriarum poſtulari poterat. Et mihi vitio vertetur, ſi in conſpectu Orbis eruditi ſcriptum vti vocat *atheum, venenatum*.

Digitized by Google

tum & pernicioſum falſo impingenti retorſionem oppoſuero? Niſi forte negare velit, ſe vnquam id ſcriptum mihi attribuiſſe; ſed tantum illi, qui mihi *alter ego* ſit. Atqui ipſe fatetur, *in ſua ſcriptione ex publica fama Pufendorfiorum nomen menti obſeruaſſe*, (quae ipſius eſt latinitas,) & ſuum ſcriptum forte *Beſſiauium fortunam habuiſſe*. Ergo vel meo nomine, vel eius, qui mihi alter idem eſt retorſionem cape. Quis denique credat, ſenſum communem illi homini ineſſe, qui me iubet *illam calumniam, illudque mendacium ea, qua par eſt, euidentia probare*? Adparet Garlebiae incognitum eſſe, quod actori probatio incumbat. Quanto ſatius ergo fuerat *Vigili* aegrotos imitari, qui amaras pilulas non diu intra dentes reuoluunt, ſed confeſtim degluciunt. Nam haerebit iure impacta ipſi retorſio, quousque ingenue iniuriam ſuam agnouerit.

Alteram partem ſcripti defenſio Aſinii Tenebrionis occupat; de qua vel ideo non magnifice ſperare poſſumus; quod ipſe clientem ſuum ignorat. *Plurima dixit in laeuum conuerſus; at illi dextra iacebat Bellua.* Sane enim quem tam ſuaui fratris & ſocii vocabulo compellat Aſinium *Vigil*, ne pilum quidem Theologi habet: ſed *Vtriusque Iuris Doctor* eſt. ICtus inquam eſt, qui *Indicem Nouitatum* ipſe veterator iam perpetuis damnatum tenebris denuo protraxit, & neſariis modis interpolatum edi curauit. Hoc igitur parente iſte foetus, a primis ſuis genitoribus abdicatus, deinceps cenſetur. Nec vllum vnquam ſani ſincipitis Theologum tam abſurda ambitio vexabit, vt iſthanc deformem prolem ſibi velit vindicare. Et quia tanta rerum nouarum prurigine laborat Praeſul Garlebienſis, quaedam circa hoc negotium ipſi antehac ignota pandam. Cliens igitur ipſius vocatur Nicolaus Beckmannvs *Heida Holſatus* I. V. D. *& in Academia Carolina Ex-profeſſor*; qui & antea edita *Medulla Iuſtinianaea*, *& Commentario ad prima Iuris fundamenta* ſuam in exſcribendis libris ſolertiam ſatis oſtendit. Huic viro regenitum Indicem Nouitatum orbis debet. Quam tamen operam non gratis inſumſit. Nam & ipſe iudiciali ſententia infami relegatione eſt damnatus, & *Index Nouitatum* manu carnificis comburendus inſigne lumen auctori foenerabit. Dignum ergo iam adparet patella operculum Aſinii clientis patronus *Vigil*. Quem quod aſinum ſubinde & furciferum ſalutauerim, mitius iraſcetur *Vigil*, ſi ingenii mei ſimplicitatem cogitare velit, quod ſcapham ſcapham, & ficum ficum vocare amat. Sed & illud mali aduocati ſpecimen exhibet *Vigil*, quod ſi vel maxime daremus, ipſius clientem ex ſacro eſſe ordine, eius cauſam turpi praeuaricatione deſtituat. Si enim agere quid volebat, macilentus iſte Iudex, in iuſtum ſyſtema inauditae cuiusdam Theologiae erat redigendus. Aut ſi hoc ſpecimen calumniae ingenium ipſius ſuperabat, ſaltem ab impudentia ſubſidium erat petendum, & importune clamandum; illos errores vtique in meo libro adſtrui. Quorum cum neutrum faciat, ſed nil niſi *Atlantem ipſi incumbentem*, ac intemperiem Zeli crepet, & pauculas propoſitiones philoſophicas imperite vellicet; videri poteſt, virum iſtum non obſcure arguere, quaſi per inſcitiam aut praecipitantiam circa horrendos errores tumultum mouerit, qui nuſpiam nunc adparent. Sed & videtur nouus iſte cauſidicus quasdam ſententias ponere, quas neſcio an omnes

citra

citra granum ſalis ſint admiſſuri. Veluti quod de cenſura Theologorum in diſciplinas rationi ſubiectas iactat. Sane enim peculiaris diſciplina eſt Theologia, tum ab aliis ſcientiis, tum ab ipſo quoque iure naturali diſtincta. Licet enim Theologia moralis plurima inculcet praecepta, quae & ipſa ius naturale tradit: huius tamen, non illius, diſciplinae eſt, eorundem neceſſitatem ex ratione demonſtrare. Vnde ſane nihil repugnat, dari Theologum, articulorum fidei Chriſtianae gnarum, ſed qui in aliis ſcientiis ſit plane hoſpes. Hinc ſane impudenter cenſuram ſibi arrogabit in ea, quae non didicit. Quod ſi autem quis cum Theologia alias quoque diſciplinas ſe coniunxiſſe glorietur, illi tamen nec alia via in hiſce addiſcendis, quam caeteri, progreſſus eſt, nec ideo quod Theologus audit, peculiares quasdam inſpirationes ſenſit; cum & ipſa Theologia non alia iam ratione, quam caeterae diſciplinae, addiſcantur. Vnde ſi circa alias diſciplinas moliri quid velit Theologus, non pro imperio, ſed rationibus rem geret, & ex principiis cuique diſciplinae peculiaribus; niſi ea principia falſa eſſe demonſtrare poſſit. Tum ſi quid a recentioribus tradatur, quod in ipſius dictatis & collegiis manuſcriptis non inuenitur, non ſtatim haereſin & atheiſmum proclamet; ſed num illud reuera ita ſe habeat examinet. Denique ſi imperite procedat, non minus eruditis ludibrium ſe credat debere, quam ſi alium ratio fugiat, praeſertim ſi cum ignorantia faſtum aut pertinaciam coniunxerit. Vbi porro ſummis ciuitatum Rectoribus ipſorum Theologorum ſcripta ſub ſuam cenſuram reuocandi ius eſt, quo obtentu iſti in aliarum ſcientiarum doctores dictaturam exercebunt, niſi quatenus ſibi ab iſtis peculiariter ſit delegatum? Praeterea niſi Theologos ſupra communes leges ponere vellet *Vigil*, non erat, quare tam indignum facinus clamitaret, ſi cuiuſpiam ſacerdotis iniuria & veſania ab aliis fortiter repellatur. Equidem merito prudentes rixas cum ſacerdotibus vitare monent. Sed ſi ipſi vltro in nos irruant, num ceruices noſtros pedibus eorum calcandas proſternemus? Aut ſi vnus vel alter Eccleſiae miniſter hoſtili in nos animo feratur, num ideo caeteris minus amicis vti nobis licebit? Sane enim vt & ipſi inter ſe capitalibus odiis diſſideant, nihil noui eſt. Quae inſuper *Vigil* de perſecutione philoſophiae Carteſianae gannit, me non tangunt. Non enim, quia ſacerdotes in *munitiſſima* Heluetia eam ex ſcholis ſuis exturbarunt, ideo acu rem tetigerunt, qui Indicem Nouitatum architectati ſunt. Et dubito, an quicquid vbique eſt eruditorum, Heluetiis ſit aſſurrecturum. Sane mea ſententia praeſtabat inquirere, num ea Philoſophia cum rerum natura congrueret, quam quouſque illa a vulgatis ſcholarum dogmatibus diſcedat. Nouum quod ſi dogma, an vetus, modo verum, nihil intereſt. Et ſi veritas noua fuerit eruta, non difficile erit, eandem cum antiquis veritatibus conciliare. Maneat porro vſus, tollatur abuſus; abs quo ne vulgata quidem philoſophia immunis eſt. Et fallor an plerique non tam pro veritate pugnant, quam ne noua philoſophia introducta ipſi in tironum claſſem reiiciantur. Sed, quid Carteſio fiat, eius ſectatores viderint. Denique nec id operae, quod ego in falſis Hobbeſii ſententiis deſtruendis collocaui, ideo minoris eſt, quia *Richardus Cumberlandus* eodem anno in diuerſa regione in eundem arma mouit. Ergo hactenus nihil attulit *Vigil*, quo clientis ſui cauſa

ſubleuaretur; niſi forte in eo ſibi vehementer placet, quod ſacra dicta tam profane adplicare calluerit, aut protritum illud Zeli pallium tam putide iactet, quod nunquam non velando ſacerdotum furori inſeruiit.

Ad extremum tamen non vulgaris cauſidicinae ſpecimen exhibet *Vigil*, dum ſaltem ſibi comparatum Aſinium probum atque eruditum virum haberi debere pertendit. Et ſane ſi conſidero, qua via *Vigil* ſuam in eruendo naturali iure felicitatem voluerit oſtentare, iam Aſinius ſublimi vertice ſidera ferire videtur. Ac primo quidem carpit, quod ſocialitatem (non *ad petitum ſocialitatis*) conſtituerim fundamentum legis naturalis. Per fundamentum ego intelligo primariam propoſitionem in diſciplina iuris naturalis, extructam ex obſeruationibus a natura rerum & hominum petitis, ſub qua caeterae propoſitiones facile poſſint ſubſumi & in eandem reſolui. Eodem ſenſu, quo in Sacris Literis dilectio ſumma legis dicitur. Sicuti & ea ſententia Platoni, Ariſtoteli, ac cum primis Stoicis eſt familiariſſima; ac fundamento Hobbesii de conſeruatione ſui ipſius praecipue opponitur, quod & ipſe Cvmberlandvs mecum oppugnat. Vnde neque ſocialitas natura humana prior conſtituitur, neque ab hac via ius naturale inquirendi ratio, & quicquid luminis homini poſt lapſum adhuc ſupereſt, excluditur; vti *Vigil* ſibi perſuadet. Ea porro ſocialitas non in illis tantum terminatur, qui peculiari nobiſcum ſocietate iuncti ſunt, ſed ad omnes omnino homines porrigitur. Et leges vniuerſalis iſtius ſocialitatis quarumuis particularium ſocietatis leges antecedunt, iisque limitationem & exceptionem addunt. Id quod ex *Operis* mei p. 185. 186. & L. III. c. 1. ac paſſim adparet. Vt nullus plane locus ſit *peſſimis* illis *conſequentiis*, quas *Vigil* nectit, quibus iam a me occurſum eſt. L. II. c. 3. §. 10. 11. Quin & iisdem conſequentiis Saluatoris noſtri ſententia de dilectione proximi obnoxia eſt, ſi Garlebienſis ratiocinatio valet. Sic illud quantum malitiam arguit, quod *Vigil* haecce verba noſtra calumniatur: *Religio quatenus ad diſciplinam iuris naturalis pertinet, intra ſphaeram huius vitae terminatur:* quae latius explicantur in *libello noſtro de Officiis* L. I. c. 4. §. 8. 9. Ergo ni fallor Garlebiae noua iam religio ſurgit, quae citra operam Saluatoris noſtri ex ſola illa notitia circa cultum Dei, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, ſalutem aeternam confert. Habent Garlaeae coctores, quod ſibi de tali praeſule gratulentur. Pari rabie carpitur dictum, iam Aſinii ſupercilio notatum; *Expedire, vt publice ciuitas eiusmodi doctrinis perſonet, quae cum fine & vſu ciuitatum congruunt, ſimulque animi ciuium a puero iſtis imbuantur.* Quae ſententia ex L. VII. c. 4. §. 8. deſumta de directione duntaxat doctrinarum, quae ex lumine rationis profluunt, ac praecipue moralis philoſophiae & iuris naturalis, agit. Nam de poteſtate ſummorum imperantium circa ſacra Chriſtiana tractare conſulto abſtinui, nec id ratio operis mei ferebat. Caeterum quo minus ego deinceps quoque ita doceam, neque Ieſuitae, neque Anabaptiſtae, neque Millenarii, neque Quackeri, neque vniuerſa Fanaticorum cohors, neque Aſinius Tenebrio, neque *Vigil* me prohibebunt; qui omnes heic amice conſpirant, & facultatem turbas in republica mouendi hoc dogmate ſubtrahi indignantur. Nam quod aliqui afferunt

runt dictum *Matth.* X. 34. 35. id quale ſit, etiam pueri vident. Niſi forte iſti homines in Sacra Biblia Indicem Expurgatorium moliuntur, in quo primo omnium Saluatoris noſtri elogium, *Princeps pacis*, expungatur; tum praeterea virtutes, caritatis, veritatis, humanitatis, manſuetudinis, humilitatis, patientiae, facilitatis, ad condonandas offenſas, & ſimiles, quae ad pacem alendam faciunt, longe exeſſe iubeantur; & in eorum locum Chriſtianis commendetur odium proximi, ſuperbia, moroſitas, turbulentia, ardor vindictae, pertinacia, libido calumniandi, & ſimiles, quae fini & vſui ciuitatum, *Vigili* & ſociis tantopere inuiſo, quam maxime repugnant. Nec dubium eſt, quin tunc *Vigil* cum ſuo cliente illuſtre Chriſtiani orbis lumen ſit futurus.

Denique circa quaeſtionem de origine moralitatis in actionibus humanis nil niſi nugas & virus eructat *Vigil.* Eum *moralitatem antecedenter ad voluntatem Dei ſe habere* absque ſenſu dicitur. Cum enim Deus liberrima voluntate creauit hominem, id eſt, animal rationale ac ſociale; quomodo voluntas Dei excludi inde queat, quod eidem obligatio obſeruandi legem naturalem ſit iniuncta? Si ad totum ſubiectum producendum voluntas Dei concurrit, cur eadem a praecipua iſtius affectione remouetur? Sic quando dicitur: ea de quibus lex naturae diſponit, *per ſe* ſunt honeſta aut turpia: iſtud *per ſe* opponendum eſt diſpoſitioni legislatorum humanorum; nequaquam autem vel diſpoſitioni Creatoris, qui legis naturae auctor eſt, vel congruentiae aut aberrationi iſtorum actuum a natura hominis rationali ac ſociali, ex qua lex naturalis intelligitur. Ac fateor, me non ita eſſe perſpicacem, vt videam, quod periculum rebus humanis immineat, ſi dicatur: Deum eo ipſo, dum hominem creat, animamque eidem inſpirat, ſimul eidem legem naturalem tuliſſe & inſinuaſſe; cui qui congruunt actus honeſti, qui non congruunt turpes ſint. Sic & (vt obiter hoc addam,) ille *Profeſſor Ienenſis,* qui nuper eandem quaeſtionem ventilandam ſibi ſumſit, non multum a *Vigile* abit: dum abſurdas aliquot propoſitiones mihi de ſuo affingit, & mox poſtquam propria figmenta operoſe deſtruxit, vacuo ſibi ipſe plauſus theatro dat, verbi gratia: Haec erant mea verba: *Poſtquam Deus deſtinaſſet creare hominem animal rationale ac ſociale, non poterat non lex naturalis ipſi congruere non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim Is* (in hac vocula mirifice ſe iactat,) *ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Ex hiſce verbis Iſte fingit, me *reſpondiſſe, hominem dupliciter ſpectari poſſe,* 1. *vt Deus eum deſtinauit creare animal rationale ac ſociale;* 2. *vt Deus eum potuiſſet ferum & horridum animal producere.* Item: *poſtquam Deus decreuerat creare hominem, in liberrimo Dei beneplacito fuiſſe, qualem naturam homini voluerit aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an naturam animalis horridi & feri.* Item: *Deus potuit creare hominem & potuit velle creare, vt tamen in beneplacito ipſius adhuc fuerit, qualem naturam homini vellet aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an feri & horridi.* Felicia ingenia, quae ſomniare poſſunt, quod volunt! Quid iſtis faciemus, qui ex tam plana ſententia eiusmodi monſtra comminiſcuntur? Sane enim vno eodemque decreto Deus

Digitized by Google

conſtituit caeteris eminentius animal creare, idemque facere rationale ac ſociale, cui animali vocabulum hominis inditum: nequaquam autem primo quidem decreuit creare hominem, & poſt interpoſitam deliberationem de forma ipſi aſſignanda conſtituit. Vnde poſtquam Deus iſti animali hanc formam attribuit, non poteſt non eadem iſti competere, hoc quippe ſenſu eſſentiae rebus neceſſario conuenire, & aeternae dicuntur, quia quam formam Creator illis dedit, eam non poſſunt non habere; & ſi quis diuerſam formam rei alicui velit affingere, non illam ipſam rem, ſed diuerſam concipiet. Vnde ſi quis per ſuperfluam curioſitatem quaerat: Quid ſi Deus creaſſet animal, forma externa hominem. qualis nunc eſt, referens, quod & ipſum tantiſper hominem vocabimus; ſed vt idem non foret rationale ac ſociale? Ei reſpondemus, iſtud animal non futurum verum hominem, qui animal ſociabile eſt, ſed aliud ferum & horridum animal, non obſtante externa figura inter bruta referendum. Igitur vocula Is dicto loco, non notat mihi verum hominem, quales nos ſumus, ſed id animal, quod ſuperfluae quaeſtionis gratia tantiſper fingitur. Neque vero eiusmodi locutio plane inſolita, aut inaudita eſt; ſed vbicunque ſimiles quaeſtiones proponuntur, reſponſio aliter concipi nequit. Sufficiat vnum exemplum adduxiſſe. Ponamus conſtare de diuerſa natura ſcarabaei, & grylli campeſtri ſeu cicadae. Ponamus moueri hanc quaeſtionem: num ex gryllo campeſtri potuerit fieri ſcarabaeus? Reſpondeo minime; quia ſi Is, qui iam ita petulca & obſtrepera eſt indole, tetricam & inficetam ſcarabaei naturam ſortitus fuiſſet, non amplius gryllus campeſtris foret, ſed purus putus ſcarabaeus, pomis voluendis vnice occupatus. Plura addere nihil attinet. Neque enim operoſam reſponſionem iſtae naeniae merentur. Sed nec *Vigilem*, qui in furias plane abit, amplius morabor, poſtquam hoc duntaxat addidero; ne ſi clamando rumpatur, ipſum heic veſaniae ſuae ſocios inuenturum. Nam & eius ſimiles heic Anticyras nauigare iubentur; neque moris apud nos eſt, innocentes viros rabioſorum hominum ſeditioſis clamoribus ad ſupplicium dedere. Hoc vnicum tamen *Vigil* ſua ſcriptione eſt conſecutus, quod nemo vnquam ipſum *canem mutum* ſit appellaturus, (a quo conuicio mirum quantum abhorret.) Nam quantum latratu valeat, non amplius puto obſcurum eſt.

APPENDIX.

QVONIAM animaduerto nonnullis circa doctrinam noſtram *de Origine Moralitatis in actionibus humanis*, de quibus ſolis diſquirere nobis propoſitum fuit, ſcrupulum haerere, nonneminem quoque inficetis clamoribus eandem impugnatum iri; viſum eſt hoc loco mentem denuo quanta fieri poteſt perſpicuitate exponere, ſi forte quibusdam hominibus pudor incuti poſſit. Primo omnium igitur diſtinguimus inter id, quod in actione humana eſt phyſicum, & quod in eadem eſt morale. Phyſicum iſtud, ſeu actionem hominis quatenus praeciſe conſideratur vt motus alicuius facultatis naturalis, abſtrahendo a rectitudine & prauitate, dicimus eſſe moraliter indifferentem,

ferentem, id eſt, neque bonam neque malam. Id quod omnes Theologi agnoſcunt, quando circa peccatum diſtinguunt inter motum phyſicum, & ἀταξίαν, & hanc ſoli homini tribuunt, ad illum autem Deum tanquam conſeruatorem naturae influere docent; quod citra blaſphemiam aſſeri non poſſet, ni motus iſte phyſicus moraliter foret indifferens. Et res ita manifeſta eſt, vt nemini ſano dubium heic oriri queat. Cum enim dentur actiones, in quibus motus phyſicus plane vnus eſt & idem, quae tamen moraliter ſunt diuerſiſſimae, & vna in bonarum aut licitarum, altera in malarum claſſe locum ſortiatur; neceſſum ſane eſt, vt motus ille phyſicus ſeſe ad bonitatem & malitiam indifferenter habeat. Sic occidit hominem latro, carnifex, miles, occidit alius defendendae aduerſus vim ſuae vitae. Latronis actio ſcelus eſt; caeterorum factum bonum, aut ſaltem licitum. Igitur actus phyſicus in caede eſt vtique aliquid indifferens. Et ſic in caeteris.

Deinde diſtinguimus inter vocabula & phraſes, quae nudum motum phyſicum notant, & quae integram actionem moralem, ſeu motum phyſicum moralitate iunctum exprimunt. Ad priorem claſſem pertinet verbi gratia colere, honorare, opus facere ſeu laborare, homini vitam eripere, concumbere, rem loco mouere, loqui, cupere, edere, bibere, & ſimilia. Eorum autem, quae ad alteram claſſem pertinent, plenum indicem texere operoſum iuxta foret, atque ſuperuacuum, cum nemo ſit tam ſtupidus, quin intelligat, actiones morales bonas aut licitas eſſe, verbi gratia, Deum colere, honorare parentes, Reges, opus facere ſuae vocationis & recto tempore, ſontes punire, fortiter ſe gerere in bello iuſto, vxori ſuae cohabitare, rem ſuam alienare, loqui veritatem, cupere virtutem, edere & bibere moderate, &c. contra morales actiones malas eſſe, colere diabolum, aut idola, ſatagere circa aliena, opus facere die ſabbati, homicidium, latrocinium committere, ſcortari, adulterium, inceſtum patrare, furari, mentiri, calumniari, cupere vxorem alterius, edere, bibere immoderate &c. Quae cum ita plana & perſpicua ſint, mirum eſt, tantam vel calumniandi rabiem in vllum mortalium poſſe cadere, vt clamare non erubeſcat; *adulterium, homicidium, furtum a me pro actionibus indifferentibus haberi.*

Qvod ſi autem vlterius inueſtigemus, in quonam conſiſtat actionis humanae moralitas, ſeu quidnam ſit illud, per quod motus phyſicus indolem actionis moralis induat; deprehendimus id nihil aliud eſſe, quam quod iſta a principio libero vt tali procedat, cui tamen inſit neceſſitas quaedam intrinſeca, ſeu obligatio, actionem certo modo ad certam normam dirigendi. Ea directio vbi ab agente debito modo facta fuerit, ſic vt actio examuſſim ad normam congruat, ea bona & honeſta vocatur; vbi a norma aberratum fuerit, mala & turpis audit. Si enim peccatum ſeu mala actio eſt ἀνομία; etiam bona actio erit aliquid legi ſeu normae congruens.

Cvm porro in homine praeter obligationes, quae ex imperio aliorum hominum proueniunt, circa factum quoque humanum obligatio ad certas

actiones ſuſcipiendas aut omittendas deprehendatur; circa inueſtigandam huius originem vltimo demum ad Deum O. M tanquam conditorem generis humani recurrendum nobis videtur. Huic enim cum pro immenſa ſua bonitate & ſapientia placuiſſet, hunc orbem terrarum non a ſolis brutis incoli, ſed etiam abs tali creatura, quae Ipſum agnoſceret, coleretque, ac certo inter ſe more viueret; inde iſtam creaturam idoneis ad hunc finem dotibus inſtruxit, regendisque actionibus obligationem legemque praeſcripſit. Neque enim vllo modo nobis videtur congruere, vt haec obligatio ex alio fonte, quam ipſe homo, deriuetur. Sed qui conditor eſt humani generis, auctor quoque obligationis in homine, legisque naturalis habetur, & qui hominem erectos ad ſidera vultus gerere iuſſit, idem quoque data ipſi lege effecit, vt non omnes actiones huic forent indifferentes. Vbi tamen non eſt cogitandum, diſtincta per decreta Deum conſtituiſſe primo creare hominem, ac velut ex interuallo, & praemiſſa noua deliberatione, idem rationalis ac ſocialis, an vero animal irrationale ac inſociabile ſit futurus, ſocialem eſſe demum iuſſiſſe, vt tamen eundem inſociabilem quoque potuerit creare & exlegem. Nam hoc modo per ſummam abſurditatem Deus ſibi ipſi repugnare fingeretur. Caeterum vti omnes fatentur, Deum ex liberrimo beneplacito Vniuerſum hoc condidiſſe; ita & eidem acceptum refert homo, quod a Deo conditus ſit. Et quia nullum principium extra Deum ſtatui poteſt, quod ipſi formas rerum ſuggeſſerit: inde vti quaelibet creatura a Deo habet quod ſit, ita & ab eodem habet, quod talis condita ſit. Adeoque in homine obligatio ad obſeruandam legem, & ipſa lex, & quod iſtius actiones certas inde affectiones poſſunt ſortiri, non ex diuerſo principio debent deriuari, quam ex beneplacito Dei, cum ſapientia & bonitate ſumma coniuncto. Sic vt quicquid eſt neceſſitatis in homine ad moderandas certo modo ſuas actiones & quicquid in ipſis actionibus eſt habitudinis. Iuxta quam ad legem componi queat, vltra creationem non ſit retrahendum, abs qua diuina voluntas, nequaquam excludi poteſt. Neque tamen eo minus & obligationi hominis & legi inconcuſſa ſtat firmitas. Non enim Dei voluntas ita vaga & deſultoria cogitanda eſt, ſicut hominum in diuerſa & ſaepe ſibi repugnantia volubilis animus; ſed ad quem finem ſemel eadem ſeſe determinauit, ad eum aſſequendum pro ipſius ſapientia & bonitate conſtituta media non minore quam ipſe finis, firmitate gaudent. Iſthanc ergo ſententiam, ſcriptis noſtris ſat perſpicue propoſitam, oppugnare aperta via inſtituit *Valentinus Velthemius* Profeſſor Ienenſis. Cui quidem ſi ad hanc diſceptationem vel ingenii quid & eruditionis, vel ſaltem candorem attuliſſet viro honeſto dignum, vltro gratias agerem, quod occaſionem praeberet tam nobili quaeſtioni illuſtrandae. Sed cum eundem audiam diris clamoribus & calumniis in tam celebri loco meae famae inſultare, non mirabitur, ſi talis a me habeatur, qualem ſeſe exhibet; qui ſcilicet in ſola ſtentorea voce, & impudentia omne ſuum praeſidium collocat, ſecurus exiſtimationis, quam nullam habet. Iſte igitur voluntatem Dei ab origine obligationis in homine, legisque naturalis humanae, nec non moralitatis in actionibus humanis exturbare omnibus viribus connititur; & contra tanquam lapidem angularem omnis naturalis ponit hanc ſententiam: *dantur actus PER SE honeſti ac turpes.* VT

Vt igitur haec lis ſuper vocula *per ſe* ordine diſceptetur, primo omnium videndum eſt, cuinam rei iſta opponatur. Si enim haec propoſitio accipitur ex mente Ariſtotelis, qui τὸ δίκαιον φυσικὸν opponit legibus ciuilibus & poſitiuis, quae non vbique valent, quaeque ex impoſitione humana, conuentione, aut opinione oriuntur, mihi non contradicitur. Sed ſi τὸ *per ſe* noſtrae ſententiae opponitur, eo termino excludetur voluntas Dei cum ſapientia, & bonitate coniuncta, eiusque beneplacitum, definitio, atque impoſitio tunc facta, cum Eidem libere genus humanum condere placeret. Ergo ex mente Velthemii Deus quidem dedit homini vt ſit; ſed vt talis ſit, nempe legi obnoxius, non dedit. Num igitur homo citra Dei voluntatem ſemetipſum in animal ſociabile finxit? Aut num aliud extra Deum fuit principium, quod formas rerum ipſi inuito obtruderet, eique nil niſi materiae adaptationem relinqueret? Aut actus illi citra vllam operam legiſlatoris ſeipſos determinant? Aut vt quis ſit ſubditus, legique obnoxius, non amplius legiſlatore opus eſt?

Deinde reuera inepte propoſitio haec concipitur ſine mentione ſubiecti, cui actus illi honeſti aut turpes eſſe dicantur. Nam ſane nulli dantur actus, qui pecori per ſe, aut alio modo ſint honeſti vel turpes. Sed addito ſubiecto habili omnis controuerſia tollitur. Nam ambabus manibus largimur hanc propoſitionem: dantur actus, qui per ſe Deo non conueniant, ſeu qui ſalua ipſius perfectione, & citra contradictionem in eum cadere non poſſunt. Amplectimur etiam hanc: dantur actus per ſe honeſti & turpes homini, id eſt, quae poſita hac conditione & natura hominis non poſſint non eidem congruere vel non congruere. Et reuera qui iſtam propoſitionem ita nude enunciant, non animaduertunt, ſeſe tacite iſtorum actuum honeſtatem & turpitudinem ad naturam hominis referre, ac eandem iudicio humano, vtique ſenſu legis naturalis imbuto, metiri. Imo id ipſum aperte profitentur, dum huic propoſitioni probandae ad rectae rationis iudicium prouocant; quod ſane non aliunde, quam ex collatione certi actus cum conditione humana promanat. Quoniam autem conditio hominis primaeua beneplacito Creatoris ipſi aſſignata eſt, quicum comparati actus humani honeſti aut turpes dicuntur, fruſtra principium moralitatis in actibus humanis fingitur, quod voluntatem Dei anteuertat. Imo cum ipſe Velthemivs Diſſertat. ſuae §. 28. & 29. ius naturale diuidat in *creatum* & *increatum*, quomodo ab iſto voluntas Creatoris excludi poſſit; niſi Stoica neceſſitate ipſum ad creandum coactum dicas?

Ratio autem, quare tanto ardore iſti homines ab origine moralitatis voluntatem Dei excluſum eant, non alia eſt, quam quia iſthanc ad humanae voluntatis modulum exigunt, quae rectae rationi crebro ſolet obluctari. Inde metus eſt, ne forte abſurda aliqua mutatio in lege naturali exſiſtat, Deo voluntatem ſuam mutante: eoque aliqui conſequentias, iuris naturalis firmitatem deſtruentes, ſtolide admiſerunt; quidam ab aliis ſibi tales per calumniam obtrudi ſunt queſti. Enimuero mihi non eſt dubium, quin ſapientia, bonitas & perfectio diuina diuinis placitis ſat firmitatis addat. Ac ſi a libertate voluntatis diuinae

diuinae mali quid mortalibus immineret, non iuſſiſſet nos Saluator orare; *fiat voluntas tua*. Niſi forte Velthemio pro illa clauſula ſubſtituere placet; fiant quae per ſe & ſua natura ſunt neceſſaria. Sicuti quondam in Anglia Cromwellii tempore nonnullos tantum odium gubernationis regiae ceperat, vt nollent amplius dicere *adueniat regnum tuum*; ſed potius videbatur; *adueniat reſpublica tua*. Et ſane quantam hoc veſaniam arguit, quod VELTHEMIVS diſſertatione quadam *de iuſto dolore* non exhorruit dicere; *ſcite diſſeri* a GROTIO in Prolegomenis, fore vt ius naturale ſtringat gentes, etiamſi daremus, Deum non eſſe, aut non curari ab eo negotia humana. Ergo & hoc ſcitum dogma Velthemio videbitur; huic vniuerſo integritatem & ordinem conſtare poſſe, ſi vel maxime Deus hoc vniuerſum non creaſſet, aut ſi idem plane extra mundum relegetur. Eo abſurditatis demum deuoluuntur, qui circa calumnias aliis intentandas tantopere laborant!

VIDEAMVS nunc, quid VELTHEMIVS in *priori diſſertatione ſuper hac quaeſtione* nobis opponat. In cuius prooemio monet, maxime appoſitam ſibi viam videri ad inueſtigandum ius naturale, *contemplari naturas actuum*, qui obiectum eius iuris conſtituunt, in iisque fundatam obligationem. Aſt ni actus illos compares cum conditione humanae naturae, nihil ages. Nec obligatio in actibus, ſed in iuſſu legislatoris fundatur. In §. 2. explicat terminos quaeſtionis. Ac circa vocabulum *actus* infauſto omine eadem ſe fraude illigat, ob quam alius iam non mediocriter vapularat, dum exempli loco ſubiicit, *colere Deum, honorare parentes, omittere furtum, homicidium*. Si enim hanc theſin oppugnat Velthemius, quod motus phyſicus ſit indifferens; per ſummam ruditatem aut malitiam adducuntur exempla actionum quam maxime moralium. Sin vero id diſplicet, quod ab origine moralitatis in actionibus humanis voluntatem Dei non excluſerimus, tunc ex Velthemio ſcire velim, an non lumen intellectus requiratur in eo, qui cultum & honorem alteri exhibiturus eſt. Sane enim inter bruta neque cultus diuinus, neque honor parentum reperitur. Num ergo citra voluntatem Dei homo lumen intellectus nactus eſt, cultui diuino ſubſeruiturum? Aut num vſus iſtius luminis citra beneplacitum diuinum per ſe prouenit? Sed & propriam cauſam deſtruit Noſter, dum §. 3. *honeſtum* dicit id, *quod rectae rationi vt tali conuenit*. Nam quando ad rectam rationem prouocatur, praeſupponitur, eam cognitione legis naturalis imbutam. Neque eius rectitudo aliunde poteſt aeſtimari, quam quod ex contemplatione conditionis humanae legis naturalis dictata, adeoque iuſſum & beneplacitum Creatoris, bene ratiocinando colligat. Vnde etiam ſi indifferentia motus phyſici oppugnatur, contradictorie ſtatus quaeſtionis formatur. Sin beneplacitum diuinum ab origine moralitatis remouetur, nimirum inuito Numine rationem ſuam poſſidet Velthemius. Vocabulum *debiti* & *moraliter neceſſarii*, vbi de homine ſermo eſt, principium vtique velut debitionis & neceſſitatis inuoluit; quod ſane non eſt vocabula *per ſe*, ſed decretum & voluntas legislatoris, per legem declarata.

Porro circa ſtatum controuerſiae, qui proponitur in §. 4. & 5. notandum, quaeſtionem reſtringendam eſſe ad hominum actiones, de quibus ſolis mihi ſermo eſt. Vnde male Velthemivs ita indefinite loquitur; *num ab agentis libero arbitrio qua tali procedentes actiones dentur, quae ratione ſui citra impoſitionem conueniant rectae rationi.* Nam ſi actiones Dei & hominum eadem claſſe vult cenſere, & in maieſtatem diuinam iniurius eſt, & improbe dicta noſtra cauillatur. Deinde & hoc probe notandum, vocabulum *impoſitionis* non ita ſtricte, vt a plerisque, a nobis accipi pro eiusmodi determinatione, quae citra fundamentum in re ex ſolo lubitu imponentis prouenit. Sed ea quoque ex impoſitione nobis eſſe dicuntur, quae expoſita voluntate ac diſpoſitione auctoris non poſſunt non conſequi, ſiquidem ille ſibi conſtare debet, verbi gratia: Ponamus architectum conſtituiſſe domum extruere inhabitationi hominum ſeruituram. Heic neceſſum vtique eſt, vt eius aedificii partes aliter diſponantur, quam harae aut ouilis. Quis negauerit tamen, iſtam conſtructionem eſſe ex impoſitione architecti? Qui ſi haram aut ouile ex mera ſua impoſitione praetorium eſſe velit, delirare cenſebitur. Vnde alia nobis impoſitio eſt, quae nil niſi merum placitum imponentis praeſupponit; alia eſt, quae prouenit ex neceſſitate hypothetica, ſiue per conſecutionem neceſſariam eorum, quae prius ab eodem determinata ſunt. Quarum haec in actibus humanis ad legem naturalem ſpectantibus, illa in legibus & inſtitutis poſitiuis cernitur. Sic vt Velthemium ratio vehementer fugiat, dum putat; ſi nulli actus ſunt per ſe honeſti aut turpes citra impoſitionem diuinam, aeque facile Deum quaeuis peccata poſſe licita declarare, atque Princeps gladii vſum aut bombardae diſploſionem in vrbe vetare aut permittere poteſt. Vnde ſatius erat quaeſtionem ita formari: Num natura hominis ita ſit a Deo formata, vt poſita ea conditione non potuerit non neceſſitas moralis ipſi iniungi certos actus ſuſcipiendi aut omittendi? Sic enim nulla futura erat controuerſia, cum hoc ipſum nos paſſim inculcemus.

Caetervm iam copias ſuas contra nos in aciem producit Velthemivs, & in §. 8. recoquit obiectionem in meo opere propoſitam, L. II. c. 3. §. 4. p. 162. ad quam dum ego dicto loco reſpondeo, putat me contradictione inuolui hiſce verbis: *Poſtquam Deus deſtinaſſet hominem creare animal rationale ac ſociale, non poterat non lex naturalis ipſi congruere, non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim* IS (in hac vocula Noſtra omnis ſpes victoriae repoſita eſt,) *ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Inde Velthemivs §. 12. exclamat: *me reſpondiſſe, hominem dupliciter ſpectari poſſe,* 1. *ut Deus eum deſtinarit creare animal rationale ac ſociale.* 2. *ut Deus eum potuiſſet ferum & horridum animal producere.* Aſt mi Velthemi, iniuriam tibi non facio, ſi dubitem, num non modo *rationis vox & ſenſus,* ſed & probitatis quid ac frontis tibi adſit, quouſque liquido oſtenderis, vbinam locorum in meis ſcriptis iſta duplex hominis conſideratio occurrat. Ibidem ponitur & haec aſſertio: *Poſtquam Deus decreuerat creare hominem, in liberrimo Dei beneplacito fuiſſe, qualem naturam homini voluerit aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an naturam animalis horridi & feri.* Item: *Deus potu-*

it creare hominem, & potuit velle creare, vt tamen in beneplacito ipſius adhuc fuerit, qualem naturam homini vellet aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an feri & horridi. Quae aſſerta quod Velthemius *vaniſſima* ac *falſiſſima* pronunciet, magnopere proba; cum mea non mea ſint, ſed ad ipſo conficta. Ac mirum eſt, quam vniuerſa ſycophantarum natio in hoc amice conſpirat, quod ex aliorum verbis mire contortis falſam theſin concinnent, quam dein magis clamoribus impetant, reuera propriis cum laruis luctati. Et quantum vel ſtuporis vel malitiae in talem cadit, qui tam planam ſententiam vel capere non potuit, vel ita foede detorquere non erubuit. Sane poſtquam Deo placuit poſt caetera animantia eminentius hiſce creare, vno eodemque decreto, & vt eſſet, & vt talis eſſet, conſtituit. Nequaquam autem decreuit prius creare hominem, & ex interuallo, poſtquam de conditione ipſi aſſignanda in ambiguo haeſiſſet, demum decreuit eundem facere rationalem ac ſocialem. Eſt enim hoc ex imperfectione intellectus humani, vt priori loco genericam alicuius rei naturam, & inde ſpecificam concipiamus. Quale quid de Deo circa creationem hominis fingere diuinae eſſentiae perfectioni repugnant; & in ſe abſurdum eſt, duo heic decreta comminiſci, cum τὸ rationale ac ſociale eſſe, in definitione hominis contineatur. Quod ſi *Paraeus* aut alius abſurdi quid heic admiſit, eoque nomine conuitiis fuit proſciſſus, id me quidem profecto non tangit aut angit; quin iure optimo maximo iſta elogia Velthemius ſibi vindicare poteſt. Caeterum ſi quis nolit adquieſcere, quod ſciat; ideo legem naturalem honeſti & turpis, neceſſario in hominem cadere, quia Deus ipſum creauerit rationalem & ſociabilem; ſed ex ſuperuacua curioſitate quaerat: quid ſi Deus creaſſet hominem adſtrictum ad eiusmodi legem naturalem, quae ei, quam nunc habemus, contraria praecepta contineret? ei reſpondemus, hanc quaeſtionem abſurdam & contradictoriam eſſe. Si enim ponere velis, eum ad contraria officia fuiſſe adſtrictum, non is homo, qui ex deſtinatione Creatoris animal ſociale eſt, ſed aliud horridum ac ferum animal eſſet. In qua reſponſione vocula IS neque notat, neque notare poteſt verum hominem, qui vtique rationalis ac ſocialis eſt, ſed fictum aliquid, quod abſurdae quaeſtionis ergo tantiſper ſupponitur, hoc ſenſu: ſi vel maxime ponas animal membris & forma homini qualis, nunc eſt, ſimile; is non verus homo erit, ſed aliud ferum & horridum animal. Exemplo rem illuſtrabimus, ſi forte quis ingenio ſit ita ſtupido, vt haec capere nequeat. Ponamus figulum conſtituiſſe amphoram effingere. Si quaeras, vtrum is amphorae poſſit formam vrcei tribuere; negamus id fieri poſſe: quia, ſi iſta vrcei formam haberet, amphora non eſſet. Quis heic dixerit, amphoram duplici modo conſiderari; vel vt habet figuram amphorae, vel vt potuerit habere figuram vrcei; Afferamus aliud exemplum, quod fortaſſe magis ſit ad captum Velthemii. Vt Velthemius Ienae Profeſſor Moralium eſſet, neceſſarium non erat. Poſtquam tamen ex iſto ligno Profeſſorem ſculpere Collatoribus placuit, danda ipſi vtique fuit, inſtructio impacto muneri conueniens. Ponamus iam ſuperfluam quaeſtionem moueri; num Velthemio inter partes officii Profeſſorii potuerit iniungi, vt cum hiſtrionibus per Germaniam circumuagaretur, & in comoediis morionis perſonam ageret? Reſpondeo, minime.

Quia

Quia ſi ad hoc exercitii adſtringeretur, IS non amplius Profeſſor eſſet, qui impudenti clamore Ienae doctorum virorum famam laceraret; ſed non minus hiſtrio eſſet, quam frater ipſius, qui lauream Magiſtralem Lipſiae obtentam per publica theatra non ſine vocis ſtentoreae gloria circumfert, ac verſatili iam pileo non minus quam olim liripipio ſibi placet. Quis iam dixerit, Velthemium heic dupliciter conſiderari, 1. prout factus eſt Profeſſor Ienenſis; 2. prout idem ſimul cum profeſſione potuit hiſtrioniam facere? Aut poſtquam Collatores profeſſorium munus in ipſum conferre decreuerant, adhuc in liberrimo horum beneplacito fuiſſe, vtrum auditorium Ienenſe, an theatra vociferationibus ab ipſo oppleri vellent?

Qvemadmodvm autem error ab hiſtrionibus in primo actu commiſſus totam fabulam refrigerat; ita deſtructo primo Velthemii commento, tota eius diſſertatio vltro corruit. Atque ſecundum argumentum itidem ex noſtro opere loco citato deſumſit: *Si non dantur actus per ſe honeſti aut turpes, ſequitur, Deum ſi voluiſſet potuiſſe ita conſtituere, vt inter officia hominis eſſet Deum blaſphemare, inter vetita Deum colere.* Ego repoſueram, hoc ratiocinium contradictionem implicare. Heic nihil habet quod regerat Velthemius, niſi vt cantilenam iam exploſam inſtauret, ac ſuas ſycophantias mihi obtrudere impudenter laboret. Nusquam enim mea haec eſt aſſertio, ſed Velthemianum ſomnium; *Deum ita potuiſſe creare hominem, vt idem non eſſet animal rationale ac ſociale.* Ergo quo magis de abſurditate huius dogmatis declamat, eo magis propriam ſtultitiam flagellat. Neque opus eſt repetere, *colere Deum* non eſſe motum mere phyſicum & indifferentem, ſed actionem quam maxime moralem; quippe quae ſupponat ſubiectum rationale creatum, & inuoluat reſpectum ad dependentiam creaturae a Creatore. Nam data creatura rationali, neceſſarium ipſi eſt Deum colere. Sicut poſito, Deum poſt caetera animalia voluiſſe creare hominem, neceſſum erat, ipſi legem naturalem congruere. Quod genus neceſſitatis vt mihi quidem tantiſper hypotheticum vocare liceat, ſi qui ſunt terminorum ſcholaſticorum dictatores ἀνυπεύθυνοι, ſupplex veniam rogo. Si enim Deus hominem non creaſſet, non erat neceſſarium Eundem ab homine coli. Ergo neceſſitas cultus diuini ab homine praeſtandi actum creationis praeſupponit.

Circa tertium argumentum ſtrategema iocoſi hiſtrionis Velthemius expreſſit, qui repente in aliam ſe perſonam tranſire arbitratur, ſi pileum verſatilem & palliolum inuerterit. Sic & primum argumentum leui ſub mutatione iterum in orcheſtram prodit. *Si non dantur actus per ſe honeſti aut turpes, ſequitur, quod inter hominis debita poſſit eſſe ſeipſum perdere, ſeipſum odiſſe, guſtus elementa per omnia quaerere,* &c. Sed velut de ſibilo praeſagiret, ita repente poſt ſiparium ſeſe hoc ratiocinium recondit.

Qvarto loco metuit Velthemius, ne poſita noſtra ſententia nullum amplius ſit diſcrimen inter legem naturalem & poſitiuam. Iſtum metum demere poterant, quae a nobis traduntur L. I. c. 6. § 18. & L. II. c. 3. §. 23. Sed quia hic actus valde ieiunus erat futurus, ideo interſcenii loco duas ſententias pro-

mulgat valde infiĉetas. Prior occurrit §. 20. *Vt libera voluntas hominis, penes quem maieſtas eſt, legem voluntariam ferre & mutare poteſt: Quidni diuina maieſtas cum voluntas Dei ſit ſumme libera, aeque, imo multo magis, ac in legibus poſitiuis fieri ſoles, legem naturae mutare, imo contrarium eius praecipere poſſet?* Adparet Velthemium de voluntate Dei non optime ſibi polliceri. Inde tam anxie vincula eidem iniicere, aut moderamine rerum dimouere ipſam laborat, ne forte in licentiam degeneret, & abſurdas leges hominibus promulget. Quales opiniones iſtud animal de Deo habere credamus? Quod ne tertiam quidem petitionem orationis Dominicae nouit. Per poſteriorem autem ſententiam nihil ſibi rationis & frontis eſſe Velthemius teſtatur. Nam in §. 22. ſcribit: *me non erubiſſe ſtatuere, ac ſi Deus ad contraria officia hominem potuiſſet adſtringere. Ita enim aperte loco ſupra cit. p. 162. tradit: Si ad contraria officia* (puta ad furandum, moechandum, calumniandum) *homo fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Quid ais Velthemi? Ego qui ſtatuo, *ſi* creatura ſub figura humana fuiſſet producta, ad contraria legi naturali officia adſtricta, non ea ſociale animal & homo, ſed bellua futura erat; ideo ſtatuo, quod homo potuerit fieri bellua, id eſt, quod animal, de cuius eſſentia eſt rationalitas, potuerit eſſe irrationale? Optionem tibi relinquo, Velthemi, ſtuporem tuum an rabiem calumniandi accuſari malis.

QVINTO argumento ita *inſurgit* Velthemius, vt & quinquies cadat. *Si Deus ſua natura iuſtus eſt, ſequitur, quod actus dentur per ſe honeſti, ſuaque natura debiti, itemque actus per ſe turpes ac ex ſua natura illiciti.* Atqui ego non puto haec conſequi: Si ſummus legiſlator natura iuſtus eſt, igitur actus creaturae rationalis vt motus phyſicus ſpectati, ſunt honeſti aut turpes ante omnem reſpectum ad legem a Creatore profectam. Nobis quippe propoſitum fuit inquirere in originem iuſtitiae humanae, a qua diuinam multis modis differre alibi oſtenſum. *Ius naturae in Deo* illis ſapientiae Atlantibus definiendum relinquo, qui caput inter nubila condunt. Quae Velthemius ex myſteriis praedicamentorum *de relatione eiusque fundamento ac ratione fundandi* gannit, nil niſi obſtrepera vocabula, & in ambitioſum gyrum diſpoſita ſunt, rerum inania. Neque etiam illa, qua ſe non parum iactat, *obligatio ex ipſa rei natura*, contradiſtincta obligationi ex lege prouenienti, ſatis adhuc ad liquidum deducta eſt. Sed & dubito, an ferri poſſit, a Velthemio *ſanctitatem & iuſtitiam in Deo* vocari *morales perfectiones*. Nam hactenus credidimus moralem perfectionem eſſe, quae diſciplina, vſus, adſuetudine comparatur, ad modum habitus adquiſiti animo inhaerentem. Porro quando de imagine Dei mentionem inieci, vnice prae oculis habui proximam eius & ſpecialem ſignificationem, qua notat eam hominis perfectionem, quae per lapſum amiſſa eſt, & in cuius locum corruptio illa, quae iam ſentitur, ſucceſſit. Quibus praeterea reſpectibus homo imaginem Dei referre dicatur, mihi inquiſitum non fuit. Denique quantum velit Velthemius diſtinguat inter *conceptum formalem & materialem*; ac ſapientiam, iuſtitiam, virtutes, & ius Dei atque hominum quoad illum communia, quoad-

hunc

Digitized by Google

hunc diuerſa aſſerat. Nam licet iſta vera eſſe ponas; ratio tamen mihi conſtat, quare ius naturale iſthac via inueſtigare non placuerit.

Illvd autem minus ex legibus artis comicae, quod fabulam nobis det Velthemius quinto actu productiorem. Nam ſexto loco quaeſtionem mouet: *Num Deus vllo modo poſſit velle, vt inobedientia erga Deum formaliter & in ſe ſpectata non ſit peccatum?* Ego reſpondeo, ſtolide quaeſtionem hanc inſtitui, ni ſimul ponatur ſubiectum, cui inobedientia ſit tribuenda. Nam poſita creatura rationali, negamus Deum hoc velle poſſe, ni eum ſibi ipſi repugnare abſurde fingas. Nulla autem poſita creatura rationali, Deus ſuper obedientia in neutram partem decernere intelligitur. Quomodo enim Deus poſſit velle, vt ſibi obediatur, ſi nullos condiderit, qui obedire poſſint? Sint, quibus imperet

Deniqve vt ſacro numero paralogiſmos ſuos terminet Velthemius, ſeptimo loco argumentatur: *Si nullus actus per ſe honeſtus ac ſuapte natura illicitus, ſequitur Deum poſſe facere omne poſſibile realiter a ſe diſtinctum, nullamque in genere naturae in Deo importans imperfectionem.* Huius ratiocinii vanitas planior fiet, ſi idem preſſius ad praeſentem quaeſtionem formaueris, hoc modo: ſi motus phyſicus in actionibus humanis citra reſpectum ad legem eſt indifferens, aut ſi voluntas diuina concurrit ad hoc, vt homo legi ſit obnoxius; ſequitur, quod Deus poſſit mentiri. Id enim exemplum rei, quae in genere naturae nullam imperfectionem importat, a Velthemio adfertur. Quis ita ratiocinantem ferat? Ne dicam, quod *mentiri poſſe* in genere naturae maximam importet imperfectionem. Qui enim mentitur, vel alteri furtim nocere vult, quod malitiae eſt cum degeneri quadam ignauia coniunctae; vel non audet, ſenſa animi ſui palam aperire, quod robuſtiorem metuentis eſt; vel plura promiſit, quam praeſtare poſſit, quod vires ſuas ignorantis eſt. Inde patet ratio, quare diuinae ſcripturae negent, Deum poſſe fallere, aut mentiri, quia id repugnat perfectiſſimae ipſius eſſentiae. Ex quo tamen nihil, noſtrae ſententiae repugnans, concludi poteſt. De caetero vti foedum eſt mendacium, quod Velthemius eructare non erubuit, *me dicta Scripturae ſacrae in alienum prorſus ſenſum detorquere*; ita nihil impudentius, quam dicere; propoſitionem, *Impoſſibile eſt Deum mentiri*, hunc habere ſenſum, *Deus non vult mentiri.* Cur enim tantopere arrident Velthemio ſycophantarum artes, vt verba mea mutilate adduceret? Quae integra haec ſunt: *Quod Deus mentiri non poſſe dicatur, eſt ex beneplacito iſtius, quod mortales ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperatum concipimus.* Id perinde eſt, ac ſi dicerem: Mentiri aduerſatur perfectioni diuinae, a qua nunquam diuina voluntas diſcedit, ſed cum ea ſemper amice conſpirat. Sic igitur mimum huncce calumniarum egit Velthemius, vt vel iudice Geſenio pro plauſu ſibilum ſit meritus. Altera diſſertatione minatur ſe innumeras legiones *Gentium*, *Legumlatorum*, *ICtorum*, *Theologorum*, *Philoſophorum*, *cum veterum*, *tum recentiorum* in aciem educturum, quae ſolo adſpectu me exanimem darent. Nondum tamen adeo fortuna mihi fuit propitia, vt illud illuſtre ingenii Velthemiani monumentum conſpicere liceret. Interim

terim circa auctoritates, quae iactantur, obſeruandum, earum multitudinem nihil efficere, niſi rationibus ſuam ſententiam adſtruxerint, meam refutarint; & quatenus nemini eorum, vt ab omni errore ſit immunis, cauetur, piaculum non eſſe rationem potius, quam numerum errantium ſequi. Sic quam multae in rebus philoſophicis erroneae opiniones per complura ſecula & ſcholas & populum occupauerunt, quas tamen poſteriorum temporum accuratior inquiſitio exploſit? Heic ſi teſtium numerus momenti quid habuiſſet, in hunc vsque diem antipodes in coelum delaberentur, harmonia orbium caeleſtium aures noſtras obtunderet, intelligentiae iſtis orbibus rotandis inſudarent, ignis ſphaera proximam Lunam amburcret, denique barbaries integro adhuc regno ſuo gauderet. Sic ſane non difficile erit multas myriades inuenire eorum, qui pro ſanctitate numeri denarii in praedicamentis mortem aequo animo ſubire velint; quae tamen caeteris pueriles ſuperſtitio videtur. Deinde ex teſtibus illis integrae legiones deficient, ſi conſideretur, plerisque nunquam in mentem veniſſe vocabulo *per ſe* Deum ab origine iuris naturalis excludere. Denique omnia iſta teſtimonia demum in auctoritatem vnius ex anteſignanis barbariei, puta Thomae, aut Scoti reſoluuntur, quorum commenta demum in popularia dogmata eualuerunt, poſtquam caeteri iſta ſine debita inquiſitione in ſua ſcripta tranſtulerunt; & vno anſere bibente reliquos omnes ſitis corripuit. Praeſertim cum notitia iuris naturalis valde confuſa & ieiuna fuerit, antequam hoc demum ſeculo de iſto in formam artis redigendo a quibusdam eruditis labor ſuſciperetur. Id tamen retulit vnus & alter, qui recens ex iſtis oris aduenientes heic me ſalutarunt, in publico conflictu eius diſputationis Velthemium clamore Martem Homericum ſuperaſſe, & ignea facie, horridis capillis, oculisque ardentibus furiam aliquam egregie expreſſiſſe. Quin non erubuiſſe in tam frequenti coetu vel decies exclamare; *me nulla agnoſcere officia hominis erga Deum & ſeipſum*. Ergo vel ſcripta mea non legit Velthemius, vel impudentiſſimus eſt mortalium, qui ſunt & fuerunt. Pari rabie multoties fuiſſe ingeminatum; *adulterium penes me hactenus ſaltem turpe haberi, qua ſupponeret creationem animalis rationalis & ſocialis; adeoque ſecundum mea principia adulterium non turpe dari inter vaccas & boues vel inter caſeum & butyrum*; qui ſunt floſculi Velthemiani. Quid eſt furere, ſi hoc non eſt? Ergo cum neget Velthemius, adulterium ſupponere creaturam rationalem & ſocialem, ex ipſius mente adulterium dabitur inter creaturas, in quibus nulla eſt diuerſitas ſexus, & ad ſe multiplicandum potentia, nec minus inter creaturas, quae fidem coniugalem neque intelligunt, neque dant. Quin & deinceps homicidium non turpe erit, ſi felis murem occiderit. Quod porro erat opus, vt Velthemius tanta contentione aſſeueraret, adulterium in ſe & ſua natura turpe eſſe; cum idem a me adſtruatur L. I. c. 2. §. 6. p. 26. & in *Apologia* p. 38. Quo tamen non obſtante certiſſimum manet; non dato homine, adulterium non dari; ſicut non dato homine, Velthemius Ienenſe auditorium rugitu ſuo non erat impleturus. Sed nec omitti debet, quod cum vnus opponentium vrgeret, *cum actiones hominum per circumſtantias, id eſt, res extra ipſam actionem, fiant morales, non videri, quomodo actio in ſe & ſua natura moralis eſſe poſſit;* Velthemius reſpondebat:

debat: *Praecellens Dn. Magiſter, adiuro conſcientiam tuam, eloquere, an firmiter credas cum venerandis noſtris Theologis, dari actus per ſe boneſtos.* Quod ille Magiſter praemiſſa conteſtatione obſeruantiae ſuae erga *Maxime Spectabilem* (magis adhuc audibilem) Dn. Decanum affirmabat. Et ſic argumento erat pleniſſime ſatisfactum. Quid hac diſputandi via compendioſius? Quae tamen alteram iſtam diſſertationem inuidit fortuna, alio me ingenii Velthemiani ſpecimine beauit, dum donante amico dilectiſſimo obtinere licuit *Synopſin Inſtitutionum Iuris naturalis* manuſcriptam, quam is auditoribus ſuis ad calamum dictauit. Cui ipſe auctor non vile pretium ponit, quando eam *Nucleum iuris naturalis* indigitat. Quo ſcripto etſi nihil indoctius aut inficetius vidiſſe memini; veritatem tamen adhuc conſtare deprehendi *Pliniano* illi: *Nullum librum tam malum eſſe, qui non aliqua ex parte prodeſſet.* Ingens quippe operae pretium fuit didiciſſe floſculum illum Latinitatis Velthemianae, *in Analytices ſtudio non magis verſati ſunt quam rana viridis in nucis arbore.* Nec minoris fuit definitionem legis cognouiſſe, qua immane quantum eum ſibi placere audio. *Lex eſt,* inquit, *dictamen practicum in materia vniuerſali, quo neceſsitas actionis exprimitur in genere morum.* In qua quid myſterii latitet, patebit, ſi aliis eam vocabulis extulerimus. Si igitur *dictamen practicum* enunciatio, quae non cognoſci ſolum, ſed & in actum deduci debeat, *in materia vniuerſali,* id eſt, quae omnes illos tangat, ad quos enunciatio dirigitur; *quo neceſsitas actionis exprimitur in genere morum,* id eſt, quo ſignificatur quid agendum, quid omittendum, vt actiones bonae vel malae, laude vel vituperio dignae haberi queant. Heic primo neceſſum erat exprimi ſubiectum, abs quo dictamen illud promanaret; num id intellectus ſit diuinus, an humanus, an vterque. Dein ad cuiusnam actiones dirigendas id dictamen ſpectaret, ad proprias, an ad alienas. Denique vnde ea neceſſitas proueniret. Quam ex ipſa actione reſultare abſurdum dictu videtur; cum eadem aliter concipi nequeat, quam prius aliquid, & diuerſum ab actione, quodque adeo in ipſam actionem operetur. An & quatenus illud, quod mortales dictamen intellectus diuini concipimus, Deo lex dici poſſit, alibi a nobis expoſitum fuit. Deum omnia quae agit optime agere, & per eſſentiae ſuae perfectionem non poſſe non optime agere, & quae cum iſta non congruunt, non poſſe non omittere conſtat. Sed quia legem aliter concipere non valemus, quam aliquid extrinſecus neceſſitatem adferens certo modo actiones dirigendi; inde ſi quis velit Deum legi ſubiicere, faciat id ſuo periculo. Quod ſi igitur ad legem, quae in homines cadit, ea definitio reſtringatur, vitioſum eſt, quod ea legibus poſitiuis adplicari nequit. Quando autem lex naturae dictamen rectae rationis aut intellectus dicitur, nihil aliud innuitur quam medium, quo iſta lex inueſtigatur. Atque ea ratio vt recta ſit, & talem ſeſe intelligat, oportet vt firmo fundamento ratiocinia ſua ſuperſtruat. Quod nullum aliud inueniri poteſt, quam conditio humani generis; niſi quis cuilibet perſuaſiones, ſaepe oppido quam irrationabiles, pro lege naturali velit venditare: ſicut ſtolidum ſit, vltimum hoc habere argumentum demonſtrandi aliquid iuris naturalis eſſe; quod recta ratio aliter de hoc vel illo actu iudicare nequeat. Sed & illud conſtat, ſi definitio illa adplicetur iuri humano, inepte

a VELTHE-

Digitized by Google

a Velthemio §. 11. tradi, *dictamen intellectus* eſſe aliquid prius, quam *normam ſeu regulam Iuſtini* ſi dicere velis, hominem ſibi ipſi legem naturalem ferre, aut intellectum humanum dictare quid poſſe, antequam obiectum adſit. Sane ponenda eſt lex naturalis tanquam norma iuſti, antequam intellectus humani dictamina practica poſſint exſiſtere. Id autem nimis quam ingenioſum, quod Velthemius, tantopere alias a nouitatibus abhorrens, iuris naturalis nouam denominationem comminiſcatur, quaſi *quod primo ac per ſe fundatur in natura actus, quam praecipit aut prohibet, ita vt propterea ius ſit, quia hunc actum praecipit, aut prohibet, quia e ſua natura debitus aut illicitus eſt.* Quo commento vti nihil vanius, & per quod iuri naturali circa actiones morales non amplior tribuitur operatio, quam ephemeridibus circa motum planetarum: ita obiter ſcire velim, quomodo a contradictione ſeſe liberare Velthemius poſſit, dum *praecipi* aut *vetari* a lege naturali dicit, quae iam *in ſua natura* erant *debita* aut *illicita?* Quid enim praecepto opus eſt, ſi iſta alias fieri vtique debebant? Aut ergo lex naturae ſuperuacua eſt; aut ſi cum effectu praecipit ac vetat, vtique actus debitos aut illicitos facit.

Sed taedet quisquiliis Velthemianis diutius immorari, niſi quod obiter ſpectandum, quid in demonſtrationibus valeat, qui tanto faſtu peritiam Analyticis crepat; vt tandem diſcamus noſtra ratiocinia in circulum (quae figura perfectiſſima vtique eſt,) diſponere, & praeſultore Velthemio in perpetuam vertiginem circumuolui. Si enim quaeras ex iſto, quare verbi gratia adulterium iuri naturali repugnet, reſpondebit; quia in ſe & ſua natura eſt turpe. Si quaeras, quid ſit in ſe turpe, reſpondebit; quod rectae rationi vt tali non conuenit. Atqui rectae rationi qua tali non conuenire eſt iuri naturali repugnare. Igitur iuxta Velthemium adulterium iuri naturali repugnat, quia iuri naturali repugnat. Ac proinde falſum eſt, quod clamat, *turpe in puncto rationis prius eſſe, quam iuri naturali repugnare.* Sed & par erat, eum, qui viam praecepta iuris naturalis deducendi nobis placitam ita importune impugnat, ingenioſius quid aut planius afferre. Quid autem tanto hiatu dignum trifaux iſte profert? *Principium primo primum*, inquit eſt; *honeſta per ſe ſunt expetenda; turpia per ſe ſunt fugienda.* Atqui ſane, ne nunc dicam, quod ſtolide ſit omiſſa mentio ſubiecti, cui aliqua honeſta aut turpia ſint; circa hoc principium quaerere licet, non ſolum quid honeſtum aut turpe per ſe ſit, quod non niſi congruentia aut diſconuenientia cum recta ratione definiri a Velthemio ſolet; ſed etiam eousque non poteſt adquieſcere intellectus noſter, vt rationem omnino noſſe velit, quare & vnde vel in perſeitate, vel in dictamine rationis neceſſitas inſit. Eoque Velthemio vel iterum circulus ſuus erit perſultandus, vel ſi vertigine liberari cupit, demum noſtrae methodo inſiſtendum; ex qua iſta propoſitio a priori demonſtrari poteſt. Sicuti & illud nemo ſanus abnuet, imperium Dei eſſe, quod hominem ad adpetendum honeſtum & turpe fugiendum primo mouet aut mouere debet, non autem perſeitatem Velthemianam. Deinde ne hoc quidem tantum demonſtrandi artificem decebat, pro *principiis ſecundo primis* venditare ſententiolas, verbi gratia, *neminem laedere*, *ſuum cui-*

que tribuere, veras quidem, ſed multis determinationibus adaptandas, prius quam ex iis diſtincta & liquida ſcientia haberi poſſit. Sed & nimis quam iracundum, fuſtes ſtatim intentare, ſi quis dictata Velthemiana in oraculorum vicem arripere detrectet. Quid enim ſi Reges, ac integri populi iſtorum veritatem in dubium vocent? Quid fuſtibus ſuis heic efficiet Velthemius? An clamoribus ſuis eosdem protelabit, qui norunt, animal Cumanum eſſe quam maxime vocale? Quibus porro argumentis hoſce conuincet Velthemius, ſi nihil praeter dictamen ſuae rationis crepare poſſit apud tales, qui ſuam rationem diuerſa dictantem non minoris aeſtimant, & legiones Scholaſticorum a Velthemio in ſubſidium euocatas adunco naſo ſuſpendunt? Plura occurrunt in eo ſcripto emblemata, veluti quod §. 57. iuris naturalis *cauſam efficientem* dicit *hominem*. Aut quod §. 55. hominem tradit *tamdiu viuere in ſtatu animalis, non item in ſtatu hominis, quamdiu vſus rationis ſe nondum exſerat, aut ad annos diſcretionis homo perueniſſe dicatur*. Cui adiungi debet inauditum hactenus dogma a Velthemii diſcipulo publica diſputatione Ienae promulgatum: quod *maieſtas ſit non-Ens*. Nimirum quia ad maieſtatem ſufficit ſuperiorem non habere, nec requiritur poteſtas gubernandi ciuitatem; & quia ſtatim maieſtate Velthemiana praefulget, qui in regionem deſertam eiectus nec dominum habet, nec ſubditum. Quae monſtra errorum aliis exagitanda commendamus.

RESTAT adhuc GESENIVS Garlaeae Praeſul; de quo tamen eloquar, an ſileam dubito. Nam ea eſt hominis ruditas, impudentia, & veſania, vt merito quiuis cordatus tam tetrici monſtri contactum refugere debeat. Qui cum nil niſi obſcaenam virulenti pectoris ſaniem eructet, paſſim impio abuſu dictis ſacris interpolatam, *benedictionem tamen Chriſtianam* emittere videri vult. Prorſus vti reliqua fanaticorum natio tunc, cum maxime delirat, ſacro inſtinctu agitari ſeſe clamat. Verum, vti peculiare ſcriptum iſti opponere ſuperuacuum erat: ita poterit heic obiter caeteris, qui ex me oppugnato gloriolam inauſpicato captarunt, ſubiungi GESENIVS tanquam vilis appendix, & in quem iactari queat illud tritum; *vltimum occupet extremum ſcabies*. Saltem ne in poſterum arguat me criminationes, ad quas plane tacui, agnouiſſe. Ex decoro igitur GESENIVS a mendacio ſcriptionis ſuae exordium capit, quaſi ego *in ſuprema Regni curia enixe contra ipſum & famam eiusdem egerim*; qua ſuper re monitum ſe dicit *ab eo qui procul habitabat, & bene cupiebat*. Dignus hoc Oreſte Pylades; qui circa veritatem non nimis curioſum ſe oſtendit. Equidem ſi eiusdem reipublicae ciues eſſemus, comes iuiſſet Geſenius editori Indicis. Nunc quid contra exterum incuria huius Regni agerem? Praeſertim cum eius ſcripta tantum ruditatis ac veſaniae prae ſe ferant, vt famae ſuae neminem infeſtiorem, quam ſeipſum, hoſtem experiatur. In eo autem nihil a me peccatum eſt in reuerentiam, quam *Sereniſſimo Electori Saxoniae* debeo, quod modeſte, & Geſenii demum, aliorumque maleuolorum importunitate coactus, ſuper nimis praecipiti Miniſtrorum Ipſius iudicio queſtus ſum. Nam de iſthoc negotio nihil ad Ipſum relatum conſtat; & ſi Optimus Princeps conſultus fuiſſet, haut quidquam decorum iudicaſſet, inaudita partis alterius defenſione ſententiam

ſuperſtruere libello famoſo, per carnificem flammis dando. Quod ſi autem iniqui aliquid mea querela habet, ſane is, quem publice prouocaui, ſuam exiſtimationem non deſtituet, nec *Cenſurae* iſtius *ſanctimoniam* Velthemio alicui aut Geſenio aſſerendam committet. Ac vel ideo iſtum omnibus ingenii ſui copiis explicatis in aciem, prodire cupiebam, vt cum aduerſario non erubeſcendo congredi liceret, ac tandem Geſenio ſimilium hominum ruditus obticeſceret. Quid porro ad rem praeſentem, quod Geſenius de Monzambano gannit? Sane publicam famam extinguere penes me non eſt; & cui non ſufficit, quod publice eiusdem me auctorem abnuerim, qua ratione iſti os obturem? *Eiusdem caput* 6. exercitii gratia a me defenſum aduerſus eos, qui id impugnarunt. Quid praeſtiterim iudicent harum rerum intelligentes, & affectibus ac praeiudiciis vacui. Caetera quae carpuntur defenſorem accipiant, an minus, mea parum intereſt. Praeſertim cum quae liberius ibi quibusdam ſcripta videntur, auctoris, quisquis demum is ſit, religioni aut pietati nihil praeiudicare queant; ſi cogitemus, quam ille ſibi perſonam imponat, aut quales loquentes introducat. Et qui neſcit, quam multum interſit, Dauusne loquatur an herus; is quaeſo abſtineat de eiusmodi ſcriptis iudicium ferre, ni inter Midae ſocios cenſeri velit. Ergo fama illa de Monzambano, cui a me contradictum fuit, non obſtat, quo minus adhuc Puſendorſius, quam Geſenius eſſe malim.

SED ne ſolis conuitiis foedas chartas maculaſſe videatur, circa rem ipſam quoque aliquid nugari conatur Geſenius. Ac primo queritur, me ipſius demonſtrationibus non reſpondiſſe modo tam ſcholaſtico, quam ipſe propoſuerat. Cuius quidem rei nulla alia fuit ratio, quam quia inficeti hominis veſtigia legere nolui. *Iniquum me in ius naturae* arguebat, quod *atrocem ipſi iniuriam intuliſſem, mendacium* & *calumniam exprobrando*. Ego reponebam, me legitima *retorſione* vſum fuiſſe. Adparet puto, me ad minorem reſpondiſſe. Tantum enim abeſt, mihi vnquam in animo fuiſſe Geſenium laedere, vt quid hominis ille eſſet, & quaenam inter fumos Garlaeae deliria eum agitarent, perpetuo ignoraturus fuerim, niſi me epiſtola illa inſipida vltro laceſſiuiſſet Puto autem ſatis grauem iniuriam eſſe, alicui falſo tribuere ſcriptum venenatum, vt ipſe vocat, & *atheum*. Eam iniuriam vt in me haerere paterer, nullum ius obligabat. Repellendi non expeditior via, quam vt mentitum eſſe dicerem, qui haec de me aſſereret. Praeſertim cum nondum auditum foret de aliquo priuilegio, per quod Geſenio impune ſit honeſtorum virorum famae inſultare. Atqui in ea accuſatione ipſe mihi non conſto. Modo enim a Geſenio ſcriptum Warenbergii *aperte* mihi, modo Fratri meo tribui queror. Nimirum quia Geſenius ſibi non conſtabat, & aliquando Warenbergium ita delineabat, vt facile adpareret, me peti; aliquando talia ipſi tribuebat, quae non in me, ſed in Fratrem meum cadere poterant. Ea cauſa fuit, cur retorſio alternatiue conciperetur. Sat *aperte* autem aliquem arguit, qui ſcripto publico id facit. Et licet haec verba non expreſſe ſint poſita; tu Puſendorſi eius ſcripti es auctor; extreme tamen ſtupidum fuiſſe oportet, qui non viderit, noſtrum nomen abs Geſenio vellicari, quod & ipſe menti ſuae *obuerſaſſe*, dum iſta ſcriberet, fatetur.

tetur. Et ſtatim atque illa epiſtola prodibat, paſſim amici de iniuria nobis illata monebant. Id autem frequens eſt; vt & qui obliquis verbis alium pupugerit, directe & citra ambages vapulet. Neque vero mirum eſt, Geſenium titubanter ſcribere de viris, quos tam parum nouerat; cum ſolenne ipſi ſit ad furioſi inſtar diſcrepantia ſibi blaterare. Sicut *benedictio Chriſtiana* eidem vocatur, qui ſpurciſſimus libellus famoſus eſt. Et qui modo nil niſi dicta ſacra crepat, & ſchema hypocriticum oſtentat, mox obſcoenitate conuitiorum cum balatronibus & ambubaiis certat. Quae cum ita ſint, ſatis puto manifeſta eſt iniuria, qua retorſionem meruit Geſenius. Ac ſuperuacuum eſt iſtius verba heic producere, quae *vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vel per aequipollentiam, vel per conſequentiam planam, facilem & apodicticam id quod volo arguant.* Iſta enim quibusuis expoſita ſunt; & vehementer diſſuadent Medici, ne iſtud ſcriptum denuo attingam; quod grauiſſima nauſea, ſtomachique languor inde ſit prouenturus. Recte porro ego a Geſenio poſtulaui, vt, ſi retorſionem meam abs ſe amoliti vellet, probaret, vel me aut Fratrem meum auctorem eſſe dialogi Warenbergiani, vel nusquam ſe id ſcriptum nobis tribuiſſe. Nunquam autem credebam, eo vsque impudentiae proceſſurum Geſenium, vt poſterius negare auderet, quod in clara luce eſt poſitum; & poſtquam noſtrum nomen ſcripto publico in conſpectu orbis eruditi inueſtaſſet, vltro poſtulaturum, vt ego hoc ab ipſo factum probem. Et inde dubitaueram, num ſenſus communis illi ineſſet, qui probari adhuc ſibi poſtularet mendacium & calumniam, quam ſcripto publico euomuerat. Quod ſi autem altera via retorſionem declinare volebat, tunc vtique probandum ipſi incumbebat, vere eum dialogum nobis tribui, mihi autem ſimpliciter id negaſſe ſufficiebat. Quid ergo mea verba cauillaris, Geſeni, niſi vt compluſculas paginas numis & calumniis implere poſſis? Aut cur adeo tumultuaris, quod tua aeque ac famae mendacia proprio vocabulo a me fuerint deſignata?

Secvndo loco negat Geſenius, Aſinium Tenebrionem abs ſe defenſum. Quod ergo aliud non modica parte ſui ſcripti agit? Magnam vero vim *Chriſtiani amoris;* per quam *contemtim ſentire* non poteſt Geſenius de Nicolao Beckmanno, *quem Regia Maieſtas tanto munere dignata eſt,* vtut Eadem Regia Maieſtas iſtum munere dimotum *propter Indicem editum cum infamia relegauerit.* Niſi forte arcana quaedam genii conſpiratio iſta illuſtria ingenia Tenebrionem & Vigilem iungit; quorum ſcripta quoque pares Gratias redolent. Cur porro Geſenius tam odioſe altera iam vice cuculat iudicium Sarcmaſii de meis Elementis Iuriſprudentiae, eo tempore latum, quo iſte in Parnaſſo ſomniabat? Cum alii iamdudum iniuriam mihi factam publicis ſcriptis oſtenderint, & ipſe auctor, vti amici retulerunt, aliam plane mentem poſtea induerit. Vnde mihi nunquam curae fuit iniuriam iſtam perſequi; & non degenerem animi duxi; qui errorem ſuum emendare potuit. Ergo quod nunc Geſenius iſta dudum ſepulta iterum in lucem protrahit, merito vapulare deberet, ſi noua plaga in homine, qui pudorem plane decoxit, locum haberet. Qui autem *Pacificum a Lapide* & eius ſcripta nouit, non multum referre agnoſcet, quid ipſe de aliis ſcribat aut iudicet. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Maeui.

 Quan-

Quanquam & deformes buccae ſuos baſiatores quandoque inueniant, & ſimiles labra lactucas adpetant. Praeterea ex alio me capite iniquitatis in legem naturae reum arguit Geſenius, quod *contemtim ac duriter habuerim legatos Dei, qui ex officio debite ſuper periculoſis nouitatibus monuerint.* Vbi primo quidem miramur, quare ardelio Garlebienſis tam importune ſolicitus ſit, quid in aliena republica geratur. Si quis enim apud nos alterum iniuria afficiat, ſunt iudices, ſunt tribunalia; nec vnquam ea cognitio Gardelebiam remittetur; vt plane cuculus iſte non opus habeat tam taedioſe ingeminare, quid ab hoc vel illo recte, quid ſecus geſtum fuerit. De caetero nunquam ego debitum honorem ſacerdotibus detraxi, inter muneris ſui limites verſantibus, iisque vt in conuerſatione ciuili amicis vterer, operam dedi; ac ſi vnum vel alterum excipiam, neminem eorum noui, quem non amici loco habere poſſim. Id tamen firmiter mihi perſuadeo, Deo propitio poſſe gaudere illum, quem vnus aut alter ſacerdotum iniquis odiis perſequitur. Nec minus fas eſſe, ſalutem famamque ſuam contra ſacerdotem, quam alium quemuis, defendere. Sed & hoc ſtatuo, cenſuram librorum ad eos pertinere, qui ſummum in ciuitate imperium habent, & quibus eandem hi delegauerint. Eam ſi quis alius proprio auſu inuolauerit, non magis ipſius ratio habenda eſt, quam praetoris, ſi extra limites iurisdictionis ſuae ius dicere aggrediatur. Quin & vbi in ea re malitioſe aut imperite verſatus ſit, iniuriam non accipit, ſi digna facto ſuo vocabula audiat; praeſertim cum ipſe Geſenius, velut qui poſt longum delirium repente ad ſe redit, non abſurde addat; *quamuis humanae illorum actiones humanorum errorum rubigine tangi & tentari facile potuerint: nec enim humani quidquam a ſe alienum putabunt.* Denique nec id ſaltem in dilucido iſto interuallo negabis, Geſeni, ſi quis vel ex officio vel ex amore veritatis, aut charitate Chriſtiana alterum ſuper errore omnino monendum ſibi duxerit, illi eſſe obſeruandum, vt reuera in altero haereat, de quo ipſum moniturus eſt; vt alterius errorem idoneis argumentis conuincat; vt denique amice eundem hortetur errorem ſuum exuere. Vbi nihil horum praeceſſerit, quid faciendum mihi ſuaſeris tu, qui ob impactam retorſionem in furias abiiſti? An cenſes, cum ſilentio gladium iugulo fuiſſe excipiendum? Puto igitur ad demonſtrationes Geſenii ſic eſſe reſponſum, vt etiam acutiſſimis diſputatoribus, qui *Gardelebiae habitant*, ſatis fieri queat; quorum peritiam expreſſit ſupremus eorum choragus Geſenius, dum dicit; *quod Profeſſor in publicis diſputationibus illos, qui Theſibus tuis opponunt, iubere ſoles; reſponde ad Syllogismum*, &c. Nam quantum ego memini, hoc quandoque reſpondenti ingeritur, opponenti nunquam.

ENIMVERO vti in conuitiis ſpargendis nemo Geſenium facundia ſuperauerit; ita vbi ad ſeria tandem deueniendum erat, nihil ipſo eſt aridius, ſic vt non amplius latret, ſed muſſitet. Eo breuiori reſponſioni amoliemur hominem rudiſſimum. Quam late ego ſocialitatem extendam, tradidi L. I. c. 3. §. 15. *de Officiis.* Eam in conſtituendo iuris naturalis fundamento rationalitati opponere, ſtolidum eſt. Mox, ne ob calumniam ſuam erubeſceret, ſimulat ſe meum reſponſum non capere. Dixi, *religio quatenus ad diſciplinam iuris naturalis*

ralis pertinet, intra ſphaeram huius vitae terminatur; id eſt, ex ſola religione naturali iam nemo ſaluatur. Rationem attuli in libello *de Officiis L. I. c. 4.* §. *8.* Hoc ſi quis negare velit, admittere cogetur, dari viam ſalutis aeternae extra Chriſtum. Moue aures, Geſeni, vt ſciam, an haec iam intelligas, ſimulque fatere, nequiſſimum te calumniatorem eſſe, qui illud, quod ego de *religione, quatenus ad ius naturale ſpectat*, enunciaui, malitioſe detorques ad religionem ſaluificam, quae ad iuris naturalis diſciplinam nequaquam pertinet; quaſi nempe etiam ſaluifica religio a me pro nudo vinculo reipublicae haberetur. Denique antequam *cum ratione mecum agere* deſinat Geſenius, hoc ratiocinium, ingenii & candoris ſui monumentum nobis relinquit. *Quia expedit, vt publice ciuitas perſonet doctrinis cum fine ciuitatum congruentibus*, id eſt, quia, vti ego explicaui, ſolida & bona ethica & politica in ciuitate doceri debet; igitur ex mente GESENII *parum intereſt, turpis ſit ſiue honeſta, ſiue vera ſiue falſa religio, modo huic ciuitatum fini apta ſit & congruens.* Quid hoc argumento ſolidius? Ne nunc multis oſtendam, quod neque vera religio fini ciuitatum, quem ego deſignaui, quidquam obſit, neque falſa proſit. Caeterum vt bona fide rationi renunciaſſe Geſenium credamus, ecce obſoletum ſuum carmen de polygamia recinit, quaſi ego iſtam *velut remedium promouendae pietatis* commendauerim. Sane nunquam credidi, aliquem fore tam ſtupidum, quin intelligeret, id me dixiſſe; non eſſe, quare circa impugnandam polygamiam tantopere trepident certi homines, cum abs nullo vitio orbi Chriſtiano inprimis in Europa minus periculi, quam ab hoc immineat. Vnde fruſtra tanta cum conſternatione ad arma conclamari, vbi hoſtis non adparet. Praeſertim cum nulla maior calamitas maritis obuenire poſſit, quam ſi plures ſimul habere vxores cogantur, in cuius mali remedium mortem ſint optaturi.

SED nimirum pauca haec a Geſenio obiter tantum adducta fuerunt. Summa autem laboris ipſi fuit ſpecimen oſtendere, in quantas furias homines fanatici poſſint ire. Cuius non minima pars eſt, illis, quos ſibi infectandos ſumſere, gratia diuina velle interdicere. Verum mi Geſeni, poſtquam ſemel terrorem digeſſimus, quem quondam fulmina Vaticano emiſſa vertici ſolebant generare, non facile adducimur vt credamus, Praeſuli Garlaeae claues coeli erebique commiſſas. Sed nec ea, quae inter nos agitatur lis, Miniſterium Eccleſiae, eiusque ſanctimoniam vllo modo ſpectat. Tu venenatum ſcriptum mihi falſo tribuis: ego iniuriam mihi fieri, addita retorſione, teſtor. Tu excandeſcis, & maledictorum atque calumniarum plauſtra euomis: ego quantum ad meam defenſionem, ac retundendae tuae impudentiae ſufficere iudicatur, repono. An & in hoc caſu qui ſacerdotis furorem abs ſe repulerit, vnctos domini violaſſe iudicabitur? Quin potius ſi cui ex tuo ordine omnino placeat virus ſuum in alterum euomere, tutius cathedra ſacra abutetur, vbi intemperies animi & affectuum malignitas ſpecioſiore ſub praetextu deſaeuire poteſt. Aſt vbi ad ſcriptionem publicam idem prouolauerit, non eſt quod eximiae quid fortis prae reliquis ſibi polliceatur. Si enim falſi quid aſſerit, erroris arguetur. Si fictis criminationibus de aliorum exiſtimatione detrahere inſtituat, mendax & calumnia-

calumniator audiet. Si inepta ſcripta edat, eruditis ludibrium debebit. Si rationem eierauerit, ſtolidus iudicabitur. Si quae conuitia eructet, nihil penſi habuerit, furere videbitur. Si imperite de rebus, quas non didicit, iudicium ferre inſtituat, Midae fraterculus nuncupabitur. Porro vti cum Praeſulatu Garlaeano nihil mihi negotii eſt; ita quae pro ſalute mea cura vigilias tibi, mi Geſeni, imperat, plane ſuperuacua eſt. Neque enim tali nobis ſacerdotum genere heic opus eſt, qui ſub imagine precum foedam animi inflammati rabiem exhalant. Dira quoque iſta carmina tuo potius capiti cane. Et ſi qui precando vales, ora, vt tuam tibi ruditatem & veſaniam agnoſcere detur. De caetero vti hautquaquam timidum aut imparatum me offendent, ſi quibus forte deinceps calamum in me ſtringere placeat, modo inſcitiam, iracundiam, & foedas calumniandi artes procul habeant: ita Geſenio id honoris ſufficere debet, quod mea opera ad qualemcunque nominis celebritatem protractus fuerit, qui antehac in alta velut caligine Garlaeam bibebat. Si in poſterum furere pergat, optimum reſponſi genus fuerit, contemnere & ſilere.

* *

SAMVELIS PVFENDORFII
EPISTOLA

AD

AMICOS SVOS PER GERMANIAM,

SVPER LIBELLO FAMOSO,

QVEM

NICOLAVS BECKMANNVS, QVONDAM PROFESSOR IN ACADEMIA CAROLINA,

NVNC VERO CVM INFAMIA INDE RELEGATVS,

MENTITO NOMINE VERIDICI CONSTANTIS

SVPERIORI ANNO DISSEMINAVIT.

Non dubium eſt, *Viri amici*, quotquot vel collegio quondam, vel conuerſatione, vel literarum commercio, vel beneuolentia ex ſcriptis meis concepta, vel alia ratione mihi coniuncti eſtis, quin grauem dolorem atque indignationem conceperitis, prorepente in conſpectum veſtrum exſecrabili libello famoſo, quo foediorem quidem orcus nunquam in opprobrium ſeculi euomuit. Quanquam enim & ipſa dictio hominem aſinino ſtupore ac ruditate arguat, & tota nefarii ſcripti facies

facies nil niſi profeſſam mentiendi rabiem prae ſe ferat: dolendum tamen videbatur, aduerſus me potiſſimum fuiſſe exſerendum; quouſque furor, infernali agitatus oeſtro, procedere, & quid extremum in mentiendo atque calumniando foret. Sane multi in vicem mercedis pro vtiliſſimo labore ſuo maleferiatorum importunitatem ſunt experti; in plurimos quoque innocentes viros foeda & abſurda multa ſaepe numero iactata ſunt; tamen quantum mihi ex hiſtoria literaria notum eſt, hoc certe ſeculo exemplum non extat viri eruditi, cuius verae & innoxiae ſententiae per inſcitiam aut prauitatem maleuolorum malignius detortae ſint, vel qui obſcœnioribus mendaciis, modoque magis ſceleſto adſperſus ſit. Quin & cum hactenus creditum fuerit, penes monachos & miſſifices palmam impudentiae extitiſſe circa aduerſarios ſuos foedis mendaciis & criminationibus onerandos; iam tandem repertus eſt nouus Alaſtor, qui calumniatorum anteſignanis omnem ruborem poſſit abſtergere. Quorum & hoc inſigne eſt artificium, plauſtra mendaciorum in alios iactare, ac dein poſtulare, vt iſta falſa eſſe oſtendantur; perinde quaſi accuſaſſe & conuitia ſparſiſſe ad criminis probationem ſufficiat. Caeterum eo iniquius ſors mea comparata eſt, quod nec plane ſilere ad mendacia iſta liceat, nec alius detur, qui horum vanitatem ita perſpicue demonſtrare queat & tamen honeſto viro cum infami iſto Alaſtore congredi erubeſcendum ſit, cui iam amiſſo honore & exiſtimatione ea nouiſſima voluptas petitur, quam magnitudo infamiae apud deſperatos gignere ſueuit. Equidem apud eos, qui me norunt, defenſione nulla opus eſt, quibus de abſurditate horum mendaciorum abunde conſtat. Honeſti autem & cordati viri vltro eiuſmodi ſputeas chartas deteſtantur; improbumque iudicant, de viris integrae ſemper famae ſiniſtri quid ſuſpicari ex tali ſcriptionis genere, quod apud omnes populos moratiores infamiam & graue ſupplicium meretur. Et ſi eo res humanae redierunt, vt eiuſmodi chartis aliqua fides habeatur, iam omnium atrociſſimorum ſcelerum reus eſt, cui impudens & nequam inimicus obtigit. Eſt tamen non quibuſuis tam candidus animus, nec id probitatis in plurimos mortales cadit, vt quae aliis infertur iniuria, eam abs ſe quoque non plane alienam iudicent. Alii vtut pleraque conficta agnoſcant, tamen non omnia plane de nihilo eſſe ſuſpicantur. Denique qui odio aut inuidia in nos flagrant, aut qui ex ſcriptis noſtris oppugnatis laureolam aucupantur, ſaltem in ſinu gaudent, quacunque via moleſtiam mihi creari, ſi non aperte eiuſmodi ſcelus adprobare audent, quod non deteſtari impuri animi argumentum eſt. Viſum igitur fuit hanc ſcriptionem publicare, non vt me ab obiectis criminibus purgem, quorum vanitatem Deus, cuius notitiam nihil fugit & multi honeſti viri, queis vita moresque mei penitius perſpecti ſunt, norunt; aut quod cum tetrico cadauere hominis iam ciuiliter mortui luctari velim: ſed vt Germaniae ob oculos ponam exemplum inuſitati cuiuſdam & humanam malitiam ſupergreſſi furoris, qui inter prodigia & oſtenta huius ſeculi referri meretur. Simul & haec inde proueniet vtilitas, quod aduerſarii mei, qui tam inficetum mihi bellum mouere inſtituerunt, non magnopere criſta erecturi ſint, in lucem protracto ſuo anteſignano, qui primus incentor fuit omnium turbarum, quae in me, meumque librum ſub ſignis Inſcitiae, Liuoris & Ca-

Digitized by Google

& Calumniae ſurrexerunt. Plurimum autem ad illuſtrationem totius negotii faciet, ſi Cerberum iſtum ex antri ſui tenebris protractum in aperto velut campo publice ſpectandum deſtituam. De quo tamen nihil tradam, niſi quod in notitia omnium eorum inter quos iſthaec ſcribo, verſatur, & quod ſi opus ſit, fide actorum publicorum, & literarum authenticarum probari poſſit. Neque enim vt Beckmannus deterrimus bipedum habeatur, figmentis opus eſt, qui dum vixit, hoc vnicum omni ſtudio egit, vt ſtoliditas & prauitas ſua in obſcuro ne latitaret.

Nicolavs igitur Beckmannvs Heida apud Dithmarſos oriundus, cum eo tempore, quo bellum Suecicum in Polonia & Boruſſia deflagrabat, Regiomonte egiſſet, vbi miros profectus in Saltationibus Polonicis fecit, neſcio qua occaſione in familiam certi cuiusdam Comitis Suecici ſe contulit, vt eiusdem filium prima literarum elementa doceret. Holmiam poſt finitum bellum delatus nulla alia re, quam ſtoliditate potuit inclareſcere, quae in faciem ipſi ſolebat exprobrari. Poſt ſexennium in familia Comitis abſumtum Marpurgum abiit, iuris ſtudio ſe adplicaturus. Vbi dicitur *Medullam* ſuam *Iuſtinianaeam* ex priuato collegio Manuſcripto Profeſſoris cuiusdam compilaſſe, vel potius id paucis in locis interpolatum praefixo ſuo nomine Pariſiis poſt edidiſſe. Certe vix triennium eſt, cum Nobilis quidam Suecus, qui Marpurgi aliquandiu haeſerat, praeſentibus quibusdam ſtudioſis, & Profeſſore vno heic loci diceret: Marpurgenſem illum Profeſſorem Beckmanno plagii actionem intentaturum. Id certe patet, eam Medullam alium praeferre genium a *Commentario ad Inſtituta* aliquot poſt annos ſcripto; nec eam ſpirare ruditatem & veſaniam, qua hic ſcatet; cum tamen alias intra tantum temporis ſpatium in melius ire debuiſſent ſtudia hominis. Quicquid huius ſit, ſaltem deſcriptio eius libri non exiguo labore ipſi conſtitit, cuius intemperantia icterum Pariſiis contraxit. Aureliis titulum Doctoris, qui miros homini ſpiritus dabat, praeſenti pecunia emit. Commendatione Comitis, cui per ſexennium inſeruierat, profeſſionem iuris Romani in Academia Carolina tunc recens inſtituta nanciſcitur. In qua qualem perſonam acturus eſſet, ipſo inaugurationis die luculento ſpecimine praeluſit, dum proceſſione ad aedem ſacram coepta ſuper praecedentia cum Schwartzio, qui tunc extraordinarii Profeſſoris Theologiae titulum gerebat, ita acriter contendit, vt ad manus res iamiam deuentura videretur, ni caeteri ſe interpoſuiſſent. Et haec ratio eſt, quare in libello famoſo, dum *viros Magni Nominis* recitat, meos heic loci aduerſarios, ſeipſum anteponat Schwartzio, vt vel nunc ſaltem dignitatem ſuam aduerſus iſtum vindicet. Quid poſthaec auſpicia turbarum apud nos dederit, memorare ſuperuacuum eſt. Quae me tangunt paucis recenſuiſſe ſuffecerit. Ab initio igitur bonus ille vir amicum ſe mihi ſimulabat, & cum ſub aduentum meum forte in Fionia abeſſet, cuius aedibus tantiſper vti conſtitueram, ipſe in domo ſua conclaue vnum atque alterum per ſex puto hebdomadas mihi concedebat, donec proprias mihi aedes emiſſem. Pro quo officio plus ipſi diſcedens donaui, quam quanti totius anni penſio eſſe poſſet. Quanquam autem ſtoliditatem hominis & pudendam ruditatem primo ſtatim congreſſu deprehendebam, eo minus tamen colliſionis ab

eo

Digitized by Google

eo mihi metuebam, quod & curtae ſuae ſupellectilis conſcium eum crederem, & cum in diuerſo ſtudiorum genere verſaremur, vel Cuiacium peritia iuris ſuperare poſſet, vt luminibus meis nequidquam obſtrueret. Paulatim tamen deprehendere coepi, quam profunda inuidiae flamma iſtius pectus adureret; & quod omnes fortunae ſuae rationes heic loci in eo ſitas crediderit, vt ego hinc abeſſem. Cum nondum huc adpuliſſem, (quod poſtea mihi cognitum eſt,) non dubitauit ab Illuſtriſſimo Academiae Cancellario per literas petere; efficeret, vt ego Heidelbergae manerem; ſe enim cum collega ſuo facile partes meas ſuppleturum. Etſi reſponſum accepit, quo nôn magnopere gauiſus fuit. Primis temporibus, dum amicum ſe adhuc ſimulat, ſubinde aures meas obtundebat, laborarem, vt in aula ſplendidiore munere potirer. Quod quo conſilio caneret, facile adparebat, poſtquam non obſcure aegreſcere ipſum animaduerti, cum videret domum meam a nobilibus adoleſcentibus magis ac magis frequentari. Apertius ſeſe liuor coepit exſerere, cum intellexiſſet, librum meum iam ad vmbilicum deduci, & mox loco debito cenſurae ſubiiciendum. Ipſe enim mire ardebat, primus huic loco ſcriptis ſuis famam conciliare. Igitur ſtatim quatuor aut quinque commentarios ad Inſtituta in menſa ſua diſponit; ex illis nouum, ſi diis placet, commentarium generaturus; & vix paucis paginis vtcunque conſcribillatis, eius imprimendi licentiam Holmiae per literas petit. Mox & bibliopolam ſolicitat, vt eidem imprimendo ſumtus ſuppeditet, ſpe praeſentiſſimi lucri facta. Nam confirmabat fore, vt ita cupide iſte liber emeretur, ſicut calentes a fornace ſimilae ſolent; quae ipſius verba erant: (Es würde abgehen, wie warme Semmeln.) Cum iſti perſuadere non poſſet, vt pecunias ſuas perdere vellet, propriis ſumtibus tam nobilem ingenii ſui foetum in lucem protrahere conſtituit. Vt tamen omnino me praeuerteret, typographum in has leges adigere tentabat; nullam paginam imprimendam ſuſciperet, antequam opus ſuum eſſet abſolutum. Hoc quoque conatu depulſa miſerrima ambitio eo acerbius indoluit, quod mihi poſtea iniungeretur, commentarium ipſius reuidere, ne quid legibus huius regni aduerſum eo contineretur. Nam ruditatem & ſtultitiam ſuo periculo apricari conceſſum ipſi erat. Interea cum per triennium hominis veſania & prauitas ex variis litigiis ab ipſo motis perſpecta, patientiam ſuperiorum conſumſiſſet, initio anni 1671. ſalario priuatus eſt, quo inſinuabatur, ſedem furoris exſerendi alibi eſſe ipſi quaerendam. Heic igitur iudicabat, vnicam ſibi ſupereſſe viam heic locorum ſubſiſtendi, ſi qua me euertere valuiſſet. Etſi ego propalato iam eius in me liuore aperte iactarem; ſi vel maxime dudum ſepultus ego forem, ipſum tamen Beckmannum manſurum. Exinde hoc potiſſimum pario conſpiratio illa aduerſus me coepit, de qua in Apologia mea ſatis expoſitum fuit. Et ipſe, dum in typographiam ſubinde graditur, aliquot articulos, cerebro ſuo non quadrantes, annotauerat; ſed quos caeteri ſocii tanquam ad rhombum nihil plane facientes reiiciebant. Ac Schwartzius illibatam gloriam ex confecto Indice Nouitatum ſibi vindicatum ibat. Spes autem erat fore, vt ſi *tanti nominis viri* (ex elogio Beckmanni) ſupercilio me ſuo notaſſent, & vniuerſus Sueciae Clerus in me inſurgeret, & ego inauditus, indefenſusque condemnarer. Sane tam certam victoriam animo

praeceperant, vt is, penes quem praecipua factionis auctoritas, (*Winſtrupius*) cuipiam amico his ipſis verbis diceret: *ne Regem quidem ſeruare me poſſe.* Et idem publice in Academiae Conſiſtorio, me abſente, pronunciauerat; omni mihi ingenio meo opus fore, vt hinc me extricarem. Credo equidem, ſi Beckmanno iudice cauſa eſſet diſceptanda. Poſtea cum aduerſariis meis ſilentium foret impoſitum, Beckmannus nondum ſibi, quieſcendum putauit; ſed Indicem iſtum, abs ſe quibusdam in locis interpolatum, Gieſſae Haſſorum typis excudendum curauit, opera ad hanc rem vſus cuiusdam bibliopolae Holmienſis; qui cum interrogaret, quare non nomen ſuum ſcripto adponeret? reſpondit; exiguum id eſſe, nec dignum, cui nomen praefigatur; eoque duntaxat fine id conceptum, vt Puſendorfius intelligat, alios quoque homines praeter ipſum quid ſapere. Ita homini perſuaſit tam turpem operam ſibi nauare, cum viri candorem proceritate corporis, & titulo Doctoris metiretur. Curauit tamen, vt Beckmanni Manuſcriptum ſibi remitteretur, quo auctorem ſuum conuincere poſſet, ſi forte poſt eam in rem inquireretur. Caeterum an iſtud ſcelus ſolo Beckmanno auctore ſuſceptum ſit, an vero cuiuspiam alterius ſuaſu, conſilio, aut adprobatione, liquido aſſerere nondum poſſum. Et facile patior, vt Beckmannus ſolus ex eo facinore nebulonis titulum reportet. Nec ſi quis particeps fuit ideo poenam diuinam effugiet, vtut humani ſori ſeueritatem declinauerit. Cauſa autem iſtius flagitii ſuſcepti manifeſte adparet. Spes quippe erat, fore in Germania aliquem praecipitis animi, & male oculati Zeli Theologum, qui conſpectis iſtis chartis, nulla diſquiſitione inſtituta, ſtatim ad arma clamaret. Ex quo nouum proſtratae cauſae fulcrum acceſſurum iudicabatur. Quis enim deinceps dubitaret, quin Puſendorfius ſtatuiſſet, quae ipſi in mentem nunquam venerunt, ſi doctor aliquis in Germania libellum ſamoſum velut Apoſtolicum monumentum adoraſſet, aut Puſendorfii tradita in tabellis ſuis & dictatis non reperiri aſſereret. Enimuero vti in eo Beckmannum ſua ſpes non plane ſeſellit, quod vtique infami ſuo ſcripto effecit, vt vnus & alter tam turpiter ſe proſtituerit; vtque adeo iuxta Teutonicum adagium vnus ſtultus multos ſtultos faceret: ita in eo ſalſus animi ſuit, quod aut tanti ponderis apud nos fore putaret vnius vel alterius viri coecum iudicium; aut ſuum ſe ſcelus ita occulte inſtruxiſſe crederet, vt eius nunquam conuinci poſſet. Nam cum reſciuiſſem, quis Francofurti id ſcriptum diſtribuiſſet, facile deinde fuit ad fontem ſceleris penetrare. Noſter autem Beckmannus, cum ſentiret, me iamiam ad finem inquiſitionis perueniſſe, repente Holmiam verſus iter arripit, & ex itinere ad vxorem reſcribit, vt ſupellectilem ſuam, quantum poſſet, venderet. In aulam delatus miſſionem ſuam petere coepit; ſed praeuertentibus meis literis dilatus, cum interea Holmiae Manuſcriptum ipſius coram magiſtratu prolatum eſſet, & iam lictores mandatum accepiſſent, vt poſtera die hominem in carcerem raperent, ipſe rem ſubodoratus, an conſcientia vecors, nocte concubia Holmia profugit, & accelerandae veredariorum promtitudini, an occultandae fugae comitem ſeſe per hoſpitia edidit. Et quanquam ad portus huius prouinciae mandatum erat, vt ſiſteretur; tamen pro conniuentia militum, aut ex litore infrequenti in vicinam Zelandiam euaſit. Haſnia menſe decembri anno

1673.

1673. epiſtolam ad me ſcribit, in qua primo me Hamburgum in duellum prouocat, eo certiorem ſibi de me victoriam pollicitus, quod ipſe dexteritatis ſuae in arte gladiatoria non obſcurum ſpecimen dederat, heic loci cum Laniſta quodam circumforaneo, qui licentiam artis ſuae exercendae petebat, in magna ſtudioſorum corona tantus Doctor & Profeſſor congreſſus, vt oſtenderet, Beckmannianam veſaniam non legibus ſolum armatam, ſed & armis decoratam eſſe. Sed quia ſuſpicabatur, aegre me adduci poſſe, tempore hiberno iter Hamburgum ſuſcipere, vt cum nebulone ibi depugnarem, carnifici victimam debituro; eadem illa epiſtola minatus eſt, ni ab ipſo perſequendo deſiſterem, ſe mediate & immediate me aggreſſurum, etiam cum diſpendio ſalutis ſuae aeternae, & illa ipſa mendacia, quae iam in recenti eiusdem libello famoſo exponuntur, mihi publice obiecturum. Quam epiſtolam ego in Conſiſtorio Academiae protuli, & quasdam ex ea ſententias protocollo inſeri curaui. Sic vt iſthoc ſcelus, & vniuerſus mendaciorum adparatus mihi dudum ſit perſpectus, qui ex illa ipſa epiſtola fere ad verbum eſt expreſſus. Etſi dolendum ſit, obſcura duntaxat veſtigia adparere tam argutae ſententiae, quam in epiſtola poſuerat: ſe iam me prouocare, *quia nunc in ſtatu naturali abſque entibus moralibus conſtitutus eſſet.* Quo ipſo candide in beſtiam ſe degeneraſſe profitebatur. Nam in diſciplina iuris naturalis beſtia non aliter conſideratur, quam animal in ſtatu quaſi naturali abſque entibus moralibus conſtitutum. Ego tamen minas iſtius flocci faciens, & apud cordatos viros plus innocentiam meam, quam Beckmanni mendacia, valituram confidens, intrepide actionem aduerſus ipſum perſequebar. Demum ſententia a Conſiſtorio Academico pronunciata, & in aulam transmiſſa a S. R. Maieſtate quidem ratihabetur, vt tamen clementiam ſuam teſtaretur, addidit; veniam delicti Beckmannum obtenturum, ſi deprecatione, qua ego contentus eſſe poſſem, me placaret. Sed tantum aberat, vt ille tam inſignem Regiam gratiam amplecteretur, vt potius impudentiſſimas literas, & quales nonniſi a Beckmanno conſcribi poſſunt, ad Conſiſtorium Academicum daret; in quibus poſt prolixos furoris vomitus demum concludit, ſe propter euitandam damnationem aeternam precibus vxoris hoc dare, vt lis illa vtrinque ſilentio ſopiatur. De iniuria mihi facta, aut deprecatione nullum verbum. Minae tandem repetebantur, & quantum incendium aduerſus me eſſet excitaturus. Subiecit tamen, fore vt vterque noſtrum parum honoris inde ſit reportaturus. Quod de ipſo quidem veriſſimum eſt. Nam licet & mihi parum glorioſum ſit, tam tetrae belluae furorem excipere; tamen apud ſuperiores meos, & omnes honeſtos atque cordatos viros non magis exiſtimationi meae detrimentum aliquod ex ſceleſto illo ſcripto metuo, quam ſi me furioſus aliquis luto adſperſiſſet. Nam moleſtum quidem eſt circa eiusmodi ſordes abſtergendas occupari; ſed quo minus alter inſaniat, praeſtare meum non eſt. Compoſitione amica hoc modo abrupta, executionem ſententiae omnibus modis impedire nitebantur, qui Indicem Nouitatum heic enixi erant; quod metuerent, ne aliqua ſcintilla ex iſtius infami rogo in ipſorum barbas transuolaret; quorum vnus (*Schwartzius*) *per vulnera Ieſu Chriſti* obſecrabat, ne id fieret. Cum ea res in Senatu Regni in vtramque partem diſceptaretur, S. R. Maieſtatis effatum dubitationi finem

 impoſuit;

Digitized by Google

impoſuit; *Pufendorfio petenti iuſtitiam denegari non poſſe.* Igitur menſe Aprili anno 1675. ſententia in Beckmannum heic publice in foro promulgata, & *Index nouitatum* per carnificem igni perquam luculento datus eſt; ex cuius cineribus nouus iam libellus famoſus ad phoenicis inſtar ſurrexit. Et inde tutum iam eſt Beckmanno libellos famoſos edere, & citra reſpectum Dei hominumque mentiri, qui ſemel in deſperatum furorem induruit, vt ſeipſo profitente malit iacturam ſalutis aeternae facere, quam aduerſus me non inſanire. Et honore iam omni exutus nihil nouae infamiae amplius capit. Nam ne fuſtigationem ſubeat, facile per hos belli tumultus cauturum ſe ſperat.

Caetervm vt eo minus dubium reſtet illis, qui animal iſtud penitius non norunt, nullum mendacium tam abſurdum eſſe, quo aſſerto Beckmannus erubeſcere poſſit; age vnum & alterum ipſius factum proferamus heic loci patratum, quo tempore adhuc inter honeſtos viros cenſebatur. Ac ne quid iam repetam de ſceleſta illa epiſtola, ſine ſubſcriptione Holmiam miſſa, de qua mentio fit in Apologia noſtra p. 75. cuius Beckmannus auctor laudatur; anno 1669. honorato cuipiam Viro, (cuius nomen, cum neſciam, an hoc gratum ipſi ſit futurum, heic adponere ſuperſedeo) furti crimen obiiciebat. Cauſa coram Commiſſariis, magnae dignationis viris, heic loci cognita, mendacii & calumniae conuincebatur noſter Beckmannus, vtut ſyllogiſmis in forma adornatis magnos ſtrepitus dediſſet. Quo tamen tempore poenam magis, quam infamiam declinauit, tantam iniuriam interpoſitu amici condonante iſto viro; cui ſatisfactionis loco erat, quod innocentiam ſuam demonſtraſſet, & Beckmannum ad agnitionem iniuriae ſuae adegiſſet. Poterat hoc ſufficere, ne inter honeſtos viros luridum ſuum os amplius oſtendere auderet. Audiamus aliud eius factum non paulo foedius. Per longum ſatis tempus domi ſuae mola manuaria inſtructa Regis reditus defraudauerat Beckmannus. Re tandem per telonas deprehenſa, furtiuo molitori mulcta centum thalerorum ſimplicium dicitur. Hic vt telonam vlciſceretur, publice ipſi peculatum, furtum, homicidium, aliaque crimina atrocia obiecit. Res coram Commiſſariis examinatur: Domino Doctori aqua vbique haeret. Quid heic tanti nominis Iuriſconſultus ageret? qui vt vnius delicti poenam effugeret, pluribus ſe per veſanam malitiam induerat. Nihil iam reſtat, quam vt pudoris & exiſtimationis iactura, ipſi viliſſima, grauiorem poenam declinet. Interuentu amicorum Sueno Ionae filius (id telonae nomen eſt,) vtcunque placatur, poſtquam egregius Doctor literas reuerſales ſcripſiſſet in hanc ſententiam: ſe crimina illa, quae longo ordine enumerantur, ipſi obieciſſe, non quidem animo ea probandi, ſed vt ſuſpectum ipſum redderet, quaſi & ſibi ab eodem facta fuerit iniuria. Sed cum iam deprehendat, hanc rem ſibi ad effugiendam mulctam prodeſſe non poſſe; igitur ſe iſta retractare, & telonam ab omnibus obiectionibus immunem declarare. Telona viciſſim iniuriam ipſi condonat, ſaluo tamen ſuperiorum iure. Quomodo tantus Iuriſconſultus malitioſum calumniatorem & mendacem diſertius deſcribere poterat? Aut quem ſibi amplius locum inter honeſtos viros reliquerat? Extant adhuc illae litterae Beckmanni manu ſubſcriptae, & exempla earundem

earundem in multorum manibus verſantur. Quam facile ergo fuerat, poſt haec ſpecimina famoſum libellum procudere, inſulſis refertum mendaciis, homini deſperato, infami atque inteſtabili, cui vnicum hoc vitae pretium reſtabat, quacunque via ardorem vindictae in me expromere? Nec eſt quod aliquem moueat temeraria illa aſſeueratio, qua mendaciis ſuis fidem adſtruere conatur impuriſſimus bipedum. Cui enim erectis digitis & conceptis verbis poſt praemiſſam de poena periurii admonitionem iuranti de re, quam oculis ſe ſuis vidiſſe diceret, iuxta leges huius Regni fides haberi non deberet; illius exſecrationi aliquod pondus tribuetur ex infamibus ſuis tenebris crocitandi in tali actu, qui meri ſceleris cauſa ſuſceptus eſt? Perinde ac ſi quis magnifice de pietate alicuius furis ſentire velit, ideo quod dum ad furandum ſe accingit, ſuper ſucceſſu Deum inuocat.

QVANQVAM autem aequi rerum arbitri ex dictis facile iudicaturi ſunt, quo numero habendum ſit ouum abs eiusmodi coruo excluſum: ne tamen Alaſtor voto ſuo vlla ex parte potiatur, neue ex mendaciis ipſius vel minima ſuſpicio haereat, quaedam ad libellum famoſum annotare placet, quae ad impudentiam calumniae illuſtrandam aliquid videbuntur facere. Ac leuicula quidem illa & prope puerilia praetereo, quibus tamen Alaſtor putauit ſeſe animo meo aegerrime facere: quod tam ſolicite *magiſtrum* me, & *philoſophum*, ac *philoſophiae profeſſorem* vocitet. Ea enim erat non minima inuidiae cauſa in me, quod ego loco, & ſalario, quam ipſe, gauderem ſplendidiore, cum tamen titulum Doctoris nunquam appetiuiſſem, nec me purum putum Legiſtam tuliſſem. Quaſi omnem eruditionem titulis ſcholaſticis metiri neceſſum eſſet; aut quaſi inter eruditos opprobrio foret, aliquid praeter aridas legum allegationes noſſe. Sic & ridicule *riſus* meus notatur a grauiſſimo ſcilicet viro, qui repente iam tertius e coelo cecidit Cato. Quod vocabulum neſcio quo inſtinctu iam inuaſerit homo, qui per totam vitam riſui aliorum praebuit materiam, niſi quod bona fide Porcius ſit. Etſi quod riſui tam infeſtus ſit, minus mirum videri iam debeat, vtpote qui veſania ſe ſua eo redigit, vt ringendi potius quam ridendi cauſam habeat. Eoque iam, ſi Diis placet, nobis comminiſcitur nouam *Academiam Catonianam*, cui ipſe in Apollinis vicem praeſideat, non quidem Muſis Gratiisque, ſed Infamia, Furore, Flagitio & Barbarie ſtipatus. Quo ipſo collabuntur amicorum eius magnificae fabulae, heic magna aſſeueratione ſparſae; eundem eiurata vita literaria Fuldae Cancellarii munere potitum; poſtea Marti ſe conſecraſſe, & tribunum militum, mox praefectum equitum factum; quaſi ad vtrumque officium ſat commendationis habeat cum infamia relegatum eſſe, aut a laniſta circumforaneo vapulaſſe. Sed iſthaec leuiora mittamus. *Athei* & *atheiſmi* conuitium & in libello famoſo, & in epiſtola encyclica vtramque paginam implet. Quod cur Alaſtori potiſſimum placuerit, cum ad mentiendi impudentiam nihil interfuerit, an parricidium mihi & latrocinium, & piraticam, & veneficium, & plura alia obieciſſet, in promtu cauſa eſt; vt nempe eius vocabuli atrocitate ſacerdotes in me irritaret. Enimuero improbe plane de ſacro ordine ſentit Alaſtor, ſi credit, apud eundem ve-

ſani hominis maledictum in libello famoſo eructatum ponderis aliquid habiturum aduerſus virum bonae ſemper famae, ipſumque ſtatim ad nutum impuri calumniatoris in iras abiturum. Sane ego longe prolixius mihi polliceor de prudentia & circumſpectione iſtius ordinis: nec facile ſpero vllum cordatum tam prodigum ſore exiſtimationis ſuae, vt ſub auſpiciis Beckmanni tam infami militiae nomen ſit daturus, in qua nihil aliud quaeratur, quam vt innocentis viri ſama variis mendaciis & calumniis maculetur. Sed excutiamus potius argumenta, quibus Alaſtor probare inſtituit crimen tam atrox, & tantopere abhorrens a profeſſione & vita mea, & a praeſumtione illa, qua dum vixi apud omnes bonos, qui me norunt, gauiſus ſum. Arguuntur primo *peſtifera, noua & inaudita principia:* quae ſcilicet, ex conſideratione rerum & hominum, operum vtique diuinorum, hauſta, quam proxime ad ſana tradita Stoicorum, ad religionem autem Chriſtianam examuſſim quadrant. Circa quae excolenda laborem a me ſuſceptum profiteor eo fine, vt quantum in me quibusdam Proteſtantium ſcholis exturbarem ieiunam illam Ariſtotelis Ethicam, circa euoluenda vndecim virtutum vocabula ſatagentem; & politicam eiusdem inutilem, ac quaedam dogmata reipublicae pernicioſa continentem integritati & ſanitati reſtituerem: vtque noſtrates ex ſana ratione, quam lacunis Moraliſtarum, quod iuſtum & iniuſtum ſit eruere mallent. Quem meum laborem & ſcopum rei literariae & publicae ſalutarem exſiſtere, vel hoc argumento non parum confirmor, quod ſentiam Satanam, per primarium ſuum ſatellitem tantum furorem in me effundere; vtpote cui dolet, regnum tenebrarum detrimenti quid capere. Qui & ipſe non alio modo vſus eſt in perſequendis purae religionis inſtauratoribus, quam vt doctrinam ipſorum iuxta & vitam peſſimis calumniis oneraret. Et ſane ſi Dei & veritatis cauſam ageret Alaſtor, eiusmodi artibus, quales in me ſunt vſurpatae, haud quidquam opus erat. Iubentur quoque ab Alaſtore ſignum atheiſmi eſſe *entia Moralia;* quae vtique fuerunt, quamdiu genus humanum extitit. Sed quod eadem antehac in ordinem non ſunt digeſta, nec ipſorum indoles curatius tradita, philoſophorum incuria in culpa eſt. Quae & ipſa iam a Viro ingenioſiſſimo D. Erhardo Weigelio, Mathematum apud Ienenſes Profeſſore, lingua Teutonica ita perſpicue ſunt expoſita, vt ne a ruſticis quidem obſcuritatis amplius accuſari poſſint *indifferentiam omnium actionum humanarum* a me traditam foedum eſt mendacium, vt crediderim, ipſum diabolum eo prolato erubeſcere poſſe, quippe quod plane belluinum ſtuporem arguit. Quid enim rationis illi ineſſe queat, qui diſcernere neſciat actionem humanam & moralem a nudo motu phyſico a lege abſtracto. Inprimis velut ſedes noui atheiſmi in epiſtola inſimulatur *liber primus*; quem cum Beckmannus a ſe non intelligi ipſe fateatur, quo atrocius contra iſtum exclamat, eo grauius furere eſt cenſendus. Per *Nouitates* meas nihil in iure naturali immutatum eſt, cuius praecepta perpetuo ſunt & fuerunt eadem: ſed diſciplina eius iuris, modusque tractandi & demonſtrandi culturam atque polituram capit. Et erroribus ac naeniis eiusdem facies exſplendeſcit. Sed nec illud ad atheiſmum pertinet, ſi quis contra ignorantiam, malitiam & inuidiam apud ſuperiores ſuos praeſidium petat & inueniat; aut ſi cordati Principes ſuorum hominum

num maleconſultum feruorem temperent, ne per inania litigia exiſtimationem ſuam proſtituant. Id porro commentum non minus ſceleſtum, quam abſurdum eſt, quod odium, quo HOBBESII nomen apud multos laborat, in me transfundere ſtudet Beckmannus, & caeteri, qui me allatrant. Cum tamen non ea modo, quae iſte in religione nouauit, expreſſe a me improbentur; ſed & meum fundamentum, ex quo ego iuris naturalis praecepta deduco. Hobbeſianae hypotheſi directe contrarietur. Ego enim Stoicorum ſanae ſententiae proxime accedo; Hobbeſius autem Epicureorum hypotheſin recoquit. Et ſi quis Richardi CVMBERLANDI ſcriptum eodem anno in Anglia, quo meum opus in Suecia editum, cum meo accurate conferre velit, videbit omnia fere, quae iſte in Hobbeſio reprehendit, a me quoque fuiſſe notata; cum tamen idem ex profeſſo hoc egerit, vt Hobbeſii hypotheſin deſtrueret, ego autem in acceſſorii duntaxat loco habuerim eiusdem errores notaſſe. Id tamen non diffiteor, me quaedam Hobbeſii loca conatum explicare; ex dextra interpretatione emollire; multa, quae cum recta ratione congruunt, retinuiſſe. Quod cur mihi non liceat, nondum adparet; niſi forte illud vehementer ad rem facit, quod Alaſtor iſtum *religione Caluinianum* (quem mox *atheum* deſignat,) & *natione Anglum* tam ſolicite inculcat. Quaſi non infinita Chriſtianorum multitudo tantum non in verba Ariſtotelis iuraret, qui & religione ethnicus, & natione Graecus fuit. Id tamen valde argutum; quod Beckmannus, vt eruditus orbis iam tandem quid de Hobbeſio ſentiendum intelligat, ad *praefationem commentarii ſui ad Inſtituta* lectorem remittit. Id enim non ex ambitione tantum fit, vt *tanti nominis vir*, quem ſeipſum vocat, propria commendatione ſcripto ſuo auctoritatem conciliet; ſed & hac ratione vnius vel alterius curioſitatem irritaturum ſe ſperat, vt eum librum emant, Beckmanni ſumtibus impreſſum. Sed videte, quam non inuideam homini extremum famis remedium. Ipſe ego quantum poſſum ſuadeo, hortor, oro obſecroque omnes, qui Aſinii Terebrionis ſectam ſequuntur, emant ſibi iſtum Patriarchae ſui foetum, & ſacroſanctum habeant tanti viri monumentum, ex quo noſtra aetas videre poteſt, quid vltimum ſit in ſtoliditate. Neſcio etiam an multum ad rhombum faciat putida illa fabula de pugna duorum Studioſorum, mirandum ſpecimen acuminis Beckmanniani: in qua illud elegenter ex ingenio Bekmanni eſt expreſſum, quod ea diſputatio *inter pocula* feratur ſuſcepta. Nam id habet noſter. Poſt tertium poculum Syllogiſmi in forma rupto velut repagulo qua data porta ruunt, & menſam turbine perflant; ac totum tectum nil niſi Quicunque Atqui, Ergo reſonat. Sed id valde praeter decorum, quod illi, qui a meis partibus ſteterat: victoriam tribuit, non ſine ſcaeuo omine pro Beckmanno & caeteris, qui ipſius nouae militiae nomen dederunt. Circa *Monzambanum*, de quo magnam vim mendaciorum cumulat Alaſtor, quae alio loco a me dicta ſunt, repetere taedet. Quem vsque adeo non capit ſtupor Beckmannianus, vt audere non erubeſcat, eo libello *euerſionem ſtatus publici per Germaniam quaeri:* cum tamen Seuerinus fundamenti loco ſubſternat; ſtatum Germaniae, pace Weſtphalica conſtitutum; eſſe conſeruandum, nec contra eam quidquam nouandum. Quo ipſo & libertatem Ordinum Germaniae, & ſecuritatem religionis Proteſtantium

inniti,

Digitized by Google

inniti, coecus ſit, qui non videat. Vt mirari ſatis non poſſim, illos potiſſimum id ſcripti impugnaſſe, qui hiſce partibus fauere tenebantur. Audiamus tamen argumenta, quibus me iſtius libelli auctorem conuincere inſtituit. Ait, in tota Suecia *iuxta propriam confeſſionem* a Magnatibus me auctorem haberi. Aſt ea confeſſio nuſpiam extat. Eum *Magnatibus in Suecia & aliis in fidei & amicitiae teſſeram a me datum eſſe*, impudentiſſimum eſt mendacium. Nuli mortalium vnquam libellus iſte a me dono datus fuit. Imo ille ipſe codex, quo ego vtor, ab ornatiſſimo viro Antonio Chriſtiani Rigenſi, tunc meo Heidelbergae contubernali, ex nundinis Francofurtenſibus dono mihi afferebatur. Quam ficulneum porro eſt ratiocinium inde deſumtum, quod ego σχέμμα illud politicum de republica irregulari, ad ſtatum Germaniae adplicatum, exercitii cauſa defenderim? De ſtylo nemo minus quam Beckmannus iudicare poteſt, quo nemo vnquam ſtolidius ſcripſit. De *Sphaera coeleſti* Seuerino & Apologiae meae praefixa ridiculum eſt, quaſi nulli alii libri hoc inſigne praeferant. Apologia mea Lipſiae impreſſa eſt. Interroget Alaſtor, num & Monzambanus ibidem impreſſus ſit. Par caeteris mendacium eſt, *me ambitioſe eo nomine gloriatum; quod Monzambanum ſcripſerim.* Quis audiuit? Denique ad duorum Virorum teſtimonia prouocare nulla alia occaſione Alaſtori in mentem venit, quam quia norat, Perilluſtrem quondam Baronem Boineburgium inſignem fuiſſe ſtudiorum meorum fautorem; & cum altero me olim Francofurti frequenter conuerſatum. Sed mittamus Monzambanum, cui vtique aliquis in Germania locus relinquetur, quoad libertas Ordinum, & religio Proteſtantium ibi firmo ſtabit talo. Pergit ſeipſum mentiendo ſuperare Alaſtor, dum ſcribit, *me nullam Religionem cum Platone*, (agnoſcas hominem in omni antiquitate verſatiſſimum,) *aut plane gentilem Romanam fouere.* Quippini? Nam *inter alia in opere* meo *publice ſcripſi, religionem ſtatui reipublicae eſſe accommodandam, & quaſi pro inſtrumento ad conſeruandum ſtatum publicum habendam.* Quid impudentius vnquam orbis audiuit? In manibus multorum verſatur liber meus, verſatur Apologia; poſtquam peculiaris adhuc diſſertatio a me conſcripta eſt eradicandae penitus iſti calumniae: vbi ad oculum monſtratur, id a me tantum doceri: prouidendum eſſe rectoribus ciuitatum, ne ſub ſpecie & obtentu religionis falſa & pernicioſa dogmata politica diſſeminentur. Et tamen non veretur tantum mendacium reuomere Alaſtor, cuius falſitatem deprehendere poſſunt omnes, qui legere norunt. Par mendacium eſt, *a me reſurrectionem mortuorum non credi.* Si Beckmannus producere poſſit vllum mortalium, qui Deo teſte aſſerere poſſit, ſe publice aut priuatim audiuiſſe, me vllo verbo articulum iſtum in dubium reuocaſſe, tunc optimus & veraciſſimus virorum Beckmannus a me declarabitur. Sic *non credam ego diabolum dari*, qui eiusdem ſatellitem tanta rabie in me ſaeuire ſentio? Nam quae Beckmannus in me patrauit: humanam malitiam longe excedunt. Sed quod *ſpectra* peculiarem articulum fidei conſtituant, nondum audiui. Super quibus ſi quis ad Inquiſitionem me trahat, ita reſpondebo: me nunquam ſpectrum vidiſſe, nec vt videam cupere: Ab imperitis hominibus multa nocturno metu & errore caliginis, aut illuſionibus aliorum fingi putare: Omnibus promiſcue fidem detrahere temerarium cenſere.

ſere. De *aeternitate mundi* nemo me vel diſſerendi cauſa pro Ariſtotele loquentem vnquam audiuit; & in libello meo *de Officio* eadem a me expreſſe damnatur. Porro vt ego plura ſabbata celebrem, quam lex diuina & antiqua Eccleſiae conſuetudo iubet, ratio muneris & ſtudiorum meorum non patitur. Quod ſi autem in eodem templo duo Sacerdotes alternis diebus dominicis concionentur, quorum alter cathedra ſacra abutatur ad euomendum in me ſuccum nigrae loliginis, ac omnes occaſiones aucupetur me vellicandi & traducendi; num vllo iure teneor iſtius hominis virus, quod de ſuggeſtu in me euomit, hianti ore praeſens excipere? Aut quis me prohibebit tantiſper in alio templo concionem audire? Craſſiſſimum porro eſt mendacium, quod ego vnquam *duos delegatos meo nomine* ad vllum heic ſacerdotem miſerim. Omnes, ſi opus ſit, vel iurato falſum id eſſe teſtabuntur. Sed circa *Secretarium Academiae* ita ſe res habet: Quando primum heic loci bellum contra me mouebatur, vt etiam fex vulgi, quae alia non capiebat, materiam garriendi acciperet, ſpargebatur, a me doceri, debere vnum virum duas habere vxores. Iſtas nugas ad aures Concionatoris primarii M Iohannis Erneſti perueniſſe, ex quibusdam verbis ipſius colligebam. Itaque ne optimus vir in eo errore haereret, Secretarium Academiae, qui tunc domo mea vtebatur, ad eum miſi, vt ex meo libro illi oſtenderet, mihi eam ſententiam a maleuolis falſo affingi. Quod vti amico animo a me fiebat; ita & in bonam partem id iſte accepit, & ex eo tempore nullum amplius verbum ea de re fecit. De *cantatione miſſarum* ſine dubio per ſomnum Alaſtori in mentem venit. Nam quid iſtae nugae ſibi velint, ego plane non capio. Inde aliam mendaciorum ſeriem orditur Satanae ſatelles. De quorum falſitate etſi Deo omniſcio, & plurimis honeſtis viris, qui adhuc viuunt, & decurſum vitae meae norunt, conſtet: pauca tamen addam in gratiam eorum, quibus nulla propior mei eſt notitia. Ac de abominabili crimine primum videamus, quod *anno 1657. & 1658. Sorae* a me patratum ſcribit. Annum 1657. ego a principio ad finem Ienae in aedibus D. Weigelii exegi. Anno 1658. ab Illuſtri Viro D. Coyeto Lipſia, vbi tunc menſa D. Ioannis Bornii Iureconſulti vtebar, euocatus fui, vt ſtudiis filiorum ipſius praeeſſem. Nam quod ego nunquam iſti viro *vt ſcriba inſeruierim*, ipſe Alaſtor optime nouit. Ad memoratum Virum Haſniam perueni, vbi is tunc Legati munere fungebatur, labente menſe Aprili. Cum negotiatio Legatorum Suecicorum extraheretur, Haſniae ſubſiſtendum mihi erat vsque ad menſem Auguſtum. Quo menſe cum repente bellum recrudeſceret, cum altero Legato Illuſtriſſimo Barone Stenone Bielke, nunc Regni Sueciae Theſaurario, (nam Dominus Coyetus paucos ante dies ad Regem Sueciae excurrerat, me Haſniae relicto) ac omni Legatorum comitatu ac familia in cuſtodiam datus, inque ea per octo menſes detentus fui. Ergo quo tempore iſta Sorae a me patrata mentitur Alaſtor, ego Soram nondum oculis meis videram. Sub finem menſis Aprilis anno 1659. Haſnia dimiſſus Helſingoram perueni viribus valde afflictis, quod me nondum a febri petechiali recreaſſem; quae paulo ante Haſniae me morti prope admouerat, in qua Valentinus Caſpar Rupitius Magdeburgenſis, tunc Medicinae ſtudioſus, fideliſſime mihi Medicinam fecerat. Feſto Pentecoſtes imminente

Frater recreationis cauſa; & praecipue vt D. Henricum Ernſtium ſalutarem, Soram me abduxit. Eo peruenimus die Saturni, quae feſtum proxime praecedit. Diuerſabamur in publico hoſpitio, in quo tunc temporis quoque agebat Habbeus Secretarius Regius, & N. Mullerus Gedanenſis Medicinae Doctor. Prima feria Pentecoſtes coenabamus apud Praefectum quondam Soranum D. Georgium Roſencrantz, altera apud D. Georgium Witzleben Theologum; tertio die Abraham Wonchter, pictor, prandium nobis adparauerat. Quarto die iterum Helſingoram verſus tendebamus, & in tranſitu D. Thomam Bartholinum Roſchildae ſalutabamus, qui tempore obſidionis Hafnienſis ibi commorabatur. Hoc modo, & in talium virorum conſortio triduum mihi Sorae exactum; quae ex eo tempore nunquam mihi viſa. Ex quibus & quid de carmine in puellam ſcripto, & de nouellis concinnatis ſentiendum ſit, adparet. Et ſatis noui, nemini mortalium Sorae tale quid de me ne per ſomnium quidem in mentem veniſſe, nedum vt vnquam conſtans aliqua fama ea de re fuerit. Sed iſta portenta, vt & caetera omnia, diaboli inſtinctu Alaſtor finxit, vt illi cui ſe deuouit, improbitatem ſuam raro quopiam ſpecimine adprobaret, ac ne periurium ſuum vulgari cuipiam mendacio impenderet. De vita mea Heidelbergae exacta teſtes excitare poſſum tum, qui inſtar omnium eſt, Sereniſſimum Electorem Palatinum, tum Collegas meos, & tot florentiſſimos iuuenes, qui eo tempore ſtudiis ibi operabantur, tum omnes eius vrbis incolas. Quibus vitam me meam adeo adprobaſſe confido, vt nihil magis optem, quam Alaſtorem ibidem deprehendi poſſe, vbi in mei gratiam virgis publice caedendus, & cauterio ſignandus ſit. Et ſane vsque adeo vita mihi eo loco non diſſolute agebatur, ut citra vanitatem aſſeuerare auſim, praeter laborem publice priuatimque docendi; plus bonorum librorum Heidelbergae vno anno mihi fuiſſe euolutum, quam Beckmannus per totum vitae ſuae ſpatium inſpexit. Quin & ea, quae vir quondam longe eruditiſſimus BOECLERVS *in epiſtola dedicatoria Notis ad Grotii librum II.* praefixa, de me in vicina Argentina ſcripſit, longe diuerſa ratione, atque Alaſtor mentitur, aetatem a me Heidelbergae exactam inſinuant Sed nimirum praecipuum fontem omnium calumniarum diſſimulare non potuit Beckmannus, dum nobilem iuuentutem contubernio meo tunc vſam a me corruptam gannit. Illa enim nobilis iuuentus tantam mihi inuidiam peperit, & eidem a me alienandae conſpiratio iſta in me inita eſt; de qua ſatis in Apologia mea dictum. Si nullos ego nobiles diſcipulos & contubernales heic loci habuiſſem, ex ipſius Beckmanni iudicio, ſanctitate, deuotione innocentia nemo ſuperior me exiſteret. Quod vlterius mentitur ALASTOR, *Sereniſſimi Electoris Palatini Primogenitum contra Parentis ſalutem & ius diuinam male informatum* a me eſſe; ea calumnia in ipſos quoque Optimos Principes redundat. De qua vt omnibus conſtet, pauca haec ſufficere poſſunt. Anno 1667. cum iam decretum eſſet de me in Sueciam euocando, Sereniſſimus Elector Palatinus Sereniſſimo itidem ſuo Filio iuſſit, me certum aliquod penſum extra ordinem explicare; (nam habebat alios ordinarios ſuos informatores.) Id quod intra tres menſes aeſtiuos abſolutum fuit. Ac nemo vlterius inquirendum iudicabit, vbi intellexerit, id ab Ipſo Sereniſſimo Electore, Principe

diuinarum

diuinarum atque humanarum rerum callentiſſimo, fuiſſe mihi iniunctum. Atque iſte exiguus labor tantum abeſt, vt *ſine praemio* mihi fuerit exactus, vt ipſe Alaſtor non ſemel fauces ſuas grandi poculo, quo praeter alia eo nomine donatum me norat, proluerit. Per ſummam quoque impudentiam teſtes excitat Dominos Blumium & Boeckelmannum, quos honeſtiſſimos viros de hoc negotio ne ſomniaſſe quidem conſtat; quorum nominibus ideo abutitur, quod forte audiuerat, eos parum aequo in me animo fuiſſe. Sane Blumius quo tempore iſta informatio fiebat, in miniſterio & gratia Sereniſſimi Electoris Palatini non erat. Boeckelmanno autem nihil vnquam negotii cum informatione Principis fuit, cuius directio D. Iohanne Ludouico Fabricio, viro mihi amiciſſimo, commiſſa erat. Par prioribus mendacium eſt, quod addit ALASTOR: *Voluiſſe Sereniſſimum Electorem ignominioſe me Heidelbergae dimittere.* Cum nemo Heidelbergenſium ignoret, Sereniſſimum Electorem, meum diſceſſum aegre tuliſſe; noluiſſe tamen incrementa fortunarum mearum, quae in Suecia quaerebam, impedire. Quin poſt diſceſſum meum Idem clementiſſimam ſuam in me propenſionem non verbis ſolum, ſed & re ipſa vna plus vice teſtatus eſt. Eiuſdem generis eſt, quod ALASTOR pergit: *precario me profeſſionem philoſophicam iuris naturalis in Scania adeptum.* Sane extant adhuc literae Illuſtriſſimi Regni Cancellarii ad fratrem meum tunc Pariſiis Reſidentem, quibus ab eo requirit, vt mihi perſuadeat, ne vocationem Suecicam abnuerem. Et quam precario huc venerim, teſtatur ſalarium, & locus mihi aſſignatus primarius, cuius inuidia Alaſtorem non parum aduſſit. Eius quippe ſtupor digerere non poterat, leges Dei maiore dignatione quam Iuſtiniani haberi, & in iſtis euoluendis non minus ingenii & eruditionis, quam in hiſce requiri. Puto iam ſatis a me oſtenſum fuiſſe, abs nullo homine, cui vlla mica honeſtatis & bonae mentis reſtat, tantam *varaginem*, vt Beckmanniana latinitate vtar, foediſſimorum & abſurdiſſimorum mendaciorum potuiſſe conſarcinari, ni patris mendaciorum diaboli inſtinctu ferretur; cui vt eo firmius ſe pignoraret Alaſtor, periurio tandem in conſpectu Germaniae ſeſe adſtringit. Ergo viuit profecto Deus, qui impium hominem, cui ſalutem animae ſuae immanibus odiis & vindictae libidini immolare propoſitum fuit, dignis demum ſuppliciis mactabit; poſtquam, quae hactenus pro ſceleribus inflicta eſt caſtigatio, malitiam nefarii capitis tantum indurauit.

POST eructatum periurium caetera mendacia ſecurius & languidiore aſſeueratione expromuntur. Nam quod atrociter in apologiam meam inuehitur, facile Beckmanno ignoſco. Ibi quippe ſub Aſinii Tenebrionis vocabulo ſuis ſe coloribus non infeliciter depictum conſpicit, & quod hactenus ludibrium omnibus, qui cum ipſo conuerſati ſunt, exhibuit, iam etiam ignotis debet. Inde Alaſtor, velut proprio veneno exhauſto, a fratre & patrono ſuo dilectiſſimo Pontifice Garlebienſi nonnulla mutuo ſumit, & ſolicite enumerat officia erga certos viros *magni nominis*; inter quos ipſe proximum a primo locum ſibi aſſignat, quae a me violata iactat. Vbi illud ex arte calumniandi, quod plures huic negotio immiſcere conatur, qui idem ad ſe nihil ſpectare aperte profitentur,

Digitized by Google

tur, Illuſtres iuuenes meos diſcipulos Dominum Foſſium, Ceruinum, & Papke. Deinde vti ample nimis officia mea erga iſtos, quibuscum mihi reuera negotium fuit, enumerat, quorum pleraque non agnoſco: ita male Beckmannus omiſit illa officia, quae viciſſim ab iſtis mihi debebantur, ſimulque quales iidem aduerſus me ſeſe geſſerint. De hoc enim niſi conſtet, durius an mollius iuſto illi a me habiti ſint, iudicari non poteſt. Nec amplius quid dici iam opus eſt, niſi hoc, vt Deus retribuat illis, ſicut de me ſunt meriti. Id tantum addo; inauditum hactenus mihi fuiſſe, me *ab Epiſcopo Winſtrupio*, aut alio quopiam *publice atheiſmi accuſatum*. Et quanquam alias ab ipſo nihil omiſſum eſt, quo mihi nocere poſſit: tamen non eo delirii proceſſiſſe eundem crediderim, vt Beckmanno tam deteſtabili maledicti formula praeire non erubuerit. Dehinc velut in torrentem ſe effundit eloquentia Beckmanniana, qua mirifice ſe iactat, ac ſubinde ingenii ſui ſtricturas ſpargit; velut quod de colluſione mea cum diabolo ructat, oblitus, ſe paulo ante ſcripſiſſe, diabolum a me non credi; item *de Caligula Chriſtianorum perſecutore*, & *communione vxorum Platonica*, quae, ſi diis placet, a me aſſeritur L. VI. c. 5. §. 15. p. 775. Qua declamatione fauces ſibi praeparat ad euomendum obſcoeniſſimum mendacium, quo vel ipſe Beckmanni choragus erubeſcit, qui ne mendacia auctores tantum ſuos maculent, aliquam probabilitatis ſpeciem illis circumdare inter arcana artis ſuae habet. Heidelbergae id factum ſcribit cum totius vrbis ſcandalo. An per horam mihi ſubſiſtere ibi, & in honeſto munere verſari licebat talia patranti? Fingit quoque de vxoris meae ſenectute, quae aequalis mecum eſt aetatis, & duos menſes, antequam Heidelberga diſcederem, pulcra me prole parentem faciebat. Ex cuius ore nemo mortalium vnquam verbum paulo liberius, nedum tam foedae rei narrationem audiuit. Et quam plane mente moti hominis eſt fingere, *me ipſam coram multis honeſtis viris & matronis ad hanc confeſſionem adegiſſe?* Nam flagitia vtique vt taceantur, auctores operam dant. Vt tamen Lectori adpareat, qua occaſione Alaſtori in mentem potuerit venire tam foedam fabulam fingere, narrabo leuiculum quid omnibus heic loci notiſſimum. Quando in conuiuiis, vti iam ſupra innui, ſyllogiſmis ſuis iam prope nos enecarat, ego reſtinguendo diſputandi ardori, & quia alias in omni congreſſu hilariori Beckmannus derididiculo eſſe ſueuerat, in ſterilitatem matrimonii ipſius iocari incipiebam, qui alias vel Centauris generandis ſufficere videbatur, ſi corporis molem ſpectares, poſſe. Caeteris inde pariter cum riſu in eum cauillantibus, ita paulatim a ſyllogiſmis ipſius reſpirabamus. Iſtas facetias tam inficeto modo nunc vltum it Alaſtor. Dialogum *Sinceri Warenbergii* a me non fuiſſe conſcriptum non modo ipſe Beckmannus nouit; ſed & probe ipſi cognitum eſt, quis reuera eius ſcripti auctor ſit, quippe qui in Suecia notorius eſt. Verum iſthoc mendacio fraterculus ipſius Geſenius Garlaeanus demerendus erat; cui de fide & amore tam egregii viri ex animo gratulor. Inde recoquitur exploſa dudum calumnia de religione ad ſtatum reipublicae accommodanda; cui fulciendae aduocatur Monzambanus, qui vtique dogmata theologica ad rationes politicas examinare inſtituit. De quo etſi meum non ſit rationem reddere; obiter tamen addo, omnibus non coecutientibus perſpicuum eſſe, ſcriptorem

Digitized by Google

ſcriptorem iſtum praeſupponere; religionem Chriſtianam genuinam & ſinceram, prout a Saluatore noſtro & Apoſtolis fuit promulgata, nihil continere verae politicae aduerſum. Sed quia pleraeque Chriſtianorum ſectae ſyſtematibus ſuis Theologicis, ex quibus ſingulae viam ſalutis aeternae vnice hauriri contendunt, aliquid dogmatum humanorum admiſcuerunt: igitur vti ſapientibus fas eſt diſcernere, quid in religione diuinum ſit, & quid hominibus originem debeat; ita & iisdem licet detorſiones articulorum fidei, & quicquid eſt aſſumendorum humanorum, quod in Theologiam irrepſit, ſub diſquiſitionem vocare, quatenus continent aliquid politicae aduerſum, poſtquam Theologi circa demonſtrandam talium falſitatem ex Sacris Literis ſatagunt. Quod tamen idem Seuerinus de multorum Sacerdotum vitiis ita libere non dubitauit ſcribere, id & ipſe aegre fero; & dudum optaui, vt vir quispiam cordatus atque eruditus eam accuſationem ex hiſtoria Eccleſiaſtica & ciuili rerumpublicarum Chriſtianarum, tum ex praxi communis vitae, ipſaque experientia ſolide refelleret. Nam vt Beckmannus aliquis eius ordinis aduocatum ſe ferre velit, id oppido quam indignum eſt. Tandem vt ſibi per totum ſcriptum conſtaret Alaſtor, ad extremum fingit, multa me ex libro meo adhuc Manuſcripto monitu amicorum & precibus vxoris, (quae nimirum ſtudia mea moderatur,) deleuiſſe, ne cum Theologis mihi controuerſia oriretur. Atqui nemo mortalium librum meum manuſcriptum euoluit, antequam Holmiae cenſurae offerretur; imo nec poſt eandem, antequam impreſſus diuulgaretur. Ac eam anſam arripiebant architecti primi Indicis meum librum in ſuſpicionem vocandi, qui tunc temporis heic loci praecipui erant amicorum meorum, aut eſſe ſaltem debebant. Qui & ipſi muſſitaſſe dicebantur, me poſt cenſuram quaedam addidiſſe. Sed vtramque criminationem refellere poteſt manuſcriptum meum, quod adhuc mihi aſſeruatur.

Hoc igitur ſcripto Nicolaus Beckmannus *pios viatores* in Germania contra me excitare potiſſimum laborat, eadem fere ratione, qua ipſius frater, Pontifex Garlaeanus, inter Scanos claſſicum in me canebat. Quorum auſpiciis qui militiam in me ſuſcepturi ſunt, ſucceſſum ſibi, praedamque & gloriam pro ducum ſuorum dignitate liquido augurari poſſunt. Quanquam adparet, Beckmannum non modicum ad ſua ſigna concurſum ſibi polliceri Lipſiae, Wittebergae, Ienae, & Garlebiae. Hoc ipſum enim manifeſte conſpicitur non ſolum ex infami libello, ſed & ex epiſtola, quam incluſo libello famoſo ad Lipſienſes, Ienenſes, & Wittebergenſes, nec non Geſenium Garlebienſem eodem argumento conſcripſit. Huius epiſtolae autographa duo, quae Wittebergam & Garlebiam deſtinabantur, quomodo in manus meas peruenerint, operae pretium eſſe duxi memorare. Commendauerat eas epiſtolas Beckmannus Francofurti ad Mœnum in nundinis autumnalibus ciui cuipiam Salfeldenſi, cui nomen Michael Gutwaſſer, ad praeſcripta loca curandas, qui ex dicta vrbe ad nundinas Lipſienſes erat profecturus. Hic quanquam alias virum non noſſet, precibus tamen ipſius permotus eam operam in ſe ſuſcepit. Cum Ienam tranſiret, epiſtolam vnam famulo communi Academiae tradidit; cuius

cuſtodiam procul dubio ſtatim Velthemius ſibi aſſeruit, draconis in vicem aureo velleri inuigilaturus, vt hoc ſpecimen generoſi & candidi ſui animi ederet, & quam mire ſuum cum Beckmanni aſtro conſpiraret. Nec dubito, quin idem iam Iubilaeum ſit promulgaturus, plenariam bonae mentis remiſſionem pollicitus omnibus Aſinii Tenebrionis ſectatoribus, qui ad epiſtolam illam oſculandam peregrinationem ſuſceperint. Nam reliqui Ornatiſſimi Viri eius Academiae Profeſſores magnopere tantum flagitium deteſtantur. Quin ipſis bibliopolis Ienenſibus tam ingenuus eſt animus, vt dicant: nebulonem eſſe iſtius ſcripti auctorem, & qui eundem impreſſit. Inde dum Lipſiam tendit lator epiſtolae encyclicae, forte fortuna in eodem pilento vehebatur amicus quidam meus, fide atque amore mihi coniunctiſſimus. Ibi ex improuiſo iſte Mercurius non nimis aſtutus interrogabat; num Garlebiae Academia eſſet? Cum amicus meus quaereret, quid ipſi negotii cum Garlebienſibus eſſet; iſte ſtatim de commiſſis ſibi epiſtolis effutiit. Heic amicus meus, qui iam de Ienenſi epiſtola intellexerat, ſuſpicari cœpit monſtri quid ſubeſſe; eoque vt rem expiſcaretur, multa iactabat de amicitia, quae ſibi cum Pontifice Garleano intercederet. Iſte laetus ſe nactum eſſe, qui literas Garlebiam curaret, illas amico meo tradidit, adiunctis etiam iis, quae Wittebergam ſpectabant. Hic cum ex omnibus ſignis ſceleris quid ſubeſſe colligeret, eas reſignauit, & ad me transmiſit. Vtraque manu Beckmanni ſcripta eſt, ſed quam omni ſtudio diſſimulare laborauit, vt primo obtutu aegre agnoſcere queas. Nec Beckmanni ſigillo ſed affinis, eiusdemque famuli Marci Klinck obſignata eſt. Quae ad Lipſienſes deſtinabatur, alia via peruenit. Haec ideo prolixius retuli, ne Beckmannus exclamet, magicis me artibus adiutum iſtas litteras intercepiſſe. Vbi illud primo ſtultitiae Beckmannianae luculentum eſt argumentum, quod tribus tam ſplendidis Academiis quartum velut pari gradu adiungat Geſenium Garlebienſem, vaniſſimum mortalium, & nugaciſſimum. Perinde ac ſi quis inter principes Graecorum ad Troiam Therſitem quoque numerare velit. Quanta enim dignatione Geſenius apud ipſos Lipſienſes ſit, vel inde colligi poteſt, quod cum aliquot ante annos eidem litis quid cum defuncto Superintendente Lipſienſi ortum eſſet, & iſte pro more ſuo in deliria effundi coepiſſet. Lipſienſis iſti per ſeruulum ſuum, qui ſpurius erat, reſponderi curauit, praefixa quoque huius legitimatione. Qua demum contumelia loquaciſſimam ranam ad ſilentium redegit. Deinde illud plane ferendum non eſt, quod Beckmannus adeo ſiniſtram de tribus illis Academiis concepit opinionem, quaſi apud eas potiſſimum inuenturus ſit, qui flagitio & furori ipſius ſint adplauſuri, & apud quos libelli famoſi tam pronam inueniant fidem, vt citra vllam amplius diſquiſitionem ad maculandam famam viri honeſti & innocentis duce infami nebulone ſint incubituri. Enimuero longe alia mihi de candore, prudentia & moderatione iſtorum virorum eſt perſuaſio, ſaltem quod iudicium ſuum eo vsque ſuſpenſuri ſint, donec quid reuera in controuerſia ſit, ad liquidum fuerit perductum. Nec minus quod tantum ſcelus, ad infamiam ſeculi pertinens, quod in me patratum fuit, ex animo ſint auerſaturi. Sane vllum Wittebergenſem hactenus aliquam tam foedae fabulae partem attigiſſe nondum mihi fuit auditum.

tum,

tum. Nec vniuerſis Ienenſibus imputari poteſt, quod Velthemius deliret; cuius veſaniam pleroſque Collegarum ipſius aegerrime ferre noui. Qui & ipſe in *Appendice ad diſſertationes meas Academicas* reſponſum ad cauillationes ſuas accepit quo non magnopere gauiſurus ſit. *,* Sic & maxima mihi iniuria fieret, ſi vniuerſus ſacer ordo in ſe trahere vellet ea, quae ego ſolius ranae Garlebienſis coaxationibus oppoſui. Sane ſi vnus impudenter pertendat; ſacerdotibus competere cenſuram cenſura Regia eminentiorem in quaeuis ſcripta, eosdem ab omni errore immunes eſſe, & eruditionem ſuam ex peculiari inſpiratione diuina habere, quoslibet ad iniurias ipſorum obmuteſcere debere, & modo zeli & cônſcientiae vocabulum crepent, tela eorundem a iugulo ſuo nemini auertere licere, alter autem tam enormia poſtulata neget: vter in iſtum ordinem iniurius fuiſſe cenſebitur? * Quae res vt eo clarior fiat, obſeruari velim, duplicem eſſe de lege naturali tractationem; quarum vna ad Theologiam ſpectat, quae ex Scripturis Sacris hauritur, nec vlterius extenditur, quam quatenus locum aliquem in catena velut articulorum fidei habet. Altero autem modo tractatur ius naturale, quatenus peculiarem diſciplinam conſtituit, cuius principium cognoſcendi vnicum eſt lumen rationis, ac finis & vſus intra terminos huius vitae coërcetur, poſtquam per eam probitatem, quae ex ſolis naturae noſtrae viribus iam promanare poteſt, ſalute aeterna potiri non datur. In poſteriori igitur modo tractandi, qui ſolus meus eſt campus, quando agitatur de fundamentali aliqua propoſitione (aut quocunque vocabulo adpellare velis,) conſtituenda, ex qua praecepta legis naturalis liquido deduci queant; quaeſtio oritur: Num illa theſis Theologica, *quod eſſentialis Dei iuſtitia ſit archetypa legis naturalis humanae*, idonea ſit, vt ſubire locum fundamentalis propoſitionis poſſit in diſciplina iuris naturalis, ſoli rationi ſuperſtructa, & accommodata ad captum vniuerſi generis humani, qua id ratione vtitur, quamcunque peculiarem religionem foueat? Hanc quaeſtionem nos negamus, & noſtrae negationis inuictas rationes attulimus, tum in opere noſtro, tum in Apologia. Equidem hae propoſitiones ex ſola ratione naturali innoteſcunt; quod Deus ſit iuſtus eſſentialiter, quod nemini iniuriam faciat, quod promiſſa ſua firmiter ſeruet, quod verax ſit, quodque munus velut iudiciarium in creaturas legibus obnoxias incorrupte exerceat. Enimuero quod iuſtitia Dei eſſentialis ſit archetypa legis naturalis humanae, propoſitio eſt ſoli rationi humanae incognita. Et ſi vel maxime eam tantiſper a Theologia commodato ſumere velis; tamen rationi humanae impoſſibile eſt capere vim conſequentiae, ſi quis ex eadem officia hominum inter ſe deducere inſtituat. Si inquam ita velim argumentari: Iuſtitia Dei eſſentialis eſt archetypa iuris naturalis; Ergo adulterium non eſt committendum: impoſſibile eſt rationi humanae vim & euidentiam huius conſequentiae capere, aut inueſtigare propoſitiones velut interiectas, quibus eadem ſtabiliatur Sicut contra ſi ex noſtra hypotheſi argumenter; homo debet eſſe ſociabilis; Ergo non eſt moechandum; plana eſt conſequentia, & interiectae propoſitiones facile per ſolam rationem inueſtigari poſſunt. Quo accedunt difficultates iam expoſitae; puta, quod iuſtitia humana reſpiciat legem & ſuperiorem, & ponat in altero ius ad exigendum; id quod in iuſtitiam

tiam diuinam non quadrat. Item, quod quaedam partes iuſtitiae humanae in Deum non cadant, quae nempe praeſupponunt indigentiam humanam; vti eſt iuſtitia, qua contractus reguntur. Item quod iuſtitia Dei vindicatiua longe rigidior & exactior ſit, quam iuſtitia humana, quae ſaepe delictorum veniam facit citra vllam ſatisfactionem, ex reſpectu boni publici, aut ſoli clementiae oſtentandae: id quod in iuſtitia diuina ſecus eſt, quae citra ſatisfactionem generi humano in peccatum prolapſo non potuit placari. Accedit & alia difficultas, quod rationi humanae ſibi ſoli relictae attributa diuina colligenda ſint ex perfectionibus, quae in creaturis ipſoque homine conſpiciuntur depurando imperfectiones, quae ex eſſentia finita, aut materia corporea proueniunt, & ad captum diuinae eminentiae iſtas attemperando; quodque adeo notitiae humanae, ex ſolo rationis lumine hauſtae, prius cognita ſit iuſtitia humana, quam iuſtitia diuina; & conſequenter in diſciplina ſoli rationi ſuperſtructa praepoſtere iuſtitia diuina archetypa iuris naturalis & iuſtitiae humanae ſupponatur. Quod ipſum etiam agnouit RICHARDVS CVMBERLAND *de Legibus naturae, prolegom.* §. *6.* & *cap. V.* §. *13.* cui quo minus genuinam ius naturae tractandi methodum perſpiceret, non obſtitit, quod natione Anglus ſit, & religionem Eccleſiae Anglicanae profiteatur; quae duo attributa Beckmanno tam odioſa ſunt. Ergo iam tandem perſpicuum ſatis eſſe puto, in quo cardo huius controuerſiae voluatur; & ei, qui nobis velit contradicere, haſce difficultates ex ſola ratione eſſe remouendas, & liquido oſtendendum, vtique ex illa eſſentiali iuſtitia diuina ope ſolius rationis humanae omnia & ſingula praecepta legis naturalis deduci poſſe, ita vt propoſitiones intermedias & euidentiam conſequentiarum capiant etiam illi, qui Scripturam Sacram plane ignorant. Quod nullus mortalium praeſtare poteſt, ⁂ *Legem naturae cordibus hominum inſcriptam eſſe.* Aſt quis hoc vnquam negauit, cum totidem verbis id ab Apoſtolo aſſeratur? Sed quaeſtio eſt de genuino ſenſu Phraſeos huius metaphoricae; quae ſane, ſi omnia S. Scripturae loca, vbi eadem occurrit, expendantur, nihil aliud ſignificat, quam notitiam firmam, ſtabilem penitiſſimae menti infixam, & plane indelebilem. Neque in emphaſi iſtius dictionis peculiaris aliquis modus eius notitiae comparandae inſinuatur; cum in aliis omnibus Scripturae dictis eadem extra controuerſiam notitiam adquiſitam exprimat. Et quis clarius emphaſin illam euoluerit, quam ipſe Apoſtolus verbis immediate ſubſequentibus? *Ipſa quippe conſcientia eos*, qui in legem naturae peccauerant, *conuincit & cogitationes ſeſe accuſantes & excuſantes*, ſic vt neque ignorantiam eius iuris obtendere poſſint, neque eius ſenſum vnquam ex animo delere. Ergo ex locutione metaphorica, nemo vnquam *actuales* & *diſtinctas propoſitiones*, de quibus expreſſe mihi ſermo eſt, exſculpſerit; quas nemo hactenus in animis infantum recens natorum obſeruare potuit. Et quid me potiſſimum mordet Schertzerus, cum tamen D IOANNES MVSAEVS Theologus Ienenſis, Schertzero nihilo inferior, *Introduct. in Theologiam* c. 2. § 19. anno 1673. edita, diſerte aſſerat: *Notitias natura intellectui inſitas eſſe non in actu ſecundo aut primo*, ſed tantum *in potentia propinqua*. Quo ipſo vtique *diſtinctas* & *actuales propoſitiones* natura inſitas negat.

Et

Et haec, ni fallor, communis Ienenſium eſt ſententia. Quare ergo mihi ſoli tam obſcoena dica ſcribitur? Deinde per ſummam iniuriam mihi haec theſis affingitur: *Natura nihil eſſe turpe*, quae nuſpiam a me ponitur, nec de ea aſſerenda vnquam in mentem mihi venit. Sed triplex potiſſimum theſis a me L. I. c. 2. §. 6. adſtruitur. Prima eſt, ***honeſtatem & turpitudinem eſſe affectiones aut qualitates morales actionum humanarum, ortas ex conuenientia aut diſconuenientia cum lege***. Hanc theſin ſi quis impugnauerit, haruſpices prodigium nunciabunt, bouem eſſe locutum. Altera eſt, ***motum phyſicum in actione humana abſque omni reſpectu ad legem conſideratum, eſſe moraliter indifferentem***. Nam contraria huic theſis implicat, abſque reſpectu ad legem congruere ad legem vel non congruere. De ſolo iſto motu phyſico me agere ita crebro inculcaui, vt metuam, ne Lectorem ſtuporis inſimulauerim. Hoc dogma cum inter Theologos hactenus tralatitium fuerit, quando ad id, quod in peccato phyſicum & materiale eſt, Deum tanquam conſeruatorem naturae concurrere vnanimiter docuerunt, verbi gratia, ad extenſionem manus in furto: (quod citra blaſphemiam dici non poſſet,) ni motus ille phyſicus eſſet res moraliter indifferens; nunc neſcio qua maligna mentis febri a quibusdam tanquam monſtroſus indifferentiſmus moralis diffametur. Sane quamdiu genus humanum fuit, ſolus motus phyſicus non fuit actio humana & moralis, ſed eiusdem duntaxat materiale. Ad actionem autem moralem praeter motum phyſicum requiritur etiam aptitudo ad imputandum, & reſpectus ad legem: Vnde qui indifferentiam motus phyſici trahere volunt ad indifferentiam actionum moralium, perinde fallunt & falluntur, ac ſi in phyſica Peripatetica nullum inter corpora diſcrimen agnoſcere velint, ideo quia materia prima indifferenter ſe ad quamuis formam habeat. Inprimis autem ** cauillari inſtituit illa verba mea, quae extant p. 27. *Quod naturalem* (eorum quae turpia habentur) *indifferentiam multi aegre concipere queant, inde eſt; quod a teneris iſtorum vitiorum deteſtatio nobis fuit inculcata, quae opinio ſimplici adhuc menti impreſſa in vim naturalis cuiusdam affectus videtur inualuiſſe*. Vbi primo obſeruandum eſt, quam malitioſe * de ſuo parentheſin verbis meis inſerat, ***(eorum quae turpia habentur.)*** Nam verba immediate praecedentia vtique manifeſta inculcant, naturalem indifferentiam praedicari non de integra actione morali, non de adulterio, homicidio, furto; ſed *de actu phyſico citra reſpectum ad legem*. Non inquam dico, furtum, homicidium, adulterium naturaliter eſſe indifferens: ſed hoc dico, motus phyſicus, qui ad materiale iſtorum vitiorum conſtituendum concurrit, eſt naturaliter indifferens; quia ad illum motum phyſicum auctor & conſeruator naturae Deus influit. Puto autem ignominioſum fore * ſi operoſe ipſum docere aggrediar, quid in actione morali ſit motus phyſicus, & quid illi ex lege accedat, quae vel qualitatem aut diſpoſitionem agentis, vel obiectum, vel finem, vel certas denique circumſtantias determinat, vid. L. I. c. 7. §. 4. De caetero verba mea planiſſimum habent ſenſum apud illos, quorum iudicium libelli famoſi non corruperunt. Scilicet quia probe educatis a pueritia deteſtatio vitiorum inculcatur, inde apud multos ipſis affectibus & ſenſibus quaedam iſtorum aduerſatio imprimitur, ſic vt velut ex naturali quodam horrore

iſta videantur refugere; quemadmodum obiecta ſenſibus ingrata naturaliter auerſamur; vtque adeo adſuetudo illa & diſciplina in naturam velut abeat. Et tali modo educatis vix in mentem ſubit, originem iſtius auerſationis ab interdicto legis arceſſere, aut de motus phyſici, qui iſtis actionibus ſubeſt, indifferentia cogitare. Sicut & ab aliis iam fuit obſeruatum; quanquam primis mundi temporibus connubia fratrum & ſororum vſitata fuerint; tamen ea poſt apud pleraſque gentes vsque adeo non lege tantum, ſed & communi auerſatione exoleuiſſe, vt apud probe educatos ipſi ſenſus velut obtorpuiſſe videantur. Inde & iuuenes fratres cum formoſiſſimis ſororibus verſari ſine vlla praua cogitatione aut tentatione; quae tamen ſeſe mox circa alias exſerat. Tertia mea Theſis eſt, Deum eſſe auctorem legis naturalis, & ad illius determinationem atque impoſitionem referendam eſſe originem moralitatis, quae in actionibus humanis exſiſtat. Quae theſis eo minus ſcrupuli mouebit, quod is vtique legem aeternam in Deo agnoſcit. Iam igitur quaero, vtrum illa moralitas, antecedenter ſe habeat ad legem aeternam Dei, an per accidens tantum & citra dependentiam ad eam congruat, an vero ab eadem tanquam fonte & origine promanet. Si priorum alterutrum aſſerere velit, habebimus iam Theologum, qui Deum primam eſſe cauſam neget. Poſtremum a me aſſeritur. Verum haec omnia in *Appendice ad Diſſertationes meas*, Velthemii clamoribus oppoſita, ita perſpicue deducta ſunt, vt ſperem, cordatos viros, & a vitilitigando atque calumniando alienos, facile declaratione mea adquieturos. Aſt ego dico, inter ſtatum purorum naturalium, quem Scholaſtici fingunt, & inter ſtatum hominum naturalem, de quo ego tracto, tantum eſſe diſcriminis, quantum inter ea, quae Theologi de poenitentia ſeu conuerſione hominis, & Iureconſulti de poenitentia in contractibus docent. Quod qui deprehendere non poſſit, bardum & blennum, ac politices ignariſſimum eſſe opportet. Sicuti & iſtud ſpectrum heic loci iam plane diſparuit, poſt publicatam meam diſſertationem de ſtatu hominum naturali. Quae vbi cum caeteris iunctim impreſſis in Germaniam perlata fuerit, non amplius de ſagacitate ſua multum gloriabitur. Iſthaec obiter hoc loco addere viſum eſt, vt omnes cordati iudicare poſſint, ſiquidem qui ad me diffamandum hactenus incubuerunt, citra praeiudicium & affectus ſententiam meam penitus agnoſcere, atque explicationem aequa mente admittere velint, nullam mihi amplius cum ipſis, ſaltem circa quaeſtiones Theologicas, ſupereſſe controuerſiam. Sin autem id agitur, vt iudicia de bonis viris, eorumque doctrina formentur ex libellis famoſis, qui ex non intellectis, aut mutilatis, detortis, & interpolatis ſententiis conſarcinati ſunt; neque vlla proteſtatio, interpretatio, & planior deductio locum inueniat: amplius deliberandum erit, quod remedium tali furori ſit opponendum.

Sed vt ad Beckmannum reuertar, confido iam omnes cordatos, etiam qui antea me propius non norant, poſt lectam epiſtolam liquido agnituros; hoc ſeculo non extitiſſe exemplum foedioris calumniae, quam quo me iſta orci progenies adſpergere inſtituit: infinitos quoque plus in re literaria praeſtitiſſe: neminem autem quam me, ob labores ſuos peioris exempli infectationes

nes eſſe perpeſſum. Si quis tamen adhuc innocentiae fauor, ſi quae aduerſus calumnias deteſtatio, inuenientur ſane, qui infamem illam belluam condigno malo tandem mactent, aut ſaltem ab omni honeſtorum virorum conſortio excluſam velut carcinoma nationis Germanicae, & labem ſeculi refugiant. Amici autem eo diligentius ad innocentiam meam vindicandam incumbent, quo magis bonorum omnium intereſt, talia exempla non frequentari. Et Deus iuſtiſſimus iudex illud portentum generis humani, quod per veſanum nocendi ardorem animan ſuam exitio pignorare publico periurio non horruit, eiusmodi tandem ſuppliciis, quae frangendo tanto furori ſufficiant, coërcebit.

* *

PROPTER COGNATIONEM MATERIAE VISVM EST SVBNECTERE TRIA SEQVENTIA SCRIPTA.

PETRI DVNAEI
PRO TEMPORE IN ACADEMIA CAROLINA PEDELLI SECVNDARII

EPISTOLA

AD

VIRVM FAMOSISSIMVM,

NICOLAVM BECKMANNVM,

TOTIVS GERMANIAE CONVITIATOREM ET CALVMNIATOREM LONGE IMPVDENTISSIMVM,

SVPER NOVISSIMIS IPSIVS SCRIPTIS.

Qvanqvam alias non ita frequens ſit, vt Pedelli ad tam ingentes viros ſcribant: tamen ſi quis aequa lance expenderit rationes, quae me ad ſcribendum impulerunt, agnoſcet, a me nihil praeter decorum fuiſſe ſuſceptum. Nam licet tu grandius tibi, quam ego, membrum eius collegii, quo antea iungebamur, videreris; tamen quoties cernerem, te in quouis congreſſu pro deridiculo haberi, ſaepe me non vsque adeo deſpiciebam, vt non mallem ſani capitis Pedellus eſſe, quam fatuus Doctor. Sed & non vulgariter me abs te diligi ſentiebam, quando blandiſſimo vocabulo *Pelle* me appellabas, & hauſtulum vini aduſti ex Sacro-

P 2 ſancta

ſancta lagenotheca depromti propinabas, cuius dulcedo adhuc palatum meum titillat. Nec illud leue vinculum duco, quod & ipſe mihi iure optimo maximo titulum *Anteceſſoris* vindico, quo tu tantopere tibi placebas: & miro omine ego ſecundus Pedellus, tu *ſecundus Rector* fuiſti. Denique cum caeteros collegas tuos, poſtquam a nobis aufugeras, tui puderet, ego amicitiae ad vltimum memor, diploma relegationis tuae hiſce manibus loco ſolito quam accuratiſſime affixi, vt elogium tuum ab omnibus legi poſſet. Quin & cum canes noſtri adeo impudentes eſſent, vt in cineres *Indicis* tui medio foro meiere non erubeſcerent, ego illos ab ancilla mea in vrnam fictilem colligi curaui, vt in Mauſoleo, quod Indici Nouitatum b. m. Garlebiae communibus ſumtibus tuae ſectae extruitur, aurea vrna reponerentur. Quo pietatis officio immortalem gratiam ab vniuerſis Aſinii Tenebrionis ſectatoribus iniiſſe me confido. Facit & hoc ſpem, ſcriptionem meam tibi gratam fore, quod in te haut quaquam cadere animaduertam illud tritum; honores mutant mores. Nam non minore nunc veſania agitaris, poſtquam Cardinalis *Conſiliarius Iocoſus* es factus, quam cum inter Profeſſores morareris: & ob quod artificium apud nos cum infamia relegabaris, id nunc eo fidentius exerces, quod fama iam tua nihil amplius detrimenti poſſit capere.

CAETERVM etſi primo omnium multiplici gratulatione apud te defungi debere videar, quod & apud nos carnificis manus effugeris, & in Germania inueneris, qui nebuloni panem dare velit: tamen quia materiam iſtam carmine aliquo Dielherri Noribergenſis celebrari ſplendidius fuerit, omnia quae ſpeciem adulationis habent, ſeponam, & nonnulla duntaxat pro iure veteris coniunctionis paulo familiarius monebo circa ſcripta tua nouiſſima, quibus non ſingulis modo viris, ſed & integris nationibus inſultas. Nam generoſe tu quidem facis, quod omnibus modis hoc agas, vt carnifex aliquando ex te literam longam faciat; indignum tamen eſt, in tantum te ab ingenio & memoria deſici, vt nec vnum mendacium ita ſpecioſe adornare valueris, quin ſtatim eius falſitas manifeſte deprehendi poſſet.

NEC minus cum tam anxie eruditionem ac prudentiam tuam verbis extollere labores, miſerandum videtur veteribus tuis amicis, ita inepte id abs te agi, vt ne rideri quidem amplius tua ſtultitia queat. Dabis autem veniam occupationibus meis, ſi ſtrictim duntaxat quaedam annotauero circa ea, quae velut pro te, aut in Puſendorfium aliosque ſcribis. Nam omnia ad vnguem exigere, quae ab homine profeſſi furoris proficiſcuntur, non multum a ſtultitia abfuerit.

IACTAS igitur, *te nunquam amaſſe abundantiae poculum.* Nam quae aliis vix ſiti reſtinguendae ſufficiebat potio, tibi cerebrum ita turbabat, vt clamoſis primo ſyllogiſmis omnes enecares, inde ſaltationibus quicquid erat faeminarum delaſſares, & reliquis diffugientibus ancillas demum in vertiginem dares. An *in arenam cum inimicis digladiaturus deſcenderis* neſcio. Vidimus tamen te in aulam Epiſcopi adſcendere, & a circumforaneo laniſta non mediocriter vapulare. *Plus aequo te ſtudiis inuigilaſſe* dicis, vt aliquo colore natiuam fatuitatem obtegas, velut ex intemperantia ſtudiorum delires. *Optas, vt a Puſendorfio eſſes*

eſſes liberatus. Cur igitur libellos famoſos in ipſum edebas, & eidem neceſſitatem imponebas facinora tua publicandi? *Famae* te nunc cura tangi ſerum eſt, poſtquam ſententia iudiciali infamis declaratus es: inſanum, per nouos libellos famoſos amiſſam famam recuperare velle: blaſphemum, ob ſcelera caſtigatum ad exemplum Chriſti prouocare. *Inter ſtudioſos* olim *non primum, ſed medium ſaltem locum occupabas*, eadem qua medius digitus inter caeteros dignatione; & quia in medium protrudi ſolent, qui in circulis exagitantur. Recte quoque *primariis ſtudioſis aemulus quoad victum* fuiſti, quia gladiatores non tenui cibo alendi ſunt. Dicis, te *ebrietatem ſemper vt venenum cane peius & angue natura auerſatum eſſe.* Id quidem vt faceres vxorem tuam ſubinde tibi ingerentem audiebam, quando in conuiuiis ita te deridendum propinaueras. Quid porro ſanos homines cogitare credimus, quando legunt te ſcribentem; te quia *horas ſubciſiuas exercitiis glorioſe tribuiſti, inde Puſendorfio harum rerum experto vsque adeo eſſe infenſum: & quia ars non habet oſorem, niſi ignorantem, pro hiſce corporis dotibus eum ridere & cachinnari artificioſe ſcire ac practicari.* Sufficere iſthaec poſſunt, vt iudicemus, quid ſapientiae atque elegantiarum generoſus diſcipulus abs te praeceptore diſcere potuerit. Etſi non adeo glorioſa res ſit, prima literarum elementa puerum docere, nec mirum etiam *faeminas fauentes experiri*, qui omnibus eſt deridiculo. Sic vt licet trecenti Proceres pro teſtimonio dicant, te & diligenter opus Aelii diſcipulo praelegiſſe, & vermibus tuis ſaepe totam heri tui domum exhilaraſſe, nondum tamen adpareat, quare ea res vllum mortalium *miſerrime angere, torquere, excruciare* queat. Commenſales porro tui cur non pro lauto conuiuio, quo diſceſſurus eos excipiebas, carmen reponerent, enormibus elogiis adornatum, quibus vanitatem tuam tantopere capi animaduerterant? Ex *Medulla Iuſtinianea* nihil tuum eſt praeter laciniofum titulum, & praefationem ad lectorem. Dedicationem amicus quidam compoſuit; ipſum opus plagio ſubductum: quod cuiuis ex ſtylo patere poteſt. Et mirum tamen eſt, quare tantis elogiis commendatus liber tam raros inuenerit emtores, vt gratis tibi pleraque exemplaria fuerint diſtributa. *Primus* literas vocationis accepiſti, vt ſecundus ordine eſſes: primus etiam ordine motus es, vt infamis fieres. Ridiculum eſt, quod iactas, Rectorem te creatum *approbante Rege Carolo.* Id Rex curat ſcilicet, praecipue adhuc minorennis. Suffragia facile obtinentur, vbi ordo ſuccedendi legibus praeſcribitur; & primo abſente, ſecundus in eius locum ſuccedit. *Prudentiam* tuam non extolleres, ſi micam prudentiae haberes. Hoc faciunt ſtulti; noſti caetera. Non diffiteor tamen *Studioſos* tibi *perpetuum rectoratum optaſſe;* quia ſub fatuo rectore plurimum iſtis licentiae eſt. Ne tamen nimis tenellam tuam conſcientiam excruciet, quod Puſendorfius, tantus amici tibi Numinis Barbarici hoſtis, ſub Rectoratu tuo profeſſionem ſuam Lundini auſpicatus ſit. Nam eo in negotio tu nihil amplius praeſtabas, quam ego, qui ſceptrum praeferebam; & ipſum programma ab alio Profeſſore, tuo tum domeſtico, conſcriptum eſt; quod ſtylus ſatis arguit. Inhumanum enim videbatur, dictionis tuae gangraena nondum talium adſueto nauſeam excitare. Credis porro tu, fuiſſe in Suecia, qui epiſtolam Commentario tuo ad Inſtituta praefixam, quam *in*

lucem edere, Regique dedicare curaſti, prae foetore, quem exhalat, perlegere potuerit? nedum vt quis curaret, quid tu ibi de Hobbeſio & Monzambano gannires, qui ne grammaticam quidem calles. Quae circa librum Puſendorfii in Suecia geſta ſunt, ipſe ita exacte in Apologia retulit, vt maleuoli ne minimam quidem circumſtantiarum inficiari potuerint. Vt nihil impudentius excogitari poſſit hoc tuo mendacio; *omnes in Suecia Epiſcopos, Doctores & Profeſſores iſti libro ſe oppoſuiſſe, eumque damnaſſe.* Id enim Deus auertat, vt quod vnicus Schwartzius delirauit, vniuerſus Sueciae Clerus pro ſuo habere velit. Is ſolus te chorago in Suecia fabulae huius actor fuit. Winſtrupius mutam fere perſonam egit, & quae a Schwartzio aſſerebantur, coeca fide amplexus eſt. Quicquid machinarum adhiberetis, duos Theologos Schwartzii collegas permouere non poteratis, vt Indici ſubſcribere vellent. Et cum Schwartzius ad nuper defunctum Archiepiſcopum Vpſalienſem prolixam eo nomine dediſſet epiſtolam, &, quantum poſſet, in Puſendorfium claſſicum ceciniſſet; iſte ſtatim agnouit, ex mera malignitate animi, & calumniandi libidine omnia prouenire, ac reſponſo illum nunquam eſt dignatus. Negas, *te eo tempore litem illam voluiſſe facere tuam*, ne aures tuae ſatyrico ſale perſfricarentur, etſi *conſcientia tua* tergo elephanti tenerior, & *Profeſſio Iuris* reclamaret. Atqui te earum turbarum primum auctorem fuiſſe, & aliquot paria calceorum circumcurſitando contriuiſſe, vt furori tuo ſocios quaereres, apud nos notorium eſt. Et vt aliquam rationem allegares, in Conſiſtorio ad protocollum dictabas; tibi querendi cauſam eſſe; quod Puſendorfius tuam Profeſſionem (Iuris Romani) *indignam* pronunciaſſet. Scilicet quia Puſendorfius in dedicatione libri ſui ſcripſerat: *Indignum videri, Vlpiani decretis omnia pulpita reſonare; Creatoris leges incultu obſoleſcere.* Et cum iſte iuxta aſſidens ſenſu communi te gaudere negaret, & ruditatem tuam in os tibi exprobraret, quod reponeres nihil habebas. Denique vsque adeo litem illam feciſti tuam, vt cum Schwartzio ſilentium fuiſſet impoſitum, tu illum Indicem, proprio auſu an alieno inſtinctu neſcio, libelli famoſi ſchemate adornatum typis excudi curaueris, ob quod facinus relegationis infamis poena affectus es, cum grauiorem caſtigationem fuga declinaſſes. Metus ergo carnificis Suecia te expulit, non *defectus pietatis*, cum ob fruſtum panis, & vt mentiendi theatrum haberes, religionem abiuraueris; nec *defectus iuſtitiae*, quam mox tergo fueras ſenſurus. *Profeſſionem* te aequo animo *relinquere* potuiſſe non mirabitur, qui nouerit iam Anno 1671. te ob turbas hic motas ſalario priuatum; vt tunc demum *luxus* Sueciae tibi diſpliceret, cum ipſe eſurire inciperes. *Solenniter* quoque *valedixiſti Regi & Proceribus*, vti fures ſolent domo expilata. Debebas Holmiae expectaſſe, quoad diluceſceret, & mox vidiſſes te in carcerem a lictoribus rapi, & poſt tergo carmen propemticum a carnifice inſcribi. Sic ergo rebus in Suecia geſtis deinceps Cardinalis *lateri tanquam conſiliarius* iocoſus *adhaeſiſti*; qui tamen & ipſe, vbi elogia tua penitus intellexerit, mox foras te ire iubebit. Inepte quoque & impudenter contra ſententiam aduerſus te latam diſputas. Statim atque *Index* Londini comparuit, nemo erat, quin te eius auctorem agnoſceret, cum aliis indiciis, tum floſculis illis tuis paſſim aſperſis. Nolebat tamen Puſendor-

fius

ſius actionem prius in te inſtituere, quam talia argumenta deprehendiſſet, quibus tu nihil plane contradicere poſſes. Vbi demum ipſum & omnes impreſſionis miniſtros, & manuſcriptum tuum inueniſſe cognoueras, & craſtina luce Holmiae in carcerem te trahendum praeſenſeras, nocte auſugiebas. Quanquam autem ſatis hoc modo te nebulonem declaraſſes, expedire tamen viſum Puſendorfio, vt cauſa in foro competenti decideretur; neque apud Regiam Maieſtatem, vti tu mentiris, ſed apud Conſiſtorium Academicum ab initio ad finem eadem acta, & ab hoc pronunciata ſententia demum a Regia Maieſtate confirmata eſt: quae ſub nouo imperio clementiae oſtentandae veniam tibi, ſi Puſendorfio idonea deprecatione ſatisfacere velles, offerebat; cum id abnueres, exſecutioni illam dari mandabat. Neque vero opus erat, vt muneribus & aliis artibus Proceres Puſendorfio conciliarentur, cum delictum tuum eſſet manifeſtum, & omnibus intolerandum videretur, interdicti Regii auctoritatem ita petulanter abs te proculcatam. Et ſane Illuſtriſſimi illi proceres, quos tu nominetenus foedis calumniis, & mendaciis adſpergis, ideo quod, vt flagitiis & furori tuo patrocinarentur, inducere ipſos non poſſes, fortaſſe aliquando tibi crurifragium parabunt, ſi modo non indignum faſtigio ſuo iudicabunt, ad latratum ſcabioſi & rabidi canis commoueri. Sic & falſiſſima ſunt, quae de Puſendorfii genero gannis. Nam Senatoris Regni Sueciae praefectum aulae fuiſſe, & inde ſenatorem vrbis Holmienſis factum, in ſe nihil plane ignominiae aut ſordium habet. Et quid nuptiae iſtae ad eam rem facere potuerunt, cum iam menſe Septembri An. 1672. vitilitigatoribus Ludenſibus ſilentium foret iniunctum; priuigna autem Puſendorfii menſe demum Nouembri Anno 1673. ambiri coepiſſet? Inde dum arguere conaris, iniuſte te in Suecia iniuriarum damnatum, impudentiae & ruditatis illuſtre edis documentum. Negas Indicem primitus a Schwartzio conceptum, abs te interpolatum atque editum? Atqui propria tua manu, & teſtimonio illorum, quorum opera in eo imprimendo vſus es, conuincebaris; & cum ſocii tui omnia pro te tentarent, nemo tamen adeo effrons erat, vt negare id auderet. Libellum famoſum fuiſſe negas? Atqui ſententia iuratorum iudicum pro tali declaratus & combuſtus fuit. Et credo ſatis iam a Puſendorfio oſtenſum, quale ſcripti genus is Index ſit. Nunquam *confeſſus es te auctorem eius Indicis?* Atqui pro te & manus tua & fuga, & teſtes, & ſtylus confitebantur. Niſi forte in vocabulo *auctoris* pro acumine tuo ingenioſe cauillaris. Nam Schwartzius eum primus concepit; tu a Regia Maieſtate damnatum interpolaſti & edidiſti. *Non es accuſatus publice eo nomine ante abitum tuum e Suecia?* Nimirum menſe Iunio Anno 1673. Index Lundinum afferebatur. Antequam inquiſitio Gieſſae, Hamburgi & Holmiae locis tam diſſitis abſolui poſſet, Nouember aderat, quo te, quantum poteras, in pedes dabas. Mox & publice per legitima interualla citabaris, & exemplum citationis vxori tuae a me ipſo in manus tradebatur; quod te accepiſſe ipſe literis ad Conſiſtorium ſcriptis fatebaris. Sed quod ſcriberes, te malle aeternae ſalutis iacturam facere, quam Puſendorfio deprecari, addebas, te curaturum, ne iſta infamia tibi in Germania noceret, quod facinore licet coopertus apud Monachos pabulum inuenturus eras. Forum fuiſſe competens, quo damnatus fuiſti,

fuiſti, negas? Atqui iuramento, quo Regi & Academiae eras deuinctus, nondum ſolutus eras, nec miſſionem obtinueras, ſed ipſe conſcientia vecors clam aufugeras; domicilium quoque adhuc Londini, Vxoremque & familiam habebas. Et an numquam, qui Pariſiis Aurelias *peregrinaſti*, deſertorum nomina patibulo affigi vidiſti? Et ſane ſi apud *Regem Hiſpaniae natione Danus*, qui Sacramentum ipſi dixiſſet, ſcelere patrato in Daniam refugeret, non minus, quam tu in Suecia, iure optimo maximo nebulo declararetur. Quod porro manifeſtius indicium furoris, quam quod cauſam rerum aduerſarum, quas Sueci experti ſunt, ad hoc refers, quod illi virum bonum & eruditum veſaniae duorum Tenebrionum dedere noluerunt? Quam ergo cauſam allegabis, quod & Hiſpani, & Hollandi vapularunt, & quod Dani intra annum vertentem ter acie victi ſunt?

Hactenvs famam tuam mendaciis & calumniis defendiſti; nunc eruditionem ineptiis & barbarie adſtructum is. Quare tamen negas, te omnium eruditorum ac doctorum eſſe ſapientiſſimum? Nam ſera tibi nunc ſtoliditatis parſimonia, & inglorium nimis eſt, quod tantum *inter mediocriter doctos viros, & iuris Doctores* (tui conſimiles,) *nunquam loqui & ratiocinari* inter pocula *erubuiſti*. Et facile crediderim, *Puſendorſium nunquam ratiocinando te haeſitantem reddidiſſe, aut tacentem*; nam illi abſurdum videtur, cum morione ratiocinari velle. Et quid tu illum virum inter diſputandum ad anguſtias redegeris; cum tu ſcabioſum ſyllogiſmum trepidus & pallidus vix multa cum haeſitatione poſſes exſcreare, quod nondum poculis incaluiſſes? Nec ſane honoris tui gratia Puſendorſius & in Apologia, & in Epiſtola ad amicos te depexum dedit, aut *ſcriptis tecum certare voluit;* nec te vnquam velut iuſtum aduerſarium, ſed vt infamem nebulonem & rudiſſimum aſinum tractauit. Circa 14. *ruſticos*, quos pro dedicatione Commentarii tui ad Inſtituta accepiſſe te mentiris, ita ſe res habet. Poſtquam per octo amplius menſes Holmiae circumcurſitaueras, & exemplaria libri tui eleganter compacta paſſim diſtribueras, forte fortuna accidebat, vt Vicariatus aliquis morte prioris poſſeſſoris ad Academiam deuolueretur. Cui cum eo anno de reditibus iam eſſet proſpectum, Proceres quidam efficiebant, vt tibi de iſto vicariatu prouentus eius anni daretur, quo mercedem bibliopego exſoluere poſſes, & vt importunum hoſpitem menſis ſuis aliquando amolirentur. De caetero nihil ad te ſpectaſſe iſtos ruſticos vel hoc indicio eſt, quod neque locum, neque numerum eorum ſatis noſti. Nam hic 14. alibi 13. fuiſſe ſcribis; eosque *circa vrbem Chriſtianoſtadium* locas, cum ſupra quatuor milliaria iſta praedia inde diſtent. Quos fabularis te *circa tuum diſceſſum e Suecia Regi obtuliſſe ſub ſpe compenſationis*, eodem ſcilicet modo, quo Profeſſorium munus offerebas. Nam per carnificem non ſtabat, quo minus quam merebaris paratiſſimam ſolutionem tergo exciperes. Male vero ſit illi, qui arithmeticam te docuit, ita ne tria quidem numerare noſti. Dicis *te octo annis extitiſſe Profeſſorem Iuris.* Atqui Anno 1668. Academia Carolina inaugurabatur. Initio 1671. propter turbas, calumnias, & priuatae moletrinae furta honoris gratia ſalario priuabaris. Per triennium ſterile id tamen operae pretium feceras, vt An. 1673. nocte intempeſta tibi foret aufugiendum. Arrige iam digitos,

digitos, & numera; & vbi ad diſceſſum tuum perueneris, noli nimis gloriari, te Profeſſorem fuiſſe. Sed nimirum *Doctrina Iuris* infallibile exhibet argumentum eruditionis tuae, & te *non minus vtilia opera elaborare, quam alios Iureconſultos*, paris pretii cum Syndici Goerlicenſis abortu, vix *grano* caſſae *auenae* digno. In qua, ſi remoueas ridiculam dedicationem, & nefaria maledicta in nationem Suecicam & Puſendorfium, quid tuum eſt? Niſi id omne pro tuo haberi vis, quod ex aliis ad verbum deſcripſiſti. Fateor tamen, iſti operi non parum ſplendoris conciliari tua imagine aeri inciſa: quae vti toruitatem tuam ſic ſatis repraeſentat, ita miror, nihil rugarum & cicatricum apparere. Balthei vaſtitas non parum terroris Gallis videtur incuſſura, quibus tam infenſus es. Agnoſco quoque veſtem holoſericam, quam apud nos geſtabas, valde iam detritam, & formae antiquioris; & ſatius fuerat, nouam commodato ſumere tantiſper, dum a pictore delinearis. Carmen quoque ſubiunctum plane eſt ex tua vena. Nec minus mirum acumen ſpirat emblema titulo praefixum, caſus & ſtudia tua non obſcure exprimens. *Concuſſus ſurgo;* id eſt, ex Suecia relegatus religionem muto, vt panem apud Monachos inueniam. *Scribit in marmore laeſus*, id eſt, quos calumniis & maledictis appetiiſti, perpetuum furoris & ſceleris tui monumentum ſtatuent. Tandem ipſe in terribilem deformatus draconem, aſſultantibus ventri ſectatoribus tuis, eructas; *Ingratis ſeruire nefas:* malum credo minitatus Monachis tuis, ni eſuriem tuam affatim exſatiauerint, quod vſum Roſarii ipſos docuiſti. Carmen verſificis Noribergenſis ipſi citius delirii, quam tibi eruditionis opinionem conciliauerit. Denique de torque a Caeſare donato fortaſſe mentiris; & mirum foret, tantam iam Viennae auri vilitatem eſſe. Suaſerim tamen, vt ab aurifabro ad obruſſam eum examinari cures. Nam frequens eſt, vt morionibus ex orichalco inaurato torques appendantur. Quale porro argumentum multae tuae lectionis, quod vnum librum plagio ſubductum, & duos *multo cum ſudore* (ideo hircum olent,) ex aliis deſcriptos *in lucem edere curaſti?* Sane quotiescunque te accedebamus, eosdem ſemper codices in menſa tua expoſitos cernebamus tres, quatuorue, ex quibus miſeras tuas rhapſodias conſarcinabas. Negas te ſcripſiſſe, *te mediate & immediate* Puſendorfium *aggreſſurum etiam cum diſpendio ſalutis tuae aeternae?* Atqui loquebantur id literae tuae menſe Decembri Anno 1675. Hafniä ſcriptae, multis apud nos viſae, ex quibus illa ipſa verba Protocollo Academiae inſerta adhuc extant. Et quis, cui ſalutis cura eſt, auitam religionem eiurat, vt panem, & locum impune mentiendi & maledicendi inueniat? negas quoque, addita exſecratione, *te literas propria manu ſcriptas miſiſſe Wittebergam, Lipſiam, Ienam & Garlebiam?* Fortaſſe iam a Ieſuitis mentali reſtrictione periurio diuerticulum quaerere didiciſti. Nam non eo ſolum, ſed & Gieſſam, & Altorfium, & ad alios fortaſſe programma illud Aſinii Tenebrionis miſiſti. Ex quibus quae Wittebergam & Garlebiam deſtinabantur, ab amico Puſendorfii interceptae ſunt. Lipſienſes & Gieſſenſes quas acceperant, vltro Puſendorfio transmiſere. Altorfini in malam rem foedas chartas abiecerunt. Ienae Velthemius apud affinem ſuum tunc Rectorem obtinuit, vt Patriarchae ſui ſcriptum, ſudorem adhuc ipſius redolens, in loco Sacroſancto aſſeruaretur. Et ne quis ea de re

dubitare poſſit, en exemplum earum literarum, genuinae Beckmanni ſobolis. Nam inter mille ſoloeciſtas ſtribligo tua facillime dignoſci poteſt. Sunt autem illae, quae ad Fridericum Geſenium deſtinabantur, quae in paucis admodum a caeteris diſcrepant. *Reuerendiſſime, Praeclariſſime ac Doctiſſime Domine Superintendens, Frater in Chriſto dilectiſſime, ac aetatem venerande. Tibi, Vir optime, pietatis ſtudio deditiſſimo, partim ex publica fama, partim ex ipſis rerum argumentis ſatis notum eſt, qualis & quantus ſit M. Samuel Puſendorf, Profeſſor Londinenſis in Schania, in quantum hic peruerſi cerebri homo verum ius naturae & morale, & per conſequens decalogum, Deique leges nouo excogitato ſuo iure naturae & fictis entibus moralibus malitioſe ac impie euertere ſtudeat; & in quantum is vulpis inſtar laudabilem omnium Eruditorum conatum, inordinata Magnatum interceſſione, & auctoritate a ſe ſuiſque ſcriptis auertere conetur. Ea propter tibi, vt Viro animoſo ac Religioſo incluſa prae aliis pie transmittere volui, vt inde quaſi per indicem primo ſtatim intuitu percipere poſſis, quantum mali in tota Europa & vniuerſo Chriſtianiſmo nouus atheus atheiſmi noui Magiſter Samuel Puſendorf fraudulentis ac diabolicis ſuis nouis entibus moralibus, actionum humanarum indifferentia, Religione ſtatui Reipublicae accommodanda, & ſexcentis aliis in ſtatu ſuo naturali (quem conuenientius beſtialem voco) peſſime diſſeminarit, inque iuuenum nouitatis auidorum animis iam doloſe implantare coeperit, quo totum ius naturae, Dei leges, & praecepta Decalogi pro viribus clandeſtine euertere machinatur. Per Deum & conſcientiam te rogo, & exhortor, exulet in te animarum Paſtore omnis metus, perſonarumque reſpectus, ne diaboli regnum per has clandeſtinas machinas magis magisque extendatur. Si eadem mecum deprehendas atheiſmi principia ex Hobbeſio Anglo hauſta, vt contra huius peſtiferi hominis principia amore Chriſtianiſmi conſeruandi heroico animo maſcule inſurgas, iuuentutem ſtudioſam alioſque probos & incautos publice ac priuatim ſerio admoneas, ne Puſendorfii ius naturae in ſui perniciem legant. Rem ſane Deo gratiſſimam, Reipublicae literariae vtiliſſimam, ac Chriſtianiſmo quam maxime neceſſariam, iuxta tuum officium praeſtabis. Si tibi forſan non vacauerit totum lubrici Puſendorfii ius naturae & gentium vere gentile relegere, attente ſaltem legas librum primum, in quo adeo obſcurus, & obſcure ac lubrice omnia ad fallendos incautos tractat, vt nullus Eruditorum eum percipere poſſit, niſi quod velit atheiſmum ſub aliquo pietatis colore vulpium inſtar indirecto introducere, ſeque cum Mahomede per fallacia & ficta ſua entia moralia immortalem reddere. Plura non addam, ſed ea exquiſito tuo iudicio, prudentiae ac pietati amice examinanda relinquo, qui ſum & ero Reuerendiſſimi ac praeclariſſimi Domini ad aras devotiſſimus Veridicus Conſtans in Academia Catoniana, ſitis mecum Catones probi ac veri rerum Cenſores, Valete.* Iudicet nunc quilibet, an non hae literae Nicolaum Beckmannum, eundemque nebulonem prodant auctorem. Damneris ergo voti tui, & ita *maleſiat* tibi, ſicuti hae literae abs te primum conſcriptae ſunt. Sed & valde metuo, ne Monachi tui neophyto Catholico parum conuenire cenſeant, quos ipſi tanquam haereticos & ſeductores animarum damnant, veritatis patronos & fratres in Chriſto indigitare; neue mox agnoſcant, te non religionis amore ad eos acceſſiſſe, ſed quia nemo ex Proteſtantibus tam

ſcabioſo

ſcabioſo moloſſo pabulum & locum impune latrandi conceſſurus erat. Illud quoque imprudenter, quod cum ipſe de impotentia ſuſpectus ſis, tam effuſe in laudem vxoris tuae declamites, immemor inter Monachos te degere, nimis quam facile prurientes. Quin plane barbarum erat, maledicentiam tuam ab honeſtis matronis ſibi temperare non potuiſſe, vt aduerſario tuo neceſſitas imponeretur & in tuam aliquid dicendi, quae Holmiae memoriam ſui reliquit valde inquinatam. Sed infra generoſitatem irae virilis eſt, iſtam camarinam mouere; & miſerandum alias fatum eſt mulieris tot procis expetitae, te maritum accepiſſe. Atque haec fere ſunt, quae velut in defenſionem tui delirare voluiſti. Sed cum non pauca praeterea facinora tibi ſint obiecta, ſimulque plurimorum mendaciorum, quae in Pufendorfium priore libello famoſo iactaueras, fueris conuictus, de quibus ne verbulum iam amplius mutire audes; non obſcure ſilentio tuo iſta agnoſcere videris. Praeſertim cum id breuitatis cauſa factum dicere nequeas, vtpote qui easdem naenias cuculi inſtar centies reſones.

Videamvs nunc paucis, quid conuitiorum ac mendaciorum in Pufendorfium eructes. Ac primo quidem rabiem tuam excipit *familia*, ex qua oriundus eſt, quam tu vaccimulgorum progenies foedis maledictis adſpergis, nullo alio argumento, quam quod te & ſub Aſinii Tenebrionis ſchemate in Apologia, & poſt in Epiſtola detracta larua pro merito depexum dedit. Sane nullus mortalium capere poteſt vim huius ratiocinii: Pufendorfius Aſinium ſuis coloribus depinxit, igitur ipſe ex ſordida familia ortum ducit. De caetero nec te ipſum bubulcigenam, nec quenquam Londinenſem Profeſſorem latebat, Pufendorfium in Miſnia & Patrem, & auum, & patruos, & auunculos habuiſſe Verbi Diuini Miniſtros, viros honeſtiſſimos. Quali proſapia ortum eſſe nemo cordatus erubeſcendum duxerit. Quae ergo Alecto te in mortuos ſaeuire adegit? In Pufendorfii porro familiari ſermone caeteri, qui eius conſuetudine vſi ſunt, nihil adeo indecori obſeruare potuerunt. Etſi alias mirum non ſit, tecum verſanti de ſtercore in mentem veniſſe. Eruditionem Pufendorfii vt contemneres grauiſſimas vtique cauſas habebas. Nam neque is vnquam paucula verba Gallica & Italica Latino ſcripto per ſtultam oſtentationem, ſicuti tu, immiſcuit; nec eos in Theologia ſub Hülſemanno praeceptore fecit profectus, vt Tractatum de *ſalutari vſu ſancti Roſarii* noſſet conſcribere, qualem nuperus Catalogus Francofurtenſis ſub nomine Nicolai Beckmanni refert. Cuius ſi tu auctor es, procul dubio te aliquando inter Diuos proximus a S. Marculfo manet locus. Alias Pufendorfius neque Theologiam, neque doctos & cordatos Theologos vnquam ſpreuit; fas tamen ſibi credit eſſe, Schwartzium & Geſenium, & ſi qui ſunt alii calumniarum architecti, pretio ſuo aeſtimare Iurisprudentiam vsque adeo non neglexit, vt non parum operae poſuerit, quo ipſa ſolidis nixa radicibus exſurgeret *Soles* tamen Goerlicii *reſplendeſcentes* pro ignibus fatuis habet, ac dolet tui ſimiles aſinos pro triginta vncialibus titulum ſibi Doctorum poſſe emere. Id plane feſtiuum, quod nugis tuis aliquid auctoritatis conciliare voluiſti ex effato *viri* illius *eruditi*, *ex Indice Nouitatum.* Male tibi ſit, qui vetus nobis prouerbium corrupiſti; mutuum muli ſcabunt,

 nam

nam tu iam teipſum ſcabis. Tu quippe es iſte vir, ſi Diis placet, eruditus; tua eſt iſta gemma, qua fuliginem Schwartzianam interſtinguere voluiſti. Loca Biblica a Pufendorfio ſæpe quidem in rebus ſeriis adduci, nunquam in prauum detorqueri ſenſum audiuimus.. Sed ut in frigidum & maleficiatum Doctorem regula iuris Canonici per cauillum adplicaretur, non adeo grande piaculum fuerit. Dum Pufendorfio contemtum *Ariſtotelis* obiicis, miſer prodis Ariſtotelem tibi nunquam inſpectum. Alias enim libros ad Nicomachum Magnis Moralibus non poſtpoſuiſſes. *Nouus atheiſmus*, quem ſingulis prope lineis cuculi ad inſtar importune ingeminas, cum vetere illo & vero atheiſmo nihil cognationis habet; ſed eſt peculiare maledicti genus, in improbo tuo ore enatum, furoris & malitiae tuae luculentum argumentum praebens. Iſte inauditus atheiſmus ex tua definitione duobus capitibus abſoluitur: quorum primum eſt, vt quis accuratius quam vulgo factum, moralia a phyſicis diſtinguere norit? alterum, vt quaedam ipſius ſententiae non intellectae aut malitioſe detortae ab aliquo Tenebrione calumniis impetitae ſint. Huc enim omnia, quae ſuper atheiſmo cuculas, redeunt. Quid entia moralia ſint, te non capere ipſe in epiſtola tua cyclica fateris. Num igitur ideo atheiſmus ſub iſtis latitat? Graecam linguam Beckmannus non intelligit, igitur qui Graece novit atheus eſt. *Religionem pro fraeno tantum populi ac fructuoſo Politicorum figmento in gratiam Principum* Pufendorfium cenſuiſſe, aut *Religionem ſtatui Reipublicae eſſe accommodandam*, eo impudentius eſt mendacium, quod eius falſitas ab omnibus, qui legere norunt, deprehendi poſſit. Aut ſi vir es. oſtende paginam & lineam, ubi illud dogma extet, poſtquam tam importune crocitas; *litera ſcripta manet*. Obiter aliud mendacium adſpergis, quando ſcribis, quod Pufendorfius in Schwartzii diſputatione inaugurali Anno 1671. die 22. Maii habita in auditorio *perſonatum ſe ſtitit*. Nam Anno 1672. Pufendorfius menſe Aprili Holmiam proficiſcebatur, & ſub finem demum Iunii Lundinum redibat; quod hic loci notorium eſt, & ex Protocollo Academiae demonſtrari poteſt. Vbi nunc artificium tuum mentiendi? Sic & inficeta eſt calumnia *de indifferentia actionum moralium*, de qua quo plura gannis, eo minus te intelligere, quid in controuerſiam proprie venerit, teſtaris De caetero Pufendorfii vita, pietas, moresque cum aliis quibuſuis, tum praecipue ſacerdotibus, quorum miniſterio diuerſis in locis, vbi aetatem exegit, probati ſunt probanturque. Nam Schwartzii malignitatem etiam vulgus apud nos deteſtabatur, quod cum Pufendorfii hactenus Collega & amicus fuiſſet, ac pridie quam Anno 1672. iſte iter Holmiam ingrederetur, Confeſſionarii munere circa ipſum functus eundemque, quando currum conſcendebat, prolixa benedictione proſecutus eſſet; mox tamen tuo furore inpraegnari pateretur, vt tam deformem foetum abortiret, prodigii auerruncandi cauſa flammis vſtulandum. Ex eo tempore quomodo Pufendorfius Schwartzium pro bono viro habere potuit? cum praeſertim hic in malitia ſua ita obduruiſſet, vt, licet Conſiſtorium Academicum ſemel atque iterum ipſum in gratiam cum Pufendorfio reducere ſtuduerit, & hic ad omnem iniuriam ei condonandam facilem ſe praebuerit, & nihil aliud ſatisfactionis poſtulauerit, quam vt vterque profiteretur, ipſos ſententias ſuas mutuo

tuo

tuo non ſatis percepiſſe, (es ſey ein Misverſtand unter ihnen geweſen,) praefracte reconciliationem abnuerit. Hinc cum poſtea Pufendorfius Laurembergium alterius templi paſtorem ſibi confeſſionarium adſciſceret, & hic eius rei veniam ab Epiſcopo Winſtrupio peteret, quod alias Pufendorfius extra ipſius parochiam habitaret, Epiſcopus non ſolum libenter id indulſit, ſed & expreſſe dixit; non congruere, vt Pufendorfius Schwartzii miniſterio vtatur. Et cum Laurenbergius poſtea Malmogiam euocaretur, Pufendorfius M. Ioh. Erneſtum in eius locum adſciuit, quouſque Holmiam ipſe migraret. Puto haec ſufficere ad oſtendendum, quae de ſacerdotibus in Scania & Suecia gannis, mera eſſe mendacia, & non niſi duos in Scania ex tuo contagio ſcabie Tenebrioniſtica infectos fuiſſe, qui eam ob rem iam puto ſat ludibrii debuerunt. Mirum tamen eſt, quare de religione aut pietate mutire auſus ſis, qui ob flagitia infamis declaratus religionem, cui innutritus eras, eiuraſti, vt ventrem latrantem placares, & latibulum inuenires, vnde in alios ſaniem pectoris tui euomeres. Nam quare ad Principem aliquem Proteſtantem te non conferebas, ſi tam ſplendidis animi corporiſque dotibus polles, quales in te iactas? An quia neminem conceſſurum praeuidebas, vt apud ſe maledicendi theatrum extrueres? Si porro propter Roſarii ſanctimoniam ad Monachos te contuliſti, quare more adeo meretricio illis adularis, quos ex noſtratibus lues Tenebrioniſtica afflauit. Cum caeteri omnes, qui a nobis ad Monachorum offas transfugiunt, priores ſuos ſacerdotes tanquam animarum ſeductores deteſtari ſoleant; nec alio fere Sacramento Monachi nouos iſtos combibones aeſtimant. Igitur crede mihi, ne Geſenius quidem, quem vndecim parochiarum rureſtrium Inſpectorem tu *Reuerendiſſimum* vocas, vel teruncium pro anima tua dederit. De ineptis illis cognominibus, quorum pleraque nullum ſenſum habent, nemo apud nos vnquam audiuit, niſi quod Aſinii Tenebrionis vocabulum tibi iure impoſitum omnes nouimus; ac ſi ex illis, quae fingis, quintum quoque & ſextum tibi vindicare velis, nemo repugnabit. Denique quam illa ſe mutuo deſtruunt, quod cum antea Pufendorfium ſemper ridentem dixiſſes, nunc eundem *lupo & tigride immaniorem* clamas. Nam de ſtudioſo illo longe aliter ſe res habebat, ac tu fingis. Iſte a Pufendorfio ſuper aſpera nimis tractatione diſcipuli ſui admonebatur; qua re importunus iuuenis offenſus tota die poculis ſe ingurgitabat, & ſub veſperam domum reuerſus furenti ſimilis multa in hoſpitem & bene meritum per vinolentiam iactabat. Nox furori illius indulgebatur; ſed poſtera luce orta accuſante Pufendorfio ego tanquam ſecundus pedellus iuſſu Rectoris cum praefecto Vigilum ingratum hominem aedibus Pufendorfii extrahebam. Et parata erat relegatio, ni aliorum interceſſioni iſte indulgens deprecatione ſcripto concepta & Rectori Ceruino tradita adquieuiſſet; cuius autographum adhuc ſupereſt. Quid ergo iam fiet de fabula tua, quam inſuper loci & temporis conditio plane deſtruit? Pariter anile commentum eſt de ancilla. Nam Pufendorfio nunquam curae fuit, quid in ſua culina gereretur. Neque frigidius quid poteras comminiſci, quam quod de ſagis blateras. Nam praeſultore illis opus eſt, qui ſaltandi peritia ſe iactant. Quid autem tu duobus illis Proceribus, magnis Pufendorfii patronis,

aliquid affingere erubeſceres, cum mox ſubiungere non dubites; Pufendorfium in praeloquio Apologiae confiteri; *ſibi a Magnatibus Sueciae eſſe ſuaſum, ne controuerſiam hanc amplius moueret, ſed eam tacito pede ſilentio praeteriret.* Sane nec vola nec veſtigium eius ſententiae dicto loco extat. Tandem quoque non immunis debuit diſcedere Petrus Hauboldus bibliopola Hafnienſis, qui arguitur operam nauaſſe in Monzambano imprimendo, qui iam biennio antequam Pufendorfius in Scaniam veniret, diuerſis locis impreſſus extabat; & in epiſtola ad amicos; quae Anno 1676. lucem adſpexit, cum iamdudum bello oborto nulla inter Scaniam & Hafniam literarum commercia eſſent. Cauſa autem, quare bono viro malum mendacio tuo conciliatum cuperes, duplex eſt; vna, quod ex ipſo Pufendorfius primum reſciuit, quis Indicem Nouitatum Francofurti diſtribuiſſet; ex quo initio ad fontem ſceleris penetratum fuit: altera, quod cum tu multa exemplaria *Medullae, & Commentarii ad Inſtituta* obtrudere ipſi velles, is negaret, illa emptorem inuenire. Quod crimen morte piandum tibi videtur. Sed quare Pufendorfio iſta dicta in Danos affingas, facilius ratio patet, ſi quis belli tempora cogitat. Aſt periit tibi fructus mendacii: Pufendorfius Holmiae eſt, & te plorare iubet. Nec eſt quod Deo gratias agas ob vnum atque alterum veſaniae tuae ſocium inuentum, qui ſub auſpiciis tuis ludibrio ſe cordatorum exponere voluerit. Nam & quo iſti defricentur ſal non deerit; & tu, ſi verbulum addideris, ita accipieris, vt ad reſtim demum tibi ſit confugiendum; quo facto peſſimus nebulo a foediſſimo carnifice ſuſpenſus dicetur.

HAEC fere ſunt, quae pro iure veteris coniunctionis amice monenda iudicaui, ne in tanto fortunae famaeque ſplendore veteris clientuli obliuio te plane ſubeat. Interim vale vt mereris, & ſi quid nouae ſcriptionis a Domino Rolleto acceperis, communicare nobis ne grauere. Dabam Londini Scanorum e Muſeo meo, ne in ſtabulo me ſcribere arbitreris, pridie Calend. Octobris, Anno 1677.

IOHAN-

Digitized by Google

* *

IOHANNIS ROLLETI,

PALATINI,

DISCVSSIO CALVMNIARVM,

QVAS ABSVRDISSIMAS

DE

ILLVSTRI VIRO

SAMVELE PVFENDORFIO,

RELEGATVS E SVECIA

NEQVAM NICOLAVS BECKMANNVS

PER CAVSAM DEFENDENDAE FAMAE NON

ITA PRIDEM IN VVLGVS SPARSIT.

AD GENVINVM EXEMPLAR MANHEIMENSE.

SI maleuolorum fabulae oracula eſſent, aut mendacia pondus aliquod, vllamque probandi vim haberent, non facile inueniretur vir eruditus & publice vtilis, quin locum in perditiſſimis obtineat. Etenim in vſu venire ſolet, vt quo quis doctior ac meritis in publicum maior eſt, hoc pluribus vulgo calumniis traducatur; ſtimulante inuidia, vel quia Satanas non meliorem modum nouit ſuſpectos reddendi, qui progreſſus eiusdem ſiſtere, & regni tenebrarum auctus morari poſſunt. Cuius fundamenta vltro corruunt, exculta ratione, ſique nullo deinceps numero ſint ſcriptores, quorum ſomnia prodigioſam orbi barbariem pepererunt, qua poſtmodum ipſa etiam religio infecta fuit. Sed barbaries quidem illa, tametſi ita late amplius non regnat, haudquicquam tamen vsque adeo ſuppreſſa videtur, vt omnino apud nos emergere, & vires iterum reſumere nequeat; poſtquam luce Euangelii reſtituta, Academiae, quae tum erant, priſtino in ſtatu, manſere, reliquae ad illarum exemplum erectae ſunt. Eo felicius autem haec Zizania e quibusdam radicibus ſuis magno Eccleſiarum malo alicubi progerminant, quod aduerſarii arte illorum prouentum iuuant; quorum intereſt, fabulam in tenebris agi, ne quis tertius ſpectatorem ſe offerat. Sane enim dum formam quam vocant, diſtinctiunculas, & reliquas ſcholarum ſuarum tricas vrgent, quid aliud agere cenſendi ſunt, quam vt noſtrates in oppoſitum delapſi, Eraſmi & Lutheri arma exuant? Vltra quorum victorias nihil hactenus promouimus. Quo aſtutiſſimo ſtratagemate deceptos eſſe manifeſtum eſt, qui exemplo ſuo iuuentuti ad barbariem praeeunt, eo praetextu, quod alioquin nemo cum

cum aduerſariis congredi poſſet. Quaſi aliqua obligatio ſit, cur eodem, quo hoſtes telorum genere pugnari oporteat; & nunquam Eraſmo cum Scotiſtis negotium fuerit: e quibus illi omnibus Scholaſticorum machinis adhibitis nondum aliquem in caſtra ſua pertraxerunt. Etſi quod naſcente ex iisdem nugis pertinacia Eccleſia noſtra propemodum in partes iuit, non omnino nullum eorum aduerſus nos meritum eſt. Caeterum vt maxime haec & plura nos indicia deficerent, illud tamen abunde teſtari poteſt, omnino ſemina quaedam veteris barbariei in plerisque locis ſupereſſe, quod prodeunte in publicum ſcriptore, abs quo, ne barbaries detrimenti quid capiat, periculum ſit, vel vt ex compoſito integrae ſtultorum legiones clamorem tollunt; plane exemplo Monachorum Reuchlinum impetentium, quos ad extremum ſatyra & conſutus ex eorum floſculis libellus compeſcuit. Vbi obſeruare licet, longe maiori zelo & contentione negotium geri, ſi religionis velum ſimplicioribus obtendi poteſt, aut res ad illos praeterea ſpectat, quorum intereſt, cum alios, tum praecipue vulgus eruditorum quam minimum ex ſe ſapere. Eoque quod culturam *Iuris Naturalis* vtrumque hominum genus tantis vociferationibus petit, nemo cordatus mirabitur: quippe quo luci ſuae reſtituto nec conſcientia a ſacerdotum libidine ſuſpenditur, & formulariorum myſteria agricolis deinceps ludibrium debent. Sed vt in Papatu quidem ſic ſatis felices ſunt, qui hanc diſciplinam aeternis ſepultam tenebris optant: ita per ſeculum inter nos multum ipſa ſplendoris nacta eſt, nuper adhuc feliciſſimo ſucceſſu manum eidem admouente Viro illuſtri SAMVELE PVFENDORFIO; in quem iam Satanas, quicquid calumniarum orcus habet, per iuratos quosdam ſycophantas euomuit, non alia de cauſa, quam quod ipſe latentis barbariei ſententiam mouit. Quae contumelia tantum abeſt, vt eiusdem animum deiiciat, vt potius hoc ipſo confirmetur, perſonam impoſtoribus illis detractam eſſe, quorum illuſionibus Satanas ad reducendam barbariem vtitur. Praeſertim cum omine non careat, quod penes pleroſque dolor diſſimulationem vicit; & illi optiones, ab auxiliis deſtituti latibula iam circumſpiciant, poſtquam nihil aliud, quam ludibrium pro nauata mendaciorum patri opera ſperare licet. Sane enim niger ille coruus, quo crocitante tot inauſpicatae aues aduolarunt, cum riſu orbis inter Sanctos, aut quemadmodum conſecrationis formula habet, *gementes pro Eccleſia columbas* reponitur. Et caeteri etiam miſelli ſocii, quos nondum mores ſui vlciſcuntur, ſtultitiae ſuae praemium in tempore ferent. *Nicolao* interim *Beckmanno*, cuius auſpiciis ventres quidam per Germaniam clamare coeperunt, non opus eſt, per quem ſtultitiae moneatur, quam forti exorciſta, quando hominem reuera complures cacodaemonum manipuli obſeſſum tenent. Abs quo iacta nuper in vulgus *Defenſio* ſtolida, abſurda, aut ſi mollius loqui velimus, miſeranda, quanquam ſoli Aſinio nocere queat, quippe qua ſuum ipſe nidum prodidit, nemo quoque futurus ſit ſtomachi tam patientis, qui ad eandem non nauſeet: viſa tamen nobis digna eſt, quam paululum depexam demus, non ſane in gratiam Beckmanni, qui ter iniuriarum conuictus, ſpurcis etiam, quas olim ſparſerat, chartis per carnificem crematis fruſtra cuiquam fidem ſe facturum credit; neque quod Puſendorfius nobis hyperaſpiſtis indigeat;

geat: Sed quia hoſtis humani generis Alaſtore parario ſtudia viri omni calumniarum genere turbare tentat, quae regno ipſius, ſi quicquam aliud, mirum in modum nocere poſſunt, efficiemus, vt & in hoc voto ſuo excidat Satanas. Simulque cum Beckmannus tam ferox ſit, non quidem, quia habet imperium in belluas, ſed quod interclufis itineribus ſcelerum eius documenta e Suecia tranſmitti nequeunt, & ipſe interim perſuaſus eſt, Puſendorfio nullos per Germaniam amicos eſſe; nos autem optimo viro, qui cum informatione, tum ſcriptis ſuis qualescunque noſtros in literis profectus iuuit, multis nominibus deuincti ſimus: leui & feſtinato ſaltem ſpecimine oſtendemus, vtique adſuturos in Germania, qui ad Beckmanni mendacia aliquid reponere queant, quosque haec victima carnificis ab ara profugiens percuſſoribus ceruicem ſubdet. Neque enim id tutum praeſtabit nebulonem, quod poſtquam orcus eundem recipere noluit, in monaſterium conceſſit; videlicet prae deſperatione, quae vel militem vel monachum facit. Quanquam inter bonos illos Fratres non deſunt aliqui cordati, qui cognitis facinoribus Beckmanni rabiem hanc & effrontem maledicentiam ex animo deteſtabuntur. Praeſertim cum iam illi ipſi, in quorum caſſes ea beſtia primum incidit, venatione ſua paulatim erubeſcant; quod votis ſuis damnati Dictynae non leonis, ſed aſini duntaxat exuuias ſuſpendere poſſunt.

ILLVD igitur manifeſtum eſt, Beckmannum tamdiu nebulonem & infamem calumniatorem manſurum eſſe, donec non carminibus per ludibrium, & vt ipſius ſtultitiam adoleſcentes etiam flagellarent, diu ante hoc negotium fuſis, ſed rationibus ac teſtimoniis bonorum virorum omnia illa argumenta diluet, quibus de *Indice Nouitatum* edito in Suecia conuictus fuit. Quae argumenta fidei actorum publicorum, & profecto noctu nebulone, ipſius confeſſioni ſuperſtructa effecerunt, vt iuſſu *Sacrae Regiae Maieſtatis* ſacerrimus ille Index Londini a carnifice flammis datus ſit, Beckmanno in praemium laboris pro infami declarato, poſtquam ipſum nebulonis Manuſcriptum publice in Senatu Regni productum eſſet. Atqui tantum abeſt, vt iſta ratione Beckmannus ſe purget, vt potius de ſcelere iſto contra ſeipſum nulla re, quam defenſione ſua manifeſtius & maiori cum pondere teſtari poſſet. Praeterquam enim quod totus liber prorſus iisdem floſculis vernat, quibus & Index nouitatum & alter libellus famoſus refertus eſt, vt vel ex cantu auiculam agnoſcere queas; etiam nihil aliud hic ingerit lectori, quam quod in illis operibus ſuis nulla cum ſpecie veritatis mentitus erat. Etſi atrocia illa, quae in poſteriori libello ſomoſo periurio confirmabat, in hoc carmine omiſſa ſunt: quod ipſe nebulo remittente paululum furore mendaciis ſuis erubuit, nec male, minimum vxore monente, opinatus eſt, neminem tam ſtolidum fore, qui tot ſcelera, quae gentiles etiam deteſtantur, in republica Chriſtiana a viro integrae ſemper famae palam & citra poenam patrata credat. Quo ipſo & his mendaciis omne pondus detractum eſt: cum Beckmannus ſe fatente periurus, & ſemel in mentiendo impudentiſſimus fuerit. Sed & expreſſius ſcelus iſtud in Suecia ſe commiſiſſe agnoſcit, dum initio defenſionis ſuae citra figuram eloquitur, quod Puſendorfium *arctiſſima cenſura iterum perſtringere velit.* Ergo Puſendorfium cenſura

ſura ſua nuper, opinor, perſtrinxit, & vbi, niſi in Indice nouitatum & altero libello famoſo, qui a Puſendorfio poſteriorem epiſtolam elicuit? Quin illud quoque Beckmannum infamis illius Indicis auctorem oſtendit, quod etſi aliquoties rem neget, nunquam tamen id illuſtre monumentum ſine elogio nominat. Ita enim alicubi: *Prodiit ſine certo auctore Index Nouitatum, oculos multorum valde claros efficiens. Sine certo auctore*, inquit. Atqui is auctor omnium confeſſione eſt vir ſcelere & infamia nobiliſſimus *Aſinius Tenebrio. Oculos valde claros efficiens*, dicit. Nimirum vt quidam ſycophantae *indifferentiſſimum moralem* inter ſpectra reliqua prodeambulantem viderent; *Velthemio* autem aliquot modii ſquamarum ex oculis deciderent. Denique quantumcunque dolorem ſuum diſſimulet Beckmannus, arguunt tamen vniuerſa, quam aegerrime ipſe pater prolis ſuae vſtulationem tulerit. Caetera quae toto opere non ſine tragica verborum atrocitate ſolita ſibi eloquentia deblaterat, omnino a defenſione aliena ſunt. Cum enim Beckmannus diffiteri nequeat, auctorem Indicis infamiam commeritum eſſe; (nam alioquin cur tam impudenter negaret, eius confectionem iure ſibi impactam?) & vero illa argumenta, quibus ſe de eodem edito conuictum nouit, ab ipſomet hac ſcriptione adſtructa ſiut, manifeſtum eſt, Beckmannum infamem & nebulonem manere, etiamſi nondum in pueritia ex tali ſcelere reatum contraxerit. Neque hoc titulo priuabitur, ſi maxime ponamus Puſendorfium tota aetate ſua aliqua in re lapſum fuiſſe. Ergo ſi citra pertinacem veſaniam Beckmanni foret, iam haec cauſa nobis perorata erat: Placet tamen & aliena illa, quorum alteram partem facinora Beckmanni, alteram mendacia de Puſendorfio conſtituunt, paulo plenius excutere, ſaltem eum in finem, ne forte Beckmannus ſemel in vita ſapuiſſe ſe putet, cui Holmiae viuenti ad morionem nihil, praeter tintinnabula deerant.

PRIMO itaque vt a vitiis mundanis immunem ſe probet, (*mundana* vitia dicit in oppoſitione ad vitia coeleſtia) amiſſa exiſtimatione cum omnium bonorum applauſu laudum ſuarum teſtimonia ab emendicatis quibusdam carminibus petit. Quaſi vero ignotum foret, tanto meliorem eſſe Poëtam, quo plura fingat. Et qualem *applauſum* eſſe credimus, ſi quis ex vna Academia in aliam abeat? Imo vero cui abeunti applaudunt commenſales ideo duntaxat, quia abit, eo praeſente non admodum gauiſi fuerint, oportet. Sed & ipſa illa carmina indicio ſunt, Beckmannum iam tum in Academiis ludibrio fuiſſe habitum. Sane enim in Germanico *mutilate* ſaltem adducto hyperbolae nimis quam euidentes ſunt. In ode autem latina, quam Flaccus Marpurgenſis enixus eſt, *Nicolaus Beckmannus* comparatur Sancto Nicolao, quem Moſcouitae nautis patronum adſociant. *Ibis profundae nauita gloriae Niclaë!* Atqui dum bonus noſter Nicolaus ſcelere ad gloriam nauigat, non prohibente Sancto Nicolao, famae & fortunarum naufragium fecit. In *Gallia* autem vti neminem vsque adeo ſimplicem fuiſſe putamus, vt eidem Beckmanni eruditio probata ſit, ita ſi maxime aliqui de *Medulla Iuſtinianea*, quam vocat, benigne ſenſerunt, id vero Beckmannum nihil iuuat. Quippe medulla illa a Profeſſore quodam Marpurgenſi eſt, cui eandem plagio ſubduxit Beckmannus. Imo alter

Ante-

Anteceſſorum Aurelianenſium ſatis animaduertit, abs qua virtute id pecus commendari oporteat. *Cui ſic Romani Iuris fluit ore medulla;* id eſt qui tantis lacertis eſt, & ſimul iuri Romano operam nauans, in tam ſtolidum leguleium abiit, vti Beckmannus; *Olli Romanis viribus oſſa vigent*, id eſt: ille non abſimilis eſt rudi laniſtae & robuſto cuipiam pugili Romano. Iudicium porro, quod de labore illo in *Ephemeridibus* eruditorum legimus, in quoduis compendiolum iuris quadrat. Etſi ſatis ſtulte Beckmannus, quod ita poſtmodum de opere ſuo loquitur, quaſi Rex Chriſtianiſſimus intuitu illius iudicii vltro & proprio motu bibliopolae Pariſienſi diploma aliquod obtuliſſet. Nam id ſaltem egit bibliopola, vt *inſcio Beckmanno* id priuilegium impetraret, eo facilius quod qui iſti curae Regia auctoritate praeerant, animaduerterent, periculum non eſſe, ne quis in hoc libro medullam Iuſtiniani latere putet, pridem ſitu & putredine abſumtam. Mirum vero, Beckmannum non gloriari, mandaſſe Regem, vt filio ſuo primogenito, quam primum praeter lac & mollem cibum aliud quid digerere poſſet, ſingulis diebus eadem medulla ientaculi loco apponeretur. *Rebhanium* denique Argentoratenſem qui nouerit, non mirabitur ipſum Beckmanni obiectionibus gauiſum fuiſſe. Cuius rei fidem facere ignotis poteſt cenſura programmatis Argentoratenſis *Boecleri*. Dein Beckmannus multis verbis titulum *Doctoris* iactat; quem ſibi maxime digno collatum ait, poſtquam & examen *rigoroſum* ſuſtinuiſſet, & *magnam* de iudiciis diſputationem conſcripſiſſet. Atqui vt ab eiusmodi ſociis multis ex libris magnum volumen compiletur, nihil noui eſt, & Galli his examinibus non admodum rigoroſi eſſe ſolent. Quin pueris notum eſt illud vulgatum: *Sumimus pecuniam, & mittimus aſinum in patriam*. Caeterum hunc titulum nemo vnquam *Beckmanno adimere* voluit, (etſi quid hactenus expectare debeat, infra audiet,) de quo neque *Diabolus* ſolicitus fuit. Et valde ridiculum eſt, quod ſcribit, carmina illa & teſtimonia poëtica *miſerrime liuore corripere, angere, torquere,* imo *macerare & excruciare* Pufendorfium; per quem licebat Beckmanno eadem vel nundinarum tempore peculiari in theatro ruſticis canere, adſumta in auxilium vxore, quae plures ſpectatores allicere poterat, quam ſimia, aut cercopithecus. Sicut penes nullum literatum, cognito acumine Beckmanni *periculoſa aemulatio* oriri poteſt. Nihilominus noſter *Beckmannus* iam velut triumphans verbis Teutonicis paeana canit. Quod nulla alia de cauſa feciſſe cenſendus eſt, quam quia cachinnum ſe prouocaturum animaduertebat, ſi Latine loqueretur, cum ipſe tragicum quid ſpirare vellet. Sane enim vtut & Germanica ſic ſatis faceta ſunt, imprimis tamen quoties Latinis verbis paulo magis pathetice ſurit, nihil aliud, quam riſum mouet. Praeſertim ſi quis attendat ad epitheta illa ſane in loco adhibita: *male, impie, ſceleſte, pie, glorioſe, laborioſe*, verbi gratia. Vbi flagitium aliquod commiſſum mentitur, plerumque id *impie* commiſſum ait. Quemadmodum quicquid ipſe boni fecit, *pie* videlicet. Quaſi aliquis *pie & glorioſe* malus aut *impie* bonus eſſe poſſet. Vt ſic mediocriter adhuc profecerit Beckmannus in Schola Velthemii circa doctrinam de vocabulis, quae in ſe ac ſua natura actum vel honeſtum vel turpem, exprimunt. Etſi pius ille mendax iam admittit *mendacium pium*, de quo non

Digitized by Google

ita pridem diſputatio eius auſpiciis prodiit, ab amico nobis miſſa. Quo & illae Beckmanni blandiſſimae preces ſpectant, vt epiſtolam Puſendorfii, priusquam de ſua defenſione iudicium ferant *remotis omnibus corruptis affectibus pie perlegant* Germani. Ergo ſi *Puſendorfii* epiſtolam remotis omnibus corruptis adfectibus pie legere poſſumus, *Beckmanni* defenſionem impie legamus oportet; quippe quae illi oppoſita eſt. Denique ne lectoribus ignotum ſit, quo fatorum ludibrio e Suecia in Germaniam venerit, illud quoque, *dum vitam ſuam deducit in ſui diſpendium praeteriri noluit*, ſe profeſſionem iuris reliquiſſe *ob maximum pietatis & iuſtitiae in Suecia defectum, ſummumque luxum & latentem amorem Germaniae ceu natiui ſoli.* Iam nemo mortalium de pietate Beckmanni dubitat. Addit, quod *Fuldae* eminentiſſimum Cardinalem Badenſem acceſſerit, vt *declaratus Conſiliarius, poſtquam Regi Regnique Proceribus ſolenniter valedixiſſet.* Nimirum quia hodie in Germaniam conſiliarii vocantur nebulones, bis terue iniuriarum conuicti, & illa ſolennis valedictio nocte concubia ideo fortaſſe facta eſt, ne ob diſceſſum tanti viri iuuenes pariter & ſenes nimia effuſione lacrymarum oculos corrumperent. Quare autem hic nullum carmen recitat; quod viro tam celebri ad principem tam longinquum profecturo & ſolenniter valedicenti omnino a clientibus offerri par erat? Sed nimirum eadem abſurditas eſt, qua anno 1671. ante hos furores in Puſendorfium, cum ob turbas & ſcelera quaedam ſalario priuaretur, perſuadere nobis volebat, ſe *Profeſſorem honorarium* eſſe factum. Etſi lippis & tonſoribus tum notum erat, Illuſtriſſimos Regni Proceres id egiſſe, vt daemonem hunc per ieiunium eiicerent. Quod genus multa alia commemorare poſſemus, ſi quidem hominis fatuitas finem aliquem ac modum haberet. Illud tamen ingenuum in Beckmanno, quod fatetur, ſe non eſſe. *Tulliana puritate puriorem.* Cuius ſane rei vel in hac defenſione luculentiſſima aliquot exempla occurrunt. Quo magis miramur, abſurdum iſtud ingenium deinde non erubeſcere gloriatione iſta: *ipſas leges doctrinam ſuam iuris ob linguae Latinae puritatem & elegantiam rariſſimam venerari & adorare.* Quod ſi *Dietherrus* ita ſerio ſenſit, fortaſſe eadem Venus in vtriuſque labris ſeſſitat. Quanquam potius eſt, vt dicamus, Poëtam ſimulaſſe Dietherrum, vt citra ruborem mentiretur. Quin illud vaticinium, quo elegiam ſuam finit, *Indici nouitatum* etiam praefigere poterat, a carnifice in rogum coniecto. *Flammam perpetuam mox dabit iſte liber.* In verbis autem carmini ſubſcriptis profitetur *ſe purpurae tanti auctoris pannum ſuum adſuere voluiſſe, & rogatum debuiſſe, vt id opus tanto magis niteret* (fulgore panni adſuti) *& in Aula Caeſarea imprimis exſplendeſceret.* Vtique ſane operi Beckmanniano a Dietherro nonnihil ſplendoris mutuo ſumendum erat, minimum ob dedicationem ſtolidiſſimam; cuius reuera hic ſenſus eſt: Sacram Caeſaream Maieſtatem iſthuic bello contra Regem Chriſtianiſſimum ſe immiſcuiſſe, vt defenderet Corpus Iuris. Quanquam alias Phoebus Goerlicenſis, cuius facula *reſplendeſcens* nuper in aethere ſe ſtitit, plus radiorum in Beckmanni lucubrationes proiicere poterat. De Epigrammate autem illo, quod Icon Beckmanni praefert, moriar, ni idem a Beckmanno confictum eſt. Minutiora perſequi ſuperuacuum fuerit. Sane enim, vt demus, Beckmannum ex honeſtis parentibus natum aliquantiſper in Academiis

miis vixiſſe, dediſſe ſe praeterea peregrinationi ſeu decurſationi potius, Doctorem etiam fuiſſe creatum, tum panegyricos quosdam eidem dictos extare, denique ſcriptis editis profeſſioni Iuris meritiſſimo admotum eſſe; tamen per haec omnia, velut ſupra diximus, Beckmannus a ſcelere poſtea commiſſo nequaquam excuſabitur. Et cui ignotum eſt, quomodo paucis ab hinc annis in vicina nobis republicae Iureconſultus eruditione & meritis ſuis Beckmanno infinitis partibus maior Satanae ſuggeſtionibus ſeductus eodem crimine ſe alligauerit. Abs quo ſeptuagenario licet, & cuius canities ipſis iudicibus miſerationem incutere poterat, magiſtratus ſupplicium quod Beckmannus iam meretur, ſumpſit. Vt omnino ridendi ſint; qui Doctorem iuris cuiquam tam enormem feciſſe iniuriam credere nequeunt.

VIDEAMVS igitur quae Sycophanta iterum de Puſendorfio mentiri voluerit; de quibus in vniuerſum difficile eſt pronunciare, malitia an ſtultitia in iisdem praeualeat. Cuius nomini quod tam ſolicite titulum *Magiſtri* apponit, ideo potiſſimum factum videtur, vt Puſendorfius viciſſim nebulonem Doctorem vocet. Alioquin eadem auctoritate Magiſtri creantur, qua Doctores. Sed non moris amplius eſt Doctores vocare nebulones a carnifice mactandos. *Entia* autem *moralia*, quae beſtia toties *beſtialia* vocat, ne quis ignoret, alias dicuntur res morales. Et videtur iſta appellatio manere poſſe, non obſtante Commentario Velthemiano ad Grotium, quamdiu res & ens ſynonyma erunt. Neque metuendum eſt, ne Puſendorfius *eadem in lucem prolatura*, vt Soloeciſta loquitur, *defendere* non poſſit. Caeterum primo omnium triſtiſſimus noſter *Porcius riſum* Puſendorfii notat; quem eundem tamen in fine carminis ſui *tygride ſaeuieriorem* facit. Verba ſuo cum flore adſcribemus: *Puſendorfius cachinnari ac ridere artificioſe practicatur.* Cur non potius *practicat?* Aut quodnam eſt illud *artificium ridendi?* Cuius plenariam deſcriptionem fortaſſe a Beckmanno nobis polliceri poſſumus, quippe qui tot annis ſtultitiam ſuam Holmiae rideri vidit. Sed num ridere & hilari animo eſſe crimen eſt? Pergit accuſator, quod *loca biblica, canonica & iuridica in prauum ſenſum detorqueat.* De locis Biblicis more ſuo mentitur Beckmannus. Illud vero nequaquam eſt canones in malum ſenſum detorquere, ſi quis Beckmannum alioquin ſcripturientem roget, vt ad titulum decretalium de *impotentia coëundi* commentariolum edat. Longe denique a rabularum malitia abeſt, aliquid ex iure ciuili ad ridiculum faciendum in loco adferre, & vt alterum leui ioco adſpergere poſſis, Iureconſultos *anſerum inſtar idem ſemper canere*, verum eſt de Iureconſultis Beckmanni geminis germanis. De vniuerſo ordine idem affirmare nunquam cuiquam in mentem venit. *Ebrietatem* ſcripta Puſendorfii ſatis refutant; quae cerebrum hominis vinoſi non redolent. Caeterum ſi qui Norimbergae ſtultitiae Beckmannianae documentum capere velint, apponant homini cantharum vini, & comoediam videbunt. Quid vero dicemus de illa exprobratione Beckmanni? Nec *exercitia corporis nobiliora didiciſti, nec peregrinaſti.* (Hic ſine dubio *leges virgines* in genua procumbent, & adorabunt.) Quaſi neceſſum ſit Profeſſorem ſaltationes Polonicas noſſe, aut a laniſta circumforaneo vapulare.

r 3 Nam

Nam Beckmannus olim vſque adeo non *glorioſe* digladiationibus *tempus tribuit*, vt potius cum Londini Profeſſor ſpecimen profectuum in publico edere vellet, plagis in cornua acceptis mire intra teſtam ſe contraxerit. Verba interim hunc floſculum proxime ſequentia indicant, penes Beckmannum eiusdem turpitudinis vitia eſſe, *inter libros & inter ſcorta ſedere*. Nam haec ille coniungit. De *Ariſtotele* aliquid addere nihil attinet; cuius Metaphyſicam dum ipſe impugnat, impetum in ſociorum cohortes; & praecipue dextram Velthemii alam facit. Equidem olim credebamus, Beckmannum nunquam pictum, quod dicitur, Philoſophum vidiſſe; nimirum ob *moroſas Themidis Camaenas*, vt ipſius encomiaſta loquitur. Et nuper adhuc in frontiſpicio operis ſui imberbis, terribili ſaltem cum machaera ſculpi voluit; videlicet in recordationem plagarum, quas pugil circumſoraneus eidem inflixit, & vt Puſendorfius ſolo adſpectu exanimatus duellum recuſare pergeret, in quod illum peculiari epiſtola Hamburgum vocabat. Nunc derepente peripateticus nobis prodit, pallio & barba ornatus, quali vix Cratippum fuiſſe putamus. Felicem hoc ipſo Ariſtotelem, qui Politicae ſuae patronum nactus ſit, cuius non calamum modo, ſed & gladium latiſſimo e corio pendentem metuere oporteat. Etſi fruſtra hic ad pugnam ſe componit loricatus noſter Beckmannus; cum Puſendorfius nunquam modum accidens eſſe negauerit. Quantum porro piaculum eſſe credimus, quod Puſendorfius de vxore *Beckmanni* talia ſcripſerat, quae pueris in Suecia notiſſima ſunt. Et ſane vti mulierculam illam reuera *in ſui ſolatium duxit*. Noſter; ita quaecunque de ipſius forma, probitate ac diuitiis ſomniat, itidem *in ſui ſolatium* ſcripſiſſe videtur. Nam ipſe quidem rariſſime Iunone ſua vel tantillum ſibi fauente vtitur; quae ſi commotior eſt, etiam ſi nulla Beckmanni culpa fiat, auctoris conuiciis in eundem detonare ſolet. Niſi forte poſtquam columna illa Romanae Eccleſiae inter craſſos & bene vaſatos monachos verſatur, vxorem paulo minus moleſtam ſentit; quae ſane per modeſtiam tam facilis eſt, *vt omnes cuiuscunque conditionis eam non ſatis laudare poſſint*, Beckmanno videlicet praeſente. Quod autem ipſa eiusdem verba Germanica, quae dolore animi commotam protrudiſſe ait, ſatis equidem emphatica, & quibus vti inter piſcatores eductam decet, defenſioni ſuae inſeruit Beckmannus, ideo factum eſt, vt licentiam ab illa impetraret pecuniam perdendi. Scilicet quia *Commentarius ad prima fundamenta* a nemine emitur, in quem ipſe tamen vniuerſam dotem & praeterea non modicum aeris alieni prodegit, eoque Beckmanno de libris edendis ne verbulum mutire licet, hic quidem eo praetextu vſus eſt, opuſculum ſcriptum eſſe cauſa illius, non ſua. Quod ne fruſtra caneret, adſpergenda vtique quaedam Germanica erant, etiam quae mulieri ſuo more fabulanti exciderant, vt opere impreſſo inueniret ipſa aliquid, in quo phraſin ſuam agnoſceret. Caeterum ne vxoris cauſa Beckmanno vllus mortalium inuideat, metuere non debet: quae iam vetula propemodum non facile cuiusquam *ſpiritum excruciare* poteſt, vt cum Tullio noſtro Heidenſi loquar. Poſt frigidiſſime peroratam cauſam vxoris, etiam crimen laeſarum Maieſtatum Puſendorfio impactum it Beckmannus: *Propoſitum Puſendorfio eſſe denigrare non modo Schwartzium* (qui iam antea quouis coruo nigrior eſt) *ſed*

&

Digitized by Google

& maximae venerationis viros in Germania, vt Reuerendiſſimum (addendum erat: *& ſereniſſimum) Dominum Superintendentem Garlebienſem, celeberrimum Velthemium Ienenſem, & illuſtrem* (ohe iam ſatis eſt, ohe Niclaë!) *Scherzerum Lipſienſem, contra nouum atheiſmum fortiter inſurgentes.* Sed nimirum de Scherzero geſtiunt iam eruditi iſtud noui generis proelium Lipſienſe videre, nosque pridem ſerio optauimus, tandem aliquando copiolas ſuas educat, quarum fiducia Puſendorfio tam inanem mouere litem non erubuit. Sane enim Sacra Regia Maieſtas Sueciae nunquam per literas a Sereniſſimo Electore Saxoniae petiit, *ne cui Theologorum ſuorum permitteret facultatem ſcribendi & ratiocinandi contra Puſendorfii principia;* quod Beckmannus comminiſcitur; cui dolet, neminem Theologorum Electoralium ſe praecentore clamorem tollere. Equidem id ſaepe numero e republica eſt, ſacerdotibus *facultatem ſcribendi* non permittere. Vt tamen iidem prohibeantur *facultate ratiocinandi*, hoc quidem tempore ſuperuacuum videtur; quo plerique Sacerdotes vſu rationis citra omnem prohibitionem religioſiſſime ſe abſtinent, Velthemii autem cauillationibus non habet Beckmannus, cur exultet; qui famae ieiunio bona fide gloriam in ſcelere quaerit, nouus videlicet hoc ſeculo *Campeſter*, mire cognominis Dominicani, Eraſmum adorti, impudentiam nobis referens. Caeterum quae elogia Velthemium merere putamus, qui non erubuit e libello famoſo, ab Alaſtore quibusdam Academiis oblato, ſpurciſſimo, & quo foedior ne ab ipſo quidem mendaciorum patre conſarcinari poterat, obſcoeniſſima quaeque in indoctum illud, & plusquam barbarum opus ſuum transferre, quod introductionem ad Grotium vocat? Nam illa quidem ciuilitas nihil ſubleuat Puſendorfium, quod memorato in loco, cum libri mentionem faciat, nomen ipſius reticuit. Reliquae autem ſycophantiae ingenium produnt ſtupidum, agreſte, malitioſum, & quali omnino opus erat reducendae barbariei, quae ab exteris impulſa, quemadmodum in vorticibus Carteſii materia primi elementi corpora alia ad centrum ſuum; ita quicquid ipſa difficilium nugarum habet, verſus meditullium Germaniae premit. Et ne lectoribus ignotum ſit, quae demum in Puſendorfio deſideret Velthemius, paucis monere iuuat, cauſam tam effrenati furoris reuera non aliam eſſe, quam quod Puſendorfius Scholaſticorum floſculos & Moraliſtarum ſomnia reiicit; quos vtrosque tamen a Grotio magnopere laudari ait. Eoque quemadmodum metuit Velthemius, ne ſe *ſenem* decrepitum *de ponte* aſinorum aliquis *deiiciat; (vide Diſputatio poſterior de actibus per ſe honeſtis §. 18.)* ita *Thomam*, magna Puſendorfii inuidia, ſolicite *Principem Moraliſtarum* vocat, praeſertim ſicubi lectori *Metaphyſicorum Patres* Conſcriptos ingerit; & inter illos neſcio quem *de S. Porciano*, ne non credamus, ipſum *magis verſatum eſſe in ſtudio Metaphyſices, quam ranas virides in nucibus arboribus, (add. Introduct. ad Grotium Part. I. p. 62. & 42.)* Vbi quidem de Grotio fatemur, depromſiſſe ipſum nonnulla e Scholaſticis; quaedam etiam Moraliſtis non peſſime animaduerſa eſſe concedimus. Sed Grotii ingenium profecto Velthemius non habet, vt ſcorias in aurum conuertere poſſit; qui contra diſciplinam iſtam his ſordibus iterum coinquinat, quibus tot vigiliis a Grotio purgata eſt. Et cur non Ennium iuuentuti commendamus,

equo

e quo itidem Maronem aurum collegiſſe conſtat? *De actibus per ſe honeſtis* aliquid addere nihil opus eſt; circa quos Puſendorfius illud reuera docet; Ius naturae, quo genus humanum vtitur, a Deo optimo maximo originem trahere. Nam quod Velthemius ſophiſticatur, moralitatem in actionibus hominis ſaltem *in puncto rationis* diuinam voluntatem antecedere, nemini perſuadebitur, cui quidem paulo plus, quam punctum rationis ſit. *Peccatum* autem *transgreſſionem legis eſſe, vt eſt offenſa Dei, non vt eſt malum morale*, vltimum in barbarie videtur. Primarius interim elenchus huc redit. Scripſerat Puſendorfius, Deum legem naturae mutare non poſſe, non propter vocabulum *per ſe*, ſed ob neceſſitatem hypotheticam. Cum enim lex naturae arctiſſimam cum natura humana congruentiam habeat, poſito Deum velle, vt homo ſit homo, quod vtique vult, & ſemper volet, homini contrariam huic legem naturae ferre nequit. Si enim Is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta. Hic fingit Velthemius, Puſendorfium reſpondiſſe: *Hominem dupliciter ſpectari, 1. quatenus Deus eum condiderit animal rationale & ſociale, 2. quatenus Deus eum condere potuiſſet animal horridum & ferum.* Cum res ipſa loquatur, Puſendorfium hoc dicere, hominem, ſi ad contraria officia adſtringeretur, eoque animal horridum & ferum eſſet, hominem non fore. Quod ex conditionali hac propoſitione colligere licet, creari potuiſſe hominem animal horridum & ferum, nimirum eodem Scotiſta ratiocinante dari poterunt aſini alati, qui nobis Velthemium ad ſidera ferant. Quippe id tritum Scholaſticis exemplum eſt: SI aſinus volat, IS habet pennas; vt doceant, orationem ſubiunctiuam conſiſtere, etiamſi neutra pars in ſe vera ſit, aut eſſe poſſit. Imo vero noua hac Velthemii dialectica admiſſa, abeſſe non poteſt, quin ipſa etiam ſcriptura ſacra ſomniatam Velthemio ſententiam foueat. Sane enim in illo Apoſtoli, Rom. IX, 20. *Num interrogat* plaſma (verbi gratia, homo) *factorem ſuum, cur me facis tale?* (verbi gratia, rationalem ac ſocialem, & non potius animal horridum & ferum?) particula ME prorſus eidem calumniae patet, qua ob voculam IS, Velthemius ſe iactat. Terminum autem, *Neceſſitas hypothetica*, cauillari, puerile eſt; cum eodem res redeat, neceſſitatem abſolutam an hypotheticam certos gradus habere dicas. Sed nimirum quia animaduertimus rem in ſe manifeſtiſſimam ſycophantam per malitiam capere nolle, (quanquam citra omnem adfectationem ſtuporis ſat ſtolidus eſt,) ſiquidem Velthemius ab eiulatu & clamoribus ſuis non deſiſtet, omnino e diſputationibus & eiusdem nobili illa introductione ad Grotium extantiores floſculos peculiari opere aeternitati conſecrabimus, quod certum eſt, parum conceſſurum fore Epiſtolis obſcurorum virorum, aut Friſchlini Priſciano vapulanti. Nam vbi ratio eiuratur, & alia remedia conſumta ſunt, nihil aliud, quam ſatyra ſupereſt. Quae hic quidem non illud modo efficiet, vt Velthemius velut in ſpeculo ſibi oſtenſus ruditate ſua paululum erubeſcere incipiat, ſed & eadem opera antiquae barbariei genium deformabimus; quae iam mirum in modum certis hominibus placere coepit, poſtquam non pauci papalium tenebrarum memoriam perdiderunt, & iuuentuti ignotum eſt, quem Velthemius, & alii ex iisdem hortis philoſophi lactent, communem naturae

ſenſum

ſenſum amittere poſſe Eo lepidiores autem nobis in his nugis futuri videmur, quo maiori triſtitia prolatae ſunt; etſi inter veneres ac delicias iſtas non omnino nihil ſcurrilium iocorum emineat. Neque vero metuendum eſt, *ne verba Velthemio inuertamus, quemadmodum felis inuertit ollas; quae inuito coquo carnes eripit, vt piſciculos minutos eripit, magnus accipiter, deuoratque*; qua lepidiſſima ſimilitudine ipſe vtitur in *Aetioſcopia practica* §. *6. circa fin.* Nam vt barbariſmi non ſolum in forma, ſed & in materia adſcribantur, curabitur; additis & portentis aliis, quorum ſi lectoribus guſtum aliquem hic dare vellemus, vltro faterentur, barbariem terras relicturam in operibus illis extrema ſui veſtigia poſuiſſe. Denique *Pontifex Garlebienſis*, ſomnium hominis, vix pilum viri boni habere videtur. Quod ſi Sua Sanctitas deinceps more ſuo delirare, ac brutis fulminibus ſaeuire perget, peculiarem quendam modum videbit accipiendi lymphatos ſacerdotes, liberum hominum genus, quod nullis omnino legibus parere nouit. Et eiurata religione Lutherana Beckmannus ſpe ſua omnino fruſtra eſt. Sane enim quemadmodum Pontificii nequaquam Theologis noſtris ex animo fauent, niſi qua horum aliqui communem barbariei cauſam iuuant; ita non temere Vigil frontem ac linguam Beckmanno locabit, qui nullum allegare meritum poteſt, quam quod ipſe patronus defenſione ſua Geſenium grauet. Sed ad Beckmannum reuertimur. De *atheiſmo* impudentiſſimum eſt mendacium. Ni tamen illa *communis ſacerdotum accuſatio* attenditur; de qua paulo poſt videbimus. Si pietatem ſtoliditate meriti debemus, & illico Seſquiatheus eſt, qui Monachorum deliria in dubium vocat, nimirum Beckmannus magnum Eccleſiae Chriſtianae fulcrum erit. Quod ſi ab atheiſmo parum abſunt, qui quamuis religionem eiusdem valoris eſſe, ac pretii putant, tum vero certi homines meritiſſimo hic accuſantur, quippe queis nemo propendenti in ſyncretiſmum ſeculo maius ſcandalum, & plauſibiliorem praetextum affert. Scilicet infirmi illi & in religione noſtra non omnino inconcuſſi, ſi vident, quantis ſtrophis ac cauillationibus vnus alterue theologus viro optimo, & qui eiusdem cum ipſo religionis eſt, craſſiſſimos errores impactum eat, quantaque pertinacia, de iniuria euidentiſſime conuictus, malitiae ſuae progreſſum iuuet, quid fieri hi dicent de illis, qui extra eccleſiam noſtram ſunt? Num quisquam ipſis perſuadere poterit, talem theologum in aduerſariorum ſcriptis bona fide verſari, qui in Lutheranum palam iniurius eſt? Sane ſunt non pauci, qui hac ipſa quorundam pertinacia moti, quidquid vulgo de ſententiis aduerſariorum Theologi memorant, in dubium vocant; quod nunquam horum ſimiles defuerint, quaedam etiam dogmata adeo delira videantur, vt impoſſibile ſit, eadem a quoquam defenſa fuiſſe. Quale monſtrum hodie reuera eſt *Indifferentiſmus moralis*, ingenioſiſſimum illud figmentum calumniatorum, quem demiror, ſi Logici inter entia rationis deinceps non referent, quae nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Nam aeque contrarium ſibi ipſi ſenſum habet, *Indifferentiſmus moralis*, atque ſi dicas, homo irrationalis, vel aſinus alatus. Quippe morale eſt bonum vel malum, id eſt, lege praeceptum vel vetitum eſſe. Iam qui cohaereat, vt quod indifferens, id eſt, neque bonum neque malum eſt, ſit ſimul morale, id eſt, vel bonum vel malum? Et

Digitized by Google

peſſime profecto de ingeniis hominum ſentit, quisquis etiam ſit, ſi credit, vlli mortalium perſuaderi poſſe, viro tam erudito, rem vſque adeo & palam abſurdam ſomniare in mentem veniſſe. Quin iam ita clare oſtendit Puſendorfius, ſe nihil aliud dixiſſe, quam motum phyſicum, materiale actionis humanae, ad quod Deus, tanquam conſeruator Naturae, concurrit, eſſe actum in ſe indifferentem, vt nemini dubium ſupereſſe poſſit. Nam quod Beckmannus ait: *Quaerere lubet, ſalua venia, domine vulpes, in quo foro iam verſaris, num in ciuili vel phyſico?* aſini vox eſt, neſcio ex quo Aeſopi apologo deſumta. Quaſi qui monet, quod phyſicum in actione humana eſt, eſſe rem indifferentem, materiam moralem tractare non poſſet. Par priori mendacium eſt, Puſendorfium *religionem pro freno tantum populi & fructuoſo politicorum figmento habere.* Quam abſurdiſſimam calumniam toties a Beckmanno eructari poſſe, eo minus miramur, quod ipſe eodem loco indiſtincte in omnes principes iniurius eſt, dum ita docere Puſendorfium in *gratiam principum* ait; quos vtique tali impietate delectari oportet. Vsque adeo nebuloni nihil frontis ac pudoris reſtat. Niſi forte alia ratione orbi literato ſuam in Politicis peritiam oſtendere nequibat, & quantum in lectione *Machiauelli* aut *Platonis* profeciſſet. Quemadmodum in nupero libello famoſo, vt Hiſtoricum ſe probaret, *Caligulam* inter Chriſtianorum perſecutores retulit. Quanquam id nomen ea potius occaſione Beckmanno excidiſſe videtur, quod tum forte fortuna laceras ſuas caligas conſuebat, irata Iunone ſua, quam illo tempore exul prae miſeria compreſſu lenire, vel vt Beckmanniana phraſi vtar, *phyſice examinare* non poterat. *Schwartzium* interim initio iſtarum turbarum tragico Oreſte dementiorem fuiſſe, ſatis confirmatur per id, quod Beckmannus de illius diſputatione inaugurali nobis pandit. Sed illud omnino falſum, quod ait; Puſendorfius *in illo actu perſonatum ſe ſiſtitit.* Ita enim loquitur Idiota, cui ne prima quidem literarum elementa inſunt. De *Monzambano* nihil hic addimus, qui multum ſupra Beckmanni captum eſt. *Hobbeſii* autem principia Puſendorfium probare, qui hactenus collatis ſignis cum eodem bellum gerit? Verba *Maeuii* veriſſima ſunt, quibus Puſendorfius nihil contrarium docet. Sed nimirum illa huc tranſcribenda erant, vt vel inde colligeremus, Beckmannum & Indicis Nouitatum, & alterius libelli famoſi auctorem eſſe; quippe quae illic etiam non ſine legentium riſu recitat, *Concionibus ſacris* Puſendorfius reuera nunquam *ſub ſpecie Chriſtiani* intereſt; ſat frequenter autem vt verum Chriſtianum decet. Illud quoque gloſſema peringenioſum eſt: *Quis me prohibebit*, inquit Puſendorfius: *tantiſper in alio templo concionem audire?* Addit Aſinus: *per ens ſcilicet rationis. Domino M. Erneſto* ita deinceps noſter Beckmannus: *Alter ſacerdos, qui eſt M. Iohannes Erneſtus aeque vehemens erat in atheiſmo publice e ſuggeſtu reprehendendo; ſed eum perſtringere non audet, ne ſic ipſe ex communi ſacerdotum accuſatione innuat ac prodat atheiſmum ſuum.* Ergo qui atheiſmum publice perſtringere audent, ex communi ſacerdotum accuſatione innuunt ac produnt atheiſmum ſuum. Et ſic cordatiſſimi e noſtratibus Theologi Spizelius & Weberus atheum non mediocriter redolent. *Sacerdotes*, non omnes quidem, ſed tamen *non paucos togis ſuis incredibilem tegere nequitiam* etiam Lutherus confirmat.

confirmat. Qui & illud praeterea addit, ſibi videri ex nullo hominum genere plures in tartara detruſum iri, quem ex ſacerdotibus. Quibus magnopere *exoſos fieri* qui illorum vitia taxant, citra flumen illud eloquentiae Beckmannianae facile credimus. *Polygamia* nuſpiam a Pufendorfio defenſa eſt. Obſcoena autem illa cognomina neminem niſi Beckmannum auctorem habere poſſunt; quem illud, opinor, ad viuum pungit, quod virtutes *Aſinii Tenebrionis & Alaſtoris* vocabulo tam plene tamque concinne notatas videt. Quibus appellationibus non amplius cohoneſtabitur, quam primum reperta nobis vocabula erunt, quae ſignificantius nebulonem omni modo deterrimum iuxta & ſtolidiſſimum exprimant. Sed *Scherzerum* quidem Pufendorfius haud quicquam *Dictatorem Lipſienſem* facit: quin potius negat, eum Lipſiae vſque adeo Dictatorem agere, vt caeteri in ipſius gratiam proſtituere ſe velint. Quo alio etiam, quam *Pontificis* nomine veniat ſacerdos, qui, vt Vigil Garlebienſis, vniuerſae Eccleſiae curam ſibi vindicat, & tam curioſe, quid in aliena republica geratur, exquirit; adſcito inter purpuratos ſuos Aſinio Tenebrione, Sedis Garlaeae per Germaniam legato a latere. *Velthemius* interim omnino Beckmanni ſectarius eſt. Et ſane ni inter genios illuſtris huius nonnihil arcanae cognationis intercedit, in amborum tamen geneſi mire ſidera conſenſiſſe oportet, vt Velthemius Beckmanni cauſa malum ſibi accerſat. Neque enim prior laceſſitus a Pufendorfio eſt: qui adeo ſtridore non delectatur, vt crabrones citius irritet, quam cicadam, quod Graeci dicunt, ala corripiat: Caeterum dum *maculam* eſſe fatetur Beckmannus, ſi quem eius ſectatorem dicas, nimirum nebulonem ſe agnoſcit, qui ſectatoribus ſuis ad nequitiam praeeat. Nam alioquin viri boni ſectatorem vocari, macula non eſt. Attexit quoque Beckmannus par hiſtoriarum, quae ſimiles ſunt illi, quam in poſteriori libello famoſo magna legentium miſeratione referebat, de pugna duorum Studioſorum prope Erfurtum, & reuera, vt ipſe loquitur, *omnem humanam rationem ſuperantes*. Vbi miramur, nebulonem non animaduertere, dum omnium, quae nominari poſſunt, criminum Pufendorfium inſimulat, & ſingula fabulis plusquam anilibus probatum it, ſe mendaciis ſuis, quod alioquin habere poterant, pondus detrahere, vt nihil omnino haereat. Et eadem impudentia dicere licebat Beckmanno, Pufendorfium patrem aut matrem occidiſſe. Quam illud vero praeter decorum, quod rei tam atrocis cauſas nullas, aut nullam prorſus ſpeciem habentes affert. Equidem de *Caſſelio* illo nemo mortalium vnquam verbum audiuit. Sed quantum ad periculum *ancillae*, absque dubio ita ſecum cogitauit Beckmannus: Si ego ab vxore mea propter acum amiſſam vapulo, non abſurdum erit mentiri, Pufendorfium *ancillam ſuam ob fractam in culina ollam cultro occidere voluiſſe*. Fabula non paulo lepidior, quam Aulularia Plautina. De *Apologia* Pufendorfii ſane credimus, ſi qui ſycophantae eandem *cum mentis ſtupore & conſcientiae laeſione perlegerunt*, quemadmodum Beckmannus, eos non nimium gauiſos fuiſſe. Prudenter tamen illi, *qui emptam Vulcano obtulerunt, ne in liberorum manus incideret;* eoque nepotes auorum ſuorum ſtultitiam ridere poſſent. Etſi quod illic nigri ſalis adſperſum eſt, ad ſolum Beckmannum eiusque praecentorem Schwartzium & clientem Geſenium pertinet. Nam tunc quidem *magna*

Digitized by Google

illa & excellentia ingenia nondum obſeruationes ſuas in vulgus ſparſerant. Frigidae adhortationes Beckmanni Sacram Regiam Maieſtatem Daniae non facile permotam dabunt, vt ciuem ſuum propter amicitiam cum Pufendorfio velut perduellem tractet; in quam iniurius eſt nebulo, dum eandem Reges Principesque conuiciis infectanti ſibi vllo modo auxilio futuram credit. Adſimilat ſe ad extremum *generoſae aquilae* Beckmannus; quam non quidem bicipitem; ſed longipedem ſectatores Aſinii Tenebrionis breui inter inſignia ſua recipient; & denique tragoediae cataſtrophen imponit, lepidam profecto, & qualem omnino a Beckmanno confingi decebat. Vbi dum facetiis laſciuire coepit, nondum fortaſſe vini poculum hauſerat: adeo frigent illi ioci, quos ipſe tamen ſine dubio ſalſiſſimos, & mire praeterea acutos credit. Sed nimirum, ſi literam amplius a Beckmanno videbimus, eius ſane martyrium aeri inſculpetur, quantumcunque ſumptuum impendere oporteat. Hoc minus autem artificis manus aberrabit, quod Beckmannus ſuam ipſe imaginem orbi exhibuit & facile cogitari poteſt, quis ſit ſtatus. gladium tenere hunc aſinum tantum. Repraeſentabitur enim congreſſus cum laniſta & ſacrificium Beckmanni, vbi nigram illam victimam absque ſale & thure maſculo Diis inferis per carnificem obtulit. De Pufendorfio interim non eſt periculum, ne Beckmannus ab eodem aliquod reſponſum ferat; cui non vacat, hominis periuri atque inteſtabilis abſurdae fatuitatis mendacia diſcutere. Sed illi amici Pufendorfii per *Germaniam*, quod toties *ſcabioſos* vocat morticinus. cui anima foetet, ita Beckmanno caput ſcabent, vt non facile ſimilem tractationem amplius deſideraturus ſit. Et quia carminibus tantopere delectatur Beckmannus, ſcito. eſſe in Germania iuuenem feſtiuiſſimi ingenii, quem non pigebit, cothurnum ſibi aptare. vt verſu Heroico ſtultitiam & praelia Beckmanni canat; exemplo Homeri, cui mures etiam ac ranae hoc genere carminis celebratae ſunt. En initium illius nouae Iliados:

Arma virumque cano, Suecis qui pauper ab oris,
Carnificem fugiens, & iuſtam Regis ob iram
Teutoniam venit; multum vexatus in aula
Virginibus, quandoque iocos vxore iuuante.
Muſa mihi cauſas memora, quo turbine mentis,
Quidque dolens Garlaea caprum iam mulgeat, aut quid
Illius ad cantum iuuenem clamare cicadam
Impulerit. Tantosne fouet Germanica ſtultos?

VTQVE vxor etiam Beckmanni maritum ſuum recitatione carminum de veſania monere poſſit, qua ſuper alioquin in Senatulo frequentiſſime quaeritur, alius iterum verſibus Teutonicis ſtultitiae Beckmannianae encomium ludet: adiectis ſub finem & literis reuerſalibus telonae datis, & comminatione illa Beckmanni, ſe *Pufendorfium mediate & immediate aggreſſurum, etiam cum diſpendio ſalutis aeternae*, prout in Protocollo Conſiſtorii legitur; de qua nunc quidem mendax confiteri non vult. Simul & ex archiuo Academiae deſcribi curabimus, quae olim inter ipſum & Venerabilem Virum *Dominum D. Bernbardum*

barduꝫ Oelreich, *Superintendentem Bremenſem*, tum Academiae Carolinae Procancellarium geſta ſunt: cui itidem, orta ex leuiſſimis cauſis rixa furti crimen obiiciebat nebulo; ne quis Beckmannum hac ſaltem in controuerſia furere putet. Quae omnia ex actis & documentis publicis deſumpta, & quorum ſingula iureiurando bonorum virorum, ſi opus ſit, confirmari poſſunt, plus vtique fidei inuenient, quam vniuerſus mendaciorum apparatus Beckmanni, quem retuliſſe eſt refutaſſe. De caetero vtut nullum pro malitia ſua *praemium* expectet Beckmannus, ſed *gratis* etiam furere velit, quam primum tamen per hos bellorum tumultus licebit, inueniet profecto viam aliquam & modum Sacra Regia Maieſtas Sueciae, grauioribus iam curis diſtracta, animaduertendi in nebulonem e carcere profugum, qui pro inſigni clementia gratiaque tam foedis in Eandem conuiciis ludit. Saltem Regia Maieſtas Galliae, atrociſſime & ipſa attacta, non facile a ſua Eminentia Cardinali Badenſi repulſam feret; cuius non minus quam aliorum per Europam Principum intereſt, mutuo Beckmannos non foueri, qui ſcriptis publicis omni ludibriorum genere refertis in Regum Principumque capita deſaeuiant. Qui idem Rex Chriſtianiſſimus a Sacra Regia Maieſtate Sueciae de Beckmanni ſceleribus certior, Academiae illi, abs qua Beckmanno Doctoris titulus collatus eſt, non fruſtra mandabit, vt ademto Doctoris elogio Beckmannum publico programmate infamem renuncient; & nomen ipſius carnifex Aurelianenſis frequenti hominum concurſu ſolenniſſime in patibulum efferat. Sed iam horas aliquot perdidimus in nugis Beckmanni, quae id tamen peculiare habent, quod aequalem ad fletum & ad riſum efficaciam obtineant. Qui ſi deliramentis ſuis denuo in publicum prouolabit, quanquam nihil frontis ac pudoris homini ſupereſt, acuemus tamen ſtylum, quaeque hic tacuimus humanitate quadam, & quia ſcelus omnino ad ſuſpendium adigere religio erat, non vna ſcriptione deinceps effabimur, quouſque publica Nemeſis de cadauere hoc ſupplicium ſumet.

Tv interim, Optime Pvfendorfi, vt aliarum vellicationum & huius potiſſimum iniuriae ſenſum fallas, animi tui magnitudine efficitur. Quae vel ideo concidere nequit, quod ingens Tibi ſolatium recte factorum memoria praeſtat, & eodem fato vſos eſſe noſti, quos itidem de ſtudiis in lucem adferendis cogitatio exercuit. Noſter vero hic dolor, quod cum ſeculum plura tibi & maiora debere poſſet, viles animae & ſordida quaedam ingenia meditationes tuas morantur; quae aliqua ſui parte literis proditae pridem nos in admirationem rariſſimae eruditionis tuae rapiunt. E quibus, quicquid maleuolorum ignauiam vrit, manſurum eſt in animis hominum, & virtus tua inuidiam ſupergreſſa olim inter exempla erit; vt quae decus & perennem ex ſeipſa gloriam habet.

* *

IOHANNIS ROLLETI,
PALATINI,
SCARENSCHMIDVS
VAPVLANS.

IN

MONSTRVM LIBELLI
CAROLI SCARSCHMIDI,
IVRIVM STVDIOSI VETERANI,

EPIGRAMMA.

IVPPITER *indomitos vt vidit quaerere prolem*
Centauros, homines, horreo, quadrupedes.
Reſtitit, & nutu totum tremefecit Olympum,
Diuiſosque mares fulmine membra dedit.
Iuno vicem miſerata rogat, num perdere vellet,
Quae ſe cunque ſuo ſanguine multiplicent?
Ille negat, pariterque Deae, poſtquam ira quieuit,
Infuſus gremio talia dicta refert:
Nulla mihi terram monſtris opplere libido eſt,
Nulla giganteo ſcommata ab ore pati.
Nec ego ſemihominem Cacum generaſſe probabam,
Cuius erat monſtri Mulciber ipſe pater.
Qui quoties Siculos iubet efformare cyclopes,
Aut maiora Ioui tela triſulca facit;
Monſtra etiam quoties iterato effingere tentat,
Fruſtra equidem Superis ſic placuiſſe cupit.
Nam ſi terrigenas monſtris terrere neceſſe eſt,
Aut ſi Coelicolae cernere monſtra velint:
Luridus effoſſo iam pridem lumine cyclops
Sat mihi Scarſchmidus cudere monſtra poteſt.

H. a M.

EQVES LIVONVS.

IOHAN-

* *

IOHANNIS ROLLETI
SCARENSCHMIDVS
VAPVLANS.

Qvoties ingenia noſtri temporis cum veterum torpore, & diffuſa olim per Europam barbarie comparamus, illud ſe nobis offert admiratione digniſſimum, quod qui poſt reductam bonarum literarum lucem in antiquam barbariem relabuntur, multo, quam illi ſimplicius, & maiori fere cum ſtultitia ineptiant. Nam vti ſuperioribus ſeculis cultus politiorum literarum tantum non penitus ignorabatur, ita ab illis, qui ſua ſibi barbarie placebant, ea tum perſuaſio aberat, qua horum temporum nugatores cum maxime impelli arbitramur, vt nobis laſciuorum aſinorum coram orbe literato ſpectaculum exhibeant. Quibus merita, eruditio, dignitas, adeo non attenduntur, vt vel imprimis calcibus petere, & morſibus proſcindere inſtituant, quorum virtutes ſeculo in exemplum patent; praeſertim quando ipſi alia ratione inclareſcere non poſſunt, & facinora ſua, foeda licet, a quibuſdam vtroque pollice laudari ſciunt. Et tale animal iam (ne longe abeamus) in Academia Lipſienſi publicis opinor ſumptibus alitur, non tam vt peregrinantibus inter alia eius vrbis cimelia & admiranda oſtendatur, quam vt prodigioſae cuiusdam ſtultitiae ſemina ſpargat, ne forte iuuentus vltra Magiſtrorum aliquot dictata quid ſapere incipiat. De *Scarenſchmido* nobis ſermo eſt, nouo illo ſidere inter cyclopes & fabros ſandapilarum. Qui ſtolidiſſimus aſinus diducto in immenſum rictu primum tamen rudere duntaxat coepit aduerſus Virum incomparabilem, Patronum noſtrum: poſtquam autem leuiter id propter vapulaſſet, nuper omnino dentibus ſibi agendum ratus eſt, edita miſerabili *Defenſione Diſquiſitionis* ſuae, in qua ne belluini quidem ſenſus veſtigium conſpicitur. Nunquam adeo foedis, adeoque pudendis vtimur exemplis, vt non peiora ſuperſint. Sane Ipſi Beckmanno ſtoliditatis palmam ambiguam fecit, quem tamen omnium, qui vnquam extitere, ſycophantarum impudentiam ſupergreſſum fuiſſe, non citra cauſam credebamus. Cuius veſaniam quemadmodum nuper caſtigauimus, ita nunc huius quoque deliria excutere animus eſt: vt ſtultiſſimo adoleſcenti vanam ſcientiae perſuaſionem de pulmonibus depellamus, ſimulque oſtenſum demus, quale portentum hoc cyclope Germania foueat. Quamquam vt Scarenſchmidus meliorem deinceps mentem ſumat, ſperare non licet, quod pridem ipſi nihil mentis aut animi fuiſſe conſtat, & belluas in homines transformare ne Dii quidem videntur poſſe; ſaltem talis metamorphoſeos exemplum in perpetuo Ouidii carmine non legitur. Sufficiet interim nobis effeciſſe, vt Vir Illuſtris Samvel Pv-

FENDOR-

FENDORFIVS, quantumcunque id dedecus naturae Scarenſchmidus inſaniat, ſtudiis ſuis libere vacare queat, neque in nugis conuellendis bonas horas perdere cogatur, erudito qui orbi alia ratione prodeſſe cupit. Praeſertim cum & Regia Maieſtas Sueciae Viri cogitationes ab his controuerſiis auocaſſe videatur. Quae non ita pridem, morte abrepto Loccenio, Conſiliarii Ipſum & Hiſtoriographi ſui munere dignata eſt. Quam operam aggreſſuri magnam inde ſpem concipimus, non omnino fruſtra fore conatus noſtros, quod plerique Lipſienſium, & cordatiores quidem omnes, iam antea Scarenſchmido primum inter ſtultos locum attribuunt; vt qui exemplo Phanaticorum hominum tota die lectulo adfixus neſcio quas inſpirationes captet, & poſtquam recitatione triſtium nugarum non ſine ſcreatu vniuerſo orbi per horulam leges dictauerit, affectato greſſu Hiſpanico ad caenaculum moueat. Sicut & illud de ferocula hoc referri ſolet, cum Generoſiſſimi Baronis, cui praefectus fuerat, ſtudia moderari non potuiſſet, eoque Witteberga Lipſiam, comitante gloria rei bene geſtae, reuerteret, praelectione Inſtitutionum Iuris victum quaeſiturus, Ipſum illico commenſalibus ſuis de προεδρίας iure litem mouiſſe; imo clariſſimum hoſpitem ſuum, in hanc conditionem adigere voluiſſe, ne quem priorem prae ſe locum occupare pateretur. Vt actum pene agere videri poſſimus, quod vanitatem adoleſcentis depingere animum induxerimus, quem illi ipſi, quorum gratia potiſſimum id fieri par eſt, pridem in Caeritum tabulas retulerunt.

CAETERVM priusquam ad caſtigandam cyclopis noſtri ſtultitiam accingamur, operae pretium fuerit theſin praemiſiſſe, quam Scarenſchmidus inſiceta ſua diſſertatione impugnandam ſibi ſumpſit, vt Lectores, quid reuera in controuerſia ſit, eo liquidius perſpicere queant. Praeſupponimus igitur, & ex ſe ipſo ſatis manifeſtum arbitramur eſſe, ſi quidem in ciuitate ſummum Imperium ita reperiatur vnitum, vt illud indiuiſum & inconuulſum ab vna voluntate (hominis aut concilii) per omnes ciuitatis partes, atque negotia ſe diſpenſet, rempublicam emergere, cui ad formalem ſuam perfectionem nihil deſit. Qualem Rempublicam regularem vocare placuit, non modo, quia id vocabuli alioquin perfectioribus applicari ſueuit, ſed & quia tales potiſſimum Reſpublicas Ariſtoteles nobis deſcripſit, praecipuus ſane inter eos, quorum circa Doctrinam Ciuilem, Architectonicam puta, & quae indolem rerumpublicarum in genere contemplatur, tradita ex antiquitate nobis ſuperant. Receptum enim eſt, vt, quae cum artificum Regulis & delineationibus conueniunt, aut iuxta communiorem, notumque iam modulum efformantur, Regularia audiant: ſicut contra irregulare nuncupatur, in genere, quicquid praeter ſolitum fit, aut contingit; imprimis vero quod artificum ideas, & deſignatas ſemel ab iiſdem limites egreditur. Sic irregulare vocamus, verbi gratia, ſi aliquando ſolita nobis hora non prandemus; ſi tabellarius iuſto tardius, citiusue adueniat; ſi actus non legitimus die nefaſto expediatur; & ita in caeteris. Sic irregulare pronunciabit Vulcanus, quod cum reliqui Cyclopes praecipue matutino tempore tenaci forcipe maſſam verſent, Scarenſchmidus non niſi multa die, & quinta cum linea tangitur umbra mollibus e ſtratis opera ad fabrilia ſurgat. Et cui ignotae

ignotae ſunt munitiones irregulares, quibus ſane praeſtantiſſimas per Europam Mathematici annumerant. Caeterum quemadmodum fieri poteſt, vt quod irregulare eſt, idem quoque vitioſum ſit; nempe ſi per ſtructuram, aut inſolitam diſpoſitionem partium res finem, cui deſtinatur, omnino aſſequi nequeat: ita irregularitas ſemper, ac per ſe vitium aut labem non infert: cum naturalium quidem rerum formae neceſſario bonae ſint, quae vero hominibus irregularia producuntur, etſi reſpectu habitudinis ad eundem finem magnopere inter ſe varient, communem tamen illum finem pari ſaepe felicitate conſequantur. Aliunde enim, quod per formam fieri nequibat, penſari poteſt. Eoque irregulare & vitioſum nequaquam nobis Synonyma ſunt, multo minus id vocabuli inter conuitia referimus, qualia dicacitati Scarenſchmidianae, vel potius laboranti eiusdem ex furore animo affectantur. Quanquam diſceptatione de formarum praeſtantia exorta, ſi caetera omnia ſint paria, ſecundum regulares formas litem dari oportere indubium eſt. Quibus praeſuppoſitis in procliui fuerit concepiſſe Rempublicam irregularem; quae ſcilicet vnione illa, ad robur & eſſentiam ciuitatis regulariter neceſſaria deficitur; idque non per modum morbi in adminiſtratione Reipublicae haerentis, ſed vt publica lege vel conſuetudine ea facies tanquam legitima ſit recepta. Quale Corpus Germaniam conſtituere noſtro quidem iudicio ſolidiſſime oſtenſum dedit *Seuerinus de Monzambano;* cuius admirandae eruditionis libellum hactenus impugnandum ſumpſere non viri docti, & quorum lucubrationibus apud exteros etiam aliquod pretium ponitur, ſed illa ſeculi incommoda Publiciſtae, quos nobis rabularum per Imperium examina pariunt. Et ſane ne nunc illa heic argumenta repetamus, quibus ipſe rem ita euicit, ita expoſuit, vt nemini cordato dubium ſupereſſe poſſit, vel ſola Principum Germaniae libertas, qua hoc etiam bello quidam ex ipſis non timide vſi ſunt, oſtendere poterat, vtrarum in cenſu eadem Reſpublica ſit reponenda. Neque enim ſi regularis Reſpublica eſt, (in qua omnia ab vna voluntate gubernari regique iam diximus) fieri poteſt, vt dum alii bellum ad ſe pertinere contendunt, reliqua eiusdem reipublicae membra operam & auxilium ſuum ipſi etiam reipublicae capiti iure denegent. Sicut illa ſententia non rationibus modo, ſed & ipſo rerum actu omnibus, qui extra partes remoti ſunt, iam pridem probetur. Licebat tamen Scarſchmido quantiscunque clamoribus eandem inceſſere, & illo ſtupore, illaque mentis coecitate aeternum laborare, modo Puſendorfium tam proterue non vellicaſſet. Cui quo minus criminationes Scarenſchmidi a ſe amoliretur, nullo Iure, nulloque priuilegio prohibebatur, per quod cyclopi noſtro viris eruditis, & quorum in publicum merita extant, impune, tanta cum acerbitate inſultare licet. Praeſertim cum quae in Seuerino Puſendorfius exercitii cauſa, & potius vt Rempublicam irregularem in genere delinearet, quam vt tradita Monzambani ſuper Imperii Germanici forma defenderet, aſſeruit, adeo non obſcura, aut tenebris inuoluta ſint, vt & ipſe Scarenſchmidus in lepida illa *Diſſertatione de Republica monſtroſa* fateri cogatur, Imperium Germanicum recte dici poſſe *irregularem Monarchiam.* Quod ſi Imperium, fatente Scarenſchmido, irregularis Monarchia eſt, ſine dubio, idem quoque Reſpublica irregularis erit. Niſi forte non

amplius inferre licet: ſi Lipſiae reperiuntur Doctorandi, neceſſe eſt, ibidem reperiri homines. Sed nimirum ne hac conſequentia admiſſa nihil amplius controuerſiae ſupereſſet, vel potius vt noſter Cyclops monſtroſae ſuae Dialecticae emblema aliquod promulgaret, eam illationem ita limitari vult: Irregularis Monarchia eſt; Ergo & irregularis Reſpublica ſcilicet *ſub concepta ſpecie Monarchiae*. Quod perinde eſt, ac ſi dicerem, Scarenſchmidus homo eſt; ergo & animal ſub concepta ſpecie hominis. Ne forte quis putet, ipſum animal eſſe ſub concepta ſpecie aſini aut bouis. Qualem cogitationem non poſſe non eruditorum animis obuerſari, facile agnoſcet, qui monſtra illa Scarenſchmidiana, quae ipſe tamen non citra grauiſſimos dolores, & poſtquam totis decem annis vterum geſſerat, enixus eſt, eminus duntaxat conſpexerit. Imo contra ſi datur monarchia irregularis, & Ariſtocratia irregularis, & Democratia irregularis, nemo mortalium tam ſtupidus erit, quin agnoſcat, etiam dari Rempublicam irregularem. Id quod probaſſe Puſendorfio ſatis eſt; quippe qui non tam formam Imperii Germanici definire, quam Reipublicae irregularis naturam in vniuerſum ſcrutari conſtituerat.

Excvtiamvs iam paulo preſſius, quae pro defendenda ſtoliditate ſua Noſter affert; vt adpareat, quanta hellebori caritas inſtet, ſi Scarenſchmidus laboranti e ſtultitia capiti medicinam facere incipiat. Ac proloquium quidem, quod ea prorſus Maieſtate orditur, qua Paraſitus Gnatho apud Comicum elementa artis ſuae tradit, nihil ad Puſendorfium. Neque enim quod Idiotae, qui adſcito Polyhiſtoris vocabulo ſuperbiunt, quandoque extra oleas vagantur, ideo aut Imperium irregularis Reſpublica non eſt, aut Scarenſchmidus deinceps primum inter Politicos locum ſortietur. Quanquam alioquin ipſum columnam eſſe non diffitemur *gigantei ſui orbis literati*, in quo, praedominante paulatim tyrannide ſacerdotum, Affectare ferunt regnum coeleſte Sophiſtas, Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera pontes, quos vocant, aſinorum, aut tabellas Metaphyſicas, vt quae craticulis & harpagonibus ſuis ſcalae cuiusdam Iacobaeae vicem commodiſſime ſubire poſſunt. Neque quod non omnes eruditi Sacroſanctum Corpus Iuris pari reuerentia aeſtimarunt, aut quod *Angelus Politianus* (quem liquet mihi deierare, ne inſpectum quidem eſſe Scarenſchmido,) quid reuera olim fuerit *ſuus haeres* ignorare ſe faſſus eſt, ideo Imperatoribus leges fundamentales, quaeque peculiariter a ſingulis in Capitulatione, quam vocant, promiſſa ſunt, negligere licuit; per quae ſtatus Germaniae multum ſupra conditionem ſubdictorum, proprie dictorum, conſtitui, coecus ſit, qui non videat. Quibus tamen cum adhuc aliquid ad ſummum Imperium deſit, neque obligatio, qua Caeſari, tanquam capiti obſtringuntur, ex foedere aliquo expreſſo originem trahat; etſi illa non plus fere virium habet, quam vinculum pacti inter foederatos inaequales: idpropter Imperium recte dici Rempublicam irregularem arbitramur, quicquid de *Polyhiſtore* Scarenſchmido, aut *antiquo Patrum Romanorum vrinario* fiat; e quo delibato chriſmate in vicem opobalſami principio ſtatim lectorum ſuorum nares vngit ſcurra. Neque vero ideo Germania *campus* vocari non poteſt, *cui quiſque Scholaſticus papiliones cerebri*

ſui

ſui immittat; quae Grobſchmidii noſtri ſententia eſt. Nam & in ciuitatibus, quae regularem formam manifeſte prae ſe ferunt, non minus quam in irregularibus Rebuſpublicis ſaepe omnia ſtultorum plena ſunt; & ipſi nos, implicata his bellis Germania chimaeras, ac neſcio quos cerebri papiliones, (velut animas Platonicorum per inane volitantes,) magno numero, in Imperio vagari & errare conſpeximus, agmen ducente progenie Scarenſchmidiana, terribili illa, & qua conſpecta Turcas de Hungaria abdicanda conſilia captaſſe dicunt, *Mars Germaniae perpetuus.* Quorum infinitam multitudinem denſam in aethere nubem referre, quae Germaniae lucem ſuam non minima ex parte eripiat, iam pridem apud cordatos in confeſſo eſt. Sic quod ad abſtruſiſſimam illam quaeſtionem de *Auſtregis* non nemo auditorum Scarenſchmidi *barbam & naſum inſtar galli gallinacei demiſerit, putaueritque* praeceptorem ſuum *loqui de oſtreis;* quod inſtante merenda, circa quam Scarenſchmidus fere e plumis proſpicere, ſenſimque ad profitendum accingi ſolet, animum in patinis haberet; & alioquin Oſtrea calleret primo deprendere morſu; id quidem arguit, mirae ſimplicitatis adoleſcentes eſſe, qui Scarenſchmido ſe in diſciplinam tradunt. Sed num Auſtregae eam in Status poteſtatem Caeſari largiuntur, quae alibi locorum Regi in ſubditos adeſt? Aut num Principum libertati per id derogatur, quod ipſi inter ſe controuerſias ſuas componere poſſunt? Num denique nexus ille feudalis, quo Status Caeſari & Imperio obſtringuntur, ideo plus virium habet, quam vinculum pacti inter foederatos inaequales? Atqui contra, ſi maxime Caeſar citra diſcrimen cauſarum vbique primus ac neceſſarius Imperio Iudex eſſet, cui per ipſas tamen Auſtregas poteſtas iudiciaria ita illimitate non competit, id ſolum quidem regularem Rempublicam hautquidquam argueret. Neque enim, vt Grobſchmido perſuaſum eſt, qui neceſſario hunc, & non alium controuerſiarum ſuarum Iudicem habent, cui tamen, reliquas Maieſtatis partes in eosdem exercere non liceat, illico in ſubditorum proprie dictorum claſſem compingentur, aut ea infallibilis *nota eſt diſcernendi Imperii a ſociali ſyſtemate.* Cum etiam inter foederatos, praeſertim inaequales, neceſſarium Iudicem vi pactorum conuentorum dari nihil repugnet, & eius rei hodie adhuc exempla extent. Sane Groeningae, exorta non ita pridem cum Omlandis controuerſia, Delegati reliquarum Prouinciarum Belgicarum neceſſario iudices erant, neque coram arbitris ea cauſa diſceptari poterat, ad quos tamen eandem deferri altera pars magnopere videbatur velle. Sic vt comparatione cum Prouinciis Foederati Belgii facta, quibus ſingulis Maieſtas propterea non deeſt, hactenus Statuum Germaniae libertas, quam illarum, fere maior ſit habenda: vtcunque vulgus Belgii libertatem ſuam non ſine contemptu Germaniae iactet. Denique nec *Camera Spirenſis*, nec *Iudicium Aulicum* impediunt, quo minus Ordines Germaniae poteſtate ac Iuribus ſuis frui queant; quae cum conditione ſubditorum proprie dictorum conſiſtere poſſe, nemo temere affirmauerit, qui genuinae politicae modicam duntaxat notitiam habet. Nam multum falleris, Grobſchmidi, qui putas, diiudicandae Imperii formae ſatis eſſe, *Ius ciuile, Feudorum Conſuetudines, Sanctionem Carolinam, & Receſſus Imperii noſſe;* ſed ad regulas diſciplinarum Vniuerſalium ſententias ſuas

exigere debent, qui de forma Reipublicae iudicium ferre inſtituunt. Et vel hoc nomine paulo magis reuerentem aduerſus *Magiſtros* eſſe, quos ſubinde vellicas, & coram quibus Lipſiae nudato capite, ſi quid controuerſiae tibi cum ciuibus ſit, ſententiam audire cogeris, te decuiſſet; vt quorum aliqui te ſtolidiſſimum animal, modo id pridem non recuſaſſes, e beſtia iterum in hominem refingere poterant.

QVAE cum ita ſint, nihil aliud ſupereſſe videbatur, quam vt Scarenſchmido aeternum valediceremus, ni conuicia, ſcommata & ſycophantiae hominis prolixius animaduerti mererentur. Quorum abſurditatem ſi qui mirari incipient, illi cogitare velint, in patria Scarenſchmidi *nares & nates cauillari.* Nam id nobis emblema promulgat miſer, ac vere deplorandus Idiota, cuius agreſtes pariter & ſcurriles ioci, quos adfectat, tantum abeſt, vt cuiquam riſum mouere poſſint, vt potius ex animo lachrymentur, qui agnoſcunt, quam ſeculo infamiam Scarenſchmidus, & reliqua id genus carcinomata impegerint. Neque vero illud hic magnopere attendimus, quod noſter Grobſchmidus velut ſummi acuminis conuicium praemittit; *in nouellis Academiis Cathedrae adhiberi.* Quem enim fugit, in nouellas Academias euocatos hactenus non fuiſſe Magiſtros noſtros, quos fama obſcura recondit, aut qui non niſi ſuis Ortwinis Gratiis noti ſunt, ſed clariſſima quaeque ingenia, & primariae eruditionis viros, quorum vel ſola praeſentia celebritatem loco adferre poteſt. Et fruſtra eſt Scarenſchmidus, ſi metuit, ne erecta alicubi noua Academia ipſe cum *cerebri ſui papilionibus* primus cathedrae politicae admoueatur. Etſi plerisque nondum liquet, quid doctrinae aut dexteritati docentis conferat, Academiam, in qua viuit, veterem vel recentem eſſe. Si tamen antiquitas Scholarum omnino ad augendam eruditionem facit, tum quidem ſuaſerim *Valentino Velthemio,* vt cum diſſertationes, quas euomit, & Epiſtolae obſcurorum virorum alioquin magnam inter ſe conuenientiam habeant, hauriendae velut ex ipſo fonte toti barbariei; ſimulque ne tantum temporis ſophiſticationibus vtcunque addiſcendi impartiat, Coloniam quantocyus proficiſcatur, & collectum ibi in operibus Doctoris Angelici, & MSCtis Ortwini Gratii plane ſacroſanctum puluerem ſolita humilitate oſculetur. Qua antiquitatis vi admiſſa profecto non mediocriter ſapuit Scarenſchmidus, qui relicta Academia Salana in Lipſienſem ſeſe contulerit, quae & illa antiquior eſt, & in qua olim vixit *M. Irus Perlirus,* cuius ſtultitiam ipſe haud dubie iam imitatur. Nam Ienae quidem bonus noſter Grobſchmidus ſexennio, quo ibi dormiuit, modicum in literis profecerat, quicquid interim de *Diſputatione ſua Inaugurali* & *ſummis in Iure honoribus oblatis* iactat. Quae tamen vna cum caeteris ineptiis & vanitatibus ne quis in malam partem accipiat, prudenter addit: *intentato ictui, quae ſcribo, imputentur;* Quaſi non poſſet non iniuriam a Puſendorfio animaduertere, eoque neceſſum fuerit horribilem & ſacrum hunc libellum in vulgus ſpargi. Aſt mi Scarenſchmidi, ſi vtique tua tibi ignorantia placebas, licebat tibi quantumcunque in conſpectu orbis literati nugari, modo Puſendorfium hoſtem non delegiſſes, virum, ad quem collatus tu nihil es. Qui dum tuas a ſe criminationes amoliebatur, quid aliud ſcribere debebat, quam quod

quod ipſa dabat res. Neque vero aliquid ab ipſo contra te dictum eſt, quo Maieſtas tua laedi potuerit; quin imo infinita propemodum non tui, ſed aliorum cauſa reticuit. Et vide, ego non vereor illud de te ſcribere, qui per *duodecim continuos annos* in Academiis delituit, nec meliores, quam tu, in literis profectus fecit, eum ne porcorum quidem pabulo dignum eſſe. Niſi forte inſulſam dicacitatem ipſe in te admiraris, qua omnes in triuio ſcurras vincis. Equidem ſalibus, iocisque literatis orationem condiri tantum abeſt, vt improbemus, vt contra arbitremur, acrimoniam dictionis in loco adhibitam magnam rebus vim & ἐνέργειαν addere. Sed quale iſtud eſt acetum, quo tu, inſulſiſſime aſine, meritiſſimum & incomparabilem hunc virum perfudiſti? Aut Velthemiana tibi facinora probantur? Qui impuriſſimus homo decerptos e libello famoſo floſculos foetidiſſimos, & quales ne rixanti quidem vetulae exciderent, imo quibus prolatis ipſum Satanam pudere videbatur poſſe, Commentario ſuo ad Grotium plusquam barbaro intexuit. (Part I. pag. 215.) Qui vti nuper ſtultitiae praemium pro parte tulit, ita, ſi nondum acquieſcet, a nobis etiam, vt meritus eſt, deinceps caſtigabitur, compilatis ex operibus Tenebrioniſtarum *Epiſtolis obſcurorum virorum ſeculi XVII.* editoque dramate VELTHEMIVS *Heautontimorumenos*, quod fratri ipſius, chorago hiſtrionum Hamburgenſium, tibiis dextris & ſiniſtris, per theatra Germaniae agendum commendare ſedet. Etſi latibula iam circumſpiciat, ſuisque facinoribus paulatim erubeſcere videatur velle infelix puer, atque impar congreſſus Achilli. Sic quam turpiter te dediſti, Scarenſchmidi, cum tua inſipida detorſione nominis Puſendorfiorum! Quae locum habere non poteſt, quamdiu eruditi cum faece Italiae Conia pro ciconia, aut cum ruſtico Plautino Rhabo pro arrhabo dicere volunt. Et tamen haud dubie eo inuento leporum diſertus & facetiarum tibi videris, cum nemo mortalium inuita Minerua & Muſis collacrymantibus te magis vnquam ſit iocatus, aut frigidiora ineptiis ſuis ſcommata miſcuerit. Sic cur non praeuidebas, cum politiem ſtili tui *Lipſio, Tacito, Plinioque* comparares, riſurum fore, quicquid Lipſiae eſt, cachinnorum, & illud tibi ingeſtum iri: *O Imitatores, ſtultum pecus!* Nam eadem illa Venus, quae in lauelli labris olim ſeſſitauit, tuum Diis adamatum os irrigaſſe videtur, nec meliores, quam Ortwinus Gratius floſculos ſubinde ſpiras. Qualis eſt, dum ſcribis; *te regularum Myſteria non palpaſſe.* Quid enim iſta locutione tibi vis? An Philoſophiam tam arguto axiomate traducis; cui ſuum apud prudentes pretium fuit, priusquam rabulae per Germaniam dominarentur, & tu ferulam, natibus male habitis, reuereri didiciſſes. Credo te exiſtimare, mundum etiamnum eſſe tam ſtupidum, vt ICti vocabulo audito omnem omnino eruditionem animo concipiat, ſimulque, qua poteſt, veneratione proſequatur, qui cum HABERKORNIO *Gorlicenſi* Politicam ſuam ex *Tractatu* OTTONIS TABORIS *de Iure Cereuiſiario* hauſere, & nouos hoc tempore Bartolos Baldosque parturiunt. Olim iſti fuit generi quaeſtus apud ſeculum prius. Nunc qui neglectis politioribus literis, rudes hiſtoriarum, nullaque ſolidae Philoſophiae ſcientia inſtructi, velut noſter Scarenſchmidus, Politicas commentationes enituntur, illi ſane quantocyus Anticyras nauigent, ni eruditis aſini audi-

re malint. Praeſertim ſi pulmonem ventis rumpant, & fatorum ludibrio publice docendi ac nugandi poteſtatem nacti, viros doctos foedis mendaciis, aut ieiunis ſophiſticationibus prouocant. Hos iraſci, ſi digna factis ſuis elogia audiant, quod tu facis, dic, quaeſo, bono fide, an Sapientis putas, Scarenſchmidi? Sane ni gloriatio tua vana eſt, euoluiſti vtique *auctores Romanos*, & quidem pluries, quam nos, qui tuam eruditionem non attingimus miſeri. Ergo & illud meminiſti, quod Phaedrus exemplo cicadae oſtendit. Illa cum neſcio cui aui acerbum ſaepe conuicium faceret, rogata vt taceret, multo validius clamare coepit; & rurſus admota prece accenſa eſt magis; donec leto admota, quod viua negarat, tandem mortua tribuere coacta eſt. Nemini, praeterquam ſibi ipſi, iraſcatur, qui dignum ſceleri praemium aufert; & humanitati qui ſe non accommodat, ſibi habeat, ſi poenas ſuperbiae ſuae det. Reputabis hunc tecum apologum paulisper Scarenſchmidi; quem ſi prius attendiſſes, quam laciniam illam tuam nitidiſſimis Puſendorfii Diſſertationibus aſſuere animum induceres, nimirum non paulo rectius exiſtimationi tuae conſulueras. Facies interim officium Chriſtiani, ſi Velthenium Ienenſem e propinquo admonebis, cum alioquin omen in nomine ſit, velit cauere, ne, continuatis mendaciis & ſycophantiis, idem, quod cicada apud Poëtam in ſe exemplum ſtatui videat. Nam nuper quidem, cum exercitus Aſinii Tenebrionis prope Bambergam luſtraretur, & commentarius ad Grotium vicem tormentorum bellicorum ſubire deberet, hic primam ante aciem digna atque indigna relatu Vociferans, tumidusque nouo praecordia partu, Ibat, & ingentem ſeſe clamore ferebat. Caeterum quod eruditionem tuam ipſe tam ſolicite commendas, in eo more vilium animarum facis; quae poſtquam aliquas diſciplinas vix a limine ſalutarunt, illico doctrinae apicem ſe attigiſſe exiſtimant. Quanquam in vniuerſum ſtultorum eſt, ſibi ipſi buccinatorem fieri & omnem omnino modeſtiam egreditur, quod tu tibi, tuisque nugamentis elogium tribuiſti. *Ridebam*, ais, *primo hominis inſolentiam, eamque contemptu potius transmittere, quam agnoſcere induxeram*. Et quid ni? Si ego tuo loco eſſem, ne quidem cum hominibus loqui vellem, tantum abeſt, vt cuiusquam gratia calamum in manus ſumerem. *Porro igitur*, pergis *retorquenda erunt tela, quae vel barba vel pallio excipere poterit*. Facete. Eat nunc aliquis, & Scarenſchmidum priſcae ſimplicitatis hominem neget, qui hoſti ſuo modos praecauendi ictus telorum ſuppeditat. *Naſo enim obtuſo*, ait noſter Grobſchmidus, *certe imperii forma maxime periclitabitur*. Ergo ſalus Imperii a ſalute Publiciſtarum tam arcte dependet, vt vnius ex illis naſo obtuſo, libertas ordinum, forma Imperii, & praeſens Germaniae conditio vacillare incipiat. Nam tu, & tui ſimiles Publiciſtae columnas Imperii eſſe, multoque quam Puſendorfius rectius vobis ſapere videmini. Quanta Germaniae calamitas inſtat, ſi Scarenſchmidum omnino mori contigerit! Rationis profecto eſt, vt Principes noſtri, patriae amantes, quique contextum Reipublicae in partes ire nolunt, naſo hominis primo quoque tempore praeſidium circumponant, ne militari ſatellitio defectus, ſi quando talitra ipſum pati neceſſe ſit, aut famulorum pugnos experiri, integritati narium & quae inde dependet ſaluti Germaniae

pro-

proſpicere nequeat. Nam *ſcutum Arioviſti*, quo hactenus vtcunque naſum protexit, non videtur impetum tot Magiſtrorum, quos prouocauit, ſuſtinere deinceps poſſe. *Preſſo prius nomine*, dicit, *ne quid captaſſe putarer dederam Diſquiſitionem de Republica monſtroſa, contra Monzambanum*. Atqui praeſcripſeras tamen nomen Perilluſtris Domini a Frieſen, Eique id nobile ſcriptum ſtrenae loco obtuleras. An hunc tantum virum tam imperitum rerum humanarum eſſe credis, vt ignoret, quid ſibi id genus ſalutationes velint? Sane Auguſtus e veſtigio penetrabat mentem ſutoris, abs quo educatus coruus Χαῖρε ipſi acclamabat. *In antro Platonis non formantur Reſpublicae*, inquis. Neque, inquam, formantur Reſpublicae in *dolio Iuſtiniani*, quod tu ſub finem *Diſquiſitionis* tuae comminiſceris. Nam nobis omnino non liquet, quid rei ſit antrum Platonis & dolium Iuſtiniani. Niſi forte, quae tua ferocia eſt, Platonem in antrum Trophonii, & Iuſtinianum in dolium Diogenis relegaſti, aut illud orbi acumen oſtendere voluiſti, quo non ita pridem tui-ſimilis ICtus publica ſcriptione ſe *glebae Iuris Iuſtinianei adſcriptitium* profeſſus eſt. *Conſultius erat naſum ſuſpendere*, habet oraculum Scarenſchmidi. At illi Prophetae conſultum erat naſo helleborum ingerere, ſi modo cerebrum aliquam adhuc medicinam capiebat. De quo tamen vt dubitemus, multae nobis cauſae ſunt. Quantumcunque enim *collegia tua ad ff.* & neſcio quam reconditam Iurisprudentiae notitiam iactas, nihil tamen e myſteriis *regnantis in dolio Iuſtiniani* tui deprehendere licet, quod Puſendorfio obliuione ſemel iterum transmiſſum non ſit, priusquam tu prima Iuris elementa deguſtaſſes. Et aliis omnino armis indutum te eſſe oportet, ſi qui ſententias Puſendorfii in animum demiſerunt, tibi & ſociis tuis credere debeant; de quo interim §. 18. ſtolidiſſime conquereris. Quid enim? Num Philoſophis ſola fide opus eſt? Imo rationibus hic pugnari oportet, & ſtultum eſt in Philoſophia alteri incredulitatem exprobrare: cum quod ſcitur, non poſſit non credi. Probate ſententias veſtras vi ac euidentia argumentorum, & credemus. Sed quid aſino concionamur, qui eiurato ſenſu communi, iampridem ea capere non potuit, quae lippientibus, ſin minus oculis vſurpantur, tactui tamen diiudicanda ſe offerunt.

VIDEAMVS ergo paucis, quid poſt tam nobile prooemium circa rem ipſam nugetur Scarenſchmidus. Vbi §. 10. primo loco tradit; *in formandis rebuspublicis pro menſura ſeu regula haberi potius debere, quod materiae aptitudo, & populi genius admittat, non quod idea, & regula literalis fingat*. Nam litera occidit. Atqui eadem ratione dicere poſſumus, in extruendis munitionibus Architecto menſuram, vel potius primum quod attendatur, eſſe debere genium loci, non ideas, quas nondum conſpecto loco ipſe animo conceperat, vel alibi delineatas habuerat. Sed num illud obſtat, quo minus munitio regularis ab irregulari diſcernatur? Imo ne quaeſtio quidem eſt, quid praecipue in extruenda Republica Politicum reſpicere oporteat; ſed an dentur Reſpublicae irregulares, & vtrarum in claſſe Germania ſit reponenda, id vero controuertitur. Caeterum quod ad iſtam appellationem, eiusque fundamentum attinet, reſpondemus; cum ea quae artificum regulis, quas ipſi fere a communioribus abſtrahe-

re ſolent, conueniunt, vſitato paſſim vocabulo regularia audiant; Ariſtoteles autem, cuius Politica Architectonica ſola propemodum ex antiquitate nobis reſtat, eas praecipue reſpublicas deſcripſerit, in quibus actiones publicae ab vna voluntate diriguntur; quales reſpublicae hodie etiam communiores ſunt: ideo ciuitates, quarum voluntas per vnum hominem vel vnum concilium ſe exſerit regulares vocare placuit. Sicut contra irregularis Reſpublica nobis eſt, vt iam ſupra ad nauſeam vſque inculcauimus, in qua vnio illa, qua ciuitas velut animatur, ita perfecte non deprehenditur; idque non per modum morbi, aut vitii in adminiſtratione Reipublicae haerentis, ſed vt publica lege, & conſuetudine ea facies velut legitima ſit recepta. Quo vnico obſeruato nullam difficultatem habent, quae §. 11. *Secundo* & *Tertio* loco monere voluit noſter Grobſchmidus. Etiamſi enim verum ſit, *rigoroſam regulae applicationem plus mali habere propter vitioſitatem materiae*, id eſt, ſi genius populi non permittat, fruſtra eſſe, qui regularem Rempublicam conſtituere velit: neque illud non concedamus Scarenſchmido; *regulas iſtas eſſe particulares & imperfectas*, *nec totum obiectum*, *eiusque partes exhaurire*, id eſt, Politicam architectonicam, quoad enumerationem formarum regularium deficere; quod nemo temere aſſirmauerit: tamen nullus mortalium, puto, erit, qui inde colligat, inter regulare & irregulare diſcrimen non dari, & collatione facta Imperii cum traditis Politicorum nullum formae diiudicandae indicium ſuppetere. Neque obſtant, quae addit Noſter: *Nam a praeſuppoſito*, *ſeu Rebuspublicis in indiuiduo tum exiſtentibus*, *earumque forma regulae iſtae deſumptae*, id eſt, cum Philoſophi doctrinam ciuilem in formam artis redigere molirentur, iam tum Reſpublicae extabant; earumque intuitu illi formas Rerumpublicarum deſcribere coeperunt; *quo pacto igitur futuris Rebuspublicis propter obiecti varietatem formas proponere queunt.* Nequaquam enim ea Seuerini mens eſt, omnes Reſpublicas debere eſſe regulares; neque de *futuris* Rebuspublicis ordinandis diſquiritur. Pari etiam ratione dicere poſſumus, Mathematicos Architectonicae militari manum admouiſſe poſt munitiones quasdam iam extructas. Neque tamen quenquam tam ſtupidum fore arbitramur, vt Mathematicorum tradita ob diſtinctionem munitionum in regulares, & irregulares cauillari occipiat, quaſi *futuras* munitiones omnes iubeant fieri regulares. Sine dubio certae cuiusdam Reipublicae formationem, cum iſta ſcriberet, animo agitabat Scarenſchmidus, vt planiſſimam Pufendorfii ſententiam eo detorqueret, ac ſi Reſpublicas regulares orbi pro regula obtrudere vellet, ad quam omnes in vniuerſum ciuitates refingi oporteat. Et fallor, ni ſub idem tempus ſomniauerat, a S. Maieſt. Catholica ſolenniter ſe euocatum, vt diſtributas hinc inde per Americam colonias in iuſtae ciuitatis formam digereret. Iſtiusmodi enim imaginationibus Phanatici, & Melancholici, & qui alioquin triſti arrogantia laborant, ſaepe numero diſtineri ſolent; & peculiariter Scarenſchmido talia ſibi viſa effingere rarum non eſt, qui iam ante ſexennium Ienae dicitur confirmaſſe, ſe prius loco non exceſſurum, quam abs certo Principe Imperii in aulam accerſeretur, miſſo pilento, cum tribus paribus equorum. *Si enim aliae*, pergit Scarenſchmidus, *Rerumpublicarum formae tum extitiſſent* (nempe cum Ariſtoteles Politicam ſuam Architectonicam

nicam

Digitized by Google

nicam concinnaret) *plures aliaeque regulae conſcriptae fuiſſent*. Atqui poſt Ariſtotelem non pauci ſcriptores politici in publicum prodiere, neque tamen quiſquam nouas formas regulares, diuerſas ab illis, quas veteres iam tradiderunt, commentus eſt. Habet enim & ipſa regularitas fundamentum ſuum, & numerus formarum regularium Politicis inuicta apodixi oſtenditur. Quod autem noſter addit: *Quo animaduerſo recentiores doctrinae ciuilis ſcriptores plures regulas. ſcilicet Reipublicae mixtae, formasque communiter ſtatuunt;* id non magis ſententiae Seuerini obſtat, quam ideo irregulares munitiones non dantur, quia, ni fallor, Fournierius, Briſſaci, Oſtendae, aliorumque oppidorum egregias quidem illas, ſed tamen irregulares munitiones ſingulatim depictas exhibuit. Neque enim illi *recentes Politici* propterea mixturas ſuas ſe confeciſſe fatebuntur, quod viro illi, cuius Triſmegiſto nomine audito alioquin attoniti ſtupent, oblatrare, eiusque Politicam minima ex parte ſuppletam velint; ſed vt Imperium Germanicum lepido quodam vocabulo inſignirent, poſtquam illud ad ſimplices & regulares formas haud ſatis congruere vidiſſent, Ariſtoteles autem (cui caeterae quidem formae plene deſcriptae ſunt) non magis irregularium Rerumpublicarum quam ſyſtematum mentionem faceret Praeſertim cum non pauci pari fere anxietate mixturae illius veſtigia in Ariſtotele quaerant, qua hodierni Alchymiſtae modum conficiendi lapidis Philoſophici in Raymundo Lullio venari inſtituunt; neque quiſquam vnquam adeo deſipuerit, vt Reſpublicas mixtas regulares eſſe, quaeque menſurae vicem in quacunque Republica ordinanda ſubire debeant, contenderit.

Caeterum cum Puſendorfius ſcripſiſſet, *homines ante Vitruuium aedificaſſe;* quaeſtionem mouet noſter Scarenſchmidus; *An aedes hodie ad regulas Vitruuii non formatae, ſint irregulares.* Ad quod problema reſpondemus: Etſi vſu non ita frequentetur, vt aedificia dicantur regularia vel irregularia, quemadmodum munitiones, dubium tamen non habere, quin qui locum turribus, aggere, aut caſtellis muniunt, aedificent. Eoque primo non adeo *ridiculum* videri, aedificium irregulare dicere. Deinde diſcrimen faciendum eſſe inter Architectonicam veterem & recentem. Quanquam enim vtraque in diſpoſitione partium ordinem, certamque Symmetriam obſeruari iubeat: tamen, vt ſunt res humanae, quaecunque ſaluo aedificiorum fine corrigi aut mutari poſſunt, non eandem hodie, quam olim faciem obtinere conſpicimus. Nam & hic varietatem delectare conſtat, & ſaepe imperito alioquin homini commoditas quaedam obſeruatur, quae aciem praeſtantiſſimi artificis fugerat. Cum ergo comparatione demum cum aliis facta res regularis vel irregularis audiat, ſiquidem aedificia ad priſcae Architectonicae leges exigamus, omnino irregularia dicentur, quaecunque Philonis, Democratis, Vitruuii, aliorumque regulis non congruunt. Quod autem Scarenſchmidus iterum iterumque & praeſertim §. 38. ſuper aedificiis irregularibus cachinnum tollit, id ſane manifeſto indicio eſt, idiotam vocem irregularis munitionis (loquamur in gratiam fabri noſtri Germanice, Einer *irregular* Veſtung) nunquam fando percepiſſe. Equidem ſi in Iunonis gynecaeo hactenus puerulus delituiſſet, vbi lingua artificum non

magnopere requiritur; ſi *dolio Iuſtiniani*, quod vocat, immerſus nunquam Lipſiam adſpexiſſet, cuius munitio palam irregularis eſt; ſi denique inter fabros nomen non profiteretur, e quibus neminem tam imperitum eſſe conſtat, quin vim iſtius appellationis norit; vtcunque excuſari poſſet ignorantia hominis. Nunc cum Vulcani auſpiciis pluſculos per annos ferrum exercuerint vaſto cyclopes in antro, Brontesque, Steropesque & ſtultus corde Scarenſchmith, pudenda profecto ſocordia eſt, talia ipſum in armorum officina non attendiſſe, quae, ne de tyronibus fabrorum, aut gregariis militibus dicam, pueros ſane, tonſores, lippos, imo mulierculas non fugiunt. Vt mirer, quomodo Iurisprudentiam profiteri, & Aduocatum agere homini in mentem venire potuerit, quem cyclopes velut carcinoma ordinis ſui, pridem a ſe ad ſtiuam & aratrum relegare voluerunt. Vsque adeo illud Maronis, leui mutatione facta, hic locum habet: *Excudent alii ſpirantia mollius aera, Orabunt cauſas melius, tabulasque dolabunt, Tu modo, Scarſchmidi, nimus inſanire memento. Hae tibi erunt artes: monſtris imponere finem, Parcere Rolleis, & debellare bubulcos.* Denique quicquid de *Materia* ſolita ſibi eloquentia deblaterat Noſter, omnino ſuperuacuum eſt. Etſi enim res formam aliquam ſortiri non poſſit, ni materia ad eandem recipiendam apta ſit; ſeu, vt vulgo loquuntur; *niſi forma educatur e potentia materiae*, num tamen ideo nullum inter formas diſcrimen ſtatuetur? Aut num id propter rebus ad antiquum chaos relabentibus vnus erit toto naturae vultus in orbe? Neque etiam de irregularibus ciuitatum formis egit Puſendorfius, quaſi *ipſe ſolus ſciat taxare formas Rerumpublicarum*, quae Grobſchmidii obſeruatio eſt: ſed quia inter regulare & irregulare, inter vnitum & diſiunctum, inter habile & inhabile, ingens in re ipſa diſcrimen deprehenderat.

TANDEM reliquis cyclopis noſtri ineptiis diluendis id vnum ſuffecerit notaſſe, mentem Puſendorfii nequaquam eſſe hanc, quod Germania foedere aliquo expreſſo contineatur, aut quod imperium ſyſtema duntaxat foederatorum ſit. Sed illam obligationem, qua ordines Germaniae Caeſari & Imperio obſtringuntur, qualicunque eam nomine inſignias, non habere plus virium, quam vinculum, pacti inter foederatos inaequales, minimum intuitu Electorum, & praecipuorum Imperii Principum, id vero Monzambanus ait, id Puſendorfio perſuaſum eſt, & idem ipſe rerum actus palam loquitur. Sunt autem iſtae theſes diuerſiſſimae; quemadmodum aliud eſt dicere: Scarenſchmidum Licentiatum non eſſe, ſed ſaltem vetulum Studioſum Iuris. Aliud: eruditionem Scarenſchmidi maiorem non videri, quam tyronis alicuius. Prius in medio relinquimus; poſterius autem tam certum eſt, quam certum arbitramur, Imperium recte dici Rempublicam irregularem. Ac principio quidem, quod *definitionem ciuis Ariſtotelicam* attinet, de qua in §. 13. declamat noſter, dubium non habet, quin illa ſit ciuium Democraticorum. Quomodo autem differant *ius ſuffragii, & notio ſuffragantis ſubiecti*, aut quid illo ſibi paradoxo velit, *dari in certis ſocietatibus ſuffragia, vt tamen ſuffragantes non ſint Ciues*, iſtae, inquam, ſubtilitates nobis nondum penetrantur. Egregium interim dogma Politicum, quod literato orbi propinat Scarenſchmidus *in regno vnicum*

eſſe

eſſe ciuem, nempe Regem, & regnicolas ob defectum iuris ſuffragandi, cura quod. ex doctrina Ariſtotelis, vt ipſe contendit, nemo verus ciuis ſit, nihil aliud eſſe, quam ſeruos publicos, quibus tamen, ne hanc compellationem indigne ferant, id ſolatii loco ingerit: *libertas perſonalis reſpectu libertatis ciuilis minus abſurde dicitur ſeruitus*. Atqui eodem argumento oſtendemus, Scarenſchmidum eſſe idiotam. Nam quicquid ipſe in Iuriſprudentia Romana ſapit, id quidem reſpectu Cuiacii aut Iacobi Gothofredi non abſurde dicitur ignorantia. Quam tandem Politicam comminiſcetur nobis natio Tenebrioniſtarum! Iam primum *Scarenſchmido* vnicus in Regno ciuis Rex ſtatuitur; Regnicolae autem, quacunque dignatione ſint, nil niſi ſerui publici audiunt. *Valentino Velthemio*, citra reſpectum, quod ſociorum aliqui Imperium ciuile non ordinationem, ſed omnino creaturam Dei eſſe, contendant, quam Deus *immediate* velut olim Manna producat, & poſtea in nouiter electos Reges pluere iubeat, nuper religio non fuit, publica ac ſolenni diſputatione inauditum iſtud dogma promulgare: *Maieſtatem eſſe Non-Ens*. *Geſenius*, Pontifex Garlebienſis, execrabili deuotione, imo anathemate fulminare in pleno Patrum conſeſſu decreuit contra omnes, qui fateri recuſabunt; expedire, vt in ciuitatibus peruerſa, ac fini ciuitatum repugnans Ethica doceatur. Cui denique ignotae ſunt κυρίαι δόξαι, quas candidiſſima illa anima, *Ioſua Schwartzius*, & ipſe ſacrae militiae Deus tutelaris *Nicolaus Beckmannus* non citra tumultum Rebuspublicis obtrudere anniſi ſunt. Neque vero ſi *Imperium regulare ſyſtema* non eſt, ideo Status Germaniae ad plura, quam Foederati *inaequales* tenebuntur; & qui negat, Principes in ſubditorum proprie dictorum claſſem compingi poſſe, is eoſdem omni omnino obligatione liberos ſolutoſque pronunciat. Nunquam enim Pufendorfio in mentem venit affirmare, conditionem ſubditorum nulla prorſus ratione membris Imperii congruere; ſed pleraque Imperii membra pro ſubditis proprie dictis, & Principes pro meris Praeſidibus, quales Romani olim prouinciis imponebant, haberi non poſſe, id ait. Contra quam theſin iſta nobis Scarenſchmidus opponit, §. 15. *Haec Iuris Publici Interpretes in vtramque partem diſputant, alii vero diſtinguunt. Simpliciter certè claſſi ſubditorum ſtatus iungi, ciuilis eorum vetat qualitas, quamuis in nonnullis vix ſecus cenſeantur, verbi cauſa, in iudicio Aulico, in Iuramento, quod Caeſari praeſtant, ne de curialibus dixerim*. Quid ergo impugnas Scarenſchmidi? Nam eadem eſt theſis Seuerini, & ideo Imperium Reſpublica Irregularis ſalutatur, quo minus Principes Imperii *ſubditorum claſſi ſimpliciter iungi poſſint*. *qualitas eorum* ciuilis ſeu libertas obſtat; quae alioquin populis & populorum Rectoribus tributa (docente GROTIO I. B. Lib. I. C. 3. §. 21.) ſine ſummo Imperio non intelligitur. In regulari enim Republica omnia eiusdem membra *ſimpliciter*, neque in *nonnullis* duntaxat, quae ad ipſam rei ſummam parum faciunt, ſed in omnibus *ſubditorum loco cenſeri ſolent*. Circa *Iudicium Aulicum* vero & quae §. 17. grunnit noſter, taedet toties repetere; Etſi Imperium ſyſtema foederatorum non ſit, tamen nihil repugnare, quo minus inter foederatos etiam detur *Iurisdictio neceſſaria*. Sicut & illud ineptum eſt, quod, quia Iure Romano cauetur, *ne quis inuitus in ſocietate manere cogatur*. §. 16. negat, contrahi poſſe foedus

Digitized by Google

perpetuum, cui ſaluis pactis renunciare non liceat. Reliquas abſurditates ſigillatim percurrere taedioſum iuxta & ſuperuacuum videtur. Nam Scarenſchmidus, poſtquam in vitiorum callum obduruit, in furorem quidem agi poteſt, corrigi non poteſt. Et queis iſta nondum ſufficiunt percipiendae menti noſtrae, aut iniectis ſibi a Scarſchmido ſcrupulis eximendis, illi nullius doctrinae animum capacem gerunt.

IAM epilogi loco compellandus nobis eſt Vir clariſſimus, qui hactenus in Scarenſchmido menſae ſuae membrum ſane quam indignum habuit: non quaſi ſtolidiſſimo huic ſycophantae ſocius iungi mereretur, ſed quia Medicum non nouimus, cui tutius hominem bilioſum, & extreme ſpleneticum commendare liceat. Equidem ſi ea ſeculo felicitas obtigiſſet, vt arcanum lapidis Philoſophici, tot carbonum clade fruſtra hactenus quaeſitum, cognitum, aut diuulgatum haberemus, ipſe praeſtantiſſimus Medicus minus opinor deſperaret, poſſe valetudinem hominis in melius ire. Nunc cum pleriſque tam beatis eſſe non liceat, & qui diuinae huius medicinae conficiendae modum reperere, iuxta Poëtam, bene viuere, qui bene lateat, exiſtiment, neſcio qua ratione ſenſus reddi poſſit aegrotanti, cui ne candentis quidem ferri vſtulatio percipitur. Niſi forte vltimum hic erit, detecta noſtris temporibus Transfuſio; quae re deſperata Medicis quibusdam non peſſime ceſſit. Cuius aduerſus melancholiam ſi prudentiſſimus Poliater ipſe vim atque efficaciam expertus eſt, nobis perhumaniter rogantibus, non recuſabit, vitulo aut procello venas quantocyus incidere, ac cruorem nulla febri aut triſtitia infectum cordi per canales inſtillare; vt ſic aſinino ſanguine purgatus, ſin plene reſtitui non poſſit, ſaltem ruditu ſuo bonis viris parcius negotium faceſſat. Quanquam, vt vincula homini parentur, cordatiores expeditiſſimum ſint iudicaturi; poſtquam melancholia magis magisque ingraueſcit, & Sirius, qui propediem aeſtum Solis adaugebit, canina id genus capita multorum ſaepe exitio praecipitat.

SAMVELIS

Digitized by Google

SAMVELIS PVFENDORFII
SPECIMEN
CONTROVERSIARVM
CIRCA IVS NATVRALE
IPSI NVPER MOTARVM

PROPERT. L. II.
Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO IOANNI BAAZIO,
S. THEOLOGIAE DOCTORI,
ARCHI-EPISCOPO VPSALIENSI, EIVSDEMQVE
ACADEMIAE PRO-CANCELLARIO,

DOMINO AC FAVTORI MEO
VENERANDO.

Quo calumniarum adparatu Libros meos de Iure Naturae & Gentium maleuoli quidam inuaſerint, apud Reuerendiſſimam Tuam Dignitatem multis exponere ſuperuacuum fuerit, quippe cui dudum iſtius litigii origo indolesque eſt perſpecta. Iſta malignitatis aut inſcitiae documenta, vtut ſparſim iam a me diſcuſſa, denuo vno velut faſce comprehendere, ſolidaque reſponſione adiecta orbi erudito exponere, exiſtimationis meae magnopere intereſſe iudicaui; ſimul vt aliquando moleſtae huic ſcriptioni clauſulam imponerem. Nam poſtquam ſemel ita perſpicue oſtendero, quam procul ab illis erroribus abſim, quos tanta cum importuni-

Digitized by Google

portunitate certorum hominum intemperiae mihi impingere ſategerunt, non magnopere mihi deinceps curandum erit, num alii malignitati ſuae immori malint. Caeterum quod iſthoc ſcripti Reuerendiſſimae Tuae Dignitati potiſſimum inſcribere ſuſtineam, praeter admirationem, qua ſapientiam tuam, aliasque queis praefulges virtutes proſequor, haec me ratio ſubegit, vt oſtenderem, quanta me cauſae meae fiducia teneret, dum velut arbitrum ſumere non vereor, ex eo ordine, cuius vnum aut alterum neſcio quam ſplendidum membrum eas lites praecipue excitauit, aluitue. Simulque vt hoc facto demonſtrarem, vtut maleuoli ordinis ſacri auctoritate in fraudem meam abuſuros ſeſe ſperauerint, illibatam tamen penes me perſtare venerationem, quae iſti ordini debetur, nec iniurias vnius aut alterius vniuerſis a me imputari. Quin potius me confidere, Reuerendiſſimam Tuam Dignitatem, & quibus par animi integritas, quam maxime deteſtaturam artes oppido quam deformes, quibus ad famam meam maculandam iſti homines graſſati ſunt. Optime nimirum Reuerendiſſima Tua Dignitas perſpicit, quantopere a prudentia, grauitate, atque moderatione, virtutibus veſtro ordini tam commendatis abhorreat, re non intellecta tumultuari, per calumniam aliis foeda dogmata affingere, vera & innoxia cauillationibus in ſiniſtram partem detorquere, ad rationes denique aurem obſtruere. Et qui circa inania aut falſa tanto cum feruore ſe iactat, is etiam vbi ſolida propugnat, impetu potius rapi, quam iudicio duci videtur. Sed mihi cauſam meam aſſeruiſſe ſuffecerit; aduerſarios pro ſuo quemque merito cordatorum virorum cenſura notabit. Mihi poſt tam acerbas inſectationes non modico ſolatio erit, ſi Reuerendiſſima Tua Dignitas candorem inſtituti mei beneuole interpretetur, & me, qui virtutes Ipſius ex animo aeſtimo, fauore ſuo amplectatur Ita Deus Optimus Maximus Reuerendiſſimam Tuam Dignitatem multos per annos Eccleſiae & Reipublicae bono ſeruet!

REVERENDISSIMAE TVAE DIGNITATIS

Dab. Holmiae, prid. Kal.
Iulias Anno 1677.

ADDICTISSIMVS

SAMVEL PVFENDORF.

LECTO-

* *

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM.

ETSI pleraſque calumnias & cauillationes, queis libros noſtros de Iure Naturae & Gentium liuor & inſcitia inceſſere hactenus laborauit, iam antea, quantum cordatis & aequis rerum arbitris ſufficere poterat, diſcuſſerim; viſum eſt tamen hoc ſcripto vniuerſam illam litium telam retexere, vnoque obtutu eam talium rerum curioſis conſpiciendam exponere. Nam & diſperſa minus ad memoriam valent, & interea temporis quaedam iſtorum hominum ſchedae, non modico veneno turgidae, in manus meas inciderunt, quibus aliquid reponi exiſtimationis meae intereſſe videbatur. Simulque otium quantumuis ingratiſſimum ſuppetebat, turbatis bello Muſis noſtris, & intra Malmogiae munimenta ſeſe abdentibus. Intra quae clauſtra dum caeteri connixo ſtudio publicum hoſtem arcere ſatagunt, mihi iuratos famae meae latrones propulſaſſe muneris inſtar fuit, poſtquam nihil operae a me in Rempublicam conferri poterat. Et ſane iſtos homines condigna virtutibus ſuis elogia audire, eorundemque artes in manifeſta luce conſtitui non mea magis, quam omnium bonorum ingeniorum intererat, & quibus aliqua ad excolendam rem literariam facultas. Quae ſi pro induſtria ſua nullum aliud praemium manet, quam vt tam ſordidorum dentium lancinationi exponantur, praeſtiterit barbariem deinceps & ruditatem, quam bonam mentem habere amicam. Equidem id nunquam ſperare auſus ſum, vt mea ſeſe omnibus adprobarent; quin & optandum mihi duxi, ſi cordatus quiſpiam & eruditus vir diſcutienda ſibi ſumere vellet, quae dubii quid habere viderentur. Nam heic viciſſe glorioſum, ſuccubuiſſe non indecorum fuerat futurum; & poterat fortaſſe eiuſmodi colliſio ad illuſtrandam aut ſolidandam veritatem aliquid momenti non poenitendi adferre. Aſt quae mihi mota fuit lis, non diſceptationis literariae, ſed latrocinii potius indolem habuit; cum aduerſariis meis nihil aliud fuerit propoſitum, quam conſumto omni calumniatorum adparatu maculam famae meae adſpergere, & liuori ſuo, miſellaeque ambitioni litare. Qui praeter alias moleſtias huius quoque taedioſiſſimi laboris neceſſitatem mihi impoſuerunt, vt elogia ipſorum meo potiſſimum ſtylo forent publicanda; poſtquam non parum ad illuſtrandam hancce controuerſiam facit, iſtos homines paulo penitius noſſe; & *Apologiae* meae nebula potius iſtos inuoluere, quam in aprica luce deſtituere propoſitum fuit. Ac de *Nicolao* quidem *Beckmanno*, cuius veſania primos veluti motus hiſce turbis dedit, peculiari ſcripto ſatis expoſitum; nec vt tam infami nomine memorando vlterius immorer, decorum fuerit. Niſi quod hoc praetereundum non eſt, Alaſtorem iſtum vſque adeo ab ingenio ſuo non diſcedere, vt etiam nupera Danorum in Scaniam irruptione affinem ſuum cohortis optionem ſubornarit, vt

me

Digitized by Google

me cum vxore & liberis trucidaret. Qui ſanguinem meum ſitiens cum manipulo ſicariorum Londinum aduolabat, & cum ibi me non inueniſſet, Malmogia capta facinus ſeſe exſecuturum frendebat. Verum vt iſtum ſicarium ſceleris irritum Lundenſe proelium extinxit: ita ſine dubio vniuerſa Tenebrioniſtarum ſecta ex tanta ſui conditoris virtute non parum ſplendoris mutuatur. Quanquam neſcio, an primo huic loco ceſſurus ſit *Ioſua Schwartzius*, quippe ex cuius cerebro *Index Nouitatum* progenitus eſt, qui ſolus exprimendo viri animo ingenioque ſufficit, & qui nouam apud ſectam ſymboli vicem ſubit. Iſtum hominem in me impegit genii ſcaeuitas turbis ferendis nata, & quod hoc velut compendio ad famam ſingularemque eruditionis opinionem greſſari in procliui duceret, poſtquam bonas per artes tenebris ſeſe eripere non dabatur. Ac ſtatim quidem cum poſt abſolutam peregrinationem, quam ad exemplum Imperatoris Hadriani pedibus fere obierat, in patriam reuertiſſet, obtentu zeli, aut oeſtro potius, id turbarum dedit, vt ni Gedanum profugiſſet, capitis ſupplicium ſubiturus fuerat; Quod totum negotium in Pomerania Electorali notorium eſt. Cum Gedani ſatis tutum ſe non crederet, Holmiam ſe penetrauit; vbi prima cura erat fami depellendae quid circumſpicere, ſimulque bipatentem braccarum portam obſtruere. Inde paſtoratus indagabatur. Et cum ſub id tempus munus Concionatoris Teutonici Holmiae vacaret, magno cum ambitu, & non ſine turbis in plebe excitatis ad idem ne quidquam adſpirabat. Sed mox cum de inſtituenda ACADEMIA CAROLINA agitaretur, vt importunum flagitatorem aliquo extruderent, Concionatorem Teutonicum Londini ipſum agere iubent, adiuncto extraordinarii Profeſſoris titulo, vt anſam haberet ſtudia ſua vlterius excolendi. Sed poſtea cum qui vocatus erat celebris Theologus accedere abnuiſſet, viro, qui tunc gratia quorundam Regni Procerum florebat, adulando adrepſit, quo procurante Profeſſoris Theologiae vocabulo potitus eſt. Talem in locum protruſo facile quidem erat turbulentiae & rixoſitatis famam adquirere, mota vanorum litigiorum ſerie, in quorum praemium parum aberat, quin munere dimoueretur. Sed eruditionis opinionem ſibi circumponere difficile fuerat ei, qui ex vniuerſa Philoſophia praeter vocabula elenchorum ſophiſticorum, & ex Theologia recentes quaſdam controuerſias, crepare nihil poterat. De caetero in linguis orientalibus, Patribus, hiſtoria & antiquitate Eccleſiaſtica, elegantioribus literis ac ſolida Philoſophia plane hoſpes; ingenio inſuper ita infelici, ac tardo, vt ad ieiunam concionem conſarcinandam integra ſeptimana opus eſſet, totque annorum ſpacio vix duae aut tres miſellae diſſertationes procuderentur, modici tyronis ſpecimen; niſi quod aculei calumniarum, quibus poſteriores duae refertae ſunt, inſignem artis Sycophanticae peritiam prae ſe ferunt. Igitur cum mire geſtiret oſtendi, & dicier, hic eſt, vno momento ex numero obſcurorum virorum emerſurum ſe ſperabat, ſi quam maculam operi meo mihique poſſit adſpergere; cum ſperaret, praetextum zeli Theologici apud imperitos adplauſum, & ſi ſecus res cecidiſſet, excuſationem ſibi pariturum. Praeſertim cum natiuum ipſius ſtuporem, & tenuitatem eruditionis ſingularis quaedam facultas ſuppleret innocentiſſime dicta detorquendi, & vis quaedam, qualis

qualis in certo muſcarum genere deprehenditur, proluuie ſua etiam optimas carnes polluendi. Sicuti & de iſtius hominis pia & candida intentione hoc teſtari poteſt, quod cum ſilentium ipſi aſpera cum increpatione & comminatione foret impoſitum, hoc ſolatio iſthanc ignominiam ſibi leuauit, quod a ſuo amico & ſocio *Nicolao Beckmanno* tanta mihi per libellum famoſum contumelia foret inferenda, vt ex illa multum detrimenti exiſtimatio mea per Germaniam ſit captura. Hiſce igitur ſi coniungamus fraudes circa hoc negotium adhibitas, quas in *Apologia* mea ſatis expoſui, & quarum pleraeque a *Schwartzii* malitia promanarunt; Sane nemo cordatus fuerit, quin agnoſcat, mitius quam pro meritis *Aſinium Tenebrionem* vapulaſſe. Caeterum, vt, quae mihi intentabantur calumniae, maiore cum pondere procederent, in partes quoque trahitur *Petrus Winſtrupius, Scaniae Epiſcopus*, qui cum *Schwartzio* nuper atrociſſima lite colliſus fuerat, cui hicce & errores circa religionem, & neglectum officii & animum Regi infidum obiecerat; quae lites demum, cum in exitium *Schwartzii* erupturae viderentur, mea potiſſimum opera compoſitae ſunt, pro quo officio tam egregiam mihi gratiam *Schwartzius* paulo poſt retulit. Quod autem *Winſtrupius* ille, quem per quadriennium ego omni obſeruantia & ſincerae amicitiae exhibitione coluiſſem, tam facili negotio permoueri potuerit, vt in fabula tam inficeta primarum partium actor eſſe vellet, vna quidem cauſa fuit, quod illi nunquam moris fuit, actiones ſuas ad ſanam rationem exigere, ſed coeco potius impetu ruere. Altera autem, quod ſolo officii ſui vocabulo me oppreſſurum ſe ſperaret. Enimuero auctoritatem & munus iſtius viri calumniis in me iactatis parum ponderis addidiſſe nemo mirabitur, qui cogitauerit, impudenter ſperaſſe ſui vllam rationem habitum iri, cui cum talibus tam foedo in negotio ſocietatem coiiſſe religio non fuit. Praeſertim cum nulli mortalium minus quam ipſi perſpectum foret, quid proprie in controuerſia eſſet, quippe cui vocabulum iuris gentium vix fando auditum foret, & cui nullo alio argumento erronea quaedam libro meo contineri conſtabat, quam quia *Schwartzio* tale quid fabulanti fidem adhibuerat. Sed cum non modica clade iſtorum copiae in Suecia conciderentur, ex Germania ſupplementum ſibi quaeſitum iuere ſucceſſu non plane irrito. Nam & ibi inuenti ſunt alii viri, qui tam foedae militiae duces ſe ferrent. Quorum primus *Fridericus Geſenius*, Garlebienſium Praeſul, cum ſibi a me retorſio iuſtiſſime impacta foret, id omnibus viribus egit, vt furoris palmam fraterculo ſuo *Nicolao Beckmanno* ancipitem redderet. *Valentinus* autem *Veltbemius* cum neſcio quo fato in cathedram publicam protruſus eſſet, & omnibus iam occupatis nullum tabellis nouis locum relictum cerneret, ac mire tamen aliqua via inclareſcere arderet, expeditiſſimum iudicauit, litem mihi intendere; praeſertim cum miſere metueret, ne quisquiliae Scholaſticorum, & Magiſtrorum noſtrorum Collegia Manuſcripta, quibus innutritus erat, detrimenti quid caperent. Fiduciam autem homini potiſſimum dedit impudentia, & quae ignorantiam comitatur audacia, & quod ſtentoreae vocis in hoc litigio non modicum fore vſum praeuideret, ſimulque quod in procliui ipſi eſſet magnam vim inficetarum diſſertationum euomere, quarum puto facile me nauſea enecaret. * * * Caeterum quam pium & candidum iſti homines ſcopum circa

mouendas & fouendas haſce lites habuerint, artes ab ipſis adhibitae ſatis loquuntur. Quibus cauillationibus autem ſtrophisque vniuerſam calumniarum ſcenam adornarint, tum aliis ſcriptis, tum hoc ipſo manifeſtiſſime fuit expoſitum, ſic vt cordatum Lectorem nihil amplius deſideraturum ſperem, quod vel ad depellendas aduerſariorum criminationes, vel illuſtrandam meam ſententiam faciat: Eoque poſthac minus ſolicito mihi eſſe licebit, ſi qui calumniarum & nugarum deſinere non velit; cum ſemel ita perſpicue formato controuerſiae ſtatu quae ex aduerſo afferri poſſunt vltro collabantur, & mihi parum decorum ſit futurum, quibusuis ieiunis ſchedis peculiari ſcripto occurrere. Qui enim haec noſtra capit, ei facile fuerit, ſi quid praeterea ſcrupuli mouetur, proprio Marte diſcutere. Sed qui ne nunc quidem inania litium mihi motarum perſpicere valet, illius circa negotium literarium nulla ratio eſt habenda. Et cum ab erroribus Theologicis, quos iſti impingere mihi ſunt, alienum me eſſe proteſtatus ſim, ac verbis meis vim illatam oſtenderim, ſi quis ne nunc quidem adquieſcere velit, quid aliud praeter profeſſum calumniandi ſtudium prae ſe fert? Denique ſi cuipiam quid acerbitatis hoc & alia iſtis hominibus oppoſita ſcripta videantur habere, is facile veniam iuſto dolori dabit, ſi modo cogitare velit, quid animi ſibi futurum fuiſſet, eiusmodi calumniis & iniuriis adſperſo, & num mollius tractari mereantur, qui vitam, famam, fortunaſque meas & meorum infenſiſſimo atque implacabili animo perditum & ſubuerſum iuere, animae inſuper ſalute me exuituri, ſi mendaciis & maledicentiae aliqua vis Diuinum apud Numen foret, Bene vale.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT I.

DE
ORIGINE ET PROGRESSV DISCIPLINAE IVRIS NATVRALIS.

§. I.

Ivs naturale, humano generi coaeuum, quod omni tempore populorum mores & negotia ex pleraque parte rexit, quodque actu ipſo exprimere optimo cuique ſemper cordi fuit, hoc demum ſeculo in iuſtae formam artis redigi coeptum eſt. Equidem olim non defuere, qui cultiorum populorum leges ciuiles, in quibus naturale ius magnam partem faciebat, literis conſignatas luculentis commentariis illuſtrare ſategerunt. Vber quoque fuit prouentus Philoſophorum moralium, quibus circa mores hominum ad dictamen ſanae rationis componendos opera eſt poſita. Verum, qui naturalia iura a poſitiuis accurate diſcerneret, & iſta in pleni ſyſtematis rotunditatem diſponere aggrederetur, ante *Hugonem Grotium* nemo extitit. Equidem in legibus Ebraeorum & origine diuina & antiquitate quam maxime venerabili vix vllum eſt caput Iuris naturalis, quod tactum non ſit. Sed vti in ipſo legum codice, ita & in commentariis, quibus eas leges iſtius nationis Doctores illuſtratum iuere, poſitiua naturalibus immixta conſpiciuntur, ad quae curioſe digerenda ſeſe accinxit *Ioannes Seldenus*, honeſta, vti adparet, & minime liuida aduerſus *Grotium* aemulatione, & quia alias praecipuas Iuris Ebraici partes illuſtrandas ſuſceperat: ſic vt ab hocce in peculiare volumen colligeretur, quicquid ex ſententia populi Ebraici Iuris naturalis & gentium haberetur, ſeparatum ab eo iure, quod duntaxat inter ciues eiusdem reipublicae valebat. Quo minus tamen erudiţiſſimum & quantiuis pretii opus vicem pleni, & ad captum omnium populorum attemperati ſyſtematis in iure naturali ſubire queat, tres potiſſimum cauſae mihi obſtare videntur. Prima eſt, quia ibi non ſatis expoſita reperiuntur ea, quae ad paediam iuris naturalis pertinent. Per eam autem intelligimus illa velut praecognita, quae ad praecepta legis naturalis, earumque rationes plene & diſtincte intelligendas requiruntur, & quidem quae velut domeſtica ſunt huic iuri, nec ex aliis diſciplinis mutuo ſumuntur. Ex quo genere eſt doctrina de indole rerum moralium in genere, de principiis actionum humanarum, earumque natura, & affectionibus, de principio moralitatis, de legibus in genere, de ſtatu, conditione & natura hominis in reſpectu ad actiones morales, de natura & requiſitis pactorum, de origine & natura ſermonis, & dominii, de modis adquirendi, de pretio rerum. De natura & varietate contractuum, de origine & natura tam ſocietatum

 primarum,

primarum, quam ciuitatum, de imperio ciuili, eiusque partibus & affectionibus, & ſi quae ſunt alia. Deinde *Seldenus* legem naturalem non deducit ex tali aliquo principio aut hypotheſi, cuius euidentiam omnes nationes agnoſcant, aut ad quam agnoſcendam argumentis ex rationis lumine petitis adduci queant. Nam fundamenti loco ſubſternit ſeptem illa praecepta Noachidarum, quorum auctoritas apud Iudaeos antiqua traditione nitebatur, quam adſtruere aut eleuare meum non eſt. Etſi mihi quidem valde probabile videatur, primos homines potius ex diuina quadam & peculiari informatione, quam propria ratiocinatione praecepta legis naturalis hauſiſſe. Verum vt quis omnibus populis & αὐθεντίαν eius traditionis, & numerum iſtorum praeceptorum argumentis vtrinque admiſſis perſuadeat, id vero valde arduum fuerit. Praeſertim cum nec circa id ſolicitus fuerit *Seldenus*, vt iſtorum praeceptorum neceſſariam conuenientiam cum natura humana, aut eorundem ſufficientiam ad regendas omnes actiones hominum morales demonſtraret. Denique & illud tantum agit *Seldenus*, vt quid Doctores Ebraeorum ſenſerint, exponat; quam accurate autem iſtorum ſententia cum ſana ratione congruat, parum examinet. Quod tamen neceſſarium erat, ſiquidem pleni ſyſtematis vicem iſtud opus ſubire debebat; quippe cum populus Iudaicus ſeipſum quidem eminenti dignatione, alias autem nationes ſat maligna aeſtimauerit. Cum tamen ius naturale ad guſtum totius generis humani adaptaturo neceſſum ſit ponere, omnes homines circa fruitionem iuris naturalis eſſe aequales.

§. II. In libris Noui Foederis praecepta legis naturalis paſſim luculentiſſime inueniuntur expreſſa, & quidem vt illa non ſolum iubeantur exerceri citra vllum nationis diſcrimen, ſed & omnibus cum requiſitis, quae perfectam actionem abſoluunt. Et ea omnia vt ad vnum caput, velut ad legem quampiam fundamentalem, poſſent reuocari, ex qua caeterae perſpicua conſecutione deducerentur, ipſe Saluator noſter eum in finem dilectionem propoſuit, quae cum noſtra ſocietate quam amiciſſime conſpirat. Iſthaec porro praecepta omnibus modis illuſtrare conati ſunt, qui in libros diuinos commentarios ediderunt tantum non infinitos; ſic vt in Theologia Chriſtiana nullum praeceptum deſiderari videatur, quod ad regendas in vniuerſum hominis actiones, mores que faciat. Non eo minus tamen res literaria etiam apud Chriſtianos peculiarem diſciplinam exponendo iuri naturali requirebat, poſtquam vniuerſum genus humanum, cui vtique communi lege opus erat, in religionem Chriſtianam non conſenſit. Cum enim ea pars religionis Chriſtianae, quae de regendis moribus tractat, ſatis habeat dogmata ſua confirmaſſe ab auctoritate & iuſſu Dei, qui filium ſuum Saluatorem mundi miſit, in alias eorundem rationes inquirere parum laboret; inde fit, vt hoc modo adornata praecepta legis naturalis ſanctimoniam ſuam iis duntaxat adprobent, quibus diuina Chriſtianae religionis auctoritas agnoſcitur; Sed cum hancce non exigua humani generis pars ignoret aut adſpernetur; cui tamen & inter ſe & cum Chriſtianis agenti negotia utique ad legem naturalem attemperanda; adparet ſane, ex alio principio, apud omnes aeque agnito, & ad omnium captum attemperato, deducendum eſſe ius,

ad

ad quod omnium eorum actiones exigantur, qui tam diuerſa circa religionem ſentiunt. Eſt praeterea religio, prout ex adaequato ſuo principio hauritur, in ſua natura ad ſublimiorem finem & vſum ordinata, quam qui tantum intra huius vitae limites coërceatur. Inde non Chriſtiana ſolum religio, ſed & pleraeque aliae deuotis ſuis ſectatoribus praemia, malitioſis violatoribus ſupplicia poſt hanc vitam decernunt. Ita tamen, vt non vera ſolum religio, ſed & falſae cuique abs ſe diuerſae religioni efficaciam ad praemium poſt hanc vitam nanciſcendum detrahant. Sed in eo omnes conſentiunt, quod actiones mores que ad legem naturalem bene compoſiti ad decus, tranquillitatem & emolumentum huius vitae manifeſte faciant. Igitur qui diſciplinam iuris naturalis ad captum vniuerſi generis humani adornare vult, ei ſublimior iſte probioris vitae finis & vſus velut ſequeſtrandus eſt, & Theologis relinquendus, & ad eum duntaxat vſum reſpiciendum, qui apud omnes in confeſſo eſt, & quem vel ſenſuum iudicio deprehendere queas. Idque eo magis, quod controuerſiae Theologicae tanta fere contumacia animorum diſceptari ſoleant, vt ſi quae diſciplina illis inuoluatur, non ſecus atque ac incerta ſyrtium nauis adhaereſcat, nec curſum ſuum vlterius tenere queat. Accedit, quod neque in authenticis noui Foederis libris, neque in commentariis ea inueniantur, quae ad paediam iuris naturalis pertinere ſupra dicebamus; quippe cum talia tradere, extra ſcopum iſtorum Scriptorum fuerit. Nihilominus in aprico eſt, plurimum lucis & ſubſidii noſtrae diſciplinae accedere non ſolum ex diuinis libris, ſed & ex commentariis eorum, quibus primaeua & genuina religionis Chriſtianae dogmata vnice cordi ſunt. Aſt vero illi Doctores, qui in Epiſcopi Romani verba iurarunt, queis omnia ad potentiam & quaeſtum Sacerdotum vertere labor eſt, legi naturali, & vniuerſae de moribus doctrinae magnam caliginem offudere, dum immenſa voluminum mole id agunt, vt penes ſolos Sacerdotes facultas ſit conſcientias hominum ex ſuo lubitu temperandi, caeteris liquido ſuarum actionum iudicio adempto coeci obſequii neceſſitas imcumbat.

§. III. Inter veteres populos, quantum nobis conſtat, non eſt, qui plus operae in illuſtrandis ſuis legibus poſuerit, quam Romani, quibus diſciplina iuris plurimum ſane debet. Et dignum admiratione eſt, quantum excelluerint ingenia Romana, vbi ad certum ſtudiorum genus velut impetu quodam incumbere coeperunt. Sic quantum eloquentia, quantum poëſi & hiſtoria valuerint, nemini eſt ignotum, qui literas nouit. Poſt cum ſub Caeſaribus peritia iuris plurimum commendationis haberet ad nanciſcendas adminiſtrationes aulicas, & prouinciales, per duo fere ſecula praeſtantiſſima Romae ingenia excolendae Iurisprudentiae ſeſe adplicuerunt. Ex quorum ſcriptis longe ampliorem noſtra ſecula fructum potuiſſent capere, ſi illa volumina integra ad nos perueniſſent. Verum Iuſtinianus, inſtituto rei literariae oppido quam pernicioſo, pro integris operibus lacinias quaſdam & excerpta nobis tranſmiſit, quae recentioribus ſeculis immenſam commentariorum molem pepererunt. Cum vtique longe ſatius fuiſſet, veterum ICtorum ſcripta, erudita ſane & magno ſtudio elaborata, euoluere, quae vniuerſa non vnus ex recentioribus

Digitized by Google

ſcribacitate ſua aequauit aut ſuperauit, quam per inexhauſtum commentariorum oceanum iactari. Et veterum monumenta integra, ſua luce velut radiantia, parciorem longe recentiorum operam admiſiſſent. Fatendum tamen eſt, quicquid adhuc Romanae Iurisprudentiae ſupereſt, iuri naturali plurimum lucis attuliſſe, non ſolum quia iſti magnopere curae fuiſſe adparet omnia ad rectam rationem & aequitatem reuocare; ſed etiam quia plurima ad paediam iuris naturalis ſpectantia ab ICtis Romanis luculenter fuere pertractata. Quantamcunque tamen laudem Romano iuri tribuamus, fatendum vtique eſt, peculiari adhuc diſciplina iuris naturalis opus fuiſſe, ſiquidem doctrinae morali ſua conſtare debebat perfectio. Nam nec omnia, quae ad paediam iuris naturalis pertinent, in iurisprudentia Romana ita accurate, prout par erat, deducta inueniuntur; & cum ibidem naturalia poſitiuis & quae ex peculiari indole Reipublicae Romanae proueniunt, immixta ſint, iſta vtique liquido diſcernere non poterit, niſi qui aliunde hauſerit, qua nota haecce ab illis dignoſcantur.

§. IV. Veterum Philoſophorum monumenta non paucas quidem ſententias continent ad ius naturae illuſtrandum facientes; vt tamen longe minoris ſint, quam expectari ab illis par erat, quibus haec praecipua eſſe opera debebat, mores hominum ad legem naturalem formaſſe. Neque iſthunc veterum defectum ſuppleuerunt, qui proximis abhinc ſeculis Philoſophiae ſtudium profeſſi ſunt. Cum enim inter diuerſas veterum Philoſophorum ſectas Stoicorum placita, nonnullis emendatis, in ſolidum iuris naturalis corpus facillime videantur potuiſſe componi, iſtis neglectis ſola Ariſtotelis dogmata in ſcholis rerum potita ſunt. Cuius viri admiratio neſcio quo fato per complura ſecula gentem ſcholaſticam ita velut attonitam reddidit, vt nihil perfectius ab humano ingenio proficiſci poſſe crederent, & ſummus eruditionis apex haberetur, iſtius ſcripta poſſe interpretari. Equidem quin inter ſumma ingenia, quae vnquam innotuerunt, Ariſtoteles ſit referendus, nemo talium rerum intelligens abnegauerit. Dicere tamen, ab eo caeteris nihil relictum, quo vlterius progrederentur, & in Creatorem iniurium, & in tot ſecula contumelioſum fuerit. Ne de aliis partibus Philoſophiae quid dicam, ſane ipſius Ethica, ſi ſeponas, quae de principiis actionum humanarum traduntur, vix aliud quam officia ciuis cuiuſpiam Reipublicae Graecanicae continere videtur. Sicuti & in politicis maxime prae oculis inſtituta Graecarum ſuarum ciuitatum habuiſſe, earumque libertatem cum primis aeſtimaſſe ipſum adparet; qui grauis eſt defectus diſciplinae vniuerſi generis humani vſibus inſeruiturae. Id quod peculiari ſcripto deducere animus erat, ni ingruens calumniatorum importunitas alio cogitationes auertiſſet, & alacritatem meam non parum refrigeraſſet. Cur enim me ſcribendo defatigem, ſi nullum aliud laboris praemium apud me manet, quam vt latratores a fama mea depellam.

§. V. Ne igitur res literaria diutius nobiliſſimam iuris naturalis diſciplinam deſideraret, prius effecit vir incomparabilis *Hugo Grotius*; tunc temporis otio literisque abundans in Gallia, quae in patria male habitum humaniſſime exceperat, idque inſtigante potiſſimum *Nicolao Peireſcio*, celeberrimo illo literato-

ratorum fautore & ἐργοδιώκτῃ. Quem tamen vt de eiuſmodi opere concinnando cogitationem ſuſciperet, monitum fuiſſe crediderim iis, quae a ſapientiſſimo *Bacone*, Angliae quondam Cancellario, ſuper augmentis ſcientiarum tradita ſunt. Hic enim vir praecipue noſtro ſeculo velut claſſicum ceciniſſe, & ſignum ſuſtuliſſe videtur, vt in rebus Philoſophicis aliquid vlterius & exquiſitius inueſtigaretur, quam quo hactenus ſcholarum parietes reſonuerant. Sic vt ſi quae eſt pulchrius noſtro tempore efflorescentis Philoſophiae gratia, iſti viro non minima ex parte debeatur. Accinxit porro ſeſe *Grotius* ad moliendum opus, in quo nulla priorum veſtigia ipſum regebant, admiranda inſtructus ingenii & iudicii felicitate, pari ſcientia literarum ſacrarum, iuris ciuilis, omnigenaeque eruditionis, & infinita lectione. Velut tamen diffiſus vniuerſam diſciplinam primo conatu abs ſeſe exhauriri poſſe, ita titulum operis temperauit, vt ne eidem temere imperfectio poſſet obiici. Caeterum quo adplauſu iſtud opus apud ſolidae eruditionis aeſtimatores receptum ſit, memorare nihil attinet. Et quantamcunque alii culturam aut polituram diſciplinae iuris naturalis addiderint, *Grotii* luminibus haud quidquam obſtruent, vt vt ab ipſo ſpicilegium haud ſpernendum ſequentium ingenio & induſtriae fuerit relictum. Neque eo minus illuſtre opus ſuos paſſum eſt manes. Cum enim vir iſte nulli inter Chriſtianos ſectae ita rigide ſe videatur addixiſſe, niſi quod ad illos proxime accedat, qui Arminiani audiunt; eoque fuerit ingenio, vt propter diſcrepantes opiniones non ſtatim in partes diſcedendum arbitraretur: a ſacri cum primis ordinis hominibus ſat aſpere acceptus fuit. Nam a Pontificiis quidem eiuſdem opus inter libros prohibitos eſt relatum, non tam ob ea, quae ipſorum placitis circa religionem diſſona continet, quam quia in vniuerſum ſolidior Philoſophia moralis rationibus regni tenebrarum aduerſatur; cum alias facile fuiſſet medicinam facere reſectis materiis Theologicis. Sicuti a noſtratibus hominibus factum eſt, qui contenti errores notaſſe, veris debitam aeſtimationem ideo non detraxerunt. Cum praeterea in opere tam denſis ſententiis conſerto non poſſint non plurima occurrere, quae vel dubii quid, vel obſcuri videantur habere: iſtis fulciendis aut illuſtrandis, ſimulque emendandis, quae & illum hominem fuiſſe arguant, nonnulli commentarios adornare inſtituerunt. Quos inter praecipue *Boeclerus* iudicium attulit & doctrinam Grotiano opere parem. Sed & aliorum vnus & alter operae pretium fecit non ſpernendum. Auſi tamen ſunt etiam in publicum commenta ſua protrudere homines adoleſcentes, aut leuiter literis tincti, aut non niſi nugis Sophiſtarum innutriti; quos non pauci alii videntur ſecuturi, qui & ipſi par ius ſibi credent perituræ non parcere chartae. Vt plane metuendum ſit, me ſucceſſu temporis tot in *Grotium* commentarii, quot in *Petrum Lombardum* aut *Inſtituta Iuris*, enaſcantur. Quorum moles tamen neque *Grotio* multum lucis, & diſciplinae iuris naturalis plurimum remorae adfert, colliſis inter ſe ipſis Commentatoribus, & lite orta non tam de veritate, quam de ſententia *Grotii*, denique nouis ſubinde exortis ſcriptoribus, qui in priores commentarios commententur.

§. VI. Post *Grotium* circa ius naturale operam quoque poſuit *Thomas Hobbes*, vir ſummo ingenii acumine; qui vti ipſe ſtudiis mathematicis innutritus

tus erat, ita & ἀκρίβειαν demonſtrandi mathematicis vſitatam doctrinae moralia accommodare, licet non vsque quaque modo ſcholaſtico adornatum, laborauit. Cui fini etiam certam doctrinae ſuae hypotheſin ſubſtrauit, in quam vltimo demum demonſtrationes ipſius reſoluerentur. Arriſit autem ipſi potiſſimum vetus *Epicuraeorum* hypotheſis, vel genii conuenientia, vel quod eam in praxi ciuitatum, omnia fere ad ſui conſeruationem & vtilitatem referentium, conſpiceret; vel etiam, quod aliquando ſuſpicatus ſum exemplo & aemulatione viri amiciſſimi *Petri Gaſſendi*; qui cum in Phyſicis maxime Epicuraeorum dogmata recolenda ſuſcepiſſet, *Hobbes* eiusdem in moralibus tradita nouo ſchemate induta in theatrum orbis eruditi producere inſtituit. Ni malis dicere, ipſum vim ingenii oſtentare voluiſſe, ſuſcepta defenſione hypotheſeos tam exoſae vulgo, & paradoxae. A quo non multum abit, quod *Sereniſſimus Magnae Britanniae Rex* ante aliquot annos *Samueli Sorbierio* de hoc *Hobbeſio* dixerat: *ſe illo viro vti in vicem vrſi ad moloſſorum vires tentandas & acuendas.* Quicquid huius ſit, id ſane adparet, hoc praecipue ipſum agere, vt poteſtatem regiam aduerſus turbulentos homines, qui tunc Angliam ſub obtentu libertatis grauiter exercebant, aſſereret, ſimulque ius circa ſacra ſummo imperio ciuili aduerſus fanaticos vindicaret. Quod inſtitutum vti in ſe quidem magnopere probandum eſt, modo iſthoc ius legitimis terminis coërceatur: ita ferri plane non poſſunt, hypotheſis ipſius ita crude aſſumta, & quae eidem ſuperſtruuntur dogmata quaedam, a ſana ratione abeuntia, & non exiguam labem rebus humanis inferre idonea. Ne de iis memorem, in quibus circa religionem Chriſtianam a vero ſenſu diuinarum literarum diuerſus abit; quibus deſtruendis operam impendere aliorum eſt. Neque tamen quisquam rerum intelligens inficias iuerit, inter multa mala reperiri quoque plurima exquiſite bona, & quantiuis pretii; & illa ipſa, quae ab eo falſa traduntur, anſam praebuerunt ſcientiam moralem & ciuilem ad faſtigium perducendi, ſic vt de non paucis, quae ad perfectionem iſtius faciunt, vix cogitare alicui in mentem veniſſet, absque *Hobbeſio* ſi fuiſſet. Caeterum oppugnatus eſt iſte tum a ſuae nationis hominibus, tum ab aliis, qui tamen non omnes parem ingenii laudem eo nomine adepti ſunt. Quantum tamen mihi conſtat, ipſius hypotheſin inter Anglos ſolidiſſime deſtruxit *Richardus Cumberlandus*, libro erudito & ingenioſo *de Legibus Naturae*; ſimulque aduerſam hypotheſin, quae ad Stoicorum placita proxime accedit, firmiſſime adſtruxit; quorum vtrumque & mihi propoſitum fuit. Et fateor me magnopere gauiſum, cum id ſcriptum in diuerſa terrarum parte eodem anno prodiiſſe conſpicerem, diſpari quidem facie adornatum, ſed quod tamen eandem mecum hypotheſin aſſereret, & pleraque a me in *Hobbeſio* notata deſtrueret. Nec ideo alterutrius noſtrum opera minoris eſt, cum vterque praeter illa communia etiam peculiaria quaedam habeat. nec minus dexteritatem ſuam adprobet iaculator, qui eundem cum altero ſcopum eodem tempore tetigit. Quid praeterea intra proximos abhinc annos in noſtra diſciplina elaboratum ſit, inſigne momentum eidem afferens, ob itinera bello heic loci, vbi iſthaec ſcribo, fere intercluſa nondum videre contigit.

§. VII.

§. VII. Qvid cauſarum me impulerit, vt & ipſe circa excolendum ius naturale operam nauarem, in praefatione Operis mei ſatis expoſui. In quo id praecipue me egiſſe adparet, vt quantum ingenio adſequi poſſem, omnia, quae ad diſciplinam iuris naturalis pertinent, complecterer, & in ordinem non hiulcum aut ſalebroſum digererem. Tum vt omnes controuerſias Theologicas ab eadem ſequeſtrarem, ipſamque ad captum vniuerſi generis humani, quod circa religionem in diuerſiſſimas opiniones diſceſſit, accommodarem. Id quod etiam ſolicite video egiſſe *Richardum Cumberlandum*, vt vt ipſe profeſſione Theologus eſſet. Scilicet quod nunquam natiuo nitore exſplendeſcere, & tranquilla velut pace laeta effloreſcere queat haec diſciplina, ni ſupra iſtas tempeſtates ſubducta fuerit. Praeſertim cum viri eruditi iniquiſſima lege cum talibus congrediantur, qui vel affectibus vel inſcitiae ſuae tam venerabilis vocabuli auctoritatem circumponere ſoleant, & non contenti ſuper veritate inquiſiuiſſe, omnibus viribus ad opprimendos aut infamandos ſuos aduerſarios connitantur, quos rationibus ſeſe ſuperaturos deſperant. Eo moleſtius iniquitatem ſortis meae fero, quod cum omni ſtudio id egerim, vt Theologis amicis vterer, ab illorum vno & altero potiſſimum initium ſit factum calumniarum, quibus loca quaedam libri mei exagitata ſunt. Neque ſermo mihi eſt de *Ieſuitenis Viennibus*, qui librum meum ad ipſos perlatum in publico mercatu Viennae vendi prohibuerunt, vt vt, cum ſuper hoc facto interrogarentur, nullam idoneam eius prohibitionis cauſam afferre poſſent. Nam id mihi apud ſapientes bonoſque commendationis efficaciſſimae loco eſt, quod iſtis hominibus mea ſcripta inuiſa ſint, vtpote quae cum rationibus regni tenebrarum, cuius ipſi columina ſunt, hautquidquam congruunt. Sed ſuper importunitate vnius & alterius ex noſtratibus queror, quibus licet verba ac mentem meam ſat perſpicue explanauerim, & quam longe abſim ab illis opinionibus, quas mihi affingere non verecundantur; tamen velut aures oculoſque ad meam reſponſionem obturaſſent, ita coeptam ſemel criminationem pertinaciter coccyſſare pergunt. * Igitur & veritatis & aeſtimationis meae aſſerendae cauſa viſum eſt, hanc quoque operam ſuſcipere, & denuo praecipua quae aduerſus librum meum obiecta ſunt, quantum quidem eorum in notitiam meam peruenit, explanare & diluere. Quo ipſo aequos doctoſque rerum cenſores manifeſte perſpecturos ſpero, ſi qui deinceps in me clamare perrexerint, id non aliam ob cauſam fieri, quam quod per improbam & impudentem iniuriae continuationem obtenturos ſeſe arbitrentur, vt ne iniuriam intuliſſe videantur. Mihi tamen hac opera defuncto fas deinceps erit, calumnias iſtas negligere, & qui reſipiſcere nolint, maleuolos liuori ſuo immerſos deſpicere. Cum enim in mea poteſtate non ſit, vt iſti bonam mentem habeant propriam, cauſa non eſt, quare me vlterius torqueam. Quin & infinitus iuxta atque inglorius labor foret, tantum ſcalpere, quantum iſti homines pruriunt.

Digitized by Google

* *

CAPVT II.

DE
NOVITATIBVS PHILOSOPHICIS.

§. I.

RECEPTA ſunt inter homines certa quaedam vocabula, odioſam alicuius rei notationem habentia, quibus iſtas velut per compendium, & citra allegationem alterius rationis damnari moris eſt. Ex quo genere etiam vocabulum *Nouitatis* eſt, quo illi qui in magiſtrorum ſuorum verba iurarunt, aut receptis ſemel opinionibus mancipio ſeſe addixerunt, magno cum ſupercilio proſcribere ſolent, quicquid ab ipſorum ſacroſanctis traditis diſcrepauerit. Cum enim ſe ſolos in poſſeſſione veritatis, omnibus numeris abſolutae, conſtitutos arbitrentur, & veritatem vniformem eſſe tralatitium ſit, eo ipſo grauiter antea ſibi incognita notari arbitrantur, ſi ea noua ſibi videri pronuncient. Sic Pontificiis ad dogma aliquod damnandum ſufficit, id haereticum declaraſſe. Sic inter opifices, qui in ipſorum tribum receptus non eſt, certo conuicio notatur, vt vt alias ſit callentiſſimus.

§. II. VIDEAMVS igitur, num ipſa nouitas in ſe aliquid vitii aut falſitatis contineat. Nouum aliquid duplici reſpectu dici poteſt, vel quod id recens exſiſtere coeperit, vel quod nuper in notitiam eius peruenerit, a quo nouum adpellatur. Priori reſpectu nouum eſſe, in ſe quidem nihil plane vitii habet; imo nouitatem, quae quidem cum bonitate coniuncta eſt, peculiaris ſua comitatur gratia. Aſt qui ideo doctrinam aliquam vitioſam velit declarare, quod noua ſibi videatur, illi hoc primo demonſtrandum fuerit, eam, quam ipſe hactenus poſſedit ſcientiam, non veram modo eſſe, ſed etiam omnibus numeris abſolutam, ita vt nil melius inueniri, aut eidem addi queat. Alias enim tyrone aut ſemidocto, etiam quae eruditis protritiſſima ſunt, noua ac mira videntur. Aſt quis erit ita ſibi Suffenus, vt tam perfectam rerum philoſophicarum ſcientiam ſibi arrogare praeſumat? Quantum eſt quod ſcitur! quantum eſt quod neſcitur! Igitur mittamus quaerere, quam noua aut vetus aliqua ſit doctrina, & illud vnice inueſtigemus, quam vera aut falſa eadem ſit. Et vero mirum eſt extare adhuc, qui ex nouitate in rebus philoſophicis inuidiam alicui mouere aggrediatur, cum conſtet, quam multa veteribus ignorata recentium, & noſtri ſeculi felicitas aut induſtria in Medicina, Aſtronomia, Matheſi, rebus naturalibus eruerit; imo quam ad plura noua inueſtiganda doctiſſimi viri ſub patrocinio & auſpiciis maximorum Regum & Principum quotidie adhuc connitantur. Imo ex nouis illis Catonibus libenter quaeſiuerim, ſi quis loci alicuius ex ſacris Scripturis nouam interpretationem eruerit; quam genuinam eſſe liquido

liquido demonſtrare queat, an non iſthaec omnino ſit admittenda, & vetus hactenus recepta, repudianda? Sane ſi quis iſtam ſolo nouitatis nomine repudiauerit, ſatis indicat, magis ſibi cordi eſſe hominum errantium auctoritatem tueri, quam Dei & veritatis genuina effata amplecti. Sed nimirum in aperto eſt, quod noua dogmata, priusquam vſu recepta fuerint, grauem ſaepe oppugnationem ſentiant, id a veteribus Ludimagiſtris oriri; qui non ſolum inuidia flagrare ſolent aduerſus recens inclareſcentia ingenia, tanquam luminibus ſuis obſtructura; ſed etiam ad auctoritatem hactenus partam defendendam neceſſarium vident omne illud opprimere, quod ab ipſorum ſcitis diſcrepat. Noua enim doctrina recepta, ipſi dictatura hactenus poſſeſſa deiiciuntur, & in Caeritum tabulas referuntur. Tum ab ipſis praelecta & commendata compendia, manualia, tabellae, ſynopſes, & quae veſtiuo titulo Vademecum ſuperbiebant, ad piper relegantur. Inprimis vero grauiſſima tunc ſtrages incumbit collegiis manuſcriptis, quibus excipiendis miſeri adoleſcentes tantam atramenti vim profuderant. Ex quibus etiam ratio patet, quare nouae doctrinae apud iuuenes maxime adplauſum inueniant. Nimirum quia ipſi non ſolum gloriae cupidi ſunt, & ſcientia nondum protrita oſtentare ſe geſtiunt; ſed etiam quia a praeconceptis opinionibus vacui nondum mentem ſuam in certam partem flexerunt; & praecipue quia exiſtimationis iſtorum nihil intereſt, an vetus doctrina collabatur, cui ipſi nondum nomina ſua dederunt. Multo minus autem reprehenſionem meretur illa nouitatis ſpecies, quae non tam conſiſtit in nouis veritatibus eruendis, quam in veteribus expoliendis, ac concinna methodo adornandis, aut qua diſiectae hactenus & confuſae res in formam artis digeruntur, & demonſtrationibus ſtabiliuntur; modo dignum ſit opera, quod hactenus receptis ſuperadditur. Talis enim labor in re literaria eandem laudem habet, ac ſi a magiſtratibus viae publicae muniantur, remotisque ſalebris atque ambagibus eaedem planae & directae reddantur.

§. III. Atqvi, reponunt aliqui, qualiscunque nouitas non in religione ſolum & Republica, ſed in re literaria & Philoſophia motus & turbas ſolet excitare; eoque ſatius fuerit, iamdudum tritam viam placito tenore decurrere. Saepe enim veteres opiniones & antiqua inſtituta ita penitus animis hominum ſunt inolita, vt etiam meliora introduci citra graues motus, ingentia mala producere idoneos, nequeant. Enimuero vti per minutae imperfectionis correctionem grauiſſima incommoda excitare, & lippitudinem eruto oculo curare abſurdum fuerit: ita ſuperiori ſeculo cum inſtauratores purioris religionis iudicarent, errores, qui receptae tunc religioni admixti erant, exitiabiles eſſe, non ideo omiſerunt eosdem impugnare & exturbare; etiamſi facile proſpicerent, iſthanc etiam in melius mutationem citra graues motus non perficiendam. Sic in republica rectores quaedam vitia inueterata quietis cauſa ſaepe tolerant; ſed vbi ea demum in exitium publicum eruptura videntur, periculis per ipſa pericula medicinam facere non dubitant. Quae autem in re literaria & Philoſophica emergunt nouitates ſaepe ſtrepitum excitant, ſed qui fere vltra nubeculam pulueris ſcholaſtici, & λογομαχίαν non procedit. Atramenti plus in hiſce

bellis, quam ſanguinis effunditur; & poſtquam ſcommata, cauillationes, conuicia, clamores, & reliquus adparatus vmbratici Martis eſt abſumptus, vltro malacia redit. Et vbi rixae iſtae Reipublicae moleſtae coeperint eſſe, facillimum eſt eas iniecto leui puluere, ſicut apum praelia, ſedare. Quod ſi a partibus nouitatum veritas ſtet, multoque magis ſi emolumenti quid in genus humanum exinde prouenire ſit aptum, veſaniae proximum fuerit, ſolertibus ingeniis torporem imperare, & eximia Creatoris dona abdicare ideo tantum, ne alicui veterum naeniarum cantillatori bilis moueatur. Ac ſi, qui ſuperiore ſeculo elegantiores literas inſtaurabant, magnopere curaſſent, quid *Magiſter Ortuinus Gratius* & id genus obſcurorum virorum indignaturi eſſent, barbaries forte in hunc vſque diem Europam ſepultam teneret. Quod ſi alicui graue videtur, tabellas & compendia, tanto adplauſu hactenus celebrata, iuuentutis manibus excuti, receptis nouis libellis, ei cogitandum fuerit, valde inſolens eſſe, cum tempus edax rerum & inuidioſa vetuſtas nobiliſſima humanae induſtriae opera deſtruat, tabellas iſtas indignari, ſi in puluerem, ex quo ſuccreuerunt, reuertantur; cum & nouos libellos, qui veteres nunc eiiciunt, deinceps idem fatum ſit manſurum, proueniente felicioris ingenii foetu.

§. IV. INSTAT tamen FRIDERICVS GESENIVS *Garlebienſium Superintendens;* Philoſophiae Carteſianae nouitates omnem paene Europam perturbaſſe, eoque ex *praepotentiſſima Batauia* & *munitiſſima Heluetia* fuiſſe proſcriptas: idemque meis nouitatibus fieri debere contendit. Ad quod repono; ſi quid in quacunque parte rei literariae minus recte ſeſe habeat, eius negotii curam nemini minus competere, quam *Geſenio:* qui quanta dignatione inter ſuos ſit, documento eſſe poteſt, quod Superintendens Lipſienſis ante paucos annos defunctus ad iſtius nugax & maledicum ſcriptum ſub nomine ſeruuli ſui, qui ſpurius erat, reſponſum edi curauerit; adeo indignum ipſum ducebat, qui cum honeſto viro ſcriptionis commercium intercederet. Deinde non video, quare mihi praeiudicio ſit, quod in Carteſium alicubi ſtatutum eſt. Sane non omnes in Philoſophia nouitates, ſed Carteſianae duntaxat notatae ſunt. Quae autem a me circa ius naturale expoliendum tentata ſunt, e Carteſianis principiis hautquidquam profluxere; neque cum ipſius Philoſophia quidquam commune habent, niſi quod vtrinque auctoritati veterum magiſtrorum parum defertur, qua firmis rationibus non ſubnituntur. Quod ſi autem nonnulli Carteſianae Philoſophiae ſectatores quaedam dogmata ciuitati Theologicae hactenus adſcripta ſolicitare coeperint, ea primo non Philoſophiae culpa eſt, ſed hominum eadem abutentium. Deinde & illud prius diſpiciendum erat, num dogmata a Carteſianis in dubium vocata fuerint vere Theologica, ſeu quae ſedem & fundamentum ſuum in expreſſis ſacrae Scripturae dictis habeant, an vero ex eo ſint genere, quae ex Philoſophia Ariſtotelica, aut Scholaſticorum commentis in ſyſtemata Theologica irrepſerunt, eoque Theologicam ſanctimoniam non ſua indole, ſed per diuturnam vſurpationem obtinuerunt. Nam priorem veritatem ſolicitare impium fuerit. Quae autem ad poſterius genus pertinent, vbi a veritate abierint, ſub examen reuocare non magis neſas fuerit, quam

quod

Digitized by Google

quod ſuperiori ſeculo purae religionis inſtauratores magnam vim traditionum & commentorum humanorum e Theologia exturbarunt. Quin ſi quis cordatus & ſolide doctus manum admouere velit, non paulo ſpiſſius volumen de abuſu vulgaris Philoſophiae poſſet conſcribere, quam *Samuel Mareſius* de Carteſianae Philoſophiae abuſu, intra quindecim dies conſarcinauit. Facit quoque heic illud Baconis Noui Organi L. I. c. 65. *Peſſima res eſt errorum apotheoſis; & pro peſte intellectus habenda eſt, ſi vanis accedat veneratio.* Praeterea neſcio, quas turbas memoret Praeſul Garlaeanus, per omnem paene Europam ex Philoſophia Carteſiana exortas. Sane de bellis, aut ſeditionibus aut inſignibus mutationibus in religione aut Rebuspublicis ex eo fonte ſcaturientibus ne fando quidem auditum eſt. Ridicule autem inter turbas Europae refertur impotentior rixa quorundam ludimagiſtrorum, aut pueriles factiones ſcholarium, pro auctoritate praeceptorum verbis, aut quandoque pugnis decertantium. Quod enim tanto cum clamore inter iſtos homines res geritur, in cauſa non eſt materiae grauitas, ſed plerumque inexpugnabilis illa peruicacia ſcholaſticis ingeniis vſitata, qualemcunque opinionem adhibito omni iracundiae inſtrumento defendendi. Sed neque auditum mihi vnquam eſt de interdicto aliquo ordinum generalium apud Batauos, quo Philoſophia Carteſiana e Republica proſcripta fuerit; cum eam vnus & alter ibi publice docere aut profiteri non vereatur. Et ſi maxime tale quid promulgatum fuiſſet importunitate eorum, qui quod iuuenes didicerant, ſenes dediſcere nolebant; tamen neſcio quodnam ea res veritati praeiudicium afferre queat, aut quid decreta Ordinum Hollandiae, aut magiſtratus Heluetiorum contra naturam rerum, ſanam rationem & experimenta faciant. Equidem facile largimur, Batauiam eſſe *praepotentiſſimam* & Heluetiam *munitiſſimam.* Sed num aut iſtius claſſes, aut huius montes aliquid momenti habent ad hoc, vt Sacerdotes earum regionum quam dexterrime de Philoſophia iudicaſſe cenſeri debeant? Enimuero quid Carteſianae Philoſophiae fiat, me quidem nec tangit, nec angit. Et ſi qua parte illa a rerum natura & ratione abit, recte impugnatur; quae cum vtraque conueniunt, ſuos reperient defenſores quantoscunque clamores & Scholaſticorum mancipia tollant. Eo minus autem aliquis abuſus in Theologia ex noſtra doctrina metuendus eſt, quod ego non ſolum eandem omni ſtudio a controuerſiis Theologicis remoueam, ſed & expreſſe proteſtatus ſim, ea, quae a me de natura poenarum traduntur, ad tribunal humanum duntaxat pertinere, non autem ad tribunal diuinum; eoque iuſtitiam, quam homo in hominem exercet, & iuſtitiam diuinam haud quidquam eodem modulo metiendam. Seu vt apertius dicam, articuli fidei de lapſu Adami, peccato originis, ſatisfactione Chriſti, fide, iuſtificatione hominis, & ſimiles non magis ex diſciplina Iuris naturae, ad captum omnium gentium adornata, diiudicari poſſunt aut debent, quam myſterium Trinitatis ex Phyſica.

§. V. Non minore animi ardore nouitates Philoſophicas impugnat *Valentinus Velthemius*, Profeſſor Ienenſis, cui magni inſtar piaculi habetur, quod ego id agere videar, vt Moraliſtae & Scholaſtici manibus iuuentutis ſtudioſae excutiantur. Inde acri inſtinctus oeſtro non ita pridem in promotione Magi-

Digitized by Google

ſtrorum orationem recitauit *de Laudibus Scholaſticorum*, quae, ſi digna tractatio acceſſiſſet, ob argumenti cognationem locum merebatur inter ludicras illas Eruditorum declamationes, puta, *Maioragii* de Luto, & *Danielis Heinſii* de Pediculis, & ni fallor Paſſeratii de laudibus Scabiei. Atque vt erudito ſeculo ſaliuam moueamus, locum ex illa declamatione adducemus, ex quo ſimul ſtratagema iſtius hominis, quo ingens cauſae ſuae praeſidium ſibi comparatum it, adparet, dum caniculae inſtar caudam ſub aluum deflectentis Theologorum pedibus adrepit. Cum igitur plurima ſuper argumento ſuo acerrima faucium contentione vociferatus eſſet, demum adiungebat: *Sed ne cum turba nobis res ſit, demus ei aduocatum, & quem alium, quam qui nouiſſime opus de Iure Naturae conſcripſit.* Et poſtquam verba ex praefatione operis mei huc ſpectantia recitaſſet, pergebat: *Vos venerandi mei Praeceptores Theologi, vos inquam rogo, vos obteſtor, eloquamini, per Deum eloquamini, an Moraliſtarum Princeps Thomas, Metaphyſicorum Papa Suaretz, Molina, Vaſquetz, Valentia, Conimbricenſes, Sanchietz, & beatus Stahlius noſter Scriptores aeternitate digniſſimi, nugas duntaxat venditauerint.* Vbi non poſſum quin maximas agam gratias *Velthemio*, quod ita ingenue arcanam, ac praecipuam cauſam prodiderit, ob quam tantos clamores iſti homines in me ſuſtulerunt. Scilicet quia aegre ferunt illi, qui omnem aetatem in Scholaſticorum lacunis contriuerunt, in votis mihi eſſe, ab orthodoxa iuuentute limpidos Doctrinae moralis fontes adiri. Quid enim in hoc genere praeſtabilius a me poſſet effici? De caetero quo minus elogiis Scholaſticorum oppido quam frigidis immoriatur *Velthemius*, ego quidem minime omnium inuideo. Habeat ille ſecum ſuas delicias, ſeruetque ſepulchro; gaudeant ſimilibus labra lactucis, conſeneſcat in nugis, denique vel viuus ob propagatum barbariei regnum in Beatorum claſſem tranſcribatur. Maiorem ſane mihi adplauſum apud ſolide eruditos polliceor, ſi Scholaſticos dixerim tractare Doctrinam barbaris vocabulis, friuolae ſubtilitatis ſpeculationibus adornatam, ſcientiae proficue inanem, aſtutiſſimo conſilio nutritam ad otioſa ingenia vanis diſputationibus diſtinenda, vt a ſcrutandis diuinis literis, ſolidaque eruditione, ſimulque fraudibus regni tenebrarum perſpiciendis remouerentur. Quae non ſolum per ſe nihil ad culturam aut decus vitae confert; ſed & peſtilentiſſima eſt, dum bonas & vtiles literas ſuffocat, ingenia vana ſcientiae perſuaſione diſtendit, veraeque ſapientiae incapacia reddit. Qua denique ſola qui imbuti ſunt, ne hilo quidem meliores, prudentiores, rebus gerendis aptiores, aut circa ſolida rerum diiudicanda perſpicaciores redduntur. Quin obſeruatum eſt, eorum, qui vnice iſtis nugis immerſi ſunt, ingenia velut ſideratione afflari, vt & circa tractanda ſolida & ſeria longe ineptiores, & in conuerſatione actuque communis vitae longe ſint intractabiliores, quam illi, qui ſola natiua ingenii bonitate ſubnixi nunquam literas attigerunt. Sic vt reuera praeſtet omnes literas neſcire, quam nihil praeter Scholaſticos noſſe. Et mirum quam miſere liberalitatem ſuam collocent Principes, qui ſtipendiis eiusmodi homines alant, per quos iuuentus nihil ſapere diſcat.

§. VI. Atqvi ad venerandos Theologos prouocat *Velthemius*, qui ſane Scholaſticam Philoſophiam nauci non faciunt, quippe absque qua negant ſe cum

cum Pontificiis diſputare poſſe. Ad hoc terriculamentum, quod velut caput Gorgonis mihi oſtentatur, repono; mea parum intereſſe, quam ſordida veſte illi ſuam Theologiam adornent. Nam ex eo nequaquam conſequitur, diſciplinam Iuris naturalis iiſdem quoque pannis inuoluendam. Neque enim mihi propoſitum eſt cum Pontificiis diſputare, ſed ius omnibus gentibus commune tradere ex principiis ad omnium hominum captum accommodatis. Neque inuenta eſt noſtra diſciplina, vt diſputanti materiam praebeat, ſed vt actiones ac negotia tum ſingulorum hominum, tum integrorum populorum ad eandem exigantur. Neque tam præclare de morali Philoſophia meriti ſunt iſti Scholaſtici, vt quia e re ipſorum fuit heic nugari, nobis quoque in eorum gratiam neceſſario nugandum ſit. Denique nulla me cauſa tam abiecte de me ſentire cogit, vt non ex meo potius iudicio diſciplinam Iuris naturalis tractare debeam, quam ex ſupercilio eorum, quorum ſputa *Velthemius* lingit. Præſertim cum nec illa ratio omnibus cordatis probetur, quare in Academiis orthodoxis fouenda & propaganda ſint Scholaſticorum commenta, quod alias cum Pontificiis diſputari non poſſit, & hoc ipſo natiuam Theologiae faciem non quidem fuco, ſed illuuie & ſqualore deformari neceſſum ſit. Cui enim fini cum hiſce diſputare volunt? An vt ex iſtis ſuffragia & teſtimonia pro firmandis noſtris dogmatibus petant? Atqui hoc leui & ſuperficiaria eorundem euolutione obtineri poteſt, & quae haud quaquam legentis animum aut dictionem tinctura ſua inficiat. Illis ipſis tamen ſuffragiis neque nobis opus eſt ad veritatem noſtram adſtruendam, neque operae pretium ſit circa conuincendos aut conuertendos, & velut propriis telis conficiendos Pontificios. Sane *Luthero* noſtro, & aliis purae religionis inſtauratoribus, de hac methodo Papatum ſubruendi in mentem non videtur veniſſe, qui dictis ſacrae Scripturae maluit rem gerere, quam diſputationibus Scholaſticorum, quos Sophiſticarum vocabulo notare ſolenne ipſi eſt. Quique ſatius duxit, Theologiam plano & perſpicuo modo ex diuinis literis proponere, quam barbarie & obſcuritate dictionis, aut Sophiſmatum importunitate cum aduerſariis certare, aut diſputationem a ſolidis & perſpicuis rebus ad intricata otioſorum aut aſtutorum hominum commenta ventilanda transferre. Neque vnquam videtur iſte vir crediſiſſe, vt quis nugatorem conuincat, neceſſum eſſe cum nugis iſtius ſe conformare; aut aciculis in hoſtem pugnandum, vbi gladii & tormenta ad manum ſunt. Et ſane ſuperfunctorie admodum rimati ſunt compagem regni Pontificii, qui putant, detrimenti quid poſſe eidem inferri, ſi quis diſputandi & ſophiſticandi dexteritate ipſorum Doctores Scholaſticos excelluerit. Quin & animaduerſum eſt, ex quo tempore quidam noſtratium Theologorum iſtis Scholaſticis pretium aliquod ponere coeperunt, neque in uniuerſum eosdem cum *Luthero* inter σκύβαλα numerarunt, res noſtrae religionis ſubinde in deterius iuiſſe, Pontificios contra fines ſuos promouiſſe, & ad recuperanda, quae quondam amiſerant, non parum ſpei concepiſſe. Quod ſi tamen quis ſit Theologus, qui ad perfectionem muneris ſui Scholaſticis ſe carere non poſſe perſuaſus ſit, ei quidem ego ſuas delicias minime omnium inuidebo, ſed vnum tantum ab ipſo rogo, ne mihi iraſcatur, ſi ego vetus & mucidum fermentum ex doctrina morali, eiusque praecipua parte, diſciplina nimirum Iuris naturalis, exeſſe iubeam.

CAPVT

CAPVT III.

DE STATV HOMINVM NATVRALI.

§. I.

Inter ea, quae a maleuolis meis ſecus intellecta inclamandi & culumniandi occaſionem arrepta ſunt, primum videntur locum occupare quae ſuper ſtatu hominum naturali a me tradita ſunt. Cum enim iſti neque quid ſtatus naturalis a me vocitaretur, aut quibus limitibus eius conſideratio includeretur, accurate attendiſſent, neque de ipſo aliquid in libellis moralibus, ſi quos euoluerant, legere ſe meminiſſent; in eam prolapſi ſunt opinionem, quaſi ex Theologia mutuo ſumpta ea dogmata forent, & quaſi de primaeua conditione protoplaſtorum in Paradiſo mihi ageretur. Eoque cum mea tradita de ſtatu hominum naturali a primaeua conditione Adami multis modis abire viderentur, grauiſſimorum me errorum eſſe reum atrociter vociferari coeperunt. Enimuero vel ex ſolo hoc ſpecimine conſtare poteſt, quam dura ſit conditio ſcriptorum, ad quae cenſenda homines ſemidocti, & liuore in ipſorum auctores tumidi prouolant: qui licet apud ſapientes turpiſſime ſe proſtituant, apud imperitos tamen & ſui ſimiles indignas ſaepe ſuſpiciones in viros innocentes excitare poſſunt. Vt autem maleuolorum meorum inſcitia eo facilius in apricum protrahatur, pauca quaedam praemittere neceſſum eſt, quae ad caeterarum quoque controuerſiarum enodationem multum conferre poſſunt.

§. II. Ac primo quidem conſiderare debuiſſent importuni iſti cenſores, quod diſerte in *praefatione Operis mei* profeſſus ſum, & in ipſa tractatione paſſim expreſſi; me diſciplinam Iuris naturalis inſtituiſſe tradare vniuerſaliter, ſeu ita, vt ea foret ad captum omnium hominum & nationum, quamcunque demum circa diuina perſuaſionem haberent. Qua de cauſa etiam quem iuuenilibus annis delineabam libellum, rudimenta huius diſciplinae continentem, titulo *Elementorum Iuriſprudentiae vniuerſalis* inſcripſeram. Eoque talia a me fundamenta huius diſciplinae conſtituenda fuerunt, quae ad captum omnium hominum eſſent, & ad quorum veritatem agnoſcendam omnes homines ope ſolius rationis adigi poſſent. Huius ſphaeram quae excedunt, quaeque ex reuelatione diuina dependent, apud omnes populos non aeque probata aut recepta, velut ſcopo noſtro parum inſeruientia, & ad partem duntaxat humani generis informandam idonea, ſepoſui. Eoque conſulto abſtinui ab illis quae in diuinis literis, rationis ſibi relictae captum ſuperantia traduntur. Caui inquam ſolicite, ne vllam controuerſiam attingerem, quae vel gentiles inter & Chriſtianos, vel inter horum ſectas agitari ſueuerunt. Cum autem doctri-

na

na de ſtatu protoplaſtorum in paradiſo ex ſolis diuinis literis hauriatur, & ex ſolo rationis lumine inueſtigari nequeat; debebant maleuoli ex praeſuppoſitis meis, ac praemiſſa proteſtatione colligere, mihi de ſtatu paradiſiaco ſermonem non inſtitui: neque hunc a me vocabulo naturalis ſtatus deſignari. Quanquam enim apud ſcriptores gentiles, Poëtas cumprimis de aureo ſeculo, & recentis adhuc mundi placida temperie quaedam iactentur, quae multi ex felicitate Adami in Paradiſo detorta autumant: iſta tamen vel ex cerebro Poëtarum plane conficta ſunt, vel ex dulcedine otioſae & diſſolutae vitae interpolata, quae priſcis Graeciae incolis ante inuentas vrbes & leges agitabatur. Sicuti & hodie gentes quam maxime incultae ſuam barbariem politiorum populorum culturae & diſciplinae longe praeferunt. Nam neque in iſta aurei ſeculi felicitate Poëtae vnum duntaxat par hominum, ſed inſignem iam eorum multitudinem vixiſſe memorant; & degeneratio morum, de qua illi canunt, non ad intrinſecam velut labem naturae humanae, ſed ad corruptelam ex praua conſuetudine ortam pertinet.

§. III. Deinde neque hoc inſuper habendum erat circa alia plus iuſto ſatagentibus, vocabula *naturae* & *naturalis* quam maxime eſſe ambigua. Eoque vti qui iſtis vſurus eſt, in anteceſſum perſpicue definire debet, in quo ſenſu iſta abs ſeſe accipiantur: ita plane abſurdum & malitioſum eſt, limites, quos ſcriptor ipſe ſibi conſtituit, migrare, & diuerſas vocabuli ſignificationes, iisque innixa dogmata nolenti volenti obtrudere. Perinde ac ſi quis ICtos haereſeos arceſſere velit, ideo quod ipſorum de poenitentia in contractibus placita toto coelo diſcrepant ab iis, quae Theologi de poenitentia ſeu conuerſione hominis ad Deum docent. Iam autem manifeſtum eſt, in quam diuerſis diſciplinis, & quam diuerſo ſenſu de ſtatu hominum naturali ſoleat & poſſit agi. Phyſicus ſtatum hominis ſeu conditionem naturalem capit, quatenus is opponitur monſtroſo, diſtorto, mutilo, aut male conformato; Medicus, prout idem morbido contra diſtinguitur. Quidam ex Interpretibus Iuris Romani, quando de ſtatu hominum tractant, diuiſiones hominum vel ſecundum ſtatum naturalem, vel ſecundum ſtatum ciuilem conſiderant. Iuxta naturalem ſtatum conſiderant hominem, prout eſt vel mas, vel foemina, vel hermaphroditus; & prout in vtero adhuc vel extra eum exſiſtit. Sic Theologi, ſi ipſis videatur, ſtatum integritatis poterunt vocare ſtatum hominis naturalem, qui oppoſitus eſt ſtatui naturae corruptae, ſeu in quam genus humanum per lapſum Adami deuolutum eſt. In diſciplina autem Iuris naturalis triplici a me modo ſtatus hominum naturalis conſideratus fuit. Vno modo, prout opponitur ſtatui & conditioni brutorum, per quem homo ſpectatur tanquam eximium prae caeteris animal, inſignibus a Deo praeditum donis, per quae idoneum fit Creatorem ex operibus ſuis agnoſcere, mirarique, & vitam agere honeſtate ac decoro ordine conſpicuam. Huic ſtatui & conditioni vocabulum naturalis recte tribuitur, quia non ex proprio arbitrio homines ſibi eiusmodi vitam elegerunt & inſtituerunt: ſed ad eam agendam obligatio a Creatore per ipſam natiuitatem iniuncta eſt, ad eamque cognoſcendam ſolum rationis lumen, quod nunc homini ſupereſt, vtique ſufficit, etſi illa vniuerſum hominis officium, quantum ad finem eiusdem ſupremum requiritur,

non plene abſoluat. Altero modo ſtatum hominis naturalem conſiderauimus, prout opponitur illi culturae, quae vitae humanae ex auxilio, induſtria, & inuentis aliorum hominum propria meditatione & ope, aut diuino monitu acceſſit. Ad quem ſtatum deſignandum ſuppoſuimus naturam hominis, qualis ea nunc deprehenditur prauis inclinationibus ſcatens, & quam ſumma indigentia, inſcitia, atque imbellia comitatur, antequam ab aliis hominibus quid opis ipſi acceſſerit. Quem ſtatum miſerrimum eſſe propter pauperiem, incultum, inſcitiam atque infirmitatem pronunciauimus, ſi cum eo comparemus commoditates, quae poſtea ope aliorum hominum aut propriam per induſtriam nobis accedunt. Quae quidem res ita manifeſta eſt, vt ſenſu plane deſtitui eum oporteat, qui iſta capere nequeat. Et ne quis arbitretur, in hac doctrina noui quid eſſe, is expendere poterit dicta S. Scripturae, verbi gratia, Iobi I, 21. Ezech. XVI, 4 5. 6. Eccleſ. V, 14. 1 Timoth VI, 7. & ſimilia, quae ſane homini naſcenti non multum ſplendoris aut opum circumponunt. Potuit autem & huic conſiderationi hominis vocabulum ſtatus naturalis non abſurde tribui, quod vtique vſus ſermonis communis ferat, naturalia, ſeu quae per natiuitatem adſunt, contradiſtinguere iis, quae facto alieno aut proprio poſt accedunt. Tertio modo ſtatum hominis naturalem conſiderauimus, prout opponitur ſtatui ciuili, per quem plures eidem ſummo imperio ciuili ſunt ſubiecti. Iuxta hanc conſiderationem illos inuicem in ſtatu naturali viuere patet, qui neque communem in terris habent Dominum, & quorum vnus alteri non imperat, aut paret, quique adeo nullo alio vinculo inuicem iuncti ſunt, quam quod ex communi humana natura reſultat, ſeu quod alter aeque homo ſit atque nos. Et iſthunc ſtatum naturalis vocabulo inſignire nobis placuit non ſolum exemplo recentium quorundam Politicorum, ſed & quia naturale ei, quod ex facto & pacto humano fluit, opponi vſitatiſſimum eſt. Hae igitur conſiderationes naturalis ſtatus quam parum pertineant ad ſtatum Adami in Paradiſo, de quo ex ſacris literis conſtat, vel pueri noſſe poterant, qui nondum aere lauantur. Quod ſi autem harum litium auctores excipere velint, ſe de ſtatu naturali in tabellis ſuis Ethico-Politicis, & in notis ad easdem MStis nihil legiſſe, & ne verbulum de eodem apud Metaphyſicorum Papam, Cardinales, Acoluthos, Oſtiarios & Exorciſtas haberi; eoque hoc vocabulo audito ſtatim Paradiſum ſibi animo obuerſatum: ſcire debebant, foedam hanc eſſe & plane inexcuſabilem praecipitantiam, quod ad cenſuram ferendam prouolauerint, antequam quod a me & quo fine traderetur, intellexiſſent.

§. IV. Qvibvs praemiſſis facile patet, quam malitioſe & imperite primus Indicis Architectus *Ioſua Schwartzius* mea verba in alieniſſimum ſenſum torquere conatus fuerit. Quod licet in *Apologia* mea ſat perſpicue expoſitum a me ſit: tamen pertinax ſtupor, aut corrigi neſcius calumniandi morbus certorum hominum neceſſitatem mihi adfert eadem denuo inculcandi; & ad veritatis iubar vltro coecutientibus forcipe palpebras diducendi. Vt igitur repraeſentarem indolem ſtatus hominum naturalis iuxta ſecundum modum conſiderandi, ita diſputare incipio L. II. c. 2. §. 2. p. 140. *Si concipiamus hominem in*

huncce

huncce mundum proiectum, citra vllam curam opemue ab aliis hominibus accedentem. & prout plurimae partes naturae rerum nondum per induſtriam humanam ad vſum hominis erant excultae ac diſpoſitae, ſtatum ipſius longe miſerrimum fuiſſe, manifeſtum eſt: ſi vel maxime iam iuſta praeditum ſtatura ac robore ponamus, quum primum exſiſtere coepiſſet. Ex hiſce verbis *Indicis auctor* pro candore ſuo talem propoſitionem elicuit: *Docet, illum ſtatum, in quo homo absque vlla cura vel ope ab alio homine accedente conſideratur, longe miſerrimum eſſe; ne illo quidem excepto, in quo homo iuſta ſtatura ac robore praeditus fuit, quum primum exſiſtere coepiſſet, hoc eſt, ſtatum Adami ante Euam creatam.* Quis non videt, vim verbis iuxta ac ſenſui meo inferri, & mihi plane Sermonem non eſſe de Adamo in Paradiſo? Sed vt eo clarius oſtenderem, qualis eſſet homo ſibi ſoli relictus, finxi duntaxat, aliquem hominem vndecunque in orbem incultum proiici. Idque ipſum ſatis inculcaui adhibitis vocabulis *concipiamus*, & *ponamus*; quae vſurpari non ſolent loquenti de iis, qui reuera exſiſtunt, ſed qui tantum finguntur, ſeu melioris declarationis ergo ſupponuntur. Si enim de Adamo ſermo fuiſſet inſtitutus, non opus erat dicere *concipiamus* ſtatum ipſius; qui non fingendus, aut per meram hypotheſin aſſumendus eſt, ſed quem reuera exſiſtentem in diuinis literis deſcriptum reperimus. Neque de Adamo pronunciari poterat, quod ſit in huncce mundum *proiectus*, quod de tali dicitur, quem vnde venerit neſcimus. Adamum autem velut deliberato Dei conſilio in mundum huncce introductum nouimus. Sic etiam de Adamo abſurde diceretur; *ponamus* eum iuſta ſtatura fuiſſe, cum exſiſtere coepiſſet. Hoc quippe non ponendum eſt, ſed certo conſtat, a Deo non infantem, ſed hominem iuſta ſtatura praeditum eſſe creatum. Quam porro malitioſe verba mea in aliam ſtructuram transmutantur! Cum enim haec ſit mea propoſitio: Etiamſi iſte homo ſolitarius, vndecunque in orbem incultum proiectus, ponatur fuiſſe iuſta ſtatura, cum coepiſſet exſiſtere, eius tamen ſtatus erat futurus miſerrimus; ex hac *Indicis auctor* talem concinnat enunciationem: Status illius hominis, qui iuſta ſtatura erat praeditus, cum primum exſiſtere coepiſſet, erat miſerrimus. Perinde ac ſi dicerem: *Schwartzius* etſi togam gerat ad talos deſcendentem, tamen totus quantus calumniator eſt; & illud ſic inuertere velim; quicunque togam talem geſtat, calumniator eſt. Aut ſi dicerem: Simia manet ſimia, etiamſi aurea geſtet monilia: ergo qui aurea geſtat monilia, eſt ſimia. De caetero quod eiusmodi homo, (qualem nos fingimus aut concipimus, vt oſtendamus, quid boni homini ab homine accedat,) ſit futurus miſerrimus, nemo tam ſtupidus eſt, qui perſuadere ſibi poſſit.

§. V. Nec minus ea verba, quæ dicto loco immediate ſequuntur, a *Schvvarztio* male habentur: *Inde licet de originibus primorum hominum ſacræ literæ tacerent, tamen ipſa mortalium primaeua indigentia & imbecillitas nobis fidem facerent, primam homines ſtirpem ſeruari non potuiſſe ſine peculiari Numinis cura, recentem & adhuc attonitum orbis incolam media vitae neceſſaria adhibere docentis.* Adparet puto vel mediocriter perſpicacibus, hiſce verbis continuari hypotheſin coeptam, ac ſatisfieri illi dubio; quomodo iſte, qui in mun-

dum proiectus fingitur, in tanta ignorantia & indigentia rerum ſeruari potuiſſet? Ad quod hiſce verbis reſpondetur; etiamſi quis ſacras literas ignoraret, ex quibus conſtat, Deum ante & poſt lapſum ſingulari cura primos homines complexum fuiſſe; tamen ſi quis ſolo rationis lumine vſus ſupponat, hominem vndecunque in mundum incultum fuiſſe proiectum, ſimulque conſideret eiusmodi hominis ignorantiam & indigentiam, non aliter colligere poteſt, quam impoſſibile fuiſſe eum ſine peculiari Numinis cura ſeruari potuiſſe. Quis non videt, heic per *primam hominum ſtirpem & recentem orbis incolam* a nobis non intelligi Adamum, ſed illum, qui in orbem incultum vndecunque proiectus fingebatur ſeu ſupponebatur. Scilicet ſi quis abſtrahat a cognitione ex ſacris literis hauſta, & ſuper originibus generis humani ex ſolo rationis lumine meditari incipiat; id ſane primo deprehendit, genus humanum non extitiſſe ab aeterno, ſed aliquando initium cepiſſe, & quidem orbe terrarum iam exſiſtente. Inde vlterius progrediendo alterutrum praeſupponere cogitur, primos illos homines vel infantes fuiſſe cumprimum exſiſterent, vel iuſta iam ſtatura praeditos. Vtrisque colligit tanta miſeria & inopia fuiſſe conflictandum, vt pereundum ipſis iterum fuerit, niſi Deus peculiarem eorum curam egiſſet, quousque eo prouecti forent, vt inuento adparatu aliquo vitae, & iuncta atque communicata ope ſuae indigentiae ſuccurrere didiciſſent. Et ad hoc colligendum inducit primaeua mortalium indigentia & imbecillitas, id eſt, quam indigi iam ſint homines & imbecilles, quando recens naſcuntur. Quis ita ſtupidus eſt, quin intelligat, haec ad Adamum non pertinere? Quanquam nec huic peculiarem Dei curam defuiſſe ex diuinis Scripturis apertiſſimum ſit. Sic & quod recentem iſtum incolam orbis terrarum dicimus *attonitum* fuiſſe, id nequaquam ad Adamum ſpectat, ſed ad eum, quem nos tantiſper ſupponimus. Talem enim ſi fingas repente in hoc mundo conſtitutum, omnium rerum ignarum prima vice adſpexiſſe clarum Solis iubar, vaſtiſſimum coeli ſpatium, ignotas arborum atque animalium ſpecies, mox obortas tenebras, coelum ſtellis conſitum, ſe ſolum inter omnia noua locatum; annon credimus talem iſta attonitum adſpecturum, quousque adſuetudo admirationem minuiſſet?

§. VI. Sed & alio ex loco conatur euincere *confeſſor Indicis*, quaſi Adamus in ſtatu integritatis a me miſerrimus fuerit pronunciatus. Ego enim cum L. II. c. I. inſtituiſſem oſtendere, quare naturae hominis non congruat, vt viuat exlex, rationes deſumo *ex conditione naturae humanae primigenia aut poſt ſuperueniente*. Cum enim in natura hominis deprehendantur quaedam egregia, quaedam praua, & vero per ſolam rationem firmiter demonſtrari nequeat, imperfectionem & labem illam ex culpa ipſius hominis proueniſſe; inde origo eius labis in medio relinquitur in diſciplina, quae vltra rationem adſurgere non vult. Etſi ex diuinis literis conſtet, quae praeclara ſunt in hominis natura ex primaeua conditione, praua, ex ſuperueniente eſſe. Vnde illi quidem, qui ſola ratione agit, non opus eſt explicare, ex quo fonte bonae aut malae affectiones hominis promanent. Sed Chriſtiana religione imbutus etiam me non monente intelligit, ex conditione hominis poſt ſuperueniente, id eſt, quae

per

Digitized by Google

per lapſum Adami in genus humanum redundauit, eſſe quoque hominis recens nati imbecillitatem; quae tanta eſt, vt niſi accedat aliorum hominum auxilium, vel pereundum ipſi eſſet, vel in animal quouis bruto horridius adoleſcendum. Eum locum hiſce verbis claudo: *Igitur quod homo non miſerrimam vitam inter omnia animantia degit, a coniunctione & ſocietate ſui ſimilium habet. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum non ad matrimonium duntaxat, ſed ad ſocietatem cum aliis hominibus in vniuerſum pertinet.* Heic manifeſtum eſt, ſermonem mihi eſſe non de Adamo in Paradiſo, ſed de infantibus in iſta, quae nunc conſpicitur, imbecillitate natis. Sententia autem illa, *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*, quae initio a Deo ad ſignificandam neceſſitatem comparis Adamo adiungendae proferebatur, a me latius extenditur, & ad praeſentem materiam adplicatur. Id quod in materia graui ſeriaque facere fas piumque eſt. Hinc patet, quantum ſpecimen calumniae ſit, quod *Index Nouitatum*, verba mea hoc modo adducit: *Illud autem, quod primus homo extra ſocietatem ſine lege, ordine ac decore fuerit, probari illo poſſe dicto putat: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum.*

§. VII. ALIA quoque corradit *Auctor Indicis*, quae cauilletur, tanquam pugnantia cum dogmatibus, quae ſuper primaeuo ſtatu hominis in noſtris Eccleſiis recepta ſunt. Dicit, [illegible] p. 140. *primos homines, prout in origine & ſtatu ſuo primaeuo ſe habuerunt, non tantum mortalium nomine appellare, ſed tantam etiam imbecillitatem illis tribuere, vt ſine peculiari cura ſeruari non potuiſſent.* Atqui iam abunde oſtenſum fuit, mihi dicto loco ſermonem non eſſe de ſtatu Adami paradiſiaco; ſed vnice mihi propoſitum fuiſſe quadam fictione repraeſentare conditionem hominis ab omni ope aliorum hominum in orbe terrarum adhuc inculto deſtituti, indicio capto ab illa imbellia, ignorantia, & incultu, quae naſcentes iam mortales comitantur. Haec quippe iſto loco nobis eſt *primaeua indigentia & imbecillitas.* Igitur nullo modo a me Adamo in ſtatu innocentiae mortalitas tribuitur; neque negatur mortem demum per peccatum in mundum introiuiſſe. Sic & manifeſta calumnia eſt, quod vlterius arguit, me aſſerere: *Mortalitatis cauſa genus humanum diuerſitate ſexus, propagandique ſe facultate creatum eſſe. p.* 750. Ita enim mea verba ſunt: *Poſtquam igitur morti obnoxium fuerat redditum genus humanum, ne aut noua ſemper ſtirps creando eſſet ſufficienda, aut tam nobilis ſpeciei duratio vnius aeui ſpatio extingueretur, ſapientiſſimus Creator proſpexerat diſcrimine ſexus, & naturali facultate indita commixtis corporibus ſeſe propagandi.* Heic ſane impudentiſſime mihi tribuitur haec propoſitio: genus humanum ab initio mortale creatum, eoque fine datam ipſi diuerſitatem ſexus. Sed dum verbis plusquamperfecti temporis vtor; *genus humanum morti fuerat redditum obnoxium, Creator proſpexerat;* ſatis innuo, ab initio genus humanum morti non fuiſſe obnoxium, ſed ex facto poſt accedente tale redditum. Et quia omniſcius Creator illum caſum vtique praeuiderat, eidem quoque velut euentualiter proſpexiſſe per diſcrimen ſexus, & facultatem propagandi, ne genus humanum vltra aetatem vnius hominis non duraret. Eoque per ſapientiam Creatoris generandi mediante ſexus diuerſitate vſum habuit in ſtatu hominis tam in-

Digitized by Google

tegro, quam corrupto. In illo enim ſtatu prouentura erat ſoboles primae integritatis haeres, vt plures Deus haberet cultores; in altero autem ſtatu prouentura erat ſoboles corrupta, ne per irrepentem ex peccato mortem intra vnam aetatem genus humanum interiret, poſtquam Deo viſum non fuit, extincto priore nouum genus hominum innocentium denuo creare; eoque maluit orbem terrarum a corruptis hominibus incoli, quam plane deſertum iacere. Patet ergo *Auctorem Indicis* eiusmodi errores in meo libro non inueniſſe, ſed de ſuo intuliſſe, ac poſtquam decreuerat omnino quosdam errores mihi impingere, verba mea quouis modo ad ſcopum ſuum detorſiſſe; quae ſane lectori aequo & erudito, & qui ex calumniis, vanisque litigiis gloriam non captat, tale quid vltro non inſinuant.

§. VIII. Non erubeſcit quoque *Auctor Indicis* aliam non paulo atrociorem calumniam circa hoc caput mihi impingere, dum hanc mihi ſententiam tribuit: *Quod homo prout ex creatione phyſice perfectus extra ſocietatem exſiſtit, ſine lege, ordine & decore reluctantem habuerit voluntatem, brutisque ipſis inferior ac prauior fuerit, quae cauſa, quamobrem lex illi ſuperaddita ſit. p. 34. p.* 136. 138. Si hoc artificium viris cordatis probatur, vt ex diuerſis locis non quidem integrae ſententiae, ſed ſingula verba combinentur, & nonnulla de alieno infarciantur; tunc ſane facillimum fuerit, vel ſanctiſſimis ſententiis diuerſos, eosque foediſſimos ſenſus tribuere. Nullibi enim in omnibus meis ſcriptis haec propoſitio extat: *hominem phyſice perfectum ſine lege, ordine & decore vnquam extitiſſe.* Quin potius contrarium doceo p. 6. vbi ſtatum hominis naturalem ex primo conſiderandi modo, per quam tenetur eſſe creatum auctorem ſuum agnoſcens, colensque, & opera eiusdem admirans, & cui vita ſit diuerſa a brutis exigenda, expreſſe trado hominem comitari *ab ipſa natiuitate.* Et p. 312. ex profeſſo explico *de obligationibus connatis, ſeu quae omnibus eo ipſo, quod praedita ratione animalia ſunt, inhaerent; ſeu quae ipſam naturam rationalem vt talem comitantur.* Quomodo igitur in mentem mihi venire potuerit, aſſerere, hominem phyſice perfectum vnquam ſine lege, ordine & decore extitiſſe? Si obligationes inſunt homini vt tali, quomodo lex vnquam ab eo abeſſe potuit? Sic & nullibi in meis ſcriptis doceo, *hominem ab ipſa creatione reluctantem rationi habuiſſe voluntatem, brutisque ipſis miſeriorem ac prauiorem fuiſſe.* Quin potius etſi meum non fuerit de hominis integritate aut corruptione tradere, cum ea doctrina Theologiae ſit propria; tamen vt omnem cauillationibus anſam praeſcinderem, diſertis verbis *conditionem naturae humanae* dixi eſſe *primigeniam aut poſtſuperuenientem.* Quo ipſo vtique ſatis pro ratione inſtituti mei, quod nequaquam fuit locos Theologicos conſcribere, inſinuaui, quicquid miſeriae aut prauitatis in natura humana iam deprehenditur, non ad primigeniam ipſius conditionem, ſed ad poſtſuperuenientem, mediante Adami lapſu, referendum. Et valde lippum eſſe oportet, qui cernere nequeat, ea quae dicto loco I. §. 5. traduntur, ad conditionem hominis primigeniam, quae §. 6. 7. 8. ad poſt ſuperuenientem ſtatum pertinere. Sed & in eo inſignis ſtupor *Schvvartzii* conſpicitur, quod putarit, quia dicto loco ex contemplatione naturae humanae colligo, non congruiſſe homini, vt viueret exlex; igitur me

me ſtatuere & praeſupponere hominem vnquam a lege immunem extitiſſe. Nullo inquam modo ſequitur: Quia incongruum eſt homini, ſi conditionem naturae ipſius contemplemur, vt ſit exlex; igitur homo vllo temporis momento ſine lege extitit. Sane enim & Medici, quando de vſu partium in corpore humano commentantur, non ſolum poſitiue oſtendunt, cui vſui quaeuis pars in corpore humano inſeruiat; Sed & quam incommodum, noxium, aut indecorum fuerit, ſi illa pars deeſſet. Num idcirco ſtatuunt aut praeſupponunt, iſtam partem aliquando abſuiſſe, & poſt deprehenſa ea incommoditate ſuperadditam? Si dicant, verbi gratia, congruum valde eſſe homini, vt ceruicem habeat flexilem, ne ſemper toto corpore ſeſe inclinare aut circumuertere opus habeat; Num ideo ſtatuunt, homines aliquando rigida ceruice extitiſſe, & vertebras poſt acceſſiſſe? Niſi quis forte eo abſurditatis velit deſcendere, vt dicat: Deum non potuiſſe velut in anteceſſum proſpicere, quid creaturae abs ſe producendae decorum ſit futurum, ſed capto prius experimento defectum deprehenſum ſuppleuiſſe. Sicut imperiti Architecti ſolent, qui iam extructa vbi diſplicuerint, reformant, & mutant quadrata rotundis. Scilicet imperfectionis humanae hoc opus eſt, tentando demum rei conuenientem formam adaptare, & Creatoris opera, ab ipſo vno velut momento abſoluta, per partes contemplari, & addendo aut abſtrahendo horum inter ſe conuenientiam & relationem rimari, vt hac via veſtigia ſapientiae diuinae vtcunque deprehenſa admirari liceat. Ex eo autem creaturarum attributa re ipſa ſeparare velle, & vnius ſine altero, exſiſtentiam comminiſci, ſumma ruditas aut malitia foret.

§. IX. Sed & ea, quae ſuper indole entium moralium in genere tradidi p. 3. ab *Indicis compilatore* arripiuntur, velut grandem errorem aduerſus primaeuum hominis ſtatum, prout Theologi hunc conſiderant, continentia, dum inter errores meos & hunc recenſet: *Attributa vel Entia moralia originitus homini phyſice perfecto ſuperaddita ſaltem, non concreata eſſe.* Vbi planiorem nobis reſpondendi viam feciſſet, ſi paulo diſertius explicaſſet, aduerſus quem articulum fidei noſtram ſententiam pugnare iudicaret, aut vbi in locis Theologicis de natura entium moralium in genere traderetur. Nunc coniectura tantum nobis indagandum eſt, quid ſcrupulorum ipſi ſuggeſſerit rerum moralium ignorantia. Et id quidem pro more ſuo *Auctor Indicis*, quod de ſuo infarciat haec verba, *non concreata*, quae in libro meo nullibi extant. Quin potius eorum contrarium a me docetur, eoque fingit iſte repugnantiam inter *ſuperaddi & concreari*, quae reuera nulla eſt. Deinde quantum ſupplicando licet aſſequi, id ſibi, aut aliis perſuadere voluit *Schwartzius*, a me ſtatui; hominem ab initio creatum partibus quidem phyſicis perfectum, ſed abſque omni velut moralitate, quae deinceps ipſi tanquam extrinſecum aliquod accidens, & quod eſſentiam ipſius non neceſſario comitabatur, ſit ſuperaddita. Ex quo conſequi ſomniat, a me negari, imaginem Dei fuiſſe homini concreatam, aut quod ea ad naturalem primi hominis perfectionem pertinuerit; ſed habuiſſe tantum rationem ornamenti cuiuſdam acceſſorii, quo ſublato de perfectione hominis nihil deceſſerit. Enimuero in hoc hominem iſtum ratio vehementer fugit,

quod

quod imaginem Dei in claſſem entium moralium conïicere vult, cum tamen illa quam maxime inter entia naturalia locum ſortiatur. Equidem videre mihi videor, quid iſtum mouerit; Putauit ſcilicet id omne ad entia moralia referendum, quod quemcunque reſpectum ad mores habet. Sed quo priuilegio, quam ſibi ipſe finxit definitionem, authentica erit? Aut quare cum ad librum meum calumniandum prouolaret, non id otii ſibi ſumſit, vt accurate conſideraret, quid mihi entia moralia dicerentur, quae ſuper earum origine & natura traderentur, quae claſſes denique earundem conſtituerentur? His enim perſpectis facile fuiſſet animaduertere, imaginem Dei & dona primi hominis, de quibus Theologi agunt, nullo modo ad entia moralia poſſe referri, prout illa a me definiuntur. Alias enim ſi quae iſte ſuper entibus moralibus ſomniat, obtinerent, in eorum claſſe quoque cenſeri deberent omnes libri, qui ad mores ſpectant, imagines itidem ſanctae apud Pontificios; tum ipſa templa, & campanae, atque earum ſonitus, quo homines euocantur ad audiendos ſacros ſermones morum emendationi ſubſeruientes; toga inſuper holoſerica ad talos deſcendens, capillus caſtigatior, collare fiſtuloſum, abdomen & ronchi, ſuperciliumque, tanquam grauitatem morum arguentia; denique & ipſum patibulum, cui maxima ineſt efficacia ad malos mores dedocendos. Quo cum nihil abſurdius dici queat, vel hoc indicio eſſe poteſt, quam turpiter ſe dare ſoleant homines ſemidocti, idiotis longe intractabiliores, magisque importuni, qui ad cenſuram ferendam prouolant ſuper rebus, quas vix primis labiis deguſtarunt; & quam horribilia fingendi anſam ſua inſcitia praebeat ingeniis turbulentis, & quibus ad famam, cuius tam ardens ſitis eos coquit, nulla alia patet via, quam ex litigiis aduerſus viros celebres ſuſceptis. Sicuti & ex eodem fonte promanat alius articulus *Indicis: Entia moralia eorumque effectus originitus etiam conſiderata amitti vel deleri pro lubitu poſſe ſine vlla mutatione aut corruptione eius rei, cuius antea fuerunt*, p. 4. & 19. Vbi itidem primo loco obſeruanda eſt foeda illa verborum meorum interpolatio; non niſi triobolaribus calumniatoribus vſurpata, quippe quae fraudem ita aperte apricatur. Nam nullibi in meo libro extant haec verba; *originitus etiam conſiderata*, quorum ſenſum mihi diuinando nondum tum ſuſpicando aſſequi. Sicuti & vocabulum *amitti* de ſuo addidit *confector Indicis.* Tum & dicto *pro lubitu* inſidioſe poſita eſt, quae fortaſſe imperitiori inſinuari poſſet; Entia moralia pro nudo lubitu eius, cui inhaerent, deleri poſſe: cum tamen haec ſint mea verba: Entia moralia eorumque effectus deleri iterum poſſe pro lubitu *eorundem*, a quibus ſuam habent originem, In quo ipſo cum vtique momenti aliquid ſit ad iſtorum naturam exprimendam, a viro candide agente id omitti non debebat. Denique & hoc malitioſe eſt poſitum; *ſine vlla mutatione aut corruptione eius rei, cuius antea fuerant*. Quod non leuiter abit a meis verbis; *nulla mutatione phyſica in re cui erant ſuperadditi prouueniente*; item, *ipſa perſonarum aut rerum ſubſtantia phyſica haut quidquam immutata*. Sane enim licet ſubſtantia *phyſica* ſubiecti non mutetur, ſublato ente morali; poteſt autem eandem ſublationem grauis mutatio, aut corruptio alterius ſequi. Sic, verbi gratia, vbi ſtatu ſuo quis exuitur, eius ſubſtantia phyſica non mutatur; ſed nihilo ſecius grauiſſima

uiſſima inde mutatio ipſi prouenire poteſt, quae ad contemptum, inſultationem aliorum paupertatem, aliaque mala illum deducere valent. Sic dominio in res ſuas amiſſo non mutatur ſubſtantia phyſica hominis, moleſtam tamen idem mutationem inde ſentit, e diuite pauper factus. Sic diſpenſator ille iniquus munere dimotus ſuam ſubſtantiam phyſicam retinebat, vt tamen mox de inſolitis laboribus aut mendicitate metuere inciperet. Igitur cum ego de mutatione ſubſtantiae *phyſica* ita ſolicite inculcarim, malitioſum eſt, pro ea ſubſtituere *vllam* mutationem aut corruptionem. Sed haec ideo tantum a me paulo latius deducta ſunt ad oſtendendas foedas calumniandi artes iſti homini tam familiares. Nam ad me ab opinione erroris eximendum ſufficit dixiſſe; Imaginem Dei, qua primus homo praeſulgebat, & qua per lapſum amiſſa natura noſtra labe peccati originalis eſt infecta, non fuiſſe ens morale; ſed fuiſſe perfectionem quandam phyſicam naturae humanae, eoque ipſa ſublata vtique ſubſtantiam phyſicam hominis ſenſiſſe mutationem, dum morti variisque imbecillitatibus ac ſenſui tot malorum obnoxia fuit reddita.

§. X. Porro quos *auctor Indicis* ex vocabulis *ſuperaddendi* & *imponendi* ſcrupulos concepit, illi itidem ignorantiam agnoſcunt parentem. Neque ex eo quod dicimus, entia moralia rebus iam exſiſtentibus & phyſice perfectis ſuperaddi inferre licet; nos aſſerere, hominem per vllum temporis momentum reuera extitiſſe omnibus entibus moralibus vacuum. Sane nos de ſtatu hominis naturali p. 6. & obligationibus congenitis p. 312. diſerte docemus, quae homini vtique coaeuae ſunt, & ſine quibus nullo momento temporis homo extitit. Sed dum indolem entium moralium penitus rimamur, deprehendimus ea diuerſum quid eſſe a ſubſtantiis, eoque ad modos, aut ſi ita mauis, accidentia eſſe referenda. Iam autem modorum natura eſt, vt intelligantur; praerequirere ſubiectum aliquod, cui inhaerent, quod licet non ſemper tempore, tamen natura & ordine concipiendi prius eſt. Eoque ſumma inſcitia eſt, ſi quis natura & ordine concipiendi prius quid altero dicat, arguere, quaſi idem tempore quoque prius exſiſtere aſſerat. Sane & circa attributa phyſica prius Subiectum, quam adiunctum, prius materiam, quam quantitatem concipimus, vt vt illa nunquam ſine hac extiterit. Quia porro entia moralia non ex ſubſtantia & qualitatibus hominis phyſicis reſultant, ſed originarie a determinatione, decreto atque imperio Creatoris; inde iſtorum ſubiectum non aliud animo concipere poſſumus, quam hominem phyſice perfectum, cui iſta attributa ex impoſitione Creatoris ſuperaddita intelligantur. Nam de caeteris entibus moralibus, quae ex impoſitione hominum proueniunt, manifeſtum eſt, illa ſubſtantiae hominis iam perfectae poſt ſuperaddi, eoque & tempore poſteriora ipſo homine ſunt. Vnde & patet, τὸ *concreari* & *ſuperimponi* imperite ſibi opponi; cum vtique dentur entia moralia, quae humano generi concreata, id eſt, in ipſo creationis momento ſuperimpoſita ſint. Eoque ſuperimpoſitionis vocabulo non notatur productio aliqua creationi quoad tempus poſterior; ſed idem adhibetur peculiariter ad exprimendum modum originarium producendi entia moralia; ſicuti ex vſu Theologorum modus originarius entia Phyſica finita producendi creatio nuncupatur.

Digitized by Google

§. XI. Caeterum *Schwartzius* longe poſt flagellatum Indicem interuallo, calumniam, quam ſupra §. 8. excuſſimus, alia diſſertatione remouere non erubuit, etſi pauliſper interpolatam hoc modo: *Reluctante legi voluntate, qua nunc viuitur, velut re per ſe & naturam ſuam indifferente, creatum eſſe hominem.* Vbi mirari libet hominis veſaniam, cui non ſuffecit de eadem calumnia ſemel conuinci, & inſuper ruditatem ſuam foedis modis apricari. Nam iſthaec propoſitio, quam mihi malitioſe affingit, reuera eſt ineptiſſima; & aperte contradictionem inuoluit, *aliquid legi reluctans indifferens eſſe ante reſpectum ad legem.* Quod perinde eſt, ac ſi dicerem, qui pedalem habet barbam, citra reſpectum ad barbam imberbis eſt. Deinde & hoc magnam ipſius in rebus moralibus inſcitiam arguit, quod indifferentiam de voluntate dici poſſe putet. Sane bonitas & malitia, quando ſunt attributa actionum, medium habent, indifferentiam. Sed quando perſonae aut rei Phyſicae, in quam bonitatis aut malitiae denominatio cadere poteſt, non datur medium, verbi gratia, inter rectum & prauum, iuſtum & iniuſtum, integrum & corruptum. Ex quo genere eſt etiam voluntas hominis, quam aut bonam aut malam, ſeu integram, aut corruptam eſſe oportet: indifferentem, ſeu quae neque bona neque mala ſit dari abſurdum dictu eſt. Denique miſerabiles plane ſunt conſequentiae, quas ex ſomniis ſuis elicit; quaſi nempe ex ſententia, quam mihi affingit, ſequatur: Deum creaſſe aliquid, quod infinitae ipſius ſanctitati & iuſtitiae aduerſatur, Filium Dei de rebus per ſe indifferentibus hominem factum, in vita aeterna rebellionem affectuum locum habiturum. Quarum ineptiarum abſurditas clarius adparebit, ſi haec illatio cum theſi mea conferatur. Ita enim iſte ratiocinatur; Si lex in ipſa creatione homini ſuperaddita, & nunquam ſine lege homo fuerit. Et Deus creauit aliquid, quod infinitae ipſius ſanctitati & iuſtitiae aduerſetur. Id eſt, quia Deus ſtatim in creatione hominem eſſe bonum iuſſit. Ergo eundem malum ipſe creauit. Item: Si Deus nullo momento hominem ſiuit exlegem eſſe. Ergo Filius Dei de rebus per ſe indifferentibus homo factus eſt. Item: Quia malitia hominis poſt creationem ipſi ſuperuenit. Ergo in vita aeterna rebellio affectuum locum habebit. Antecedens meum eſt, illatio *Schwartzii.* Quem animi morbum eiusmodi ratiocinia arguant, Medici viderint.

§. XII. Denique & illud ſummi ſtuporis eſt argumentum, quod maleuoli ſtatum hominis naturalem, de quo mihi ſermo eſt, confundere inſtituant cum *ſtatu purorum naturalium*, quem Scholaſtici quondam commenti ſunt. Quirites veſtram fidem! Quid cognationis mea dogmata cum iſtis commentis habent? Vbi ego de puris naturalibus Scholaſticorum ago? Vbi locorum mihi inquiritur, dona gratiae, ſeu quae hominem in ſtatu gratiae ponunt, Adamo eſſe concreata, an poſt ſuperaddita? Neque vero qui vocabulo ſuperaddendi in alia materia vtitur, is ſtatim cum *Bellarmino* ſentit. Et plura vtique ſunt, quae homini ſuperaddita dici poſſunt, praeter ea, de quibus inter Theologos noſtrates & Pontificios diſceptatur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

DE FVNDAMENTALI PROPOSITIONE LEGIS NATVRALIS.

§. I.

POSTQVAM conſtitutum mihi fuerat, Ius naturale in iuſtae formam diſciplinae redigere, cuius partes inter ſe bene cohaererent, & ex ſe euidenter fluerent; Prima cura fuit circa conſtituendum idoneum fundamentum, ſeu propoſitionem fundamentalem, quae videlicet omnia eiusdem praecepta compendio complecteretur, & ex qua iſta facili & perſpicua ſubſumptione deduci, in eamque reſolui poſſent. Quae quidem, ſi congruere debebat ſcopo noſtro, quo eam diſciplinam ad captum vniuerſi generis humani attemperare, & ſupra controuerſias circa peculiarem cultum diuini Numinis eleuare ſtudemus, debebat talis eſſe; vt non ſolum caetera praecepta per euidentem conſequentiam inde fluerent, ſed & vt eiusdem veritas ex ſolo rationis lumine exſplendeſceret; adeoque ad eandem agnoſcendam omnes homines perſpicuis demonſtrationibus adigi poſſent, quamcunque de modo propitiandi Numinis haberent opinionem. Neque enim opus erat, vt iſthaec propoſitio eſſet ex earum numero, quae communiter natura notae vocantur, ſeu quarum euidentia citra ratiocinationem intellectui ſeſe adprobat. Sed ſufficiebat eam ex eiusmodi extructam obſeruationibus, quas ipſa natura rerum & hominis ſuppeditat, & quae a nullo ſanae rationis compote in dubium vocari poſſunt. Haec porro propoſitio licet eundem in diſciplina iuris naturalis vſum praebeat, quem in phyſicis & aſtronomicis exhibent hypotheſes; eadem tamen hypotheſis proprie dicta non eſt, ideo quod non duntaxat tanquam vera ſupponatur, non definito, vtrum reuera cum natura rerum congruat, an minus; ſed eius veritas & exſiſtentia manifeſtis & certis demonſtrationibus vtique ſubnitatur. Quod ſi quis vocabulo *fundamenti* in alio ſenſu vtatur, faciat id ſuo lubitu, dummodo non putet, eo ipſo ſe mihi contradicere, aut per ea, quae ipſe ſuper caepis declamat, deſtrui ea, quae ego de alliis commentor. Sicuti VELTHEMIO *fundamentum Iuris vocatur id, quo aliquid aptum eſt, vt ſit vel fiat Ius*; & in ſpecie *fundamentum naturalis iuris conſtituitur natura obiecti iuris naturae, ideo quia actus illi, qui obiectum iuris naturalis eſſe dicuntur, talis naturae ſunt, vt ſi quis recta ratione vtitur, & de hiſce practice iudicare vult, aliter iudicare nequit, quam quod huiusmodi actus ex ſua natura neceſſarii ſint in genere morum.* Quae κυρία δόξα promulgatur ab ipſo in prooemio *Synopſeos Inſtitutionum iuris naturae* § 22. *manuſcriptae*. Quae vbi publici Iuris facta fuerit, orbem erudi-

eruditum nouum ſidus irradiabit, quod ſplendeat velut inter ignes Luna minores.

§. II. Talem igitur, quam deſignauimus, propoſitionem fundamentalem vt inueniremus, viſum fuit eas, quae a quibusdam loco talium adhibitae ſunt, paulo curatius excutere, &, num ſcopo noſtro congruant, examinare. Ex hoc ipſo enim ratio adparebit, quare caeteris ſepoſitis illa quam elegi, ſeſe potiſſimum potuerit adprobare. Primo igitur loco excutitur, quod ICti Romani ius naturale pronunciauerunt id, quod natura omnia animalia docuit, ita vt ad hoc ius ſpectent illi actus, in quos connata quadam neceſſitate fertur, aut a quibus refugit hominum aeque, ac brutorum animalium indoles. Ex horum mente fundamentalis propoſitio legis naturalis haec eſſet: in quoſcunque actus homines aeque ac bruta feruntur, illi legi naturali praecepti, quos vtrique refugiunt, eadem lege vetiti intelliguntur. Iſthaec propoſitio quare a nobis repudiata ſit, non opus eſt, vt heic repetamus. Neque ad rem facit, quod non nemo hoc ſenſu ius naturale in bruta cadere tradat, quatenus brutorum certae actiones inſtinctu quodam, voluntatibus hominum ſimili, peractae congruant cum diuini Numinis ordinatione, & eatenus ſint iuſtae; & per conſequens in bruta hactenus cadere rectitudinem ſuorum actuum, quatenus ſecundum ordinationem diuinam peraguntur. Nam hoc non obſtante diſſimilitudo & inadaequatio inter actus hominum, & brutorum remanet, dum diuerſum vtique ſcopum actibus hominum, quam brutorum Creator praefixit, & diuerſae ſpeciei brutorum actus non minus cum hominum actibus, quam inter ſe diſcrepant. Et ſi vel maxime regulam illam, iuxta quam Deus ab aeterno actus creaturarum ſuarum regere decreuit, legem Dei aeternam vocare velimus, cuius intuitu brutorum aeque ac hominum actus aeterna lege Dei regantur, aut ad eandem quadrent; hautquaquam tamen ideo actus brutorum & hominum eodem modulo metiendi ſunt; cum lex illa aeterna bruta regat tanquam machinas vel automata quaedam, queis nulla abs regula ſibi praefixa diſcedendi libertas, aut voluntaria & deliberata ad eandem conformatio; eadem autem lex regat homines, tanquam tales, quibus actuum ſuorum antegreſſa cognitio & libertas eſt.

§. III. Inde tanquam ſcopo meo incongruam reieci theſin iſthanc: quod in ſe & ſua natura honeſtum aut turpe eſt, id lege naturali praecipitur aut vetatur. De qua ſequenti capite peculiariter erit diſceptandum. Tum vlterius a me inquiſitum; num commode ad finem meum adhiberi queat dogma noſtratibus Theologis familiare; quod ius naturale ſit ἐκτύπωμα iuſtitiae Dei eſſentialis; adeoque num in diſciplina iuris naturalis, ad omnium hominum captum accommodata, propoſitionis fundamentalis vicem ſubire poſſit iſthaec: Quicquid cum iuſtitia Dei eſſentiali congruit, id lex naturalis hominibus praecipit; quicquid eidem repugnat, eadem lex hominibus interdicit. Haec propoſitio, quare a nobis non potuerit ad eum, quem diximus, ſcopum adſumi, L. II. c. 3. §. 5. & in Apologia §. 9. & 25. expoſitum fuit. Qua ſuper re ne cuipiam ſcrupulus remanere queat, denuo eam quantum poteſt perſpicue inculcare taedio non erit. Ac primo quidem obſeruandum eſt, ea quae ſuper iu-

ſtitia

ſtitia diuina nobis perſpecta ſunt, vel ex ſolis diuinis literis hauſta eſſe, rationi noſtrae in ſe incognita, vel ex lumine rationis, conſpirantibus ſimul ſacris Scripturis, innotuiſſe. Ad poſteriorem claſſem pertinet, quod Deus promiſſa ſua firmiter ſeruet, in verbis ſuis ſit veraciſſimus, nemini iniuriam faciat, munus velut iudicarium in creaturas legibus obnoxias incorruptas exerceat, etſi regulas iuſtitiae diuinae vindicatiuae non parum a regulis iuſtitiae in foro humano exercendae abire, ſatis patere poteſt, ſi quis ea, quae nos L. VIII. c. 3. tradidimus, cum articulis fidei, qui ad munus velut iudiciarium Dei reſpectum habent, conferre velit. Et quidem vt haec iuſtitia competat Deo eſſentialiter, id eſt, vt hoc attributum ex perfectione ipſius eſſentiae neceſſario reſultet, & vt per eſſentiae ſuae perfectionem non poſſit aliter cum creaturis ſuis quam iuſte agere. (Nam iuſtitia etiam in Deo concipitur tanquam attributum, quod reſpectum ad alios inuoluit.) Non autem quod adſuetudine ſibi talem perfectionem comparauerit, aut quod ad eam exercendam lege aliqua a ſuperiore lata obligetur. Ad priorem claſſem ſpectant ea dogmata de iuſtitia diuina, quae ſubſternuntur & implicantur articulis fidei Chriſtianae de lapſu Adami & ſubſecuta inde miſeria generis humani; de incarnatione Filii Dei, eiusque ſatisfactione, merito, & paſſione; de iuſtificatione hominis; de poenis impiorum aeternis. Haec vti captum humanae rationis ſuperant; ita eadem excedere regulas iuſtitiae humanae, eoque has ad illam adplicandas non eſſe, diſerte proteſtati ſumus L. VIII. c. 3. §. 2. Nam niſi quis huic diſcrimini iuſtitiae diuinae & humanae preſſe innitatur, mihi quidem non adparet, quomodo Socinianorum ſtrophis ſatisfacere queat, qui regulis iuſtitiae humanae ad iuſtitiam diuinam translatis, articulos iam memoratos, adeoque integrum ſyſtema Theologiae Orthodoxae ſubuerſum eunt. Quae ergo a me obiter ſuper iuſtitia diuina tanguntur, vnice ad poſteriorem claſſem pertinent. Prioris generis dogmata captum humanae rationis ſuperantia Theologiae in ſolidum reſeruantur.

§. IV. Deinde quamquam Deum eſſe iuſtum eſſentialiter etiam ex lumine rationis notum ſit; tamen quo minus hoc effatum; (eſſentialem Dei iuſtitiam eſſe πρωτότυπον legis naturalis, & hanc eſſe illius ἐκτύπωμα,) vicem propoſitionis fundamentalis in diſciplina Iuris naturalis ſubire poſſit, graues rationes obſtant. Sane enim non poteſt ſola ratio noſtra, quae tamen pro vnico cognoſcendi principio noſtrorum dogmatum circa ius naturale fuit aſſumpta, perſpicere, quod Deo neceſſum fuerit, iuſtitiam, quae in homines cadere debebat, exprimere ad propriam & eſſentialem ſuam iuſtitiam; aut quod neceſſum ſit creaturam perfectionum diuinarum adaequate praeſertim, repraeſentare. Deinde rationi noſtrae ſibi ſoli relictae iuſtitia humana prius cognita eſt, quam iuſtitia diuina, eoque in diſciplina ſoli rationi ſuperſtructa loco fundamenti adſumi non poteſt, iuſtitiam humanam diuinae eſſe ἐκτύπωμα. Ratio enim humana ſibi ſoli relicta Deum ex operibus ſuis cognoſcit, eiusque attributa colligit ex perfectionibus, quae cum in aliis creaturis, tum in homine praecipue conſpiciuntur, depurando imperfectiones, quae ex eſſentia finita, aut mole corporea proueniunt, & ad captum diuinae eminentiae iſtas attemperando. Sic quando animaduertimus

timus praeſtantiam & perfectionem in ſe habere, ſi homo fidem datam ſeruet, verax ſit, nemini iniuriam inferat, ius incorrupte dicat; colligimus ſane, hanc perfectionem in eo vtique intelligendam, qui prima eſt cauſa, & huius vniuerſi ſummus Moderator, modo tamen longe nobiliore, & qui in Ente eminentiſſimo & independente locum poſſit inuenire. Vnde inconueniens eſt, id quod intuitu noſtrae cognitionis poſterius eſt, ſupponere tanquam fundamentalem propoſitionem, ex qua id, quod ordine cognitionis prius eſt, deducendum ſit. Accedit, quod ratio noſtra non parum diſcriminis inter iuſtitiam diuinam & humanam deprehendat. Nam vti iam dictum, iuſtitia diuina eſt eſſentialis, humana imperata. Iuſtitia humana exercetur inter natura aequales, ſuperiori tribunali obnoxios; diuina a Creatore coeli & terrae aduerſus hominem terricolam. Quae homo ex iuſtitia exhibet alteri, ad ea exigenda hic Ius habet: atqui ad aliquid a Deo exigendum nulla creatura ius habet; quippe cum etiam quae ex promiſſo Deus nobis praeſtat, eius gratiae in acceptis referre debeamus; & omnes pii exſecrantur impudentiam iſtius Monachi moribundi, qui velut ſuo iure Deum coelum poſcebat hiſce verbis: Solue quod debes. Scilicet, homo non debet aliter, quam iuſte facere, Deus non poteſt non iuſte facere. Tum etiam actus quidam ſunt iuſtitiae humanae, qui in Deum ob eminentiam eſſentiae ipſius cadere non intelliguntur; vti ſunt non pauci actus iuſtitiae vniuerſalis, & illa iuſtitia particularis, quae contractus regit, ad ſubleuandam indigentiam humanam in ventos. Vnde ſi quis ex ſaepedicta propoſitione praecepta legis naturalis deducere inſtituat, deprehendet, non ſolum conſequentiam ſaepe fore ineuidentem, & quam ſola ratio comprehendere nequeat, ſed & illud principium non vna parte eſſe inſufficiens. Sic ſi ita colligere velim; homo debet pacta ſeruare, quia Deus ſua promiſſa ſeruat; homo non debet iniuriam homini facere, quia Deus nemini iniuriam facit: iſthaec connexio ſoli rationi euidens non eſt, cui infinitum diſcrimen inter Creatorem coeli & terrae, & homuncionem ſemper animo obuerſatur. Aſt ſi ita inferam, Reddite debita veſtra, quia Deus reddit ſuis creditoribus; eſtote grati, quia Deus eſt gratus aduerſus ſuos benefactores; obedite regi, quia Deus obedit ſuperioribus ſuis; honorate parentes, quia Deus honorat parentes ſuos, ineptam & falſam rationem allegaſſe iudicabitur. Quae omnia qui probe expenderit, facile probabit rationem meam, quare alia propoſitio fundamentalis mihi fuerit inueſtiganda. Praeſertim cum non ratio ſolum, ſed & ſacra Scriptura inadaequationem inter iuſtitiam diuinam & humanam diſerte agnoſcat. Sane enim non minima pars iuſtitiae humanae eſt, quae in contractu emptionis venditionis conſpicitur; aut quae cernitur in retribuendis beneficiis. Atqui neque illa per Pſalmum L, 10. 11. 12. neque haec per Roman. XI, 35. in Deum cadit.

§. V. Isthaec quanquam in ſe ſint planiſſima; omnem tamen lapidem mouent aduerſarii, vt errorem aliquem mihi heic impingant. Et primo quidem in occaſionem calumniae arripiuntur haec mea verba: *Hinc & quando Deo tribuitur iuſtitia; non illa eſt intelligenda reſpicere aliquam obligationem, aut ius in altero, ſicut iuſtitia humana id infert. Sed quia talem agendi modum perfectiſ-*

fectiſſimae ſuae naturae congruere ipſe operibus & per reuelationes oſtendit: inde eidem mortales id vocabulum adplicamus, quo quae recte a nobis aduerſus alios aguntur, exprimimus. p. 134. Heic quid ſcrupuli cordato, & a litigiis alieno oriri poſſit non diſpicio. Adſeritur eo loco haec theſis, quod libertas Dei legibus proprie dictis non circumſcribatur. Aduerſus hanc obiici poterat, in Deum cadere iuſtitiam, ſeu Deum iuſtum eſſe. Iam autem iuſtitiam tam perſonae quam actionum inuoluere reſpectum ad legem. Iuſtitiam enim cuique tribuere, quod legibus ipſi tribui iubetur; & iuſtum vocari, qui alteri talia tribuere ſtudet; eoque talem haud quidquam ſibi libertatem omnimodam poſſe tribuere. Ad quam obiectionem reſpondetur; iuſtitiam Dei, & iuſtitiam humanam non per omnia pari paſſu ambulare. Nam iuſtitiam humanam reſpicere obligationem, quae legem & ſuperiorem ponit; quia homo ad iuſte agendum obligatur per legem ſuperioris. Alterum autem, aduerſus quem iuſtitia eſt exercenda, habere ius ad id obtinendum, vel perfectum, vel imperfectum; id eſt, vt quod ſibi debetur, poſſit exigere vel per modum belli, ſi viuat in naturali libertate, vel actione in foro intentata, ſi ciuis ſit; vel ſaltem vt poſſit ſuper iniquitate non tribuentis querelam mouere. Horum autem nihil in Deum cadit, quippe quo ſuperior non datur, qui legem ipſi praeſcribere, aut obligationem iniungere queat: & aduerſus quem nemini ius competere poteſt, deficiente foro, & quia quicquid creaturae habent boni, bonitati ipſius in acceptis referunt. Quia tamen perfectioni diuinae eſſentiae congruit tali modo cum creaturis agere, vt & promiſſa ſua conſtantiſſime ſeruet, & nemini iniuriam faciat, & ſupremi Latoris atque aſſertoris legum, iudicisque munere incorrupte fungatur: inde huic attributo diuino, ex quo Deus tali modo agere intelligitur, idem vocabulum iuſtitiae tribuitur, quo homines ſolent exprimere, quae recte ab ipſis aduerſus alios aguntur. Quanquam enim eiusmodi vocabula, quae aeque attributis Dei & hominum tribuuntur, tanto eminentiorem perfectionem in Deo, quam in hominibus notent, quanto diuina eſſentia humana eſt nobilior; iisdem tamen vocabulis vtraque attributa fuerunt exprimenda, non ſolum quia per lumen rationis a cognitis perfectionibus humanis ad perfectiones diuinas vtcunque inueſtigandas adſcendimus: ſed etiam quia alias nullum conceptum formare apud nos poſſemus attributorum diuinorum, ni vocabula ſignificationis ante nobis notae ad ea adplicarentur. Iſthaec igitur verba hactenus explicata ita detorta adducit nouarius *Index: Statuit Iuſtitiam ad Deum propter ſimilitudinem ſaltem, talem nempe agendi modum ad Deum adplicari, Deoque ἀκύρως, imo etiam minus Deo quam hominibus competere.* p. 134. 166. §. 9. p. 177. §. 12. Heic adparet, priora quidem verba mutilate eſſe adducta, & prout ab ipſo exprimuntur, nullum plane ſenſum prae ſe ferre, niſi quod infeſtiſſimus calumniator hoc inſinuare velle videtur, quaſi a me plane iuſtitia diuina negetur. Quae quam atrox ſit calumnia, ex iam dictis ſatis patere poteſt. Par illi eſt, quod mihi affingit, quaſi ſcripſerim, *Deo iuſtitiam ἀκύρως competere.* Quod dictum nullibi in meo libro extat. Equidem p. 166. a me ſcribitur; *valde ἀκύρως dici, Deum a ſe ipſo, aut a ſua eſſentia obligari;* nimirum quia obligatio proprie dicta & quae vinculum iuris

eſt.

eſt, principium aliquod extrinſecum & ſuperius praeſupponit. Sed num ideo Deus ἀκύρως iuſtus dicitur, quia iuſte agit propter eſſentiae ſuae perfectionem, non autem propter obligationem extrinſecus accedentem? Num iuſtitia eſſentialis minus κυρίως iuſtitia eſt, quam imperata, & habitualis? Denique concolor auctori mendacium eſt, quod in Indice ſcribitur, a me ſtatui; *iuſtitiam etiam minus Deo, quam hominibus competere.* Num ſi dicam, iuſtitiam diuinam & humanam non eodem modulo metiendam; diuinam naturam eminentioris eſſe indolis, quam humanam; quosdam actus iuſtitiae humanae, qui nempe praeſupponunt indigentiam, in perfectionem Dei non cadere; ideo ſtatuo iuſtitiam Deo *minus* competere, quam hominibus? Perinde ac ſi dicerem; Deus non opus habet eiusmodi operoſa ſtructura oculi ad videndum, ſicut homo. Ergo Deus minus clare intuetur res, quam homo. Sic p. 177. dico: *Iuſtitiam diuinam & humanam eodem modulo metiendam eſſe, hautquidquam inde ſtatim euincitur, quod in ſacris literis ſaepe ad exemplum Dei reuocamur,* Luc. VI, 36. Matth. V, 44. 45. XVIII, 33. *quippe cum in illis locis argumentum a minori ad maius ductum videatur.* Vbi nimirum id doceo; quando iubemur miſericordes eſſe, *ſicut* & Pater noſter miſericors eſt, non ſtatim inferendum eſſe, miſericordiam diuinam & humanam eiusdem indolis eſſe, aut eodem modo & ex eadem cauſa Deum teneri ad miſericordiam exercendam, qua homo tenetur: verum ἐνέργειαν eius dicti hoc modo longe ſolidius exprimi; Si Deus ſupremus omnium, beatiſſimus, αὐταρκὴς, nulla vnquam venia indigens, eſt miſericors erga creaturam ſuam, quae peccato iram ipſius in ſe prouocauit; quanto magis par eſt hominem miſericordem eſſe erga fratrem, cuius venia & auxilio ipſe quoque opus habet. *Damus hanc veniam, petimusque viciſſim.* Si herus miſericors eſt erga ſeruum, quanto magis ſeruus debet eſſe miſericors erga conſeruum. Si Deus oriri Solem facit etiam ſuper malos, quanto magis par eſt hominem benefacere ſuo inimico: hominem, inquam, qui & ipſe aliis tam crebram offenſarum materiam praebet, & qui aliorum auxilio tantopere indiget. Vbi ſane manifeſtum eſt, licet hoc genus ratiocinandi a minori ad maius adpelletur, non ideo tamen neceſſario attributum illud commune minus priori quam poſteriori ineſſe. Sic ſi dicam: Si Rex, in ſumma fortuna conſtitutus, humanus, modeſtus, ab omni faſtu & luxu alienus eſt; quanto magis modicae conditionis ciuem his virtutibus ſtudere par eſt, cuius opes ſtultitiam non patiuntur. Ratiocinium hoc bene ſe habet; ſed inde non ſequitur, neceſſario iſtas virtutes minus ineſſe Regi, quam cuipiam priuato; cum vtique Reges dentur animo modeſtiſſimo & a vanitate alieno, multi contra priuati & tenuis fortunae homines intolerabili faſtu turgidi.

§. VI. Opponvnt quoque nobis auctoritatem noſtratium Theologorum, quibus legem ſanctitatis, miſericordiae, iuſtitiae & perfectionis diuinae ἐκτύπωμα, & velut ἀπεικόνισμα adpellare familiare eſt. Ad quod regerimus, alio nos fine, & ex aliis fundamentis de lege naturae tractare, quam Theologi, qui iſthanc doctrinam ad indolem & vſum ſuae diſciplinae attemperant, & Scripturas ſacras pro adaequato principio ſuorum dogmatum habent, rationem tantum

in

in ſecundas partes admittunt, & Scripturis diuinis ancillari iubent. Igitur quae iſti ſuper lege diuina ex ſuo principio tradunt, id noſtrae diſciplinae nullo modo praeiudicare poteſt. Deinde & illud conſtat, iſtam ſententiam totidem verbis in literis ſacris non extare, ſed inuentam a Theologis, & elogii loco legi diuinae adplicatam, vt ſanctitatem atque iuſtitiam legiſlatoris, & perfectionem ipſius legis inde aeſtimemus. Nequaquam autem ea dictio eſt cauillanda, aut vltra illorum ſcopum & intentionem, & rei ipſius naturam extendenda. Neque crediderim vlli vnquam, cui ea ſententia vſurpata ſuit, in mentem veniſſe, ex vocabulo ἐκτυπώματος, aut ἀπεικονίσματος hoc exſculpere; quod iuſtitia Dei aduerſus creaturas ſeſe exſerens, rationales cumprimis, & iuſtitia hominibus inuicem exercenda quoad omnes partes ſibi inuicem reſpondeat, Deoque eadem, quae hominibus, officia incumbant. Multo minus autem arbitror aliquem eousque delirare, vt cum *Schwartzio* ſtatuere velit: *Qui neſcit legem Dei eſſe adaequatum ἐκτύπωμα iuſtitiae diuinae, is ignorat legem, neſcit peccatorum deformitatem, non capit denique neceſſitatem Saluatoris.* Quid eiusmodi ſequela aegrius fingi poteſt? Aſt ego infinitos fuiſſe dico, qui iſtorum articulorum fidei plenam & ſaluificam cognitionem habuerunt, quibus tamen nunquam in mentem venit, Creatorem ἀνυπεύθυνον, & incorporeum iisdem officiis adſtringere, quibus hominum conditio eſt obnoxia, imperio ſuperiorum ſubiecta, & corporea mole preſſa. Sane qui cerebrum non habet in calcaneo, facile capere poteſt, plurima officia hominum, adeoque plurimas partes iuſtitiae humanae, ſubiectionem, & naturam corpoream praeſupponere, nec citra hanc intelligi poſſe; quae Deo, tanquam enti ſupremo & incorporeo attribuere abſurditas blaſphemiae proxima foret. Vix operae pretium fuerit aliam ineptiam *Schwartzii* heic repetere, qua taxare voluerat id, quod ſcripſeram: Deum eſſe veracem in ſuis verbis & promiſſis, & munus velut iudiciarium incorrupte exercere. Aduerſus quae ille magno cum ſupercilio crepabat: *Deus eſt iuſtus non ῥηματικῶς, a verbis, aut δικαστικῶς, a iudiciis ſolum, ſed & οὐσιωδῶς ab eſſentia; eoque iuſtitia proprie magis illi quam hominibus competit.* Vbi quidem exagitare nolo ſtolidam applicationem terminorum Graecorum ῥηματικῶς & δικαστικῶς, qua ignorantiam Graecae linguae oſtentare voluit; ſed quaeſiuerim tantummodo; vbinam ego negauerim Deum eſſe iuſtum eſſentialiter? aut quae heic ſit oppoſitio; & quid obſtet, quo minus, qui dicitur fidelis in ſeruandis promiſſis, verax in verbis, incorruptus in adminiſtranda iuſtitia, idem haecce attributa habeat eſſentialiter? Denique eousque rabies calumniandi *Schwartzium* agitabat, vt tandem ſeipſum Photinianiſmo adſtringeret, dum in quadam concione, qua virus ſuum e loco ſacro in me euomere conſtituerat, ita pronuntiabat: *In Rege exſerit ſeſe imago iuſtitiae diuinae. Nam ſicuti Deus non ſolum clemens & miſericors, ſed ſimul etiam iuſtus eſt, & in iudicio & iuſtitia regnat: ita etiam Rex pro conditione cauſarum, temporum & perſonarum ſeueritatem & zelum iuſtitiae loco lenitatis adhibere nouit.* Atqui ſi iuſtitia Dei & iuſtitia Regum pari paſſu ambulant, tunc neceſſario ſequitur: Sicut Rex pro conditione cauſarum, perſonarum & temporum iuſtitiae ſeueritate vtitur, ſed extra ſimilem conditionem ex clementia condonat delicta citra vllam interuenientem ſatisfactionem; ita & Deus vbi

 con-

conditio cauſarum, perſonarum, & temporum id requirere peculiariter videtur, iuſtitiae ſeueritate vtitur, ſed extra ſimilem conditionem ex clementia condonat delicta citra vllam ſatisfactionem. Quid eſt cum Photinianis neceſſitatem Saluatoris euertere, ſi hoc non eſt? Adparet igitur iſtam lucernam Eccleſiae, quae tam tenebricoſas ſpargit flammas, acri emunctorio opus habere.

§ VII. Facile quoque ex hiſce colligi poteſt, quare a nobis reiectum ſit ius illud Deo cum hominibus commune, quod aliqui ſtatuunt. Sane enim cui ex ſolo rationis lumine res diiudicantur, nullo modo concipere datur, quod eodem iure adſtringi poſſit aut ad eandem legem actiones ſuas formare teneatur. Deus ſupremus omnium Dominus, & homo diuino imperio obnoxius; cum praeſertim multa, ad quae homines iure ſeu legibus adſtringuntur, in Deum propter eminentiam & perfectionem naturae ſuae cadere nequeant. Et quanquam in non paucis Deus eodem modo ſe gerat erga creaturas, ſicut homines ſe inuicem gerere iubentur, in ſacris quoque literis pii non ſemel ad exemplum Dei imitandum reuocantur; non tamen ideo ſtatim actiones Dei & hominum ex eodem principio promanant, aut ad eandem normam exiguntur. Nam Deus propter eſſentiae perfectionem non aliter poteſt agere; homo autem propter incumbens ſibi Dei imperium non debet aliter agere. Sicuti & id nemini perſuaderi poteſt, Deo non plus licere in hominem, quam vni homini in alterum hominem. Neque vtique ſequitur, quod quis alteri agendum iniungit, ad idem quoque ipſum teneri. Igitur ex ratione quidem tale ius Deo & hominibus commune, & quidem vtrinque adaequatum, nemo vnquam exſculpſerit. An iſtud liquidis Scripturae ſacrae dictis adſtrui queat, nondum mihi conſtat. Equidem allegat *Schwartzius* dictum 2. Tim II. 13. quod ipſe pro dictatoria ſua auctoritate ita παραφράζει; *Voluntas Dei nulla ratione a legibus naturae ſuae diſcedere poteſt.* Fateor tamen, me nondum eſſe ita perſpicacem, vt videam iſthaec conſequi: Si Deus fidelis eſt, vt vt hominum fides fluxa ſit, & ſeipſum abnegare nequit; Ergo Deus eſt obnoxius legibus. Iactatur etiam trita illa ſententia; *Deus ſibi ipſi eſt lex.* Quam imperitus valde foret, qui cauillari velit, cum eius acumen hoc modo ſit explicandum; Dei naturam ita perfecte bonam eſſe, vt nulla lege aut norma, impulſiue exteriore ad hoc vt recte agat, praeter ipſam opus habeat; & iſthaec ſola normae & obligationis locum in ipſo ſubeat. Et in hoc praecipue relucet perfectio diuinae naturae, quod per eam quidem non poſſit non recte agere, & tamen quicquid agit, liberrime agat; cum in creaturis vniformis modus agendi libertatem vel plane tollat, vel minuere aut circumſcribere videatur. Si popularia ad rem quid facerent, dici quoque poſſet, hunc mundum magnam eſſe ciuitatem, cuius ſupremus Rector Deus eſt. Quemadmodum igitur in ciuitate Princeps ſubiectis quidem leges praeſcribit, ipſe autem legibus ſuperior eſt, vt tamen vltro faciat ea, quae in ipſius perſonam poſſunt cadere; Sic & Deus creaturis leges fert, ipſe legibus ſuperior, vt tamen vltro faciat, quae maieſtatem & perfectionem ſuam decent. *Velthemii* diſſertatio, quam ſuper hoc argumento conſcribilaturum ſe minatus eſt, in manus meas non peruenit, quae fortaſſe anſam prae-

bere

Digitized by Google

bere poſſet pluribus ea diſcutiendi, quibus diuinam maieſtatem quidam in ordinem redigere laborant. Interim ex *Synopſi* ipſius perſpicio, illum conari hanc difficultatem tollere adhibita diſtinctione inter obligationem, quae ex imperio ſuperioris prouenit, & eam, quae ex natura ipſius actus reſultat. Vnde quando Deus obligari dicitur, ſenſum eſſe; *Dari certos actus per ſe & ex ſua natura debitos, in genere morum, vt ſalua perfectione ſua morali Deus hos actus omittere nequeat.* Enimuero illa obligatio ex natura actus nulla eſt; neque quaeuis neceſſitas agendi ex obligatione aut iure prouenit, cum aliquid etiam ad certi quid agendum determinari queat a ſuae naturae conditione; ad quod proprie loquendo obligatum dici nequit. Nam obligatio in doctrina morum proprie dicit neceſſitatem a ſuperiore latam in ſubiecto, cui diuerſum agendi naturalis facultas eſt. Vnde profanum eſt, ius & obligationem, quae in ſua natura ſubiectionem inuoluunt, Diuinae Maieſtati obtrudere; cum quantumque iſtos terminos ab imperfectione deputare inſtituas, nil niſi obligationem & ius improprie dictum exſculpere inde queas, cuius ſenſus huc tandem redit: Deus propter perfectionem ſuam quaedam non poteſt non agere, & quaedam propter eandem non poteſt non omittere. Vbi & hoc monendum eſt, male a *Velthemio* adpellari perfectionem aliquam Dei *moralem*, cum omnes perfectiones in Deo ſint eſſentiales, & quantum mihi conſtat, ex vſu omnium Philoſophorum perfectio moralis vocetur, quae vſu, & diſciplina adquiritur, & tanquam habitus animo inhaeret.

§. VIII. Caetervm dum illibatam Dei libertatem aſſertum imus, *Schwartzius* pro more ſuo mentem & verba mea in ſiniſtrum detorquere ſenſum fatagit; dum in exſecrabili ſuo *Indice* talem mihi theſin affingit: *Deum, eo quod agens liberrimum eſt, naturae ſuae legibus ita non teneri, vt hoc vel illud (intellige peccata) agere non poſſit, affirmatque omnia illa, quae non agere poſſe dicitur, non per naturale impedimentum, ſed ex placito vel voluntate non agere, legemque ſibi ipſi non niſi ex placito eſſe*, p. 133. Quam diabolicam plane calumniam etſi in *Apologia* mea iam ſatis caſtigaui; tamen quia hoc ſcripto omne maleuolorum virus iunctim abſtergere conſtitui, pleraque heic repetere non pigebit. Et quantum ſcelus priora verba continent, quando iſta ſtatui a me mentitur; *Deum naturae ſuae legibus ita non teneri, vt hoc vel illud (nempe peccata) agere non poſſit.* Quae ſententia in hanc propoſitionem reſoluitur, Deus poteſt peccare. Aſt qui verba mea candide expenderit, fateri cogitur, hoc quidem ſeculo atrociorem calumniam non fuiſſe auditam. Ita enim ſunt verba mea: *Omnimoda libertas, & omnis impedimenti aut defectus neſcia in ſolum Deum O. M. cadit, quae tanquam nobiliſſimum attributum perfectiſſimae ipſius eſſentiae concipitur. Quae & ipſa nullam circumſcriptionem admittit, & cum omnipotentia eſt coniuncta. Vnde quod Deus quaedam non agit, aut non omnia ſemper agit, illud non eſt ex defectu libertatis, ſed ex proprio beneplacito.* Vbi ſane nemo tam caecus eſt, quin videat, per iſta *quaedam* non intelligi hoc loco, nec poſſe intelligi peccata, ſed talia, quae alias ſalua perfectione diuina a Deo agi poſſe videbantur. Nam de peccatis in verbis immediate ſequentibus

ſermo eſt; & nemo vnquam tantopere delirauit, vt talem quaeſtionem formaret; An Deus peccet? ſed ita quandoque ſolet quaeri; An Deus poſſit peccare? Manifeſtum eſt igitur, in iſtis meis verbis, quae calumniator ita foede detorquet, contineri reſponſionem ad hancce quaeſtionem tacitam. Cum Deus ſit liberrimus & omnipotens, & abyſſus eius potentiae & bonitatis nondum ſit exhauſta, quare tamen quaedam non agit, aut non ſemper agit, quae alias a perfectione ipſius abhorrere non videntur? Ego heic nihil aliud habeo quod reſpondeam, quam quod beneplacitum Dei ita ferat; & ſolam hanc rationem reddere ſimplicius & in diuinam Maieſtatem reuerentius duco, quam ſubtilia commenta adornare, quibus omnipotentia diuina in ordinem redigitur, & iudicii noſtri anguſtiis circumſcribitur. Et hanc rationem niti arbitror non ſolum ſana ratione, ſed etiam dictis Scripturae, Pſal. CXV, 3. Epheſ. I, 11. Deinde vlterius dicto loco rationem reddo, quare Deus non poſſit quaedam, nempe peccata, agere. *Quod autem idem quaedam non poſſe agere dicitur, id non prouenit ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, naturali aut morali, ſed ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperatum concipimus.* Scilicet, quod Deus non poſſe peccare dicitur, id non eſt ex *impedimento extrinſecus accedente naturali*, id eſt, vi maiore validioris, nec *morali*, id eſt obligatione a ſuperiore profecta. Neutrum enim cadit in eum, qui ſuperiorem non habet. Sed prouenit hoc ex placito ſeu voluntate rectiſſima, & quae conuenit Enti maximo & praeſtantiſſimo. Vbi quod placiti ſeu voluntatis Dei, tanquam Entis ſupremi & perfectiſſimi, potiſſimum mentionem fecerim, rationem hanc attuli, quod vbi de libertate Dei ſermo eſt, conuenientius videatur eiusdem perfectioni exprimendae voluntatem, qualis in perfectiſſimum ens cadere poteſt, velut principium ipſius actionum aſſignare. Tum vt ea perfectio, qua Deus peccare non poſſe intelligitur, cum ſumma libertate coniuncta exprimeretur, & non pro tali impoſſibilitate peccandi haberetur, qualis in brutis & rebus inanimatis eſt, quae ideo peccare non poſſunt, quia rationali voluntate deſtituuntur. Denique quia in attributis diuinis, quae ad analogiam facultatum in homine vtcunque ſolemus concipere, perfectiſſima vnio & velut conſpiratio eſt intelligenda; ſic vt voluntas Dei eiusdem magnitudini, praeſtantiae, iuſtitiae, ſanctitati, bonitati nunquam repugnare poſſit, adeoque illa huic nunquam ſit opponenda. *Schwartzius* autem pro more ſuo verba mea malitioſe detorquet hoc modo: *Deus omnia illa quae non agere poſſe dicitur, non per naturale impedimentum, ſed ex placito vel voluntate non agere.* Vbi adparet, pro vocabulo *quaedam* ipſum ſubſtituiſſe *omnia;* omiſiſſe quoque non ſolum *morale* impedimentum, ſed & clauſulam, quae maxime ad rem faciebat, *quod* placitum diuinum *mortales ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperatum concipimus.* Sed & non contentus declaratione, quam in *Apologia* mea feceram, odioſe vocabula cauillatur; iactans, *idiomata & eſſentiam diuinam vnum ſimpliciter idemque eſſe, adeo vt de illis ne* unio *quidem ſatis recte, nedum* conſpiratio *aliqua, vel* reflexio, *vel neſcio quae* Dei voluntas ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius attemperata, *ſed vnitas ſimpliciſſime dici poſſit.* Atqui, ſi hoc tantum dicerem,

me

me dictionis genus adhibuiſſe liberius, & quod ad apices formularum ſuperſtitioſe non adſtringeretur in diſciplina, vbi theſes Theologicas proponere hautquidquam inſtitutum meum fuit; & cum de ſinceritate ſententiae conſtet, vocabula vellicare malignum eſſe; quis aequus non fateretur, otioſe mihi inane litigium moueri? Sed vt huc confugiam, opus non eſt *Perfectiſſima* vnio idem mihi eſt quod vnitas aut identitas. Qui dicit, in attributis diuinis eſſe perfectiſſimam *velut conſpirationem*, ſatis indicat, ſe metaphorica vti locutione, ad exprimendum huncce ſenſum; inter attributa diuina nulla eſt repugnantia, & Deus non agit, quae ſibi repugnant. De attributis diuinis nuſpiam *reflexionem* dixi, ſed ita verba mea ſunt Apologiae p. 8. *Si vel maxime eſſentiam diuinam ad modulum noſtrae rationis vellemus exigere, quod nempe & ipſe, quando actionem aliquam eſt ſuſcepturus, velut reflexionem faciat ſuper eſſentia & attributis ſuis, &c.* Non credo voculas *ſi* & *velut* otioſe heic eſſe poſitas. Sed nec ſupercilium iſtius Tenebrionis prohibebit, quo minus dicamus: *Dei voluntas ad magnitudinem & praeſtantiam ipſius eſt attemperata*; exprimendo huic ſenſui: Deus nunquam vult aliquid, quod ipſius magnitudini & praeſtantiae repugnat, ſeu quo minus Optimus Maximus ſit. Hactenus porro calumniator iſte queſtus eſt, quod attributa diuina non ſatis vniuerim; mox carpit quoque, quod eadem non ſatis accurate diſcreuerim. *Attributa diuina*, inquit, *formaliter, id eſt, iuxta modum concipiendi noſtrum ita ab ſe inuicem differunt, vt nullo modo confundi, nec*, verbi gratia, magnitudo & praeſtantia *pro ſanctitate & iuſtitia poni, dicique poſſit, quod* voluntas Dei ſecundum magnitudinem & praeſtantiam, hoc eſt, *infinitatem & maieſtatem pro illo quod dici debet, ſecundum ſanctitatem & iuſtitiam* ſe moueat. Atqui inquam, *magnitudo* & *praeſtantia* ſunt vocabula generaliora, quae *ſapientiae, rectitudini, iuſtitiae* & *ſanctitati* non opponuntur, ſed haec potius includunt. Praeſtans eſt, & qui iuſtus, qui rectus, ſanctus & ſapiens eſt. Sed nec dubium eſt, quin cum Deus coelum ac terram crearet, non ſolum ſapientiam, rectitudinem, iuſtitiam & ſanctitatem, ſed & omnipotentiam ac bonitatem, ſeu magnitudinem & praeſtantiam exſeruerit. Denique & illam mihi theſin falſo affingit *Index: Deum ſibi ipſi legem non niſi ex placito eſſe*. Haec quippe theſis non ſolum nullibi in libro meo extat, ſed & abſurde ac nullo plane ſenſu concepta eſt. Sed ita dicimus: *In quem ſenſum interpretandum eſt illud tritum: Deus ſibi ipſe eſt lex*. Quis eſt ſenſus ille, qui ex ſuperioribus fluit ad recte interpretandum acumen huius dicti? Hic nempe, quod voluntas Dei ſemper ſe velut moueat, prout magnitudine & praeſtantia ipſius dignum eſt, id eſt, ſapientiſſime & optime, adeoque lege extrinſecus accedente, qua dirigatur, opus non habeat. Verbo quoque notanda eſt calumnia *Velthemii*, qui fingit *propoſitionem hanc; Impoſſibile eſt Deum mentiri, ex mente mea hunc habere ſenſum; Deus non vult mentiri*. Sed iſte eſt meus ſenſus; mentiri repugnat voluntati Dei tanquam Entis perfectiſſimi, repugnat perfectioni diuinae, cum qua voluntas diuina ſemper conſpirat, & quidem vt id non proueniat ex aliquo impedimento extrinſecus accedente, ſed vt nihilominus ipſi omnimoda libertas omnis vinculi expers, conſtet.

§. IX. Vicina hiſce ſunt, quae maleuoli ſuper imagine Dei mouent. Cuius mentio tantum obiter a me iniecta fuit, non vt quidquam, quod Eccleſiae noſtrae de iſta tradunt, in dubium reuocarem, ſed ea duntaxat intentione, vt oſtenderem; etſi hominem ad imaginem Dei creatum eſſe ex ſacris literis conſtet, non ideo tamen iuſtitiam hominibus inuicem exercendam, & iuſtitiam Dei eſſentialem inter ſe per omnia adaequari. Rationem ſubiunxi; quia imago Dei eſt amiſſa per lapſum, lux autem naturalis & eius ſenſus atque cognitio in hominibus ſupereſt. Quamquam enim quaedam iſtius reliquiae remanſiſſe doceantur, inter quas etiam cognitio & ſenſus legis naturalis refertur; tamen ſaltem praecipua eiusdem parte deſtructa, per cuius poſſeſſionem homo in ſtatu gratiae conſtituebatur, longe difficilius perſpicere licet, quousque iuſtitia diuina & humana ſibi inuicem reſpondeant. Sicuti aedificio collapſo vix ac ne vix quidem de eiusdem cum prototypo conuenientia iudicare amplius licet, vt vt rudera quaedam adhuc extent. De caetero parem ob rationem ſcopo noſtro accommodata non eſt haec propoſitio: Homo eſt creatus ad imaginem Dei; quippe quae nec ex ſolo rationis lumine demonſtrari poteſt, nec ex qua rationes praeceptorum legis naturalis perſpicue & ad captum omnium gentium deriuare licet. Quanquam enim & illud ex naturali lumine conſtet, quaedam attributa in homine deprehendi, quae itidem in Deo, etſi infinitis modis eminentiora concipiuntur, puta intellectus, voluntas, imperium in alios, eoque intuitu homo aliqualem imaginem Dei referre dici queat etiam illis, qui diuinas literas ignorant: tamen quae a Theologis ſuper imagine Dei traduntur, cuius poſſeſſio hominem in ſtatu gratiae conſtituebat, & qua per lapſum amiſſa homo in ſtatum irae coniectus eſt, & magnam naturae ſuae corruptionem ſenſit, item quae & quales ſint iſtius reliquiae ſeu rudera, an & quatenus cognitio legis naturalis eo lapſu detrimentum paſſa ſit; dogmata ſunt ſoli rationi incognita, eoque ad noſtram diſciplinam parum accommodata, ſolique Theologiae relinquenda. Et ſane ſi quis ex eiusmodi fundamentali propoſitione praecepta legis naturalis deducere inſtituat, non poterit non ea conſecutio & connexio ineuidens videri illis, qui ſacras Scripturas ignorant, aut non admittunt. Si, inquam, diſciplinam iuris naturalis ad captum omnium hominum traditurus ita ratiocinari velim; homo eſt creatus ad imaginem Dei; Ergo parentes ſunt honorandi, non moechandum, non furandum: neque euidens erit illatio homini Theologorum Chriſtianorum tradita ignoranti, nec quomodo eiusdem euidentiam ex aliis ratiociniis eliciat, rationi humanae facultas ſuppetit.

§. X. Dedvxit iam nos ordo rerum ad D. Valentini Alberti, *Profeſſoris Lipſienſis Annotata ſuper* Hvgonem Grotivm, qui eius ſcripti *proemim* & *protheorian* videtur potiſſimum oppoſuiſſe praefationi Opuſculi noſtri de *Officiis hominis & ciuis iuxta legem naturalem*. Cuius commenta eo curatius excutiemus, quo liquidius ex hiſce patebit, quam anxie omnem lapidem moueant veteres Magiſtri, ne dictata & collegia manuſcripta detrimenti quid patiantur. Ac in *prooemio* quidem queritur, *diabolum in eo totum fuiſſe, vt Philoſophiam tam theoreticam, quam practicam, eximia vtique Dei dona, florente*

Papatu corrumperet. Quod veriſſime dictum; ſed addi tamen debuerat, id potiſſimum factum ope Sacerdotum, qui ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem manibus, iisdemque intricatiſſimis nugis ſcholas oppleuerunt, quibus diſtricta bona ingenia a ſolidarum rerum inueſtigatione auerterentur: & vt homines caeco obſequio a nutu eorundem dependerent, genuinam Philoſophiam moralem penitus oppreſſerunt. Pergit: *Poſt repurgatam Religionem non deſiiſſe diabolum his donis diuinis aduerſus Deum & doctrinas diuinas abuti: hinc primum theoreticam Philoſophiam praelio iniquiſſimo cum Theologia commiſſam, ac ſi illa eſſet huic contraria.* Quid per hoc praelium intelligat *Albertus*, nondum ſatis mihi liquet. Nam quae ab *Hofmanno* quondam in Academia Iulia excitabatur liticula, triobolaris erat, non tam ex inſigni aliqua diaboli aſtutia profecta, quam ex moroſitate viri, zelo vt multi alii a ſcientia parum ſubnixo, agitati: quae & exiguo valde ſtrepitu deflagrauit. De caetero vt vera Philoſophia, & ex natura rerum hauſta, eique congruens, & Theologia itidem vera, & ex genuina ſacrarum literarum interpretatione deſumpta, inter ſe pugnent, fieri non poteſt; cum vtraque Dei vox ſit, qui ſibi haud quidquam ipſe contradicit. Enimuero ſi quando vel falſa decreta Philoſophorum cum veris dogmatibus Theologicis, vel vera ſcita Philoſophica cum falſis Theologorum commentis, aut prauis Scripturarum interpretationibus, velut vtrique falſa inter ſe committuntur, id vitio hominum contingit, nec ideo natiua amicitia inter eas diſciplinas diſſoluitur. Neque vero cordatus Philoſophus, ſi qua viderit dogmata in vera Theologia ex genuina Scripturarum interpretatione adſtructa ſupra captum humanae rationis, & communis Philoſophiae regulas aſſurgere, eo nomine iſta in dubium reuocabit; cum & hoc ſana Philoſophia doceat, Deum poſſe facere ſupra quam homines capere poſſumus, neque rationem noſtram potentiae diuinae eſſe menſuram. Pergit; *cum e Philoſophia practica noſtro ſeculo doctrina de iure naturae & gentium enucleatius proponeretur, haec vt orthodoxae fidei aduerſa euaderet, maximopere laborauit diabolus.* Eius effati ſi hic eſt ſenſus: diabolum id maximopere laboraſſe, vt libro meo de Iure naturae & gentium errores contra orthodoxam Religionem affingeret, eoque nomine ego fructu exhauſti laboris exciderem; tunc fateor, nihil verius potuiſſe dici. Sed quia tam aequum pro me iudicium *ab Iſto* vix ſperare licet, credere cogimur alium ſenſum ipſi prae oculis fuiſſe: qui nobis, vt molliſſime dicam, a viro cordato plane alienus videtur. Equidem id ſine dubio ad artes regni tenebrarum pertinet, moralia dogmata nullis ſubnixa fundamentis mordicus retinere; falſis & pernicioſis traditis genuinam politicam corrumpere; vaſtis & intricatis voluminibus de iuſtitia & iure, nec non commentitiis conſcientiae caſibus actionum humanarum regulas certas, ſolidas, & perſpicuas obruere, animosque hominum inter ancipitia velut natantes ab hominum ſuis commodis velificantium nutu ſuſpendere; probabilitatem denique etiam probioribus Pontificiorum deteſtatam comminiſci. Ad iſthaec arcana ſtatus regni iſtius diſſipanda, inter alios fines pertinet opera eorum, qui hoc ſeculo doctrinam iuris naturae & gentium, alta hactenus caligine ſepultam, eruere & in iuſtam diſciplinam redigere, laborarunt. Vbi tamen contigit, vt qui caeteris omnibus

viam

viam praeiuit *Grotius*, intempeſtiue & praeter neceſſitatem quaedam ſubinde adſpergeret, quae a ſcitis noſtrarum Eccleſiarum abirent, eoque nomine paſſim a noſtris notaretur. Haec ipſa tamen cum ad diſciplinam iuris naturalis non ſpectent, eam neque corrumpunt, neque vt eadem orthodoxae fidei aduerſa euadat, efficiunt. Sicuti frumentum admixtis paleis haudquidquam corrumpitur, ſed natiuam vtique retinet indolem; quo tamen vſui humano ſit idoneum, paleas ſeparari abs ſe deſiderat. Eodem modo vti diſciplina iuris naturalis heterogenea abs ſe remoueri flagitat. Sic & *Hobbeſius* praeter commenta circa religionem, ex hypotheſi Epicuraea, & dum a democraticis hominibus nimis in diuerſa nitens in alterum extremum impingit, itidem non pauca aliena aut falſa ſanctiſſimae diſciplinae admiſcuit. Sed num ideo ius naturale orthodoxae fidei aduerſum euaſit? Num ideo error artificis ipſi arti eſt imputandus? Num aurum ideo naturam ſuam amiſit propter admixtas ſcorias aut ſequiora metalla, quae artifici perito ſeparare in procliui eſt? Multo minus ſanctitati huius diſciplinae quid decedit, ſi quaedam meorum ſcriptorum loca ab imperitis aut maleuolis hominibus per calumnias male habita ſunt. Quemadmodum igitur ius naturale & gentium iſti criminationi Albertinae, quod nempe orthodoxae fidei aduerſum euaſerit, quam efficaciſſime contradicit, eaque ſummam ſibi iniuriam inferri proteſtatur: ita vt ab omnibus calumniis deinceps immune ſit, & natiua pulchritudine exſplendeſcere queat, hoc deſiderat, hoc contendit, hoc flagitat, vt nihil heterogenei deinceps ſibi admiſceatur, ac inprimis vt extra controuerſias Theologicas ſubducatur, ne bellis non ſuis implicitum laceretur. Vtque adeo ab ea diſciplina ex natiuis principiis extructa & deducta domeſticis tantum dogmatibus exſurgat, alienis praeliis arenam praebere ne cogatur; & omnibus amicis vti queat, quae leges amicitiae & pacis omnibus inculcare ſatagit.

§. XI. INDE exponit *Albertus*, qua via *ipſe tanto malo mederi* conſtituerit, vt nempe ius naturae cum orthodoxa fide in gratiam reduceret. Ei fini conducere iudicat, 1. *Vt diſciplina Iuris Naturae & gentium ſtudioſae iuuentuti maxime commendetur & inculcetur*. 2. *Grotium manibus iuuentutis extorqueri nec poſſe nec debere*. Valde obeſae vero naris oporteret eſſe, qui deprehendere non poſſet, hoc axiomate id agi, vt iuuentus a meis ſcriptis arceatur. Aſt ſi *Albertus* noſſet, quam parum mea interſit, an ab iſtis hominibus mea legantur, minus anxie dictatis & collegiis ſuis *Velthemiique* manuſcriptis metueret. Quicquid tamen de meis libris fiat, id ſalua veneratione, qua Grotianum ingenium opusque proſequor, dicere mihi fas eſt; cum *Grotius* maxime praeſtabilem quidem operam in iure naturae eruendo & dirigendo poſuerit, vt tamen neque omnia, quae ad eam diſciplinam pertinent, attigerit, aut plene ſatis deduxerit, neque in iuſtae formam artis id ius diſpoſuerit, & praeter admixta multa heterodoxa materiam de bello fuſius tractauerit, quam in generali diſciplina requirebatur: nihil ſane cauſae adparet, quo minus & poſſit & debeat iuuentus diſciplinam iſtam ex aliis auctoribus haurire. Qui tamen omnes cum non poſſint non ſubinde lectores ad *Grotium*, tanquam qui primus glaciem heic fregerit, remittere, huic ſemper honos atque exiſtimatio ſua ſalua

va conſtabit. Reuera igitur inſtitutum ALBERTI hunc producere effectum eſt idoneum, vt diſciplina iuris naturalis nunquam ad plenam perfectionem adſurgere queat; vtque adea ex GROTIO nouus quidam Magiſter Sententiarum euadat, qui a variis vario modo fruſtulatim conciſus, euiſceratus, exdorſuatus, ac diuerſicoloribus velut iuſculis commentariorum, notarum, obſeruationum, animaduerſionum, compendiorum, tabellarum, & analyſeon per quicquid, atqui, ergo (quod pedanticiſſimum ferculum eſt,) perfuſus atque adornatus iuuentuti proponatur: cui haec perſuaſio animo ſit infixa, apicem ſcientiae huius ſeſe attigiſſe, ſi textum Grotianum vtcunque intelligat. Sicuti poſtquam ſcholae Ariſtotelem in oraculi vicem adorare coepiſſent, exinde omnis Philoſophantium labor circa conſarcinandos commentarios in Ariſtotelem abſumptus fuit; & niſi hoc demum ſeculo egregia quaedam ingenia iſtud ſeruitium eiurare auſa fuiſſent, pes octodecim amplius ſecula adhuc ſolida rerum ſcientia ne latum quidem vnguem promouiſſet. 3. GROTII *libros in compendium orthodoxum redigendos, in quo verae eius doctrinae ex hypotheſibus orthodoxis deducantur, falſae cum fundamentis ſuis euertantur.* Atqui iam dudum D. IO. ANDREAS OSIANDER omnia: quae religioni orthodoxae aduerſantur, accuratiſſime notauit, vt hoc quidem fine compendio nouo opus non ſit. Et cum errores GROTII libris de Iure B. & P. adſperſi circa materias verſentur, quae ad generalem iuris naturalis diſciplinam non ſpectant, quid opus eſt compendia inprimis ſectanti iſtos errores velut monumentum aliquod aut partem diſciplinae retinere; cum ſufficiat, eos ſimpliciter ſeparari, & ſilentio praeteriri. Sic ſane agricolae paleas vna cum frumento puro hautquidquam in granaria recondunt. Si vbi abs coquo cibis ſordes aut pili ſint admixti, hi non ſolent in peculiari patina apponi, ſed ſimul & ſemel abiiciuntur. Sane vbi ſemel error aliquis ex fundamento fuerit deſtructus, non opus eſt eiusdem ſemper deinceps mentionem fieri, vbi vera ſententia traditur: cum theſi ſemper adiungere antitheſin nihil aliud ſit, quam diſciplinas ſordium mole reddere turgidas. Sicut nemo Grammaticorum iudicauit, omnes ſoloeciſmos, qui vnquam contra veram dicendi rationem admiſſi ſunt, in Lexicis eſſe annotandos; non magis quam Mathematici operae pretium ducunt, omnes falſas operationes & paralogiſmos, dum veras operationes & ratiocinia tradunt, ſimul memorare. Et vnica via eſt, vt compendiis eiusmodi & notis in aeternum carere poſſimus, diſciplinam iuris naturalis ex ſola ratione deducere, & nihil eidem, quod in Theologia controuerſum eſt, admiſcere. Inprimis autem noua plane & mira creatura eſt *Compendium Iuris Naturae & Gentium Orthodoxum*, quod nobis intra paucos annos centum & amplius alia compendia parturiet, omnia orthodoxiae nomine ſuperbientia, ſed inter quae tamen mira ſit diſcordia, & quorum quodlibet caeteris haereſin aut ſchiſma obiiciat, aeternique ignis poenas minitetur. Nemini quippe ignotum eſt, quamlibet ex partibus, in quas Chriſtianiſmus diſciſſus eſt, ſibi orthodoxiae dignationem vindicare, caeteras omnes haereſeos aut ſchiſmatis arceſſere. Poſtquam ergo noſtrae Eccleſiae Albertinum compendium vnanimi conſenſu receperunt, ſine dubio peculiari compendio illi opus habebunt, quos vulgo Syncretiſtas vocant; Eos quippe communi

ſecum libro Symbolico vti nolet SCHWARTIVS qui PET. WINSTRVPIO Scanicae Epiſcopo, atociſſimi flagitri loco, & tanquam certiſſimum argumentum heterodoxiae exprobrabat, quod hic quondam in G. CALIXTI laudem epigramma compoſuerat. Cum porro caeterae Chriſtianorum ſectae deterioris nolint eſſe conditionis, ſingulae proprium ſibi compendium vindicabunt. Eandem ſibi licentiam deinceps aſſument Mahummedani, & ipſi in ſectas diuiſi; ac demum varia Gentilium genera per vtramque Indiam ſparſa. Tranſibit dein hoc exemplum ad alias diſciplinas, vt mox quoque habituri ſimus Arithmeticam, & Geometriam, & Aſtronomiam, & Logicam, & Phyſicam, & Medicinam, & Metaphyſicam orthodoxam. NICOLAVS quoque BECKMANNVS alto deinceps ſupercilio quicquid eſt ICtorum gentilium, ac Pontificiae, Caluinianaeque religioni addictorum deſpiciet, vtpote GESENII fraterculus atque ocellus. Ciceronis quoque Latinitas & Martialis Poëſis longe infra Petri WINSTRVPII pedes abiecta iacebit; quippe cuius humeris ex GESENII elogio Atlas Eccleſiae incumbit. Atqui nemini ſano hactenus in mentem venit, diſciplinas, e lumine rationis prouenientes, partibus illis inuoluere, in quas res Chriſtiana lacerata eſt. Et inprimis diſciplina iuris gentium hoc commento appendix Theologiae fieri conſtanter abnuit. Nam ſi hypotheſes iſtae, ex quibus ius ſuum orthodoxum deducere vult ALBERTVS, verbo Dei reuelato ſuperſtructae ſunt, non magis hoc ius ad regendas omnium gentium inter ſe actiones idoneum erit, quam iſtae hoc momento in vnam circa ſacra ſententiam conſpirabunt. Quod ſi autem ſanae rationi innituntur illae hypotheſes, ſcire velim, ex quo priuilegio ſibi hoc arroget ALBERTVS, vt ipſe ratione melius, quam caeteri omnes vſus iudicari debeat. Enimuero reſpuunt in iſtas partes diſtrahi diſciplinae Philoſophicae, inter quas & noſtra ſuum profitetur nomen, quae ad omnes aeque homines citra diſcrimen religionis ſpectant, & non aliud principium, normamue aliam exigunt praeter rerum naturam, & lumen ſanae rationis; huic quod congruit, verum, quod aduerſatur, falſum adpelletur; orthodoxiae & heterodoxiae vocabula ſolis Theologis relinquantur. Credat quoque ALBERTVS, non omnes homines ita ſtupidos eſſe, quin animaduertant, hoc ſtratagemate ipſum dictatis ſuis irrefragabilem auctoritatem conciliatum ire, dum ſub orthodoxiae nomine eadem venditat. Hoc quippe conceſſo, velut haereticum & veneno infectum proſcribetur, quicquid ab iſtis diſcrepauerit. Et cum non exiguam noſtrae diſciplinae partem conſtituat politica architectonica, eodem obtentu iſti homines dictatoriam ſibi circa huius dogmata auctoritatem arrogabunt. Quod quam non vſque adeo tutum ſit ſummis imperantibus ciuilibus, & praeteritorum ſeculorum & huius noſtri funeſtiſſima exempla docent.

§. XII. IN *Protheoria* deinde ALBERTVS certas hypotheſes ponit, quibus orthodoxum ius naturale ſit ſuperſtruendum. Inter quas prima eſt: *Fons e quo a Chriſtianis pura iuris naturae notitia hauriri poteſt & debet, eſt orthodoxa doctrina de ſtatu integritatis. In hoc enim habuit homo imaginem Dei, inter cuius reliquias eſt Ius Naturae. Huius igitur cognitio ab illa non minus ac exſiſtentia dependet.* Vbi obſeruandum, hanc hypotheſin illis tantum quadrare, quibus

bus ius naturale pars articuli de Lege in Theologia conſtituitur. Verum cum nobis ius naturae & gentium hoc fine tractetur, vt ſit regula actionum & negotiorum inter omnes homines, non qua Chriſtiani, ſed qua homines ſunt; & vero illa hypotheſis hominibus vt talibus ſit ignorata: igitur abſurdum eſt, Chriſtianis dare peculiare principium eius iuris, quod ipſis commune cum aliis etiam non Chriſtianis eſſe debet; & cui vnice inniti velint Chriſtiani, idem ius apud alios non Chriſtianos aduerſus ſe inutile & inefficax facient. Qui, vti doctrinam de imagine Dei ignorant, ita & ius ei fundamento innixum adſpernabuntur. Quod ſi igitur vſus huius iuris debet eſſe vniuerſalis, idem ex principio, quod ab omnibus hominibus qua talibus admittitur, nempe ex ratiociniis, ex inſpecta rerum & hominum natura collectis, eſt deriuandum. Deinde cum ſtatus integritatis actu inter duos tantum homines, & ad tempus valde exiguum extiterit, ius autem naturae & gentium iam in genere humano multiplicato & in varias ciuitates digeſto, multisque inſtitutis exculto vſum obtineat; non adparet, quomodo pauca illa, quae de illo ſtatu in diuinis literis habentur, & inter quae de iure naturae & gentium mentio non fit, iam norma eſſe queant actionum, quae in genere humano certum regimen deſiderant: cum ex diuinis literis demonſtrari non poſſit, eandem faciem & diſpoſitionem generis humani, eadem inſtituta, eadem negotiorum genera futura fuiſſe, hominibus in ſtatu innocentiae multiplicatis, quae nunc deprehenduntur. Quae enim ſuper hac re diſputantur, nulla ſolida demonſtratione, ſed probabilibus tantum coniecturis nituntur, quibus quisque ex ſuo ingenio fidem addit, demitue. Praeterea aſſertio haec: *Ius naturae eſt inter reliquias imaginis diuinae*, in ſacris literis totidem verbis non extat, ſed a Theologis recepta eſt ex hac ratione, quod cognitio de agendis aut fugiendis, quae homini in ſtatu integritatis perfecta aderat, etiam poſt lapſum iam ſuperſit, etſi non omnibus numeris abſoluta. Circa quam aſſertionem id duntaxat fuerit monendum; pari ratione dici poſſe, verbi gratia, Arithmeticam, Geometriam, Phyſicam, & alias ſcientias eſſe reliquias imaginis diuinae. Nam dubitare fas non eſt, quin facultas numerandi & menſurandi homini in ſtatu integritatis adfuerit, quae nunc, etſi cum difficultate & obſcuritate coniuncta, in nobis deprehenditur. Nemo tamen ideo dixerit; fontem, e quo Chriſtianis pura Arithmeticae, Geometriae aut Phyſicae notitia hauriri poteſt ac debet, eſſe doctrinam orthodoxam de ſtatu integritatis. Nam ALBERTVS vtique n. 2. reliquias diuinae imaginis etiam in principiis Theoreticis conſiſtere dicit. Igitur ſi non alia ratione ius naturae & gentium a Chriſtianis tractari & demonſtrari debet, quam ALBERTVS poſtulat, intra anguſtos valde terminos eius auctoritas & vſus compingetur, nec amplius idem erit ius gentium, vniuerſo generi humano commune, ſed paucorum magiſtrorum, qui inuidia aduerſus recentiorum opera ſuis collegiis manuſcriptis apud imperitos iuuenes hoc obtentu ſanctimoniam circumponere fatagunt. Nam quod omnes Eccleſiis noſtris addicti in Albertinum commentum iuraturi ſint, vehementer dubito.

§ XIII. QVANQVAM autem fundamento conuulſo tota quae ſuperſtruitur machina vltro collabatur; viſum eſt tamen carptim quaedam annotare, qua

Albertvs rem acu tetigiſſe non videtur. Et quidem n. 4. ita tradit: *Cum omnes reliquiae imaginis diuinae, inter quas etiam eſt ius naturae, ſint in nobis corruptae, mirum non eſt, ſi corrupte tractentur, niſi memores ſimus & ſtudioſi priſtinae integritatis, quantum facit ad praxin in ſtatu corruptionis*. Heic id quidem nobis extra dubium eſt, non in voluntate ſolum noſtra corruptionem deprehendi, ſed & in intellectu, vbi non ſolum, ni peculiaris Dei gratia accedat, caeci plane ſumus circa diſpicienda diuina, quantum ea ad Deum nobis propitiandum faciunt; quin & circa alias ſcientias in nobis ſentiri, hebetudinem, torporem, haeſitationem, & facillimum in errores prolapſum. Sed id cumprimis in quaeſtione eſt, an, quod ab Alberto proponitur, medium ſit idoneum ad declinandos errores in ſcientiis humanis; nempe vt recurramus ad ſtatum integritatis, & conſiderata, quae ibi erat, ſcientiarum perfectione & rectitudine, defectus atque errores ſtatum corruptionis comitantes corrigamus. Quam quidem methodum ſupplendi aut corrigendi diſciplinas nemo, quantum mihi conſtat, ex Philoſophis Chriſtianis hactenus commendauit, aut inſignem eiusdem vſum oſtendere potuit. Neque eſt quod quis obiiciat, praecepta legis naturalis in ſacra Scriptura contineri, aliarum diſciplinarum dogmata non item. Nam id duntaxat ex Alberto quaeſiuerim, num admittat, verbi gratia, in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, aliisque ſcientiis certa & extra dubitationis aleam poſita dogmata dari ope ſolius naturalis rationis, & citra ſubſidium diuinarum literarum inuenta? Si annuit, (quod, ni omnis ratio ipſum fugiat, ſine dubio facturus eſt;) tunc ſane nulla adparet cauſa, quare ius naturae & gentium non aeque firmiter, ac caeterae ſcientiae, poſſit deduci ex axiomatibus, & obſeruationibus iudicio ipſorum ſenſuum comprobatis; adeoque quare Chriſtiani iuris naturae & gentium Doctores magis neceſſum habeant ad ſtatum integritatis confugere, quo dogmata ſua in iuſtam rectitudinem & certitudinem redigant, quam Chriſtiani Arithmetici, Geometrae, Optici, Aſtronomi, Phyſici, Medici. Aut enim aliquid rectitudinis in huiusmodi ſcientiis rationi ſupererit, aut omne id, quod philoſophari vocamus, inane quid & nugatorium erit.

§. XIV. Nihil autem plane ad rem facit, quod Albertvs n. 5. adducit exemplum Grotii, qui L. II. c. 1. §. 2. circa ſtatum primorum hominum a ſententia Orthodoxorum abeuntia tradiderat. Nam contra cum de iſthoc ſtatu ex ſolis diuinis literis conſtet, vel ſolo hoc exemplo adparet, quantis diſputationum vorticibus ius naturale implicandum ſit, ſi methodo Albertinae inſiſtere velimus, propter diſcrepantem inter Chriſtianos S. Scripturae interpretationem. Cum contra omnis eiusmodi litium materia praeſcindatur, ſi doctrinam de ſtatu integritatis Theologiae propriam vnice relinquamus, & in diſciplina Iuris naturalis praeſentem duntaxat hominis conditionem, quam etiam ſenſus iam noſtri percipiunt, conſideremus. Sed &, quod ipſe Albertvs n. 6. monet, limites inter Theologiam & Philoſophiam poſitos ne moueamus, & ſimus Philoſophi, ſimus quoque Chriſtiani, vt tamen ideo peculiarem Philoſophiam Chriſtianam ne comminiſcamur. Nam Philoſopho, vt ſit Chriſtianus aut gentilis, orthodoxus aut heterodoxus, aeque accidit, atque eidem accidit,

cidit, vt ſit Germanus, aut Gallus, aut Anglus; aut vti Muſico contingit barbato aut imberbi eſſe. Nec ideo tamen vera Philoſophia magis religione, aut natione, quam Muſica barbitio diſtinguitur. Sane multa nouit Philoſophus, qui idem Chriſtianus eſt, quae Philoſophus non Chriſtianus ignorat: nouit etiam Chriſtianus, qui idem Philoſophus eſt, quae Chriſtianus non Philoſophus ignorat. Sed non ideo minus bonus Chriſtianus erit, qui non eſt Philoſophus; aut Archimedes ideo minus bonus Mathematicus, quia non Chriſtianus. Equidem vbi quae a Philoſopho ope rationis ſciuntur, in diuinis quoque literis traduntur, ex ea conſpiratione tradita philoſophica mire illuſtrari certum eſt. Sed ſi diuinae literae quid tradant, ad quod ratio plane nequit pertingere, neſcio quid theorematum inde elicere queat Philoſophus, praeſertim vbi in ea praeſuppoſita, quae ALBERTVS Philoſopho Chriſtiano a Theologo, n. 8. mutuanda ſcribit, omnes Chriſtiani non conſpirent, ſed in varias interpretationes diſtrahantur. Tranſibit quippe ea diſcordia in theſes Philoſophorum inde eliciendas, quam Philoſopho vt tali componere impoſſibile erit; eoque ex iſta mixtura Theologiae nihil lucrabitur Philoſophus, praeter lites inextricabiles. Sed quod exempli cauſa adfert ALBERTVS, quod per propoſitiones illas inuſitatas, perſonales & ſacramentales, locupletior reddatur Logica, non adparet. Nam quod inuſitatae illae vocentur, id inde eſt, quod ratio humana capere nequeat connexionem ſubiecti & praedicati; de qua pronunciare, recte an ſecus ſe habeat, non ad Logicam ſpectat, ſed ad Theologiam. Ex quo ſane quae peculiaria ſibi formare theoremata poſſit ars Logica non video. Cum enim Logicus qua talis tantum ſolicitus eſſe debeat de formali velut ſtructura propoſitionum, earumque coniunctione aut disiunctione ad eliciendam formalem conſequentiam: igitur ipſius vt talis non eſt, in materialem quaſi veritatem propoſitionum inquirere. Eoque Logico vt tali propter quasdam propoſitiones Theologicas, captum humanum ſuperantes, non magis opus eſt noſſe doctrinam de vnione perſonali & ſacramentali, quam eidem opus eſt noſſe medicinam propter hanc propoſitionem: Rhabarbarum habet vim purgandi, ſanguis mouetur in circulum. Alias enim confuſio fieret omnium diſciplinarum & eodem iure Grammatico vt tali noſcendae forent omnes eſſentiae, quia ille vocabula & phraſes ſuppeditat formandis enunciationibus. Sic neque dogma illud de aquis ſupracoeleſtibus, quod ſecundo loco adfert ALBERTVS, Phyſicam multum videtur locupletare. Praeterquam enim quod non omnes Chriſtiani loca Scripturae, vbi earum mentio fit, eodem modo interpretentur, quae lis antequam compoſita ſit, dubium erit, quis ipſis locus in ſyſtemate mundi aſſignari debeat: etiam aſſumpta interpretatione plerumque noſtratium Theologorum, non parum difficultatis iſtae aquae dabunt. Nam manifeſtum eſt, omnes iſtos, qui hanc interpretationem amplexi ſunt, ſyſtema Ptolomaicum, & orbes illos veterum reales ſuppoſuiſſe, quorum vni quicquid eſt ſtellarum praeter Planetas affixum ſit. Cum autem recentiorum obſeruationes diuerſam plane ſyſtematis mundani faciem deprehenderint, non adeo in procliui erit iisdem idoneum locum vltra omnes mundanos vortices attribuere. Quicquid huius tamen ſit, cum illae aquae in ſenſus hactenus non incurrerint, & nulla ſuper

 iiſdem

Digitized by Google

iiſdem extent phaenomena, Phyſico ſane Chriſtiano nihil de hiſce dicendum reſtat, quam neque de iſtis omnium Chriſtianorum interpretationem conſpirare, neque ope ſenſuum quidquam de iſtis huc vſque deprehendi potuiſſe.

§. XV. Inde n. 9. nouum nos modum, quo *a reuelatione ſtatus integri in doctrina de Iure naturae abſtrahendum ſit, docere aggreditur Albertus.* Nimirum *eum a Chriſtiano Philoſopho exacte cognoſcendum, ſed cognitum non proponendum, ſed tantum praeſupponendum eſſe, vt in iis, quae ſui fori ſunt, procedat rectius & tutius.* Enimuero eiusmodi modus abſtrahendi hactenus in Philoſophia inauditus fuit, vt abſtrahere idem ſit, quod ex alia diſciplina tanquam ibi demonſtratum praeſupponere, & citra vlteriorem diſquiſitionem aſſumere, eique vlterius Theoremata ſuperſtruere. Qui enim circa certum negotium ab aliqua cognitione abſtrahit, is eam ibi plane non attendit, & gerit ſe non aliter, ac ſi de iſta plane ſibi nihil conſtaret, eoque ex aliis principiis ſua dogmata deducit. Qui autem aliquid praeſupponit, is licet eo loco circa idem demonſtrandum non ſit ſolicitus, id tamen ſemper prae oculis habet, ſuaque dogmata ad idem ſemper refert. Sicuti nemo vnquam tam abſurdus fuit, vt diceret, verbi gratia, Opticum aut Aſtronomum a theorematis Geometricis abſtrahere, qui eadem praeſupponit, & ſuas propoſitiones iiſdem ſuperſtruit. Vnde noſtra ſententia eſt; poſſe eius naturale demonſtrari, poſſe huic diſciplinae ſuam conſtare integritatem, in promptu eidem eſſe domeſtica principia, aut quae ſaltem a Theologia non dependeant; licet quis plane ignoret ſtatum integritatis, aut cognitum non praeſupponat. Eoque Philoſopho, qui idem Chriſtianus eſt, doctrina de ſtatu integritatis vtique cognoſcenda eſt, ſed hoc duntaxat fine, vt articulos fidei ſuae plene teneat: non autem ad hoc, vt philoſophetur, vt diſciplinam iuris naturae & gentium adornet vniuerſalem, & quae ad captum omnium hominum ſit, atque controuerſias ſuper peculiari cultu diuino tranſcendat. Sicuti, verbi gratia, medicus Chriſtianus noſſe quidem debet, mortem & quicquid morborum homines infeſtat, ſtipendium peccati eſſe, adeoque a ſtatu integritatis abſuiſſe, ſed vt tamen hanc notitiam in nulla parte medicinae praeſupponat. Manifeſtum praeterea eſt hoc nouo abſtrahendi modo noſtram diſciplinam Theologorum controuerſiis implicari, & velut tributariam horum imperio ſubiici, ſic vt eiusdem Doctoribus nihil aliud relinquatur, quam Alberti alicuius, aut Schwartzii, aut Gesenii dictata & collegia manuſcripta adorare, & anxia voce imitari, tanquam oracula eorum, qui ſupremum ius vitae & necis in nos habeant. Quo quidem bonis & erectis ingeniis nihil acerbius accidere poſſit. Denique hac, quam Albertvs commendat, via nihil aliud quam Theologia moralis producitur; cui quidem ſtatus integritatis neceſſario praeſupponendus. Verum hac morali Theologia noſtra diſciplina longe latior, & magis vniuerſalis eſt, domeſticis principiis innixa, ac tradens officia hominum & regulas expediendorum negotiorum, quae ex peculiari religione, aut voluntate imperantium ciuilium haud promanant. Eoque ſi quod detur officium, quod ex noſtra diſciplina deduci nequeat, id ex Theologia morali aut iuriſprudentia ciuili eſt deriuandum. Sic vt reuera vbi ius naturae

turae & gentium deficit, ibi Theologia moralis & ius ciuile incipiat. Eſt autem plane abſurdum, diſciplinam magis vniuerſalem hypotheſibus diſciplinae minus abſtractae ſuperſtruere. Cum hic natiuus ordo diſciplinarum ſit, vt generales & ſimpliciores praecedant, particulares & compoſitae ſequantur, & hae illas, non vice verſa, praeſupponant. Quemadmodum Theologia naturalis, quam aliqui etiam ad ius naturale referunt, ordine & natura prior eſt Theologia reuelata, & haec illam, non illa hanc praeſupponit; quatenus autem illa ad finem hominis non pertingit, haec ſupplet. Et prius vtique quis homo, quam Chriſtianus eſſe concipitur. Homines quippe naſcuntur, Chriſtiani fiunt, adeoque & officia hominis vt talis, quam Chriſtiani, prout haec aliquid iſtis ſuperaddunt, priora concipiuntur. Atque inde ἀπαίδευτον eſt diſciplinam, quae de officiis hominis vt talis tradit, hypotheſibus diſciplinae, quae de officiis Chriſtiani vt talis agit, ſuperſtruere.

§. XVI. Pronvnciat deinde Albertvs ex noua ſua abſtractione hominem in diſciplina iuris naturalis *concipiendum eſſe non alium, quam ſub initium fuit; non vt orbis indigenam, aut terrae filium; non vt caſu in illum proiectum; ſed vt integrum & ad imaginem Dei creatum.* Vbi obſeruandum, omnino quidem hominem vt integrum creatum eſſe concipiendum, ſi quis methodo Albertinae inſiſtere velit, quippe ex qua reuera nihil aliud, quam Theologia moralis prouenire apta eſt. Sed in diſciplina iuris naturalis vniuerſali, & quae peculiarem cultum diuini Numinis tranſcendit, quam nos adornatum iuimus, plane non neceſſum eſt, certi & definiti quid ſuper originibus generis humani aſſerere; ſed ea res ibidem in medio poteſt relinqui, tanquam quaeſtio hiſtorica & facti, quam ſola ratiocinatione, aut ex obſeruatione, naturae rerum & hominis nunc aſſequi impoſſibile eſt. Quando autem in diſciplina iuris naturalis occupati ſumus circa demonſtrationem huius propoſitionis: ſtatus hominis ſibi ſoli relicti, abſque auxilio aliorum hominum eſt miſerrimus: ad maiorem eius illuſtrationem dicimus, huic propoſitioni ſuam conſtare veritatem quamcunque quis originem generis humani velit praeſupponere, quatenus quidem ex ſola ratione iam colligere licet. (Nam notitiam de veris humani generis originibus, & primaeua felicitate ſolis ſacris literis debemus.) Adeoque in noſtra diſciplina ſuper veris generis humani originibus nihil certi aut definiti aſſeritur; ſed tantum hoc adſtruitur, hominem ſibi ſoli relictum fore miſerrimum, quamcunque quis ductu ſolius rationis opinionem de prima hominis origine concipiat, fingatue. Conferatur ſi placet §. 4. *Diſſertat. noſtrae, de Statu hominum naturali.* Vbi & hoc obiter monendum, de ſuo affinxiſſe mihi Albertvm hoc vocabulum; homo non vt *caſu* in mundum proiectus concipiendus eſt. Nam id quidem dicto loco in meo libro non extat; & reuera abſurdum eſt, ſolam rationem ſequenti concipere hominem caſu in mundum proiectum: ſed dico *vtcunque* ſeu *vndecunque proiectum*, vt ſignificarem, me hoc loco veras origines generis in medio relinquere, ac theſi meae veritatem conſtare, qualeſcunque demum fingantur. Ratio autem quam dictato ſuo Albertvs ſubiungit, nihili eſt. *Id autem*, inquit, *nunc ex ea ratione fieri debet, quia*

quia homini ius naturae non aliter ineſt, quam prout reliquias imaginis diuinae ex ſtatu integritatis in nos traductas poſſidet. Nam haec ratio non tantum in ius naturae quadrat, ſed & in quasuis alias ſcientias rationi ſuperſtructas. Aeque enim Arithmetica & Geometria, aliaeque ſcientiae dici poſſunt eſſe ex reliquiis imaginis diuinae, ex ſtatu integritatis in nos traductis. Neque ideo tamen in hiſce ſcientiis homo neceſſario in ſtatu integritatis eſt concipiendus. Alia porro eſt conſideratio humanae conditionis theologica; alia philoſophica, quatenus ab illa cognitione abſtrahit, quae ex peculiari reuelatione diuinarum literarum profluit. Iuxta priorem conſiderationem ius naturae eo modo aeſtimatur, prout ALBERTVS vult. Philoſophus autem id tantum reſpicit, quomodo in praeſens illa ſe habeat, non conſiderato, an olim ea aliter ſe habuerit. Exemplo res fiet clarior. Prodigo ex diſſipato ampliſſimo patrimonio mille aurei adhuc ſuperſunt. Ex hac ſorte deinceps ſe ſuſtentare, prodigendi fine facto, inſtituit. Hic vt intelligat, quantum ex hac ſumma lucrari poſſit, & quousque reditus inde prouenientes pertingant, non opus eſt, vt eam ſummam conſideret tanquam reliquias magni patrimonii, & quotam partem illius haec faciat: ſed ſimpliciter ſpectat, quanta ea in praeſens ſit. Aſt vbi idem ad rationes reddendas ſit vocandus, omnino totum patrimonium, quantum id ab initio fuit, & quid nunc reſtet, conſiderandum eſt. Eodem modo Philoſophus eſt ſolicitus, quousque rationis lumen, quod in praeſens penes hominem inuenitur, pertingere queat. Sed Theologus, cuius eſt diſpicere, quomodo homo rationes ſuas Deo adprobare poſſit, conſiderare vtique debet, quanta ſors ab initio homini diuinitus fuerit credita, quantum hic poſtea ſua culpa decoxerit, quid remedii ad reliquatoris poenam declinandam ſit adhibendum.

§. XVII. IMPVGNAT deinceps ALBERTVS, quod ego aſſerueram, in diſciplina Iuris naturalis hominem nunc conſiderari, prout eius natura eſt corrupta, & multis prauis cupidinibus ſcatens; addita ratione planiſſima, quod ſtatus integritatis ſoli rationi ſit incognitus; cum tamen ex hac vnice noſtra diſciplina fuerit extruenda, quo foret ad captum totius humani generis. Vbi & hoc patet, corruptionem humani generis hautquidquam praeſupponi tanquam normam iuris, ſed tanquam affectionem ſubiecti, quae lege naturali compeſcenda & emendanda ſit. Contra ALBERTVS pertendit, neceſſarium omnino eſſe, vt omnes nationes vtantur iure vniuerſali, quod ad principia Theologiae in noſtris Eccleſiis receptae ſit adaptatum; Ac n. 11. quidem fatetur, non pauca iuris naturalis praecepta vsque adeo ad hominem corruptum reſpicere, vt in hominem integrum plane cadere nequeant, verbi gratia, facilem eſſe ad condonandas iniurias, ſubuenire miſeris. Addo & ego, ſi quis accurate velit euoluere totum Syſtema Iuris naturalis & gentium, deprehendet longe maximam eius partem in hominem integrum, prout eius conditio a noſtratibus Theologis deſignatur, non cadere. Mox tamen n. 12. conſulit ſibi diſtinctiuncula inter *principium* & *obiectum* Iuris naturalis; quaſi ſtatus integer ſit principium eiusmodi axiomatum aut praeceptorum, quae tantum in ſtatu corrupto intelligi poſſunt; corruptus autem ſtatus ſit tantummodo eorundem praeceptorum

rum

Digitized by Google

rum obiectum. Quam diſtinctionem credo iuuenes imperitos magno proſecutos applauſu, vtpote quibus illae ſubtilitates quam maxime ſolent eſſe admirationi, quae obſcuritate ſua rebus in ſe perſpicuis maximas tenebras offundunt. Etſi ſtatim num 13. eandem popularibus verbis proponat: *Dei prouidentia*, inquit, *& benignitate fieri, vt poſt lapſum inter reliquias imaginis diuinae nobis ea connaſcantur principia practica, quae non tantum in eodem genere actionis moralis etſi in minore gradu hodie poſſunt obſeruari, ſed & ad eas actiones, quae ſtatui corrupto ſunt propriae, in eodem valore extendi.* Id eſt, in ſtatu integro extiterunt, axiomata, quae nunc in ſtatu corrupto vt tali ſequenda ſunt. Atqui heic quaeri poteſt, vtrum iſta axiomata homini in ſtatu integro actu inhaeſerint, ita vt verbi gratia actu intellexerit, quibus modis hominum egeſtati foret ſuccurrendum, qua ratione in defunctorum bona ſuccedendum, quae tutoribus aduerſus pupillos obligatio, quae forma iudiciorum, quae ratio poenas exigendi, quae bellorum, quae foederum iura; antequam egeſtas, mors, delictum, poena, bellum in genus humanum caderet: an vero illa axiomata demum poſt lapſum in animis hominum enaſci coeperint. Vtrumvis aſſerere velis, rem non exiguis implicatam tenebris deprehendes. Aſt ex noſtra mente planiſſimum eſt dicere; ſicuti homini integro ex contemplatione naturae ſuae ratio regulas officii, quod in eam conditionem cadere poterat, ſuggeſſit: ita ratio homini corrupto itidem ex contemplatione naturae & conditionis ſuae officia illi conditioni neceſſaria ſuggerit. Pergit ALBERTVS n. 14. *Statum integrum a Chriſtiano cognitum fieri normam ſtatus corrupti, ſeu ex orthodoxa illius cognitione refutare in homine ſana ratione vſo dictamina non pauca; quae ad obſeruandas & confirmandas reliquias imaginis diuinae, nec non ad recuperandam perfectionem moralem, quantum viribus naturalibus fieri poteſt, nos obſtringunt. Et ex hac cauſa inter praecepta iuris naturalis ſunt referenda.* Vbi moneo, vix ſatis ſibi heic conſtare ALBERTVM. Nam nuper dixerat, talia axiomata nobis poſt lapſum *connaſci*, quae nunc *apud Chriſtianos ex cognitione ſtatus integri reſultare* pronunciat. Haec duo quippe diuerſiſſima ſunt. Nam quod connaſcitur, omnibus hominibus vt talibus adeſt: ſed quod reſultat ex cognitione ſtatus Chriſtianis tantum noti, id in Chriſtianos duntaxat cadit. Quo igitur iure regentur, qui articulum fidei Chriſtianae de ſtatu integro ignorant aut agnoſcere renuunt?

§. XVIII. EXINDE patet, fruſtra operam ab ALBERTO ſumi, quando *vim obligatiuam ſtatus integri ad ius naturae hodie refert vel formaliter, vel normaliter.* Nam vti hoc quidem certum eſt, quod omnia praecepta legis naturalis, quae hominem in ſtatu integro obligabant, eundem quoque in ſtatu corrupto obligent: ita illa praecepta, quae non niſi in corruptum ſtatum cadere poſſunt, ad integrum ſtatum tanquam normam referri, aut per extenſionem quandam prouenire, citra idoneam probationem, & inepte dicitur. Perinde ac ſi quis dicere velit, regulas curandi morbos per extenſionem quandam ex diaeta ſani hominis prouenisse; aut diaetam febricitantis ad diaetam ſani hominis normaliter referri. Qua methodo an multum lucis acceſſurum ſit medicinae, Aeſculapii filii viderint. Saltem ita longe petitum eſt illud *normaliter*, vt tantum ad tuendam vt-

cunque theſin id ſit inuentum, non quod reuera aliquid inde proficere haec diſciplina poſſit. Nam & tanta multitudo regularum, fere obſcurarum, ab ALBERTO promulgatur, quae confundere potius, quam dirigere aliquem in hac diſciplina queant: & ſi quis vel maxime omnia, quae ſuper integritatis ſtatu Theologi tradunt, nouerit; tamen quid iuris in ſtatum corruptum cadat, idem diſtincte & plene non intelliget, niſi alia principia in ſubſidium adhibuerit.

§. XIX. VIDETVR quoque ALBERTO diſplicuiſſe, quod cum ius naturale ad vſum fori humani a nobis adaptetur, quod forum circa externas hominis actiones occupatur, ad ea autem, quae intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut ſignum foras produnt, non penetrat: idem ius *magnam partem* circa formandas hominis exteriores actiones verſari dixerim. Cum contra Theologia moralis id maxime laboret, vt animi motus ad placitum Numinis componantur. Ad haec reponit ALBERTVS n. 21. *Honeſtum non conſiſtere in ſola actione exteriori, quae etiam ab hypocrita ſplendide & in ſpeciem exerceri poteſt, ſed primario nititur ipſa interna actionis bonitate* Atqui ne ALBERTVS putet, hoc a nobis fuiſſe ignoratum aut negatum, inſpiciat *operis noſtri de Iure N & G.* L. I. c. 7. §. 4. & 6. & c. 8. §. 2. 3. Et quando dicimus *magnam partem*, ſatis ſignificamus, ab eodem etiam interiores animi motus non plane inſuper haberi. Enimuero cum duo ſint fora, quibus actiones ſuas adprobare debet homo, diuinum & humanum, cuius fori, diſcrimen paſſim inſinuaui; conuenientiſſimum fuit viſum, curam diuini fori relinquere Theologiae, quae actiones humanas potiſſimum conſiderat, prout reſpectum habent ad Deum, eiusque voluntati congruunt vel non congruunt, & quae remedia ſint propitiando Deo ad expiandas quae tam varie committuntur a lege aberrationes. Iuri autem naturali praecipuae curae eſt forum humanum, quod licet & ipſum intelligat, actiones, quibus vlla ab agentis animo labes adhaeret, in foro diuino reprobari; cum tamen ratio humana nullum iam remedium idoneum, & cui ſecure queat adquieſcere, inueniat expiandis apud Numen delictis, inde ea cura ad Theologiam remiſſa id maxime ſpectat, quam efficaciam humanae actiones ad conciliandos aut irritandos homines habeant, & qua ratione negotia hominibus inuicem intercedentia ſint temperanda. Cum autem Deus maxime interna animi reſpiciat, homines autem iis afficiantur, quae in actum exteriorem prodeunt, ſenſusque feriunt; ratio ſane adparet, quare diſciplinae iuris naturalis maiori ex parte circa exteriores hominis actiones ſit diſpiciendum.

§. XX. SED nec omnia ad palatum ALBERTO videntur, quae a me ſuper hac quaeſtione tradita ſunt: Num ius naturae idem fuerit in ſtatu integro atque in corrupto? Quae huc redeunt, quod vtrinque quidem ſumma eius iuris capita ſint eadem; ſed circa particularia praecepta diſcrimen aliquod emergat. Nam ex affirmatiuis quidem praeceptis illa in ſtatu integro locum non inueniſſe, quae vel praeſupponunt inſtitutum a feliciſſima hominis conditione abhorrens, vel ſine morte & miſeria non intelliguntur. Sed & conuenientius videri caetera legis naturalis officia praeceptis potius affirmatiuis iuberi, quam eorum

eorum intermiſſionem negatiuis ſanciri, vbi nulli praui cupidines adſunt, qui in talia delicta propellant; etſi alias quoduis praeceptum affirmatiuum virtualiter interdictum omnis oppoſiti contineat. Vnde non eſt quaeſtio; num homini integro eadem vitia fuerint vetita, quae nunc ſunt corrupta, ſeu num eadem tunc, quae nunc, inhoneſta fuerint? Sed hoc quaeritur, num capita legis naturalis in quouis genere actionis in ſtatu integro affirmatiuis potius, quam negatiuis praeceptis, ſeu quae potius virtutes iuberent, quam vitia diſerte prohiberent, exprimi conuenientius fuerit? Quorum prius a nobis ex euidentiſſima ratione fuit adſertum. Neque vero quae ALBERTVS in contrarium habet, alicuius ſunt ponderis N. 12. agnoſcit, *inhoneſtum eo ipſo, quo praecipitur honeſtum, actu oblique prohiberi.* (Satius fuerat implicite dixiſſe; quia quae hoc modo prohibentur, directe prohibentur.) Numero tamen 23. aſſerit, *certa non minus & expreſſa extare axiomata, quibus ius naturae inhoneſta prohibet, ac quibus honeſta praecipit.* Rationem ſubiungit n. 24. *quia homo integer, ſi praeſertim ſtatus integritatis fuiſſet continuatus, etſi vires ſemper habiturus fuiſſet ad legem implendam, exercitium tamen earum in libertate erat poſitum, vt poſſet iis vti* PERINDE *ac abuti.* Atqui licet hominem integrum peccare potuiſſe euentus oſtenderit; non tamen credendum eſt eius libertatem ita velut in aequilibrio conſtitutam, vt non magis verſus bonum, quam verſus malum vergeret. Quin potius cum ab homine integro non ſolum praui cupidines exulauerint, ſed & idem in ſtatu gratiae per poſſeſſionem imaginis diuinae conſtitutus fuerit, omnino inſignis vergentia in ipſo ad bonum, & abhorrentia vltronea a malo ſtatuenda eſt. Alias enim ego quidem non capio, quomodo homo regeneratus, in quo tamen radix mali heic nunquam plene extirpatur, aut otioſa & inefficax redditur, per gratiam diuinam eo vsque prouehi queat, vt lege Dei delectetur, vt deteſtetur peccatum, vt doleat ſibi tantum facultatis non eſſe ad implendum bonum, quantum eſt voluntatis: ſi voluntas hominis integri, qui nullum mali fomitem intus habebat, & quem maior vtique gratia Spiritus Sancti ſuſtentabat, quam hominem regeneratum, in aequilibrio ad bonum & malum fuerit conſtituta, vt libertate ſua *perinde* poſſet abuti, quam vti. Omnino igitur conuenientius videtur ei, in quo magna ad bonum, nulla ad malum procliuitas deprehenditur, officii ſui regulas praeceptis potius affirmatiuis quam negatiuis proponi, etſi de caetero aequalis ad vtraque obſeruanda ſit obligatio. Caueat igitur ALBERTVS, ne, dum circa mea tradita nodum in ſcirpo quaerit, ipſe foedo ſe errore induat, ac ſtatum integritatis nobis plane ſubuertat. Sicuti & id naris non nimis emunctae argumentum eſt, quod n. 25. addit: *Ex hac cauſa Deum protoplaſtos in ſtatu integritatis praecepto negatiuo a peccato retraxiſſe:* DE LIGNO NE COMEDAS. Nam ſermo nobis vtique eſt de praeceptis naturalibus, non poſitiuis. Et dicto loco ob praeceptum iſtud haec verba (*non poſitiuum*) parentheſi incluſa ſunt; ne fortaſſe ALBERTVS putet, ſeſe primum fuiſſe tam lynceum, vt rem tam abſtruſam obſeruarit. Et alibi ſine dubio cogitationibus ſuis vagabatur ALBERTVS, quando ſcribebat: Deum iſto praecepto, *de ligno ne comedas*, protoplaſtos a peccato retraxiſſe. Nam de ligno comedere peccatum non erat, niſi Deus vetuiſſet; eoque Deus tunc ve-

 tando

Digitized by Google

tando non a peccato retrahebat; ſed efficiebat, vt actus, qui lege naturali peccatum non erat, peccatum fieret.

§. XXI. Posthaec operoſus eſt Albertvs, vt leges naturales, quae peccatum iam commiſſum praeſupponunt, per extenſionem ex ſtatu integritatis deducat, vtque regulas quasdam cudat, ex quibus intelligatur, quomodo ſtatus integer corrupto ſtatui pro norma ſit. Vbi id quidem certum eſt, non pauca particularia praecepta emerſiſſe poſt corruptam conditionem humanam, quae in integro locum plane non inueniebant. Verum vt iſta *normaliter* in ſtatu integro contineantur, non magis accurate dici arbitramur, quam ſi quis regulas curandi morbos normaliter referri ad regulas diaetae, quae in ſanum & robuſtum hominem cadit, aſſerere velit. Sed & in eo extra oleas vagatur Albertvs, quod, vt neceſſitatem huius extenſionis in ſtatu corrupto oſtendat, iactet; etiam in ſtatu integritatis, ſi diutius duraſſet, neceſſario in quibusdam illam adhibendam fuiſſe; in eiusque rei illuſtrationem exempli loco adfert, quod cum ab initio iure naturali non prohibitum fuerit, matrimonium inter fratrem & ſororem, id poſt multiplicatis hominibus etiam in ſtatu integro honeſtatis ſtudio prohibendum fuerit. Nam ſermo heic eſt de lege naturali, non de poſitiua, qua fratrum & ſororum coniugia prohiberi conſtat. Per talem autem extenſionem, qualem Albertvs vult, id, quod ex iſta extenſione producitur praeceptum itidem inter iura naturalia, non autem inter poſitiua locum ſortiri debet. Eoque interdictum connubium inter fratres & ſorores non prouenit per extenſionem vetiti matrimonii in linea recta, ſed peculiari ratione nititur. Sed nec idoneam rationem adferre poteſt Albertvs, quare in genere humano integro poſt ipſius multiplicationem connubia fratrum & ſororum in vetitum ire debuerint. Nam quae horum in corrupto ſtatu prohibitorum rationes afferuntur, de latius ſpargendis amicitiis. vt nuptis praeſidium eſſet contra iniurias maritorum, aut ne cohabitatio ipſorum inobſeruata ſtupris praeberet occaſionem, in ſtatum integrum non cadunt. abs quo itidem exulabat pudor, qui mihi aliisque inter praecipuas cauſas eius interdicti allegatur. Denique abſurdum videtur dicere; aliquid in ſtatu integro vetitum fuiſſe *honeſtatis cauſa.* Haec enim locutio videtur praeſupponere, aliquid minus honeſtum antea vſu fuiſſe frequentatum, verbi gratia: Si Orientales populi dicant, apud ſe honeſtatis cauſa receptum fuiſſe, vt mulieres in publico velata facie incedant, aut a conuiuiis virorum alienorum abſint, ſatis innuunt, diuerſum morem quibusdam vitiis fomitem praebuiſſe.

§. XXII. Tandem Albertvs monet, circa eas extenſiones caute agendum eſſe, ne in exceſſu aut defectu peccemus; & ei malo euitando operoſum adparatum regularum huc inſeruientium propinat. Circa quas illud ac initio monendum; earundem multitudinem & anxietatem certiſſimo eſſe iudicio methodi morbidae, & ad extruendam aliquam diſciplinam ineptae. Cum contra, qui ad captum omnium hominum diſciplinam iuris naturalis accommodarunt, vna regula eaque planiſſima rem abſoluant. Deinde illae ipſae regulae non ſunt pars Theologiae orthodoxae circa ſtatum integritatis, ſed ab Alberto

exco-

excogitatae ſunt ex collatione praeceptorum iuris naturalis, quae in ſtatum corruptum cadunt, cum ſtatu integro.

Adeoqve non poſſunt haberi pro axiomatibus, ex quibus ea diſciplina extrui poſſit aut debeat, cum ſint nihil aliud, quam reflexiones ſuper officiis in vtrumque ſtatum cadentibus, quatenus coincidunt, aut aliquam ſimilitudinem inter ſe habent. Cum ergo an & quo vsque regulae Albertinae valeant, non ex Theologorum ſcitis de ſtatu integro, ſed ex aliis principiis demonſtrandum ſit, quae non alia poſſunt eſſe, quam obſeruationes ex natura humana, prout ea nunc ſeſe habet, petitae; quid opus eſt per ambages vagari, ac tam obſcuros, intricatos & paucis cognitos tramites ſectari. Nam ſi ponamus aliquem, qui ad vnguem calleat, quae Theologi noſtri ſuper ſtatu innocentiae tradunt, qui idem tamen aliunde iuris naturalis diſciplinam iam non didicerit, ex iſtis quidem regulis non maiores profectus in iure naturali faciet, quam ex Lullianarum figurarum vertigine. Et haec quidem ad commenta Alberti monere viſum fuit.

§. XXIII. Caetervm dum circa inueſtigandam eiusmodi propoſitionem fundamentalem ſatagimus, non potuit non quoque occurrere illa diſceptatio de notitiis naturalibus; quae ſi ad liquidum deducta eſſet, nihil expeditius foret quam dicere; illa iuris eſſe naturalis, quorum notitia animis hominum natura foret inſita; quae deinceps ſuus cuique animus ſuggereret. Enimuero cum aliquid naturaliter notum eſſe duplici ſenſu dici queat, vel vt opponatur ei, quod ex diuina reuelatione fluit, aut per experientiam conſtat, & in facto eſt poſitum: vel vt opponatur ei, quod viribus naturalis rationis citra omnem informationem aut ratiocinationem cognoſcitur; in neutra acceptione prouenit propoſitio, ſcopo noſtro ſatis accommoda. Si enim naturalis notitia in priori ſenſu capiatur, legi naturali nihil eximii prae caeteris ſcientiis tribuitur, quae ex ſolo rationis lumine promanant. Hoc modo enim Logica, Arithmetica, Geometria, natura notae dici poſſunt, quia neque ad eas addiſcendas reuelatione ſupernaturali opus eſt, neque obſeruationem hiſtoricam & experimenta eaedem praeſupponunt. In hiſce ſi quis circa demonſtrandas propoſitiones nihil aliud afferre velit, quam quod natura notae ſint, parum efficiet; cum ad liquidam & firmam ſcientiam percipiendam diſtinctae & propiores rationes requirantur. Adeoque ſi, verbi gratia, demonſtrandum ſit, in triangulo tres angulos eſſe aequales duobus rectis; & nihil aliud quis afferre velit praeter hoc, quod ratio naturalis id dictitet, is quidem inter Mathematicos nunquam illuſtris erit; aſt ſi naturaliter notum capias in poſteriori ſenſu, pro eo quod ab ipſa natiuitate per modum actualium & diſtinctarum propoſitionum citra vllam antegreſſam informationem aut ratiocinationem animo inhaeret, ne ſic quidem propoſitionem habebis ſcopo noſtro congruentem. Quid enim ſi contingat, non ſingulos tantum homines, ſed & integras nationes ſuper praecepto aliquo legis naturalis diſſentire, quae via tunc erit verum inueſtigandi? Cum nemo recordari queat, quid ſibi naſcenti in animo haeſerit. Ergo deferetur controuerſia ad recens natos infantes, vt ipſi diſpiciant, vtra ex ſententiis, ſuper quibus controuertitur, in animis ipſorum iam haereat. Quod ſi quis reponat,

vtique infantes habere notitiam iſtarum propoſitionum, verum directam tantum, non reflexam, ſeu noſſe quidem iſtas, ſed quod nouerint, id non noſſe, nec de eo cogitare, aut meminiſſe; is ſciat, non vsque adeo arduum quidem eſſe, diſtinctionem qualemcunque comminiſci; ſed vt reuera exſiſtat, quod nuſpiam eſt, vtque cordati homines iſtud animo concipere queant, id vero oppido quam difficile eſſe. Sed & notum eſt, quantae ſuper iſtis notitiis innatis diſceptationes agitatae ſint. Ariſtoteles tabulae nudae animum hominis naſcentis aſſimilauit, cui tamen quiduis poſſit inſcribi. Multis nihil in animo eſſe traditur; quod non prius fuerit in ſenſu, ac ſi omnis noſtra ſcientia in animum ſeſe ope ſenſuum penetraret. Quod effatum recentiores quidam Philoſophi impugnant hac exceptione, quod vtique idea Dei, item idea harum propoſitionum, *ego cogito, ego ſum*, in animo ſit, quae nunquam in ſenſu fuerit. In quos tamen & ipſos alii viciſſim arma mouent. Alii obſeruant, ineſſe animo hominis non ſolum facultatem res apprehendendi, ſed & illas inter ſe conferendi, ac, in quo conueniant aut diſcrepent, ſecernendi, & ex conſiderata ea quo conuenientia aut diſconuenientia nouas notiones eliciendi, quas in ſenſu prius fuiſſe minus recte dicitur. Vnde euenit, vt felicia cumprimis ingenia multa intelligant & norint, quae nunquam auditione aut lectione perceperunt. Prorſus vti fertiles agri inſperſa ſemina multo cum foenore reddunt. Sic & de cauſis & conſequentiis rerum iudicare poteſt animus humanus; id quod inter obiecta ſenſuum referri non poſſe videtur. Eoque ita corrigunt vulgatum iſtud, vt nihil in memoria ſit, quod non fuerit in ſenſu; vt tamen in mente multa ſint, quae per ſenſus ingreſſa non ſunt. De caetero nemini mortalium conſtat, quales ſint imagines rerum, & quae earum conſecutio in animis infantum, antequam fari queant. Nam ex quo vſum ſermonis habemus, cogitata noſtra in animo tanquam propoſitiones verbis conſtantes tacite volui in aprico eſt. Quo autem modo & quibus incrementis ſermocinandi facultas comparetur, nemini non conſtat. Scilicet ex frequenti auditione primo addiſcuntur nomina rerum; quae quotidie ſenſibus obuerſantur. Inde progreſſus fit ad verba communiſſimas actiones exprimentia, ſed quae modo infinitiuo tanquam ſimpliciſſimo primitus efferri ſolent. Inde paulatim nomina & verba combinantur. Inflexiones nominum & verborum, aliaeque particulae pedetentim, addiſcuntur; Orationes autem apte connectere rationis iam adoleſcentis opus eſt. Atque iisdem incrementis iſta mentalis oratio, quae per cogitationes tacitas in animo ſeſe explicat, procedere videtur. Enimuero quia principia ſcientiarum ita perſpicua ſunt, vt facili negotio & leui ex occaſione ſeſe animis hominum inſinuent, ſic vt fere recordari nequeamus, quando primum ea hauſerimus, ipſaque adeo non tam extrinſecus in animum penetrare, quam in eo iam latitare, & per externam occaſionem excitari videantur: inde tralatitium dogma inualuit, ſemita ſcientiarum animis hominum connaſci, quae habitum quendam imperfectum conſtituant; qui dein adhibita cultura & diſciplina in perfectam ſcientiam adoleſcat. Aliis tamen omne, quod naturalis notitiae vocabulo venit, in potentia propinqua tantum animis a natiuitate inhaerere aſſeritur. Caeterum vti alios cum habitibus ſuis imperfectis, & potentiis propinquis

Digitized by Google

quis luctari aequo animo patior: ita diſciplinam iuris naturalis ex contemplatione natutae rerum & hominum deducere inſtituenti non potuit, non reiici illa aſſertio; quod animis hominum ab ipſa natiuitate congenita ſint, & velut impreſſa iuris naturalis ſaltem generalia praecepta ad modum *actualium* & *diſtinctarum propoſitionum*, quae ſtatim atque vſus ſermonis aſſerit, citra vlteriorem informationem aut meditationem ab homine proprio Marte poſſint exprimi. Ad has enim ex ſola ratione deprehendendas aliis experimentis opus eſt, quam quae hactenus haberi potuerunt. Caeterum poſtquam actuales iſtae & diſtinctae propoſitiones ex quotidiana infantium inſpectione, adeoque ex natura hominis, prout ea in ſenſus noſtros incurrit, non adparent; ad auctoritatem S. Scripturae confugitur, & cumprimis vrgetur, quod Rom. II, 15. lex naturae *cordibus* hominum *inſcripta* dicitur. Enimuero hoc ipſo, quod ea aſſertio non aliunde quam ex ſacris literis hauſta eſt, inſtituto noſtro parum quadrat, quo omnia ad lumen rationis referimus. Deinde Phraſis illa, quae non in diuinis tantum literis, ſed & alios apud auctores occurrit, manifeſte metaphorica eſt; cuius emphaſis firmitatem, ſtabilitatem & velut indelebilitatem notitiae iſtius, nequaquam autem peculiarem modum eius notitiae comparandae inſinuat. Vnde cum in aliis omnibus locis haec phraſis notet notitiam adquiſitam: nulla ratio reddi poteſt, quare in ſolo iſto loco eadem ſignificet notitiam ac ipſa natiuitate per modum actualium & diſtinctarum propoſitionum inhaerentem. Niſi forte inſipidis SCHWARTZII gloſſis infallibilis auctoritas ſit tribuenda, qui poſt verba illa, *opus legis cordibus ipſorum inſcriptum eſſe*, infercit; *antequam illud faciant, aut ratione ſua vtantur*. Cuius tamen aſſumenti fundamenta nulla in ipſo textu deprehenduntur, cum hautquidquam de infantibus ibi ſermo ſit, aut qui ratione ſua nondum vti norunt, ſed de talibus, quibus inuiſibilia Dei ex viſibilibus & ex rebus creatis perſpecta eſſe poterant. Neque vero vlla heic gloſſa opus eſt, cum verba immediate ſequentia clariſſime pondus iſtius phraſeos explicent. *Gentes, quae legem ſcriptam non habent, tamen natura opera legis faciunt, eoque ſibi ipſis lex ſunt, ac demonſtrant opus legis cordibus ipſorum eſſe inſcriptum: ſiquidem conſcientia eos conuincit, & cogitationes ſe inuicem accuſantes & excuſantes.* Ex quibus verbis hicce planiſſimus reſultat ſenſus; Notitia legis naturalis, quae ex contemplatione creaturarum absque peculiari promulgatione, qualis Iudaeis contigit, oritur, non ſuperfunctoria eſt, & quae facile iterum euaneſcere & deleri queat; ſed penitiſſimo infixa eſt animo, ſic vt vbi quis contra eam legem peccarit, ipſa conſcientia eum conuincat, & cogitationes inter ſe accuſantes & excuſantes. Vnde & locutio illa, quam Tenebrio iſte velut ſolennem confeſſionem crepat: *lex naturae eſt inſcripta cordibus per imaginem Dei*, reuera huic loco Paulino non quadrat, vbi non per imaginem Dei, ſed per contemplationem creaturarum lex inſcribi cordibus dicitur. Quanquam ſi omnino imaginis diuinae mentio ſit heic facienda, hic ſenſus ſit planiſſimus: quod homo ex viſibilibus inuiſibilia Dei cognoſcere poſſit, id ipſum exinde eſſe, quod idem ad imaginem Dei creatus ſit. Inepte quoque ab Eodem adducitur dictum, Ier XXXI, 13. Nam ſi ex hoc SCHWARZIVS exſculpere velit, legem naturalem naſcentibus per modum

dum actualium & diſtinctarum propoſitionum inhaerere, praeſupponendum ipſi eſt, quod Deus eodem modo intellectum hominis illuminet in generatione, quo eum illuminat in regeneratione; & quod lex Dei in regeneratione intellectui hominis inſcribatur per modum actualium & diſtinctarum propoſitionum citra vllam informationem. Quod quomodo ſit, liquido probaturus ipſe viderit.

§. XXIV. Dispiciendvm quoque paucis eſt, num fundamentalis propoſitionis locum ſubire poſſit haecce: Honeſta ſunt facienda, turpia ſunt omittenda: quam quidem Valentinus Velthemivs, *Profeſſor Ienenſis*, tanquam *principium primoprimum* venditat, abs quo omnis doctrina moralis primo procedat, & in quod vltimo reſoluatur, in quo fundentur omnia alia praecepta legis naturae; in quo prima ratio agendi contineatur; quod ſit indemonſtrabile, & vnde deciſiones omnium quaeſtionum ac caſuum moralium prodeant. Vbi monemus, vt aliqua propoſitio vſum, quem intendimus, exhibere queat, non quidem requiri, vt prima ſit, aut prima prior, ſeu vt eius ratio a priori non poſſit reddi. Sed tamen nec hoc ſufficere, vt vera & extra dubitationis aleam poſita ſit: verum id quam maxime requiri, vt euidentem contineat rationem propoſitionum particularium, quae in eam reſoluendae ſunt. Talem eſſe propoſitionem, quam nos fundamentalem conſtituimus, in aprico eſt; vtpote quae licet extructa ex obſeruationibus, quas natura rerum & hominum ſuppeditat, a nemine tamen, qui ſenſum communem non eierauit, in dubium vocari poteſt; & particularium legis naturalis praeceptorum euidentiſſimam rationem continet, in quam itidem haec facillime reſolui queant. Aſt axioma Velthemianum primo eſt mutilum, quippe in quo deeſt mentio ſubiecti, cui aliquid honeſtum aut turpe, faciendum aut omittendum ſit. Sane enim brutis neque honeſtum aliquid, neque turpe eſt, eoque iſtis nihil vt honeſtum faciendum, nihil vt turpe omittendum. Deinde falſum eſt, eam propoſitionem vſque adeo eſſe primam, vt eius ratio a priori reddi non poſſit aut debeat. Cum enim honeſtum ſit, quod ad honorem & exiſtimationem hominis augendam aut conſeruandam facit, ſeu quod conditionem, perſonam & dignationem eius decet; turpe autem contrariam habeat naturam: vtrumque ſane ex accurate inſpecta natura & conditione hominis eſt inueſtigandum, eoque omnino illi viae, quam nos tenuimus, eſt inſiſtendum. Inueſtigato autem quid hominis conditionem deceat, inquirendum iam eſt, vnde ipſi, tanquam agenti libero, neceſſitas ſit vtique faciendi, quae honeſta; omittendi, quae turpia vocantur. Quod vltimo tandem a voluntate & iuſſu Creatoris prouenire, ex ipſa natura rerum & hominis Philoſopho eſt demonſtrandum. Eoque obſeruationes ex natura rerum petitae reuera ſunt vltimum illud, in ſcientiis humanis, quo vbi peruentum fuerit, nulla amplius ratio a priori locum habet. Qui autem diuerſam a nobis ſectantur viam, circulari ſua demonſtratione ſibi & aliis illudunt. Ab his quippe ſi quaeras, quid honeſtum ſit; reſpondent, quod cum recta ratione conuenit. Si quaeras, quid ſit cum recta ratione conuenire; reſpondent ex Ariſtotele: rectam rationem eſſe, quae non prohibetur opus ſuum exercere per appetitum ſenſitiuum. Si vlterius vrgeas, vnde conſtat, rationem ab appeti-

tu

tu ſenſitiuo non prohiberi opus ſuum exercere: reſpondebunt demum; quando ratio honeſta facienda, turpia omittenda dictitat. Nec liberantur iſti homines ſua vertigine, ſi vel maxime ponamus, dari honeſta & turpia per ſe. Nam tum eaedem quaeſtiones recurrent, vnde conſtet, hoc vel illud in ſe & ſua natura honeſtum aut turpe eſſe. Ad quod iterum vel nugatoriae reſponſiones erunt reponendae, vel tandem id ipſum ex natura rerum & hominum erit deducendum. Sic nemo vel hilo ſapientior poteſt fieri illa doctrina VELTHEMII, quam in *prooemio Synopſeos ſuae MStae* §. 21 proponit: *Fundamentum Iuris naturalis eſſe naturam obiecti iuris naturae, ſeu naturam actuum, de quibus lex naturalis proponit. Rationem eſſe, quia actus illi, qui obiectum iuris naturalis eſſe dicuntur, talis naturae ſunt, vt ſi quis recta ratione vtitur, & de hiſce actibus practice iudicare vult, aliter iudicare nequit, quam quod huiusmodi actus ex ſua natura neceſſarii ſint in genere morum* Aſt quid reſpondebit VELTHEMIVS, ſi quis vlterius quaerendo inſtet, quo demum indicio alicui conſtare queat, ſe recta ratione fuiſſe vſum? Quod ſi autem aliquis cum VELTHEMIO dicat; vbi huc vsque peruentum fuerit, vt reſpondeatur, *hoc vel illud in ſe & ſua natura turpe eſſe*, non vlterius quaerendum eſſe; ac ſi adquieſcere nolit, colaphos & fuſtes ipſi intentandos: tunc ſuaſerim quidem, vt puer aliquis niuem atram fateatur potius, quam vt ſaeuitiam tam duri magiſtri in ſe irritet. Sed qui manum ferulae ſubduxerunt, non eo minus plagoſum iſtum Orbilium Anticyram nauigare iubebunt Nam ſtultum quidem eſt, primorum principiorum rationes exquirere; ſed ſtultius pro primis principiis venditare, quae magnae adhuc diſceptationi obnoxia ſunt. Inprimis autem obſeruandum, haec effata; *honeſtum eſt faciendum, turpe omittendum*, in diſciplina iuris naturalis eſſe valde ſterilia, & quae ad alia dogmata eruenda parum lucis afferant. Nam in diſciplina morali verſantes praeſupponimus, vel plena & facili demonſtratione agnoſcimus, honeſta, ſeu quae hominem decent, eſſe facienda, contraria omittenda. Enimuero de hoc inueſtigando ſumus ſoliciti, quaenam ſint illa honeſta, quaenam turpia, & ad hoc dignoſcendum idonea axiomata & obſeruationes quaerimus; & hanc propoſitionem pro fundamentali amplectimur, quae vniuerſale aliquod γνώρισμα huius rei ſuppeditauerit. Eoque omnia quidem, quae in praxi morali exprimenda ſunt, ad haec duo capita reuocantur; honeſta ſunt facienda, turpia omittenda; ſed qua infallibili nota vtrumque dignoſcatur, ex aliis fundamentis eſt deducendum. Quod ſi autem aliquis dicat, euidentiam huius ratiocinii, (verbi gratia, honeſta ſunt facienda, ſuum cuique tribuere eſt honeſtum, qui promiſſum ſeruat, tribuit alteri quod ſuum eſt; Ergo promiſſa ſunt ſeruanda:) facile conſtare illi, qui vitio ἀπαιδευσίας non laborat; is eo ipſo fatetur, vt quis norit, an haec vel illa ſpecies actionis honeſta ſit, non ex hoc axiomate, (*honeſta ſunt facienda*) deduci poſſe, ſed ad hoc noſcendum aliis principiis opus eſſe? Sicuti in medicina nihil magnifici praeſtabitur hiſce effatis; ſalutaria ſunt adhibenda, noxiis eſt abſtinendum; ſed vt quae cuique morbo ſalutaria ſint, quae noxia, intelligatur, hic labor, hoc opus eſt; cui ſane fini alia principia ſubſeruire debent.

* *

CAPVT V.

DE
ORIGINE MORALITATIS ET INDIFFERENTIA MOTVS PHYSICI IN ACTIONE HVMANA.

§. I.

Etsi quae ſuper hac materia tradidi, Diuinis literis, ſanae rationi, ipſique rerum naturae maxime conuenientia ſint; ita ſiniſtre tamen eadem per homines maleuolos aut propter praeiudicia coecutientes accepta, ita peſſimis modis exagitata ſunt, vt vix vnquam vlli erudito foediorem calumniam impactam crediderim. Et quanquam ſemel iam atque iterum publice declarauerim, quam procul & ſententia & verba mea ab iſtorum hominum calumniis abeant; tamen poſtquam rei euidentia victos ſe cernunt, ab impudentia praeſidium ſibi mutuantur, & calumniandi peruicacia ſaltem apud imperitos ſiniſtram de me opinionem alere inſtituunt. Eo operoſius nunc eandem controuerſiam denuo deducere placet, vt ſaltem illud praetextum maleuolis adimatur, me ſententiam meam non ſatis clare expoſuiſſe. Quod ſi deinceps quis veterem calumniam reuomuerit, non alia defenſione opus erit, quam vt mendacii opprobrium publice ipſi impingatur.

§. II. Vt igitur denuo rem ab incunabulis repetamus, actionem moralem penitius introſpicienti patet, aliquid in illis eſſe naturale ſeu phyſicum; aliquid morale, quod ab impoſitione, determinatione & definitione entium intelligentium promanat; Phyſicum eſt, quodcunque a potentiis homini congenitis, vt talibus, procedit; vti eſt non ſolum motus membrorum & artuum humanorum vna cum effectu, quem motus iſte per naturalem habitudinem in obiecto producit; ſed etiam actus animae, per quem iſte motus praeuia cognitione, & ex decreto voluntatis prodire intelligitur, & ex quo conſequitur, vt eiusmodi actus homini imputari, ſeu ſuus dici, & ipſe eiusdem auctor haberi queat. Sed vt plena actio moralis fiat, huic motui phyſico ſuperuenit & accedit qualitas quaepiam ſeu affectio moralis, iuxta quam actio illa bona & mala in genere morum dicitur; quae affectio reſultat ex congruentia aut diſconuenientia eius actionis cum norma morali ſeu lege, & quidem vt ea conuenientia aut diſconuenientia non temere & quaſi fortuito, ſed per vltroneam adplicationem & directionem hominis prouenerit; id eſt, vt homo ſciens volensque actionem ſuam ad normam iſtam adplicuerit, aut adplicare noluerit. Hanc affectionem actionis,

nis, quam bonitatem & malitiam vocamus, eſſe qualitatem moralem, non autem phyſicam, in aprico eſt; quippe cum illa non reſultet ex affectionibus naturalibus motus, quod omnes agnoſcunt, qui diſcrimen entium naturalium & moralium capiunt. Quae autem neutra harum qualitatum imbuta eſt actio, eam indifferentem ſolemus vocare. Ex hac autem diſtincta conſideratione adparet, quid ſit illud in actione humana, ad quod Deus quoque tanquam auctor & conſeruator naturae concurrit, & quid hominis ſit proprium. Nimirum ad id, quod in actione humana phyſicum eſt, Deus quoque concurrit; quippe qui & membra hominis, viresque & vim locomotiuam conſeruat, nec non facultates animae ſuſtentat, vt homo intelligere, & velle ac nolle, adeoque actionem humanam edere poſſit. Hominis autem proprium & peculiare eſt, quod in actione iſta eſt morale; nempe facultates & vires naturales, a Deo conceſſas & ſuſtentatas applicare, & ad normam dirigere vel non dirigere; quae adplicatio & directio prout recte aut ſecus ſe habet, actionem bonam aut malam reddit. Ita tamen, vt ſi quid ab homine recte fuerit actum, cauſam gloriandi & velut praetendendi quid aduerſus Deum non habeat, quippe qui vires homini ſuppeditauit, deditque vt eas recte applicare poſſet, ni ipſe nollet. Sed contra, vbi ſecus quid ab homine actum fuerit, omnis culpa ſolius eſt hominis, quippe qui viribus a Deo conceſſis abuſus eſt, aut vti neglexit. Qualitatem porro bonitatis & malitiae moralis in actiones humanas ex relatione ad legem oriri, conſtat. Et ipſe ſacrae literae peccatum vocant ἀνομίαν ſeu aberrationem aut defectum a lege. Ergo bona actio eſt aliquid cum lege congruens. Id quod vel pueri norunt, & qui nondum aere lauantur.

§. III. Hunc igitur motum phyſicum, ſeu actionem humanam quatenus ab omni lege tam naturali quam poſitiua abſtrahit, indifferentem in genere morum pronunciamus, id eſt, neque bonam neque malam. Quod dogma vſque adeo nihil nouitatis habet, vt etiam ruſticis ex ſenſu communi cognitum ſit, qui vtique intelligunt, & adplicare norunt tritum illud: Vbi nulla eſt lex, ibi nulla eſt transgreſſio. Et idem iam antea a me euidentiſſimis rationibus demonſtratum eſt. Nam manifeſtam contradictionem implicat dicere; aliquid abſque reſpectu ad legem bonum aut malum eſſe in genere morum; cum ea bonitas & malitia reſultet ex conuenientia aut diſcrepantia actionis a lege. Et quia ad quamuis actionem humanam, iſthoc modo conſideratam, Deus tanquam auctor & conſeruator naturae poſitiuo influxu concurrit, neceſſum ſane eſt, eam in genere morum indifferentem pronunciare; cum alias Deus malae quoque actionis auctor & adiutor dicendus foret. Accedit & hoc, quod dentur actiones, in quibus motus phyſicus plane eſt vnus & idem; quae tamen moraliter diuerſiſſimae ſunt, & vna ad bonas aut licitas, altera ad malas refertur. Quod fieri non poſſet, ni motus phyſicus abſque reſpectu ad legem in genere morum eſſet indifferens. Sic vitam homini eripit latro, miles, carnifex, & qui ſe aduerſus inuaſorem defendit. Prior malam actionem perpetrat, caeteri bonam aut licitam. Id quod fieri non poſſet, niſi vitam eripere homini etiam voluntario abſque reſpectu ad legem in genere morum indifferens foret. Sic

idem cum eadem concumbit, dum adhuc ſoluta, aut cum altero nupta eſt, & poſtquam ipſe eandem vxorem adſciuit. Vterque concubitus in genere naturae eſt idem; ſed in genere morum prior peccatum eſt, poſterior non. Ergo concubitus in genere naturae, indifferens eſt: ſed idem poſtquam ad legem refertur licitus, bonus aut malus euadit.

§. IV. Enim vero ne quis hanc aſſertionem iuſto latius extenderet, caute monui; non omnia vocabula actionem humanam ſignificantia notare nudum motum phyſicum, a lege abſtractum; ſed plurima notare actionem plene moralem, bonam aut malam, adeoque vna cum motu phyſico connotare reſpectum ad legem. Eoque ad nauſeam vſque inculcaui, peſſime inferri hoc modo. Actio humana citra reſpectum ad legem eſt indifferens in genere morum. Ergo etiam homicidium, adulterium, furtum eſt indifferens in genere morum. Haec quippe vocabula non notant nudum motum phyſicum, ſeu actionem ſine reſpectu ad legem; ſed quam maxime praeter motum phyſicum connotant aberrationem a lege. Sic homicidium non ſimpliciter notat ereptionem vitae, ſed iniuſtam & legibus repugnantem: adulterium non notat ſimplicem concubitum, ſed talem qui legibus interdicitur. Et eum in finem a me adductus eſt locus ex Aristotelis ad Nicomachvm L. II. c. 6. vbi de indifferentia affectuum contra Stoicos diſputat, & monet; quosdam affectus & actus ipſo nomine cum prauitate implicari, id eſt non notare ſimplicem motum animi, aut actionem, ſed motum animi & actionem legibus repugnantem; vt inuidia, *ἐπιχαιρεκακία*, impudentia, item adulterium, furtum, homicidium Sic vt profecto inauditae calumniae exemplum ſit, ex hacce doctrina fingere, a me ſtatui, verbi gratia, adulterium, furtum, homicidium eſſe in genere morum indifferentia. Sane enim adulterium non notat ſimplicem concubitum & commixtionem cum foemina; ſicuti furtum non notat ſimplicem contrectationem rei alienae, qualis etiam eſt in vſufructu, commodato, precario, locato conducto, ſed aliquid amplius. Eoque contrectare rem alienam eſt indifferens, furtum autem eſt malum.

§. V. Qvanqvam autem manifeſtum ſit, bonitatem & malitiam actionum eſſe qualitates morales; ſcrupulum tamen mouere poteſt, quod ex actionibus turpibus pudor, qui vtique effectus naturalis eſt, proueniat. Iam ſi effectus in claſſe qualitatum naturalium locum ſortitur, vtique & cauſam eiusdem, nempe turpitudinem, pari claſſe cenſendam. Quod dubium diſcuſſi L. I. c. 2. §. 7. nempe nihil repugnare, ex qualitate morali produci effectum phyſicum; pudoremque non ex turpi tantum actione oriri, ſed & aliis ex rebus, quibus nihil moralis turpitudinis ineſt; quod dicto loco latius deduxi. Et huc etiam ſpectant verba in antecedente §. 6. a me poſita, quae nonnemo improbe cauillatus eſt, & in alium plane & abſurdum ſenſum detorquere non erubuit; quaſi a me *omnes actiones indifferentes*, & *natura nihil turpe* ſtatueretur. Ac ne quid foedarum artium, quibus caetera calumniatorum factio in hoc negotio vſa eſt, ab ipſo omitteretur, parentheſin de ſuo verbis meis inſeruit, quae plane a contextu meo abhorret: *Quod naturalem* (eorum quae turpia habentur) *indifferentiam*

Digitized by Google

rentiam multi aegre concipere queant, inde eſt, quod a teneris iſtorum vitiorum deteſtatio nobis fuit inculcata, quae opinio ſimplici adhuc menti impreſſa in vim naturalis cuiusdam affectus videtur inualuiſſe. Vbi manifeſtum eſt, parentheſin illam, quae infercitur, & contradictoriam producere propoſitionem (turpia naturaliter eſſe indifferentia,) & ab iis, quae ibi diſputantur, plane abire. Nam vtique verba immediate antecedentia in toto illo paragrapho ſatis oſtendunt, me agere tantum de nudo motu phyſico citra reſpectum ad legem, non autem de integra actione morali, & quae conuenientiam aut diſconuenientiam cum lege connotat. Aliud quippe eſt, ſi dicam: motus phyſicus, qui in furto interuenit, eſt indifferens in genere morum; aliud eſt, ſi dicam; furtum eſt naturaliter indifferens. Prior theſis mea eſt: poſterior pet atrociſſimam iniuriam & calumniam mihi ab Aſinio Tenebtione & eius ſectatoribus affingitur. Licet autem verba mea iam alibi ſat plane ſint expoſita, & in ſe nihil ſiniſtrae ſuſpicionis excitare queant, niſi apud eos, qui araneorum ad inſtar etiam ex innoxiis floribus venenum trahere norunt: conabor tamen plusculum lucis iſtis afferre. Continent igitur illa reſponſionem ad tacitam quandam obiectionem, quam innuere potius, quam expreſſis verbis ponere malui, quod ea mihi ſemper ſcribendi ratio arriſerit, vt ingenioſo lectori potius aliquid cogitandum relinquerem, quam nimis anxia rerum manifeſtarum inculcatione taedium ipſi mouerem. Scilicet obiicere quis poterat, turpitudinem actionum eſſe qualitatem Phyſicam, ideo quod multi circa certa vitia naturalem quendam horrorem ſentiant, ſicuti quidam certum cibi genus caeteris gratum auerſantur. Atqui cum auerſatio iſta ſit paſſio quaedam naturalis, cauſam ipſius, nempe turpitudinem vitiorum, itidem qualitatem eſſe naturalem, (& non moralem ex reſpectu ad legem reſultantem,) credi poſſet. Ad hanc obiectionem reſponſio dicto loco inſinuatur. Scilicet vti alias communi prouerbio, conſuetudo altera natura dicitur; ita etiam apud bene educatos a iuuentute tanta inoleſcit vitiorum quorundam auerſatio, vt iſti ab hiſce abhorrere videantur, non tam quod legibus iſta repugnare norint, quam quia affectus ipſi ab iis abhorrent. Quod alibi exemplo fratrum & ſororum declaraui, quos carnali inuicem amore exardeſcere monſtri ſimile habetur, cum tamen matrimonia eorum poſitiua tantum lege interdici plurimi Theologorum & ICtorum agnoſcant. Taliter igitur educatis vix ſubit originem iſtius auerſationis ab interdicto legis arceſſere aut cogitare, motum Phyſicum, qui iſti actioni ſubeſt, eſſe quid indifferens; ſed turpitudinem talium actionum non alio modo repugnare homini arbitrantur, atque nimium calorem, frigus, dolorem, & quod praeterea naturalium qualitatum homini eſt infeſtum.

§. VI. Cvm igitur conſtet, bonitatem & malitiam in actionibus humanis eſſe qualitatem moralem, ortam ex conuenientia, aut diſconuenientia cum lege, lex autem auctore & latore ſuo antiquior ſeu prior eſſe nequeat: conſequitur etiam originem moralitatis vltimo ad legislatorem eſſe referendam, nec vltra ipſum retrahendam; eoque non fingendam eſſe honeſtatem & turpitudinem, quae lege aut legislatore ſit prior. Quo praeter alia argumenta alibi iam

Digitized by Google

a me adducta, etiam adplicari poteſt illud, quod ingenioſiſſimus Theologus Io. Andreas Osiander *in Animaduerſ. ad* Grotium p. 60. habet. *Si daretur aliquod bonum aut malum morale ante legem, quomodo obligatio, quae non niſi a ſuperiore proficiſcitur, ibi adeſſe poſſet? Nam bonum & malum morale inuoluit reſpectum ad perſonam, quae iſtam actionem edit; cui ſi nulla eſt obligatio, neque etiam eſt bonum & malum.* Cum porro latio legis ſit actus maxime voluntarius, eſt quippe lex decretum ſuperioris; adparet ab origine moralitatis voluntatem legislatoris nec poſſe, nec debere excludi; eoque reuera de omnibus actibus, quacunque lege praeceptis aut vetitis dici poſſe; illos praecipi aut vetari, quia legislator voluit. Enimuero heic voluntas legislatoris non concipienda eſt tanquam coecus quidam impetus animi & mera libido, nulla ratione ſubnixa, & quae nullum alium ſcopum habeat, quam vt libertas ſubiectorum circumſcribatur. Sed habenda eſt lex pro opere maxime rationabili, & quod ſubditis ſummae rationis loco in actionibus ſuis dirigendis eſſe debeat. Inde etiam qui leges poſitiuas ferunt, ſemper reſpiciunt aut reſpicere debent bonum aliquod ex earum obſeruatione prouenturum, licet id bonum, adeoque & ea ratio legis ipſis ſubiectis quandoque parum ſit cognita. Aſt naturalium legum obſeruatio longe maximum & euidentiſſimum bonum humano generi producit; quippe cum Creator naturam hominis ita formarit, vt niſi obſeruatis hiſce legibus illud incolume eſſe nequeat. Sic vt vltima ratio harum legum ſit, quia earum obſeruatio ad naturam & conditionem hominis ita quadrat, vt ex illa huius incolumitas & felicitas, ſicuti ex eiusdem neglectu calamitas, miſeria & deſtructio, dependeat. Naturam autem ſuam homo a volente vtique Deo ſortitus eſt; neque homini lex naturalis iniungi potuiſſet, niſi & natura hominis, & certarum actionum ad eandem habitudo a Deo producta fuiſſet.

§. VII. Ex dictis porro colligitur, quam ob cauſam & quo ſenſu a me ſit reiecta haec propoſitio; ea de quibus lex naturae diſponit, per & in ſe & ſua natura ſunt honeſta aut turpia: nempe quatenus per hanc propoſitionem Deus, eiusque voluntas a prima origine moralitatis excluditur, & huius vel nullum plane certum principium, vel aliud extra & praeter Deum legemque ſtatuitur. Alias enim eandem in certo ſenſu lubenter admittimus. Et quidem primo eam probamus, ſi *τὸ per ſe & ſua natura* opponatur impoſitioni, conuentioni & opinioni humanae. Sicuti & Aristoteles iuſtum naturale opponit legibus ciuilibus & poſitiuis, quae non vbique valent, quaeque ex impoſitione humana, conuentione aut opinione oriuntur. Deinde admittimus eandem, ſi addatur mentio ſubiecti, cui ea in ſe & ſua natura honeſta dicantur, verbi gratia dantur actus, qui per ſe Deo non conueniant, id eſt qui ſalua ipſius perfectione & citra contradictionem in eum cadere non poſſunt. Item, dantur actus in ſe & ſua natura honeſti aut turpes homini; ſeu quia natura hominis ita eſt comparata, vt iſta non poſſint non eidem congruere vel non congruere: Adeoque quicunque per hanc locutionem Deum legemque diuinam ab origine moralitatis non excludunt, quique *τὸ per ſe & ſua natura* vltra creationem non retrahunt, idque ſe antecedenter ad Deum, eiusue voluntatem & diſpo-

ſitionem

ſitionem habere negant, mihi nequaquam contradicunt, aut ſi & ipſi clamores in me tollant, cum propria vmbra ſtolide luctantur. Inde & plane cum ſententia mea conſpirant, quae in *Protheoria Annotatorum in* Grotivm n. 18. proponit Valentinvs Albertvs, Profeſſor Lipſienſis. *Compendium orthodoxum iuris naturalis*, quam maxime enixus. *Honeſtum*, inquit, *quod ad vtrumque ſtatum* (integrum & corruptum) *pertinet, eſt ſimpliciter tale, dependenter tamen a Deo. Res ſe ferme habet, ſicut cum propoſitionibus neceſſariis eſſentialibus. Homo ſane non poteſt non eſſe rationalis, quia alias non eſſet homo. At enim haec eſſentiae humanae neceſſitas dependet a decreto diuino, quo illa ſic immutabiliter ordinata ac definita eſt. Quemadmodum porro ius naturae neceſſarium omnino eſt, nec valet, vt* Aristoteles *loquitur, quia ita videtur, vel non videtur: legislatorem tamen, quia lex eſt, requiri: ita honeſtum ſimpliciter ſemper tale eſt, & arbitrio noſtro eximitur, ſaluat tamen, quam a Deo omnis boni fonte habet dependentia.* Sic & Idem *ad Prolegomena* Grotii *theſi* IV. §. 17. recte *externam cauſam iuris Naturae* vocat *Deum, quia vt talia principia in nobis exſiſterent, ipſe voluit.* Et §. 18. *Vnde conſtat dependentia obligationis in iure naturali a Deo; adeo vt ſi daremus non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana, nullum etiam locum iuri naturali relinquere poſſumus. Lex enim ſine latore legis non magis eſſe poteſt, quam effectus ſine cauſa.* Sic ad L. I. c. 1. §. 11. *Idem obiectum iuris naturalis* dicit *actus debitos aut illicitos per ſe, prout conueniunt, aut repugnant, dictaminibus ſtatus integri hodienum validis:* quae vt exſiſterent in nobis, *Deum voluiſſe* ſupra tradiderat. Et tamen Idem ad §. 18. dicto loco ſui oblitus, & velut vertigine correptus, reuera Deum ab origine legis naturalis excludit, dum repetit & adprobat ſententiam Grotii falſam & ineptam, & quae, vti ſuſpicor, propter ſolam amoenitatem figurae rhetoricae ipſi impoſuit. *Obiectum iuris naturalis*, inquit, *ſunt actus debiti aut illiciti per ſe; poſitiui diuini indifferentes. Hinc illos praecipit Deus aut vetat, quia in ſe iuſti aut iniuſti ſunt: hi iuſti aut iniuſti ſunt, quia Deus praecipit eos aut vetat.* Vbi ſane & ipſe *τὸ per ſe & in ſe* praecepto, voluntati & diſpoſitioni diuinae opponit. Quid ergo ad ius naturae Deus contulit, ſi actus illi ante eius praeceptum in ſe iuſti fuerunt aut iniuſti? Humanis equidem legislatoribus illud per ſe iuſtum & iniuſtum opponi debet, nequaquam autem Deo, qui voluit & fecit, vt actus illi neceſſario humanae naturae congruerent vel non congruerent; & quem nulla neceſſitas ſubigebat, vt iſtos actus praeciperet aut vetaret, niſi quam ipſe ſibi fecerat, & quae fluebat ex fine, quem ipſe ſibi libere propoſuerat.

§. VIII. Enimvero in hac controuerſia, quantum mihi conſtat, maxime omnium horrendis clamoribus rem geſſit Valentinvs Velthemivs, *Profeſſor Ienenſis*, duabus Diſſertationibus ſuper hoc argumento Ienae editis. Quarum prior etſi iam in *Appendice ad Diſſertationes meas* dignam ſe anatomen ſubierit, & cramben alias eandem bis adponere moleſtum ſit: tamen quia hoc ſcripto vniuerſa illa litigia amplecti conſtitutum eſt, non pigebit eadem heic denuo recenſere. Ac initio quidem monet, hanc ſibi viam videri ad inueſtigandum ius naturale maxime idoneam, *contemplari naturas actuum*, qui obiectum

ctum eius iuris conſtituunt, in iisque fundatam obligationem. Atqui contemplatio illorum actuum huc quidem facit, vt naturalia a poſitiuis diſcerni queant, nequaquam autem vt voluntas Dei ab origine eius iuris excludatur. Neque contemplatione illa multum efficies, ni actus illos cum conditione naturae humanae compares. Inde quando termini quaeſtionis explicantur, fraudulenter exempli loco eiusmodi actus ſubiiciuntur, *colere Deum, honorare parentes, omittere furtum, homicidium.* Atqui ſi VELTHEMIVS hanc meam theſin oppugnat, quod motus phyſicus in actionibus moralibus ſit indifferens, per ſummam ruditatem aut malitiam adducuntur exempla actionum, quae nequaquam nudum motum phyſicum, ſed integram actionem moralem, & reſpectum ad legem inuoluentem notant. Quod ſi autem id vult impugnare VELTHEMIVS, quod a me voluntas Diuina inter origines moralitatis ponitur; tunc ſane conſtat, in eo qui cultum & honorem alteri exhibiturus eſt, lumen intellectus requiri: quod ſane homo ex voluntate & placito diuino ſortitus eſt, & eo quidem fine, vt ope iſtius Creatorem agnoſceret atque coleret. Sic & quando IDEM honeſtum vocat id, *quod rectae rationi vt tali conuenit*, propria vineta caedit. Nam qui ad rectam rationem prouocat, vtique praeſupponit, eam cognitione legis naturalis imbutam. Neque enim eius rectitudo aliunde poteſt aeſtimari, quam quod ex contemplatione conditionis humanae praecepta legis naturalis, adeoque iuſſum & beneplacitum Creatoris, bene ratiocinando colligat. Quin & quod rationem homo poſſideat, eiusque ope colligere aliquid poſſit, tanquam beneficium abs Deo vltro collatum poſſidet. Denique ſi vocabula *debiti* & *moraliter neceſſarii* de hominis actione efferantur, ſimul principium velut & fons debitionis & neceſſitatis innuitur, qui non in actu ipſo, ſed in decreto & voluntate legislatoris, per legem declarata, quaerendus eſt.

§. IX. CIRCA ſtatum controuerſiae porro notandum, quaeſtionem ad ſolas hominum actiones eſſe reſtringendam; de his enim ſolis, vt & de origine humani iuris, mihi ſermo eſt. Vnde male VELTHEMIVS quaeſtionem indefinite format: *Num ab agentis libero arbitrio, qua tali procedentes actiones dentur, quae ratione ſui citra impoſitionem conueniant rectae rationi?* Nam rectitudo in actionibus diuinis, & humanis ex diuerſo plane principio prouenit, nec pari modulo metienda eſt. Et ſi quis ea, quae a me de actionibus humanis diſſeruntur, ad diuinas velit adplicare, ſummam mihi iniuriam inferret. Deinde circa vocabulum *impoſitionis* notandum, id a me non ita ſtricte accipi, vti a plerisque, pro eiusmodi determinatione, quae citra fundamentum in re ex ſolo placito imponentis prouenit. Sed ea quoque ex impoſitione nobis eſſe dicuntur, quae ex poſita voluntate & diſpoſitione auctoris non poſſunt non conſequi, ſiquidem ille ſibi ipſi conſtare debet. Eoque alia nobis impoſitio eſt, quae nihil niſi merum placitum imponentis praeſupponit; alia eſt, quae prouenit ex neceſſaria conſecutione eorum, quae prius ab eodem libere determinata erant. Quarum illa in legibus & inſtitutis poſitiuis, haec in actibus humanis ad legem naturalem ſpectantibus cernitur; quippe cum Deus libere talem homini naturam aſſignarit talemque finem praefixerit, vt certae actiones non

poſſint

poſſint non eidem conuenire, vel diſconuenire. Sicuti ſi architectus ſibi propoſuerit templum extruere, partes eius vtique aliter diſponendae ſunt, quam diuerſorii cuiuſpiam, ni ipſe ſcopo ſuo ſtolide repugnare velit. Et quis tamen ab iſta partium in templo diſpoſitione & habitudine voluntatem architecti excluſerit? Vnde VELTHEMIVM vehementer ratio fugit, dum putat: *Si nulli actus ſunt per ſe honeſti aut turpes citra impoſitionem diuinam, aeque facile Deum quaeuis peccata poſſe licita declarare, atque Princeps gladii vſum aut bombardae diſploſionem in vrbe vetare aut permittere poteſt.* Nam haudquaquam natura hominis ita formata eſt, vt geſtatio gladii neceſſario ipſi conueniat vel non conueniat, ſicuti alii actus, circa quos ius naturale verſatur. Adeoque ſi quaeſtio ita inſtitueretur: Num natura hominis ita ſit a Deo formata, vt poſita ea conditione non potuerit non neceſſitas moralis ipſi iniungi certos actus ſuſcipiendi aut omittendi? nulla plane futura erat controuerſia, cum hoc ipſum a me operoſe inculcetur.

§. X. EXCVTIAMVS iam argumenta, quae pro ſua ſententia producit VELTHEMIVS. Ac primo loco recoquit, quod ego propoſueram L. II. c. 3. §. 4. *Si omnis actuum humanorum moralitas a lege dependet*, ſequitur, *Deum potuiſſe legem naturae ita formare, vt contraria forent praecepta illis, quae iam ſunt, verbi gratia, vt inter officia hominis mutua eſſet occidere, furari, moechari, calumniari, inter vetita autem, gratum animum exhibere, pacta ſeruare, mutuum reddere.* Ad hoc dubium ego reſpondi, *id non obſcure contradictionem inuoluere. Poſtquam enim Deus deſtinaſſet hominem creare animal rationale ac ſociale, non poterat non lex naturalis ipſi congruere* & praeſcribi, *non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Heic VELTHEMIVS exclamat, contradictione me inuolui, *meque reſpondiſſe, hominem dupliciter ſpectari poſſe, 1. vt Deus eum deſtinarit creare animal rationale ac ſociale, 2. vt Deus eum producere potuiſſet ferum ac horridum animal.* Atqui ni calumniandi rabies omnem VELTHEMIO frontem excuſſiſſet, nunquam auſus eſſet tam improbe duplicem illam hominis conſiderationem fingere, cuius in libro meo nullum veſtigium extat. Cum ſenſus reſponſionis meae ſit planiſſimus; contrauenturum fuiſſe Deum voluntati & decreto ſuo, ſi talia homini aſſignaſſet officia, quae naturae ipſius aduerſabantur. Volendo enim creare hominem, voluiſſe creare animal ſociabile; aſſignando ipſi praepoſtera officia, ferum & horridum animal produxiſſe; id quod contradictionem inuoluit. Sic & alia effata abſurda & falſa per calumniam mihi VELTHEMIVS affingit. *Poſtquam Deus decreuerat creare hominem, in liberrimo Dei beneplacito fuiſſe, qualem naturam voluerit homini aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an naturam animalis horridi & feri.* Item, *Deus potuit creare hominem, & potuit velle creare, vt tamen in beneplacito ipſius adhuc fuerit, qualem naturam homini vellet aſſignare, num animalis rationalis ac ſocialis, an feri & horridi.* Depone aures tuas pignori VELTHEMI, ni oſtenderis, quo loco tam abſurda haec a me tradantur, & mox pro Mida camelus eris. Sed nec iſthaec eſt mea ſententia, vti alio loco VELTHEMIVS cauillatur: Si homo non fo-

ret animal rationale ac ſociale, ſed ferum & horridum, non obſtante externa figura inter bruta referendum, tunc actus eiusmodi, verbi gratia, adulterium, homicidium, furtum, non fore actus turpes. Sed hoc dico, ſi eum caſum abſurdum & contradictorium ponas, nullum plane futurum eſſet adulterium, furtum, homicidium, nec quaeſtio tunc de actuum turpitudine poſſet inſtitui; cum non entis nulla ſint accidentia.

§. XI. Alterum argumentum itidem ex opere meo dicto loco depromſit Velthemius: *Si non dantur*, inquit, *actus per ſe honeſti aut turpes, ſequitur, Deum, ſi voluiſſet, potuiſſe conſtituere, vt inter officia hominis eſſet Deum blaſphemare, inter vetita Deum colere.* Ego repoſueram, id ratiocinii contradictionem inuoluere. Heic nihil habet, quod regerat Velthemius, niſi vt ſycophantias ſuas mihi obtrudere laboret; quaſi ego vllibi tradidiſſem: *Deum ita potuiſſe creare hominem, vt idem non eſſet animal rationale ac ſociale.* Tertio loco primum argumentum leui ſub mutatione iterum proponitur: *Si non dantur actus per ſe honeſti aut turpes, ſequitur, quod inter hominis debita poſſit eſſe ſeipſum perdere, ſeipſum odiſſe, &c.* Verum vltro expirat animam miſerum hocce ratiocinium, vt iugulatione noſtra id opus non habeat.

§. XII. Quarto loco vrget Velthemius, *ex noſtra ſententia nullum dari poſſe amplius diſcrimen inter legem naturalem & poſitiuam.* Verum illud ſat palpabile a nobis traditum iam eſt L. I. c. 6. §. 18. & L. II. c. 3. §. 23. Sed quia alias hic locus valde ieiunus erat futurus, vnam atque alteram ſtricturam ſui ingenii promit Velthemius. Primo dicit: Vt *libera voluntas hominis, penes quem maieſtas eſt, legem voluntariam ferre & mutare poteſt: Quidni diuina maieſtas, cum voluntas Dei ſit ſumme libera; aeque, imo multo magis, ac in legibus poſitiuis fieri ſolet, legem naturae mutare, imo contrarium eius percipere poſſet?* Adparet Velthemium non meliora ſibi de Voluntate Dei polliceri, quam de libidine Caligulae aut Neronis cuiusdam. Deinde impudenter plane, & abſurde ſcribit: *Me non erubuiſſe ſtatuere, ac ſi Deus ad contraria officia hominem potuiſſet adſtringere. Ita enim aperte loco ſupra cit. p. 162. tradit: Si ad contraria officia,* (puta ad furandum, moechandum, calumniandum) *homo fuiſſet adſtrictus, non ſociale, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta.* Ergo iam, ſi diis placet, qui aſſumpta hypotheſi abſurda aliquam ſententiam abſurdi conuincere laborat, is eam ipſam ſententiam tanquam ſuam poſitive aſſerit. Ego qui ſtatuo, Si creatura ſub figura humana fuiſſet producta, ad contraria legi naturali officia adſtricta, non ea ſociale animal, & homo, ſed bellua futura erat: Igitur poſitiue ſtatuo, quod homo potuerit fieri bellua, id eſt, quod animal, de cuius eſſentia eſt rationalitas, potuerit eſſe irrationale? Vbi frons tua, Velthemi?

§. XIII. Quinto loco ita Velthemius ratiocinatur: *Si Deus ſua natura eſt iuſtus, ſequitur, quod actus dentur per ſe honeſti, ſuaque natura debiti, itemque actus per ſe turpes, ac ex ſua natura illiciti.* Verum ego nullam heic puto conſequentiam eſſe a Deo ad hominem. Nam ex diuerſo plane principio

cipio eſt, quod Deus quaedam non poſſe, aut non poſſe non facere dicitur; quam ex quo homini alia agenda, alia omittenda ſunt. In Deo enim id prouenit ex perfectione ipſius eſſentiae; in homine ex imperio ſuperioris. Quo ipſo corruunt machinae illae, quas IDEM contra ſententiam meam ex Ebr. VI, 18. inſtruere ſatagit. In Deo enim promiſſum & iuramentum fallere impoſſibile eſt propter diuinae eſſentiae perfectionem. Inter homines autem ἀμετάθετα πράγματα ſunt fides, & iusiurandum propter legem naturalem, & quia citra horum ſanctimoniam ſocietas inter homines ſalua eſſe nequit. Sexto loco quaeſtionem mouet: *Num Deus vllo modo poſſit velle, vt inobedientia erga Deum formaliter & in ſe ſpectata non ſit peccatum?* Ego reſpondeo, ſtolide quaeſtionem hanc inſtitui, ni ſimul ponatur ſubiectum, cui inobedientia ſit tribuenda. Nam poſita creatura rationali negamus Deum hoc velle poſſe, ni eum ſibi ipſi repugnare abſurde fingas. Nulla autem poſita creatura rationali Deus ſuper obedientia in neutram partem decernere intelligitur. Non enim capi poteſt, quomodo Deus poſſit velle, vt ſibi obediatur, ſi nullos condiderit, qui obedire poſſint. Septimo denique loco ita colligit VELTHEMIVS: *Si nullus actus per ſe honeſtus ac ſuapte natura debitus, nullus actus per ſe turpis ac ſua natura illicitus, ſequitur, Deum poſſe facere omne poſſibile realiter a ſe diſtinctum, nullamque in genere naturae in Deo importans imperfectionem*; id eſt, Deus poterit mentiri. Hoc enim exemplum rei, quae in genere naturae, nullam importat imperfectionem, a VELTHEMIO adfertur. Atqui praeterquam quod de humanis tantum actibus, non de diuinis ſermo mihi ſit, ſane *mentiri poſſe* in genere naturae maximam importat imperfectionem. Qui enim mentitur, vel alteri furtim nocere vult, quod malitiae eſt cum degeneri quadam ignauia coniunctae; vel non audet ſenſa animi ſui palam aperire, robuſtiorem metuentis eſt; vel plura promiſit, quam praeſtare poſſit, quod vires ſuas ignorantis eſt. Atque hiſce ſeptem ratiociniis, adſperſo paſſim calumniarum condimento, prior VELTHEMII Diſſertatio abſoluitur.

§. XIV. POSTERIOREM autem diſſertationem credideram ex meris auctoritatibus, pro perſeitate Velthemiana ſtantibus, eſſe conſarcinatam. Verum ea poſtmodum inſpecta deprehendi, virum iſtum occupari circa cauillanda ea, quae L. I. c. 2. §. 6. diſputaueram, & quae deinde in *Apologia mea* Aſinio Tenebrioni monſtro biſormi ex IOSVA SCHWARTZIO tanquam *Indicis Nouitatum* auctore, & NICOLAO BECKMANNO tanquam eiusdem interpolatore & editore, coalito oppoſueram. Eoque iſta iam preſſe erunt diſcutienda. Haec igitur fuerat mea theſis: *Vt diſciplina Iuris Naturalis vera ſit ſcientia, non neceſſarium videtur ſtatuere, quaedam per ſe citra omnem impoſitionem eſſe honeſta & turpia, & ea eſſe obiectum Iuris naturalis.* Contradicit huic theſi VELTHEMIVS, quod *alias aſſequi ipſi non detur genuinam differentiam inter leges naturales & poſitiuas. Neque eam ingenii hebetudinem ſibi poſſe imputari*, credit, *cum tot ac tantos viros Philoſophos, ICtos, Theologos praeeuntes habeat.* Ad haec reponimus, iſtum VELTHEMII ſtuporem affectatum videri. Et vt maxime ita obtuſum ipſi ſit cerebrum, nullum tamen inde veritati praeiudicium

 creari

creari poteſt. Iſtorum quoque ad quos prouocat, virorum auctoritas eo minoris eſt, quod iisdem ſane de Iure naturae in formam diſciplinae redigendo nondum in mentem venerat; eoque & iidem nunquam cogitauerant, quae hypotheſes ei ſcopo neceſſariae forent. Nec minus difficile probatu foret, omnes illos, qui obiectum Iuris naturalis dixerant actus per ſe honeſtos aut turpes, *τὸ per ſe* oppoſuiſſe diſpoſitioni Creatoris, & eam perſeitatem antecedenter ad voluntatem Dei ſe habere aſſeruiſſe; quem ſenſum ſolum nos neſcimus. Denique ſi quis error popularis ſit factus, num adeo veritatis dignationem idem adeptus eſt? aut viris eruditis piaculum eſt, eundem deſtructum ire? Aut num iſtorum quos allegat VELTHEMIVS cuipiam priuilegio cautum fuit, ne in quaeſtione philoſophica errare poſſet?

§. XV. INDE ad examinandum, quod a me propoſitum fuerat, argumentum accingitur VELTHEMIVS. *Cum honeſtas & turpitudo ſint affectiones actionum humanarum, ita ex conuenientia aut diſconuenientia a lege, lex vero ſit iuſſum Superioris: non adparere, quomodo honeſtas aut turpitudo intelligi poſſint ante legem & ſuperioris impoſitionem.* Heic admittit VELTHEMIVS honeſtatem & turpitudinem eſſe affectiones actionum humanarum; ſed negat, eas oriri ex conuenientia aut diſconuenientia a lege. Rationem addit: *quia obiecti legis naturâ, quae per ſe fundat realem cum lege conuenientiam aut diſconuenientiam, prior ſit illa ipſa conuenientia aut diſconuenientia*, id eſt, quia actus iſti ante legem per ſe & ſua natura honeſti vel turpes erant. Enimuero hoc ipſum in quaeſtione eſt, an actiones humanae ex ſe & ſua natura ante legem honeſti ſint vel turpes? Vnde ſi quid agere volebat VELTHEMIVS, non debebat petere id, quod eſt in principio, ſed tales nobis definitiones honeſti & turpis dare, quae nullum plane reſpectum ad legem inuoluerent. Debebat praeſcribere definitionem peccati Apoſtolicam, quod illud ſit *ἀνομία*, & meliorem ſubſtituere. Debebat falſi conuincere illam communem notionem; vbi nulla lex, ibi nulla transgreſſio. Caeterum accuratius conſideranti facile patet, VELTHEMIVM inde in errorem inductum, quod vulgo legem naturalem conuenientia cum recta hominis ratione metiri ſoleant; quae cum rebus ipſis ſit poſterior, & non faciat, vt res tales vel non tales ſint, ideo capere non poſſunt, quo modo honeſtas & turpitudo actionum; quae legis naturalis obiectum conſtituunt, a conuenientia & diſconuenientia cum lege oriri poſſit. Accedit, quod iſte videatur conſiderare humanam naturam velut perfecte exſiſtentem & legem velut ex interuallo poſt ipſi ſuperuenientem. Cum tamen haec tempore ſimul extiterint, & ipſa lex naturaeque humanae conditio legi accommodata ſimul a Deo condita ſit. Enimuero vt facile admittimus, ratiocinia humana eſſe aliquid poſterius honeſtate & turpitudine, quae in actionibus, de quibus lex naturalis diſponit, conſpicitur, eoque hanc ab iſtis non prouenire, ita debebat VELTHEMIO in mentem venire, eundem qui legis naturalis lator eſt, auctorem quoque naturae rerum & hominum eſſe, & hanc ita formaſſe, vt certi motus hominum certos reſpectus ad alios haberent, certoſque effectus apud alios producere apti forent. Et eo ipſo, dum creauit hominem, certamque eſſentiam

tiam eidem aſſignauit, iuſſiſſe, vt certi motus ad legem referrentur, & ex conuenientia aut diſconuenientia cum eadem honeſtatis & turpitudinis rationem ſortirentur. Sic vt nequaquam natura actuum humanorum lege prior ſit; ſicuti nec ipſa hominis eſſentia lege naturali prior aut antiquior eſt, quippe cum Deus eo ipſo, dum homini eſſentiam quam habet, dedit, eidem & legem naturalem tanquam normam actionum tulerit. Sunt porro, vtique diuerſae naturae actus adulterii, & geſtationis gladii, adeo vt ex ea diuerſitate certo liceat ratiocinari, illum lege naturali prohiberi, hunc non item. Neque tamen ideo prioris actus turpitudo non ex lege naturali eſt. Nam Deus conditor idem humanae naturae, legisque naturalis, dum hominem legi obnoxium futurum effinxit, eiusdem naturam ita formauit, vt iſte actus eidem congruere non poſſet ſaluo fine & velut idea, quam circa hominem formandum ſibi propoſuerat. Contra idem naturam hominis non ita finxit, vt illa vtique a geſtatione gladii abhorreret. In eo porro VELTHEMIVS inſigniter impingit, dum ſententiae ſuae ſtabiliendae ita ratiocinatur: *Vti riſibilitas, quae affectio eſt hominis, & nigredo, quae affectio eſt corui, non oriuntur ex conuenientia cum recta ratione theoretica, quae eſt iudicium rectum de rebus, vti ſunt; nec homo ideo ſit riſibilis, aut coruus niger, quia homo, dum recta ratione vtitur, iudicat hominem eſſe riſibilem, coruum nigrum: ita neceſſitas actus gratitudinis non magis ex conuenientia cum ratione practica oritur.* Nam primo ſtolidum eſt affectiones corporum naturalium, quae ſenſu percipiuntur, comparare cum affectione morali actionis humanae, quae diuerſae plane eſt indolis. Neque enim, ſi honeſtas & turpitudo ex reſpectu ad legem reſultat, ideo etiam affectiones phyſicae corporum naturalium ex relatione ad legem proueniunt. Deinde nos non dicimus, illam affectionem moralem actionis humanae prouenire a conuenientia cum recta ratione; ſed a conuenientia cum lege, quae duo male a VELTHEMIO confunduntur, cum ſint diuerſiſſima. Nam recta ratio non facit, vt aliqua actio ſit honeſta vel turpis, ſed mediante recta ratione homo inueſtigare & cognoſcere poteſt, quae per legem naturalem honeſta aut turpia declarentur. Denique improbe heic Deum cum creatura pari paſſu ambulare iubet VELTHEMIVS, dum dicit: *Quoduis ens intelligens, ſiue Deus ſit, ſiue creatura, recte iudicat actum gratitudinis eſſe honeſtum, quia in ſe & antecedenter ad rectum iudicium talis eſt.* Nam de creatura hoc vere aſſeritur; Sed dicere, aliquid ſe antecedenter habere ad rectum iudicium Dei, eſt a creatione iſtius ipſum excludere. Sane enim iudicio Dei, ſi ita loqui fas eſt, natura & conditio hominis ita formata eſt, vt, verbi gratia, gratitudo ipſi omnino conueniret. Ergo illo non magis antecedenter ſe ad iudicium Dei habet, quam proportio & diſpoſitio partium aedificii ad iudicium architecti, aut capacitas & figura ollae ad iudicium figuli. Stulte porro quaerit VELTHEMIVS, *vnde probare velim, quod lex in communi conceptu ſit iuſſum Superioris.* Nam ego hoc ita manifeſtum eſſe arbitror, vt nemo, cui ſenſus communis eſt, de eo dubitare queat. Addit VELTHEMIVS: *ſe nondum poſſe penetrare, quid deſit obiecto legis naturalis, quo minus etiam antecedenter ad voluntatem Dei ſit verum fundamentum legis naturae.* Atqui valde hebetem oportet VELTHEMIVM eſſe, ſi hoc penetrare non poteſt, quod obiectum legis naturalis ante-

Digitized by Google

antecedenter quidem ad voluntatem & diſpoſitionem humanam ſufficiens ſit fundamentum (cognoſcendi) legem naturalem; id eſt, quod rationi humanae ad intelligendum ius naturale ſufficiat obiectum iſtius legis, eiusque habitudinem ad naturam humanam conſideraſſe, quippe quod a voluntate & diſpoſitione hominis originem non habet. Verum a fundamento velut exiſtendi legis naturalis voluntatem Dei excludere, & obiecto legis naturalis vim producendi neceſſitatem moralem antecedenter ad voluntatem Dei tribuere, eſt negare Deum eſſe rerum omnium conditorem, & a voluntate Dei dependiſſe, quae & quales creaturae producerentur. Et vellem ſcire, an VELTHEMIVS capere poſſit quod verba S. Scripturae, *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, quam maxime exprimant voluntario agentem, & qui velut in conſilium iuerit, priusquam ad agendum, ſe determinaret. Vnde niſi Deum creatorem humani generis, & auctorem legis naturalis abnegare velit VELTHEMIVS, concedendum vtique ipſi eſt, legem naturalem a voluntate Dei profectam, ſed quae velut attemperauit ſeſe ad conditionem naturae humanae diuinitus determinatae, & tributae. Neque enim quando circa conſtituendum ius naturale, & ortam inde moralitatem in actionibus humanis voluntatem Dei anteceſſiſſe dicimus, de hac cogitare debemus tanquam de voluntate alicuius hominis, qui etiam abſurda & ſibi non cohaerentia velle poteſt, & ſubiectis importune occinit; ſic volo, ſic iubeo. Sed concipienda eſt voluntas Dei tanquam Entis ſapientiſſimi & perfectiſſimi, & ſibi per omnia conſtantis, quique adeo & finem & naturam hominis, & normam actionum eiusdem ſibi examuſſim congruentem, volens vtique lubensque effinxit. Sic vt nulla heic neceſſitas locum habeat, niſi quae ipſam determinationem Dei per ſapientiſſimam eius voluntatem factam, conſequitur. Nihil ergo attulit VELTHEMIVS, quo minus honeſtatem & turpitudinem actionum humanarum a conuenientia vel diſconuenientia cum lege naturali deriuare, & peccatum deinceps quoque *ἀνομίαν* adpellare queamus.

§. XVI. AD demonſtrandum porro, originem moralitatis ad Deum eſſe referendam, ego addideram: *Qui extra impoſitionem diuinam moralitatis actionum humanarum aeternam aliquam ſtatuunt regulam, nihil mihi aliud videntur agere, quam vt Deo adiungant principium aliquod coaeternum extrinſecum, quod ipſe in aſſignandis rerum formis ſequi neceſſum habuerit.* Hanc conſequentiam ſe videre poſſe negat VELTHEMIVS. Aſt quid mea refert, quantopere iſte coecutiat; aut lippiat. Nam modica tantum perſpicacia opus eſt, vt quis hanc conſequentiam capiat: Si moralitas actionum humanarum, earumque habitudo & conuenientia cum natura & conditione humana non eſt a diuina impoſitione, cum eadem non poſſit eſſe a ſeipſa, neceſſum eſſe, vt ſit a principio aliquo extra Deum. De caetero non opus erat VELTHEMIVM tam prolixe aliorum ſententias recenſere, quae me hautquidquam mouent; ni euidenti & firma ratione nitantur; praeſertim cum ex illis, quas format *poſitionibus* nihil poſſit exſculpi aduerſus me; qui nihil aliud ago, quam vt aſſeram; Dei voluntatem ab aſſignandis rerum formis non eſſe excludendam, & ad eam nihil antecedenter ſe habere. Sane enim non minus *naturae actionum*, quae obiectum legis natu-

naturalis conſtituunt, quam aliae quaeuis res *ab aeterno fuerunt in Dei intellectu ſecundum eſſe cognitum;* id eſt, Deus ab aeterno praeuidit, qualis quaeque res deinceps creanda futura eſſet: ſed ſimul etiam cognouit eas, tanquam ſuo tempore libere, adeoque concurrente vtique ſua voluntate creandas, & tali natura dotandas. Eoque licet moralitas actionum obiectiue in intellectu diuino ab aeterno fuerit; non tamen ſequitur; eam vt actu exſiſteret, non habere a diſpoſitione & voluntate Dei. Cum inter ea, quae obiectiue ab aeterno in intellectu diuino eſſe dicuntur, hoc primo omnium loco ponendum ſit, quod quasdam res ipſe creare vellet. Sic ſit ſane *in puncto rationis naturae actionis eſſe obiectiuum in intellectu Dei, poſterius quid conuenientia eius actionis cum lege aut diſconuenientia;* quae ſecunda eſt VELTHEMII *poſitio,* id eſt, quando intellectum diuinum ad modulum noſtrae rationis metimur, prius concipimus ipſum eſſe phyſicum actionis tanquam motus alicuius Phyſici, quam eius conuenientiam aut diſconuenientiam cum lege. Sed num id prohibet, quo minus affectiones morales actionis a conuenientia aut diſconuenientia cum norma oriantur? Sic nec tertia *poſitio,* quod *natura actionis moralis ab aeterno a Deo cognita fuit immutabile fundamentum realis conuenientiae cum lege naturae aut diſconuenientiae,* aliquid habet nobis aduerſi. Nam naturae actionum ideo a Deo tali modo, & cum tali habitudine formatae ſunt, ut neceſſariam cum lege naturali conuenientiam aut diſconuenientiam haberent. Sed *poſitio* quarta VELTHEMII foedum continet errorem. *Conuenientia,* inquit, *cum lege naturae aut diſconuenientia fundamentaliter non pendet ab aſſignatione Dei, ſed aſſignatione Dei prior eſt noſtro concipiendi modo.* Id eſt, habilitas actionum, ſecundum quam neceſſario cum lege naturae conueniunt aut diſconueniunt, non pendet ab aſſignatione & diſpoſitione Dei. Quis ergo alius praeter Deum naturas rerum formauit? Aut num ipſae ſeſe tali modo effinxerunt? Nimirum id agi adparet a VELTHEMIO, vt munere Creatoris Deus dimoueatur; & res etiam quoad eſſentiam a Deo dependere negentur. Ratio quam adſtruendo ſuo abſurdo ſubnectit, ficulnea eſt: *Quia,* inquit, *noſtro concipiendi modo prior eſt actio, quam Deus cognoſcit ex ſua natura honeſtam vel turpem, poſterior eſt intellectio, qua Deus eam turpem intelligit.* Sed vnde probabitur, noſtrum concipiendi modum, ex imperfectione intellectus noſtri reſultantem, aliquid praeiudicare ordini & naturae rerum a Deo conſtitutae? Quin ineptus & nugatorius eſt ſenſus huius rationis, niſi hoc modo explicetur; noſtro concipiendi modo Deus prius cognoſcit, quod in actione humana eſt phyſicum, poſterius id, quod in eadem morale eſt; quia illud ſubiecti, hoc adiuncti vicem ſubit. Sed quid hoc contra nos? Denique nec quinta eius *poſitio* aliquid ad rem facit. *Natura actionis,* inquit, *quam intelligimus honeſtam aut turpem ante iuſſum ſuperioris, adeoque citra ſuperioris impoſitionem, ſecundum eſſe cognitum, quod habet in Deo, eſt ipſe Deus immutabilis.* Iſt eſt, Ideae actionum humanarum, quae obiectum legis naturalis conſtituunt, in intellectu Dei ſunt ipſe Deus; quia nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus, quippe cuius perfectio accidentia, & imagines velut heterogeneas reſpuit. Sed num ex hoc ſequitur: Ergo eſſentia & habitudo iſtarum actionum non eſt a Dei diſpoſitione?

ne? Aut vti Deus in ſe & ſua natura non dependet ab alio, ita & natura actionis humanae ab alio non dependet? Nondum ergo VELTHEMIVS ieiunis ſuis ſophiſticationibus effecit, quo minus deinceps quoque omnes creaturae, non exſiſtentiam tantum ſuam, ſed & eſſentiam Deo tanquam primae cauſae in acceptis ferre debeant. Et ſi qui fuerunt Philoſophi aut Theologi, qui quasdam naturas rerum a Deo quoad eſſentiam non dependenter finxerunt, omnino admittere coguntur principium aliud Deo coaeternum, ni malint dicere, quaslibet res habere naturas ſuas a ſemetipſis; quod non minus abſurdum eſt.

§. XVII. INDE circa iſthaec mea verba cauillanda occupatur VELTHEMIVS. *Deum vti omnia, ita & hominem liberrima voluntate creaſſe, cui conſequens eſt, in beneplacito eiusdem fuiſſe, qualem homini naturam vellet aſſignare.* Puto ſatis clarum eſſe, id a me dici, a voluntate Dei Creatoris hominem & exſiſtentiam, & eſſentiam ſuam habere, ſeu quod ſit, & quod talis ſit. Si nondum capere poteſt VELTHEMIVS, quid hiſce velim, ablegabo ipſum ad Catecheſin puerilem, & explicationem articuli primi in Symbolo Apoſtolico; vbi profitemur, quod Deus nos creauerit, & quod nobis dederit corpus & animam, oculos & aures, *rationem* & omnes ſenſus. Cum eo autem, quod Deus homini rationem dedit, coniunctum eſt, quod quidam ipſius motus ſeu actiones omnino cum lege naturali conueniant, vel non conueniant. Id ſi homo non habet voluntate Dei, non opus eſt, vt Deo gratias agat, quod ipſum creaturam rationalem effinxerit, eoque nomine ad colendum iſtum ſeſe adſtrictum profiteatur. Quod enim nobis per ſe & ſua natura citra beneficium & voluntatem Creatoris adeſt, pro eo quomodo ipſi obligati queamus eſſe, non adparet. Fruſtra iactat VELTHEMIVS: *Naturam hominis eſſe aeternam, non quaſi ab aeterno homo Deo coëxtiterit, ſed quia immutabilis eſt connexio hominis cum tali natura, qualis eſt natura animalis rationalis ac ſocialis.* Aſt vnde eſt illa immutabilis connexio, niſi a voluntate Creatoris, qui praeter bruta animalia, etiam voluit creare animal rationis compos, quod vocamus hominem? Neque enim aeternitas, quae eſſentiis rerum tribuitur, Dei Creatoris voluntatem excludit. Et eſſentiae rebus a Deo ſemel aſſignatae ſunt immutabiles; quia & in hoc perfectio ſummi Entis relucet, quod modo quam maxime conſtanti operetur. Et omnino pro nobis facit locus MENDOZAE a VELTHEMIO adductus (etſi alias id genus hominum auctoritas parum ponderis apud me habeat:) *Eſſentiae rebus conueniunt neceſſario, quia Deus volens producere hominem,* id eſt, animal rationale ac ſociale, *non poteſt illi tribuere eſſentiam, lapidis,* id eſt, corporis anima & organis deſtituti, *quia non faceret hominem, ſed lapidem.* Id eſt, qui propoſuit ſibi producere animal rationale, & eo ipſo produceret corpus anima & organis deſtitutum; is vel propoſito ſuo per imprudentiam aut impotentiam excideret, vel abſurde ſibi repugnantia vellet, quorum vtrumque a perfectione diuina abhorret.

§. XVIII. INCASSVM inde cauillatur VELTHEMIVS id, quod ego ſcripſeram: *Videmus quotidie bruta tales actus excercere citra peccatum, quibus homo patratis grauiſſimo ſe ſcelere erat obſtricturus;* verbi gratia, occidendo, promiſcue

miſcue coëundo. *Non quod motus phyſicus hominis & bruti in ſe differant, ſed quia moralitas, quae actionibus hominum per legem eſt impoſita, a bruti actibus abeſt.* Sane & ipſe, dum rationem a brutis abeſſe ſubiungo, vtique ſatis innuo, ſimilitudinem actus phyſici in homine & bruto eſſe intelligendam, excepta ratione. Ipſam tamen rationem, ni ſenſu & cognitione legis imbuta foret, citra reflexionem ad legem in hominis actionibus moralitatem deprehendere non poſſe, in aprico eſt; quia contradictionem implicat, norma non cognita aliquid tanquam normae conueniens adprehendere. Nam poſſent quidem eo caſu actus iſti conſiderari ſub notione vtilis aut inutilis, proficui aut noxii, nequaquam autem ſub notione honeſti & turpis, quod relationem ad legem notat. Et falſiſſimum eſt, poſita hac rationis conditione, nihilominus adeſſe omnia, quae ad cognoſcendam moralitatem requiruntur. Nam, vt ſub debita correctione retineamus exemplum a VELTHEMIO allatum de furto, adeſſet quidem tunc attrectatio rei, quam quis in vſus ſuos ſepoſuiſſet inuito ſeponente: (nam non data lege proprium & alienum non daretur: quippe cum dominium humanum nitatur pacto, cuius firmitas ex lege eſt:) daretur etiam natura eius actus, vt nempe irritaretur is, cui ea res auferretur, aut violentam rei defenſionem, aut laeſionem auferentis; ex quo ſequeretur relatio ad rationem legis ignaram, quae adprehenderet eam actionem, tanquam rixae, & pugnae, & comitantium hanc malorum occaſionem. Sicuti bruta quoque, ſi auferatur cibus, quem ſibi deſtinarant, ad laedendum irritantur: eoque imbecillior canis robuſtiori cibum eripere timet. Sed ſi nulla exſiſteret lex, quae iſtum actum ſub nomine furti vetaret, impoſſibile foret rationi eam ſub notione turpis, id eſt, a lege diſcrepantis concipere. Nam morſibus & calcibus inter ſe decertare apud bruta quidem nihil turpitudinis habet. Imo inter homines, poſito ſtatu belli, in quo lex dominii ſilet, tunc certare odiis, tunc res rapuiſſe licebit. Sic, verbi gratia, poſito, diaetam nulla lege adſtringi, ſana ratio humana capere poteſt, eſum graminis nutritioni eſſe ineptum. Sed vt eundem turpem quoque concipiat, fieri non poteſt.

§. XIX. VALDE quoque fatagit Noſter circa torquendum locum ARISTOTELIS Nicom. II. 6. a GROTIO citatum L. I. c. I. §. 10. ſed non tam vt ſolidi quid afferat, quam vt praeſidium in profeſſione ſtuporis & impudenti negatione collocare videatur. Et ſenſus quidem iſtius loci eſt planiſſimus, alibi iam a nobis expoſitus. Sane ARISTOTELES ibi non docet, dari affectus aut actum vitioſum citra omnem reſpectum ad legem: verum affectus dari aſſerit malos & turpes, qui non demum propter exceſſum & defectum, ſed etiam intra mediocritatem conſiderati legibus repugnant. Nam etiam mediocriter aut modice inuidere, maleuolum eſſe malis alienis laetari, vitioſum eſt. Vnde & vocabula dantur, quae vitioſitatem iſtius affectus ſtatim connotant. Sicuti & dantur vocabula actionum, quae non notant nudum & indifferentem motum phyſicum, ſed motum cum vitio coniunctum, ſeu actionem vitioſam & legibus repugnantem. Ex hiſce dixi non conſequi; Ergo dari affectus aut actiones in ſe turpes; ſine reſpectu ad legem; cum illud ipſum vitium, quod ei affectui aut actioni in-ſt, ex diſconuenientia cum lege proueniat. VELTHEMIVS tamen pro

imperio hanc conſequentiam valere iubet: ἐπιχαιρεκακία aut inuidia in ſe mala eſt, nec demum vitioſa ſit propter exceſſum aut defectum: Ergo vitium illud non oritur ex diſcrepantia a lege. Simulque pronunciat, vocabulum *in ſe* hoc loco opponendum reſpectui ad legem, *exceſſum* autem & *defectum* notare conuenientiam & diſconuenientiam cum lege. Et quia videbat, hac explicatione nihil dari ſtolidius, & a ratione, & mente ipſius ARISTOTELIS alienius; igitur ne quis contra hiſcere audeat, ſacroſanctum ſuum decretum interponit: *Sic enim intelligi haec verba debent*, inquit. Aſt ego contra dico: ea verba ſic intelligi non poſſe nec debere. Vti creditis Quirites?

§. XX. CAETERVM vt ego clarius oſtenderem, locum citatum ARISTOTELIS contra meam ſententiam nihil facere, operoſe explicaui, *vocabula iſta, verbi gratia, maleuolentiam, impudentiam, inuidiam, adulterium, furtum, homicidium, &c. non notare nudos & meros motus phyſicos, quos nos indifferentes pronunciamus, ſed motus phyſicos vna cum aberratione a lege; adeoque actiones quam maxime morales*. Sed vsque adeo nihil effeciſſe me apud VELTHEMIVM video, vt dum circa clariſſima ſtuporem ſuum obtendit, in longe maiores abſurditates, & nugaciſſimas cauillationes prouoluatur. Ac primo quidem putide inculcat, ſermonem eſſe de actibus voluntariis; quaſi ea res vnquam in controuerſiam veniſſet. Sane & ipſiſſimi motus voluntatis, obſtrahendo ab omni lege, verbi gratia, velle, nolle, appetere, auerſari, non minus quam aliarum facultatum motus indifferentes ſunt. Dein ſtolide & contradictorie ſtatum controuerſiae format, dum dicit: *Quaeſtio eſt, an adulterium* (hoc enim exempli cauſa adſumit,) *per ſe ac citra reſpectum ad legem ſit turpe?* Nam manifeſte contradictionem inuoluit quaerere: An adulterium, quod eſt actus legi repugnans, ſit turpe citra reſpectum ad legem? cum legi repugnare ad eſſentiam & definitionem adulterii ſpectet. Perinde ac ſi quaererem, num homo citra reſpectum ad rationem, & ab eadem abſtrahendo ſit rationalis. Enimuero ſi in adulterio conſideremus id, quod remanet ſemota ἀνομίᾳ, ſeu moralitate & aberratione a lege, adeoque merum actum phyſicum, ad quem etiam Deus tanquam conſeruator naturae concurrit; dicimus illum actum mere phyſicum eſſe moraliter indifferentem. Eſt autem ille actus mere phyſicus in adulterio, miſceri eidem, cui miſcetur & alter; cui tamen nullum in eam peculiare ius competit. Quae quidem eſt definitio non adulterii, ſed actus ſeu motus illius phyſici, qui adulterio tanquam materiale ſubſternitur. Huic autem actui mere phyſico ſi accedat morale, ſeu illud, quod ex aberratione a lege prouenit, tunc illa commixtio fit pollutio, id eſt, impura & turpis commixtio, quia exercetur in alienam vxorem, id eſt, in talem, in quam per leges ſoli marito ius, vt cum ea miſceretur, erat quaeſitum. Vnde patet, quam ſtupide aut improbe VELTHEMIVS queratur, a me ſtatum quaeſtionis mutari. Non enim quaeſitum aut dubitatum vnquam fuit a me; an adulterium per ſe, id eſt, lege naturali, turpe ſit, quippe cum natura humana ſit ita a Deo formata, vt adulterium non poſſit non eidem diſconuenire. Sed id quaerebatur, an remoto omni reſpectu ad legem, ſeu ſi ſepares ab adulterio, quae ex

ἀνομίᾳ

ἀνομία ſeu aberratione a lege ei accedunt, & retineas illud ſolum, quod in iſto actu eſt phyſicum, in eo motu phyſico aliquid turpe ſit. Hoc eſt, quod nego; ſed & illud ſimul nego, iſtum actum mere phyſicum ab *ἀνομία* abſtractum, adulterium eſſe, aut eo vocabulo recte appellari. Fieri enim poteſt, vt duo viri eidem foeminae miſceantur, ſed vt tamen, variantibus requiſitis lege determinatis, alia eiusmodi commixtio ſit adulterium, alia licita, alia alio vocabulo veniat. Sic ſi duo viri ſoluti eidem ſcorto miſceantur, non adulterium eſt, ſed ſimplex ſcortatio. Sic rem habet quis cum vxore alterius, quam poſt ab iſto repudiatam ipſe in matrimonium ducit; huic par pari refert prior maritus. Hoc caſu concubitus vnius eiusdemque cum eadem foemina, nunc licitus eſt, mox adulterium euadit, & vice verſa. Actus phyſicus heic idem, ſed accedente legis determinatione diuerſae indolis actus morales inde proueniunt. Puto non nimis acri opus eſſe ingenio, vt intelligatur, quid proprie in controuerſia ſit, & quam ſtulte cum propria vmbra luctetur VELTHEMIVS, cuius nugas preſſe excutere cum ſummo taedio eſt coniunctum. Quam furioſum enim eſt, quod dicit: *totum meum ſcrupulum huc redire: Si concubitus cum alterius vxore non eſt adulterium, niſi lex alii vxorem prius addixerit, ſequitur, quod citra reſpectum ad legem adulterium non ſit turpe.* Vbi quaeſo huius delirii veſtigia in meis ſcriptis deprehendiſti, VELTHEMI? An non intelligis ad aſſerti contradictionem inuoluere; eſſe alterius vxorem, antequam lex eam certo viro addixerit? Nam vxor eſt ſocia thori legitima, & cuius poſſeſſio ſoli marito eſt addicta. Et eo ipſo dum aliqua ſit vxor, leges eam ſoli marito addicunt; & quae alicui viro ſoli per leges addicitur, eo ipſo vxor ſit. A lege inquam, eſt conditio & obligatio vxoris, & quod, ſi alius cum ea concumbat, adulterium admittatur. Ea antequam leges foeminam alicui viro ſoli addixerint, ea ipſius vxor non eſt, nec in ea adulterium patratur. Ineptiae autem ſunt pluſquam pueriles, putare, aliquam prius fieri vxorem, & poſtea, cum iam vxor facta eſt, ſoli viro per leges addici. Quid porro cerebri in illo eſſe credamus, qui quaerit: *Quisnam ſuperior inter homines ſegreges & extra ciuilem ſocietatem conſtitutos, vxorem marito addicat, num homo, an Deus?* Credo, nullum ruſticum in tota Thuringia tam ſtupidum eſſe, quin reſpondere norit; a Deo tanquam auctore legis naturalis, & per hanc legem marito ſoli vxorem addici. Atqui reponit VELTHEMIVS, *liberrimo vtriusque conſenſu vxor huius mariti* (in ſtatu illo ſegrege extra ciuitatem) *proprie facta eſt.* Sed num inde ſequitur: Ergo lex diuina naturalis vxorem marito addicit? An non in ciuitatibus quoque liberrimo viri & foeminae conſenſu matrimonia contrahuntur? An ſolus omnium mortalium VELTHEMIVS ignorat, pacta, mutuo quamuis conſenſu inita, firmitatem & ſanctimoniam ſuam a lege habere? Denique friuola plane eſt illa ſubtilitas, *qua lex quidem antecedenter ſe ad adulterium habere admittitur, ſed non tanquam fundamentum, verum tanquam nuda conditio, eoque turpitudo adulterii vtique antecedenter ſe habeat ad voluntatem legislatoris adulterium vetantis.* Quis enim nudam conditionem antecedentem vocauerit, quod dum Deus indolem generis humani ita formauit, vt eidem vtique congrueret, ſociam generationis vni eſſe addictam, id vt obſeruaretur,

retur, lege in ipſa creatione lata ſanxerit, & contra hanc legem patratum concubitum adulterii nomine damnauerit? Ergo per taedioſas ſuas nugas nondum euicit VELTHEMIVS, quo minus lex naturae, quae eſt decretum & iuſſum Dei Creatoris, ſe antecedenter ad moralitatem in quibusuis actibus humanis habeat.

§. XXI. MONVERAM deinde ego, *non videri* GROTIVM *rem recte expendiſſe, dum inter illa, ad quae diuina ſe potentia non extendit, eo quod contradictionem inuoluat, refert malitiam quorundam actuum humanorum; ſicuti vt bis duo non ſint quatuor a Deo effici non poſſit. Talem enim contradictionem non adparere in actibus iuri naturali aduerſantibus, qualis adparet, ſi bis duo negentur quatuor eſſe.* Hoc diſcrimen qui deprehendere non poſſit, eum ingenio valde infelici oportet eſſe. Nam vt res numerari poſſit, non opus eſt certa eiusdem diſpoſitione, nec praecepto aliquo ſuperioris: verum eo ipſo, quo qualiscunque res exſiſtit, vna eſt. Si iuxta hanc alia res exſiſtat, vnum & vnum eſt, quod compendii cauſa duo vocamus. Vnum & vnum ſi bis ſumatur, ſit vnum, vnum, vnum & vnum, quod compendii cauſa quatuor appellamus. Vnde qui negat, bis duo eſſe quatuor, negat idem eſſe idem. Ad eiusmodi contradictionem reduci non poteſt turpitudo, quae in actionibus humanis conſpicitur; quae vt reſultare poſſit, requiritur tum, vt peculiari modo natura hominis ſit formata, tum vt lex tanquam norma actionum ipſi ſit poſita, ex cuius relatione demum illa qualitas moralis prouenit. Cum ad hoc, vt res numerabilis ſit, nihil aliud requiratur, quam vt quocunque modo exſiſtat. Vnde quod turpe eſt, non poteſt quidem non turpe eſſe; ſed vt quid turpe eſſe queat, id eſt a peculiari conditione humanae naturae; & coaeua illi lege naturali. Ex quo fonte quicquid eſt per ſe & in ſe naturalis & intrinſecae turpitudinis vel honeſtatis in actionibus humanis tamdiu deriuabimus, quousque Deus munere Creatoris & ſummi Legiſlatoris a VELTHEMIO nondum fuerit dimotus.

§. XXII. ISTHAEC quanquam circa praeſentem quaeſtionem ſufficere poterant: tamen quia in iſta Diſſertatione VELTHEMIVS prolixam telam miſerarum ſophiſticationum ſubnectit, ad iſta quoque nonnulla reponam, num forte inflatiſſimus homo ad agnitionem ſuae vanitatis adduci queat. Ac initio quidem a ſuae ſententiae ſectatoribus conatur remouere incommodum illud, quo ipſos implicari pronunciaueram in *Apologia mea* p. 35. quod nempe *qui ita crude iactant; quae in ſe & ſua natura turpia ſint, lege naturali vetari, non conſtituant certum aliquod* γνώρισμα, *ex quo conſtet, an & cur aliquid in ſe turpe ſit; ſimulque quod non poſſint non hoc modo in circulum reuolui.* Aduerſus haec VELTHEMIVS primo reponit auctoritatem *Diſſertationis ſuae de Primis moralibus*, quae, vti reliquae omnes ipſius, non tam conſcripta, quam per vomitum in chartam eructata videtur. Deinde huc confugit, quod prima principia probari nequeant: eſſe autem prima principia moralia; *per ſe & ſua natura honeſtum eſt expetendum, per ſe & ſua natura turpe eſt fugiendum.* Id quod non vno nomine ineptum nobis videtur. Nam in iam citata Diſſertatione haec principia ſimpliciter ita erant expreſſa: *Honeſta ſunt facienda, turpia ſunt*

ſunt omittenda. Nunc autem aſſuitur *τὸ per ſe & ſua natura*; cum tamen non ſolum ea, quae poſitiua lege iubentur aut vetantur, vtique facienda ſint & omittenda; ſed etiam id quam maxime in controuerſiam veniat, an & quo ſenſu aliquid in ſe & ſua natura honeſtum ſit, aut turpe. Atqui alio loco oſtendimus, ea non eſſe prima principia, vt vt alias ſententiae ſint veriſſimae; quia ratio a priori reddi poteſt, cur homini neceſſitas incumbat honeſta faciendi, turpia omittendi. Denique in moralibus nil magni praeſtitit, qui nouit, honeſta eſſe facienda, turpia fugienda: cum hic praecipuus labor ſit inueſtigaſſe, quaenam honeſta ſint, quaenam turpia, & quodnam γνώρισμα ſit iſta liquido dignoſcendi. Quod quidem nunquam conſtituere poterit VELTHEMIVS, quamdiu nil niſi circulum ſuum crepare nouit. Inde paris me vertiginis reum peragere inſtituit VELTHEMIVS, velut ex principio a me conſtituto idem proueniat circulus, & a me itidem obſcurum per aeque obſcurum explicari. Nam *ſi quis ex me quaerat, de quibusnam neceſſario lege naturali diſponatur, me reſpondere, de iis, quae neceſſario faciunt ad ſocialitatem hominis, aut eam turbant. Sin vlterius quis inſtet, quaenam autem faciant ad ſocialitatem, nihil me habere quod reſpondeam, quam ea, de quibus lege naturali diſponitur*. Verum longe tibi heic abeſt calumniandi artificium VELTHEMI. Nam nuſpiam haec propoſitio, *homini colenda eſt ſocialitas*, a me pro principio primo & indemonſtrabili, ac per ſe noto, & in quo demum ſubſiſtendum ſit, venditata fuit. Sed vocaui eam propoſitionem fundamentalem, ſeu, ad quam omnia praecepta legis naturalis, inprimis quae alios homines ſpectant, reduci, & in eam reſolui queant; quae tamen ipſa ex obſeruationibus, e natura rerum & hominum petitis, a priori demonſtratur. Sicuti & illa omnia, quae ad ſocialitatem facere, aut eidem repugnare a me dicuntur, ex paribus obſeruationibus deducuntur. Quod VELTHEMIVM latere non poterat, ſi vel legit ea quae calumnianda ſibi ſumpſit, vel genuinum demonſtrandi modum intelligeret, cuius ipſum ignariſſimum eſſe patet. Vnde & recte pronunciat, *abeſſe a ſe vt iudicet*; illisque iudicium relinquit, *qui iudicare poſſunt, & debent*. Et ſane quid indignius eſt, quam quod homo; qui nihil aliud quam per pluſculos annos lenae in lacunis Metaphyſicorum volutatus eſt, apud nos aliquid de ſtudiis hiſcere velit? Quod enim luculentius ſpecimen eſſe poterat triobolaris eruditionis, quam quod ad lectionem GROTII adſpiraturo, fundamenta *Logices & Metaphyſices* potiſſimum commendet; aut quod vltra dogmata Ariſtotelica in morali & ciuili doctrina progredi velle nefas iudicet, aut quod ſententiam meam de demonſtratione tanquam Ariſtoteli contrariam reiiciat; cum tamen eandem in praxi exprimant Mathematici, penes quos ſolos hactenus demonſtrandi artificium fuit; niſi quod non ita pridem multi eruditi ad alias Philoſophiae partes; & ad morales quoque doctrinas eandem adplicare coeperunt. Quod autem primus ego ſim habendus, qui glaciem fregerit, viamque ad ſolidam de iure naturae & gentium ſcientiam monſtrauerim, id iactaſſe a mea ſemper modeſtia abſuit, nec tanto vnquam me ſum dignatus honore. Quid laboris heic exhauſerim, ipſe noui; quod operae pretium fecerim, optimus & eruditiſſimus quisque liquidiſſimo iudicabit. Id ſane confido, ſi quam meritus ſum eo nomine laudem, fore, vt eam furialis ca-

 lumniato-

lumniatorum factio mihi non detrahat; & ſi viuum liuor premat, poſteritas ſaltem mihi decus meum rependet. Et tu VELTHEMI, non alio facinore ſuperſtes eris, quam quia a me vapulaſti.

§. XXIII. INDE ſpecimine quoptam oſtendere vult VELTHEMIVS, in doctrina a ſe propugnata vtique dari γνώςισμα, ex quo liquido conſtet, an & cur aliquid in ſe ſit honeſtum & turpe. In exemplum adſumitur quaeſtio: *Cur promiſſa ſint ſeruanda?* Rationem ipſe hanc adfert; quia promiſſio eſt translatio iuris in perſonam, cui fit promiſſio: Ius vero ſuum cuique tribuendum. Spero neminem, qui *iudicium domi habet*, & qui *helleboroſus* non eſt, (en floſculos Velthemianos!) deſideraturum, vt cum VELTHEMIO id ratiocinium in formam ſyllogiſmi refingam. Enimuero etſi hanc ſententiam, *ius ſuum cuique tribuendum*, ego quidem veriſſimam norim; eam tamen ita comparatam nego, vt quis diſtinctam, claram, & vltimam rationem iſtius effati, *promiſſum eſt ſeruandum;* inde perſpicere poſſit. Sed quia talis iuris bruta non ſunt capacia, nec de illis dici poteſt, ipſis eſſe ius ſuum; aut iiſdem aliquid tanquam ius ſuum eſſe tribuendum: igitur merito quaeritur, cur homini aliquod ius ſuum competat: quod ipſi omnino ab altero homine ſit tribuendum? Item, cur per promiſſum tale ius in altero producatur, cuius vi omnino quid ipſi ſit tribuendum? VELTHEMIVS ſine dubio reponet; fruſtra hoc quaeri, cum nemini ignotum eſſe queat, alteri iniuriam non eſſe faciendam: id quippe eſſe per ſe turpe, ſicut ius ſuum alteri tribuere per ſe honeſtum. Atqui hoc modo aeque ac antea ignoro rationem huius effati, *promiſſum eſt ſeruandum*; nec eo magis adparet γνώςισμα aliquod, & quidem vniuerſale, & ad omnes quaeſtiones adplicari idoneum, ex quo cognoſci queat, quare in ſe & ſua natura honeſtum ſit promiſſum ſeruare. Ac niſi ad quaeſtiones a me motas apte reſpondeatur, intelligi nequit, quare promiſſo non ſeruato iniuria fiat. Id quod tamen ex noſtra hypotheſi planiſſime, & ad captum etiam idiotarum deduci poteſt. Interim hoc monemus, etſi Grotiana definitio, ex Scholaſticorum lacunis hauſta, non niſi per circulum explicari poſſit; haud ideo tamen iſtum virum, cuius ingenio tam multa debemus, arguimus, quaſi is omnes quaeſtiones per circulum explicet: Nam fieri poteſt, vt qui in generali aliqua quaeſtione impingit, circa particularia rem acu tangat. Neque tamen ideo definitio illa redditur inculpabilis, etiamſi vel ſexcentae quaeſtiones adducantur, quae a GROTIO recte deciſae fuerint.

§. XXIV. ALIQVANDO tamen humaniter mecum videtur agere velle VELTHEMIVS, dum *lubentiſſime admittit, non peccare, qui ad quaeſtiones de certis quibuſdam actibus reſpondet per conuenientiam aut diſconuenientiam cum lege ſocialitatis homini a Creatore iniuncta.* Vbi illud obſeruari velim, ſi aſſumam aliquam propoſitionem, verbi gratia: fides eſt ſeruanda, & eam ex hac ratione adſtruam, quia fides ad ſocialitatem neceſſario requiritur: cum dante VELTHEMIO fidem ſeruare per ſe & ſua natura ſit honeſtum; vtique & haec propoſitio, quae iſtius rationem continet, nempe de colenda ſocialitate, erit per ſe & ſua natura honeſta. Et tamen VELTHEMIVS dicere non veretur, *legem*

ſocia-

ſocialitatis homini a Creatore iniunctam. Cum in eo controuerſia noſtra praecipue vertatur, quod ego voluntatem, diſpoſitionem & legem Creatoris iſtius perſeitate priorem eſſe adſtruam, nec τὸ *per ſe honeſtum aut turpe* legi Creatoris opponendum, ſed ſubordinandum contendam: ille contra per ſe & ſua natura honeſtum & turpe antecedenter ad voluntatem ſummi Legislatoris ſe habere clamitet. Verum mox, ne nimis erga nos liberalis fuiſſe videatur, adducto ſupercilio addit; *modo reſponſa ſua non venditet pro ſcientificis, id eſt, talibus, quae ſolidam ſcientiam quaerentibus ex aſſe ſatisfaciant*. Solidam autem ſcientiam quaerunt illi, qui tam *candidos*, qualis VELTHEMIVS eſt, *nacti* fuerunt *manuductores*, & vere πεπαιδευμένοι *lectionique commendatiſſimorum auctorum aſſuefacti ſunt*, id eſt, qui ex *Toleto* & *Zabarella* doctrinam analyticam hauſerunt, & per omnem aetatem in luto Sophiſtarum, & qui quintas inde eſſentias extraxerunt, volutati ſunt: Hac ſcilicet via ſola itur ad aſtra.

§. XXV. INDE culturam ſocialitatis, a nobis in fundamentalis propoſitionis locum aſſumptam, carpit VELTHEMIVS, quaſi hoc modo nulla ſtatuantur officia erga Deum & ſeipſum. Enimuero qui librum meum non ſolo calumniandi animo inſpexit, facile deprehendit, mihi praecipue propoſitum fuiſſe, officia hominum erga ſe inuicem tradere, & quid iuris inter homines mutuo exerceatur; cui fini nullum commodius principium adſumi, quam ſocialitatem poſſe, in aprico eſt. Et eam ob rationem caput de Religione Naturali in eo libro nuſpiam extat. Hoc quippe conſectarium eſt doctrinae naturalis de Deo, quam alii ad Philoſophiam primam referunt, alii peculiari diſciplina ſub vocabulo Theologiae Naturalis adornant; eoque natiuam velut ſedem in diſciplina Iuris Naturalis non ſortitur. Sed cum poſtea in vſum iuuentutis officia hominis & ciuis iuxta legem naturalem in compendium redigenda forent, caput de Religione Naturali ex illa ſiue Theologia Naturali, ſiue Philoſophia prima mutuo ſumſi, & in eum libellum tranſtuli. Quod eo minus heterogeneum debet videri in ea diſciplina, vbi caetera omnia ex ſocialitate deducuntur; quia non ſolum lex naturalis a Deo vim atque auctoritatem legis nanciſcitur, ſed & quia Religio naturalis in hac diſciplina, prout ea a nobis adornata fuit, eo tantum modo conſiderari poteſt, prout humanae ſocietatis vinculum, & velut coagulum eſt. Nam de Religione tradere, prout ad ſalutem aeternam adquirendam ſpectat, aut prout illa circa hominem in ſtatu integritatis ſeſe habuit, Theologorum eſt, in quorum meſſem falcem mittunt, qui cum VELTHEMIO *finem Philoſophiae moralis ſalutem aeternam animae* dictitant. Officia autem hominis erga ſeipſum partim ex religione, partim ex lege ſocialitatis fluunt, ita vt ni homo ſeruus Dei, & membrum ſocietatis humanae eſſet, ipſius nulla erga ſemet officia intelligi poſſent. Quae cum a me iam expoſita ſint in libello de *Officio hominis & ciuis* L. I. c. 3. §. 13. mirum tamen eſt, vociferante VELTHEMIO auditorium Ienenſe hac immani calumnia reboaſſe; *me nulla agnoſcere officia hominis erga Deum & ſeipſum*. Ex dictis porro facile diſpellitur calumnia, qua iſthaec verba *praefationis* in opere noſtro impetuntur; quod *nondum* valeam *diſpicere, quaenam ſit illa morum honeſtas vbique & extra ſocietatem, hoc eſt,*

refle-

reflexionem ad alios homines obſeruanda. Nam puritas illa animi, & internorum motuum ſanctimonia, quam maxime etiam ſocietatis humanae bono exuberat, & quo quis decentius erga Deum ſe geſſerit, eo religioſius idem officia erga homines obſeruabit. Vnde & diuinus Scriptor hac nota dilectionem Dei agnoſci iubet, ſi quis fratrem ſuum diligat; & mendaces proclamat, qui amore Dei ſe iactant, cum fratres ſuos odio proſequantur. Fuit etiam qui obiiceret exemplum hominis ſolitarii, qui extra ſocietatem humanam conſtitutus, vtique peccaturus ſit, Deum in illa ſua ſolitudine blaſphemando, cum brutis corpus commiſcendo, aut vitam ſibi adimendo, etſi ſocietati, abs qua ſemotus degere praeſupponitur, nihil incommodi inde afferatur. Sed vti quid circa blaſphemiam & αὐτοχειρίαν reſpondendum ſit, ex ſuperioribus facile adparet: ita commixtio cum brutis vtique ſocialitati repugnat. Quin & illa ipſa vita ſolitaria, ni ob commodum humanae ſocietatis ſit ſuſcepta, legi naturali repugnat. Nam ad hoc, *vt quis abſque vllis impedimentis tanto maiori ſtudio, pietati & precibus ad Deum incumbat*, opus non eſt *a conſortio hominum, & impii huius mundi ſegregare ſe, vitamque ſolitariam ſocietati anteferre*. Quaſi non in vita quam maxime ſociali locus ſit precibus fundendis, aut quaſi pietas commodius intet feras ſylueſtres, quam homines exerceatur. Add. Matth. V, 14. 15. 16. Quin & rectius thalamum quam eremum cogitat, cui de tanta foeditate patranda in mentem venire poteſt. Pariter quod adducitur de Adamo ante Euam conditam, cuius innocentia & pietas a ſocietate, quae nondum erat, menſurari non potuit, nihil habet difficultatis. Additur, ſi omnis honeſtas ad cuſtodiam ſocietatis referenda foret, tunc fas fore, verbi gratia, vrgente fame, vt aliqui ſeſe interimant, quo ſocietati multitudine laboranti conſulatur; probandum factum Lacedaemoniorum iuuenes promiſcue cum vxoribus concubituros mittendum apud IVSTINVM L. III. c. 4. laudandam communionem omnium rerum Platonicam. Enimuero hic caſus partim inepte ad praeſentem quaeſtionem adplicantur, partim confundunt bonum particularis cuiusdam ſocietatis cum ſocialitate; cum hautquaquam ex illo, ſed ex hac officia hominum inter ſe deducantur; multo minus pro regula honeſti haberi queat, quod quis per ſtoliditatem ex vſu certae ſocietatis fore credidit. Sic ſane omnes particulares ſocietates ad honeſtatem metiendae ſunt, non vice verſa; nec eo minus tamen quid homini aduerſus hominem honeſtum ex ſocialitate colligere licet. Ex qua itidem antecedenter iudicari poteſt, quae peculiaris ſocietas bona aut mala adpellari debeat. Denique & in ſuperioribus ſatis oſtenſum fuit, non repugnare, fundamentalem iuris naturalis propoſitionem eſſe, hominem debere ſociabilem eſſe; & huius propoſitionis euidentiam atque neceſſitatem ex contemplatione humanae naturae exſplendeſcere. Vnum tamen fateor, noſtrae methodo deeſſe, quo VELTHEMII decreta, ſolide fulciuntur. Hic enim cum fateatur, doctrinam ſuam moralem, quam ex probatis & receptis ſcriptis, viua voce hauſit, tandem in haſce propoſitiones reſolui: *Eſt per ſe honeſtum ac ſua natura, adeoque expetendum, faciendum: Eſt per ſe turpe ac ſua natura, adeoque fugiendum, omittendum:* vt ſtupidos illos homines protelet, qui viam iſtam in circulum reuolui arguunt, & rationem noſſe cupiunt, cur hoc vel illud per

ſe

ſe honeſtum aut turpe dicatur; *fuſtes* demum potius illis quam rationes intentandas pronunciat. Vbi miror, VELTHEMIVM vsque adeo a grauitate Patriarchae ſui NICOLAI BECKMANNI degeneraſſe, vt ad ruſtici alicuius inſtar fuſtibus depugnare cupiat; cum tamen hic egregius vir omni annorum genere, ſpectante & pollicem premente Domino Epiſcopo PETRO WINSTRVPIO in huiusce aula Lundenſi cum circumforaneo laniſta tantus Doctor & Profeſſor glorioſe decertauerit; eiusque artis fiducia litem, quae ſibi a me propter impreſſum Indicem Nouitatum intentabatur, duello maluerit, quam ſententiae iudiciali decidendam committere. Enimuero ego vltimam rationem doctrinae meae a fuſtibus aut gladiis petere hautquicquam conſtitui. Qui rationes meas capere non poteſt, aut non vult, non habet, quod cuti ſuae metuat. Neque vsque adeo operam & oleum me perdidiſſe iudico, vt non ſpes mihi ſit, fore ingenia recta & praeiudiciis non diſtorta, quae citra metum fuſtium ſcripta mea ſint aeſtimatura. Quod ſi quis tamen tabellis ſuis & collegiis manuſcriptis, quibus inſueuit, immori malit, ego ſane neque indignor, neque inuideo. Quin vltro omnes Bibliopolas oro obſecroque, ne mea ſcripta deinceps in illa loca adportent, vbi Aſinii Tenebrionis ſectatores rerum potiuntur.

§. XXVI. MVLTA quoque blaterat VELTHEMIVS circa haec verba *Apologiae* meae: *Ex quo & aliud horribile abſurdum conſequitur: ſi nempe datur aliquid honeſtum & turpe in ſe antecedenter ad Deum, vel admittendum eſſe fatum Stoicum, cui & ipſe Deus ſit alligatus; vel dari aliquod principium Deo prius aut coaeternum, formas rerum quaſi determinans & ſpecificans, cui ne Deus quidem contrauenire poſſit aut debeat.* Quia cum homine ſtupido mihi res eſt, aut qui ſtuporem ſimulat, vt calumniandi occaſio ne deſit, tentabo, an efficere poſſim, vt vim ratiocinationis meae capere queat. Mea igitur ſententia eſt, moralitatem actionum humanarum, & habitudinem illam, iuxta quam aptae ſunt honeſtae aut turpes vocari, eſſe a Deo, eiusque definitione & determinatione petendam, abs qua nullo modo eiusdem voluntas excludi queat. VELTHEMIVS contra contendit, eam moralitatem antecedenter ſe ad voluntatem Dei habere. Heic ego repono: Si illa moralitas non refertur ad auctorem Deum, tanquam Ens liberum, cum illa vtique a ſeipſa eſſe nequeat, neceſſum eſſe, vt ſit ab alio principio extra Deum. Iam autem non adparet, quodnam aliud principium heic fingi poſſit, praeter fatum Stoicum, aut principium Deo prius aut coaeternum, formas rerum determinans: id eſt, vt vel dicatur, actiones humanas moralitatem habere ex immutabili fato, ſiue ex indeclinabili rerum ſerie, neſcio vnde producta cui etiam ipſe Deus ſit alligatus; vel vt alius praeter Deum ſit, a quo formae rerum ſint productae. Vtrumque abſurdum ego pronuncio, quia per id Deus Creatoris & ſupremi rerum arbitri munere dimouetur. Heic igitur VELTHEMIVS id primo faſtidit, quod fatum Stoicum, aut principium Deo coaeternum *horribile abſurdum* vocarim. Nam ipſe rem leuiculam putat, Deum abnegare, omnium rerum Creatorem, modo perſeitas ſua ſalua perſtet. Dein diſplicet, quod non diſtinctius explicarim, quid per fatum Stoicum intelligam, quippe de quo diuerſae ſint eruditorum opiniones. Atqui moris mihi non eſt, qua-

quacunque occaſione locos communes expilare; & quae addidi verba, *cui & ipſe Deus ſit alligatus*, ſatis, quale fatum intelligam, arguunt. Hinc miſerrimus & vere deplorandus Sophiſta delirat; me, quod fati Stoici mentionem fecerim, id velle inde concludere, quod qui peccant, ex fatali neceſſitate peccent, & culpam a ſe in fatum amoliri queant. Hanc enim conſequentiam nectunt illi, qui fatum Stoicum admittunt. (*Nemo ſit fato nocens, aſt apud Senecam.*) Atqui ego fatum Stoicum ſeu a Deo independens reiicio, & horribile abſurdum pronuncio. Quid ergo mihi cum conſequentiis, quas eius fati defenſores nectunt? Praeterea negat VELTHEMIVS, GROTIVM, & qui eandem heic cum ipſo fouent ſententiam, ſtatuere aliquod principium extra Deum exſiſtens, eique coaeternum, a quo intrinſeca honeſtas aut turpitudo actionum dependeat. Aſt ego nuſpiam dixi, eos expreſſe id ſtatuere: ſed hoc dico, id *conſequi* ex ſententia eorum, ſiquidem *τὸ per ſe & ſua natura* diſpoſitioni & determinationi diuinae opponant. Saepe autem contingit, vt quis theſin aliquam aſſerat, cuius abſurdam conſequentiam non praeuidet; ſaepe vt hanc inde fluere neget, caeteri aſſerant. Addit, *a ſuae ſententiae defenſoribus neminem in dubium vocare, diſcrimen honeſti & turpis a Deo, eiusque definitione & determinatione petendam eſſe.* Credas iam VELTHEMIVM ſapere velle. Sed quod vna manu videri voluit dediſſe, altera mox iterum eripit. Statim enim addit: *Modo hoc admittatur, quod a Deo aliter honeſtas ac turpitudo actuum determinari nequeat, niſi vt horum iſtorumue actuum, quos per ſe & ſua natura honeſtos ſtatuimus, natura fert. Quales intellectus Dei ſapientiſſimus agnoſcit actus, tales iudicat, vt tamen in puncto rationis ſemper prior ſit turpitudo actus, a Deo facta definitione eius turpitudinis atque determinatione.* Atqui hoc ipſum iam maxime quaeritur, vnde ſit illa natura actuum, cui determinatio diuina attemperare ſeſe debuerit? Ego dico, hanc naturam actuum itidem eſſe a determinatione Dei, vtpote qui hominis naturam ita formauit, vt & legis eſſet capax, & quae naturalis vocatur lex, omnino cum eius conditione quadraret. Nam nemo vtique praeter Deum homini dedit, vt talem haberet naturam, vt talis actuum ab ipſo exercendorum eſſet indoles. Cum autem Deus hominem crearet, cum talem ipſi, eiusque actibus naturam daret, quam maxime voluntarie agebat. Igitur moralitas illa actuum humanorum ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere falſo dicitur. Equidem quales actus Dei intellectus agnoſcit, tales iudicat; ſed tales & non alios, taliter & non aliter agnoſcit, quam quales creare conſtituit: id eſt, agnoſcit actus, qui legis naturae obiectum conſtituunt, omnino naturae humanae congruere, vel non congruere, ſed & hoc agnoſcit, actus illos eam habitudinem cum natura humana obtinere, quia ipſe eiusmodi creaturam libere creare conſtituit. Vnde falſum eſt, quod in puncto rationis turpitudo actus prior ſit definitione a Deo facta. Sed primo omnium concipitur homo tanquam creatura rationalis a Deo libere producenda. Inde concipitur habitudo ipſorum actuum, ad normam dirigi aptorum. Poſt hanc lex, tanquam norma, ad quam actus iſti neceſſario referendi & dirigendi ſint, ac demum concipitur honeſtas & turpitudo, tanquam affectiones actuum ad normam relatorum. Aliud punctum rationis heic comminiſci, aut ordinem hunc interuertere, contra rationem eſt. Quicunque igitur naturam illorum

illorum actuum, de quibus ſermo eſt, ad auctorem Deum referunt, ab ipſo in creatione hominis ita adornatam, illi mecum conſentiunt. Qui autem actus illos habitudinem & indolem ſuam non a diuina definitione, determinatione, & voluntate habere contendunt, illi viderint, quem ſibi creatorem velint adoptare. Sane neque VELTHEMIVS, neque vniuerſa iſta factio hanc mihi perſuaſionem nunquam eripiet, me Deo debere, & quod ſim, & quod homo ſim, & quod creatura ſim legis capax, & quod quidam motus mei voluntarii eam habeant indolem, vt omnino adaptandi ſint ad normam, quam Deus in creatione mihi iniunxit, & quod actus meus, ſi ad eam normam quadret, honeſtus & bonus, vbi ab ea diſcrepet, malus & turpis ſit; & denique quod aliquid horum antecedenter ad Deum ſe habere qui aſſerat, in Deum Creatorem ſit iniurius.

§. XXVII. TANDEM atrocem quoque oppugnationem ſubeunt, quae ſuper neceſſitate in actionibus moralibus verſante propoſueram; eam nempe eſſe *non abſolutam, ſed hypotheticam, ſupponentem creationem animantis rationalis, quam nemo eſt, quin liberrimae voluntate Dei adſcribat.* Heic vt appareat omnem VELTHEMII conatum fruſtra in aërem effundi, obſeruandum eſt; eum locum a me opponi verbis GROTII L. I. c. 1. §. 10. quod actus, circa quos lex naturalis verſatur, *a Deo neceſſario praecepti aut vetiti intelliguntur.* Quaeſtio igitur eſt, qualis heic neceſſitas ſit in ordine ad Deum, ſeu quale genus neceſſitatis Deum ſubegerit, vt circa actus iſtos legem ſtatueret? Ego reſpondeo, eam eſſe non abſolutam, ſed hypotheticam, quia ſupponitur a Deo animal rationale liberrima voluntate creatum. Poſito enim, Deum libere voluiſſe creare animal rationale, non potuit non circa certos illius actus lege diſponere; quia alias voluntas Dei ſibi ipſi repugnare fingeretur. Adeoque non abſolute neceſſarium fuit a Deo legem naturalem ferri; ſed ea neceſſitas orta fuit ex ſuppoſitione actus, abs Deo liberrima voluntate ſuſcepti, nempe ex creatione hominis. Quae autem neceſſario conſequuntur actum libere & contingenter ſuſceptum, illa vtique ex neceſſitate non abſoluta, ſed hypothetica fieri dicuntur. *Si currit, mouetur*, eſt exemplum neceſſitatis hypotheticae a VELTHEMIO poſitum. Antequam quis curſum libere ſuſciperet, neque currere, neque moueri neceſſarium ipſi erat; poſito autem curſu libere ſuſcepto, non poteſt non ſimul exſiſtere motus. Sic antequam Deus crearet hominem, neque creare hominem, neque legem naturae ferre Deo neceſſarium erat. Sed poſito, creationem hominis ab eo libere ſuſceptam, non potuit non lex naturae ſimul ferri. Sic vt ſperem, me adplicationem huius termini auguſtiſſimis imperii Metaphyſici Monarchis ſatis adprobare poſſe. De hac ergo ſpecie neceſſitatis circa actiones morales verſantis, quatenus nempe ad Deum illa refertur, vnice mihi ſermo fuit. Aſt ſi alio modo formetur quaeſtio, aliam quoque emergere oportet reſponſionem. Si enim eam ad hominem referam hoc modo; quae neceſſitas homini inſit ad actus iſtos obſeruandos aut omittendos? reſpondetur, eam eſſe neceſſitatem quam vocant obligationis. Sin praeciſe quaeram de cohaerentia affectionis moralis cum certa actione humana, verbi gratia, honeſtatis cum honore parentum, turpitudinis cum adulterio: ſeu quaenam ſit illa neceſſitas, qua pa-

 rentes

rentes honorare honeſtum, moechari turpe ſit: reſpondetur, eſſe neceſſitatem abſolutam in genere morum, quae contradiſtinguitur neceſſitati abſolutae in genere naturae, qua affectiones phyſicae cum rebus naturalibus, verbi gratia, vis comburendi cum igne, coniunguntur. Quae duo genera neceſſitatis in hoc differunt, quod haec nil aliud praeſupponat, quam actum creationis, quo rebus eiusmodi natura eſt a Creatore inſita; illa autem praeterea ſuperioris impoſitionem & legem praerequirat. Ex quibus manifeſte adparet, a VELTHEMIO primam illam quaeſtionem, de qua mihi ſermo eſt, cum poſtrema confundi. Quod vtrum per imprudentiam factum ſit, an vero vt anſam arriperet tam abſtruſae eruditionis Oceanum exonerandi, ſimulque proterue mihi inſultandi, dubium eſt. Sane vti cucurbitas lippire, & toto coelo a ſententia mea aberrare iſti homini inſolitum non eſt; ita ſplendidum & ſe dignum finem vt diſſertationi ſuae imponeret, operam dediſſe videtur; dum ea occaſione per aliquot paginas doctrinam de neceſſitate, ſexcentis tabellis expoſitam, & quam Ienae paſſeres quoque cantillant, non minore eloquentiae torrente euoluit, quam agyrtae virtutes adipis murium Alpinorum ſolent. Hinc ſublato immenſum ſupercilio & acerbitate plane Orbiliana imperitiam genuinae, ac diuinitus apud Ienenſes ſancitae Metaphyſicae mihi exprobrat. in quam impingendo grauiſſimo me laeſae Maieſtatis pedanticae crimine adſtrinxerim. Ad quam accuſationem paucis repono: ex ſupra dictis manifeſtum eſſe, in quaeſtione a me propoſita terminum neceſſitatis hypotheticae proprie, & ex vſu omnium Metaphyſicorum fuiſſe adhibitum: ſed quod VELTHEMIVS aliam quaeſtionem ſubſtituerit, cui iſte terminus non quadraret, culpam nullam penes me eſſe. Deinde, ſi vel maxime ego terminum aliquem Scholaſticum aliter accepiſſem, quam tabulis Stahlianis, velut aeterna Parcarum lege, ſancitum eſt; num tamen ideo tam inficeto more inſultari par erat viro, cui oblatraſſe vnicam ſibi viam ad qualemcunque famam adquirendam ſufficere VELTHEMIVS iudicauit? An tantus ideo tumultus excitandus, ac ſi de Eccleſiae & reipublicae ſalute ageretur? Praeſertim cum omnem illam ſapientiam Velthemianam, cuius praecipuam partem *Inſtitutiones Logicae* ſui affinis, & *Tabellae* STAHLIANAE abſoluunt, plane ignoraſſe, aut ſaltem eius notitiam diſſimulaſſe apud ſolide eruditos, & quibus me ac mea ſcripta potiſſimum adprobare gaudeam, non magis rubori ſit, quam aulico cuipiam, quod hircum non oleat. Sed vt quod res eſt, fatear, iuuenilibus annis, & cum ſtudia impetu potius quam iudicio tractarem, non paucas bonas horas in ea Philoſophia, cuius pulchritudine VELTHEMIVS attonitus ſtupet, me perdidiſſe memini. Quin & cum Ienae eo ipſo muſeo, in quo Stahlius animam exhalauerat, vterer, quotiescunque reſpirarem, atomos quasdam diſtinctionum & terminorum Metaphyſicorum videbar deglutire, quibus aër iſte pertinaciſſime infectus erat. Poſtea tamen diuerſum coelum pulueres iſtos vltro diſcuſſit, & ex tota illa ſcientia id praecipuum remanſit, quod ſciam, eum qui iſtam ſolam ſcit, nihil ſcire.

§. XXVIII. Ex hiſce igitur quilibet cordatus iudicabit, num VELTHEMIVS recte clamitet: *Totam litem in abuſu terminorum a me facto conſiſtere, & me reuera cum iſtis ſentire, quos ex pruritu nouandi impugno.* Sane enim non

intra

intra ſola vocabula haeret iſthaec diſceptatio; num moralitas actionum antecedenter ad voluntatem Dei legemque ſe habeat; num illa natura actuum, qui per ſe honeſti aut turpes dicuntur, voluntati Creatoris opponi, an vero potius eidem ſubiungi & ſubordinari debeant? Et cum nuſpiam theſin ſuam VELTHEMIVS reuocet, aut ita explicet, vt cum mea conſpiret, ac nihil attulerit, quo mea ſententia deſtruatur, neſcio, quo iure me velim nolim inter ſuos numerare queat. Verum quid ille ſentiat aut non ſentiat, mea nihil refert, modo tam inficetis clamoribus meam famam lacerare deſinat. Nam vti nihil facilius mihi, quam iſtius miſeras ſophiſticationes deſtruere; ita poenitenda eſt pugna, vbi viciſſe hoſtem inglorium habetur.

§. XXIX. CVM ad alia pedem iam proferrem, occurrit alia VELTHEMII Diſſertatio, quae inſcribitur *De Statu Controuerſiae;* in qua per foedum mendacium haec mihi theſis affingitur; quod *nullum actum neceſſario turpem ſtatuam, ſed velle contingenter turpes eſſe illos actus, quos conſenſus communis neceſſario turpes iudicat, exempli gratia: contingenter eſſe turpe adulterium, quatenus contingit committi ab homine, vt eſt rationalis.* Bone Deus, in quot ſeſe formas vertere non nouit dira calumniandi rabies! Si micam boni viri habet VELTHEMIVS, oſtendat, vbinam locorum in meis ſcriptis ea aſſertio extet. Quam porro non minus ruditatis, quam malitiae iſti calumniae ſubeſt! Cui enim ignotum eſt, omnes actiones humanas reſpectu exercitii aut exſiſtentiae eſſe contingentes, quia a voluntate tanquam facultate libera procedunt. Verum haec contingentia non obſtat, quo minus illis certae affectiones neceſſario competant. Quod iam docui in *Opere meo* L. I. c. 2. §. 5. Neque etiam quo minus, verbi gratia, adulterium homini neceſſario, id eſt, ex neceſſitate obligationis ſit omittendum; & quod adulterium neceſſario turpe ſit, id eſt, lege naturali, non poſitiua, non obſtat, quod illud intelligi nequeat, niſi poſito animali rationali & ſociali a Deo libere creato. Sicuti incendium intelligi non poteſt, niſi poſito igne, & materia combuſtibili a Deo libere creata. Ex quibus tamen non niſi triobolaris Sophiſta inferret: Ergo adulterium contingenter eſt turpe: Ergo ignis contingenter eſt calidus.

§. XXX. NONDVM Iena nos dimittit. Poſt Velthemianas alia nobis Diſſertatio offertur anno 1675. habita ſub praeſidio celebris ICti, ſed quam ſtylus adoleſcentis foetum arguit. Cuius temeritatem reſponſione indignam iudicarem, ni ſuſpicarer, robuſtiores quosdam tela iſti ſuppeditaſſe. Sed rem ipſam excutiamus, de auctore parum ſoliciti. Initio igitur ſophiſticationibus ſuis aſtute viam ſtruit. Cum enim *honeſtum & turpe bono & malo morali reſpondere* pronunciaſſet, honeſtum dein ita definit, *quod praeciſa delectione eſt conueniens naturae rationali, quatenus eſt talis.* Quod primum eſt falſum, quo incautioribus fucum facere conatur. Honeſtas quippe & turpitudo, bonitas & malitia moralis per conuenientiam & diſconuenientiam cum lege, tanquam norma actionum, definienda eſt. Sed conuenientia vel diſconuenientia cum natura rationali, vt tali, proprie eſt affectio actionum, quae naturali lege praecipiuntur. Equidem cum optimo & ſapientiſſimo Creatori placeret condere ho-

 minem,

minem, cuius libertas certis legibus foret circumſcribenda, eiusdem naturam ita ſimul formauit, vt actiones, quae lege naturali praecipiuntur, non poſſent non naturae hominis conuenire, & quae vetantur, repugnare. Sic vt legem ferendo, & libertatem hominis circumſcribendo non nude poteſtatem ſuam oſtentare, aut inutili vinculo moleſtiam homini faceſſere, & velut laqueos tendere vellet; ſed vt homo, dum obſequium ſuum Creatori adprobat, & naturae ſuae conuenienter ageret, & incolumitatem iuxta atque emolumentum ſuum promotum iret. Vnde conueniunt quidem actiones bonae cum natura hominis; ſed in ea conuenientia formalis ratio bonitatis moralis non conſiſtit. Sicuti & cum bonitas & malitia actionum ſit argumentum obedientiae & inobedientiae, quam fauor aut indignatio ſuperioris ſequitur; intelligi nequit, quomodo quis praeciſe eo nomine, quia naturae ſuae conuenienter egerit, obſequii laudem, & ſuperioris adprobationem mereri queat. Accedit quod vtique actio bona ſit legi poſitiuae obtemperaſſe, mala eandem violaſſe. Atqui quae poſitiua lege praecipiuntur aut vetantur, hautquidquam cum natura rationali, vt tali, conueniunt, aut diſcrepant, eoque ex conditione naturae rationalis inueſtigari nequeunt. Deinde ineptum eſt, quod diuiſio actionum honeſtarum hoc modo inſtituitur: *Conueniunt porro actiones morales bonae vel honeſtae naturae vel ſimpliciter, vel ex arbitrio ſolius praecipientis.* Nam quae ex arbitrio ſolius praecipientis naturae rationali, vt tali conuenire heic dicuntur, reuera eidem non conueniunt; ſed ad eam in vniuerſum conſideratam indifferenter ſe habent, aut ſaltem certis duntaxat hominibus ex peculiari ratione conueniunt. Adeoque alterum huius diuiſionis membrum reuera contradictionem implicat. Quia qui poſitiuam legem fert, nequaquam eo ipſo naturam hominis ita format, vt ea lex ipſi, qua rationalis eſt, omnino conueniat: ſicuti Creator fecit, dum legem naturae homini abs ſe condendo iniungere conſtituerat. Mendoſe quoque mox dicitur; quod quae poſitiua lege praecipiuntur, *caſu tantum*, non intrinſece & ſua natura honeſta ſint. Nam ſane Deus & humani Legislatores nequaquam *caſu* leges poſitiuas ferunt, ſed graui ratione moti, etſi ea quandoque ſubiectos lateat. Sic & animaduerſionem merentur ſequentia: *Contra ea, quae ſimpliciter homini conueniunt, illa non ex hypotheſi, ſed ſua natura ſunt honeſta: quoniam non demum agenda ſunt propter voluntatem iuſſumque diuinum, ſed propter intrinſecam ſuam cum ratione naturali conuenientiam.* Vbi priora verba quidem tolerari poſſunt, ſi hoc modo exponantur: *Quae ſimpliciter homini*, id eſt, prout eſt animal rationale ac ſociale, *conueniunt, illa non ex hypotheſi*, id eſt, non ex ſuppoſitione abſolutae & nudae voluntatis Legislatoris, *ſunt honeſta*; ſeu illa non ideo honeſta ſunt, quia abſolute Legislator ita voluit, non attemperata & formata ſimul natura & conditione humana, vt ea honeſta omnino ipſi congruerent: *ſed ſua natura ſunt honeſta*, id eſt, quia natura hominis ita formata eſt, vt iſta non poſſent non eidem conuenire. Sed poſteriora verba plane ferenda non ſunt; quod quae ſua natura honeſta dicuntur, *non demum agenda ſint propter voluntatem iuſſumque diuinum, ſed propter intrinſecam ſuam cum rationali natura conuenientiam.* Atqui profecto vltima ratio, quare agenda ſint; quae lege naturali prae-

praecipiuntur, eſt voluntas & iuſſum Creatoris; neque qui peccat, ideo Dei offenſam incurrit, quia naturae ſuae conuenienter non egit, ſed quia aduerſus voluntatem diuinam egit. Qui voluntatem Domini ſui non fecit, ille vapulat. Sane LVTHERVS noſter in Catecheſi puerili rationem obſequii praeceptis diuinis praeſtandi a iuſſu & voluntate Dei arceſſitum it, dum ita diligenter inculcat: Debemus Deum timere & diligere, vt hoc vel illud faciamus; cum ſatius fuiſſet, ex Theologia iſtorum hominum dixiſſe: debemus naturae noſtrae conuenienter agere. Neque Dauid Rex vſpiam orat; doce me conuenienter agere naturae rationali vt tali; ſed, doce me agere ſecundum voluntatem tuam. Sed nimirum iſta veteris pietatis ſcita nouae ſectae patronis ſordent, qui omni conatu hoc videntur agere, vt voluntas Dei a conſtitutione legis naturalis, & formatione generis humani excludatur. Ex dictis porro facile colligitur, quo ſenſu concluſio iſtius loci admittenda ſit: *Quocirca neceſſario ſequitur, condito homine Deum non potuiſſe non talia iubere vel prohibere*, id eſt, cum Deus ex libera voluntate conſtituiſſet, creare animal natura rationali ac ſociali a ſe donandum, non potuit non talia iubere vel prohibere; quia alias Deus aberaſſet a ſcopo ſuo, quem in creando homine ſibi praefixerat, adeoque ſibi ipſi velut repugnaſſet & contradixiſſet. Qui enim cum ratione agit, non poteſt non deſignationi ſuae conuenienter agere.

§. XXXI. NEC minus infelicem aut fraudulentum ſe gerit Diſputator ille in formando quaeſtionis ſtatu, dum dicit: *Diſquirendum eſt, vtrum dentur actiones morales intrinſece, ſiue in ſe honeſtae aut turpes? An potius omnes omnino ex hypotheſi ac mera voluntate Legislatoris ſint tales?* Quis non videt, decipulam inſtrui vocabulo *merae* voluntatis? Nam nemo vnquam aſſeruit, quod actiones humanae, de quibus lege naturali diſponitur, honeſtae ſint vel turpes ex *mera* voluntate Dei, id eſt, vt nulla plane ratio eorum praeceptorum praeter nudam & abſolutam voluntatem Dei allegari poſſit. Quippe cum Deus non potuerit non eas tales declarare, poſita creatione animantis rationalis ac ſocialis libere ſuſcepta. Eoque voluntas Dei, qua actiones iſtas honeſtas vel turpes declarauit, non mera eſt, ſed quae non potuit non reſultare ex poſito actu voluntario creandi animal rationale ac ſociale. Vt iam non amplius obſcurum ſit, quo ſenſu honeſtas & turpitudo illis actionibus in reſpectu ad Deum & neceſſario, & voluntate eiusdem ineſſe dici queat. Vnde mirum eſt, quod cum Iſte in ſequentibus ſcripſiſſet: *A Deo hominem ad certum finem procreatum, & inde neceſſarium fieri, vt actiones hominum conuenienter fini inſtituantur; in maxima autem illarum varietate quaſdam ad finem vtique eſſe neceſſarias, quaſdam eidem repugnare:* mox tamen addat; *id non ex voluntate diuina contingere, ſed ſimpliciter atque ex intrinſeca actuum natura.* Nam quia & finis iſte homini voluntate diuina eſt conſtitutus, & voluntate itidem diuina ita ſit formata hominis natura, vt certae ipſius actiones non poſſent non ad finem congruere vel non congruere: igitur heic natura actuum intrinſeca voluntati diuinae non opponenda, ſed ſubordinanda eſt; cum niſi illud voluntate diuina conſtitutum fuiſſet, hoc conſecuturum non fuerat. Vnde & lubenter admittimus, quod porro dicit: *Cum ſapientiſſimum Numen ita velit inſtitui hominum actiones, vt*

finem,

Digitized by Google

finem, ad quem conditi ſunt, etiam conſequantur, neceſſario quoque iubere debuit actiones fini reſpondentes, aduerſas vetare; quia alias ſibi contraria voluiſſet. Sed quod ſequitur, ferri non poteſt: *Tametſi Deus nunquam praecepiſſet aut vetaſſet, tamen exercendae omnino vel omittendae forent ex ſua & ſubiecti agentis natura.* Conſpirat quippe hoc cum floſculo illo Velthemiano, parum a blaſphemia abeunte; quaſi lex naturae obligatura fuiſſet gentes, etiamſi Deus non eſſet. Et ſi quis omnino abſurdam & impiam hanc hypotheſin ſupponere velit, iſtos actus nunquam a Deo lege ſancitos fuiſſe: tunc tamen impoſſibile foret, eas concipere ſub notione honeſtatis aut turpitudinis, ſed tantum ſub notione commoditatis aut vtilitatis concipi poſſent. Sicuti conuenienter meae naturae ago, ſi ſaeuiente frigore luculentum focum inſtruam, aut veſtes pellibus ſuffultas geram; quod tamen cum nulla lege ſancitum ſit, nec feciſſe honeſtum, nec omiſiſſe turpe dicitur. Ac nauci eſt noua illa Philoſophia, quod *legis ea duntaxat vis ſit, vt obligetur ſubiectum, & incurrat poenam contra praeceptum Legislatoris nitens.* Nam hactenus omnes ſani crediderunt, primam vim legis eſſe, ſubiecto ſignificare, quid agendum, quid omittendum, iniuncta ſimul per imperium obligatione. Neque intelligi poteſt, quomodo quis obligari, aut poenae capax fieri queat, niſi prius ſignificatum ſit, quid ab ipſo fieri & quid ab ipſo non fieri debeat. Quae igitur neceſſitas ſubigit ad tam abſurda, & a ſenſu communi abhorrentia commenta confugere; niſi forte coelum terrae miſcendum eſt, vt Aſinii Tenebrionis calumniae aliquo fuco adornentur? *Itaque licet ante legem neque transgreſſio ſit, neque poena; nihilominus tamen actus aliquis neceſſarius ſubiecto ad obtinendum finem aut fugiendum ſtatui poteſt.* Bene; ſed non ſub notione honeſti aut turpis, niſi lex acceſſerit. *Quod ſi iam neceſſario quaedam iubentur aut vetantur*, inquit, *propter intrinſecam ſuam honeſtatem & turpitudinem:* (mendoſe; nam ſcribendum erat, propter conuenientiam, aut repugnantiam cum natura animali ac rationali abs Deo libere formata, quia honeſtas & turpitudo ſunt affectiones actionum, quae legem ſequuntur,) *manifeſtum etiam ſit, haud omnia iuſſa diuina vel prohibitiones, mere arbitraria eſſe.* Atqui haec concluſio aërem ferit, quia nunquam mihi aſſerere in mentem venit, *omnia iuſſa diuina mere arbitraria eſſe, aut quaecunque a Deo mandata aut vetita ſunt, ex ſolo arbitrio ipſius omnia proueniſſe*, nullo habito reſpectu ad conditionem naturae rationalis & ſocialis ab ipſo libere formatam.

§. XXXII. Videamus, quo acumine candore argumentum a me allatum diſſoluere aggrediatur: *Si honeſta quaedam ſunt ante legem diuinam, ergo & ante voluntatem Dei, ergo & ante Deum & aeternitatem.* Quod argumentum Ipſe dicit *acutum & hebetiori inexplicabile.* Expectamus inuſitatum & admirabile acumen. Negat igitur id, quod legem diuinam antecedit, ſtatim etiam ipſam voluntatem Dei antecedere. *Aliam enim eſſe voluntatem, aliam declarationem voluntatis cum praeceptione aut prohibitione coniunctam, quae legis appellatione venit. Quanquam enim lex omnis voluntatem Dei praeſupponat; neutiquam tamen quicquid ille voluerit fieri vel omitti, ſtatim praecipere aut vetare.* Atqui omnino quicquid Deus vult fieri vel omitti ab homine, ſeu quas actiones

nes ſuſcipi, aut omitti, id ipſum quoque praecipit aut vetat, & cum voluntatis illius nullus ſit effectus, niſi ſubiecto innoteſcat, etiam reuelat ſeu promulgat: quippe cum heic nihil deſit, quod ad legis eſſentiam requiratur. Quod enim Noſter excipit: *Quid ſi aliunde perſpecta Superioris voluntate vltro eandem ſequamur? quid opus tunc lege foret?* id ad praeſentem quaeſtionem ſtolide adplicatur. Nam impoſſibile eſt, creaturam aliunde voluntatem diuinam perſpicere, niſi Deo reuelante. Quicquid ergo ille quocunque modo reuelauit, vt ab homine fieret vel non fieret, lex eſt. Quod non reuelauit, id vti ab homine cognoſci nequit, ita & lex non eſt. Quanquam autem *lex poſterior ſit voluntate, ſi non ſemper actu, at ordine conſiderandi;* quia nempe prius concipimus voluntatem, poſterius decretum voluntatis: tamen in hac quaeſtione nihil intereſt, vtrum neges, honeſtatem oriri a lege Dei, an a voluntate Dei, quia Deus aliter, quam per modum legis velle non poteſt, vt honeſta ab aliis fiant; eoque ipſo dum vult ea fieri, etiam legem fert. Et ab aeterno voluit Deus, vt honeſta fierent tunc, quando exſiſterent, qui facere honeſta poſſent; eoque ipſo ab aeterno legem ferre homini abs ſe condendo voluit; etſi ipſa lex actu, antequam homo conderetur, lata non fuit. In has anguſtias redactus Noſter Diſputator, nullam aliam elabendi viam videt, quam vt foedum illud, VELTHEMIO tantopere commendatum carmen reſonet: *Honeſta heic loci intelliguntur, quae facienda nobis ſunt, quantumuis nunquam voluiſſet Deus, nunquam praecepiſſet, vt faceremus.* Ergo hoc ſolum reſtat, vt iſti homines dicant; humanum genus futurum fuiſſe, licet nunquam a Deo fuiſſet creatum. Pergit; quae (honeſta) *ideo velle, ideo praecipere debuit, quoniam homini facienda erant.* Mirum in iſta ſecta nouum quempiam Deum comminiſcatur, antea ignotum, qui Deo Creatori humani generis iniungeret, quid ipſe *velle* & *praecipere deberet.* Et quid lege lata opus erat, ſi iſta & antea homini facienda & antea honeſta erant? Sequitur: *Poſita igitur honeſtate iſta, ponitur ſimul voluntas diuina, vt tempore coniuncta ſint, ordine conſiderandi duntaxat ſeparentur. Prius enim adſit oportet obiectum voluntatis, antequam velis.* Sed nimirum oblitus eſt Noſter, ſermonem eſſe de voluntate eius, cuius nullum obiectum extra ipſum extaret, ni ipſe voluiſſet; & quod voluntas diuina obiecta extra ſe determinet, non quod obiecta determinent voluntatem diuinam. Hactenus igitur ſat craſſe circa reſolutionem huius difficultatis verſatus eſt Noſter. Sed nunc *ſubtilius rem rimatus* ita demum ſtatuit. *Non datur honeſtum, niſi reſpectu hominis. Ergo non praecedit aeternitatem*, id eſt, non datur honeſtum, niſi in actionibus humanis ad legem conformatis. *Quod ſi ab aeterno conditus fuiſſet homo, quin ab aeterno quaedam eiusdem fini conuenerint aut repugnarint, nihil dubitandum.* Non intelligit Noſter, contradictionem implicare, *conditum eſſe ab aeterno.* Quod enim ab aeterno eſt, id conditum non eſt; & quod conditum eſt, non potuit ab aeterno eſſe, ſed omnino principium habuit. *Vt igitur finem obtineri Deus, ita & congrua atque neceſſaria ei fini, contraria vitari ab aeterno voluiſſet.* Sed num ex admiſſa hac etiam ſtolida hypotheſi ſequitur, quo minus honeſtas ſit affectio actionum humanarum ex conformitate cum lege reſultans? Aut numquid per hypotheſes contradictorias

Digitized by Google

veritas deſtrui poteſt? *At legem forte nullam praeſcripſiſſet*. Aſt hoc non *forte*, ſed fortiter delirare eſt. Ponitur finis, ponitur effectus, aſt non ponitur medium neceſſarium, ſeu quo non interueniente, nec finis obtineri, nec effectus intelligi poteſt. Si rationem quaeras tanti abſurdi, nihil audis, niſi *forte* nullam legem praeſcripſiſſet. Ita diſputare ſolent, qui VELTHEMIVM, tantum Analytices artificem, cominus vociferantem audiunt? *Quocirca habuiſſemus honeſta, aeternitati coaeua, lege priora, cum voluntate Numinis arctiſſime, & in ipſo ortu hominis coniuncta.* Adſpergamus frigidam huic ratiocinio, quia iamiam ſub manibus videtur expiraturum. Et tamen theatro obmuteſcente plauſum ſibi ipſe dat miſer hiſtrio. *Ita obtudimus*, inquit, *acumen*. Riſum teneatis amici!

§. XXXIII. NEQVE tamen poſt tanta deliria deſinit argutator Noſter: *Licet porro finis, ad quem homo procreatus, poſitus in diuino arbitrio fuerit, vt illo demum conſtituto actiones quaedam intrinſece honeſtae aut inhoneſtae dicantur; id tamen nobis nihil negotii faceſſit*. Et quid tali modo diſputandi negotium faceſſere poſſet, qui per contradictorias hypotheſes ſua abſurda ſtabilit? *Nam accipiendus iam eſt finis*, inquit, *prout conſtitutus eſt*. Atqui finis iſte, prout conſtitutus eſt, omnino includit legem, tanquam medium aut normam, ad quam actiones hominum fini a diuino arbitrio conſtituto attemperandae ſint, vt honeſtae audire queant. Ergo in mille ſe formas vertat licet Noſter, nunquam tamen efficiet, vt honeſtas actionum legem, diuinam anteuertat. Denique vt adpareat, iſtos homines omne ſuum praeſidium in Sophiſticationibus reponere, ita totum locum concludit: *Quare non eſt, cur aſſentiamur illis, qui omnia Dei iuſſa vel interdicta tantum voluntaria eſſe volunt, quaſique ante legem nihil referat, ſiue actus aliquis inſtituatur, ſiue omittatur ab homine, ſiue contrarium eius fiat.* Aſt vbinam ego hanc rem ita explicaui, dum voluntatem Dei vti non a creatione, ita nec a legis naturalis latione excludendam contendi; quod nihil referat, quicquid homini praeciperetur? Cum ad nauſeam, vsque a me inculcatum ſit, poſita tali natura, conditione & fine hominis, non potuiſſe non eas leges a Deo humano generi ferre. Fine enim & natura atque conditione ſemel deſignata, non amplius *meri* res arbitrii eſt, quae media, aut quae leges ſint praeſcribendae. Et immane quantum fallitur Noſter, quando dicit: *Si meri res arbitrii fuiſſet, etiam in contraria fini ſuo potuiſſet actus dirigere.* Nam in contraria fini ſuo tendere ſtultitiae eſt. Eoque abſurdum iuxta impium eſt, arbitrio Creatoris talem libertatem tribuere, quae contraria fini ſuo ſuſcipere poſſit. Hinc & ſtolide alia quaeſtio inſtituitur: *Vtrum ius naturae conſtet ex praeceptis mere arbitrariis, an vero neceſſariis?* Nam ego ſemper mere arbitraria praeceptis legis naturalis contradiſtinxi, & neceſſitatem ſui generis hiſce nunquam detraxi. Sic quando dicitur: *Naturale ius ex natura obiecti oriri, poſitiuum a praecepto;* id ita interpretandum, vt a naturali iure praeceptum non excludatur, ſed quod attemperatum eſt ad naturam & conditionem hominis in vniuerſum, qualis attemperatio in poſitiuis legibus non conſpicitur. Tandem a Noſtro carmen Velthemianum repetitur: *Subſiſtendum eſſe ſciſcitanti, cur aliquid natura praecipiat aut vetet?*

Digitized by Google

vetet? in illa ratione; quia intrinſece honeſtum, quia intrinſece turpe eſt. Haec prima iuris naturalis principia, vltra quae cauſam nullam reddere a priori ſcimus. Honeſta enim natura ſunt, quae in ſe, nullo reſpectu ad legem, conueniunt rationali naturae, ſiue quae in ſe reſpondent fini, ad quem homo eſt conditus. Vt hoc dogma a nemine deinceps impugnetur, opus fuerit terribili anathemate id munire. Pergit: *Itaque male ſic reddideris honeſti cauſam; quia conuenit humanae naturae, ſeu quia conuenit cum fine, ad quem a Deo ſumus procreati. Quis enim ſobriae mentis ita loquatur? Homo, id eſt, animal rationale eſt, quia eſt, quia eſt animal rationale.* Hoc quidem VELTHEMIO & ſociis recte canitur. Verum ex mea ſententia quaeſtiones & reſponſiones ita ſunt formandae. Cur hoc vel illud, verbi gratia, gratum eſſe & honeſtum? quia id lege naturali praecipitur. Cur lex naturalis id lege naturali praecipit: Quia id congruit cum natura & conditione hominis in vniuerſum. Vnde eam naturam & conditionem ſortitus eſt homo? ex aſſignatione & dono Creatoris. Cur eiusmodi naturam & conditionem iſti creaturae aſſignare eidem placuit? Quia eius ſapientiae & bonitati ita viſum fuit. Huc vsque vbi peruentum fuerit, ego ſubſiſtendum demum iudico. Atque haec iſti Diſputatori ſufficiant.

§. XXXIV. ADDAMVS etiam, quae ſuper hac quaeſtione philoſophatus eſt Ioſua SCHWARTZIVS, qui, vtut mandato Regio iuberetur ſilentium agere, tamen ne per incluſae ſapientiae fermentationem inteſtina creparent, maluit ſpretae Maieſtatis Regiae reus eſſe, quam iſthaec myſteria non eructare. *Quaerenti*, inquit, *cur quae lege naturali prohibentur, abſolute, per ſe & ſua natura ſint turpia? Reſpondet, & quidem abſque omni ruditatis, malitiae aut κενοδοξίας rubore*, & prout tam illuſtris Indicis auctore dignum eſt: *Non ideo, quod rationi repugnant, (id enim circulus iſte foret) qui nobis* (Tenebrioniſtis) *immerito aſſingitur; verum quod infinitae ſapientiae & iuſtitiae Dei, adeoque ſummae rectitudini intellectus, & voluntatis diuinae aduerſatur.* Vbi primo obſeruandum, quaeſtionem ex mente VELTHEMII & aliorum vitilitigatorum inepte hoc modo concipi: Nam illi τὸ *per ſe & ſua natura* opponunt cuiuis rationi a priori: ſeu quando aliquid per ſe & ſua natura honeſtum dicitur, nullam amplius rationem inquirendam putant, ſed plane in eo adquieſcere iubent. Vnde & iidem clamant; honeſtum & turpe, quod per ſe tale dicitur, antecedenter ſe ad voluntatem Dei habere. Dein quae tanto cum ſupercilio profertur reſponſio, obſcuritate, & ambiguitate laborat. Nam non ſatis diſtincte exprimitur, vtrum hoc, quod per ſe turpia ſapientiae & iuſtitiae Dei aduerſantur, ex diſpoſitione, ſanctione, & iuſſu ipſius Dei prouenerint; ſeu vtrum ipſe Deus effecerit, vt iſta per ſe turpia diuinae ſapientiae & iuſtitiae repugnarent; an vero illa citra diſpoſitionem Dei per ſe extiterint. Poſterior ſenſus reuera diſcedit in ſententiam VELTHEMII, quam tamen iſte viſus fuit, reieciſſe. Prior autem ſenſus mihi non contradicit. Nam ego quidem non repugno, ſi quis aſſerere velit, Deum condendo naturam hominis procuraſſe, vt certae hominis actiones eius iuſtitiae & ſapientiae congruerent, quaedam non congruerent. Sed tunc vlterius notandum, eam reſponſionem eſſe remotam, & velut ſaltum committere, ſimulque ex diuerſa diſciplina peti. Nam proxima & immedia-

mediata reſponſio ad propoſitam quaeſtionem eſt haec: Quia Creator naturam hominis ita formauit, vt iſta non poſſent non repugnare legi, quam conditio eiusmodi naturae requirebat, eoque homini eſſe vitanda. Aſt ſi quis vlterius quaerendo inſtet; cur Deus naturam hominis ita formauit? tunc quidem ex lumine rationis nullum aliud reſponſum ſupereſt, quam quod iſtud optimo & ſapientiſſimo Creatori ita placuit. Nam ea reſponſio, quod id congruerit ſapientiae & iuſtitiae diuinae, aut quod diuina iuſtitia hoc requiſiuerit, ex ſcitis religionis Chriſtianae petita eſt. Ratio enim ſibi relicta ignorat, quod iuſtitia diuina praeciſe requiſiuerit eiusmodi animal creari, cuius certae actiones cum ipſa conuenientiam aut diſcrepantiam haberent. Idem quoque circa terminum neceſſitatis hypotheticae cum Velthemio diuerſas quaeſtiones confundit; qua de re ſupra ſatis dictum. Denique & nouam heic difficultatem mouet Noſter. Negat quippe, poſita mea aſſertione, quod *omnes actus illi, qui vel turpes ſunt, vt blaſphemia, inceſtus, vel honeſti, vt cultus & honor Dei, caſtitas, temperantia &c. ex hypotheſi rationis aut ſocialitatis liberrime a Deo creatae, tales ſint. Turpes enim & honeſtos eos eſſe reſpectu infinitae ſapientiae & iuſtitiae Dei; quod eidem vel repugnant, vel conformes ſunt. Cultum quippe Dei & blaſphemiam, illum honeſtum, hanc turpem eſſe, non ſolum prout ab homine animante ſociali, ſed etiam ab Angelo vel Spiritu ſociali non creato, id eſt, diabolo proficiſcerentur*. Enimuero & hic ſcrupulus nihil eſt. Nam primo ex noſtra ſententia id, quod ex voluntate Dei profectum eſt, & id, quod cum ipſius ſapientia & iuſtitia congruit, ſibi inuicem non ſunt opponenda; quippe cum commode ſimul ſtare poſſint. Deinde vnice mihi propoſitum fuit, ius quod in homines cadit, inquirere. De iure Naturae Angelorum & diabolorum diſpiciant ſubtiles iſti homines, qui cum Doctoribus Angelicis & Seraphicis familiaritatem contraxerunt, & qui de conditione ſpirituum non minore confidentia, quam Medici de partibus humani corporis, diſputant. Quod autem cultus Dei ſpiritibus creatis honeſtus, blaſphemia turpis ſit, id prouenit ex cauſa, quae in homines aeque ac in iſtos cadit; nempe quia a Deo creati ſunt, intellectu ac voluntate praediti. Tali enim Creaturae non poteſt non cultus Creatoris conuenire, blaſphemia diſconuenire. Addantur quoque ſupra diſputata §. 25. Sed qua ratione in Spiritus caſtitas, inceſtus, temperantia cadat, nunc intelligemus, quando a Schwartzio de diuerſitate ſexus in Spiritibus, eorundemque diaeta traditum fuerit.

§. XXXV. Fuit inſuper non nemo, qui alibi locorum ſcrupulos ſuos circa meam ſententiam publice expoſuit. Is igitur admittit, *proximam rationem aut cauſam, qua Deus adductus ſit ad talem nobis viuendi regulam proponendam, eſſe naturam humanam; quippe cum fruſtra ab homine exigerentur tales actiones, ni homo eſſet homo, id eſt, animal anima rationali praeditum. Remotum* tamen rationem eſſe *ipſam illam actuum, qui lege naturali imperantur, honeſtatem & pulchritudinem intrinſecam*. Nam tales actus, verbi gratia, *benefactorem amare, colere, venerari, innocentem non laedere, ius ſuum cuique tribuere, ordinatam & caſtam degere vitam, ſtare pactis, non mentiri, neminem iniquis fraudibus opprimere, in ſe & ſua habitudine intrinſeca adeo eſſe iuſtos & honeſtos,*

neſtos, vt pro ſumma ſanctitate & iuſtitia ſua non potuerit non iſtos Deus exigere abs quouis, qui per naturam tales praeſtare poſſet. Enimuero ſatis patet, gratis heic contradicendi anſam fuiſſe quaeſitam. Nam & nos aſſerimus, Deum ſibi ipſi fuiſſe repugnaturum, ſi creato animali rationali ac ſociali tales actus eidem non iniunxiſſet. Sed id inde conſequi negamus, voluntatem diuinam hinc excludendam, aut actus iſtos denominationem bonitatis moralis non ſortiri a conuenientia cum lege. Abſurdum quoque eſt, hiſce actibus intrinſecam aliquam habitudinem tribuere citra ſuppoſitionem idonei ſubiecti, abs quo iſti actus exerceri debeant. Niſi enim ponas creaturas rationales ac ſociales, hi actus non magis intelligi poſſunt, quam diſcrimina ſonorum remoto ex rerum natura omni auditu. Eoque habitudo illorum non ex intrinſeca & abſtracta a ſubiecto, ſed relatiua ad ſubiectum idoneum, cui & ipſi notio legis ſubeſt. Inde IDEM contendit, *actionum quarundam bonitatem & malitiam non vnice a cuiusquam voluntate, aut libera quadam ſuperioris impoſitione, ſed a neceſſaria iſtarum actionum cum ſubiecta conuenientia vel repugnantia metiendam eſſe.* Sed incaſſum opera heic ponitur, ſi meminiſſe voluiſſet, nos diſtinxiſſe inter impoſitionem, quae a mera & libera voluntate ſuperioris proficiſcitur, & quae conſtructionem & determinationem ab eadem factam conſequitur. Quarum illa in poſitiuis, haec in naturalibus legibus locum habeat. Fatetur deinde, *in ipſo motu potentiae phyſicae, per ſe non ineſſe aliquam moralitatem: humanam* tamen *actionem non ſolius motus phyſici ſpecificatione abſolui, ſed attendendum etiam ad principia actionum, circumſtantias, obiectum;* ſed & illud ſimul monitum, quicquid in actione humana a lege determinatur, id morale eſſe, caetera ad motum phyſicum referri. Fruſtra quoque iactatur, *inprimis habendam rationem obiecti, congruatne illud actioni, an repugnet.* Inde, verbi gratia, *amare Deum, honorare parentes, benefactores & ſuperiores, probare honeſta, vituperare turpia, occidere infeſtum patriae hoſtem, &c. in ſe & ſua natura aequum & honeſtum haberi.* Atqui an aliquod obiectum congruat vel repugnet actioni, id eſt, an motus aliquis Phyſicus recte, nec ne circa aliquod obiectum exerceatur, id intelligi nequit, niſi poſito certo ſubiecto agente; cui an congruat vel non congruat circa certum obiectum aliquem motum exercere, ex ipſius ſubiecti conditione iudicandum fuerit. Sic ſi pronunciare velis, qualis actio ſit *honorare parentes,* neceſſario ponendum eſt certum ſubiectum, nempe homo: poſito autem homine, ponitur quoque lex conditioni naturae ipſius a Creatore aſſignatae congrua. Eoque *τὸ in ſe & ſua natura* heic imperite legi opponitur. Porro IDEM vt probet, etiam citra reſpectum ad legem deprehendi poſſe moralitatem in actionibus humanis, exempli loco adducit quaeſtionem, *an Deus ſit colendus, an contemnendus.* Cuius priorem partem affirmandam dicit, poſteriorem negandam ex ſola conſideratione naturae diuinae, idque *colligi non lege quadam, ſed neceſſaria praedicati cum ſubiecti ſeu actionis Phyſicae cum obiecto congruentia.* Atqui quaeſtio haec moueri, & locum habere nequit, niſi poſita creatura rationali, ex cuius indole facile colligitur, neceſſitatem colendi Numinis lege ipſi iniunctam. Nam an nulla creatura praeter brutam exſiſtente haec quae-

ſtio ſit in cathedris agitanda, vix crediderim. Pariter ineptum eſt, quod additur: *Innocentem laedere, ſuum nemini tribuere, fidem frangere, probos homines maledictis inſectari &c. adeo manifeſtam implicare iniquitatem, vt quamuis nullus eſſet ſenſus legis, nulla veneratio Numinis, nullum ſupplicii periculum, tamen non poſſint non etiam ſceleratiſſimi homines fateri, ſi ad ipſam foeditatem actionum iſtarum attenderent, haud aequum & honeſtum eſſe, vt tali modo ſe erga proximum & aequalem gerant: ſaltem alios, ad quos actio illa non ſpectaret, tale iudicium laturos.* Atqui tales actus dari non poſſent, niſi exſiſterent homines legibus obnoxii. Niſi forte credimus, quaeſtiones de honeſto & turpi multum negotii daturas, ſi praeter bruta nullum animal orbis terrarum caperet. Et vellem ſcire, vtrum, qui ita pronunciant, rationales ac ſociales ſeſe creaturas eſſe praeſupponant, an minus. Si prius, ſane dubitandum non eſt, quin ipſorum iudicium procedat ex animo ſenſu legis naturalis penitus imbuto. Sin poſterius, tunc pari certitudine heic pronunciant, ac ſi homo de meditationibus beſtiae, aut auis, aut piſcis liquidi quid definire praeſumeret. Quin ſi quis aſſumpta tam abſurda hypotheſi de honeſtate actionum humanarum pronunciare inſtituat, perinde feliciter rem expediet, ac ſi ſublata ex rerum natura luce ſuper coloribus diſputare vellet. Ex eiusmodi igitur praemiſſis & hypotheſibus num aliquid contra ſententiam noſtram firmiter concludi queat, & num exinde obligatio aliquid faciendi aut omittendi citra iuſſum ſuperioris & legem demonſtrata ſit, eruditi iudicent. Quae praeterea rationes adferuntur pro hac ſententia, quod *detur aliquid in ſe & ſua natura absque omni reſpectu ad legem, turpe aut honeſtum*, facile deſtrui poſſunt. Dicitur, *quod Dei actiones iuſtae ſint & honeſtae, id non eſſe ex impoſitione & lege ſuperioris.* Enimuero iam antea monitum fuit, quaeſtionem eſſe non de rectitudine actionum diuinarum, ſed de origine moralitatis in actionibus humanis. Additur: *adeo neceſſariam eſſe actuum quorundam ad certa obiecta relationem, & conuenientiam, vt ni ad conueniens ſibi obiectum illi referantur, non poſſit non moralis deformitas oriri; idque non ex lege vel ſuperioris imperio, ſed ex ipſa rerum actionumque ad ſe inuicem habitudine prouenire.* Atqui illa habitudo ex conditione ſubiecti promanat, cui lex ſimul includitur. Sic *cultus Dei* non intelligitur, niſi poſitis creaturis intelligentibus, quas dum tales produxit Deus, ſimul ſui cultum iisdem imperauit; & vt ille cultus in eas cadere poſſet, talem naturam iisdem attribuit. Sic *amare & venerari benefactorem* nemo poteſt, niſi naturam habeat, vt quid & qua de cauſa ab altero in ipſum conferatur, intelligere queat. Aſt qui talem naturam ſortitus eſt, eidem illud ipſum lege iniungitur. Idem de *honore erga parentes, obedientia erga Dominos, ſeruanda fide, non laedendo innocente* & ſimilibus iudicandum. Et ſane poſito ſubiecto idoneo tales actus inhoneſtos pronunciare, aut contrarios hiſce honeſtos, contradictorium foret: non autem exſiſtente ſubiecto idoneo tales quosque actus dari nullo modo poſſunt, eoque de habitudine illarum fruſtra anquiritur, cum nonentis nullae ſint affectiones. Adiungitur: *cum adquiſita notitia honeſti & turpis ducatur ab actuum cum obiecto, circumſtantiisque & principiis collatione, eiusmodi notitiam nullam fore, ni dentur actiones quaedam in ſe & ſua natura tales, quibus absque vllo ad legem*

re-

reſpectu honeſtas inſit. Sed fateor, me non eſſe ita lynceum, vt connexionem huius ratiocinii perſpicere valeam. Vrgetur denique: *Si nihil antecedenter ad legem turpe aut honeſtum ſit, neceſſum eſſe ius imperii, parendique debitum, omnemque adeo legum vim & obligationem tolli. Vanam enim eſſe legem, niſi antecedenter ad legem ponatur in imperante ius imperandi, legesque condendi & in parente obligatio ad componendum actiones ſuas iuxta alterius praeſcriptum. Equidem rationem, cur hoc vel illud agendum ſit, recte reddi hanc: quia lege praecipitur: ſed cur legi & iuſſu ſuperioris parendum ſit, inepte poni rationem; quia id lege praecipitur, cum idem per idem hoc modo probetur. Ergo ſaltem hoc antecedenter ad legem per ſe aequum & honeſtum erit, vt praeſtantiori, eminentiori, & prudentiori benefactori cultum, honorem & obedientiam praeſtemus.* Hoc ratiocinium vim aliquam haberet, ſi praeter humanas leges nullae diuinae darentur; ac ſi nullum eſſet imperium, praeter hominis in hominem. Enimuero quia Deus hominem qualem vellet, creauit, & qua vti conditione deberet, eidem aſſignauit, non opus eſt aliqua ratione a priori, vt oſtendatur quare Creatoris legibus ſit parendum. Nam vt haec ſumma eſſet lex; creatura rationalis legibus Creatoris parere debet, ipſe Creator fecit. In conceptu autem Creatoris, notio praeſtantioris, & eminentioris, & prudentioris, & benefactoris ineſt. Vt autem humanis legibus pareamus, lex diuina imperat. Eſt autem cerebri valde vertiginoſi, aliquem heic *circulum* ſomniare; velut *quando ex nobis quaeratur, cur, verbi gratia, furtum non ſit faciendum, & reſpondeamus, quia in lege eſt vetitum; vbi vlterius vrgeamur, cur quod in lege eſt vetitum, non ſit committendum, nil aliud habeamus, quod reponamus, niſi quia illud lege prohibitum ſit.* Nam quando nos hucusque peruenimus, vt dicamus, aliquid lege diuina interdici, ſtultum credimus quaerere, qua alia lege iſta lex diuina confirmetur. Sed hanc rationem eius interdicti afferimus; quia optimo & ſapientiſſimo Creatori placuit naturam hominis ita formare, vt intermiſſio eiusmodi actus non poſſet non eidem congruere. Et huius rationis rationem vlterius inquirendam non arbitramur.

§. XXXVI. Fridericvm Gesenivm extremo loco reſeruauimus, quippe cui nihil aliud propoſitum, quam calumniandi & conuiciandi artem oſtentare. Cuius hoc palmarium ipſi videtur ſpecimen, quae in alios iacta ſunt conuicia in nos deriuare, vtut ſententiae vtrinque toto coelo differant. Sic cum Hobbesivs dixiſſet: *Nullam eſſe communem regulam boni & mali a natura obiectorum petendam, verum a perſona, vbi reſpublica non eſt, vel in republica a magiſtratu.* Hanc aſſertionem licet ego confutauerim, eidem tamen ſimile iſte dicit, quod origo moralitatis in actionibus humanis ad impoſitionem, determinationem, & iuſſum Dei a me reuocata ſit. Igitur iam ex ratiocinio Garlaeano aequipollent hae propoſitiones: Nulla eſt regula boni & mali omnibus hominibus communis, &, Deus eſt auctor & lator legis naturae. Prior Theſis Hobbesii eſt, poſterior mea. Etſi mox cum totum meum locum adduxiſſet, fateatur, ſi quis *caute & cum cura* explicationem meam legerit, videre eum poſſe, ad impoſitionem legis diuinae originem honeſtatis & turpitudinis a me reuocari. Et nihilominus nimium cautus Vigil metuit, ne ex ea locutio-

ne

ne vulgus credat, honeſtatem & turpitudinem illam eſſe ex impoſitione hominum, citra fundamentum in re. Atqui ego doctis ſcripſi; odi profanum vulgus & arceo; & quo doctior obtingat lector, eo aequius ab ipſo iudicium mihi polliceor. Illud autem valde flagitioſum duco, iudicium de aliquo ſcripto ferre velle, niſi idem prius caute & cum cura lectum fuerit. Et cum expreſſiſſimis verbis a me legis diuinae & Dei mentio facta ſit, quomodo metuere potui: ne quis eum locum de lege & impoſitione humana caperet? Inde *peſſimas conſequentias*, prout ipſe vocat, nectere inſtituit; quarum haec inſtar omnium eſſe poteſt: Si actiones humanae honeſtatis aut turpitudinis notionem ſortiuntur ex conuenientia aut diſconuenientia cum lege diuina, & ex Dei legiſlatoris definitione, determinatione, impoſitione & iuſſu; ſique legis naturalis praecepta inter homines inuicem exercenda in ſocialitatem reſoluuntur: Ergo *vnica tantum virtus erit, quae malitia dicenda.* Antecedens meum eſt, ex quo tam lepidum conſequens deducit bonus noſter Praeſul. Num huic bipedi definitionem animalis rationalis accommodabimus? Idem deinde me cum CARAMVELE ſentire ſcribit, quo conuicia, quibus iſte adſperſus eſt, in me iactare queat. CARAMVELIS Theſis prout a GESENIO refertur, haec eſt: *Multa praecepto diuino reperiri interdicta, quae praeciſa a praecepto debeant dici indifferentia.* (Si de iis, quae lege poſitiua vetantur, ſermo eſt, theſis haecce nullam reprehenſionem meretur.) *Peccatorum contranaturalium vnumquodque ſecluſa Dei interdictione nunquam fore malum.* (Hanc theſin contradictionem implicare ego arbitror.) Mox adducitur mea theſis, huic, ſi diis placet, ſimilis: *Actiones hominum antecedenter ad legem, ſeu abſtrahendo ab omni lege, ſunt indifferenter, neque bonae, neque malae.* Debuerat etiam non omiſiſſe GESENIVS haec verba: *prout ſunt nudi motus facultatis alicuius Phyſicae, ſeu eius negatio.* Audiamus aliud ratiocinium Garlaeanum. Cum communis ſit omni naturae rationali iuſtitia Deo, Angelo & homini, non erit moralitas in actionibus humanis ex impoſitione Dei; quia abſurdum foret dictu, iuſtitiam Dei habere eſſentiae ſuae rationem a placito, voluntate, & impoſitione diuina. Enimuero diuerſiſſimae eſt indolis iuſtitia diuina a iuſtitia humana; quippe cum illa eſſentialis ſit, haec nequaquam. Eoque non ſequitur: iuſtitia in actionibus diuinis non oritur ex impoſitione & iuſſu Dei, ſed ex eſſentiali huius perfectione: Ergo iuſtitia humana non habet eſſentiae ſuae rationem a placito, voluntate & impoſitione diuina. Sicuti nec hoc ſequitur: Dei & hominis actiones rectae in multis conueniunt, ſeu Deus in multis eodem modo erga creaturas ſe gerit, quo homines aduerſus ſe inuicem gerere debent; ergo ex eodem principio vtriusque actiones promanant. Quae ſupra iam dicta ſunt, repetere nihil attinet. Neque arbitror, quenquam deinceps fore tam *Helleboroſum*, (quae VELTHEMII dictio eſt) qui ex eo, quod ego voluntatem Dei a conſtitutione legis naturalis non magis quam a creatione excludendam contendi, concluſurus ſit iuxta regulas Analytices Garlaeanae; me hoc ipſo omne ius naturale funditus euertere aut veterem Carneadis errorem recoquere. Cum nec diuinis literis infrequens ſit, vt ſecundum voluntatem & beneplacitum Dei, & ſecundum legem facere aequipolleant. Add. quoque Pſal. CXV, 3. Epheſ. I, 11. Apocal. IV, 11.

CAP.

* *

CAPVT VI.

DE EXAMINE DOCTRINARVM.

§. I.

CVM L. VII. c. 4. partes ſummi Imperii ciuiles diſtincte explicarem, inter has quoque tanquam partem ſumme neceſſariam, magnique vſus & ponderis referebam examen doctrinarum, quae in ciuitate traduntur. Cum enim homines pleraſque ſuas actiones ex propriis opinionibus regant, & ſi qua publicae leges ab hiſce diuerſae abire videantur, muſſitantes pareant, omnesque vias tentent obſequium detrectandi, aut leges quique has ſua auctoritate tuentur ſubuertendi: inde patet, quantum periculi ciuitatibus, eorumque rectoribus immineat, ſi per doctrinas in publicam ſparſas eiusmodi opinionibus animi ciuium imbuantur, quae cum vſu & fine ciuitatum, (quem ſemper rectum legique naturae conuenientem praeſupponimus; & nihil nobis negotii cum corruptelis rerumpublicarum prauisque dominantium artibus proteſtamur,) repugnant. Eoque concluſimus, *expedire, vt publice ciuitas eiusmodi doctrinis velut perſonet, quae cum fine & vſu ciuitatum congruunt, ſimulque animi ciuium a puero iſtis imbuantur.* Cum autem mihi propoſitum non eſſet, vniuerſam hanc materiam, imprimis de poteſtate ſummorum imperantium circa ſacra Chriſtiana plene exſequi, quod illud a Scopo operis, vtpote a quauis religione peculiari abſtrahentis, alienum videretur; igitur ſufficiebat mihi, propoſuiſſe diſtinctionem inter dogmata, quae non ſua natura, ſed tantum propter intemperiem hominum turbas excitare poſſunt, & inter illa, quae ſua natura animos hominum ad turbandas ciuitates diſponunt. Circa priora dixi impediri quidem non poſſe, quo minus diſſenſiones oriantur; attamen ne turbent pacem publicam per ſummum imperium effici poſſe, poena in conuiciatores & vitilitigatores ſtatuta. Verum talia dogmata, quae *ſiue ſub ſpecie religionis ſiue alio modo obtrudantur, ius naturale & principia ſanae Politicae conuellunt, adeoque exitiabiles morbos in ciuitate producere apta ſunt*, a ſummo imperio ciuili ad examen reuocanda, & e ciuitate plane proſcribenda ſtatuo. Ex hac igitur doctrina tam ſalutari ac neceſſaria, grandem mihi calumniam impingendi anſam arripiebat IOSVA SCHWARZIVS, quam & poſtea ipſius focius NICOLAVS BECKMANNVS impudentiſſime crocitabat, velut a me traditum fuiſſet; religionem ſtatui Reipublicae eſſe accommodandam, & pro inſtrumento huius habendam. Videbatur autem iſthaec calumnia ſcopo ipſorum cumprimis idonea, quod & quam maxime valeret ad irritandos Sacerdotum animos, quos ſui in me furoris miniſtros fore ſperabant; & quod eadem Machiauello ſoleret tribui; quod nomen tantopere vulgo inuiſum eſt. Et obſeruanda eſt hoc loco

Digitized by Google

deteſtabilis vel ſocordia vel malitia Schwarzii, qui, vt calumniae ſuae fucum allineret, ita articulum ſuum formauit: *Statuit, ciuitatem eiusmodi doctrina perſonare debere, quae cum fine & vſu ciuitatum congruat; explicatque hoc ipſum non tantum de ſcientia humana, ſed etiam ea, quae eſt circa cultum Dei.* Aſt ſi cui in animo ſit, candorem iſtius loliginis cognoſcere, inſpiciat modo l c.p.910. Vbi poſtquam ſcripſeram, expedire, vt ciuitas doctrinis perſonet cum fine & vſu ciuitatum congruentibus, ſubiungo: *Equidem nullum fere datur dogma, neque circa cultum Dei, neque circa ſcientias humanas, vnde diſſenſiones, diſcordiae, conuicia, & demum bella oriri non poſſint;* idque fieri dico, *non propter dogmatum falſitatem, ſed propter intemperiem & ambitionem humani ingenii.* Quem locum his verbis claudo: *Verum de hiſce dogmatibus proprie ſermo non eſt.* Igitur expreſſis verbis nego, me de religione agere, ſed tantum de falſis dogmatibus ethicis & politicis, quae *ſub ſpecie religionis* alicubi obtruduntur. Et tamen nullus pudor eſt iſti homini mendacia ſpargere, quae deprehendere poteſt, quisquis legere nouit. Occinit tamen nobis bonus iſte vir dictum Matthaei X, 34. 35. quod vtique ex religione Chriſtiana dicantur prouentura diſſidia etiam inter coniunctiſſimos, quam tamen eo nomine e ciuitate proſcribendam nemo dixerit. Verum neſcio, an magis in Doctore Theologo deſpuenda ſit plusquam puerilis ruditas, quod indoli doctrinae tribuat effectum, qui ex peruerſitate hominum oriebatur, ſanctiſſimam doctrinam veſano odio proſequentium; an blaſphemiae ſimilis contumelia religioni Chriſtianae impacta, quaſi illa fini & vſui ciuitatum repugnaret, aut ad turbas generandas apta nata eſſet. Quo ſane nihil malitioſius aut impudentius vnquam inter antiquas illas perſecutiones religioni Chriſtianae obiectum fuit. Obiter quoque addamus aliud exemplum, in quo ſingularem ſuam felicitatem circa interpretandas diuinas Scripturas Doctor iſte oſtentauit. Nuper enim elapſo die 29. Octobr. anni 1676. cum per quatuor menſes ſuggeſtu abſtinuiſſet, receptus ea die Dominica textus ex Matth. XXII, 15. ſeqq. ipſi idoneus cumprimis videbatur, expromendo in Regiam Maieſtatem Sueciae, qualem ter repetitum iuramentum requirebat animo, ſimulque vt de fide & obſequio Principibus legitimis debito auditores ſuos inſtrueret. Eaque occaſione ex textu arrepta, non ſine affectata verborum grauitate auditores informabat, vtri ex Regibus circa Scaniam pugnantibus tanquam legitimo ſuo Domino & velut ex praecepto diuino obſequium adprobare deberent. Cui fini locus Roman. XII, 1. ad Regem Daniae adplicabatur, qui vtique poteſtatem in ipſos haberet, occupatis huius prouinciae oppidis portibusque, & Malmogia obſidione cincta. Nimirum, quia ſi diis placet, ſtatim legitimus noſter Magiſtratus ſit, qui hoſtis in terras noſtras irrumpit, aut quia inter vim hoſtilem, & poteſtatem legitimam nihil intereſt, aut quia ſtatim facta inuaſione ſubditorum fides ſoluitur erga Regem ſuum, quam maxime circa ſua vindicanda ſatagentem. Vbi ſcire velim, ſi quis iſti homini crimen perduellionis & perfidiae obiicere velit, num eo ipſo Chriſtianos Domini tetigiſſe cenſendus ſit; quo elogio ipſum, ſociosque inuiolabiles pronunciabat Gesenivs, quam maxime circa me calumniis & mendaciis onerandum laborantes.

§. II.

§. II. Isthaec omnia cum late deducta ſint tum in Apologia mea, tum peculiari Diſſertatione de *Concordia Religionis Chriſtianae*, (primaeuae illius, & ab erroribus atque aſſumentis humanis repurgatae) *cum vera politica;* tamen adiungere placet *peſſimas* quasdam *conſequentias* Gesenii, vt adpareat, quousque malitia & veſania hominum progredi poſſit. Ex quibus haec eſt inſtar omnium: Quia Hobbeſius, dum Euangelium Chriſti vna cum religione a ciuilis poteſtatis auctoritate ſuſpendit, iudicatur omnem religionem euertere; igitur & ego, dum falſa dogmata politica, ſub ſpecie religionis obtrudi ſolita, proſcribenda iudico, quae turbarum & ſeditionum ſemina continent, & ad euertendum imperium ciuile tendunt, veram religionem deſtructum eo. Pari ſcilicet modo atque frumentum it deſtructum, qui paleas ab eo ſeparare inſtituit. Allatrat quoque iſte bipes hanc meam aſſertionem: *Religio quatenus ad diſciplinam iuris naturalis pertinet, intra ſphaeram huius vitae terminatur.* Id eſt, in diſciplina, quae & ſola ratione, prout ea nunc ſeſe habet, extructa eſt, de religione non vlterius tractari poteſt, quam quatenus homines per eandem ad vitam hancce honeſte exigendam diſponuntur. Sed quatenus per ipſam ſalus animarum paratur, alterius diſciplinae eſt diſpicere. Sane in patria mea ruſticorum pueri docentur, quod extra Chriſtum nulla ſit ſalus. Iam autem de Chriſto non ius naturale, ſed Theologia docet. Num igitur Gesenivs hoc vult, vt ius naturale viam ſalutis aeternae tradat? Aut num ipſi probantur, quae Velthemivs in Epitome Philoſophiae Moralis, qua auditorum ſuorum calamos non ita pridem fatigauit, *quaeſtione prima* habet? *Vtrum finis Philoſophiae Moralis ſalus & beatitudo ſit aeterna.* Super qua cap. 1. §. 8. ita cenſet: *Finis vltimus Philoſophiae Moralis ſalus & beatitudo eſt aeterna: intermedii vero conſeruatio Legum Naturae, & ſanctimonia vitae, quae Legibus Naturae conformetur. Siue potius accuratae philoſophando* (nam ſane antegreſſa eius Philoſophia ſat craſſa fuerat,) *finis huius Philoſophiae adaequatus conſeruatio Legum Naturae, & ſtatus iſtius, in quo rectae rationis noſtrae, legumque naturae auctori homo non poteſt diſplicere, quantum a ſtudio profectae honeſtatis, hoc eſt, pietatis, probitatis & iuſtitiae exercitio pendet.* Et §. 6 dicto loco pergit: *Finis vltimus Theologiae Moralis idem eſt, qui Philoſophiae Moralis, nempe ſalus & beatitudo aeterna.* Ebr. XII, 14. Roman. VIII, 13. Marc. XIII, 13. Enimuero aut me omnia fallunt, aut ab incolis valde deſertum erit coelum, quo illi recipiuntur, qui per Velthemii Philoſophiam moralem ſaluantur. Non dubium ergo eſt, quin ipſe Gesenivs peſſimam hanc conſequentiam ſuam ſit vocaturus: Quia ego nego, ex iure naturali, prout id nunc ſeſe habet, ſalutem aeternam adquiri: Ergo nego eandem adquiri, per veram religionem ex diuinis literis hauſtam; Perinde ac ſi dicerem; rana non poteſt volare; ergo nec ciconia. Non multo melior eſt haec eiusdem argumentatio: Quia expedit ciuitati, vt ipſa perſonet doctrinis, quae cum vſu & fine ciuitatum congruunt, id eſt, vt bona ethica & politica publice doceantur: Ergo expedit ciuitatem perſonare religione Muhamedana, & gentili Chinenſium. Sane ego vti aſſerui, doctrinam, quae ſua natura ciuitatem perturbat, eadem eſſe eiiciendam: ita nunquam vice verſa dixi, quaecunque doctrina ciuitatem ſua natura non perturbat, ea omni-

no eſt recipienda; cum religio eſſe poſſit ſaluti animarum exitiabilis, cui tamen nulla praua dogmata politica ſunt admixta. Multo minus, qui dicit falſam politicam in ciuitate non eſſe docendam, is negat, veram religionem ibidem docendam. Sicuti qui dicit, Praeſulem Garlaeanum non debere inſulſis & maledicis libellis nauſeam ſeculi laceſſere; is non negat, eundem cereuiſiae coctoribus concionari debere. Similis farinae eſt haec GESENII argumentatio: Quia iam nemo per religionem naturalem ſaluatur: Ergo auctoritas religionis Chriſtianae non dependet a Deo. Per eiusmodi igitur conſequentias cum viam ſibi quaerat GESENIVS atrociſſima quaeque conuitia in me ſpargendi, penes lectores eſt diſcernere, vtrum homo iſte coeco quodam mentis ſtupore, an infinita malitia laboret. Me ſane ſiue bona fide GESENIVS deliret, ſiue furorem ſimulet, eius maledicta non tangunt; cum quo animi morbo alii infeſtentur, praeſtare meum non ſit.

§. III. RESTAT denique, vt verbo tangamus eam controuerſiam; num in Republica Chriſtiana detur alia doctrinarum ex lumine rationis promanantium cenſura, eminentior & ſanctior illa: quae ſummis imperantibus ciuilibus, quos & ipſos Chriſtianos praeſupponimus, competit? Quam quidem quaeſtionem ego contradictionem implicare cenſeo, & quod diuerſa aſſertio grauia incommoda in republica producere apta ſit. Affirmatiua tamen videtur placere IOSVAE SCHWARZIO, ſociisque, quam & concionabundus adſtruit FRIDERICVS GESENIVS. Quorum ille quidem colorem inde petit excuſandae temeritati, aut potius ſceleri ſuo, quod modo tam importuno & praepoſtero cenſuram ferre inſtituit in librum a Regia Maieſtate per eos, quibus id muneris competit, reuiſum & adprobatum. Quod auſum ſuum tanta peruicacia perſecutus eſt, vt quanquam repetitis vicibus ipſi graui ſub comminatione iniunctum eſſet ſilentium, & vt nullo modo me laceſſeret, ipſe *Index Nouitatum*, dignus tam illuſtri ingenio foetus, publice per carnificem in foro oppidi Lundenſis crematus eſſet; tamen praeter calumnias, quibus perpetuo imperitorum aures animosque opplere laborauit, & cathedra ſacra ad euomendum ſuum in me virus abuti, publicis Diſputationibus me laceſſere non eſt veritus. GESENIVS autem id factum inſigniter commendat, velut hic *Atlas*, qui dudum ferendo coelo defeſſus eſt, iam tantorum virorum humeris innixus placide adquieſcat. Enimuero id quidem certum eſt, poſt tam foedum ſpecimen cenſuram librorum in hoc regno SCHWARZIO haud quidquam deferendam. Quod ſi autem in publicum prodeat, qui rationibus iſtam praetenſionem ſtabilire aggrediatur, non deerunt, qui iura ſummorum imperantium ſunt vindicaturi. *Ite domum ſaturae, venit Heſperus, ite capellae.*

SAMVE-

* *

SAMVELIS PVFENDORFII
SPICILEGIVM
CONTROVERSIARVM,
CIRCA IVS NATVRAE
IPSI MOTARVM.

QVANQVAM ſpes fuerat, poſt editum *Controuerſiarum Specimen* tandem aliquando liberum mihi fore moleſtiſſima ſcriptione ſuperſedere, cuius neceſſitatem initio mihi maleuolorum improbitas, & inde vitilitigatorum quorundam pro aſſerendis ſuis naeniis importunitas impoſuerat: haud tamen adparet, qua ratione hoc ſaltem ſcripti commode defugere queam, per quod vltimus aduerſae partis conatus eſt deſtruendus. Video enim poſt conciſos calumniarum exercitus, vnum aut alterum cauillationum manipulum adhuc frontem obuertere, tum praecipue Sereniſſimam ac Potentiſſimam Reginam Metaphyſicam, velut fidum barbariei tutelare Numen auxilio vocatam, par diſtinctionum puluere hautquidquam decoro ſordidarum ſubmiſiſſe, quae feroculae toto late campo volitant, veluti ſolae telis ſuis in acicularum ſubtilitatem attenuatis bellum confecturae. Quas quidem facile opaca nube tectas magnum per inane circumuolitantes ferre poteram; ni ſubſidentem in inſidiis animaduerterem ſicariorum manipulum, infamibus telis inſtructum. Id enim iam egregium, ac ſi diis placet, Theologicum facinus habetur, viros orthodoxos, probataeque vitae deterrimarum haereſium, ipſiusque adeo atheiſmi conuitio adſpergere, occaſione quaeſtionum Philoſophicarum, quas ſalua S. Scripturae auctoritate ex ſolo rationis lumine ventilare ſe profitentur, & quidem antequam ad liquidum fuerit deductum, quid proprie in controuerſia ſit. Id quod plane per ſilentium digeri non poteſt. Equidem ſi ſolum eruditionis aut ingenii certamen ageretur, facile probarem eorum ſententiam, qui non cuilibet contradicendi & cauillandi prurigine laboranti officium ſcabendi praeſtandum cenſent, praeſertim cum tempus noſtrum publico ac longe nobiliori labori debeatur. Enimuero cum maleuoli non id ſolum egerint, vt fructu & adplauſu induſtriae meae priuarer, quod conſcientia rectae voluntatis ſubnixo vile damnum erat: ſed & me velut auctorem ac propagatorem impiorum & noxiorum dogmatum, adhibito omni calumniarum arte, differrent: nimirum inter ſanctiſſima officia eſt, maleferiatorum hominum conatus euertere. Nam eruditione aut ingenio vt pollere credamur, an minus, parum intereſt. Sed ne peſtilentes opiniones fouere,

aut in publicum ſpargere videamur, vsque adeo intereſt, & magnum ſcrimen ſit eiusmodi criminationem abs ſe non depuliſſe; & eiusmodi calumniis fidem adſtruat, qui non refellit. Demus igitur & haſce horas tuendae noſtrae exiſtimationi, nec viui ac videntes iſtam liuoris importunitatem feramus. Veniam tamen facile dabunt, qui labores noſtros norunt, quod carptim tantum & breviter, quae ab vno aut altero adhuc obiiciuntur, refellam. Nam nugis deſtruendis vlterius, quam neceſſum eſt, inſudare, idipſum quoque nugari eſt.

* *

CAPVT I.

QVO RESPONDETVR AD EA, QVAE A DN. ZENTGRAVIO OBIICIVNTVR.

§. I.

PRIMO autem loco excutiemus ea, quae Dn. Io. IOACHIMVS ZENTGRAVIVS, Profeſſor Argentoratenſis mouet in *Diſquiſitione de Origine, Veritate & immutabili rectitudine Iuris Naturalis ſecundum diſciplinam Chriſtianorum, ad Gentilium tamen captum inſtituta.* Quae ipſa inſcriptio, inſidioſi quid redolens, citra animaduerſionem praeteriri non debet. Cum enim mihi propoſitum fuerit, ius naturale adaptare ad captum omnium hominum, abſtrahendo quam peculiarem religionem foueant; (nam agnitionem & cultum Numinis in vniuerſum id Ius praeſupponit, & cum eo ſtat, caditque) conſequens erat, ſequeſtrari quasdam ſententias nonnullorum e Chriſtianis Doctorum quatenus extra communem rationem, & conſenſum generis humani cadunt, vt adeo omnis diſceptatio quaeſtionum circa ius naturale ab auctoritate certorum hominum, ad ſanam rationem vnice reuocetur. Aſt ZENTGRAVIVS vt Scholaſticorum, & qui ſputa horum lingunt, ſententias ſanctitatis quadam ſpecie adornaret, titulum hunc commentus eſt, velut abs ſe tradita ex diſciplina Chriſtianorum promanarent; quae cum etiam circa haecce ad captum Gentilium quadrent, dubitandum non ſit, quin eadem reliquis omnibus praeferri debeant. Enimuero ego quidem circa Ius naturale ad diſciplinam Chriſtianorum adaptandum operam fruſtra ſumi arbitror, quanquam id a quibusdam propoſitum meminerim, & IOANNIS SELDENI inſtitutum ZENTGRAVIO prae oculis fuiſſe videatur, qui ad diſciplinam Ebraeorum id ius traditum fuit. Nam quod Ius naturae & gentium Ebraicum ab vniuerſali illo, & ad captum omnium gentium formato in non paucis differt, ratio praecipua videtur, quod Ebraei circa fruitionem iuris communis diſcrimen facerent inter eos, qui

qui Iudaei, aut horum religioni forent addicti, & ex aliis gentibus oriundos, aliaque ſacra profeſſos. Ad hunc quippe fontem pleraque referri videntur poſſe, quae iſta Ebraeorum diſciplina peculiaria habet. Aſt Chriſtiana religio id diſcrimen ignorat, per quam etiam praerogatiua illa nationis Iudaicae prae Gentilibus eſt ſublata, ac nulli nationi prae altera, praecipui quid tam circa gratiam a Chriſto partam, quam fruitionem iuris communis tributum. Neque ſane in libris Noui Foederis praecepta Iuris Naturalis alterata, laxata aut reſtricta deprehenduntur. Eoque ſi quis ex iſtis libris praecepta & officia iuris naturalis colligere velit, quatenus eadem etiam ad captum rationis, & vniuerſi generis humani ſunt, nihil inueniet, quod peculiarem diſciplinam deſideret. Equidem iubemur praecepto Apoſtoli beneficentiam exercere aduerſus omnes, ſed maxime aduerſus conſortes fidei. Hoc ipſo tamen nihil detrahitur officio, quod omnibus hominibus, vt talibus, citra reſpectum peculiarium ſacrorum exhibendum lege naturali eſt; cui non repugnat, ex certa ac peculiari ſocietate ac coniunctione certum officii gradum conſtitui, vniuerſali officio caeteris paribus praeualiturum. Quae autem in religione Chriſtiana traduntur de cauſis ad obſequium legi naturali praeſtandum impellentibus, & de huius effectu circa ſalutem aeternam animae, ad Theologiam pertinent, eoque ipſo, vt & omnia, quae captum communis rationis tranſcendunt, ab vniuerſalis iuris diſciplina excluduntur. Praeterea ſi quis ſub obtentu diſciplinae Chriſtianorum aliquod dogma venditare velit, ei ex Diuinis Scripturis id fuerit adſtruendum, aut ſaltem oſtendendum, omnes Chriſtianos, aut maiorem & ſaniorem horum partem conſtanter & continuo ita ſenſiſſe, & praxi expreſſiſſe. Aſt ſane ZENTGRAVII ſcripto SVAREZ, VASQVEZ, BONACINA, ESCOBAR, PHILIPPVS A TRINITATE, PETRVS A S. IOSEPHO, DVRANDVS A S. PORCIANO, & id genus Sophiſtae vtramque paginam faciunt. Quorum nugis immori ſi dulce ſibi iudicat ZENTGRAVIVS, caueat tamen dignationem Chriſtiani nominis tanta contumelia adſpergere, vt iſtorum quisquilias venerabili vocabulo diſciplinae Chriſtianorum venditare velit.

§. II. PRAECIPVA controuerſia eſt *de Origine moralitatis*, ipſiusque legis naturalis, abs qua nos voluntatem Dei hautquidquam excludendam, ſed illam ad hanc conſequenter ſe habere contendimus. Vbi id initio probe obſeruandum, quid circa hanc quaeſtionem Dn. ZENTGRAVIVS nobis concedat; quid deinceps & quibus de cauſis, quoue rationum adparatu oppugnet. Ac inprimis conſideratione digna ſunt haec iſtius verba: *Cauſa, quare diuinam voluntatem moralitatis principium eſſe contendunt*, (ego & alii) *eſt, quia ſemper conſiderant hominem in ordine ad exſiſtentiam, quatenus dependens & quid ex conſtitutione Creatoris ſit; cum nos eundem abſolute ratione eſſentiae ſuae praeciſo iſto reſpectu in hac inueſtigatione conſiderandum eſſe, & conſiderari poſſe, prout prima Philoſophia docet, exiſtimemus.* Agnoſcit igitur Noſter, nihil a me falſi circa hanc quaeſtionem afferi; ſed ea tradi, quae rerum naturae, prout a Creatore actu ipſo conſtituta exſiſtit, congruunt. Cuius autem tradita cum exſiſtentia rerum congruunt, non ſolum vera ſunt, ſed & euidenti, ſolido atque immutabili fundamento innituntur. Neque vero alia ratione hominem conſiderat Theolo-

Theologia, quam prout actu in rerum natura a Creatore conſtitutus eſt, quem etiam quoad exſiſtentiam ſuam ad ſalutem aeternam perducere laborat, de eſſentia quâtenus ab exſiſtentia preſcindit parum ſolicita. Et tamen nunquam auditum fuit, Theologis eo nomine dicam eiusmodi fuiſſe ſcriptam, qualem mihi ab initio Aſinius Tenebrio, & alii eius exemplo impactum iuere. Sic & illud fatetur ZENTGRAVIVS, aliique, legem naturalem referre ſuam originem ad diuinam voluntatem, quatenus lex eſt, & vim obligandi habet; cum lex iuſſum ſit, iubere autem aperte voluntatis actum notet. Vnde contendit quidem; *data hypotheſi, non eſſe Deum, ea quae congrua ſunt rationali & ſociali hominis naturae, talia fore, quia eſſentiae rerum ſint immutabiles.* Agnoſcit tamen, *eaedem leges non fore, quod lex ſit iuſſum Superioris.* Et alibi: *Quae lex naturalis iubet, non libero demum Dei arbitrio bona facta fuerunt,* (agnoſce detorſionem noſtrae dictionis ac ſententiae;) *ſed antecedenter ad legis huius latoris voluntatem ſe habent; non tamen hoc ipſo lege tenebitur homo ad ea facienda, aut turpia per ſe vitanda. Quia aliud eſt decere, aliud eſt lege praecipi.* Quanto commentorum inanium adparatu opus eſt, vt Aſinii calumniae qualiscunque color circumponatur.

§. III. CVM igitur nobis concedatur, quod moralitas quoad exſiſtentiam hominis, & lex naturae vt talis conſiderata, ad voluntatem Diuinam conſequenter ſe habeant, cur nobis heic ſubſiſtere non licet? Nimirum, quia id vetat *Philoſophia prima,* illa diuinae humanaeque ſapientiae arbitra, quae myſtas ſuos magnum inane ingredi, hominemque conſiderare iubet ratione eſſentiae, praeciſo exſiſtentiae reſpectu. Quo conſiderandi modo moralitas, vt & lex naturalis, prout ſpectatur non vt praeceptum, ſed vt *veritas* antecedenter ſe ad voluntatem diuinam habebit. Habet autem par hoc diſtinctionum ex intimis nugarum receſſibus depromptum, id efficaciae, vt non ſolum voluntatem Dei in ordinem redigere, & velut erroris aut prauitatis ſuſpectam poſt formas rerum collocare queat; ſed & dogmata ſua naturae rerum adaptantes impune & citra vllam impudentiae, improbitatis aut furoris notam Pelagianiſmi aut Atheiſmi conuicio adſpergere. Vbi primo noſſe velim, quid neceſſitatis ſubſit, vt non ſufficiat nobis, hominem & quamuis rem aliam quoad exſiſtentiam conſideraſſe, cum Deus, primum & perfectiſſimum ens, non poſſit & debeat conſiderari, quoad eſſentiam, praeciſa exſiſtentia. Et ſane etiam abſque conſideratione iſta eſſentiae citra exſiſtentiam licebit diſtinguere ea, quae alicui rei in vniuerſum & perpetuo inſunt, ab iis, quae certis duntaxat indiuiduis, aut non perpetuo ineſſe deprehenduntur, vtut ſemper res velut exſiſtens oculis obuerſetur. Quem enim alium vſum ea praeciſio aut abſtractio habeat, perſpicere non poſſum. Deinde cum eſſentiae illae ab exſiſtentia praeciſae nihil ſint aliud, quam conceptus rerum inadaequati, ſubſtantiam ſuam ex cerebellis Sophiſtarum ſortiti; quare, cum moralitas homine quoad exſiſtentiam adeoque conceptum adaequatum conſiderato conſequenter ad voluntatem diuinam ſe habere concedatur, illa antecedenter ſeſe ad eandem habere fingitur, ſi homo inadaequate & praeciſa exſiſtentia conſideretur? Aut quomodo diuerſus concipiendi modus tantam diuerſitatem circa influxum Creatoris producere queat?

Igitur

Igitur abſtrahamus, quantum velimus, praeſcindamus, concipiamus, modo fixum id ſedeat, vti omnes res creatae a diuina voluntate exſiſtentiam, ita & eſſentiam; vti materiam, ita & formam; vti quod ſunt, ita & quod tales ſunt habere. Cum enim Deus ſit bonitas infinita, non potuit ab alia ratione boni impelli ad optimum quodque faciendum. Et cum Deus ſit ens infinitum, aeternum, incomprehenſibile, omnis boni auctor, & a quo omnia dependentiam habent, in eius conceptu errant, qui aliquid putant eſſe poſſe independenter ab eius voluntate.

§. IV. Eodem modo inanis eſt diſtinctio illa legis naturalis, vt eſt *praeceptum*, & vt eſt *veritas*, velut illo reſpectu iſta abs voluntate diuina dependeat, non autem hocce. Veritas quippe eſt aliquid ordine poſterius exſiſtentia. Prius enim concipitur aliquid exſiſtere; aut poſſe exſiſtere: poſterius veritas, quae ex congruentia intellectus cum iſta re, prout exſiſtit & reuera ſe habet, reſultat. Vnde nulla plane re exſiſtente nulla quoque circa res exſiſtit veritas; re intra potentiam haerente, veritas quoque parem indolem gerit. Praeterea ſi a voluntate Dei prouenit lex naturalis, vt eſt lex ſeu praeceptum, verbi gratia, ſi ita exprimitur, adulterium eſt omittendum; etiam proueniet eadem a voluntate diuina, ſi concipiatur, vt veritas; verbi gratia, adulterium eſt turpe, adulterium aduerſatur naturae hominis ſociali. Hae quippe propoſitiones in effectu aequipollent; cum etiam poſterior, quae affectionem aut effectum actionis vetitae exprimit, praeceptum ſimul inſinuet: & prior dum praecipit, praecepti quoque rationem complectatur. Add. Richardvs Cvmberland de Legibus naturae, c. 4. § 1.

§. V. Qvanqvam autem haec ſufficere poterant ad oſtendendum, voluntatem diuinam a deſignandis rerum eſſentiis & veritatibus excludendam non eſſe: placet tamen ſtrictim percurrere, quae dicto tractatu Dn. Zentgravivs molitur, qui omnes theſauros illius ſapientiae, quae tam parum voluntati diuinae defert, exhauſiſſe videtur. In *Prooemio* igitur pronunciat, *duo in honeſtate actionum ſpectari, LEGALE & MORALE, illud* legem Dei aeternam conſequitur: *hoc vero, quare ſcilicet alii actus praeciſa voluntate diuina, vel antecedenter ad eandem, vel ſub hypotheſi, ſi non datur Deus, vti ob illos, quibus ſic ſtatum controuerſiae formare placuit, loqui cogimur, in ſe boni vel mali ſint, conſurgere iudicamus ex concurſu principiorum illorum, quae ex ſe dant eſſe morale, & citra mentis operationem illud dare cenſentur, prout vel conuenienti vel inconuenienti quadam ratione, quae in ſe talis, obiecto accidunt: vel inter ſe connectuntur*. Heic adparet, inepte, & non niſi ad ſaluandam abſurdam theſin diſcrimen inter *morale* & *legale* in honeſtate actionum fingi. Mirum quoque, quis virum orthodoxum *coëgerit* laborare circa adſtruendam originem honeſti, a Dei voluntate non dependentis, ob impiam & abſurdam Scholaſticorum hypotheſin, *ſi Deus non datur*. An eo iam res rediit, vt *cogamur*, ſtolide philoſophari, quia Sophiſtis illis ita *placuit?* Quando praeſtiterat, iſtam hypotheſin plane damnare & proſcribere, ac improbam iuxta & ſtolidam curioſitatem ducere, anxie inquirere de conditione creaturarum ſublato Creatore, de indole

effectus ſublata cauſa. Aut cur non potius deformant nobis conditionem generis humani ſub illa hypotheſi, *ſi non datur homo?* poſtquam illuſtria iſta ingenia non ſatis habent ea inquiſiuiſſe, quae reuera ſunt, ni ſimul circa fingendas aut adſtruendas impoſſibiles hypotheſes ſatagerent. Denique *concurſus* ille *principiorum, quae ex ſe dant eſſe morale*, ſi Dei voluntate conſtitutus dicitur, noſtra ſententia propugnatur; ſi aliunde ortus feratur, oſtendatur eius origo; ſi denique a ſeipſo|citra concurſum Dei aut alterius cauſae extitiſſe ſtatuatur, iam etiam, ſi Diis placet, credemus, hunc mundum ex concurſu fortuito atomorum in tantam pulchritudinem ſurrexiſſe. Abſtrahere equidem & praeſcindere in Philoſophia licet, ſeu ex pluribus natura coniunctis vnum conſiderare, non conſideratis reliquis; non tamen, vt praeciſo antecedente conſequens ab hoc naturaliter dependens etiam citra idem ſubſiſtere fingas; ſeu vt negata cauſa effectum nihilominus ſuſtinere velis. In illis porro verbis, quae dicto loco, ſequuntur; *honeſtatem atque turpitudinem nonnullis actibus per ſe citra ſuperioris alicuius libere ita determinantis arbitrium ineſſe cenſemus;* fraus, quae vocabulo *libere* ſubeſt, notanda; qua imperitis adoleſcentibus fucus obiicitur, velut quiſp am ſtatueret, ex ſimplici ſuperioris placito absque vllo ad indolem creaturae rationalis a Deo formatam reſpectu eam determinationem factam.

§. VI. ALIAM inde dicto loco, rationem reddit ZENTGRAVIVS, quare *aliquid in ſe bonum & malum, praeciſa voluntate diuina tale, vel antecedenter ad eandem dari* probatim iuerit. Scilicet id *non ideo factum, quaſi ſi moralia diuinam voluntatem conſequi affirmaret, Deo voluntatem mutante in lege naturali hoc ipſo poſſit contingere aliqua mutatio, quod Vaſquius aliique crediderunt; cum leges naturales, quae vtique ſunt morales & ipſe a voluntate Dei latas ſentiat, de aliqua harum mutabilitate minime anxius.* Miram audaciam, Vaſquio non aſſurgere, & conſtantiae diuinae tam multum deferrre! Niſi fortaſſe ideo non amplius deſultoria quaedam leuitas in Deo metuitur, quia, iam magno cum ſupercilio definitum fuit, quid Deum deceat. Quare ergo hypotheſin iſtam ZENTGRAVIVS propugnat? *Amore veri*, & vt oſtenderet, huic vniuerſo decus, generique hominum honeſtatem morum conſtare poſſe, ſi vel maxime Deus non detur. Hoc quippe eſt verum illud, cuius amor tantopere homines iſtos vrit. Tum *vt ſolidius ex vltimis oppugnetur Indifferentiſmus principiis.* Oportet vero horribilem beluam eſſe illum Indifferentiſmum, Aſinii Tenebrionis foetum, quod is ex fundamento deſtrui nequit, ni ſupponatur, Deum non dari. Aſt ego credideram, quo magis de voluntate Dei legem naturalem ſancientis conſtiterit, eo maiorem actionibus moralibus neceſſitatem adferri, eoque magis indifferentiam tolli. Quanquam alias non opus erat, per tam abſurdas hypotheſes indifferentiſmum oppugnare, de quo quidem nemini morta ium, cui ſanum ſinciput, in mentem nunc veniſſet, ni monſtrum id ex concubitu Nicolai Beckmanni & Ioſuae Schwarzii genitum, inde a praeſule Garlaeano aqua luſtrali circumlatum maleuolis potiſſimum placuiſſet ad calumnias eo impudentius in me ſpargendas. Addit: *Nec finguntur hoc nomine Ideae extra diuinum intellectum exſiſtentes, quas leges naturales laturus Deus intueri*

tueri debuit, cum quae ſit alicuius rei idea, ex ſe ſciat Numen eminentiſſimum & ſapientiſſimum. Atqui cur iſthoc ex ſe ſcit Deus, niſi quia diuina voluntas cuique rei ſuam indolem aſſignauit? Reſplendent alias in iſto prooemio emblemata quaedam, haud exiguam bonae mentis eclipſin arguentia, *Nonnulli*, inquit, *de iuris naturalis origine & rectitudine periculoſe errant, & ſepoſita lege diuina actuum humanorum indifferentiam ſine fronte aſſerunt; taciteque omnis impietatis ſemina ſpargunt.* Nimirum quia iam omnis pietatis fundamenta in eo vertuntur, vt iuris naturalis rectitudo iuxta tam ſanctam hypotheſin deducatur, ſi Deus non datur; aut quia ſumma iam impietas eſt, voluntati Creatoris O. M. origines formarum vindicare. De caetero nemo ZENTGRAVIVM fronte carere arguet, quam adparet, dum iſta eructaret, in chalybem vſque adeo induruiſſe, vt vel aduerſus Beckmanniana aut Schwartziana cornua arietare poſſet.

§. VII. IN ipſo Tractatu ZENTGRAVIVS primo oppugnatum it ſententiam noſtram, quae extat L. I. c. 2. §. 6. *de Iure Naturae & Gentium, in beneplacito diuino fuiſſe, qualem naturam homini vellet adſignare;* ſeu hominem eam quam habet naturam ex voluntate Creatoris ſortitam. Cui diſceptationi praemittit (p. 35.) *Deum pro arbitrio nos formare potuiſſe ſecundum ſapientiae ſuae ideam perfectiſſimam, rerum creandarum naturae & veritati examuſſim reſpondentem; cui ob ſummam eſſentiae ſuae perfectionem immutabili quadam & naturali neceſſitate Deus, libere licet ſi exercitium actus ſpectes, conuenienter agit, qui alias a ſeipſo diuerſus eſſet, & ſibi contrarius futurus, ſi cum idea & ſapientia diuina non externa conueniret actio. Eſt nimirum diuini intellectus idea de re aliqua conceptus in Deo formalis & immutabilis, ad cuius ſimilitudinem creaturae producuntur, cuique ita accurate reſpondent, vt eo modo perficiantur, quo fuerunt diuinae mentis conceptui repraeſentatae, iuxta tamen liberae voluntatis determinationem. Quemadmodum vero diuina ſapientia perfectiſſime omnia intelligens diuino intellectui ex naturali perfectione, non per liberum voluntatis actum competit: ita quoque ante eundem diui[illegible] menti rerum creatarum rationes exemplaris conuenire, hasque proinde aeque immutabiles eſſe, vti immutabilis eſt ſapientia diuina, cenſeri debet. Ex quo conſequitur, Deum hominem creaturum, etſi libere quoque eidem hanc, & non maiorem perfectionem tribuat, ſi tamen hominem & non brutum creare velit, non aliam quam rationalem eidem poſſe concedere eſſentiam.* En Sapientiae Seraphicae abyſſum! Vbi obſeruandum, Dn. ZENTGRAVIVM heic primo intuitu nobiſcum ſentire videri, dum aſſerit; Deum *pro arbitrio* nos formare potuiſſe, & *iuxta liberae voluntatis determinationem.* Sic & concluſio pla[illegible]nea eſt: *Deum hominem creaturum, etſi liber eidem hanc, & non maiorem perfectionem tribuat, ſi tamen hominem, & non brutum creare velit, non aliam quam rationalem eidem poſſe concedere eſſentiam.* Nam & nos ipſi dudum aſſeruimus, Deum dum decreuit hominem creare, non potuiſſe non creare animal rationale. Addimus rationem planiſſimam; quia alias ſibi ipſe contradixiſſet. Amphora coepit inſtitui, currente rota cur vrceus exit? Id quoque in confeſſo vtrinque eſt; creationem hominis quoad exercitium actus a libe[illegible] Dei voluntate proueniſſe. Et quia id iam agitur, vt

diuina eſſentia ad modulum noſtrae rationis exigatur, ponamus & id tantiſper Deum dum hominem creat, contemplatum fuiſſe aliquam rationem exemplarem, aut ideam: ſicuti homines ad archetypum aliquem opera ſua formare ſoleant. Quanquam in homine id ipſum ex imperfectione intellectus humani prouenit; ad quem dum nimis preſſe diuina mens exigitur, Ideae Platonicae primum reſultaſſe videntur. Sicuti & Ariſtoteles, dum animo concipere nequit, abs Numine omnia ex nihilo fuiſſe facta, mundi & materiae aeternitatem nobis commentus eſt. In eo tamen ratiocinio nulla eſt conſequentia: *Vti ſapientia diuino intellectui ex naturali perfectione, & non per liberum voluntatis actum competit; ita quoque ante voluntatis actum diuinae menti rerum creatarum rationes ſeu ideas conuenire.* Non inquam ſequitur; Dei intellectus non dependet ab eius voluntate, ergo ab exemplaribus rerum rationibus voluntas Dei excluditur, aut illae plane abſque eadem proueniunt. Nam ideae iſtae, rerum creandarum formas exprimentes, non vtique velut vltro intellectui diuino ſeſe potuerunt offerre; non magis quam aliqua res ſeipſam creare potuit. Eoque ideae iſtae reuera praeſupponunt decretum voluntatis diuinae de talibus rebus libere creandis. Equidem rerum iam exſiſtentium ideae intellectui creato ſeſe velut vltro inſinuant. Aſt vnde primae omnium rerum cauſae idea rei nondum exſiſtentis offerri queat, niſi praeſuppoſita voluntate talem rem producendi, ſane intelligi nequit. Vnde & in eo, quod ſequitur ratiocinio, antecedens falſum eſt: *Cum homo pro animali rationali habeatur a diuina ſapientia antecedenter voluntatem diuinam reſpiciente, non vero demum per liberam voluntatem eiuſdem tale ſit; Deum quoque hominem conditurum non aliud quam rationale animal creare potuiſſe relinquitur, quia non niſi ſapientiſſime, id eſt, eſſentiali, & per conſequens immutabili rerum perfectioni conuenienter agere poteſt.* Praeterquam quod ſapientia Dei in ordine ad ſua opera, ſeu quando aliquid ſapienter a Deo factum dicitur, abſque voluntate intelligi nequit. Sapienter enim non agit, niſi qui voluntario agit. Sicuti & inſipida eſt explicatio illa *ſapientiſſime, id eſt, eſſentiali & per conſequens immutabili rerum perfectioni conuenienter.* Sapientia quippe diuina ex praeſtantia operum abs ſe productorum aeſtimatur; non quod illa ad eſſentiales rerum perfectiones ſeſe attemperet, quae vtique ab iſta promanant.

§. VIII. IDEM quoque praemittit (p. 37.) de *eſſentiis rerum*, quas *aeternas & immutabiles* dicit, *non eo ſenſu, quaſi, verbi gratia, hominis eſſentia ſit ſemper & irreuocabiliter, idque ab aeterno & omnino independenter a Deo: ſed ob perpetuam & immutabilem connexionem requiſitorum ad certae alicuius eſſentiae, verbi gratia, hominis conſtitutionem neceſſariorum.* Aſt vnde ea connexio, niſi a diuina voluntate? ni forte eſſentias illas a ſeipſis ortas comminiſci velis. *Immutabiles itaque ſunt rerum naturae, ſeu conſiderentur ſecundum ſe & abſolute, ſeu in quantum diuinum reſpiciunt intellectum, in quo repraeſentantur.* Huius aſſerti vera ratio eſt; quia talis quaeque res eſt, qualem Creator voluit, qui & aſſignatam ſemel rebus indolem conſtanter ſeruat, quoad hanc rerum naturam non tollit: & quia non poteſt non intellectui diuino repraeſentari, quod a Deo decretum aut factum. Dicit porro Noſter (p. 39.) *Ex hoc non ſequi,*

ſequi, plura praeter Deum eſſe immutabilia. Nam aliud eſt neceſſarium independens, quod a ſe ſimpliciter eſt neceſſarium tam quoad eſſentiam, quam attributa propria: qua ratione ſolus Deus abſoluta & immutabili neceſſitate, eſt id, quod eſt: aliud dependens, quod licet non a ſe, in ſe tamen in certo genere, ratione ſcilicet, veritatis ſuae eſt immutabile. Aſt cum dependentia iſthaec non ſe habeat per modum neceſſariae emanationis, ſane voluntatem diuinam eadem non poterit non inuoluere. Nec vera eſſet haec propoſitio, homo eſt animal rationale, ſi Deus nunquam hominem creare decreuiſſet. Ex ſuperioribus quoque ſatis patet, quid ad ſequentia ſit reponendum (p. 40.) *Immutabiles quoque ſunt naturae rerum, ſi conſiderentur, prout diuinus intellectus eas cognoſcit, & prout in mente diuina per ideas repraeſentantur. Ob ſummam enim & infinitam intellectus ſui perfectionem Deus creaturas non aliter agnoſcere poteſt, quam quales vt ſint, natura ipſarum debita exigit. Nec ipſius menti aliter obiici poſſunt, quam quales in ſe ſunt, & eſſe debent: nec eas Deus aliter vt ſunt vel fiant concipere, & aliter concipiendo immutare poteſt, ob infinitam ſcientiae ſuae eminentiam, qua ipſius iudicium rei, prout eſt, & eſſe debet, exactiſſime reſpondet:* Aſt vnde eſt illud *debet?* Num naturae nondum conditae, & antequam de iis producendis a Deo decerneretur, potuerunt ſibi ipſis ius aliquod, & velut competentiam tribuere, vt tales vtique abs Deo creandae decernerentur? Pariter friuola ſunt, quae ſequuntur: *Diuino intellectui obiectae res non aliter adprehenduntur, aut diiudicantur, quam quales ſunt & adparent.* Numquid ergo illae res diuino intellectui vltro ſeſe obiiciunt, ſicut rerum natura iam condita ſenſibus humanis ſe ſiſtit? *Vnde ſequitur, non poſſe Deum, id rei & ipſius naturae conueniens iudicare, quod ipſi repugnat, vel illud ei tribuere, quod eandem deſtruit, aut in aliam ſpeciem immutat.* Aſt cauſa eſt, non quod eſſentiae rerum abſque voluntate Dei proueniant; ſed quia Deus non poteſt non opera ſua cognoſcere, ſiue producta iam, ſiue adhuc producenda, & quia circa eas cognoſcendas aberrare non poteſt. Addit ex AVGVSTINO: *Ideas, res creatas diuinae menti repraeſentantes eſſe formas quaſdam principales, vel rationes rerum ſtabiles atque immutabiles, quae ipſae formatae non ſunt, ac per hoc aeternae, & ſemper eodem modo ſe habentes, quae in diuina intelligentia continentur. Et cum ipſae neque oriantur neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oritur & interire poteſt.* Aſt, quod pace Auguſtini dixerim, ſplendidae ſunt iſtae Platonicorum nugae, quae ſi accuratius attendas, non vno modo contradictionem inuoluunt.

§. IX. HIS praemiſſis reiicit noſtram ſententiam, velut ex eo, quod Deus hominem liberrime condidit, non ſequatur; in beneplacito Dei fuiſſe, qualem homini naturam velit aſſignare, ita vt hanc, qua iam gaudet, naturae conditionem Creator homini libere attribuerit. Ea verba iam aduerſus VELTHEMII clamores aſſeruimus in Specimine Controverſ. c. V. §. 17. 31. 33. Et ſane cum Deus, quem nulla vtique neceſſitas ad creandum hominem cogebat, conſtituiſſet nobilius brutis animal condere, non potuit quidem non iſtud fini, quem circa id ſibi propoſuerat, conforme creare; quia alias ſibi ipſe repugnaſſet. Neque vl-

la tamen heic adparet neceſſitas, quae non a diuinae voluntatis ſuppoſitione proueniat, aut quae eandem excludat. Id autem plane abſurdum eſt, quod ZENTGRAVIVS *de indiuiduo aliquo hoc concedit; Deum Te, vt libere condidit, ita ſi voluiſſet, brutum condere potuiſſe.* Atqui cum & Adamus fuerit indiuiduum, & quicquid hominum vnquam extitit, aut extiturum eſt, indiuidua ſint, ſane ſi Deus omnia illa indiuidua bruta condere potuit, etiam hominem brutum condere potuit. Et quod in omnia indiuidua cadit, quo iure ſpeciei idem denegabitur? Quae ſequuntur libenter concedimus: *Quando Deus te hominem condere ſtatuerit, aliam quam humanam, id eſt, rationalem naturam tibi attribuere non potuiſſe, vt proinde quanquam libere & ex diuino beneplacito ſis homo cum tamen homo ſis, ex immutabili quadam neceſſitate naturam humanam ſortitus ſis.* Modo neceſſitas haec ex ſuppoſitione decreti diuini vtique voluntarii promanaſſe intelligatur. Eodem loco negat, per ſententiam noſtrae aduerſam *adiungi Deo principium aliquod extrinſecum, quod ipſe in aſſignandis rerum formis ſequi neceſſum habuerit. Negamus quippe*, inquit, *Deum extra ſe quidquam poſitum intueri, vt ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat. Qui enim agit ſecundum ſapientiam ſuam omni perfectionis gradu perfectiſſimam rerumque naturas in ſe immutabiles*, (vnde ſunt illae naturae, aut vnde immutabilitatem ſuam habent?) *immutabiliter quoque ob exactiſſimam inter diuinam ideam & rerum externarum conuenientiam, non agit ſecundum principium externum. Diuino enim intellectui creaturae non repraeſentantur per ſpecies ab illis deſumptas, ſed eſt aliquid intimius Deo, quod res creatas ei adhibet, ipſa nimirum diuina eſſentia, in qua omnes rerum naturae, ſicut in ſe ſunt immutabiles, ita quoque ob ſummam diuinae mentis perfectionem immutabiliter inhaerent.* Quid eſt ſine mente ſonum dare, ſi hoc non eſt? Denique cum nos dicto loco ex diuino beneplacito originem quoque moralitatis aſſertum iuerimus, ZENTGRAVIVS itidem contradicit (p. 44.) *Sicut immutabili quadam ratione*, inquit, *homo eſt animal rationale, & ab immutabili quoque diuina ſapientia pro tali animante immutabiliter habetur ante diuinae voluntatis actum: ita quoque ante eandem, & ſic quoque ante legem certos actus homini & naturae eius rationali conuenire, & non conuenire.* Falſum antecedens, falſum conſequens.

§. X. ALIO inde ratiocinio voluntatem Dei ab origine moralitatis excluſum it ZENTGRAVIVS (p. 88.) *Prudentia*, inquit, *Dei legiſlatoria non debet a nobis concipi citra dictamina diuinae rationis practicae in agendis, quibus ſecundum Suarez* (par Apoſtolis nomen) *iudicat, quid deceat ſuam bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam.* Atqui hae velut *eſſentiales Dei perfectiones antecedenter ſe habent ad voluntatem & beneplacitum Dei. Igitur moralitas actionum ſeſe antecedenter habet ad voluntatem Dei.* Aſt ego nego haec conſequi: Sapientia, ſanctitas & iuſtitia Dei, iuxta quas creaturarum motus diriguntur, non ſe habent conſequenter ad voluntatem Dei; ergo nec moralitas actionum humanarum. Etſi enim ſapientia & iuſtitia Dei non ſint ab eius voluntate: vt tamen exſiſterent creaturae, quarum motus ad ſapientiam & iuſtitiam Dei exigi poſſent, voluntatis diuinae actus vtique praeſupponitur. Sane erat Deus iuſtus, ſanctus, ſapiens,

piens, etiam antequam vllae creaturae exſiſterent, quae ad earum perfectionum dictamen motus ſuos dirigere poſſent: eoque vt iſtae perfectiones diuinae actu regulae agendorum eſſent, neceſſarium non erat, niſi poſita voluntate producendi creaturas mentis capaces. Adeoque vt ſapientia & iuſtitia Dei innoteſcat, actuque ſe exſerat, & vt extent, qui eandem imitari queant, id vtique a voluntate Dei eſt. Idem poſt ait: (p. 97) *Sapientiam Dei legiſlatoriam habuiſſe ſimul rationem diuinorum attributorum, & ſimul naturae humanae.* Atqui a deſignatione velut naturae humanae voluntatem diuinam excludere, quomodo poſſumus? De quo & idem tradit: (p. 100.) *Neque prudentiam Dei legiſlatoriam, neque dictamina rationis diuinae practica habere rationem legis, quia non proponunt praeceptum aliquod, ſed tantum oſtendunt indicando, quid rei natura habeat, & ſi conſiderentur in ordine ad ipſam diuinam voluntatem, dictitant, quid Deum ex ratione ſuae bonitatis, iuſtitiae, ſapientiae velle deceat. Aſt quando Deus ſecundum iſta dictamina decernit, (quod eſt voluntatis actus) quo pacto creaturae rationales ſuum ſeruare ordinem debeant, tum iſtud decretum voluntatis diuinae vim legis adquirit, & vocatur Dei lex aeterna.* Enimuero per hanc diſtinctionem voluntas Dei a prima origine legis naturalis, etiam vt eſt veritas, nequidquam excluditur. Nam ne quid moueam, quod hoc modo nimis proterue Deus ad humanae rationis modulum exigitur, iam ſupra oſtenſum, nil intereſſe, vtrum ea dictamina concipiantur per modum praecepti, *fac:* an vt congruentiam actionis cum ſubiecto exprimant; *hoc hominis naturae competit.* Neque illa dictamina intelligi poſſunt, niſi praeſuppoſito ſubiecto, creato aut creando, cui actus conuenire aut non conuenire dicatur; abs quo vtique voluntas Dei excludi nequit.

§. XI. Post vbi *de naturali diſcrimine honeſtorum & turpium* commentatur, repetit fere, quae hactenus diſcuſſa ſunt: (p. 234.) *Honeſta & turpia ſtricte talia eſſe talia in ſe & antecedenter ad diuinum beneplacitum, eiusque impoſitionem, quam legis quidem, non item bonitatis & malitiae naturalis in ſe & idealiter, ratione item veritatis ſuae, non prout exſiſtit in nobis, conſideratae, cauſam eſſe* dicit. Id quod ſic probatum it. *Antecedenter quidem ad ipſum Deum, diuinamque eſſentiam in ordine cauſalitatis, vel ratione exſiſtendi nihil debet concipi.* (Quippe ni? cum ex mente Zentgravii non nefas ſit aſſumere hypotheſin, ſi Deus non datur.) *Cum tamen aliquid poſſit eſſe obiectum intellectus diuini, quem ceu principium dirigens, ante voluntatem diuinam ceu principium imperans & exequens concipimus, quin idem ceu obiectum diuini intellectus antecedenter quoque ad diuinam voluntatem id quod eſt, eſſe, dici & concipi queat, dubium non eſt.* Enimuero magnum mihi adhuc dubium eſt, num quae nos concipere poſſumus, dum diuinam eſſentiam ad noſtrae modulum animae metimur, reuera ita ſe habeant. Aut num fas ſit, intellectum diuinum priusquam voluntatem concipere, ſaltem hactenus, vt illa prioritas effectum aliquem in ordine ad res obtineat. Deinde nego, aliquid eſſe poſſe obiectum diuini intellectus ante diuinam voluntatem, ſi ſermo ſit, vti nobis eſt, de ideis rerum, quae aliquando actu a Creatore condendae fuerant; vti iam ſupra oſtenſum. Sane non obſcure contradictionem implicat, alicuius rei ideam, quae reuera a Deo con-

condita eſt, intellectui diuino velut obuerſantem concipere, niſi decretum (qui voluntatis actus eſt) de eodem condendo ſupponatur. Si quis tamen his non adquieſcens contendere velit, ſaltem ideas rerum poſſibilium, quae nunquam futurae ſunt, tale decretum voluntatis diuinae non praeſupponere, aut circa ideas rerum creandarum ab eiusmodi decreto praeſcindendum eſſe; ei poſt copioſam hellebori potionem non ſuperfunctoria opus erit caſtigatione, vt importune diuinae naturae adyta rimari metuat. Velim quoque expendi ſubtilitatem iſtorum verborum: *Quod eſt obiectum intellectus diuini ante diuinam voluntatem poteſt eſſe id, quod eſt.* Vnde inania ſunt, quae ſequuntur: *Sicut homo eſt per eſſentiam*, (quae nimirum ſeipſam a ſeipſa diuino intellectui ſtitit independenter a voluntate diuina) *agens intellectuale, & ſic ex naturae ſuae ratione moraliter agere poteſt*, (etiam quando nondum de norma actionum fuit cogitatum) *ſic quoque eſſe morale, quod ab agente intellectuali per naturam eſt inſeparabile, eandem antecedere recte dicitur.* Negato antecedente negatur etiam conſequens. *Sicut itaque haec propoſitio*, homo eſt animal rationale, *vera eſt citra diuinae voluntatis operationem* (vtut citra hanc ne idea quidem hominis intelligi queat,) *ſalua omni Dei perfectione eminentiſſima: ita quoque ſalua eadem blaſphemia, adulterium turpia ſunt, praeciſa voluntate diuina, imo praeciſo omni diuino iudicio* etiam quando nondum Deus cogitaſſe intelligitur de condenda creatura, in quam tales actus cadere poſſent. Id quidem ſatis pro imperio. *Et quia haec talia ſunt, ſapientiſſimus Dei intellectus ex infinita perfectione omnia ſapientiſſime iudicans, congruum, imo neceſſarium iudicauit, eadem lege lata hominibus praecipere, quae etiam praeciſo diuino intellectu, ei ceu qui per naturam agens morale eſt, ſunt inſeparabiliter conuenientia.* Vt patet, iam etiam *intellectu* diuino praeciſo natura hominis, quamuis nondum de ea creanda a Deo decretum praeſupponitur, Deo neceſſitatem adferre potuit certos actus lege ſanciendi. Mirum ni homines iſti rationem norunt mundum abſque Deo condendi. Abſurdius adhuc eſt, quod ſequitur: (p. 241.) *Semper nulla etiam prohibente lege malum eſt, Deum conuicijs proſcindere, ſi vel maxime fingas, ne Deum quidem dari.* Antehac credideram, nonentis nullas eſſe affectiones. Igitur ſi ZENTGRAVIVS cum ſuis Sophiſtis Deum vtique mundo exterminare cupit, ſimul eius affectionem, qua creaturis intelligentibus venerabilis eſt, exturbare ne obliuiſcatur.

§. XII. DEMVM & peculiarem ſibi doctrinam de moralium actionum indole format Cl. ZENTGRAVIVS, qua non vno in loco, quae nos ſuper eadem tradidimus, euertere conatur. Ac primo quidem diſplicet, quod ego formalem rationem actionis moralis conſiſtere dixerim in *imputatiuitate*, (p. 242.) ad quod vocabulum, non citra veniae praefationem a me poſitum neſcio, quare frontem contrahant homines, qui totam aetatem ad aures vſque lacunis barbarorum Sophiſtarum roſtrum immerſerunt, *cum ea potius τὸ morale conſequi ceu affectio videatur, quam id ceu formale conſtituere. Nam niſi actui vel obiecto eius valor quidam inſit, qui aeſtimari queat, vel ad laudem vel ad vituperium, imputatiuitas non habebit locum, cum nihil ſit, quod imputari queat; hoc autem exſiſtente, data inſuper proaereſi & libertate agentis, actio iure imputabitur. A valore*

Digitized by Google

valore enim actus proxime habet, vt imputari poſſit; a libertate autem remote mediante valore. Atqui adparet, imputandi vocabulum a ZENTGRAVIO in diuerſo ſenſu, quam a me accipi. Mihi enim per hanc dictionem, *actio huic imputatur*, nil aliud notatur, quam hunc auctorem eius actionis haberi, aut eandem ad hunc pertinere, vt ſuper iſta ratio ab eo exigi, & qui inde proueniunt effectus, in eundem deuolui queant. Cuius actionis dein, prout ad normam refertur, affectiones ſunt bonitas & malitia moralis, iuſtitia & iniuſtitia. Valor autem ille, quem velut formalem rationem moralis actionis iſte ſubſtituit, ad quantitatem actionum deſignandam pertinet. Addit: *Quibusdam actibus ex ſolo obiecto ineſſe moralitatem, poſitis caeteris principiis, nemine cogitante, & praeciſa omni voluntate, & vt ſeſe ad ſuperioris cuiusdam impoſitionem, legem & voluntatem antecedenter habeat.* Enimuero iſta congruentia aut diſcongruentia velut naturalis, quae in multarum actionum obiectis ad agentem comparatis, reducet, haud quidquam voluntatem Creatoris excludit. Quin potius cum Creator animal legibus obnoxium formare conſtituiſſet, ita naturam hominis temperauit, vt actus certi eidem congruerent, aut non congruerent, prout illos praecipere aut vetare conſtituerat. In quo ipſo diſcrimen legum naturalium a poſitiuis verti alibi docuimus. Ad illud porro ratiocinium iam in ſuperioribus fuit reſponſum: quia ſanctitas & iuſtitia in Deo ſunt perfectiones eſſentiales, ex perfectiſſima eſſentia, non ex libera voluntate reſultantes: igitur & moralitas in actionibus humanis antecedit voluntatem diuinam. Id enim conſequi negamus, cum non ex abſoluta aliqua neceſſitate, ſed ex voluntate diuina ſit, quod creaturae dentur, quae imaginem quandam ſanctitatis & iuſtitiae diuinae referre poſſent. Quod autem ZENTGRAVIVS ita confidenter pronunciat, verbi gratia, ſanctitatem, bonitatem, iuſtitiam Dei, *quo minus perfectiones morales adpellentur nihil obſtare;* id mihi nondum perſuadet: cum non adpareat, quomodo ab hoc termino iſtae imperfectiones abſtrahi queant, quae ex primaeua ſignificatione & communi vſu eidem adhaerent, qua morales perfectiones illis, quae natura aut per eſſentiam inſunt, opponuntur. Sane maiore auctoritate eſt opus, vt iſte terminus citra ſcandalum legatur. Tandem & nihili eſt ratiocinium hocce: *Deus ex naturae ſuae perfectione eſt amabilis & adorabilis, non ex voluntatis ſuae arbitrio: Ergo actus hi*, Deum amare, colere *morales ſunt antecedenter ad voluntatem diuinam.* Nam actus illi vtique non poſſunt intelligi, niſi poſitis creaturis rationalibus. Et poſito actu, agens quoque neceſſario ponendum eſt. Hoc autem vt eſſet, a voluntate diuina eſt. Pergit ZENTGRAVIVS: *Ex quo ſequitur, effectum legis formalem non eſſe hunc, vt ei valor ille, qui eſſe morale conſtituit, acceptus debeat referri, ac ſi hic non poſſit ineſſe, niſi lege ita conſtitueretur.* Aſt ego quidem iſtum effectum hautquicquam legi ſimpliciter tribui, ſed voluntati diuinae, naturam rerum & hominum ita formanti, vt huic certi actus vtique congruerent, aut non congruerent. Quae voluntas Dei legem ſimul naturalem includit. Nam quia legibus obnoxium animal creare Deus conſtituerat, ideo naturam huic fini accommodatam finxit. Et eo ipſo, dum certa ratione naturam hominis

temperat, ad conuenientes iſti leges hominem adſtrinxit. Quibus obſeruatis ruunt etiam ſequentia: *Quod actus phyſicus fiat actus moralis, id non ſemper ab impoſitione ſuperioris prouenit, ſed conſurgit τὸ eſſe morale ex concurſu certorum principiorum obiecti, finis, circumſtantiarum, agentis rationalis, quae ex rei veritate per ſe antecedenter ad omnem voluntatem ſuperioris neceſſaria ſunt;* (aſt vtique & iſta principia, & vt concurſus eorundem in actionibus humanis certam habitudinem produceret, id per voluntatem Conditoris prouenit,) *nec libere ita definita.* Vſitata iſtis hominibus eſt cauillatio vocabuli *libere*, velut prius natura hominis a Deo formata fuiſſet, cum libertate & indifferentia omnium ſuarum actionum, & poſtea ex puro beneplacito citra vllum alium reſpectum lata lege quosdam actus bonos, quosdam malos eſſe iuſſerit. Quod quidem aſſerere ne per ſomnium in mentem mihi venit.

§. XIII. Hinc ad impugnandam indifferentiam motus phyſici accingitur. Ac primo negat, (p 278.) *motum phyſicum determinatae & certae alicuius actionis, verbi gratia, blaſphemiae eſſe indifferentem.* Atqui omnes fatentur, in quauis actione humana interuenire motum phyſicum. Fatentur quoque, Deum tanquam primum motorem ad quemuis motum phyſicum concurrere; qui tamen ad malum vt tale non concurrit. Ita tollitur a Zentgravio motor, relinquitur motus. Valde tamen errat Noſter, quod putat, merum motum phyſicum hac dictione exprimi, *motus linguae contra Deum.* Nam in vocabulo *contra* Deum iam latet moralitas; ac contra Deum loqui, & blaſphemare ſynonyma fere ſunt. Igitur motus phyſicus in blaſphemia laxioribus verbis eſt exprimendus. De caetero heic circa rem ipſam dubium eſſe nequit. Nam verbi gratia in iudicio, vbi de blaſphemia anquiritur, eadem verba, quae reus per blaſphemiam euomuit, recitat teſtis, & actuarius plane ſine peccato, diuerſiſſima tamen abs reo intentione. Vnde facile colligi poteſt, quid in iſta actione phyſicum ſit & indifferens; quid morale & paruum. Sed iam, conſumta repente modeſtia Noſter eandem cum illis tibiam inflat, qui iure optimo maximo calumniatores audierunt. *De indifferentia*, inquit, (pag. 279.) *in ordine morali dupliciter poſſumus loqui, 1. ſicut ipſum valorem & eſſe morale ad bonum & malum indifferenter ſe habere dicamus, & verbi gratia blaſphemiam, caedem, adulterium, quod iam adpellamus actiones in ſe indifferentes eſſe, bonas etiam futuras, ſi a Deo, vti Vaſquez & Reterfortis, vel a Magiſtratu, quod Hobbes opinatur, fuerint praeceptae, ita vt bonum & malum antecedenter ad diuinum beneplacitum naturale nullum detur.* Enimuero toto coelo a commentis Vaſquii, Reterfortis & Hobbii diſtat ſententia eius, qui aſſerit, moralitatem ſe non habere antecedenter ad voluntatem diuinam, quippe per quam ſunt creaturae moralitatis capaces. Et nihiloſecius pronunciat Noſter: *Hunc indifferentiſmum moralem alunt, fouent, pingunt, & comunt omnes illi, qui moralitatem, omnem bonitatem & malitiam in hoc ordine talem, a nuda impoſitione prouenire affirmant, etſi ſe id agere contraria factis ſuis proteſtatione negant.* Bona verba quaeſo, mi Zentgravi. Sane ego non vsque adeo eruditum ſeculum ſpiritu calumniae obſeſſum confido, vt

de

Digitized by Google

de mea ſententia non mihi potius, quam tibi ſit crediturum. Praeſertim cum heic abs Te non minus infamium artium adhiberi deprehendam, quam quas in caeteris calumniatoribus iam acriter, non tamen ſupra meritum, caſtigaui. Nam fraudulenter infarctum eſt vocabulum *nuda*, cum ſat clare a me oſtenſum ſit, longe aliter ſe habere impoſitionem circa res, quae lege naturali, & circa res, quae poſitiua lege ſancitae ſunt; cum Deus legem naturalem homini daturus, eiusque actionibus moralitatem impoſiturus naturam hominis ſimul certo modo formarit: id quod circa leges poſitiuas ſecus ſe habet. Idem & circa ſequentia verba obſeruandum: *Dum enim*, inquit, *in actionibus & obiectis mortalitatem a tali impoſitione TANTVM, & lege ſuperioris, prouenire vrget, indifferentia hoc ipſo ſint, neceſſe eſt, in ſe omnia, ſi qualia ſint in ordine ad* τὸ *morale, praeciſa iſta impoſitione conſiderentur*. Sed addendum eſt, iſtam praeciſionem ita fieri debere, vt ſimul & lex, & quae pari paſſu cum lege ambulat, formatio naturae humanae ad eum finem peculiari a brutis modo facta abſtrahatur, vtque adeo nihil remaneat, niſi quod mere ſit phyſicum. Sequentia autem verba mirum ſtuporem prae ſe ferunt. *Concubitus verbi gratia, cum alterius vxore ſi ideo adulterium adpellatur, quia eſt contra legem naturalem, hoc quidem ſequitur, adulterium tunc non eſſe actum indifferentem. Quo minus tamen ipſe concubitus cum alterius vxore antecedenter ad omnem legem & talem impoſitionem ſpectatus, niſi in ſe etiam, ſcilicet vt Grotius Thomam ſecutus, Deum non eſſe fingas, aut actum talem lege eum non prohibuiſſe ponas, turpis eſſe dicatur, indifferens ex data hypotheſi ſequatur, nihil impedit: quicquid deinde ſit de adpellatione talis actus, ſeu adulterium adpellari debeat, ſeu non, ſi lege non eſt prohibitus. Relinquitur enim ipſum concubitum cum alterius vxore antecedenter ad impoſitionem & praeciſa lege conſideratum eſſe actum indifferentem, quod admitti nequit* Enimuero mihi ſermo fuit de actu phyſico, abs quo omnis moralitas abſtracta concipitur; Zentgravius autem profert exemplum actus, quam maxime moralis, *concubitus cum alterius vxore*. Hic enim non eſt actus phyſicus indifferens, ſed moralitatem & legem quam maxime inuoluens. Concubitus cum foemina eſt actus phyſicus, ſed cum vxore alterius moralis & lege vetitus, qui vno vocabulo adulterium vocatur. Vxor enim notat foeminam, quae vni ſoli legitime data fide corpus ſuum addixit. Vnde contradictoria & nugatoria eſt quaeſtio: An concubitus cum alterius vxore ſit malus antecedenter ad omnem legem & voluntatem Dei? Quid autem pronunciandum ſit, poſita inſana illa hypotheſi, ſi Deus non datur, tunc demum patebit, quando Zentgravius ad hanc quaeſtionem liquido reſponderit: num, poſita hypotheſi, ſi Deus non datur, Nicolaus Beckmannus & Ioſua Schwarzius cum infamia e Suecia fuerint relegandi? Pergit nugari Noſter: *Illam difficultatem non tolli diſtinctione mea inter vocabula, quae merum motum phyſicum ſignificant, & quae actum phyſicum cum moralitate coniunctum. Cum enim omnis moralitas ex ipſorum mente ſit ab impoſitione, recte, quaeritur, qualis ergo ſit iſte actus*, cohabitare alterius vxori, *praeciſa impoſitione illa conſideratus, an mere Phyſicus, an quid moralitatis in ſe contineat?* (Eodem iure quaeri poteſt, num Zentgravius ſit animal rationale.) *Poſterius dici non poteſt, cum praeſcindamus principium, quod genuinum & adaequatum* τȣ̃ *eſſe moralis dicitur*. Aſt ſi velis prin-

cipium moralitatis, totamque adeo moralitatem heic praeſcindere, & nihil praeter merum Actum phyſicum retinere, amouenda quoque eſt notio *vxoris alienae*, quae citra moralitatem intelligi nequit. Add. quae in Specim. Controuerſiarum c. 5. §. 20. aduerſus Velthemium diſputauimus. Hinc inepte infert ZENTGRAVIVS: *Prius ergo dicendum erit, quod cohabitatio alterius vxori facta, ſeſe mere phyſice habeat, in ſe indifferens ſit, niſi lege prohibeatur cum alterius vxore conſueſcere turpe non ſit.* Non minus ſtolida ſunt ſequentia: *Ex quo vlterius hoc conſequitur, quod de poſſe abſolute loquendo, ſique Legiſlatoris ſapientiae ita viſum fuerit, adulterium vti prohiberi, ita & praecipi poſſit; poſſe enim in vita ſociali, & naturae humanae conuenienter tales dari caſus; vt ceu perſonale, non commune adulterium in ſe malum non foret; quod nos contendimus, praecipi poſſet, dubium non eſt.* Apage iſtas conſequentias, ZENTGRAVI, quae non niſi Geſenio cuipiam condonari poſſunt, cui ſenſum communem Garlaeae fumi dudum ademerunt. Te enim ita delirare non decet. Ac non poſſunt non viri cordati valde deteſtari artificium illud obſcoenum, quo aliqui ita impudenter ſe iactant, vt primo falſam quampiam hypotheſin alteri affingant, indeque deductas abſurdas conſecutiones iſti nolenti volenti impingant, non ſine horrendarum haereſium exprobratione. Caeterum pleraque hactenus diſputata a ZENTGRAVIO repetuntur *Articulo X. de Immutabilitate Legis Naturalis*; quam cramben recoquere putidum fuerit; cum praeſertim aduerſarii circa modos concipiendi, abſtractiones, praeciſioneſque & abſurdam hypotheſin ſeſe torqueant: mea autem ſententia id, quod re ipſa exſiſtit, fatente ZENTGRAVIO, exprimat.

§. XIV. CIRCA alia diluenda minus operae eſt. Ac circa fundamentalem propoſitionem iuris naturalis de ſocialitate mouet, ex eadem officia erga Deum & nos ipſos deduci non poſſe aut debere. Cui obiectioni iam ſatisfactum in Specim Controu. cap. 5. §. 25. Tantum id heic obſeruo, ea verba, quae ex praefatione libelli mei de Officio hominis & ciuis carpuntur, *religionem naturalem ex ſocialitate indirecte deriuari*, inſidioſe interpolari, additis de ſuo verbis, *ceu ex fundamento:* quae in loco, quem iſte reſpicit, non extant. Circa amorem ſui ſeu philautiam quoque monet, *eam eſſe priorem obligatione erga alteram, quia ordinata charitas incipit a ſeipſa; aliis etiam facere non debeamus, quae nobis facere nolumus.* Aſt nondum probatum eſt, amorem ſui in ſe, & ſi homo non conſideretur, vt ſeruus Dei & ſocietatis humanae membrum, eſſe in obligatione. Sic non falſa ſolum, ſed & Reipublicae pernicioſa eſt ſententia: *Neminem teneri alterum magis diligere, quam ſeipſum* Nam dantur caſus non infrequentes, vt vita & fortunae noſtrae a nobis pro aliis impendi debeant. Falſum quoque eſt, quod *officia, quae homo ſibi ipſe debet, regula ſint officiorum, quae alteri, quicum viuimus, exhibere decet.* Quin contra amor ille noſtri, ne in deuia abeat, neue ſocietatem humanam perturbet, per officia erga alios homines eſt temperandus.

§. XV. CAVILLATVR inde rationes a me Lib. II. c. 3. §. 20. (pag. 123.) adductas, quod ſocialitas homini pro imperio iniuncta ſit; petitas a conſtructione

ſtione naturae humanae, a religione, & a morſibus conſcientiae. Si quis enim conſiderauerit naturam humanam ita abs Creatore formatam, vt niſi culta vita ſociali ſalua eſſe nequeat; & leges, queis ſocialis vita continetur, cuiusuis religionis partem conſtituere, hominemque violatis illis legibus morſus conſcientiae ſentire, certiſſimum laeſi Numinis indicium; ſat firmiter puto, quis inde concluſerit, ſocialem vitam abs Creatore homini pro imperio impoſitam. Quibus argumentis & alii multi tam Gentiles, quam Chriſtiani Scriptores ad idem demonſtrandum vſi ſunt. Quae in contrarium a ZENTGRAVIO afferuntur, vix aliud arguunt, quam inane ſtudium aliorum labores maligno dente arrodendi. Ait, *perſuaſio, quod Deus velit, iubeat, vt homo ſit ſociabilis*, non ſufficere ad hoc euincendum, quod vita ſocialis pro imperio ſit homini impoſita; *cum perſuaſio illa ſi vera & efficax eſſe debeat, lege quadam, quae ſatis* innotuit, nitatur opus ſit. Atqui ex tali perſuaſione, quae non temere in genus humanum inuaſit, ſed ex ipſa conſideratione humanae naturae promanauit, recte ad inueſtigandam legem naturalem aſcenditur. Et cum ZENTGRAVIVS agnoſcat, *ex hac ratione neceſſitatem tantum legis pro vita ſociali ferenda inferri;* nobis ſane vlterius ratiocinari licebit: cum Deus naturam hominis ita formarit, vt neceſſarium ei ſit, per legem vitam ſocialem imperari, Deum vtique legem eiusmodi tuliſſe. Addit, *perſuaſionem iſtam primo & per ſe non in honeſtate, ſed vtilitate fundari, quam etiam id quod indifferens eſt, non intrinſece neceſſario honeſtum promouere poteſt: probatque eadem praecepta ſocialitatem concernentia, vtilia quidem, non autem neceſſario honeſta eſſe.* Aſt poteſt aliqua vtilitas ita comparata eſſe, vt etiam neceſſitatem arguat; praeſertim cum eidem argumento alia quoque coniungantur. Nec quia Apoſtolus *pietatem ad omnia vtilem* pronunciat, ideo eadem in praecepto non eſt. Friuolum quoque eſt, quod circa argumentum a religione & metu Numinis petitum mouet. *Hic Numinis metus*, inquit, *niſi aliunde homini obligatio imponatur, non adigit per ſe eundem, vt vitam ſocialem pro imperio ſibi iniunctam agnoſcat; cum de quo non conſtat, quod ſit a Deo mihi pro lege praeſcriptum, illud nec numinis metus praeciſe, vt pro lege, cui aduerſari non liceat, habeam, efficit.* Atqui omnes, qui aliquam religionem & metum Numinis agnoſcunt, hanc quoque religionis partem fatentur, vt homo aduerſus hominem ſocialitatis leges obſeruet. Pergit: *Conſcientiae morſus nihil aliud probant, quam quod diuina aliqua lege iſta prohibita ſint, quae commiſſa conſcientiam ſic affixerant.* Atqui ſic probatur meum ratiocinium: ſi conſcientiae morſus conſequuntur facta vitam ſocialem perturbantia, igitur vita ſocialis homini pro imperio eſt a Deo iniuncta. Inania quoque ſunt ſequentia: Quod peccatis ſocietas humana turbatur, *id ad effectum, non rationem ſceleris vel peccati, qua tale eſt, pertinet. Lege quidem prohiberi illa, quae ſocialem vitam tollunt, euincunt morſus conſcientiae: ſed id per ſe & primo eſſe propter vitam ſocialem, aut legis vice eſſe, ſi quis hoc aſſerere vellet, vel genuinum & adaequatum harum legum fundamentum, principium & rationem, ex hoc non ſequitur.* Aſt qui meminerit, quo ſenſu & quatenus a me legis naturalis fundamentum ſocialitas aſſeratur, ſatis videt, propria cum vmbra luctari ZENTGRAVIVM.

 §. XVI.

§. XVI. Qvae dicto loco aduerſus ſufficientiam ſocialitatis diſputantur, iis facile ſuperſederi poterat, ſi ſcopus mei ſcripti, & quae in Specim. Controu. c. 5. §. 15. monui, obſeruata fuiſſent. *Autochiriam* tradit Noſter, *peccatum fore, etſi vel extra omnem ſocietatem, vel ſolus in mundo ceu ſpecies monadica homo viueret.* Hanc ego illicitam probaui, quia homo a Deo in huius mundi ſtatione locatus eſt; & quia adeo ſeruus Dei, & membrum ſocietatis humanae eſt. Probet iam Zentgravivs, vllum homini ad ſe conſeruandum obligationem eſſe, ſi idem nec Dei ſeruus, nec ſocietatis humanae membrum foret. Sed & nuſpiam a me aſſertum eſt; *ſocialitatem ſufficienter exprimere finem hominis, ad quem Deus eum deſtinauit.* Aut, *imaginem Dei homini concreatam propter ſocialem vitam tantum, vel praecipue conceſſam fuiſſe.* Aut, *reliquias imaginis diuinae non primo cultum Numinis, inde vitae ſocialis conſeruationem inculcare.* Nec *ſupercilium* profecto eſt, naturalem Theologiam, a diſciplina iuris naturalis, officia hominum inter ſe complexa, diſtinguere. Iniuſte quoque arroditur, quod ego dixeram; religionem, quatenus ad diſciplinam iuris naturalis pertinet, intra ſphaeram huius vitae terminari; quo nomine etiam ad ſocialitatem referri poteſt, quatenus ſocialitati humanae efficax vinculum praebet. Sane enim nec de religione, quatenus ad ſalutem animarum poſt hanc vitam facit, agere ad diſciplinam iuris naturalis pertinet; & religioni naturali peculiaris a me diſciplina aſſignata fuit. Cum autem ei, qui ſocietatis humanae indolem, vincula, legesque vnice ſibi exponenda ſumpſit, non poſſit diuini Numinis conſideratio plane ſequeſtrari; quippe cum ab eo legum ſocialium origo & firmitas promanet, non alio quam hoc reſpectu religio in hac diſciplina conſiderari poteſt: quam quatenus ea ſocietatibus humanis firmiſſimum coagulum praebet; niſi diuerſas plane diſciplinas turpi errore miſcere velimus. Ex hoc autem non niſi per calumniam inferri poteſt; *ſocialitatem eſſe religionis & cultus per naturam debiti fundamentum.* Et non decebat Zentgrauium, dudum caſtigatam Aſinii Tenebrionis & fraterculi eiusdem Geſenii cantilenam coccyſare: *Non profecto ludendum eſt cum religione, quaſi pro ratione ſtatus ea formanda eſſet, vel ceu medio politico ea vti liceret, ad terrorem ſimplici populo incutiendum.* An enim, ſi dicam, Deus eſt auctor & ſtator vitae legisque ſocialis, nec citra hanc perſuaſionem ciuilis ſocietas firmo ſtare talo poteſt; id perinde eſt, ac ſi dicam; religio etiam ſaluifica pro ratione ſtatus eſt formanda; aut ficta religione ſimplici plebeculae eſt illudendum? Tales ſane conſequentias nemo format, quem pudet calumniae conuinci. Vnde & inanis eſt ſolicitudo Zentgravii: *Religio, quae ad ſocietatem vnice refertur, ex ductu rationis ſibi ſoli relictae, facile poteſt in idololatriam degenerare.* Et febricitantium ſomnia referunt illa, quae ſequuntur: *Ex iis, quae ad ſocialitatem aduerſus alios colendam faciunt, non cognoſces, qua ratione Deus etiam per naturam coli debeat. Nam vel ex vitio ſeculi, vel duro populi genio permittuntur, quae in ſe impia ſunt, vt libellus repudii; & inter piratas ac latrones ſocietatem eſſe,* (num etiam ad ius naturale formatam?) *iuſtitiam & honeſtatem non eſſe.*

§. XVII.

§. XVII. (p.169.) Pergit ſocialitatem carpere noſter. *Normam*, inquit, *ſecundum quam a nobis diudicari debeat, quid ſit iuris naturalis, non ego quidem in theſi eſſe hominis ſocialitatem.* Aſt ego nuſpiam ſocialitatem pro norma iuris naturalis venditaui, ſed pro fundamento, & quidem eo ſenſu, qui explicatus eſt in Specim.Controu.c.4.§.1. & quo dilectio fundamentum legis dici poteſt. Vnde aeque bona eſt haec conſequentia: hoc neceſſario facit ad finem & conſeruationem vitae ſocialis, igitur eſt Iuris naturalis; quam iſthaec; hoc eſt contra dilectionem Dei & proximi, igitur & contra Decalogum. Sicuti & ipſe Zentgravivs nupero ſcripto charitatem pro fundamento legis naturalis ex diſciplina Chriſtiana ſubſtituit, me ſane non repugnante, cum iſta ſocialitati amice conſpiret. Niſi quod magis Theologiam moralem id ſapiat; vſum autem fori humani ob oculos habenti ſocialitas magis congrua videtur. Et ex vſu fori humani certa tantum ſunt officia, quae ex charitate proprie prouenire dicuntur. Vnde qui, verbi gratia, aes alienum exſoluit, & alia ex obligatione perfecta praeſtat, non ex charitate agere dicitur. Caeterum quam maxime cauendum ab illa fallacia, per quam Zentgravivs aliique viam ſibi ad calumniam ſtruunt, dum ſocialitatem generis humani confundunt cum peculiaribus inter homines ſocietatibus, & quae ad illam neceſſario faciunt cum his, quae ad ſingularem harum vtilitatem referuntur. Quo obſeruato hautquidquam ſub cenſum legis naturalis venient *etiam ea, quae in ſe indifferentia ſunt,* vtut *ſocietatem humanarum* particularium *vtilitatem promoueant*. Reliquis, quae iſto loco mouentur difficultatibus, ex ſupra dictis facile ſatisfieri poteſt. Adducit tandem ſcrupulos viris cordatis indignos, ac prope dixerim aniles. *Vtilitatem veram promouere, id eſſe Iuris Naturae & Gentium* fatetur; *negat* tamen *naturam vbique dictitare, quid vtile ſit reuera & conſtanter.* Audiamus elegantem probationem. *Vtile putet religionem veram fouere, quamdiu Reſpublica in tranquillo ſtatu eſt. Sin autem ea propterea turbetur, vel in periculum adducatur, quod iactura religionis hactenus recepta auerti poſſit, non cogitur ſua ſcilicet naturae lege veram religionem abiicere, vt Reſpublica ſeruetur?* Hoc ratiocinium mulierculae forſan, & olitores cum plauſu excipient; ſed metuo, vt cordati ſibilo ſe abſtinere poſſint. Nam primo ſocialitas generis humani cum vtilitate vnius aut alterius oppidi vel prouinciae male confunditur. Sane ſocialitas iſta, nunquam poſtulabit, vt vera religione ob quemcunque reſpectum abiecta falſa ſuſcipiatur. Deinde nuſpiam ego officia hominis erga Deum, multo minus, quae ex religione Chriſtiana promanant, ex ſocialitate deduxi; cum duas tantum propoſitiones Theologiae naturalis mutuo ſumptas in opus meum transtulerim: quod nempe Deus & legis naturalis, & ſocietatis ciuilis, & quae huius ſeminaria ſunt, matrimonii & imperii paterni, auctor ſit. Vid. L. II. c. 3. §. 2. & L. VII. c. 3. Iſta quippe ad inſtitutum noſtrum ſufficere poterant. Quae autem mea ſit ſententia circa caſum notatum colligi, poteſt ex L. VII c. 8 §. 5. p. 1004. lin. 8. & L. V. c. 12. §. 23. p. 737. lin. 12. Paris indolis reliquae ſunt obiectiones *de magiſtratu colendo, caede vitanda, polygamia, ſtupris & illegitimis diuortiis deteſtandis, fide ſeruanda, honeſtate colenda &c quamdiu ea e Republica fuerint; ſin e re huius magis fuerit contrarium facere, tum demum iure naturali non obligari, vt id perpetremus.* Quid his ratiociniis putidius? quorum futilitas adhuc magis pelluceret, ſi peculiares caſus diſtincti expreſſi

preſſi fuiſſent. Addit: *Tot perplexos & intricatos caſus ſaepe in praxi inprimis, quando ad ſpecialiora deſcenditur, occurrere, vt ſi illos e ratione vtilitatis & neceſſitatis, quae ſocietati humanae & Reipublicae* (debebat *Reipublicae* vocabulum omiſiſſe) *incumbit, decidere velis, grauiter ſis aberraturus.* Nimirum, ſi modo tam anili ratiocinari inſtituas. Pariter ineptum eſt, quod ſequitur: *Socialitatem cum rationalitate coniunctam admitti pro norma tantum officiorum, quae aliis debentur.* Quaſi nobis de ſocialitate formicarum & ſturnorum, non de ſocialitate animalium rationalium actum foret. Falſum denique eſt illud: *Amor ſui eſt norma amoris erga alios, ergo philautia eſt magis fundamentum iuris naturalis, quam ſocialitas.* Quin amor iſte maximis malis anſam praebet, ni reſpectu ſocialitatis rite temperetur. Et inter dogmata illa, ob quae Hobbeſius tantopere vapulat, eſt vel praecipuum, quod amorem ſui velut fundamentum legi naturali ſubſternat. Neque ſequitur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum; ergo officia aduerſus alios homines exercenda ex amore proprio aeſtimanda ſunt. Eſt quippe iſte amor inter praeſuppoſita ſocietatis humanae, cum haec intelligi nequeat, ni ſingulis conſeruatio ſui ſit cordi; ac ſaepe ab aliis exigi nequeat illa cura, quam ſibi quisque praeſtare poteſt.

§. XVIII. Qvanqvam autem nobis ſufficiat ea, quae contra noſtram ſententiam afferuntur, diluiſſe, neque indignemur aut inuideamus, ſi quis ſuo ſenſu abundare malit: paucis tamen monemus circa *conformationem creaturae rationalis cum Creatore*, quam pro ſocialitate noſtra obtrudit Zentgravivs, eam huic ſcopo parum eſſe accommodam. Id quod iam in Specim. Controu. c. IV. §. 3. ſeqq. late oſtenſum. Neque ſtatim quod aliqui Platonici aut Stoici per ſolitam ſibi grandiloquentiam iactant, id ſtatim ad captum eſt omnium hominum. Et in genere quidem dici poteſt, eſtote ſancti, miſericordes, benefici, ſicuti Deus talis eſt, etſi & iſthaec diuerſa ratione in Deum, atque in homines cadant. Sed ſi ad particularia praecepta deſcendatur, facile patet, neque officia hominis erga Deum, neque magnam partem officiorum erga ſeipſum & proximum inde liquido deduci poſſe. Nec aliud inſinuant iſta verba: *Vti diuinae ſanctitatis rectitudo & diuinae rectitudinis ſanctitas eſt boni & mali ἀρχέτυπον* (nolo cauillari hoc, ſanctitas Dei eſt ἀρχέτυπον *mali;*) *ita quicquid nobis connatum partim eſt, partim ad quam contendere debemus, rectitudo ἔκτυπον iſtius eſſe debet, vt ſic iſta gentilibus & Chriſtianis tantopere depraedicata hominis ad Deum aſſimilatio oriatur. Quae quidem non quoad omnimodam aequalitatem cum infinito bono, ſed qualemcunque cum virtutibus huius ſimilitudinem aeſtimanda & affectanda eſt.* Atqui vt liquido diſcerni queat, quae attributa diuina ab homine vtcunque exprimi poſſint & debeant, quae non poſſint, ad noſtra demum principia erit recurrendum. Aſt ſi *qualiscunque ſimilitudo* ſufficit, magnam vim hypotheſium in iure naturali fingere licebit. Sic iubemur in diuinis literis imitari formicas, eſſe ſicut ſerpentes & columbae, iubemur eſſe non ſicut aſinus & mulus. Reuera tamen quicquid eiusmodi hypotheſium aſſumitur, non tam illuſtrandae, quam intricandae huic diſciplinae inſeruit. Sicuti & ipſe Zentgravivs talia de ſua hypotheſi tradit (pag. 326.) quae parum liquidae

ac

ac diſtinctae cognitionis pollicentur. *Phraſi Scripturae*, inquit, *quid imaginis diuinae notione veniat, in talibus conſtitui nequit, quae etiam in hominis non renati animum cadunt. Vnde confirmatio illa & ſimilitudo non ea intelligenda eſt, quae imaginis diuinae per lapſum amiſſae reparationem infert, quippe quae non niſi per renouationem fieri poteſt, nec huius eſt loci; ſed de aſſimilatione quadam externa ad exemplum diuinum, diuinaque attributa eſt inſtituenda*. Et alibi: *Ne ius quidem rectorium inter homines per omnia coincidere cum iure rectorio, quo Deus vtitur aduerſus creaturas. Conceſſum eſſe hominibus aliquid iuris rectorii, non tamen vlterius, quam ad vitam ſocialem neceſſarium eſt*. Quid igitur ambagibus opus eſt, vbi plana via patet? Sic idem alibi: *Senſu Biblico imaginem Dei amiſſam, ſed ſenſu Eccleſiaſtico rudera eius imaginis ſupereſſe*. Quae Eccleſia eius ſenſus eſt auctor? vniuerſalis, an particularis; an certi Doctores? Num & his infallibilis auctoritas circa deſignanda illa rudera? Num & illi haeretici, qui horum tradita adſpernantur? Et ne tricandi materia deſit, iam etiam ſi Diis placet, ius naturale eſt adornandum *ad diſciplinam Platonicam*, & circa eius dicta accommodanda aut detorquenda labor eſt ſumendus: velut parum ſit ſcholas per tot ſecula explicandis Ariſtotelis textibus incaſſum inſudaſſe. Equidem maxima fuit ingenii vis Platoni, fuit & Ariſtoteli; ſed vt diſciplinae abs natiua ſua habitudine ad ipſorum tradita vtique detorqueantur, id neceſſum non eſt.

§. XIX. Displicet quoque Dn. Zentgravio (p.142. ſeqq.) quod a me propoſitiones actuales & diſtinctae circa agenda & fugienda in animis infantum deprehendi negentur. Quas cum nemo mortalium obſeruare poſſit, nec ipſe diſerte eas ſtatuere audet; ſed tantum per ambages dicit: *Legem homini interiorem eſſe habituale quid, congenitum, ipſiusque intellectui tanquam lumen recti, & ſemen boni ſuperadditum, & intellectui ipſius animae tanquam tabulae inſcriptum*. Addit tamen: *Sicut illa, quae ex aetatis imbecillitate, quae vſum rationis derogat, eueniunt, non poſſunt negare ipſam rationem, ita ex eo, quod paulatim ſeſe notitiae inſitae exſerant, non licet propterea illas negatum ire*. Aſt ego contradico; vti infantes quidem rationem habent, actu exſerendam, vbi aetas acceſſerit, nec ideo tamen per infantilem aetatem actualia & diſtincta obſeruantur ratiocinia: ita ineſt vtique animis infantum facultas intelligendi legem naturalem, quando vſus rationis ſeſe exſeruerit; vt tamen ante vſum rationis actuales & diſtinctae propoſitiones non adſint. Ex dicto Rom. II, 15. nego duntaxat conſequi, actuales & diſtinctas propoſitiones de legibus naturalibus infantum animis inhaerere. Neque opus eſt, vt cum Zentgravio litigem, num phraſis *inſcribi cordibus* proprie an tropice ſit intelligenda, cum ipſe neſcire videatur, quale genus actionis ſcripto proprie dicta denotet. Dictum Lucae II, 12. eo tantum fine a me adductum fuit, vt oſtenderem, aequipollere phraſes illas, recondere aliquid in corde ſuo, & inſcribere cordi. Ex eo porro, quod vis & obligatio conſcientiae non ſit ab adſuetudine, ſed a Deo, nimis liberaliter infertur; animis infantum actuales & diſtinctas propoſitiones circa agenda & fugienda adeſſe. Quando dicitur, legem naturae intellectui hominis quid eſſe *ſuperadditum*, obſeruandum eſt, legem primo & proprie in

legiſlatore eſſe, cuius notitia dein ſubdito imprimitur. Eoque & lex naturalis non eſt pars hominis aut facultas aliqua congenita. Sed vt eadem lex a Deo inſita homini queat dici, ſufficit, naturam hominis a creatore ita formatam & diſpoſitam, vt notitia eius legis vtique animo hominis ſeſe inſinuet, quamprimum rationis vſus ſeſe exſerit. Sicuti verbi gratia non neceſſum eſt, vt organis ſenſuum ſpecies viſibiles actu ab ipſa natura inhaereant, ſed ſufficit, illa per naturam ſic eſſe diſpoſita: vt vbi ab iſtis feriantur, ſtatim eadem comprehendere & diiudicare queant. Sic & mens hominis a Deo formata eſt; vt ſtatim atque ſuper actionibus ſuis ſe poſſit reflectere, de eorum rectitudine & prauitate, & num ſibi conueniant, an minus, iudicare queat. Ea vis humanae mentis lumen, ac ſemen, radius an ſcintilla vocetur, mea nihil intereſt, cum nihil horum actuales & diſtinctas propoſitiones notet. Vellem quoque ſcire, quibus popularibus verbis ſuum illud *habituale quid* explicaturus ſit. Nam ſine dubio dat ſine mente ſonum, quando dicit (p. 151.) *Etſi homo vbi naſcitur, actu nondum cognoſcat leges, promulgationem tamen vel nondum factam, vel hominem recens natum per leges has non obligari dici nequit. Penitus enim infantes ignorare non poſſunt, dari leges haſce, ceu quas habitu cognitas habent, etſi iſta cognitio ſe nondum exſerat: ex quo ſequitur, quod non ſint penitus ſine obligatione ſcil. habituali.* Quaeſo amoue iſta verba inſignificantia, & ſi quid dicere velis, dic, infantum animis ineſſe actuales & diſtinctas propoſitiones; & ſimul eas nobis oſtende.

§. XX. Qvae reſtant, exigui ſunt momenti; velut quod carpit, a me *iuris naturalis ſcita ad vſum duntaxat fori humani adaptari;* quia in Theologiam moralem mihi falcem immittere non placebat: aut quod *ius naturae* dicto modo tractatum *maximam partem circa formandas hominis exteriores actiones verſari* dixeram. Aduerſus quod fruſtra a Zentgravio obiicitur: *Ex impuro corde non niſi impuras exoriri actiones; & cui impune licet in mente atrocia quaeque moliri ſcelera, quid mirum, ſi cogitationum impuritas in externam abeat malitiam.* Atqui dixi ego *maximam partem:* igitur & interioribus actionibus ſuum reliqui locum. Quod autem in foro humano & diuerſas inter gentes maximam partem ſuper actionibus exterioribus diſceptetur, impudens foret negare. Cogitationis poenam in foro humano neminem luere tralatitium eſt. Impuritatem autem cordis & actionum conſiderare ad Theologiam ſpectat. Eſt & illa ſequela oppido quam craſſa, diſciplina iuris naturalis ad forum humanum adaptata maximam partem circa exteriores hominis actiones verſatur; igitur impune licet in mente atrocia quaeque moliri ſcelera. Nam nos vtique paſſim diſcrimen diuini & humani fori inſinuamus. Pergit: *Amplitudini diuini in homines imperii aduerſatur, ſi quando actus interiores, qui per ſe & primo ſunt actiones hominis, quorum ſigna ſunt actus exteriores, eidem mortales obnoxios negemus.* Indagandus eſt Zentgravio, cui hanc obiectionem obtrudat. Nam mihi quidem nunquam in mentem venit negare, actus interiores diuino imperio obnoxios eſſe. Neſcio etiam, quam accurate dicatur, actiones exteriores interiorum *ſigna* eſſe. Diſplicuiſſe quoque ipſi videtur, (p. 86.) quod ego tradiderim, Decalogum in republica Iudaica habuiſſe vim

legum

Digitized by Google

legum ciuilium. Quo ſenſu id a me dictum fuerit, oſtendit Apologia §. 13. Quin autem ea praecepta, quatenus dictamina legis naturalis continent, omnes homines etiam gentiles obligauerint, nullibi a me in dubium fuit reuocatum. Quod porro dicit: *Quanquam Moſis miniſterium ad Iſraëlitas tunc pertinuerit, ipſa tamen LEX MORALIS a Deo per Moſen promulgata omnes concernebat homines* (imo & ante Moſis promulgationem) *ita vt lege Decalogi obligarentur non ideo praeciſe, quod quae eo continentur, moralia ſunt, ſed quatenus etiam ab ipſo Deo ſolenniter eſt promulgata;* id Theologis excutiendum relinquimus, qui neſcio an ſint probaturi, obligationem gentilium ad legem moralem & naturalem a promulgatione Decalogi in monte Sinai facta deriuari. Ab eodem quoque falſo (pag. 18.) arguitur, me contradicere illis, quae ab ipſo ſuper pudore traduntur; quod cuiuis, qui meam & ipſius theſin contulerit, ad oculum patebit. Denique & neſcio, quid Dn. ZENTGRAVIO (p. 117.) in mentem venerit, quod dum ipſe negatum it, *legem naturae eſſe ipſam vim animae noſtrae intellectiuam & facultatem iudicatricem,* verba mea p. 179. velut iſtam ſententiam propugnantia adduxerit, cum dicto loco, vtique *primorum & verorum principiorum*, ſeu *axiomatum* a me expreſſe mentio fiat, quae ſane a vi animae differunt. Atque haec fere ſunt, quae amoliendis Dn. ZENTGRAVII obiectionibus monere viſum fuit.

* *

CAPVT II.

QVO IIS, QVAE A DN. D. VALENTINO ALBERTO, LIPSIENSI PROFESSORE, OBIICIVNTVR, RESPONDETVR.

§. I.

VENIO nunc ad Dominum D. ALBERTVM, aduerſus quem quo ſcriptionis genere vtar, fere dubius haereo. Ita enim proterue me laceſſit, id iracundiae & ineptiarum miſcet, vt non leui brachio caſtigari mereatur. Praeſertim cum humanitatis officium videatur, nimium ſuorum libellorum amorem excutere viro caetera non ſpernendo, & amarius aliquod antidotum opponere nimis ſaccharatis amicorum encomiis, qui deoſculando ipſius compendio immoriuntur. Contra non eſt, quare id ſeruitutis mihi imponi patiar, vt cuiuſuis ſcabiei ſcalpendae mihi vtique vacandum ſit. Ac ſpes eſt, bonam mentem vltro ſcabituram, poſtquam ab Aſinio Tenebrione excitata nubes iam euanuit. Igitur non plura dicam, quam pro me neceſſarium eſt; caetera veteri amicitiae condonabuntur. Eoque omiſſo titulo libelli, noſtro Specimini

cimini Controuerſiarum ex parte oppoſiti, qui μίμησιν viro graui parum decoram prae ſe fert, circa *praefationem ad Lectorem* moneo, dictata ipſius, cum a me conſpicerentur, hautquaquam me *ad indignationem* commouiſſe; cuius affectus veſtigium libellus meus eo loco prae ſe non fert. Fas tamen mihi fuit, non inſuper habere horribilem criminationem, velut & ipſe ſim inter eos numerandus, qui inſtinctu diaboli diſciplinam iuris naturae & gentium cum orthodoxa fide commiſerint: niſi forte inter blanditias iſti ducitur, inter miniſtros Satanae alios diſponere. *Dignitas iuris naturalis* a me *violata* dicitur, quam Dn. ALBERTVS *omnibus modis aſſerere* ſtudet. *Quam obſcurant*, inquit, *diuinam originem iuris naturalis ea, quae de homine in mundum vndequaque proiecto, inque ſtatu miſerrimo primum viuente fingit*. Aſt quam obſcurant opinionem candoris & ingenii tui, quod in ipſo diſceptationis limine obſcoenum IOSVAE SCHWARZII carmen reſones? *Fingere*, quid dicitur, vel qui falſi aliquid pro vero venditat, vel qui aliquid, quod ipſe falſum profitetur, tantiſper ſupponit certae rei illuſtrandae gratia. Poſteriori ſenſu ego fingo hominem vndecunque in mundum proiectum, vt declararem, quam miſer futurus eſſet homo ſolus in mundo inculto deſtitutus, & ni peculiari Numinis cura foueretur. Aſt D. Albertus priorem ſenſum mihi affingere non erubeſcit, quaſi ego *fingam;* id eſt, falſo aſſeram, hominem neſcio, vnde in huncce mundum coniectum. De caetero meam methodum ſequenti non minus diuinitas iuris naturalis oculis obuerſatur, quam qui in pictura compendio Alberti praefixa inconniuis oculis defixus haeret. Sed nec detrahitur quid dignitati iuris naturalis, quod illud ex ratione iam corrupta deriuatum eam, *adeoque caecum caeco ducem dem*. Sane corruptela illa non obſtat, quo minus homo adhuc ſit animal rationale, & Mathematici demonſtrationes fallere neſcias extruant. Neque enim viam ſalutis aeternae ex noſtra diſciplina inueſtigatum imus. Quin vehementer fallitur D. ALBERTVS, ſi putat, aliunde ſe regulas ſuas, & canorum illud *formaliter normaliter* hauſiſſe, quam ex ratione eheu! quam corrupta. Sane, quod accuratiores Theologi aſſerunt, nec D. ALBERTVS abnuit, phraſi Scripturae quid imaginis diuinae nomine veniat, in talibus conſtitui nequit, quae etiam in hominis non renati animum cadunt. Ex quo recte infertur, quae in Diuinis Literis de imagine Dei traduntur, ad doctrinam de iure naturali nihil pertinere. Neque vero in hiſtoria ſtatus integritatis, quam ſacer Codex deſcribit, vola aut veſtigium regularum iſtarum adparet. Et reuera tota iſta machina innititur phraſi extra diuinas Literas a Philippo Melanchthone ni fallor inuenta, & ab aliis citra curioſam inquiſitionem aſſumpta; qua nihil ad illuſtrandum ius naturale profici compendium D. ALBERTI ſatis oſtendit. Denique nec in eo quid a me dignitati iuris naturalis detrahitur, quod idem ad ſocialitatem referam, & circa exteriores actiones maximam partem verſari doceam. Nam ego illa, quae ad Theologiam ſpectant, diſciplinae ad vſum fori humani adaptatae admiſcere ἀπαίδευτον iudico. Nec qui proximum & peculiarem finem alicuius diſciplinae exprimit, is ideo communem finem excludit, aut abnegat. Et quod ius naturae exercendum eſſe aduerſus alios homines ad colendam ſocialitatem dicitur, id non obſtat, quo minus illud ad auctorem ſui Deum

Digitized by Google

Deum nos manuducat. Claudit iſtum locum ridiculo ratiocinio ALBERTVS: Quia ipſe in poſtulata mea conſentire nullo modo vult, nec poteſt, ideo me diſſenſum eiusdem aegre ferre. Quaſi aut ille ſapientiae humanae dictator foret; aut mea tantopere interſit, num alius mihi conſentiat, an minus.

§. II. INSTITVTVM porro meum, quo a peculiari religione abſtrahendo diſciplinam iuris naturalis ad captum omnium hominum, queis aliqua rationem excolendi cura, adaptaui, elumbi valde cauillo inſultat ALBERTVS, neſcio, quae *de ſcientia ac fide vniuerſali Comoeniana* ganniens. Quaſi diſciplina iuris naturalis & gentium non ſua indole ſit vniuerſalis, ſeu omnes homines, gentesque ſpectans; quae ſtolido conſilio ad certarum duntaxat gentium captum reſtringitur. Notantur inde quaedam a me tradita, velut a captu omnium hominum abhorrentia. Exempli cauſa adducitur, quod ego doceam, *paternum imperium niti praeſumto liberorum conſenſu*, non vnice, ſed inter alias rationes, *& pro occaſione illius, non pro cauſa natiuitatem habendam eſſe.* Atqui ni oſtendatur, haec rationi repugnare, vtique ad captum omnium hominum eadem eſſe cenſendum eſt. Socialitatem quoque inter arcana dogmata a Chinenſibus habitum iri iudicat, lepido ſane ratiocinio: Quia Principes omnia ad ſocialitatem referunt, igitur non iudicabunt e re ciuilis ſocietatis ius naturale publice doceri. Id eſt, quia omnium Principum intereſt, vt ciues ſui ſociabiles ſe gerant, igitur praecepta ſocialitatis publicanda non ſunt, ſed inter paucos tantum ſecreto ſunt habenda. Caeterum nec ego gentilibus rationem, & quicquid facultatum humano generi conceſſit Deus, eripio. Quae modo ſi retineant, haud aegre laturi videntur, quae praeter Scripturam ſacram finguntur, rudera diuinae imaginis ſibi eripi. Quod ſi tamen Chriſtianus Orbis D. ALBERTI Compendium non capit, me ſane non inuidente iter ad Chinenſes ſuſcipiat: vbi ſine dubio maximus populi adplauſus aduentantem excipiet, ſi picturam Compendio ſuo praefixam, Dioxippi Athenienſis pugilis, & Horratae Macedonis pugnam, ex Curtii L. IX. vt puto exprimentem, ſibi praeferri curauerit; ex qua inuſitatum ſibi ſpectaculi genus pollicebitur.

§. III. SCRIPSERAM quoque ego, exemplis conſtare, quam non ex vſu ſit, Theologis politicam architectonicam formandam relinqui. Excipit D. ALBERTVS, id ad orthodoxos Theologos non ſpectare. Id quod ego facile admitto; cum illa, quae innui, exempla a Ieſuitis & Fanaticis profecta ſint. Sed quia nulla non ex ſectis Chriſtianorum orthodoxiae ſibi gloriam vindicat, vbi noſtrates Theologi ſibi, vt talibus, Politicam ſubiecerint, ne caeterarum quidem ſectarum Theologi deterioris eſſe conditionis volent. Igitur in vniuerſum ſatius fuerit, Theologos vt tales ſuae Theologiae adquieſcere; Politicam velut diſciplinam rationi ſuperſtructam propriis & domeſticis principiis relinquere. ALBERTVS tamen, cum *peſtilentiſſimam aliorum πολυπϱαγμοσύνην* perſtrinxiſſet, ſui oblitus mox ſubiungit: *De hac iniuria viderint alii*, Ieſuitae & Fanatici, *ad quos ea propius pertinet.* Ergo quibus ipſe peſtilentiſſimam πολυπϱαγμοσύνην tribuit, iisdem dum paria a me obiiciuntur, iniuriam fieri arguit.

guit. Valde ſuaſerim D. ALBERTO, ne per iracundiam deinceps quid in chartam coniiciat. Sed nec video, quare D. ALBERTVS in ſe potiſſimum trahere voluerit, quae ego in genere de ſolicitudine antiquorum magiſtrorum circa collegia ſua tetigeram; cum communis iſte ſit affectus eruditis, vt foetibus ſuis exiſtimationem detrahi aegre ferant; cui affectui vincendo vix centeſimus quisque par fuerit. Neque vero tam *grauem culpam* ALBERTO impingere, in mentem venit, *ac ſi doceret, vt diteſceret*. Sane quo minus praemium laboris accipiat, nemo vitio vertet. Nam quod iactat, ſe ſuos libros gratis docere malle, quam meos cum ſpe lucri, non is contemptus pecuniae eſt, ſed pura puta inuidia; cui an id futurum potentiae ſit, vt libros meos omnium manibus ſit excuſſura, valde dubito: qui cur non absque ipſo interprete legi aut intelligi poſſint, nihil rationis video. Id quoque parum Ipſi decorum, poſtquam paſſim iam Aſinii Tenebrionis veſania deſpuitur, ab iſto vocabula *nouitatum* & *incautae iuuentutis* mutuo ſumere, ac iam dudum exſibilatam calumniam denuo in ſcenam producere. In docendo ei *gloriam Dei* & *bonum publicum* eſſe propoſitum facile crediderim. Sed & illud ſibi perſuadeat velim, non alium mihi ſcopum fuiſſe, & eſſe. Neque ſane Pufendorfio veritate corrupta opus eſt, cuius aſſerendae Albertus neceſſitatem ſibi impoſitam credit, niſi forte animi ſanctimoniam prolixitate pallii metitur. Haud quidquam tamen gloriae diuinae magis intereſt, vt veteres & inanes naeniae cantillentur, quam vt bonae ſcientiae natiuo cultu adornatae exſplendeſcant. Id quoque nunc facile crediderim, nihil ipſum affectui in affinem ſuum Virum Celeberrimum Dn. D. Scherzerum dediſſe. Nam cum ALBERTVS profligatam iam litem vltro ſuam fecerit, ille longe ſapientius ac generoſius ſolicitationes Beckmanni, Schwarziique & Geſenii adſpernatus eſt, ac indignum ſe iudicauit, iſtorum ſeſe furori propugnatorem praebere. Cum iſte contra, quo plura per inconſultum animi impetum conſcribillat, eo magis morbos animi ſui pandit. Quam effoeminatum enim hominem arguit, quod *Chriſtiana patientia* in ſubſidium aduocanda fuerit digerendae contumeliae, quam vocabulo *veterum Magiſtrorum, naris minus emunctae, commentorum* ſibi iniuſtam credit. Etſi dente plusquam Theonino armata ſit illa Chriſtiana patientia, quae pro veteris Magiſtri honore *irriſoris & malignantis* conuicium, quam modeſtiſſime reponit, ac impietatis arguit illum, qui certa in re parum perſpicacem ipſum monuerat. Sed & illud valde putidum eſt, quod velut magnam mihi inuidiam facturus me ſubinde *Cenſorem* indigitet: cum abs ipſo cenſendi & traducendi initium ſit factum; mihi autem aduerſus alienas obtrectationes defenſio ſuſcipienda fuerit. Quanquam reuera non ita ſit inuidioſum in Alberti Compendium cenſuram exercere. Sed nimirum non poſſunt non iſtorum hominum animi per enormia elogia, queis aures ipſorum quotidie verberantur, inflari. Qui enim nil aliud audit, quam lumen & columen Eccleſiae, flumen & ſumen ſapientiae, bitumen & alumen eruditionis; vbi alium citra adulationem de ſe iudicare videt; velut maxima iniuria illata excandeſcit. Circa ſtylum denique ſatius fuerat, nihil tangere, cum ego nunquam Alberto ſcribendi Magiſtro vti conſtituerim. Id tamen non praeter rem, quod *ſimilitudines* meae ipſi tantopere diſplicent; quippe queis Aſinium

Aſinium ſociosque ad viuum tactos conſtat. Et haec quidem ad praecalidam illam praefationem.

§. IV. Ipso in opuſculo Lamperti Danaei verba adducuntur: (p 4.) *An Deus poſſit quoduis malum, etiam odium ſui praecipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum ſui.* Quibus ſubiungit: *Vtinam ſi ab illis ſemper diſſenſit Puſendorfius, nulla harmoniae in vocibus extarent veſtigia.* Iura liquido, ſi potes, Alberti, te iſthoc non calumniandi animo ſcripſiſſe; cum ſatis noſſes, me iſtam ſententiam contradictionis & abſurditatis arguiſſe. Controuerſiae Hofmannianae (p. 5.) ego ſane nondum ingens ponere pretium poſſum, quippe quam ratiocinia ex ſenſu communi petita deſtruere valent. Ac modeſtius vtique iudico, moroſitatis aliquem & zeli a ſcientia parum inſtructi arguere, quae humana vitia ſunt, quam per manſuetudinem, ſi Diis placet, Theologicam inter diaboli inſtrumenta referre. (p. 6.) Diſtinctiuncula inter *eſſentiam* & *exſiſtentiam* iuris naturalis hautquidquam efficit, vt ius naturale orthodoxae fidei aduerſum euadat ob admixtos a Doctoribus errores. Sicuti Verbum Dei ob falſas quorundam interpretationes non ideo quoad exſiſtentiam corruptum dici poteſt. Quod ſi tamen quis errata auctorum a veris eius diſciplinae ſcitis ſeparare inſtituat, illi paulo curatius lauare manus conuenit, quam Aſinius Tenebrio fecit, qui ad cubitum vsque malitiae & calumniarum ſordibus heic inquinatus adparet; nec parum ipſius Alberti digiti illuuie ſqualent. De caetero in Alberti gratiam nemo me in exilium expellet. Neque multum mihi a cenſuris eorum metuo, queis ſuo iure de politica architectonica cura eſt, modo ipſi propriis oculis, non perſpicillis ab Aſinio Tenebrione corruptis, cernere velint. (p. 8.) Num commendata Alberto methodus, vt iuxta theſin ſemper antitheſis ponatur, commodiſſima ſit, ingenia iudicent, quae furfuribus ſaginari non ſueuerunt. Et maneant equidem capita & libri ex Ariſtotele, quibus veterum quorundam commenta deſtruit, aut cauillatur. Sed vt iſta in perpetuum refricentur, etiam quando nemo eſt, qui veterem errorem defendit, inutilis ac inamoenus labor habeatur. Facile quoque Platoni aſſentimur, vt a falſis dogmatibus animum repurgatum habeat, qui veris eſt imbuendus. Sed ſaepe de falſis in mentem non veniſſet, ni intempeſtiua repetitione quis monitus fuiſſet. Praeterquam quod non omnibus eſt ea ſtomachi firmitas, vt ad talia non nauſeent. Id tamen valde modeſte Albertvs, quod *praefiſcini* exclamare non obliuiſcitur, dum *ad virorum maximorum iudicia* prouocat, quae vſque adeo inuitus audire *neceſſum* habuit, vt vi metuque coactus ea frontiſpicio libri ſui praemiſerit, neſcio, an vltra tertium lapidem valitura. Denique & inſolenter & pueriliter facit Albertvs, quod me interrogare non patitur, vnde ipſe hoc ſibi arroget, vt ſana ratione melius, quam caeteri vſus, iudicetur. Nam ſi hypotheſin ſuam pro foetu ſanae rationis venditat, cur nemo caeterorum mortalium ex inſpectione naturae rerum, aut ex ſenſu communi hactenus eam eruere valuit?

§ V. Accedit inde ad theſin ſuam primariam adſtruendam D. Albertvs: (p. 11.) quod *pura iuris naturalis notitia ex orthodoxa doctrina de ſtatu inte-*

integritatis hauriri poſſit ac *debeat.* Ratio *praecipua* additur: *Quia ius naturae eſt inter reliquias imaginis diuinae, quam homo in ſtatu integritatis habuit.* Ad quam ſtatuminandam toto ſacco rancidulae diſtinctiones ſcholaſticae effunduntur. Enimuero eam operam fruſtra ſumi adparet, ſi conſideretur, accuratiores Theologos, non refragante ipſo ALBERTO tradere; *imaginem Dei ſenſu Biblico ſola ſpiritualia complecti;* quo ſenſu eam *penitus periiſſe.* Igitur quae in diuinis literis ſuper imagine Dei traduntur, ad ius naturale penitus non ſpectant, eoque per Theologiam orthodoxam, quatenus ea diuinis literis innititur, & ex hiſce deducitur, ad ius naturae nihil proficitur. Et alias cultura iuris naturalis ad reparationem imaginis diuinae in regeneratis, & ſanctificationem pertineret; quod nemini per ſomnium hactenus aſſerere in mentem venit. *Conceduntur* tamen ab iisdem *vſu Eccleſiaſtico rudera aliqua diuinae imaginis.* Id eſt, quia Theologus quiſpiam notionem imaginis diuinae praeter ſacram Scripturam finxit, quem alii complures citra accuratiorem diſquiſitionem ſecuti ſunt: igitur ne, qui errorem iſtum deprehenderunt, cornicum oculos confingere voluiſſe videantur, ſenſus Eccleſiaſticus concedendus eſt, ſenſui Biblico contradiſtinctus, & rudera ſunt agnoſcenda, quae nunquam ad aedificium deſtructum pertinuerunt. Sic quia Theologi quidam antipodes dari negarunt, aut Solem die Paſchatis ſaltare, coeloſque vetuſtate corrugatos iam multis milliarium millibus humiliores aſſeruerunt; ideo ne iſti quapiam in re impegiſſe videantur concedendum eſt, ſenſu Eccleſiaſtico homines in altero hemiſphaerio in coelum prolabi, eodemque ſenſu Solem tripudiare, aut coelos ingentibus rugis obſitos eſſe. Equidem vt quis impropria locutione vtatur, ego parum curauerim. Aſt vt locutioni per Melanchthonem introductae ſacroſancta quaedam auctoritas circumponatur, & eam explodentes heterodoxiae conuicio notentur, id ſane ferendum non eſt. Nec qui ſapit Theologus, ſi quid extra Scripturam ſacram proferat, prae caeteris Philoſophantibus auctoritatem ſibi arrogabit. Nec promouet, quid ALBERTVS ſuis diſtinctiunculis, quae ad abſurdum redactis Magiſtris noſtris vltimum κηνοφύγετον ſunt, ne plane obmuteſcere neceſſum habeant. Diſtinctio *inter ius naturae, & eius notitiam,* ad rem nihil facit. Nam qui intelligit, quid lex ſit, in homine praeter notitiam legis nihil inueſtigabit. Notitia *perfectior* & *imperfectior* hautquidquam exinde prouenit, quod quis orthodoxus aut heterodoxus, planeue infidelis ſit, quippe cum, quae ſacra Scriptura de imagine Dei tradit, ad ius naturale non ſpectent. Et quae ALBERTVS in naturali iure nouit, ea non Orthodoxiae ſuae, ſed lectioni Grotii debet. Vnde & falſo *Chriſtianorum propria* dicitur *cognitio diſtincta* eius iuris. Nam diſtincta cognitio cuiuſuis diſciplinae a ſtudio & meditatione prouenit; quae per ſe aeque in infidelem, quam in Chriſtianum cadit. Quod autem ea cognitio iam maxime inter Chriſtianos floret, eſt, quia pleraeque bonae literae a Chriſtianis excoluntur. Nec minus inepta ſunt ſequentia: (p. 14.) *Principum,* inquit, τοῦ ἓν εἶναι *in ſcientiis & intelligentia; (quarum haec congenita principia praeſtat,) maxime vero in intelligentia eſt Theologia reuelata. Ab hoc principio pendet orthodoxia & heterodoxia in Philoſophia. Si enim illud negligimus, aut in erroneum (Haereticorum) incidimus, heterodoxe philoſo-*

loſophamur; ſi verum & genuinum aſſumimus & ſequimur, orthodoxè. Nam Theologia reuelata vel eadem principia tradit, quae ratio inuenit, vel aliqua hiſce ſuperaddit. Vbi prius fit, ſane & qui coniunctim illis principiis bene vtitur, recte philoſophari ſimpliciter dicitur, non orthodoxe: & qui ſolam rationem ſecutus S. Scripturae ignarus, ſi ex veris principiis bene ratiocinetur, itidem recte philoſophari dicitur, non orthodoxe, nec heterodoxe. Sicuti verbi gratia Cicero, qui de Officiis abſque Theologia reuelata tradit, hautquidquam heterodoxe aut haeretice philoſophari dicitur, etiam vbi a vero aberrat. Contra qui Philoſophiae aliquid ex Theologia reuelata admiſcet, is non orthodoxe philoſophatur, ſed intempeſtiue theologicatur. Sic quando ALBERTVS inter prandendum de rebus Theologicis diſſerit, aut Nicolaus Beckmannus cum recentibus ſuis combibonibus Monachis inter pocula de virtutibus Roſarii commentatur, non ideo aut ille orthodoxe prandere, aut hic heterodoxe potare dicetur.

§. VI. OPPOSVERAM porro ego: Statum integritatis inter duos homines ad breue tempus fuiſſe, nec in eius deſcriptione iuris naturalis mentionem fieri; eoque illum non poſſe normam eſſe tam variarum actionum, quae in genere humano multiplicato certum moderamen deſiderant. Heic ne plane obmuteſcat Dn. ALBERTVS, ſententiola adducitur: *Breuitatem perfectione compenſari, & ad hanc, non illam in norma adſpici.* Aſt non ideo verum eſſe deſinit, quod de naturali iure in hiſtoria ſtatus integri nulla mentio fiat. Quin de actionibus Adami in Paradiſo nihil memoratur, niſi quod animantibus vocabula impoſuerit, Euam dilexerit, & nudus abſque pudore inceſſerit: hinc ſtatim de lapſu memoratur. Praeter haec, quantum ego recordor, in tota S. Scriptura de actionibus Adami Paradiſiacis nihil recenſetur; nec vllibi eaedem in imitationem, aut exemplum perfectae vitae caeteris hominibus proponuntur. Nam nouus ille homo, quem Paulus induere nos iubet, Adamus non eſt. Et ſi ALBERTO vtique placebat Theologiam moralem, cum naturali iure confundere, cur non potius in normam eius iuris placebant actiones ſaltem communes Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti? Obiter quoque mirari lubet, quod, cum ALBERTVS vſum ſimilitudinum mihi exprobrauerit, ipſe exempla de acu magnetica, & horologio attulerit, quae ridiculae plane ad praeſentem quaeſtionem adplicantur. Negat inde ALBERTVS (pag. 16.) requiri, *vt in ſacris literis totidem verbis extet, ius naturae eſſe inter reliquias imaginis diuinae.* Atqui ne res quidem ipſa, ſenſusque diuinis literis continetur, prout ſupra h. c. §. 5. oſtendimus. Oppoſueram quoque ego, principia etiam theoretica ab ALBERTO inter imaginis diuinae reliquias referri; nec ideo tamen Arithmeticis aut Geometris ad ſtatum integritatis confugiendum. Aduerſus quae iſte excipit, vtraque quidem principia eſſe interna, id eſt, naturae humanae congenita; differre tamen in hoc, quod theoretica principia teſtimonio ſenſuum declarentur, practica non item. Quae exceptio inanis eſt. Nam & principia theoretica ratione, & practica, per ſenſus illuſtrari poſſunt. Sic ſi D. ALBERTVS ope ſenſuum declarare velit principium illud iuris, neminem laedere, abeat modo, ac viro forti colaphum impingat, ac ſtatim veritatem ſibi eius principii circa aures

oberrare ſentiet. Tandem (pag. 18.) D. ALBERTVS *inferiorem certitudinis gradum non inuidet lumini rationis ſibi relicto, ſuperiorem vero eidem ad ductum luminis gratiae pollicetur*. Atqui ſummus, quem naturale lumen pollicetur, certitudinis gradus eſt demonſtratio; qua obtenta nemo vlterius inquirere laborat. Lumen gratiae aliam certitudinem ſuppeditat non circa res demonſtrationi Logicae ſubiectas, quae ſciuntur, non creduntur, ſed rationi humanae abſconditas, & ad ſalutem animarum facientes; quae certitudo fide conſtat, veritati & promiſſis diuinis innixa. Igitur, ſi Diis placet, eadem fide, qua credimus Saluatorem noſtrum pro peccatis mundi ſatisfeciſſe, deinceps credemus, pacta eſſe ſeruanda, gratum animum benefactoribus adprobandum.

§. VII. MIRE dehinc ſe torquet D. ALBERTVS (pag. 20.) vt Philoſophiam nobis aliquam Chriſtianam comminiſcatur. Sed adhuc deſideramus illas *Theſes aut aſſertiones Spiritus Sancti quas Philoſophus Chriſtianus in foro humano conuertit in hypotheſes certiſſimarum ſcientiarum*. Quaeſo, ne inuideas orbi erudito iſtas theſes reuelatas, ſcientiarum humanarum hypotheſes. Nam de aquis ſupracoeleſtibus ipſe vltro remittere videtur. Nec quid nouae ſcientiae humanae e *propoſitionibus perſonalibus* exſculpi queat, adparet. Equidem iure merito caſtigor ego, quod non ſatis pedantice dixerim, *illas ideo inuſitatas vocari, quia ratio humana capere non poteſt connexionem ſubiecti & praedicati* Id enim longe ſublimius & diuinius erat dixiſſe: *non praedicantur nec in quid, nec in quale*. Aſſume tamen quaeſo theſin illam Theologicam, & conuerte eam in hypotheſin certiſſimae ſcientiae, ac gigne nobis noua theoremata Philoſophica; ac deinceps nobis Magnus Albertus eris. Nam a Deo poſſe fieri, quae rationis humanae captum excedunt, etiam Philoſophi non Chriſtiani admittunt. Et *materiam Deo non eſſe coaeuam, nec mari meteoricam eſſe naturam*, etiam ex ratione oſtendi poteſt.

§. VIII. INDE dum circa obiectiones meas diſſoluendas fatagit, primo iactat, quia ego *abſtrahendi* vocabulo aliquoties vſus eram (p. 23.) idcirco ſeſe meo exemplo idem vocabulum adhibuiſſe. Aſt mihi nunquam *abſtrahere* idem fuit, ac praeſupponere; quae ALBERTI confuſio eſt. Quanto ſatius igitur fuerat, agnoſcere, per inaduertentiam iſtud excidiſſe, quam ita impudentem & friuolam excuſationem comminiſci. Praefracte dehinc contendit, Chriſtiano ad hoc, vt philoſophetur, intuendum eſſe ſtatum integritatis (p. 24.) *Intueatur*, inquit, *homo corruptus hominem integrum, pie, iuſte, tranquille peragentem omnia*; nae *ille ſtatim videbit, quomodo ſe huic in actionibus ſuis conformare, eoque ipſo praeceptis iuris naturalis ſatisfacere poſſit & debeat*. Atqui tam pauca de actionibus Adami traduntur, vt quomodo noſtrae actiones ad illas formari queant, non adpareat. Sed nec ſi totos dies illum integrum hominem, quem ALBERTVS in frontiſpicio Compendii ſui aeri inciſum exhibet, intueri velim, adparet, quid ad ſapientiam aut probitatem inde proficere poſſim, niſi forte nudo ſaltare placeat. Addit, valde id quidem aniliter (pag. 25.) *Vtinam eodem modo puerperae & obſtetrices, reſpicientes ad Euam in ſtatu integritatis, dolores in pariendo minuere poſſent*. Quae talia fando Pſyllomache,

Bau-

Digitized by Google

Baucisue, vxorque edentula Fauni Temperet a lachrymis! Sed parcite ocellos fletu corrumpere aniculae. Nam auſpicatum ſecretis veſtris nomen ALBERTVS, vti videtur, libellum de arte obſtetricandi ad analogiam ſtatus integritatis commentabitur, pari felicitate, ac *bellum* nuper ad eandem analogiam dedit. Abs cuius ingenio etiam commentarium de officio carnificis ad analogiam ſtatus integri expectamus. Enimuero etſi *praecipuae Chriſtianorum factiones* in eo conſentiant, *hominem integrum fuiſſe virtutibus examuſſim imbutum;* cum tamen de hoc non niſi ex lumine reuelato conſtet, non ideo ſtatim id pro hypotheſi diſciplinae ex naturali lumine profluentis habebitur. Sed nec ideo Philoſophis Chriſtianis ſola obſequii gloria relicta eſt, quia ALBERTVS Logicam & Phyſicam tantopere ex Theologia locupletauit, &, quod myſterium hactenus omnes Philoſophos latuit, oſtendit, mare non eſſe meteorum, & materiam non eſſe aeternam. Cum porro iuri naturali domeſtica ſint principia (p 26.) quid opus eſt hypotheſin *ex verbo reuelato* eidem ſubſternere, quod fatente ALBERTO ei diſciplinae *externum eſt principium.* Ne tamen plane obmuteſcat, fingit nobis *duplicem* ſcientiarum *ſubordinationem, ſecundum eſſe, & ſecundum bene eſſe.* Aſt nobis ſufficit obtinuiſſe, ius naturale quoad eſſe ſuum Theologiae non ſubordinari. Num autem ALBERTVS (pag 27.) tantum lumen iſti diſciplinae intulerit, vt ad bene eſſe eadem Theologiae vtique ſit ſubordinanda, eruditus orbis iudicet. Qui ſine dubio multum ingenio iſtius viri debere ſe agnoſcet, quod repente Rempublicam literariam noua diſciplina auctiorem dedit, dum iam etiam *Theologiam naturalem Chriſtianam* eleganti contradictione enixus eſt Sicuti & gratulabitur ſibi de iſthoc theoremate Albertino: (p 28) *Philoſophus Chriſtianus imaginem Dei*, puto integram, *praeſupponere poteſt ac debet tanquam normam certiſſimam, cui actiones noſtrae ſecundum reliquias ipſius ſint conformandae, adeo vt in hac conſideratione Philoſophica imago Dei ſe habeat idealiter, in Theologia actualiter.* Hoc quidem eſt ſine mente ſonum dare ; niſi forte in euphonia vocabulorum (p.29) *idealiter, actualiter*, myſterii quid latitat. Poſt exhauſtum diſtinctionibus pedanticis ſaccum, ne plane ad ſilentium redigatur, e calumniis Nicolai Beckmanni & Ioſuae Schwarzii nonnihil mutuo ſumit, velut iſtis ſua elogia inuideret. Quin enim tantus diſtinguendi artifex diſcrimen a me ad nauſeam vſque inculcatum inter ſocialitatem aduerſus omnes homines exercendam, & inter peculiare commodum ſeu intereſſe ſocietatis alicuius particularis etiam vitioſae, animo complecti potuerit, mihi perſuadere non poſſum. Quod ergo tam graue ac certum periculum reipublicae imminet ex mea ſocialitate, niſi quod ab Aſinio Tenebrione primo fictum, mox alii pari ſtupore an impudentia diſtulere? Id tamen conſtat, homines Reipublicae tractandae peritos, quos ipſe inuidioſo ſcilicet vocabulo Statiſtas vocat, ius ſibi ſuum ex compendio Albertino non formaturos; ſed facile paſſuros, vt in aula pedanteriae iſtud ſe iactet. Denique & illud (p. 30.) a Nicolao Beckmanno mutuo ſumptum, quod perſtricto Winſtrupio *charitatem proximi & reuerentiam ſuperiorum* a me violatam arguat. Ergo ius naturale Albertinum requirit, vt inepta carmina, & inſipida ſcribendi ſtribligo diuinis elogiis onerentur; vtque atroces errores falſo obiecti

non arguantur, ſed per ſilentium agnoſcantur, ne alter calumniae conuincatur. De caetero Winſtrupius ille nunquam eousque ſuperior mihi fuit, quo minus iniuriam inferentem repellere potuerim. Quem omni officio colebam, quamdiu ſe, vti decebat, aduerſus me gerebat. Cum furori Beckmanniano ducem ſe praeberet, repuli, ſed longe breuiore brachio, quam merebatur; ac vindictam Deo commiſi. Quanquam & reuera inter officia humanitatis ſit, ſtultam alicui philautiam excutere. Sicuti, ni fallor; Philaemon iſte, qui Dionyſii carmina ſtultitiae plena adſpernabatur, de hoc melius merebatur, quam adulatores, qui iſta ad coelum efferendo aliorum ludibrio tyrannum exponebant. Sicuti & ego, ſi recte aeſtimare velis, de tuo Compendio orthodoxo melius mereor, quam amici tui, qui iſti deoſculando immoriuntur.

§. IX. In *capite ſecundo* alias quasdam aſſertiones ſuas vindicare nititur ALBERTVS. Ac primo quidem cum conſtet, quaedam praecepta iuris naturalis locum habere non niſi in ſtatu corrupto poſſe, vt nihilo ſecius ex ſtatu integro deriuentur, aſſerit: (p. 31.) *Ea praecepta habere ſtatum corruptum pro obiecto, integrum pro principio.* Ego cenſebam haec obſcuritatem habere apud iuuenes praeſertim. Et quanquam cernerem, iſta ALBERTO velut maxime perſpicua iactari, tamen admiratione potius quam inuidia tantae perſpicaciae perſtrictus dixeram: *Siue illa axiomata homini in ſtatu integro inhaeſiſſe, ſiue demum poſt lapſum in animis hominum enaſci coepiſſe ſtatuantur, rem difficultate non carere.* Difficultatem illam latius deducere omiſeram, quod crederem, non temere fore aliquem ita ſtupidum, cui illa non vltro in mentem veniat. Nam primo homini in ſtatu feliciſſimo haec praecepta actu in animo haeſiſſe; pauperibus eleemoſyna eſt danda, pupilli non ſunt defraudandi, defunctorum bona pro ratione graduum cognationis ſunt diuidenda, & ſimilia, vix ALBERTVS mihi perſuaſerit, praeſertim cum tam breue tempus Adamo in Paradiſo tribuatur, vt vix otium ipſi fuiſſe videatur, hypotheſin mortis & corruptae naturae fingere, & ad iſthanc leges naturales & conditionem generis humani ſpeculari. Cum probabilius ſit, ipſum praeter cultum Numinis rebus naturalibus contemplandis potiſſimum vacaſſe. Ni dicere velis, iſta omnia etiam ſub diuerſis hypotheſibus conſiderata vno intuitu eius intellectui ſeſe obtuliſſe. Quod facilius dixeris, quam probatum dederis. Quod ſi autem iſta principia in animis corruptorum hominum enata demum dicas; mirum videbitur, plus luminis congeniti actu exſiſtere in homine corrupto, quam integro. Aſt ALBERTO omnia heic plana; omnia expedita. Vnde citra ſcrupulum pronunciat: *Iſta partim homini in ſtatu integro actu inhaeſiſſe, & in nos propagata eſſe, vt ſuperiori eſt parendum, Deo aut magiſtratui iuſto: partim apud Chriſtianos e cognitione ſtatus integri puriſſime reſultare.* Enimuero vti facile concedo, Adamo vel primo loco hoc praeceptum, Deo eſt parendum, animo haeſiſſe: ita an etiam actu de hoc in mentem venerit, magiſtratui iuſto eſt parendum, non inmerito dubites. Sane enim in Adamum huius praecepti exercitium nunquam cadere poterat, quem ego filiorum imperio nunquam ſubiiciendum haut crediderim niſi & hoc velis eſſe ex decoro ſtatus integri, vt pater cum filiis faſces alternis gerat. Deinde de magiſtratu

ſtatu paradiſiaco res nondum ad liquidum perducta eſt. Et ſi quid ingenio polles, nec cenſorem metuis, quaeſo deforma nobis Ciuitatem Paradiſiacam, & diſtincte exprime, quae ratio ad eam inſtituendam homines mouerit, & cur non imperio paterno, inde auctoritate contenti, libertatem naturalem, qua nulla tunc mala libidine, ſecure gaudere poterant, retinuerint: quae vis tunc imperii, quae poteſtas magiſtratus, quae indoles legum ciuilium, quae ſanctio: an maiore ſtudio homines recta ſectaturi fuerint ob iuſſum magiſtratus. Tum quae forma ciuitatum; quis imperium habendi modus; num magiſtratus tunc a ſacerdotio diſtinctus: num iſtius magiſtratus poteſtas amplior, quam paterna fuerit; & eius generis plura. Quae tu ſi ita explicaueris, vt cordati riſum aut lachrymas continere queant, non triobolaris Statiſta habeberis. Sed circa alteram praeceptorum claſſem, quam Chriſtianos ex conſideratione ſtatus integri hauſiſſe dicis, vereor ne petas id, quod eſt in principio, & iubeas nos de natura habitus iudicare ex priuatione, de natura lucis ex tenebris. Sane de beneficentia hactenus tum ex lumine rationis, tum eximie ex libris Noui Foederis Chriſtiani cognouimus. Et nullibi tamen ſacrae literae, quibus haec doctrina maxime cordi eſt, iubent nos heic ad ſtatum integritatis reſpicere. Nec vlli puto mortalium ante Te in mentem venit beneficentiam erga pauperes deductum aut illuſtratum ire ex ſtatu Integritatis; id eſt, illam actionem, quae vnius hominis abundantiam, alterius miſeriam & egeſtatem praeſupponit, ex eo ſtatu, vbi quae homini alendo requirebantur, natura vltro ſuggerebat, vbi nulla opum exundantium cura, nulla eas cumulandi cauſa & ratio, nulla indigentia, nulla debilitas. In quo ſtatu etiam *communicationem* fuiſſe *benigniſſimam*, ego quidem capere nondum poſſum. Aut tu me doce, quaenam demum illae res fuerint, quae ita liberaliter communicauerint homines, inter quos nullum augendi res ſtudium, nulla egeſtas; & quibus pleraeque res ignotae, aut nulli vſui, circa quae iam vita noſtra maximam partem occupatur. Idem cenſendum (p 33.) de his quae ſequuntur: *Haereditates, actiones tutorum, ſententias iudicum, poenas, bella, foedera, innumera alia recte ſe habere intelligimus, quando audimus, ea, quae ſtatui corrupto propria ſunt, hodie ad analogiam ſtatus integri fieri non poſſe, niſi in ius naturae impingere velis.* Atqui de his omnibus recte hactenus & perfecte a ICtis & Politicis traditum fuit; quibus de ALBERTI hypotheſi nunquam cogitatum. Nec video, quid ex iſthac rectius aut accuratius circa talia, quam ex horum principiis tradi queat. Denique in quamcunque ſe formam vertat ALBERTVS, inepta eſt illa & abſurda, quam comminiſcitur analogia. Cum enim analogia in ſimilitudine, proportione, & paritate rationum conſiſtat, ſenſus communis vtique dictitat, affectionem illam analogicam in illo, ad quod alterum analogiam habere dicitur, in excellentiore gradu ineſſe, quam in eo, quod ad iſtud analogiam habet. Quo poſito neceſſum fuerit, hereditates, actiones tutorum, ſententias iudicum, poenas, bella, foedera, in ſtatu integro longe ſublimiori gradu extitiſſe, quam nunc in corrupto. Dicere autem, quod non exſiſtit, cum eo quod exſiſtit analogiam habere, aut illud huius normam eſſe, extremum in ſtultitia eſt. Et ſi deliciis dictionum ſuarum vti me patitur AL-

BERTVS, potius dixerim; non niſi ea normaliter ad ſtatum corruptum referri poſſe, quae ſtatui integro inſunt formaliter. Sanctitas & innocentia ſtatus integri nobis in ſtatu corrupto norma eſſe poſſunt; non ea, quae ab iſto ſtatu plane abhorreat. Vnde quanquam etiam ALBERTO non monenti diſcrimen inter medicinam & ius naturale notum ſit, verum tamen adhuc perſtat; non magis de legibus peccatum & mortem praeſupponentibus, quam de natura & cura morborum; ex ſtatu integro cognoſci poſſe.

§. X. REPETIT dehinc obſoletam querelam ALBERTVS, quod ius naturale maximam partem ad vſum fori humani retulerim. Cuius inſtituti me nondum poenitet. Quod tamen *forum internum quam maxime rectitudinem motuum internorum requirat*, ego dudum docui L. I. c. 8. §. 2. de Iure Naturae & Gentium. Vt mirum videatur, ALBERTVM dicere, me haec *neglexiſſe, aut ſpernere*. Sed quia etiam ex lumine rationis intelligo, me peccatorem eſſe, non autem, qua ratione Numen peccatis offenſum placandum ſit, quod ſola Theologia reuelata docet: igitur ius naturale ex ſolo rationis lumine traditum fruſtra ad forum internum, ſaltem primario, refertur, vbi ſolo hoc iure inſtructus damnari poſſum, abſolui non poſſum, & vbi morſus conſcientiae ſentiuntur, medicina non inuenitur. Vnde, quae ad forum internum ſpectant, ad Theologiam remittere placuit, quae praeter cognitionem peccati etiam expiationem docet. Id porro facile conceſſerim: ALBERTVM de libero hominis integri arbitrio recte ſentire, (p. 37.) quippe cui imago Dei *vtroſque oculos* implet: (credent homines ALBERTO duo paria oculorum eſſe,) ſed tamen reuera vocabulum *perinde* cum magno grano ſalis capiendum eſt, quod neque in dictis ex Auguſtino citatis occurrere deprehendo. Quae dein ego de praeceptis negatiuis in ſtatu integritatis *praefatione libelli de Officio hominis & ciuis* meditatus ſum, ALBERTO improbari video rationes ſententiae meae. deſtructas non video. Nec valde me mouet auguſtum & terribile nomen DOMINICI A SOTO, qui adducto loco in principia Theologiae impingit, quod de ſtatu integritatis loquens peccati *mortalis* mentionem faciat, cum ea diſtinctio peccati mortalis & venialis in ſtatu tantum regenerationis locum habeat. Vbi enim omnia peccata quoad effectum paria ſunt, tautologum eſt terminum *mortalis* adhibere. Deinde, etſi nemo negauerit, ſi Adamus in ſtatu innocentiae aliud quoddam peccatum admiſiſſet, non impune fuiſſe laturum: tamen quia in ſolam comeſtionem de arbore vetita atrociſſima illa ſanctio mortis expreſſe ſtatuta legitur; quid obſtat, quo minus dicamus, modo iſto peccato abſtinuiſſet homo, nullum aliud peccatum fuiſſe patraturum. Certe quomodo hanc ſententiam ex ſacris literis refutare poſſis, non video. Et ſi ſolis auctoritatibus res agatur, cur non potius mihi, quam Dominico a Soto credere malis? Praeſertim cum illecebra arboris vetitae in S. Scriptura exprimatur, Deo ſimilem fieri; aliorum peccatorum illecebras in eo ſtatu, vbi vitioſi cupidines non ſunt, percipere non poſſim. Et rationes quae exaggerando illo peccato adferuntur, in alia peccata non quadrant.

§. XI. CIR-

§. XI. Circa prohibitionem matrimonii inter fratres & ſorores, (p. 39.) quam etiam in ſtatu integro maioris honeſtatis cauſa faciendam Albertvs abſque idonea ratione tradit, nihil habet quod adferat, praeter par diſtinctionum; *inter legis ſanctionem & repetitionem, & inter ius naturae primaeuum & ſecundarium.* Atqui non ſufficit diſtinctiones adferre, ſed oportebat etiam eas ad praeſentem quaeſtionem adplicare. Nam ſi vel maxime concedam, legem de vetitis inter fratres & ſorores connubiis, Leuit. XVIII. non primum eſſe latam, ſed tantum repetitam: oſtendendum tamen erat, quando illa vtique lata foret. Neſcio quoque, an qui tot per annos Logicam publice docuit, capere poſſit, nullam eſſe hanc conſecutionem: Leu. XVIII, 9. lex de vetitis inter fratres & ſorores connubiis non primum lata eſt; igitur illa in ſtatu integritatis poſt multiplicatos homines maioris honeſtatis cauſa ferenda fuerat. Vt autem inanem illam diſtinctionem inter ius naturae primaeuum & ſecundarium admittamus, maiore auctoritate opus eſt. Quid tamen reuera ſuper hac quaeſtione definiendum ſit, ego hautquidquam me torſerim. Id tantum monuerim, ſolam communionem ſanguinis in ſtatu integro ſufficientem rationem non eſſe prohibendi connubii, inde videri conſtare, quod primi hominis vxor ex viri coſta formata ſit, caro de carne ipſius; quo nulla maior communio ſanguinis exſiſtere poteſt. Igitur ni inutili quaeſtione abſtinere malit D. Albertvs, aliae ipſi rationes fuerint inueſtigandae.

§. XII. Ad extremum regularum ſuarum auctoritatem adſtruit Albertvs (p. 40.) quas *ſponte ſibi veniſſe* aſſerit, ſicut zizania ſolent, quorum etiam proprium eſt, facile ſe multiplicare. Num autem nos infelices, quibus reuelatio regularum Albertinarum facta non eſt, *confuſam forte* duntaxat iuris naturalis notitiam obtineamus (p. 41.) *quae ex genuino iſtarum regularum vſu obtinetur certiſſima*, tunc demum liquido adparebit, quanto earum regularum adminiculo huic diſciplinae faſtigium impoſitum fuerit. Interim non poſſum non miſerari puerilem plane D. Alberti iactantiam, qua regulis ſuis triumphum acclamat, velut á me vltro campus eſſet deſertus: cum mihi ſuffecerit fundamenta ſubruiſſe; quibus ſublatis debilis compages vltro corruit. Vnde verendum eſt, ne intempeſtiuo triumphatori occinatur: *O Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!*

§. XIII. Tertivm caput D. Albertvs miſcet ex illis, quae ipſi per iniuriam ſcilicet a *Cenſore* imputata ſunt. Negat igitur primo, mihi abs ipſo imputatum, quaſi ego ſtatuerim, hominem *caſu* in hunc mundum proiectum. Ibi enim Epicuraeos ſibi ob oculos fuiſſe. Sed *lupum ante clamorem feſtinaſſe*, qua humanitatis pleniſſima phraſi vtitur latrator Albertvs. Aſt profecto tantam calumniarum colluuiem expreſſo aut ſuppreſſo nomine in me effuſam hiſce annis comperi, vt vitio mihi vertendum non ſit, ſi cupiam plus iuſto ſuſpicax videar. Et nihilominus dum vnam a me auertit calumniam, parem mihi impingit, (p. 42.) iubens me *audire ſententiam Lactantii aduerſus eos, quibuscum loquor. mutata ſaltem voce* caſu, *in agnatas particulas* vtcunque *vel* vndecunque. Sane quid Lactantius contra Epicuraeos diſputet, non demum

ex

Digitized by Google

ex ALBERTO diſcere debebam. Quid ergo opus erat, iſta verba mihi occinere, ni forte arbitratur, de veris humani generis originibus non aeque mihi atque ipſi conſtare. Quam porro immanem calumniandi rabiem hoc arguit, quod vocabulum *caſus & vndecunque* agnatas particulas vocet, velut & ego non multo melius, quam Epicuraei hominem in mundum proiectum ſtatuam. Cum ego iſto vocabulo innuam, me dicto loco, origines hominis in medio relinquere; non quod illas ignorem, aut de iisdem dubitem; ſed quia theſi, quam ibi probandam ſuſcepi, veritas conſtare poteſt, quamcunque de illis originibus ſententiam ſupponas. Quod ſi autem neget, calumniandi cauſa iſta ab ſe ſcripta, arguendus erit ſtupor tam aperta perſpexiſſe non valentis. In ſecundo loco, (p. 43.) dum vna via a contradictione extricare ſeſe nititur, alia in eandem prolabi videtur, dum meis verbis hanc de ſuo parentheſin infercit; *axiomata iuris Naturalis quae ſtatui corrupto propria ſunt:*) Si enim nobis poſt lapſum connaſcuntur, quae ſtatui corrupto propria ſunt, quomodo eadem apud Chriſtianos ex cognitione ſtatus integri reſultare dici poteſt? Cum illa, quae ex cognitione Chriſtianis propria reſultant, non connaſcantur; quae autem connoſcuntur, etiam in non Chriſtianos cadunt. Circa vocabula *oblique* ac *perinde* importunam pertinaciam oſtendit, (p. 44.) dum ne incommodius quidem verbum ſibi excidiſſe agnoſcere detrectat, velut ipſe mera oracula funderet. Nec eo ſecius mihi fas erit circa vires liberi arbitrii in homine integro vocula *perinde* abſtinere. Par pertinacia eſt (p. 45.) circa phraſin *a peccato retrahere*, quam peccatum iam praeſupponere ſenſus communis dictat: eoque abſurde adhiberi cenſebitur, vbi de Legiſlatore ſermo eſt, legem poſitiuam primum condente. Illa vero (p. 46.) non eſt eximia humanitas ſe a foediſſima & malitioſiſſima calumnia abſtinuiſſe, quaſi quidquam erroneum illa dictione contineatur: *Deum condito praecepto poſitiuo effeciſſe, vt actus, qui lege naturali peccatum non erat, peccatum fieret.* Credo apud Aſinium iſta calumnia etiam citra hederam venditari poterat. Sed nimirum nemo adhuc repertus eſt tam impudens, vt aequipollens GROTII dictum L. I. c. 1. § 10. (p. 46.) cauillari auderet: *Deus poſitiua vetando illicita facit.* Gloriatur inde, ſe humanitatis, vt nempe in meliorem potius, quam deteriorem partem incautius dicta interpretetur, in Compendio ſuo aliquoties ſpecimina edidiſſe, *non applaudentibus omnibus.* Atqui non aliud abs iſto heic praeſtitum, niſi quod naturali lege praecipitur, & bonis omnibus in vſu eſt. Quod ſi tamen iactura iſtius adplauſus Te torquet, mi D. ALBERTE, age, retracta tuam humanitatem, & impudenter calumniare. Quo facto ſtatim quatuor viri calumniarum, Schwarzius, Nicolaus Beckmannus, Fridericus Geſenius & Valentinus Velthemius in maximos plauſus erumpent, teque lubenter fraternitati ſuae adſcribent. Sed & circa *ſextum* operam ludit Albertus. Licet enim vel maxime *honeſtum* etiam *vtili* opponam, ac dicam, in ſtatu integro matrimonia inter fratres & ſorores non ob vtilitatem fuiſſe prohibita, ſed ob *honeſtatem:* non minus tamen haec dictio praeſupponit, id quod ante iſtud interdictum in vſu fuit, minus honeſtum fuiſſe. Quid denique (pag. 47.) ſolidi ſubſit commentitiae diſtinctioni *inter aſſertiones de re practica, & praecepta* de eadem iam alibi excuſſum. Non

puto

puto habet Albertvs, quod iactet, per Vindicias ſuas *pleniſſime* mihi *ſatisfactum.*

§. XIV. Caetervm ne Dn. Albertvs gratis mihi titulum Cenſoris impegerit, pauca quaedam circa *Compendium* ipſius *Orthodoxum* monere lubet. De cuius ſcopo haud obſcure videtur colligi ex palmario iſto axiomate: *Quidquid ex hypotheſi ſtatus corrupti neceſſario nobis faciendum eſt, id ad analogiam ſtatus integri orthodoxe expoſito facere nos iubet ius naturae.* Sane analogiam iſtam S. Scriptura nullibi deducit, nec de illa cuipiam mortalium ante iſtum puto in mentem venit. Et pauci videntur eo delirii prolapſuri, vt bellum, & quicquid actum in genere humano ex peccato & ſubſecuta inde miſeria redundauit, ad chymaericam analogiam ſtatus integri concipere poſſint aut velint. Reſtat igitur, vt deinceps Ius Naturale Alberti dictatis ſit metiendum, & qui cum eo ſenſerit orthodoxi vocabulo ſuperbus incedat; caeteri, ad quorum palatum iſta non ſunt, haereticorum nomine traducantur. In *Praefatione ad Lectorem* video Albertum pari ſolicitudine circa Decalogum agitari, cum Indicis Nouitatum auctoribus; quae vnde originem duxerit, mihi perſuadere non poſſum. Sane perſtat Decalogo auctoritas & ſanctimonia ſua, etſi diſciplina iuris naturalis ad ordinem decem praeceptorum non digeratur. Quin ipſe Albertvs in Compendio ſuo non Decalogum, ſed fictitiam analogiam & regulas paſſim inculcat. Dein ſcire velim, ex qua viſione Alberto conſtet, quod *diabolus toruo vultu Decalogum adſpiciat.* Cum, ſiquidem exitio hominum iſte laetatur, gaudio potius perfundi eundem credibile ſit conſpecto Decalogo, quo maledictio & damnatio aduerſus peccatores promulgatur. Sed & neſcio, quid purulenti habet adiecta ſimilitudo. Sane infecit genus humanum peccato diabolus: idem, dum Decalogum quoque corrumpere ſatagit, num *peccati medicinam* corrumpit? Mallem quoque claro latratu, quam obſcura muſſitatione expreſſum fuiſſe, (p. 2.) quinam forent illi non pauci, qui *rationi magis, quam reuelationi faueant, & quibus Decalogus nauſeam magis quam animum moneat.* Fortaſſe enim fuſtis non defuiſſet. Gratis quoque dicitur; (p. 3.) *qui olim ac hodie in incunabula iuris naturalis inquiſiuerunt, vtroque oculo ad antiquiſſima tempora reſpexiſſe, & quomodo primi homines vixerint, fundamenti loco poſuiſſe.* Id enim factum eſt, & fieri conuenit ab illis, qui de origine culturae humanae, aut ciuitatum anquirunt. Circa originem iuris naturalis id neque factum ab omnibus, aut pleriſque, neque fieri neceſſum eſt. Sane Grotius primaeuum hominum ſtatum fundamenti loco non ſupponit, ſed obiter de eo mentionem iniicit, vbi origines dominii indagat. Sed nec in noſtra hypotheſi neceſſarium eſt ſuper primaeua hominum conditione inquirere, cum etiam hodie vita humana citra ſocialitatem ſit miſerrima. Et qualem vitam primi homines egerint, quaeſtio facti (p. 5.) eſt, quae niſi ex S. Scripturis cognoſci poteſt. Sed & nullum eſt illud Alberti ratiocinium: ius naturae perfectum eſt, igitur illud ex perfectiſſimo ſtatu deriuandum. Per imperfectum enim ſtatum perfectioni legis Naturalis nihil decedit, ſed cognitio tantum eius redditur difficilior, & obſequium ei debitum imminuitur. Quod porro Albertvs in Theologiam reuelatam exſpatiatus quaeſiuit & inuenit, id

ex primo illo & perfecto homine non eruit, ſed ex cerebro ſuo in futiles regulas foecundo per vanitatem venditauit, velut ſummam perfectionem legi naturali dare idoneum. Quin inter ſpatiandum in ecſtaſin incidiſſe videtur, ita multae phantaſiae homini occurrerunt, quas nunc exagitare non vacat. Ex dicto Rom. I. 25. (p 7.) nihil minus, quam id colligi poteſt, hominibus in ſtatu defectionis citra reuelationem liquido de iure naturae conſtare non poſſe, niſi in ſubſidium adſciſcant doctrinam Chriſtianam orthodoxam de ſtatu integro. Et quid fiet de dicto Rom. II. 25. cuius heic data opera obliuiſcitur? Debuiſſet & nobis nominare *Monarchomachos illos*, qui citra paralogiſmos & *ἀσυλλογιστιῶν ſocialitatis via incedentes in id praecipitium inciderunt*, *licitum ob ſocialitatem eſſe regem*, *ſi Rempublicam e peccet*, *medio tollere*. Abſurde quoque pro ſe adducit ALBERTVS (p. 14.) illa Grotii verba: ius naturae per ſe *hominibus non corruptis* patet. Per tales non intelliguntur, qui in ſtatu integritatis viuunt, ſed quorum iudicium per prauam educationem & conſuetudinem non eſt detortum. Et alias non ignotum, quid Grotius de perfectione primi hominis ſenſerit. Neque ob dictum Iac. III. 9. ad intelligendum ius naturae cognitio de homine integro eſt excutienda. Sane & qui hodie *exaggerare* velit peccatum iniuſti bellatoris, eodem modo dicere poſſet; eum morti obiicere homines, pro quibus Saluator noſter ſanguinem ſuum effuderit. Num vero inde colligere licet: fontem e quo a Chriſtianis pura iuris Naturalis notitia hauriri debeat, eſſe orthodoxam doctrinam de paſſione Saluatoris? Denique & teſtimonium MELANCHTHONIS hoc, quo ALBERTVS vult, ſenſu prolatum non fuit. Qui ſane *in argumento ad Officia Ciceronis* (*membro I.*) quod ad hanc diſciplinam attinet, expreſſis verbis a Scriptura abſtrahi iubet. *Neque ego*, inquit, *de religione dico*, *quae ex ſacris libris petenda eſt*. *Ciuilis vitae conſuetudo a Cicerone deſcribitur*, *cum qua religio nihil pugnat*. *Scripſit de Officiis etiam* D. AMBROSIVS, *credo vt pueris inculcaret religionem*, *de qua videbat in Ciceronianis nihil praecipi*. *Verum ego religionem ex diuinis literis cenſeo hauriendam eſſe*, *de ciuilibus malim audire Ciceronem*. Obiter quoque ſcire velim, num qui ex cordatis Theologis *fidei orthodoxae cenſores* ſe vocari velint. Sane vitioſa, aut quae vitii ſuſpecta ſunt, cenſurae obnoxia habentur. In fidem autem orthodoxam, qui cenſorem feret? cuius tituli ſtoliditatem & inſolentiam ipſe credo Romanus Pontifex adſpernabitur.

§. XV. QVANQVAM autem in ipſo D. ALBERTI Compendio paſſim occurrant, quae caſtigationem merentur, tamen cum tam ignobili labore tempus impendere improbum ſit, paucis tantum notabuntur ea, quibus noſtra tradita cauillatur, & vellicat. Inter quae vel praecipuum eſt, quod dicit (p. 39.) *me hominem in hunc mundum proiectum ſine artibus & extra ſocietatem miſere viuentem poſuiſſe loco hypotheſeos meae*, quantumuis *ficta* illa ſit. Sed non magis calumniam certorum hominum, quam ſtuporem circa iſtum locum diſcuſſiſſe moleſtum eſt. Theſis mea ſeria & vera eſt; hominem, prout nunc ſe habet, in ſolitudine deſtitutum citra vllam opem humanam, aut peculiare Dei auxilium vitam miſerrimam agere. Alias enim neque in deportatione poena erit, neque

que

que in expoſitione infantum ſcelus. Ad illuſtrandam hanc theſin, quam nemo ſanus abnuet, dico; ei veritatem conſtare, ſi ſequeſtrata notitia, quae ſuper veris humani generis originibus ex S. Scriptura hauritur, quamcunque velis hypotheſin de origine generis humani fingas. Num eiusmodi fictio veritati quid praeiudicat? Sic ſi dicam, Nicolaus Beckmannus, ſi vel maxime Spartaci familia ortus, aut e nubibus ad ranae inſtar depluiſſe fingatur, obſcoeniſſimus morio eſt. Vnde ideo veritati natalium eius quidquam detrahitur? Vnde inſipida valde eſt grauitas, per quam ALBERTVS crepat: (p.40.) *Nos Lutherani adſueti ſumus ad fingendum nihil (ne in Philoſophia quidem, quia Chriſtiana eſſe debet.) cuius contrarium a Deo ipſo reuelatum eſt.* Quaſi ad Lutheranam fidem quid faciat, docendi gratia falſi quid tantiſper vt fictum, non vt verum ſupponere. Aut quaſi ZENTGRAVIVS minus bonus Lutheranus cenſeretur, licet aduerſus me ex abſurda hypotheſi, ſi Deus non datur, diſputet. Calumnia quoque eſt, quod quiſpiam *veriſſimam Chriſtianorum notitiam de actuali hominum ſtatu, eoque feliciſſimo in gratiam Gentilium diſſimulet, aut in fictionem de ſtatu miſerrimo transmutet.* Sane ſi quis Euangelium Gentilibus annunciaturus eſſet, is male faceret, ſi in ipſorum gratiam de ſtatu integritatis diſſimularet. Sed diſciplinam iuris naturalis, abſtrahendo a peculiari religione vniuerſaliter traditurus, non magis de ſtatu integritatis mentionem facere neceſſum habet, quam qui Medicinam docet, quod vero, *ſi ſtatus integritatis habeatur pro hypotheſi, ius naturae longe certius & clarius, quam vllo alio modo ſine omni errandi periculo deduci poſſit;* id quidem ex ALBERTI Compendio nondum adparet, ex quo generis humani oculi nondum eximia quadam luce perfuſi cernuntur. Et vellem ſcire aliquid ad diſciplinam iuris vniuerſalis pertinens, quod ex noſtra methodo *confuſe* tantum, ex Albertino Compendio *diſtinctiſſime* percipiatur. Porro qui leges naturales ad caput de ſocialitate (p.42.) refert, non ideo negat, actionum humanarum finem eſſe *debere gloriam Dei*. Num autem ſolus integritatis ſtatus *naturalis* vocabulo inſigniri debeat. Specim. Controu. c. 3. §. 3. (p.44.) ſatis expoſitum. Ea quoque foeda eſt calumnit, quod §.33. theſin meam; in diſciplina iuris naturalis hominem eſſe conſiderandum, prout ipſius natura eſt corrupta, hoc additamento interpoletur: *Recte, modo i. non excluderetur ſtatus integer tanquam principium.* Aſt ego non excludo ſtatum integritatis, ſed ab eo praeſcindo, tanquam qui ad Theologiam reuelatam pertineat. Quem quare non praeſuppoſuerim, tanquam principium huic diſciplinae, ſatis oſtendi. Inepta quoque eſt ſecunda nota: *Modo ſtatus corruptus habeatur pro obiecto.* Vbi quaeſo diuerſum a me traditur? Sane ego prauas inclinationes hominis conſidero non tanquam regulam agendorum, ſed tanquam morbum, cuius praui affectus per legem naturalem ſunt ſiſtendi. Quod carpit, a me tradi, (p.47.) Ius Naturale maximam partem circa externa occupari, praeter alibi dicta repono illud PHILIPPI MELANCHTHONIS Epit. Philoſ. moral. p. 3. *Philoſophia moralis eſt explicatio legis naturae, demonſtrationes ordine in artibus vſitato colligens, quantum ratio iudicare poteſt, quarum concluſiones ſunt definitiones virtutum, ſiue praecepta de regenda diſciplina in omnibus hominibus, congruentia cum Decalogo, quatenus de EXTERNA diſciplina concionatur.*

§. XVI. De illa quoque quaeſtione, (p. 49.) an congruum fuerit in ſtatu integritatis praecepta legis naturalis poſitiuis potius quam negatiuis vocabulis exprimi, alibi a nobis dictum. Fruſtra Albertvs obiicit: *Exemplo legis diuinae poſitiuae cognoſcimus, ad ea expreſſe inculcanda, ad quae nulla inclinatio eſt, libertatem contrarietatis ſufficere.* Nam ad fructum illius arboris vtique congenitus homini adpetitus erat, innoxius, ni diuinum interdictum acceſſiſſet. Aſt, verbi gratia, ad homicidium, adulterium, furtum, nulla congenita erat inclinatio. Et mirum eſt, Albertvm vſque adeo ſenſui communi ex ſola contradicendi libidine reniti; cum meae ſententiae, quoties placuerit, capere queat experimenta. Sane ſi etiam infimae conditionis ciui Magiſtratus pupillae cuiuspiam tuelam deferat, ac ipſi inculcet, vt pupillae bona diligenter adminiſtret, eiusque pudicitiam cuſtodiat; ea monita aequo is animo admittet. Aſt ſi id ſolicite ingeratur, ne diſſipet aut furto ſubducat rem pupillae, ne ipſe eandem conſtupret, aut aliis proſtituat, ne venenum eidem propinet, cum indignatione iſta audiet, velut contumelia ſibi allata. Reliqua alibi diſcuſſa ſunt; aut talia, vt non ſit operae pretium, iſtis conſectandis tempus impendere. Non poſſum tamen, quin impudentiam viri notem, qui, vt ſeſe Strimeſio, velut nimium me laudaſſet, purget, dicit: *Comparatiue, & ſi cum* Hobbesio *comparer, me laudaſſe*; & vti pullus ipſius, cui adhuc roſtrum flauet, pipit, non tali comparatione, qua virtus cum vitio, ſed qua minus vitium cum maiore vitio comparatur. Aſt ego te cum comparatiua tua laude in malam rem abire iubeo, & te viciſſim quoque comparatiue ad Fridericum Geſenium, & Valentinum Velthemium, aut ſi haec non ſufficiunt, ad Ioſuam Schwarzium & Nicolaum Beckmannum laudo. Equidem gratia Te mea opus non habere lubens agnoſco. Et ita moroſus ego ſum, vt ſi vel in coelum me laudibus extollas, Compendium tamen tuum exoſculaturus non ſim. Vehementer tamen ſuaſerim, vt cauillandi & calumniandi finem facias, & ſi vtique litibus delectaris, alium tibi deligas aduerſarium, magis otio abundantem, quicum vitilitigationis ſerram reciproces. Eſt enim, cuius prurientes in ſatyram manus vix contineo, abs quo erudito orbi ludibrio expoſitus, ſero ingemiſces, ni quietem tibi mature imperare queas.

CAPVT

* *

CAPVT III.

QVO OBIECTIONIBVS, DN. SAMVELIS STRIMESII RESPONDETVR.

§. I.

Accedendvm tandem eſt ad Dn. Samvelem Strimesivm, Profeſſorem Francofurtanum, quem adparet ingreſſu noui muneris me potiſſimum oppugnato inclareſcere voluiſſe. Cui & ipſi quantopere extra oleas vagetur, paucis oſtendendum eſt, poſtquam iam plane iſtis litibus defungi placet. Ac in *Praxiologia* quidem *Apodictica* p. 43. cum Hobbeſii ſtatum naturalem atrocibus verbis damnaſſet, addit: *Ob eandem cauſam me non vllam mereri excuſationem, quod ſtatum tantum corruptum & ab omni integritate alienum tanquam hypotheſin non quidem veram, ſed fictam propterea praeſtruo, vt diſciplinam ita generaliter traderem, vt & eadem ad captum Ethnicorum foret, quos ſtatum integritatis, vel rectius Creationis, ignorare facio ex ſolis diuinis Scripturis addiſcendum.* Circa iſtam accuſationem obſeruandum, primo Strimesivm mihi de ſuo affingere, quod ſupponam ſtatum *tantum* corruptum, *& ab omni integritate alienum.* Contrarium enim huius a me docetur L. II. c. 1. §. 5. & L. II. c. 2. §. 9. Deinde naturam hominis nunc corruptam ego non ſuppono tanquam *hypotheſin fictam*, ſed tanquam theſin nimis quam veram. Niſi forte Francofurti homines abſque labe originali naſcuntur. Sed longe diuerſa ſunt, quae a me velut ficta tantiſper ſupponuntur; quae accuratius expendiſſe decebat Strimesivm, antequam viuum & reſpondere paratum laceſſeret. Denique num rectius dicatur *ſtatus creationis*, quam integritatis alii litigent. Id ſaltem conſtat, illam integritatem & ſanctimoniam, quae lapſu primi hominis amiſſa fuit, Ethnicis ignoratam, ex ſola ſacra Scriptura addiſci. Cuius contrarium non euincunt dicta quorundam Philoſophorum Philippo Mornaeo & aliis adducta, quae nullam aliam corruptelam hominum, quam ex praua adſuetudine & velut contagio praeſupponunt. Vnde & nimis pro imperio pronunciat Strimesivs: *Non eſſe neceſſarium, vt in diſciplina Iuris N. homo nunc conſideretur, prout ipſius natura eſt corrupta, & prout eſt animal multis prauis cupiditatibus ſcatens.* Atqui citra iſtam conſiderationem aeque perfectum habebimus Iuris N. ſyſtema, ac ſi Theologi ſua diſciplina peccatum & corruptionem hominis excludere vellent. Quod tamen hi altius ad primaeuam integritatem aſcendant, ratio eſt, quae in diſciplinam Iuris N. non cadit. Et ipſe Strimesivs p. 85. tam de ſtatu *inſtitutionis*, quam *perfectionis* poſt hanc vitam pronunciat: *Neuter ſtatus heic attendi meretur, alibi nempe in Theologia iterum atque iterum inculcandus.*

§. II. Havd ſaniora ſunt, quae p. 89. ſeqq. circa ſtatum naturalem a me traditum cauillatur. Vbi primo per ſummam iniuriam *idem cum Hobbeſio inculcae* me arguit, quem prius horridorum errorum reum peregerat. Aſt ego efficiam, vt omnes cordati intelligant, illum quid carperet, non intellexiſſe; quod quale ſit nemini ignotum eſt. Quam friuolum enim eſt, quod p. 90. ait: *Statum naturalem, qui per fictionem talis eſt, nulli omnino vſui inſeruire, niſi vt ſubminiſtret, vel quo modo genus humanum calumniis proſcindi, vel quo pacto origo rerum Creatori erepta cum Epicuro atomis, aut alii ineptiori cauſae tribui*. Iurares, iſtum Friderici Geſenii fraternitatem ambire. Talia refutationem non merentur, quae ſcriptorem quid ſcriberet neſciuiſſe arguunt. Circa ſtatum naturalem qui reuera exſiſtit, monet: *Male ei opponi aduentitum, qui ſtatum etiam inter patrem & filium complectitur quam maxime naturalem.* Nimirum incognita eſt ambiguitas vocabuli naturalis, quod pro diuerſa oppoſitione diuerſas ſortitur notiones. 2. *Contradictorie dici: Statum hunc id habere, vt quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate iungatur, & tamen hominem nemini praeterquam Deo in eo ſubiectum eſſe, omnibus vero hominibus aequalem*, Male ſit illi, qui Strimesio librum meum legenti perſpicillum ſubduxerat. Sane neque citato loco, neque alibi extat; in eo ſtatu hominem ſoli Deo ſubiectum *omnibus hominibus aequalem* eſſe; ſed iſta verba ibi extant: *Quiuis cuiuis alteri, cui neque ipſe ſubiectus eſt, neque eundem ſibi ſubiectum habet, aequalis cenſetur*. Vnde magni ſtuporis eſt argumentum, quod oſtendi ſibi a me petit *ſocietatem, in qua omnes aequales ſunt, nec alter alteri ſubiectus.* Magnus profecto pudor eſt, quod Profeſſori Moralium a me demum inculcandum ſit, quod coniuges & parentes cum liberis inuicem non viuant in ſtatu naturali. Quod de caetero ab inaequalitate virium ad inaequalitatem iurium non liceat argumentari, diſcere poterat ex L. III. c. 2. §. 2. de Iuris Naturae & G. Aeque ſtupida eſt quaeſtio p. 91. *Vbi locorum reperiatur hominum ſocietas, in qua omnes tum ex proprio iudicio agunt, ex proprio itidem iudicio de mediis ad ſui conſeruationem facientibus definiunt, tum ſinguli agunt, quae rectae rationi conſona ſunt*. Ego trado de Iuribus eorum, qui in libertate naturali viuunt. Strimesivs quaerit, vbi locorum ſit ſocietas, in qua omnes utantur iuribus libertatis ſeu ſtatus naturalis, id eſt, quae non ſit ſocietas. Eſt magnae patientiae argumentum, etiam a puero talem quaeſtionem aequo animo audire. Denique conſeruationem ſui a me conſeruationi vniuerſi non opponi, ſatis adparet ex iis, quae a me traduntur L. II. c. 3. §. 16. Et ſui ipſius conſeruationi quam maxime ſtudet, qui credit, ſe non ſibi, ſed toti mundo genitum. Quia porro Strimesivs p. 220. quam Fridericus Geſenius in me calumniam euomuerat, regustat, etiam illa, quae huic dudum a me reſponſa ſunt, ſibi dicta putet. Ad illam quoque calumniam, quae p. 221. ponitur, alibi abunde reſponſum. Vanum quoque eſt, quod contendit, non niſi quatuor hominum ſtatus dari poſſe, eoque naturalem ſtatum non dari: cum quadripartita illa diuiſio ad Theologiam ſpectet; qua non obſtante in alia diſciplina alia humani ſtatus poteſt eſſe conſideratio.

§. III.

§. III. Sed & circa illam quaeſtionem, num quid malum ſit ante omnem legem diuinam & humanam, aliquot ſophiſticationes promulgat Strimesivs p. 231. *Si nulla*, inquit, *actio ante interdictum vel diuinum vel humanum mala eſt, tum nec Deus nec homo vnquam malum prohibuerunt. Ratio conſequentiae eſt, quia iuxta hanc hypotheſin prohibitio ſemper prior eſt malo, quod per & propter illam demum naturam ſuum nanciſcitur. Sed illud abſurdum foret dicere: Deum nihil vnquam prohibuiſſe, niſi quod ſua natura vel bonum vel indifferens fuit. Ergo: nec illud ſibi conſtat, nullum ſua natura bonum vel indifferens eſſe.* Enimuero ſi ſophiſmate hoc noſtram ſententiam petit Strimesivs, longe ipſum ratio fugit. Nos quippe illam actionem neceſſario bonam dicimus, quae cum conditione humanae naturae a Deo conditae ita congruit, vt haec ſine illius obſeruantia ſubſiſtere nequeat: malam contra, quae ita repugnat naturae a Deo conditae, vt eandem deſtruat. Vnde abſurde concipitur actio bona aut mala, antequam concipiatur ſubiectum, a quo actio illa exercenda ſit, ni effectum prius, quam cauſam concipere velimus. Non autem credo aliquem eo abſurditatis prolapſum, vt diceret, malum actu extitiſſe ante legem, quae humano generi coaeua, id eſt, adiunctum ante ſubiectum. Id autem ego nuſpiam tradidi, quoduis malum per & propter ſolam prohibitionem naturam demum ſuam nanciſci. Iungitur quippe a me prohibitioni certa humanae naturae ſtructura a Creatore facta. Inde & *ſecundum* iſtius *argumentum* vltro corruit: *Si nihil ante eſt malum, quam prohibitum, & ideo ſolum malum, quia prohibitum, tum omnia mala poſſunt fieri bona.* Nam vt quae lege naturali repugnant, mala ſint, non a nuda & ſola prohibitione diuina oritur, ſed etiam, quia indoles humanae naturae a Deo condita violatur. Non minus inane eſt tertium ratiocinium: *Si omnia per ſe ſunt indifferentia, tum Deo impoſſibile eſt ad quidquam nos obligare. Nam alias facta etiam clariſſima legis promulgatione adhuc in noſtra poteſtate ſitum erit, num illi promulgationi fidem habere velimus, niſi per ſe bonum ſit, Deo credere, & per ſe malum, illius veritatem in dubium vocare.* Ad hoc iam in Specim. Controu. cap. 5. § 35. p. 205. reſpondimus. Nam quod homo neceſſario fidem Deo adhibere & parere debeat, id prouenit ex indole naturae humanae, quam Deus ipſi in creatione aſſignauit: qua non poſita, intelligi nequit, neceſſarium eſſe, hominem Deo parere. Quae autem rationalis creatura intelligit, hanc legem a Deo conditam eſſe, ei non amplius integrum eſt, iuſſa Dei pro libidine ſequi aut detrectari; quia hoc indoli creaturae rationalis aduerſatur.

§. IV. Idem tamen in *Originibus Moralibus* non parum in melius profeciſſe videtur, ſaltem circa praecipuam quaeſtionem ſuper origine moralitatis in actionibus humanis; quam vt ante voluntatem diuinam reponat, extrema argumenta videtur adferre. Vt non videam, quid iſtis deſtructis amplius aduerſus meam ſententiam reponi queat. Eo magis opera danda eſt, vt plane & perſpicue difficultates iſtae remoueantur. Ac primo quidem monendum, ſermonem nobis eſſe de ſola moralitate in actionibus humanis. Nam quod bonitas diuina a voluntate diuina originem non ducat, nemo, cui ſenſus communis,

nis, negabit. Vnde a STRIMESIO quaeſtio inſidioſe formatur: *Num nihil omnino boni concipi poſſit ante voluntatem diuinam?* p. 65. Deinde quanquam alii eandem mecum, aut ſimilem ſententiam propugnent; tamen quatenus vel eandem iuſto latius porrigunt, vel ex alio fundamento deducunt, me nolle teneri vel ad fulciendum iſtorum argumenta, vel ad conſequentias, quae illis impinguntur admittendas, praeſertim vbi non ſtrictiſſime cum noſtra ſententia conueniunt. Nam & ſaepe exiguo diſcrimine veri & falſi confinia diſcernuntur; & fieri poteſt, vt duo eandem theſin tueantur, ſed quatenus ex diuerſis principiis eandem deducunt, in vno ſiniſtra quaedam conſequentia haeret, abs qua alter eſt immunis. Vnde caeteri, quos iſte impugnat, Clariſſimi Viri, ſi adhuc in viuis ſunt, ſententiam & rationes ſuas defendant. Mihi de mea nunc vnice curae eſt.

§. V. IAM igitur eo ſunt redacti aduerſarii, vt admittant, controuerſiam non eſſe de rebus, prout reuera & actu exſiſtunt, ſed de noſtro concipiendi modo, & fere quatenus nos mortales eſſentiam diuinam ad modulum noſtrae rationis concipimus. Vnde ſi vel maxime aduerſarii ſuam intentionem obtinuiſſent, non tamen adhuc euictum foret, rem vtique ſic ſe habere. Vertitur autem cardo cauſae in diſtinctione inter eſſentiam & exſiſtentiam: iuxta hanc voluntas diuina moralitatem actionum humanarum antecedere conceditur; iuxta illam non item. Huic ſententiae ſtatuminandae STRIMESIVS p. 52. pronunciat, *eſſentias rerum ſine exſiſtentia nil aliud eſſe, quam poſſibilitates ſeu aptitudines ad exſiſtendum, in ipſum exſiſtendi actum erupturas, ſimul ac Deus voluerit*. Enimuero valde dubito, an iſthanc eſſentiae deſcriptionem proceres regni Metaphyſici ſint probaturi, quorum concilium prius cogendum fuerit, antequam iſtud dogma publice recipiendum ſit. Sane ſi eſſentiae rerum in ſola illa poſſibilitate conſiſtunt, & vero vniuerſitas creaturarum omnipotentiam diuinam non exhaurit, adeoque Deus intelligitur poſſe quae nunquam produxit, aut producturus eſt, etiam non-entium dabitur eſſentia. Aut oſtendat mihi, quantum a nihilo differat poſſibilitas, quae nunquam in actum deducta fuit, aut deducenda eſt. Enimuero eſſentiis illis exſiſtentiae contradiſtinctis ortum dedit abſtractio Philoſophorum. Nam vti quod exſiſtit proprie & reuera eſſe dicitur: ita & illa realis & vera eſt eſſentia, quae cum exſiſtentia eſt coniuncta: & quod Deus eſſe iubet, id eo ipſo exſiſtit. Aſt Philoſophi naturas rerum ortui & interitui obnoxiarum contemplantes iſta duo, eſſentiam & exſiſtentiam, natura coniunctiſſima cogitatione coeperunt diuellere; quod abſurdum ducerent, veritates de indole rerum ſemel exſiſtentium hiſce intereuntibus mutari, aut interire. Vnde formati ſunt generales conceptus & propoſitiones de rebus; quae propoſitiones quia praeſcindebant ab exſiſtentia mutationi obnoxia, pronunciatum de illis eſt, eas eſſe aeternae veritatis, id eſt, eas cum indiuiduis rerum mutationi obnoxiarum non ſtare aut cadere, verbi gratia. Quae de natura roſae traduntur, ea in hyeme quoque vera eſſe, quando nullae vſpiam exſiſtunt roſae. Hinc & factum, vt eſſentiae rerum pronunciarentur aeternae. Id quod vti hoc ſenſu facile admittimus, quod nempe conceptus

ceptus generales de rebus ab interitu indiuiduorum non dependeant: ita abſurdum eſt, illam aeternitatem ante primam rerum originem velut retrotrahere, ac fingere, eſſentias rerum, a voluntate Creatoris, quae exſiſtentiam iisdem dedit, non dependere. Extra hanc explicationem pronunciatum illud de aeternitate eſſentiarum non magis admitti poteſt, quam hoc, mundum eſſe aeternum.

§. VI. His praemiſſis adparet, Strimesivm arcem cauſae ſuae in eo ponere, vt poſſibilitates illas, quas eſſentias rerum vocare ipſi placet, ſtatuat obiectum eſſe potentiae diuinae ante actum voluntatis, & omnipotentiam Dei veram & adaequatam eſſentiarum omnium cauſam atque originem. Et has ante voluntatem Dei concipiendas eſſe; quia in ordinata attributorum diuinorum conceptione & adprehenſione omnipotentia Dei voluntatem eius, ceu potentia actum neceſſario anteuertit. Quoniam autem poſita omnipotentia Dei conceptaque omnes ſimul poſſibilitates ſeu eſſentiae ab omnipotentia omnino illatae non poſſunt non poni & concipi; etiam id patere, eas ipſas eſſentias ante voluntatem Dei ſecundum noſtrum concipiendi modum antecedaneas eſſe. Eoque omnipotentiam diuinam eſſe cauſam adaequatam, immediatam & proximam eſſentiarum, ſicut voluntas diuina cauſa adaequata, proxima & immediata exſiſtentiarum perhibetur. Enimuero probe heic obſeruandum, quaeſtionem proprie non eſſe confuſam & indeterminatam, hoc modo: quodnam primum velut fundamentum ſit, vt aliquid extra Deum eſſe queat. Ad hanc enim quaeſtionem ita confuſe formatam vltimata eſt reſponſio: quia Deus eſt omnipotens, ſeu quia in Deo eſt potentia aliquid extra ſe producendi. Sed quaeſtio a nobis agitatur diſtincta & determinata: vnde ſit, quod verbi gratia, homo talem habeat naturam, vt certa quaedam ei neceſſario honeſta, quaedam turpia ſint, quae brutis talia non ſunt. Ad hanc quaeſtionem vltimata reſponſio non eſt; quia Deus eſt omnipotens, ſed quia Deus ita voluit. Sane aliter ſeſe habent potentiae determinatae, finitae & velut brutae, quibus poſitis effectus talis, & non alius ponitur. Sicuti in quouis genere machinarum conſpicitur, vbi vera & adaequata effectus cauſa ad potentiam refertur. Aliter ſe res habet in potentia indeterminata, libera, exercitiique ſui moderamen penes ſe habente, abs qua quod talis vel talis effectus producatur, cauſa ad liberam determinationem eius potentiae refertur. Adeoque quando circa originem talium effectuum anquiritur, potentia quidem neceſſarium eſt praeſuppoſitum ad producendum effectum, proxima tamen & adaequata cauſa eſt beneplacitum agentis. Et ſane omnipotentia in Deo concipitur non tanquam facultas neceſſaria, ſed tanquam libera, ſeu quae non neceſſario ſeſe exerit, ſed prout Deo placet, alias enim Deus ſemper ageret omnia, quae poſſet; cum Deus illa tantum faciat, quae vult. Vt falſum plane ſit; poſita omnipotentia Dei poni omnia eius obiecta. Vnde quilibet ex ſenſu communi iudicare poteſt: ſi quaeram, cur Deus hominem creauerit animal rationale, incongrue reſponderi, quia eſt omnipotens. Nam ſtatim excipere poſſem: ſi omnipotens eſt, cur non potius aliter, quam ſic fecit? Sed ſi reſpondeas, quia Creatori ſapientiſſimo & optimo ita placuit; nil habeo, quod excipere queam.

§. VII. Inde vltro corruunt argumenta, quibus ſententiam ſuam ſtabilire nititur D Strimesivs. *Quia*, inquit, *eſſentiae rerum theoreticarum ex attributo voluntate Dei priore, nempe omnipotentia Dei deriuantur. Ergo & eſſentiae rerum practicarum. Ratio conſequentiae eſt, quia inter eſſentias theoreticas & practicas nullum diſcrimen intercedit. Nam vti poſita omnipotentia diuina, neceſſario ponitur idea & eſſentia hominis extituri, ſimul ac Deus voluerit: ita eadem poſita ponitur neceſſario idea ſuum cuique tribuendi.* Quae omnia inania eſſe ex ſuperioribus conſtat. Quibus addo, in artifice quidem, verbi gratia, figulo, cui potentia ſua adquiritur, ideam ollae neceſſario videri praecedere voluntatem ollae faciendae, quae exſurgere non poteſt, niſi poſita potentia ſeu facultate agendi. Aſt in Deo, qui eſt a ſeipſo, & cui omnipotentia eſt eſſentialis, nullas definitas ideas rerum creandarum praeſupponi neceſſum eſt, antequam ponatur voluntas quicquam extra ſe producendi. Vnde & nulla eſt conſequentia; negata poſſibilitate hominis ad exſiſtendum, negatur ſimul eius omnipotentia; igitur & poſita omnipotentia, ſtatim idea diſtincta, aut eſſentia hominis ponitur.

§. VIII. Qvae porro Idem p. 62. excipit aduerſus dicta a me Specim. Controu. c. V. §. 21. quod in turpitudine actionum humanarum non ſit eiusmodi contradictio, qualis eſt, ſi bis duo negentur eſſe quatuor, pariter inania ſunt. Eſt quoque illa friuola argumentatio p 63. *Ad ideam boni ad humanam naturam reſtricti non opus eſt certa diſpoſitione hominis, nec praecepto aliquo ſuperioris, ſed vel ſola omnipotentia diuina ſufficit, vel hominis eſſentia ex omnipotentia emanans, qua ſuppoſita bonum morale ſecundum eſſentiam adeo neceſſarium eſt, vt negans id neget idem eſſe idem* Aſt vel verba mea non intellexit Strimesivs, vel data opera cauillari voluit. Nam vt res ſit numerabilis, ſufficit, ſi qualiscunque ſit Muſca aeque ac Elephas numerari poteſt. Sed vt alicuius entis actiones turpes ſint, non ſufficit qualecunque id eſſe, ſed requiritur, vt certo modo a Deo ſit formatum. Vnde non in rem inanimem aut brutum, ſed in hominem turpes actiones cadunt, quia hic certo modo a Creatore prae illo formatus. Interim non negamus, eſſe in turpitudine certum genus contradictionis, quae ex poſito hominis fine & natura reſultat. Nam contradicturus ſibi Deus fuerat, volendo creare hominem, id eſt, animal rationale, & ad ſublimiorem quam bruta finem, & tamen certum genus actionum ipſi non interdicere volendo. Neque cuilibet ideae turpitudo repugnat, ſed ideae hominis, quae ab aliarum rerum ideis, in quas numerus cadit, vtique differunt.

§. IX. Secvndo *Argumento* Strimesii iam neruus eſt praeciſus, vt id repetere ſuperfluum ſit. Sed nec *Tertio* quid roboris ineſt. Admiſi ego duplicis generis impoſitionem; vnam ex ſolo lubitu imponentis citra peculiare fundamentum in re: alteram ab imponentis voluntate ita ortam, vt aliter imponere velle non potuerit, ſiquidem ſibi conſtare debeat. Quaerit Strimesivs; *Vnde ſit illa neceſſitas volendi, & quodnam iſtud fundamentum in re, ob quod imponens non poteſt non quaedam velle?* Aſt ego puto, ſufficiens reſponſum contineri hiſce verbis; *ſiquidem ſibi ipſe conſtare debeat*. Scilicet quia ad perfe-

ctionem ſapientiſſimi & optimi Entis pertinet, ſibi conformiter agere, & non mutari in horas: ideo recte voluntas antegreſſa ſequentis velut regula dicitur; ſic vt quia Deus voluit antecedens, non poſſit non velle, quod cum eo connectitur, & ex eo neceſſario ſequitur, & ſi finem vult, non poſſit quoque non media velle. Sic vult Deus ſui cultum, ſed non niſi volita prius creatura intelligente. Nam ſi Deus nihil creaſſet, aut non niſi bruta creaſſet, cultum etiam ſui velle non potuiſſet. Caeterum voluntati ſapientia & bonitas non opponenda, ſed coniungenda eſt; etſi effectus potiſſimum ad voluntatem refertur, tum quia haec agendi principium, tum quia ſapientia & bonitas ſine voluntate, ac niſi liberae, non intelliguntur. *Quartum* denique STRIMESII *argumentum* eſt, *quia poſito omnia bona moralia ad hominem reſtricta a voluntate diuina tanquam prima origine profluere, ratione originis inter legem naturalem, & legem Dei poſitiuam nulla amplius reliqua erit differentia*. Aſt quid abſurdi erit, ſi dicam, ratione originis tam naturalem, quam poſitiuam legem ad Dei voluntatem referri: id tamen eſſe diſcriminis, quod poſitiua a Dei voluntate abſoluta proueniat; naturalis autem certam conditionem humanae naturae adſignatam praeſupponit?

§. X. Ex eo autem nihil ſane candoris relucet, quod p. 64. arguere videtur, me in Specim. Controu. c. IV. §. 3. p. 60. non rectius, quam BVRMANNVM ſentire, cui errorem Sociniano ſimillimum tribuit. Aſt vbi ego nego, neceſſitatem iuſtitiae Dei punitiuae ex ipſa Dei natura fluere? Quod ſi tamen STRIMESIVS ex ſolo rationis lumine demonſtrauerit dogmata circa iuſtitiam diuinam, quae ſubſternuntur & implicantur articulis fidei de lapſu Adami, & ſubſecuta inde generis humani labe, de incarnatione Filii Dei, eiusque ſatisfactione, merito & paſſione, de iuſtificatione hominis, & ſimilibus, adeoque haec omnia captum humanum non ſuperare, nec abire a regulis iuſtitiae in foro humano vſitatae, lubentiſſime ipſi faſces ingenii ſubmittam. Interim tutiſſimum reor iſta fide amplecti, quam rationem ne quidquam fatigare.

§. XI. CONATVR hinc p. 71. STRIMESIVS argumenta mea elidere palmaria illa diſtinctione inter eſſentiam, & exſiſtentiam, cui quid roboris inſit; abunde a me oſtenſum fuit. Peculiariter autem circa exceptionem ad argumentum meum primum, mirum videtur, cuinam eandem opponat, aut quid ad praeſentem quaeſtionem faciat, dixiſſe: *Nil prohibet, quo minus peccatum vocetur ἀθεότης: aut quo minus morales Doctores altius quam ruſtici adſcendant, & originem moralitatis ab ea ſententia deriuent; vbi nullus Deus, ibi nullum bonum morale*. Niſi forte putat, qui bonum morale a voluntate Dei deducit, illum idem a Deo non deducere. Circa ſecundum meum argumentum id quoque mirum eſt (p. 72.) quare negare velit, omnem obligationem eſſe a ſuperiore, ac neminem ſibi ipſi obligari, *niſi de ſtricte dicta obligatione capiatur*. Atqui ſane de proprie dicta obligatione mihi ſermo fuit; & quidem de tali, quae a principio extrinſeco prouenit. Circa exceptionem ad argumentum meum tertium verbo monendum, haudquaquam aequipollere; hoc rectae rationi, humanae naturae, & imagini diuinae congruit; & hoc per ſe & ſua natura eſt ho-

 neſtum,

Digitized by Google

neſtum. Circa exceptionem denique ad quartum meum argumentum moneo, illam abs Deo neceſſitatem vtique remouendam, per quam voluntati eius detrahitur, quod creaturae tales factae ſint.

§. XII. Designat quoque p. 79. nouum conceptuum ordinem Strimesivs, vt ab origine ſuarum eſſentiarum diuinam voluntatem vtique excludat, qui citra animaduerſionem praetermitti non debet. Quando enim primo omnium loco concipitur Deus, conſideratur tanquam a ſeipſo exſiſtens, & cuius perfectiones omnes ſunt eſſentiales, quarum in reſpectu ad ipſum Deum vna non eſt prior aut poſterior altera, (non loquimur de perfectionibus perſonalibus, de quibus ex ſola religione Chriſtiana conſtat,) nec vna velut ex altera emanat. Hoc modo etiam Deus conſideratur tanquam αὐταρκής, nulla re extra ſe indigens, omnes beatitates ac perfectiones in ſe continens, & qui ſolus neceſſario eſt. Quia autem praeter Deum nihil neceſſarium eſt, igitur quando ad res extra Deum concipiendas progredi volumus, primo omnium concipiendum eſt, Deum voluiſſe aliquid extra ſe producere; qua voluntate Dei non poſita eius omnipotentia velut otioſa quieſcere intelligitur: ſed eadem poſita Deus rebus naturam ſuam pro ſapientia & bonitate ſua aſſignat, actuque ipſo attribuit. Ita credo D. Strimesivs non prohibebit, quo minus voluntas Dei primum principium rerum extra Deum ſit, ac in poſterum quoque maneat.

§. XIII. Tandem & ſocialitatem tantopere agitatam plane iam *exterminare* conſtituit, (p. 97.) vt vacuum commento ſuo locum faciat. Vbi id primo reprehendendum, quod pro ſocialitate a me poſita *ſocietatem* ſubſtituit, quam ſiue fraudem, ſiue incuriam in aliis iam notaui. Rationes haſce adfert, quia ex iſthac ſocialitate non poſſunt deduci officia hominis erga Deum, ſeu religio naturalis; neque officia, quibus homo extra ſocietatem conſideratus ſibi ipſi obſtringitur: neque officia noſtra in bruta tendentia, quale eſt, vt ab omni crudelitate erga ea abſtineamus. Ad primam Obiectionem praeter ea, quae alibi a me dicta ſunt, repono: cum a me religio naturalis & ius naturae pro diſtinctis diſciplinis habeantur, non opus mihi fuiſſe principium indagare, ex quo officia erga Deum & homines ſimul deducerentur. Deinde non repugnat, praecepta de ſocialitate colenda, ſeu dilectione proximi eſſe partem religionis naturalis praecipue quatenus exercentur, obſequio in communem Creatorem teſtando; & ſocialitatis humanae praeceptis firmitatem a religione accedere. Circa alteram obiectionem ſcire velim, quaenam officia homini ſolitario tribui poſſint, quae nullum plane reſpectum, ad Deum aut alios homines habeant. Nam ſi forte obiicias caſtitatem, ſane totus is adparatus naturae humanae, illique ſtimuli ob ſocialitatem ſunt inſtituti: ſic vt ſi ad ſolitariam vitam homo a Deo eſſet deſtinatus, non magis caſtitas in ipſum caderet, quam in arborem aut lapidem. In hoc tamen fateor a me grauiſſime peccatum fuiſſe, quod dum officia hominum inter ſe trado, eiusmodi principium non adſumpſerim, ex quo officia quoque erga boues & aſinos deduci queant. Quo nomine etiam Aduocatum Generalem aſinorum, qui Leonis Frideburgii vocabulum ſibi impoſuit, non mediocriter indignari video; oblitum, inter ea, quae

Sa-

Sapiens Hebraeus aſinis praeſtare iubet, eſſe quoque fuſtem & verbera. Poterat tamen minore in aſinos pietate tangi STRIMESIVS, ſi voluiſſet inſpicere, abs me tradita L. IV. c. 3. §. 6. de Iure Naturae & Gentium. Obiicit praeterea, deprehenſum fuiſſe, quaedam manifeſte naturali legi repugnantia ſocietati parum aut nihil obfuiſſe; vti furta, & adulteria in Republica Maſſagetarum & Lacedaemoniorum. Aſt non ſequitur, ob corruptos mores certae Reipublicae hoc vel illud vitium, hanc vel illam ſocietatem peculiarem parum turbaſſe: ergo id vitium non repugnat ſocialitati generis humani in vniuerſum. Adu. L. VIII. c. 1. §. 3. de Iure Naturae & Gentium. Oportet quoque valde ſuperfunctorie STRIMESIVM legiſſe ſcripta mea, dum pronunciat, omnia officia legis naturalis, quae alios homines reſpiciunt, valorem, omnemque obligationem ſuam vltimo a cultu ſocietatis ſortiri. Ni graue eſt, inſpiciat L. II. c. 3. §. 10. de Iure Naturae & Gentium. In hac porro propoſitione; officia aduerſus alios homines exhibenda in ſocialitatem reſoluuntur, non magis tautologum quid eſt, quam in illo Poëtae: vt ameris, amabilis eſto. Denique theſes illae; innocentem ab aeternis poenis immunem aſſerere, peccatum haud impunitum dimittere, cum ſint axiomata iuſtitiae diuinae, indagandus eſt quispiam STRIMESIO, qui iſta ad ſocialitatem hominis referat Qui autem conſiderauerit, quae a me ſuper differentia iuſtitiae diuinae & humanae tradita ſunt, agnoſcet, abſurde dici, iuſtitiam diuinam & humanam, qua formam ſimilem eſſe, non qua modum & gradum. Sane eſſentialis Dei, & imperata hominum iuſtitia, quoad formam eadem non ſunt; cum ad formam iuſtitiae quam maxime pertineat, ex quo principio id, quod iuſte factum dicitur, ſit profectum.

§. XIV. DENIQVE quod poſt exterminatam, ſi diis placet, ſocialitatem ſubſtituitur principium, *ſuum cuique tribuere*, non eſt pro tanto hiatu. Reuera id certam duntaxat iuſtitiae ſpeciem abſoluit; ac non niſi per violentiam velut ad omnia officia extenditur, ac inuita plane Minerua. Sic ridicula eſt illatio: furtum non eſt faciendum, homicidium non patrandum, quia ſuum cuique eſt tribuendum. Sed & difficultatem a me Specim. Controu. c. 5. §. 23. motam hautquidquam diſſolui poſſe arbitror, ſi cum STRIMESIO dicamus; ſola terminorum explicatione opus eſſe, (p. 120) Expectaueram ſubtilius quid a D. STRIMESIO, quam vt commento ſtuporis Velthemiani adquieſcere vellet. Nam adhuc quaeſtio reſtat; vnde aliquid cuique *ſuum* ſit: cum, verbi gratia, bruto aduerſus hominem nihil ſuum ſit; & Hobbeſius neget, ciui aduerſus ciuitatem aliquid ſuum eſſe. Vnde ad iſtud axioma ſtabiliendum plus, quam nuda terminorum explicatio requiritur. Sed mihi mea vindicaſſe ſuffecerit, quo minus quisque ſuis deliciis gaudeat, ego nec inuideo, nec curo.

MEREBATVR etiam caſtigationem VALENTINI VELTHEMII Introductio ad libros GROTII de Iure belli & pacis. Sed quia is, poſtquam Aſinii Tenebrionis Archiuarius factus eſt, non mores ſolum, ſed & dictionem Nicolai Beckmanni exprimere ſtuduit, eiusque nugae & a nobis antea deſtructae ſint, & ab illis ipſis, qui noſtra impugnant, reiiciantur, turpe foret, cum barbaro

Digitized by Google

iſto animali vlterius colluctari velle. Et conſtat lixiuium a Rolleto temperatum mire ad ipſius ſcabiem quadraſſe: cuius adhuc affatim ſupereſt, ſi mutire deinceps auſus fuerit. Quale balneum etiam illis polliceor, ſi qui nondum calumniandi & cauillandi pruriginem exuere poterunt. Longe turpius foret, mendacia & calumnias IOSVAE SCHWARZII maiore, quam latratus canis ſcabioſi dignatione habere, cuius periurio non ſimplici, & flagitio cooperti contactum merito omnes honeſti refugiunt. Et ſatis iam iſtam belluam vlti ſunt mores ſui; quem licet altera vice carnificis manus elapſum, intra praecordia ipſius habitans tortor ſat excruciatum dabit.

* *

IVLII RONDINI DISSERTATIO-EPISTOLICA,

SVPER CONTROVERSIIS, QVAE SAMVELI PVFENDORFIO CVM QVIBVSDAM ALIIS CIRCA IVS NATVRALE INTERCESSERVNT.

PETIS a me Marce Primaſi, Conſobrine ſuauiſſime, vt breuibus tibi exponam, quo demum redactae ſint controuerſiae, quas aliquot ante annos Samueli Puſendorfio circa Libros de Iure Naturae & Gentium ab ipſo editos, nonnulli haud leui animorum motu intentauerant. Nam per triennium Cantabrigiae agenti nihil amplius ad eandem ſpectans occuriſſe faſtidio Bibliopolarum Anglicorum, eiusmodi ſcripta fere adſpernantium. Et tamen Te pro ſingulari in eam ſcientiam ſtudio exitum iſtius certaminis noſſe cupere, cuius primordia Tibi ſaepe indignationem, quandoque & riſum excitauerint. Idemque petere V. Cl. Richardum Cumberlandum, aliosque ibi eruditos viros, quibus Te ſuggerente ea lis innotuerit. Quibus & eiusdem diſceptationis genio perſpecto mirum deſiit videri, tam pauca, quae ſolidam, profundamque meditationem ſapiant, illis ex oris prodire, quae alias ſcholis, viriſque literas profeſſis refertae ſunt. Quis enim circa expoliendas bonas ſcientias operam impendat, ſi id ſummum laboris fuerit praemium, calumniantium importunitati non ſuccubuiſſe. His igitur viris vt gratificer, ac Tibi praecipue, cui imperium in me neceſſitudo noſtra, ac ſingularis, quo iungimur, amor detulit, faciam, quod alteri vix annuiturus eram, non tam ob rei difficultatem, quam quia tantum temporis negotiis, quibus premor,

Digitized by Google

premor, aegre in praeſens decerpere licet. Ac ne mutilato officio defungar, non ſolum quod ex eo tempore, quo tu hinc abiiſti, ſcriptorum ſit editum, Tibi nunc transmitto; ſed & quid circa alterius partis poſtrema ſcripta mihi videatur, adiicere placet. Nam Pufendorfium poſt editum Controuerſiarum Spicilegium grauiora, quibus diſtringitur ſtudia, non permittunt de iſtis altercationibus amplius cogitare, quas aduerſa pars prurigine ſcribendi & contradicendi in infinitum extractura videtur. Praeſertim cum eidem tota hac diſceptatione, id tantum fuerit propoſitum: vt calumnias ſibi intentatas depelleret; caetera ſecurus, quid opinionum Metaphyſicarum vnus aut alter Ienae aut Francofurti ad Oderam in deliciis habet.

Inter Pufendorfium igitur, & Valentinum Albertum, Theologum Lipſienſem non tam ſuper re ipſa & dogmatibus, quam ſuper methodo diſceptatum fuit. Nam ille quidem legibus methodi conueniens duxerat, ſuam diſciplinam e genuinis & domeſticis principiis adornare, abſtractis tantiſper & ſepoſitis, quae a religione diuinitus reuelata commodato ſumi poſſunt; non quidem faſtidio diuinarum literarum, ſed ne controuerſiis Theologicis velut vortice quodam inuolueretur diſciplina vniuerſum mortalium genus ſpectans, non prout peculiaribus & ad ſalutem aeternam tendentibus circa ſacra dogmatibus imbutum, ſed prout ratione praeditum eſt. Tum & quia praxis eius diſciplinae non inter Chriſtianos duntaxat, ſed & inter Gentiles & Muhammedanos inter ſe, & cum Chriſtianis negotia tranctantes conſpicitur. Aſt Alberto potius viſum ſcita Iuris Naturalis ipſo e Paradiſo petere! quo fine & regulas quasdam concinnauit, non abſimiles illis, quae apud Logicos de inuentione medii termini occurrunt, inſigni vſu ad iuuandam hominum ratiocinationem, ſi iam conſecutionem rerum norint Quibus quidem vt ſe ſuosque oblectaret Pufendorfii nihil intererat. Vnicus titulus ſcrupulum iniiciebat, cui orthodoxiae vocabulum infarctum erat, quo ſe perſtrictum, ſuosque libellos, a quibus adoleſcentes ab Alberto abſterreri conſtabat, heterodoxiae argui non obſcuris indiciis iudicabat. Qui non parum in fermento erat, aduerſarios ſuos tam deteſtatam cordatis artem a Monachis, & immitibus Sacerdotibus Romana ſacra profeſſis mutuari, vt etiam circa innoxias quaeſtiones ab ſe diſſentientes haereticorum vocabulo apud imperitos differre inſtituant. Vnde vindicandae exiſtimationi acrius ad deſtruendum id commentum connixus eſt, quam alias iſtius indoles merebatur. Albertus contra, ne per *Spicilegium* ad ſilentium redactus videatur, in *Paraeneſi* ſua praecipuis rebus tacite praeteritis tantum hinc inde nonnulla ſat frigide vellicat, & haud eo ſecius velut pro tribunali calculum pro ſe fert; quo iure, quaue iniuria extra ſtudia partium poſiti iudicent. Mihi ſane iſthoc e ſcripto deceſſiſſe potius nonnihil, quam acceſſiſſe ſentio ad aeſtimationem, qua alias iſtum virum proſequebar Equidem recenſet hic exempla Philoſophiae per Theologiam locupletatae, vbi denuo adducuntur propoſitiones, quas vocant, *inuſitatae:* ſed per quas etiam ipſius Logicae theoremata non magis augentur, quam Phyſica aut Medicina e miraculis. Circa *aquas ſupracoeleſtes* debuiſſet diſtinctius ſupponere certum mundi ſyſtema. Ptolomaicum, an Copernicaeum aut Carte-

Digitized by Google

Carteſianum. Sed nec vsquam Sacra Scriptura docet, *fontes & flumina* ita oriri e mari, vt ex hoc ad illorum capita per tubos ſeu canales quosdam ſubterraneos aqua permanet. Eoque Scripturae Sacrae non contradicit, ſi quis docet vapores e mari adſcendere, e quibus in pluuias reſolutis & ſpongioſa tellure exceptis fontes & flumina oriantur. Nec ad reliqua exempla, quod excipi poſſit, forte defuerit. Sed ſi vtique deinceps ita philoſophari pertendit Albertus, nemo ſane prohibebit, nec puto magnopere admirabitur, modo alios, quibus confuſus philoſophandi modus non placet, heterodoxias crimine non adſpergat, nec velut literarum diuinarum contemptores traducat. Equidem in hiſce complures paſſim propoſitiones occurrunt, cum ad alias Philoſophiae partes, tum praecipue ad moralem ſpectantes. Sed cum is earundem ſcopus non ſit, vt Philoſophiam doceant, iſtae velut obiter & extra primarium ſcopum adiectae intelligi debent, quaeque adeo natiuam conſtitutionem & indolem diſciplinarum, e quibus quaeuis iſtarum propoſitionum petitur, alterant. Sic licet Propheta Regis Ezechiae apoſtemati emplaſtrum impoſuiſſe dicatur e ficubus confectum, aut Samaritanus oleum & vinum viatoris vulneribus infudiſſe, haud ideo chirurgia vtique e diuinis literis diſcenda aut Chirurgia Chriſtiana eſt comminiſcenda. Non magis, quam Geometria Chriſtiana opus eſt, quia populari modo in libris diuinis ratio diametri ad circumferentiam exprimitur. Quanquam autem ponas, omnia praecepta legis naturalis ſacrarum Literarum complexu' contineri; id tamen non obſtat, quo minus peculiaris ſit diſciplina iuris naturalis domeſticis principiis, modoque demonſtrandi & deducendi ſua ſcita conſtans. Sic Scriptura S. praecipit, ne quis fratrem ſuum in emendo vendendoque defraudet. Sed num ideo ex eadem petendum, quid emptio venditio ſit, quaeque eius requiſita? Aut ideo Iurisprudentia Chriſtiana extruenda, & ſi quis ex indole eius contractus, ac communi conſtitutione generis humani id praeceptum demonſtret, tantum non pro homine profano eſt habendus? Aut quia Apoſtolus vltimas voluntates validas eſſe debere dixit, ideo ICti non e domeſticis principiis de natura & validitate teſtamentorum tradunt? Vnde etſi ipſa praecepta legis naturalis in Theologia & iure perpetuo eadem ſunt; manet nihilominus iuris perpetui peculiaris diſciplina, alteri non ſubordinata, praeſertim vbi non quaeſtio eſt de veritate praeceptorum, ſed de methodo eius diſciplinae, principiisque & modo demonſtrandi; quae vsque adeo vnice e rationis lumine promanant, vt ne Theologi quidem e ſacris literis petere ſoleant, qua methodo corpus aut ſyſtema Theologiae ſit adornandum, ſed Logices tradita reſpiciant: Sed & labes, qua intellectus humanus infectus deprehenditur, non minus illos vrget, qui ſacra tractant, aut hypotheſes ſuas e paradiſo petunt, quam alios, qui ſolo rationis lumine praeuio philoſophantur; cum non minus errorum & contradictionum ſit aut fuerit inter eos, qui circa ſacra dogmata verſantur, ſinguli orthodoxiae elogium ſibi raptantes, quam inter Philoſophos. Vbi tamen ob praua hominum interpretamenta veritas Verbi diuini in ſe non corrumpitur, ſed abſterſis iſtis eadem pura eniteſcit: ita errores Philoſophantium lumen rationis, & naturam rerum, velut genuinae Philoſophi-

phiae principia, non corrumpunt, quin eiusdem liquida ſcita eluceſcant illis, qui abdicatis praeiudiciis ſolidam ratiocinandi & demonſtrandi viam inſiſtunt, quoad quidem humanae perſpicaciae penetrare datur. Iniuriam porro Philoſophiae faciunt, qui eam hominibus, vt ſunt labe infecti, auctoribus attribuunt, cum & illa diuinae ſit originis, reſultans ex lumine rationis, nobiliſſima vtique Dei creatura, opera diuina debito ſtudio contemplantis. Quod ſi labes humanae mentis eo vsque porrigi debeat, vt ne modus quidem demonſtrandi & ſequelas nectendi ſincerus ſuperſit, non video, quid certi ipſa Theologia ſibi polliceri queat. Sane haec res ipſas duntaxat, non modum ſciendi tradit, & formalis connexio theſium Theologicarum, & quam ſubinde in ore habent Theologi bona conſequentia animae humanae foetus eſt. quam niſi obſeruauerit Theologus, ſine mente ſonum dare, aut delirare videbitur, quicquid verborum aut ſententiarum hinc inde e ſacris libris conſarcinet. De caetero inanis eſt Alberti metus; vniuerſalem hominum ſocialitatem ideo non poſſe haberi regulam agendorum, quia peculiaris ſocietatis bonum eiusmodi regulae vicem ſuſtinere nequit. Id enim perinde eſt, ac ſi dicerem; bonus ciuis non poteſt omnia metiri proprio commodo, igitur non poteſt omnia metiri bono ciuitatis. Sed quia Albertus cauſae ſuae praeſidium non tam in ponderibus rationum, quam floſculis eloquentiae ſuae repoſuiſſe videtur, dum precibus blanditiisque tantum non puellaribus delicias ſuas inuitat, vt Lipſiam iterum aduolare velint ad deguſtandam compendii orthodoxi ambroſiam, nemo ipſius aduerſario ſuaſerit, vt ineptiendo cum iſto certet, aut ad captandos aliquot imperitorum adoleſcentum plauſus velut ad aram Lugdunenſem non ſine anxietate declamet.

Acrius inſurgit in Epiſcopi ſua Samvel Strimesivs, Profeſſor Francofurtanus, non ſolum omni Sophiſtices adparatu, ſed & effuſa vbertim conuiciorum & ſcommatum colluuie, qua tanto importunius iactare ſe coepit, poſtquam immenſos ſpiritus eidem videntur acceſſiſſe, quia Puſendorfius rationes ipſius circa quaeſtionem de origine moralitatis prae Velthemii ſcopis diſſolutis commendauit. Quem & audio ingenti deſiderio reſponſum a Puſendorfio hactenus expectaſſe, quod ſcabioſum ipſius caput acri lixiuio valde opus habeat. Sed puto praeſtiterit, vt Strimeſius ſeipſum ſcalpat, poſtquam in praeſens nemo tanto honore eundem dignaturus eſt, vt tam foedam impudentiam aliter quam contemptu vindicandam iudicet. Mihi in tui gratiam, Marce ſuauiſſime, ſuffecerit paucis perſtrinxiſſe, quae circa rem ipſam idem dicto ſcripto mouit.

§. I. Argvit igitur, Puſendorfium, circa conſiderationem hominis, in diſciplina Iuris Naturalis ſtatum tantum corruptum, ac nihil integri complexum ſuppoſuiſſe. Puſendorfius hoc ipſo iniuriam ſibi fieri queritur, cum locis ibi adductis de Iure Naturae & Gentium L. II. c. 1. §. 5. & c. 2. § 9. conſiderauerit hominem prout multis, egregiisque a Deo dotibus eſt praeditus, quae & hodie licet infra primaeuam perfectionem ſuperſunt vti eſt dignitas & praeſtantia humanae naturae prae brutis, anima immortalis, ratio, ingenium,

intellectus ordinis; ac non ſolum in ſtatum integrum, ſed & eum, qui nunc eſt, cadunt. Hiſce bonis affectionibus eiusdem prauae inclinationes ſubiunguntur. Aſt qui in homine bona conſiderat, & idem hominem conſiderat, *prout* natura ipſius corrupta eſt, is hautquaquam hominem *tantum* conſiderat vt corruptum: nec ſi poſteriori conſiderationi particula *prout* adponatur, ideo ſtatim conſideratio immediate praegreſſa aboletur. Sic & circa ſtatum hominis quid velut fictum, quid tanquam verum conſideret PVFENDORFIVS de Officio L. II. v. 1 § 4. & Diſſertatione de ſtatu hominum naturali aperte tradit. Eas fictiones ſi Strimeſium pro ſua grauitate *conſiderare non decet*, non decebat quoque easdem haud intellectas aut cauillatione detortas damnare. Interim Puſendorfius hominem ſemper conſiderauit non vt beſtiam, ſed vt hominem, id eſt, vt animal ratione praeditum. Id quoque nullus mortalium animo concipere poteſt, quare indignum ſit homine, aut quomodo ad genus humanum ſusque deque habendum diſponat, ſi quis vel hominem ab omni auxilio humano deſtitutum, vel genus humanum imperio plane ſublato ſibi animo conceperit, vt vel vtilitatem ſocietatis, vel imperii ciuilis aeſtimare inde diſcat. Hypotheſin aut theſin Puſendorfii per hoc retundi, quod *in nobis ſuperſint reliquiae bonitatis*; neque opus eſſe, *vt in iure naturali homo conſideretur prout corruptus eſt & prout ſcatet multis prauis cupiditatibus*, id gratis & ſine ſenſu dicitur. Nam reliquiae illae bonitatis non vtique vniuerſas humanas affectiones abſoluunt, ſed praeter eas in homine multae quoque occurrunt prauae cupiditates. Cur ergo non liceat in homine conſiderare & quod bonum ſupereſt & quod corruptum eſt? Addit: *Huiusmodi hominem hic ſupponendum, non vero in diſciplina Iuris Naturae tractandum ex profeſſo*. Sed quis vetuerit in diſciplina regendis hominum moribus deſtinata prauas in homine cupiditates non ſupponere ſolum, ſed & ponere, quippe quae etiam citra ſublimioris diſciplinae ſubſidium ipſis ſenſibus deprehenduntur? Praeſertim cum citra has neceſſitas vitae ciuilis intelligi nequeat. Neque tamen ex profeſſo de ſtatu corrupto hic, vti in Theologia, agitur, quae in oppoſitione ad ſtatum integrum, & ſecundum alios effectus, alioque fine iſtum conſiderat. Ita de prauitate mortalium Puſendorfius iure agere potuit, cum de primaeua integritate paucis duntaxat inſinuaret, quia iuris naturalis diſciplinam pro hominibus, quales nunc ſunt, tradidit, non pro illis, quales in Paradiſo quondam erant.

§. II. CIRCA ſtatum hominum naturalem quae Strimeſius mouet, parum candoris aut ingenii prae ſe ferunt. Mirum eſt, iſtum Puſendorfio Hobbeſium exprobrare non deſinere, cum ſatis conſtet, in Germania hunc, qua a verbo abit, a nemine ſolidius deſtructum, quam a Puſendorfio, & quidem non ſolo Nouatoris conuicio, quo velut fulmine Carteſium proſterni a ſe iudicant veteramentarii, ſed rationibus ab ipſa naturae & rerum indole petitis: vt tamen idem multa durius dicta ad genuinum ſenſum, quantum res ferret, deflexerit, & recte dicta adſpernanda non duxerit eam ſolam ob cauſam, quod ab Hobbeſio prolata forent. Quo candore ſi omnes Philoſophantes vterentur plus profectuum, minus rixarum in re literaria exſiſteret. Igitur qui poſt tot proteſtationes

tiones ac demonſtrationes Hobbeſii nomine Puſendorfio inuidiam apud vulgus literatorum facere non deſinunt, malignitatem animi ſui nimis quam impudenter apricantur. Porro quae Strimeſius circa ſtatum naturalem, prout is a Puſendorfio deſignatus eſt, carpit, manifeſte arguunt, ipſum quid hic eo ſibi ſtatu velit, non intellexiſſe. Ad nauſeam vsque a Puſendorfio inculcatum fuit, ſtatum naturalem ipſi vocari conditionem eorum, qui nulli humano imperio ſubſunt, vt talium. Quaſi in ſtatu omnes viuunt Reges, & qui par hiſce imperium habent. Cuius indolem atque iura ita diſtincte & perſpicue deſcripſit Puſendorfius, vt ante eum nemo. Eo turpius labitur Strimeſius, quod eum ſtatum naturalem a Puſendorfio *ſociali ſtatui opponi* ſcribit; quod nuſpiam ab hoc factum. Recte porro Puſendorfius in ſtatu ſuo naturali hominem a nemine praeter Deum dependere ſtatuit. Sed quod idem eiusmodi homini ius tribuat ad omnia conſeruationi ſui ſe iudice inſeruitura, idque iuxta naturalem, omnibusque animantibus inſitam legem; aut quod genus humanum non ad ſuperiorem dignioremque quam de corporis ſui conſeruatione homini cum brutis communem legem alligatum arbitretur; id quomodo ſalua fronte dici queat, non video. Sane rationem, eamque ſenſu aeternae legis imbutam in ſtatu naturali viuentium regulam facit Puſendorfius; quae puto non omnibus animalibus eſt inſita, nec homini communis cum brutis lex. Dum autem Strimeſius Puſendorfium reprehendit, quod ſuo ſenſu ſtatum naturalem dari dixerit; eadem opera damnat Reges atque Reſpublicas, quibus ea praecipua dignatio habetur, quod praeter Deum neminem ſuperiorem agnoſcant. Quod de contradictionibus pergit, quibus ſtatum naturalem a Puſendorfio deſignatum premi arguit, vix citra commiſerationem legi poteſt. Iam antea monitum fuit; Puſendorfium nuſpiam ſtatum naturalem reuera exſiſtentem *ſtatui ſociali* opponere. Vnde non magis contradictio eſt, ſi dicam; ſtatus naturalis reuera nunc exſiſtens id habet, vt quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate iungatur; quam ſi dicam: Rex Perſarum viuit in ſtatu naturali reſpectu aliorum Regum & Rerumpublicarum qui tamen idem cum vxoribus, cum liberis, cum miniſtris, cum ciuibus ſuis peculiari ſocietate iungitur. Secundam contradictionem ipſe Strimeſius explodet, ſi mente concipere poſſit, vnum eundemque hominem reſpectu quorundum hominum viuere in ſtatu naturali, reſpectu aliorum in ſtatu aduentitio. Sic Rex Perſarum reſpectu Turcae, Mogoris, Moſci aliorumque Regum in ſtatu naturali, reſpectu, ſubditorum ſuorum in ſtatu ciuili degit. Nam Perſa, Turca, Mogor, Moſcus inuicem vnus alteri non ſunt ſubiecti, neque communem in terris habent dominum; quae eſt definitio in ſtatu naturali viuentium: qui tamen plurimos alios homines poſſunt habere peculiari ipſis vinculo innexos. Tertiam contradictionem nemo ſomniabit, cui integra valetudo conſtat: *Hominem cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate iunctum, nemini tamen praeterquam Deo ſubiectum eſſe.* Sane Schach Abas cum aliquibus hominibus, puta vxoribus, liberis, aulicis, ciuibus ſuis peculiari ſocietate iungitur; nec eo minus gloriatur, ſe nemini praeterquam Deo ſubiectum. Quarta itidem contradictio expirat, ſi Puſendorfii theſis cum Strimeſii commento conferatur. Illa eſt: in ſtatu naturali conſtitutus, habet facultatem e proprio

 iudicio

iudicio & arbitrio agendi omnia, quae ſanae rationi congruunt. Quae plurimum diſcrepat ab ea, quam Strimeſius finxit: *Hominem ſtatu naturali ex proprio iudicio atque arbitrio agendi habere facultatem; & nihilominus ſingulos iuxta dictamen certae rationis agere*. Id nimirum ex mente Puſendorfii eſt fraternitatem Geſenii affectare, non de ſacris eiusdem participare velle, ſed alterius theſes non intellectas aut malitioſe detortas impudenter cauillari. Paris indolis eſt quinta contradictio. Theſis Puſendorfii eſt: *Status naturalis antequam in ciuitates conceſſum eſt*, id eſt, ſtatus patrum familias ſegregum *multa habet adiuncta incommoda*. Hanc ita deformat Strimeſius: *In hoc ſtatu ſingulos iuxta dictamen rectae rationis agere, & nihilominus ſtatum hunc per ſe plurima habere adiuncta incommoda*. Hoc nimirum eſt album contradictionis arguere. Porro quanquam ſtatus verbi gratia, parentum & liberorum recte poſſit vocari naturalis hoc ſenſu, quod naturae rerum & placito Creatoris ſit congruus; haud minus tamen fas fuit Puſendorfio, eundem ſtatum parentum & liberorum inter aduentitios referre, naturali in alio ſenſu contradiſtinctos; quia idem non niſi facto humano interueniente exſiſtit. Id quoque contradictionem inuoluere videtur Strimeſio: *Statum naturalem id habere, vt quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate iungatur, & tamen hominum nemini praeterquam Deo in eo ſubiectus ſit, omnibus vero hominibus aequalis*. Etſi hoc a Puſendorfio tradi Strimeſius negat: aequiualentia tamen verba ſenſumque apud eundem reperiri contendit. Nam, inquit: *Si in ſtatu naturali quiuis cuiuis alteri, cui neque ipſe ſubiectus eſt, neque idem ſubiectum habet, aequalis cenſetur: qui fieri aliter poteſt, quam vt aliquibus hominibus peculiari ſocietate iunctus, & nemini praeterquam Deo ſubiectus, illis omnibus, pariter nemini praeterquam Deo ſubiectis, aequalis ſit?* Hanc ſententiam Puſendorfio non repugnare perſpicio: ſed eandem priori ſententiae Strimeſii haud aequiualere manifeſtum eſt. Sane aequiualentia non ſunt: qui in naturali ſtatu viuit, omnibus hominibus eſt aequalis: & qui in naturali libertate viuit nulli homini ſubiectus, is aequalis eſt omnibus illis, qui nemini ſubiecti ſunt. Prius aſſertum, quod Strimeſius ſibi finxit, falſum eſt. Poſterius Puſendorfii traditum manifeſtae veritatis eſt: ſaltem illis, qui rem intelligunt. Pertinacis porro ſtuporis eſt indicium, quod Strimeſius denuo ſibi oſtendi petit *Societatem*, in qua omnes aequales ſint, nec alter alteri ſubiectus. Nec minus, quod idem *ſocietatem* & *ſtatum naturalem* pro ſynonymis habet. De caetero, quid planius eſt illis, quae Strimeſius animo concipere non poteſt? Sane, verbi gratia, Schach Abas cum aliquibus hominibus, puta Perſis, peculiari ſocietate iungitur, ipſe velut Rex ſoli Deo obnoxius, cum caeteris Regibus itidem nemini ſubiectis, aequalis agit, quod in omnes Reges congruit. Sed & noſſe debebat Strimeſius, ſtatum eorum, qui in naturali libertate inuicem degunt, vtut communi ſocialitate iunctorum, ſocietatem proprie non eſſe, nec vocari poſſe: verbi gratia, Mogor, Perſa, Turca, Moſcus inuicem in vna ſocietate non viuunt, ſeu vna peculiari ſocietate non continentur; ſinguli tamen cum aliis ſibi ſubiectis in ſocietate viuunt. Sententia Puſendorfii, *quod ſui ipſius conſeruationi quam maxime ſtudeat, qui credit, ſe non ſibi, ſed toti mundo conditum*, quare carpatur, non perſpicio, cum

ei

Digitized by Google

ei conſpiret dictum 2 Sam. XVIII, 3. 21. 17. Negat denique Strimeſius, rationem fuiſſe redditam, quare plures quam quatuor ſtatus dentur. Atqui ſubiunxerat vtique Pufendorſius, in Theologia quadruplicem duntaxat hominis ſtatum dari: id quod non obſtat, quo minus hominis ſtatus ſeu conditio in diſciplina Iuris aut Medicinae alio reſpectu conſideretur. Ita toto hoc capite ſtuporem ſuum apricatus eſt Strimeſius, dum a ſe non intellecta miro animi impetu oppugnat.

§. IV. Svper principali quaeſtione de origine moralitatis in aperto eſt, ſtatum controuerſiae a Pufendorſio non inſidioſe, ſed ingenue & ſimpliciter formatum, & ad moralitatem in actionibus humanis fuiſſe reſtrictum; extra quam aliis eandem protrahere fas non eſt, ni cum propria vmbra luctari velint; a qua culpa nec Strimeſius immunis eſt. Caeterum principio eius controuerſiae de diſtinctione inter exſiſtentiam & eſſentiam rerum nihil iactatum reperi, ſed ab auctoribus rixae illius ſimpliciter voluntatem Dei ab origine moralitatis excluſam; eamque diſtinctionem poſt prolatam ab illis, qui nugatoribus iſtis ſuccenturiari voluerunt. Pufendorſio etſi ſatis eſſe poterat euiciſſe, moralitatem rerum quoad exſiſtentiam voluntate Dei poſteriorem eſſe; tamen laceſſentibus aduerſariis idem quoque circa eſſentiam aſſerere eſt conatus: Et quia de rerum eſſentiis, ideis atque vniuerſalibus veteres iuxta & recentiores philoſophi in diuerſa abeunt, Pufendorſio haec arriſit ſententia, quae eſſentias rerum ab exſiſtentia abſtractas non niſi conceptus rerum inadaequatos agnoſcit, in cerebris philoſophorum primum enatos. Vnde nimis liberalem putamus illationem Strimeſii: *Si conceptus rerum generales* e rebus vtique exſiſtentibus aut exituris formati, *ab interitu indiuiduorum*, ſeu ab exſiſtentia vel non exſiſtentia huius vel illius indiuidui *non dependent*, (non ſimpliciter ab exſiſtentia vel non exſiſtentia;) *abſurdum non eſſe iſtorum aeternitatem ante primam rerum actualem originem & exſiſtentiam velut retrotrahere* hactenus, vt cum exſiſtentiam earundem voluntas diuina antecedat, haec in conceptibus illis abſtractis rerum naturam conſequatur. Omnipotentiam autem Dei, prout a voluntate eiusdem abſtrahit, eſſentias rerum non inferre haud obſcurum arbitramur. Nam praeter rationes iam a Pufendorſio allatas patet, eſſentias rerum vtique certi quid eſſe, atque definiti. Atqui omnipotentia Dei, antequam ad certi quid per voluntatem determinata fuerit, indifferenter ad hanc vel illam, talem vel talem eſſentiam habere ſe intelligitur. Igitur poſita potentia Dei, ponitur ſane aliquid extra Deum eſſe poſſe: ſed quia illa potentia in ſe non eſt definita, & ad certi quid determinata, ſeu quid eſt *omnipotentia* ideo illis, quae eſſe poſſe dicuntur, certa & definita eſſentia tribui nequit, quouſque omnipotentia illa per voluntatem Dei ad certi quid reſtricta fuerit. Sane qui negat hominem eſſe poſſe, negat Diuinam omnipotentiam. Nequaquam tamen poſita omnipotentia Diuina ponitur eſſentia certa & definita hominis ſeu rei, cui certa definitio competat, niſi, poſita quoque voluntate Dei. Igitur Pufendorſius quando conceſſit; *primum fundamentum, vt aliquid extra Deum eſſe poſſit, eſſe omnipotentiam*, nihil conceſſit, vnde Strimeſio paeana ſibi canendi tanta cauſa ſurgeret. Nam nuda & indeterminata poſſibilitas eſſentiae nomine

Digitized by Google

mine venire nequit, & *eſſentia in determinata σιδηρέξυλον* eſt. Contra vltimata reſponſio, quare cuiusuis rei eſſentia talis ſit, non eſt haec, quia Deus eſt omnipotens, ſed quia Deus ita voluit. Quo non parum faciunt, quae Pufendorfius de diſcrimine potentiarum addiderat; ad quae vltro oculos ſibi clauſiſſe videtur Strimeſius, vt ſine rubore conuitiari poſſet. Sane quam maxime ad rem facit, omnipotentiam Dei, quantum ad exercitium & ad extra non eſſe facultatem neceſſariam, vt eadem eſſentialis ſit. Equidem ſi Deus non eſſet omnipotens, Deus non eſſet: eius tamen omnipotentia non neceſſario, ſed libere ſe exſerit. Saltem id inde patet, male ratiocinari Strimeſium, quando ait: *Omnipotentia diuina concepta eſſentias rerum in genere & indeterminatas, ſicque per conſequens easdem in ſpecie hominis & honeſti humani determinatas, etiam non concepta Dei voluntate, concipiendas eſſe*. Sic poſito figulo & argilla, poſſunt fieri vaſa fictilia. Sed antequam figulus ſecum conſtituerit, an operari omnino, & qualia vaſa conficere velit, vrcei aut patinae eſſentiam fruſtra inueſtigaueris; quae tunc demum reſultat, quando figulus ad operandum, & hoc ac non alio modo operandum, ſe determinauerit. Ante eam determinationem, quae voluntatis eſt actus, potentia figuli indifferenter ad hanc vel illam vaſis eſſentiam ſe habet. Vaſibus ſemel confectis licet eorum eſſentiam etiam ab exſiſtentia abſtrahendo concipere; vt tamen, ſi quaeſtio exſurgat, vnde vaſibus talis & non alia ſit eſſentia, voluntas figuli nullo modo excludi, aut illa eſſentia ante eiusdem voluntatem poni queat. Nam conceptus, & modi concipiendi ſequuntur ipſas res, prout exſiſtunt, non vice verſa: Eſt tamen diſcrimen inter Deum Creatorem & figulum, id eſt, inter omnipotentem, & eum, cui finita eſt potentia, diſciplina aut meditatione adquiſita, quod in hoc ante opus requiratur idea, quae & exſiſtere poteſt ante voluntatem producendi: quod inde prouenit, quia in iſto eſt potentia certis limitibus circumſcripta. Id quod in eo non videtur neceſſarium, in quem quadrat illud: *Dixit & facta ſunt*. Igitur infeliciter ratiocinari arbitramur Strimeſium: *Si adquiſita potentia ideas obiectorum neceſſario infert*, nempe propter finitam naturam; ergo & omnipotentia Dei eſſentiales obiectorum ſuorum ideas neceſſario inferet, & quidem tales, quae voluntatem diuinam antecedant. Perdit quoque operam Strimeſius in ſequentibus.

§. VIII. Non negat Pufendorfius in actionibus turpibus occurrere certum genus contradictionis, quod tamen, niſi poſita voluntate diuina, intelligi nequeat. Talem tamen in actionum humanarum turpitudine contradictionem negat apparere, qualis eſt, ſi bis duo negentur eſſe quatuor. Hoc enim negato, idem negatur eſſe idem. Qualem quidem contradictionem Strimeſius hic nondum demonſtrauit.

§. IX. Porro vti Strimeſio πρῶτον ψεῦδος Pufendorfii videtur, hominis ideam a ſola voluntate diuina ceu origine proxima ſuſpenſam, non autem ab omnipotentia Dei antecedenter ad eius voluntatem promanaſſe: ita contra Pufendorfius πρῶτον ψεῦδος Strimeſii iudicat, aliam originem exſiſtentiis rerum, aliam eſſentiis, quae non niſi inadaequati iſtarum conceptus ſunt, attribuere; & cum

& cum concedatur, a voluntate Dei eſſe, vt res, quales ſunt, exſiſtant, negare earundem eſſentias, vt tales ſint, a voluntate diuina eſſe. Cui & diſplicet, eſſentias rerum velut poſſibiles ab omnipotentia diuina, velut voluntatem diuinam antegreſſa, deriuare. Sufficere quoque iudicat Pufendorfius eſſentias rerum inquirere, quae per voluntatem diuinam extitere, & adhuc exſiſtunt. Sed quia omnipotentia Dei latius ſe extendere poſſe intelligitur, quam vniuerſitatem rerum creatarum vtpote finitam; haec puto Strimeſii mens eſt, illis etiam, quae contradictionem non inuoluunt, cum ab omnipotentia Dei produci non repugnet, eſſentiam vtique velut poſſibilem tribuendam eſſe. vtut ea Deus neque produxerit, neque producere voluerit. Quibus eſſentiis delineandis, vt Strimeſius ſeſe iactat, Pufendorfius credo non inuidebit. Caeterum neque in Carteſii, neque in vllius Philoſophi verba iurauit Pufendorfius, etſi valde probet inſtitutum virorum ingenioſorum, qui magis e dictatis ſanae rationis, & curioſis naturae obſeruationibus, quam e Scholaſticorum ac vulgarium Peripateticorum nugis ſapere malunt. Strimeſius porro nunc omnipotentiam diuinam ſanctitai & bonitati ſociat, cum hactenus ſolius omnipotentiae mentionem in hac diſceptatione feciſſet. Eam ſapientiam atque bonitatem liberas facultates neque abſurde neque incogitanter pronunciauit Pufendorfius; quia ſapientia & bonitas ideo maxime adoranda eſt, quod libera voluntate comitante exercetur. Sed gloſſema Strimeſii putidam cauillandi libidinem arguit, *liberas, id eſt, non neceſſarias:* quaſi quiſpiam ſanus in dubium reuocare poſſit, quod Deus vtique eſſentialiter & neceſſario ſit ſapiens & bonus; cum niſi talis non eſſet, Deus non eſſet. Nec minus tamen ſapientiam & bonitatem Deus non exſerit neceſſario, velut machina quaepiam, ſed libere, id eſt, ex optima ſua voluntate. Nuſpiam tamen Pufendorfius originem bonitatis & malitiae in *abſolutam* Dei voluntatem contulit. Etſi haud quidpiam ſiniſtri humano generi metuendum autumet, ſi origines rerum in voluntatem Creatoris optimi & ſapientiſſimi referantur, quam alii eſſentiis a voluntate ipſius non dependentibus velut capitulatione aliqua Caeſarea aduerſus abuſum potentiae circumſcribere velle videntur. Quomodo autem per hanc ſententiam diſcrimen legum naturalium & poſitiuarum tolli, aut peccatorum aequalitas ſtatui videatur, quod Strimeſius arguit, nobis quidem haud adparet.

§. X. Si igitur Pufendorfius haud magnopere metuit indignationem Diuorum Metaphyſicorum, Regni Barbariei numinum tutelarium, nec adeo difficulter ſententiam ſuam ab abſurditatibus philoſophicis liberabit, quas vt aliqua ſpecie impugnare aduerſarii poſſent, id ſolenne artificium adhibetur, vt ſubinde vocabula quaedam inſerciant, quo eiusdem ſententiam deprauent, ſuſpectamque & calumniis opportunam reddant. Sicuti ſane non eſt pro Strimeſii candore, cuius ipſe ſolus praeconem agit, quod dicit: a Pufendorfio omnem bonitatem & malitiam a *libera* Dei voluntate ceu fonte vltimo arceſſi; quod vocabulum circa hanc quidem materiam in ſcriptis eius non extat, & quid eidem inſidiarum ſubſit, haud obſcure pellucet. Cum cordatis quoque Theologis facile Pufendorfio conueniet, qui magno ſtudio circa tradendum Ius Naturale id egit,

egit, ne quid controuerſiarum Theologicarum attingeret. Quo fine & monuit, quae de indole iuſtitiae punitiuae in foro humano exercendae docentur, ad iuſtitiam diuinam in tribunali diuino exercendam omni ex parte haud quadrare; eoque ex hiſce principiis Socinianos vix ſolide refutari poſſe, cum tota oeconomia ſalutis noſtrae myſterium ſit rationi ſibi relictae incognitum, ſupraque eiusdem captum poſitum. Reuelatione autem diuinitus facta nunquam dogmata iſta parum rationalia ſeu rationi repugnantia cenſuit Puſendorfius. Cum poſitis principiis quae reuelatio diuina ſuggerit, non adeo arduum ſit rationalem quaſi conſecutionem & catenam articulorum fidei inueſtigare; ac miſere ſe res Chriſtiana haberet, ſi id demum e Strimeſio diſci deberet. Sed qui reuera ingens ingenii ſui ſpecimen editurus eſſet, ſi iſta e ſola ratione amota reuelatione diuina, demonſtratum iret. Quam feliciter Hugo Grotius, aut alii e principiis iuris humani Socinianos refutauerint, diſquirere a Puſendorfii inſtituto alienum fuit; cuius quoque non intereſt, quid circa hanc materiam meditetur Strimeſius, a quo inſigne hic iubar edita hucuſque Specimina vix pollicentur. Qui & malignum candoris ſui ſpecimen exhibet, quod cum primum de errore alterius propoſuiſſet, poſt quomodo ab eodem Puſendorfius ſe liberet, lectorem ad eiusdem ſcripta remittat: quod artificium eſt illorum, qui imperitis ſcrupulos & ſiniſtram de aliis opinionem inſinuare inſtituunt. Quare enim is non potius aperte arguebatur, aut abſoluebatur? Quod denique ex iuſtitia Dei argumentum duci poſſe putat Strimeſius, vt Puſendorfius cauſa tota cadat, id nondum ad liquidum perductum eſt. Eſt Deus vtique natura ſua iuſtus, & ſi iniuſtus eſſet, Deus non eſſet. Sed quia iuſtitia eſt attributum Dei, vt eſt conditor & rector huius vniuerſi; Geneſ. XVIII. 25. neque intelligi poteſt, niſi alii extra ipſum exſiſtant, ſicuti & humana iuſtitia eſt virtus ad alios: igitur non repugnare videtur, a voluntate Dei primo eſſe, vt ſint obiecta, circa quae iuſtitia Dei locum habeat.

§. XI. Caeterum poſtquam Strimeſii veſtigia legere [illegible]cuit, etiam qua ille ſubinde ad prius iam inculcata reuoluitur, ſequendum eſt, etſi non ſine meo, tuoque, Conſobrine ſuauiſſime, taedio. Proteſtatus fuerat Puſendorfius, a ſe tantum inueſtigari originem moralitatis in actionibus humanis. Eius origo cum quoad exſiſtentiam a voluntate Creatoris ſit, quod nemo abnuit, putat Puſendorfius etiam quoad eſſentiam non aliud eidem principium poſſe attribui. Ideo nempe quia eſſentiae rerum creatarum non ſunt aliquid ante ipſarum exſiſtentiam, ſed ſunt conceptus rerum inadaequati. Quarum & ideae fingi cum ratione nequeunt, niſi poſita voluntate Dei talibus aliquando exſiſtentiam tribuendi. Huc progreſſo quieſcere non conceditur Puſendorfio, ſed vtique ad rimanda diuinae naturae adyta compellitur, dum importune occinitur; in ſigno rationis diuinae a bono morali voluntatem praecedi; cum iſte temerarium iudicet, ſi mortales ita confidenter naturam diuinam ad modulum humanae rationis exigant. Nam id ſignum rationis quid aliud eſt, quam ordo & modus concipiendi naturam diuinam ad modulum noſtrae rationis? Quia tamen eam diſceptationem defugere ipſi per importunitatem aduerſariorum

non

non licuit, non adeo arduum ipſi fuerit oſtendere, voluntatem in ſigno rationis poſt bonitatem & ſanctitatem non eſſe collocandam, quidquid Scholaſticorum ſcita dictitent, quibus nondum, quod ſciam, auctoritas omni exceptione maior conſenſu Deorum atque hominum collata eſt. In ſummo quippe Ente ad normam rationis noſtrae conſiderato tria potiſſimum e poſitiuis attributis velut prima occurrunt, intellectus, voluntas & omnipotentia: caetera attributa poſitiua iſthaec velut comitari intelliguntur. Sic ſapientia concipitur velut perfectio intellectus diuini; bonitas, iuſtitia, ſanctitas, velut perfectio voluntatis. Quam ob rationem bonitas in Deo, voluntati non opponenda, aut anteponenda, ſed vel poſtponenda, vel quaſi concomitans concipienda eſt, vt dicatur bona, ſancta, iuſta Dei voluntas. Haec quippe attributa in Deo, niſi poſita eius voluntate, non magis intelligi poſſunt, quam ſuo gradu in homine, ſi huic voluntatem detrahere velis. Etſi hautquidquam aſſeratur, illa hactenus a voluntate diuina originem ducere, vt ab actu diuinae voluntatis demum reſultarint. Duorum igitur attributorum, ſi vnum ſe ita habeat ad alterum, vt illud abſque hoc intelligi nequeat, & ſingularem, quandam perfectionem eidem largiatur, illud vtique priusquam hoc concipi non poteſt & debet. Iam autem Deus bonus, ſanctus & iuſtus intelligi non poteſt, ni voluntate praeditus concipiatur, eoque iſta attributa Dei ſunt vt volentis, diuinaeque voluntatis perfectiones. Vnde patet, fruſtra in hac diſceptatione vel naturam Dei, vel eius ſanctitatem aut bonitatem voluntati eiusdem opponi, aut illam potiori iure, quam hanc primam bonitatis moralis normam dici. Palmaria ſic ratione deſtructa nil amplius periculi ſententiae Puſendorfii imminet a diſtinctiunculis inter actum primum obligationis, & actum ſecundum, inter eſſentiam legis, eiusque exſiſtentiam; quarum inanis adplicatio facile patebit, ſi quis ſuperius & alibi diſputata expendere velit. Ac non niſi abuſiue obligatio dicitur conſecutio eius, cuius antecedens a voluntate noſtra originem traxit. Nec tantas tragoedias excitari par erat, quod quaedam verba ex Osiandro pro ſua ſententia allegaſſet Puſendorfius, etſi circa aliam partem iſte ab eadem diſcrepet. Deinceps quoque puto, deſinet mirari Puſendorfius aliquid quantumuis ineptum, aut importunum a Strimeſio proferri, poſtquam hic tanta ſpecimina tetrici aut maledici Sophiſtae dedit. Qui enim antea bene de aliquo ſenſerat, is miratur, cum turpiter eum ſe dare videt: ſed vbi pudorem plane eundem decoxiſſe perſpicit; nihil amplius miratur, quicquid idem ſtolide effutierit. Id quoque non repugnat, vt diuerſae rationes adducantur, quare homini bona facienda, mala omittenda ſint, puta, quia id diuinae ſanctitati, aut rectae rationi, aut imagini diuinae congruit. Ex quo tamen nullo modo conſequitur, moralitatem actionum humanarum promanare a principio, quod antecedat voluntatem diuinam; adeoque non ſequitur; hoc vel illud congruit imagini diuinae, igitur per ſe & ſua natura honeſtum eſt antecedenter ad voluntatem diuinam.

§. XII. Deniqve & conceptum Puſendorfii circa attributa diuina fruſtra cauillari videtur Strimeſius. Vtrinque in confeſſo erat, attributorum diuinorum ratione ipſius rei non eſſe vnum altero prius aut poſterius. De quo

Digitized by Google

quod Puſendorfius verbo monuerit, nulla Strimeſio mordendi cauſa erat. Noſtro autem concipiendi modo attributa diuina conſiderari poſſunt vel ſimpliciter, vel in ordine ad productionem rerum creatarum. Circa priorem conſiderationem agere, Puſendorfio propoſitum non fuit; qui & ſemper proteſtatus eſt, ſibi tantum originem moralitatis in actionibus humanis inueſtigari. Circa poſteriorem autem conſiderandi modum haud adparet ratio aut neceſſitas, quare Deus prius omnipotens, quam intelligens & volens ſeu liber concipiendus ſit. Saltem id manifeſtum eſt, voluntatem Dei velut ab eiusdem omnipotentia dependentem non intelligi; aut Deum non poſſe liberum ens concipi, niſi prius concipiatur omnipotens. Id enim falſum eſt, quod Strimeſius tradit, omnipotentiam Dei voluntate diuina neceſſario priorem concipiendam, quia *potentia in ſigno rationis ſemper actum anteuertit*. Nequaquam enim omnipotentia diuina habet ſe ad voluntatem diuinam, ſicut potentia ad ſuum actum. Quin ipſa voluntas non notat actum ſeu volitionem, ſed potentiam libere ſe determinandi. Vnde ſophiſticatio eſt, qua non niſi pueris illudi queat, quod ſubiungit Strimeſius: Deus cumprimis in reſpectu ad res extra ſe poſitas prius *poſſe velle, quod omnipotentia comprehenditur*, quam actu velle intelligitur. Nam id *poſſe velle;* id eſt, ea facultas libere ſe determinandi non comprehenditur ſub omnipotentia; ſed omnipotentia reſpicit extra Deum res creandas, quae cum ſit omnipotentia, id eſt, immenſa, infinita, circa inueſtigandas origines rerum creatarum prioris prae voluntate principii rationem habere nequit, quippe cum per voluntatem demum ad certi quid determinari intelligatur. Vno verbo; omnipotentia Dei non ideo dicitur, quod Deus poſſit intelligere aut velle, ſed quia poteſt facere, quicquid vult. Quod autem e ſententia Puſendorfii ſequatur id, quod quidam Carteſianorum admiſere, ſi Deus aliter voluiſſet, bis duo non fuiſſe futura quatuor, eoque eſſentias rerum ab omnipotentia, non a voluntate prouenire, hoc mihi non videtur. Puſendorfio ſufficit, naturam rerum & intellectum humanum voluntate Creatoris ita formatum, vt hanc propoſitionem, bis duo non ſunt quatuor concipere nequeat. Quid futurum fuiſſet, ſi Deus rerum naturam & intellectum hominis aliter creaſſet, vt ea velut vera concipi poſſent, quae nunc vt ſe mutuo deſtruentia concipiuntur, alios anquirere patitur, quibus magis vacat, telas aranearum texere atque retexere. Nec ideo omnipotentiae Dei voluntatem eiusdem priore loco a rebus creandis depulerit, quia confuſa & indiſtincta quaeſtio, cur *aliquid* extra Deum eſſe queat, in potentiam Dei ſit reſoluenda. Nam iſtud *aliquid*, nunquam accedente voluntate Dei, quantum a nihilo differt? Aut quid eſſentiae eſt *aliquidditas?* Vt autem rebus certa eſſentia attribui queat, neceſſum eſt, potentiam Dei, quae non definita aut limitata, ſed omnipotentia eſt, ad certi quid & definiti a voluntate fuiſſe determinatam; vnde & ad hanc praecipue origo effectus refertur. Super *Socialitate & fundamentali legis naturalis propoſitione* cum Strimeſius maledicentiae & irarum affatim, ſolidae rationis nihil adferat, non eſt, quod cordatus quiſpiam iſta moretur.

MODESTVM ſe ſatis, & prout eruditum virum decet, exhibuit IOH. IOACHIMVS ZENTGRAVIVS in Originibus Iuris Naturalis. Earum prooemio hactenus

ctenus quidem ſatisfeciſſe Puſendorfio videri poteſt, quod declarat, non ipſum, ſed alios a ſe inſimulari eiusmodi errorum, quos bonus ac pius vir de ſe credi, tolerare non poteſt, nec debet. Etſi ſatius fuiſſet, iſthanc declarationem priore ſcripto fuiſſe diſtinctius expreſſam, & clarius expoſitam, ſi quid circa Puſendorfii ſententiam monendum videretur, nec eius nomen illis admixtum, qui dogmata ſua ab abſurditate aut impietate purgare vix poſſunt. Et cum non diſſiteatur Zentgrauius, diſcuſſionem ſententiae Puſendorfianae, praecipuam ſibi occaſionem praebuiſſe ſcriptum id formandi. non vacabat ratione ſuſpicio, ne in ipſum iacta forent dicta, quae nemo honeſtus tacite deglutierit; praeſertim cum non conſtaret, de quonam Lectores eadem accepturi eſſent.

Circa controuerſiam primam de doctrina Iuris Naturalis ad diſciplinam Chriſtianorum tradenda poſt factam hancce a Zentgrauio declarationem parum diſſenſus ſuperfuturum videtur, quae nullas fuiſſe inſidias oſtendit, quales in Alberti Compendio *Orthodoxo* pellucebant. Id tamen non inficiabitur Zentgrauius, ad liquidum prius deducendam vniuerſalem doctrinam iuris naturalis e ſolo rationis lumine petitam. Qua adornata nemo repugnabit, quo minus ſi quid peculiarium dogmatum inter ſectas Philoſophantium, vel certam religionem profeſſis receptum fuerit, ſubuertatur. Vbi ſi quis vniuerſi iuris diſciplina probe imbutus fuerit, ei in procliui eſt obſeruare, quae ſingularum ciuitatum Legislatores ſuperaddiderunt, quemadmodum autem infeliciter circa iura verſantur. qui nullo poſitiuorum & perpetuorum diſcrimine haec inuicem confuſa tractant: ita intricari magis, quam illuſtrari diſciplinam iuris naturalis iudicauerim, ni hoc diſcrimen probe obſeruetur. In iſthac autem tractatione, quod Puſendorfius nullam rationem habendam cenſuit Moraliſtarum, qui duobus abhinc ſeculis orbem Chriſtianum immenſa voluminum mole oppleuerunt, nec adhuc opplere deſinunt, cauſa ipſi fuit, quod eorum inſtitutum priſcis Eccleſiae Doctoribus ignotum id ſpectet, vt Laicorum, quos vocant, actiones non amplius e liquidis diuinarum literarum, aut rectae rationis dictatis, ſed e Sacerdotum libidine ſuſpendantur, omnia ad dominatum ſacrum referentium.

Circa ſecundam quaeſtionem, quae palmaria eſt, *de Origine Moralitatis ſeu Legis Naturalis*, id agnoſcit Zentgrauius, Deo eiusque voluntati cum bonitate, ſanctitate, & ſapientia coniunctae quicquid eſt in acceptis referre ſuum eſſe, tum vt ſit id, quod eſt, & vt tale ſit, & a Creatore vnicuique creaturae aſſignatum tum eſſentiam, tum partes & requiſita, e quorum combinatione talis & non alia prodiret natura. Sed ſi quaeratur *de ratione ipſius naturae rei, vnde in genere cauſae formalis, non in genere cauſae efficientis, ſit, quod verbi gratia, homo ſit animal rationale, blaſphemia turpis, ad voluntatem Dei non eſſe recurrendum: ſed ſicut verbi gratia, in triangulo e tribus angulis contiguis formaliter oritur triangulum, ita e combinatione animalitatis & rationalitatis oriri hominem. Vnde ſicut ratio veri, prout ficto opponitur, ita requirat in triangulo, non qua antecedens praeciſe diuina voluntas: ita veritatem humanae naturae, quae immutabilis ſit, immutabiliter quoque determinatam certorum eſſentialium*

Digitized by Google

tialium requiſitorum connexionem requirere, cum non ex quolibet fieri queat, nec idem vt vere idem ſeu eadem natura ſit, & maneat, ex diuerſa & oppoſita conſtare poſſit ratione, ſic vt velit proin Deus hominem creare animal rationale, quia eius veritas quatenus ficto opponitur, ita habet; non autem ideo praeciſe homo ſit animal rationale, quia Deus ita vult. Eſſe quidem voluntatis diuinae etiam antecedentis & aſſignantis, vt animalitas & rationalitas ad creaturam completam, quae homo dicitur, conſtituendam combinetur: ſed ipſam combinabilitatem, & veritatem hanc, quod ex animalitate & rationalitate combinata oriatur ſpecies, quae homo dicitur, & quod haec ſic exoriens ſpecies, qua talis horum & non aliorum requiſitorum connexionem immutabiliter velit, hoc ſe viciſſim ad illam habere antecedenter. Addit tamen, *haud crude dicendum, voluntatem Dei ab eo penitus excludi, quod ad eam ſe antecedenter habet. Quod enim conſequenter Deus deſignat, approbat & confirmat ex infinitae ſuae ſapientiae dictamine, fieri decernit, ab eo voluntas eius non ſimpliciter excluſa dici debet.* Puto me ſenſum horum dictorum recte concipere, & breuius iuxta, clariusque exprimere, ſi dicam: Voluntati Dei omnes res creatas, & cuique eſſentiam ſuam vna cum exſiſtentia aſſignatas: ſed quod homini talis natura qualem iam habet, & non alia fuerit tributa, id non a voluntate Dei eſſe, ſed antecedenter ſe ad eam habere, quia alias non verus homo, ſed fictus & quaſi contradictorius factus eſſet: cum veritas rerum ac mutui earum reſpectus a voluntate Dei non ſint, ſed eam antecedere intelligantur. Puſendorfium contra video eſſentias conſiderare, vel prout res iam ſunt creatae, vel prout nondum creatae concipiuntur. Priori modo eſſentias nil aliud cenſet eſſe, quam conceptus rerum inadaequatos, qui a particularibus & variantibus rerum attributis, & huius vel illius indiuidui exſiſtentia abſtrahunt. Sic quando verbi gratia, ab homine omnia attributa, quibus indiuidua varie veſtiuntur, abſtraham, & id ſolum retineam, quod ita illi proprium eſt, vt eo negato in diuerſam ſpeciem ſit abiturus, remanet natura animalis & rationalis. Quod ſi autem quis interroget, vnde conſtet, homini hanc eſſentiam non ficte, ſed vere attribui; adeoque veram eſſe hanc propoſitionem, homo eſt animal rationale; id planiſſime putat poſſe reſponderi, quia talis creatura in rerum natura exſiſtere conſpicitur, cui hominis vocabulum inditum. Contra enim ſi coniungantur conceptus, qui in rerum natura non exſiſtunt, verbi gratia, chimaera, ficta, non vera res exprimitur, non minus ac ſi, quae natura diſiunxit, coniungere aggrediar, verbi gratia, ſi hominem animal latrabile, canem animal rationale dicam. Cum igitur exſiſtentia reuera prior ſit eſſentia, & haec non niſi partem exprimat eius, quod exſiſtit, & verum exprimat id, quod reuera datur ſeu exſiſtit, fictum notet id, quod exſiſtere traditur, cum non exſiſtat, aut ſecus exſiſtat: dicendum ipſi videtur; ſicut a voluntate Dei res habent exſiſtentiam, ita & eſſentiam, & quod vere ſint illud, quod ſunt, quas ſi homo taliter conceperit, verum concepiſſe, ſin praue, falſum, ſin conceperit, quae non extant, ficta concepiſſe dicitur. Si igitur eidem non adparet, quomodo & a naturali connexione attributorum cuiusque rei eſſentialium, & a veritate eiusque fundamento, hoc quidem conſiderando modo excludi queat voluntas diuina, etſi intellectus humanus, dum res contemplatur,

platur, tantiſper ab ipſarum prima origine abſtrahere queat, adeoque & a voluntate, rerum natura, quam exſiſtere conſpicit, contentus. Verbo, cum eſſentia exſiſtentiae contradiſtincta ſit, tantum conceptus inadaequatus eius, quod exſiſtit, & veritas velut expreſſio reſpondens ei, quod exſiſtit, exſiſtentia autem a voluntate Dei ſit, igitur nec abſentia, nec veritate rerum voluntatem Dei excludi poſſe, ſed vtramque ab hac vtique promanare. Quod ſi autem eſſentiae rerum, & connexiones attributorum eſſentialium cuiusque rei ante earundem exſiſtentiam, & prout ante creationem conſiderentur, Pufendorfius putat, eam ab intellectu humano concipi non poſſe, niſi concepto decreto voluntatis de creanda qualibet. An vero ante decretum Dei de creanda rerum vniuerſitate eſſentiae rerum, quales nunc concipiuntur, intellectui diuino obuerſatae ſint, eademque tunc rerum veritas & conceptuum combinabilitas fuerit, qualis nunc eſt, Pufendorfius inquirere non vult; nec credit alium operae pretium facturum, ſi ea de re vigilans ſomniet. His ita poſitis non deſunt, quae ad Zentgrauii tradita reponi queant: *Veritas humanae naturae eſt immutabilis*; eſto, non tamen antecedenter ad voluntatem diuinam, ſed quando Deus decreuit facere hominem ad ſui ſimilitudinem. Eo decreto poſito humana natura immutabiliter requirit certorum eſſentialium requiſitorum connexionem, quia eius, qui ſapienter agit, voluntas ſibi non contrariatur; quod fieret, ſi volendo creare animal mentis capacius altae non vellet creare id rationale. Vnde *combinabilitas* animalis & rationalis naturae ſub hac hypotheſi tantum neceſſaria eſt, ſi Deus voluit hominem creare. Alias in ſe iſta *combinabilitas* vsque adeo neceſſaria non eſt, vt plurimae dentur animales naturae, quibus rationalis coniuncta non eſt, & rationales, quibus animalis coniuncta non eſt. Similitudo, quam Zentgrauius adfert, de artifice candelabrum aut amphoram producente, vt ad praeſentem diſceptationem quadret, ita eſt adaptanda. Ponendus eſt artifex, qui primus omnium vaſa formare inſtituit. Is habet materiam ductilem ad quasuis formas: ſed prout ex vaſe aliquem finem quaerit, ita figuram eidem indit. Si igitur velit formare vas ſuſtinendis candelis, talem formam aſſignat, qualem fini ſuo congruere iudicat. Atqui & forma eiusmodi vaſis, quod candelabrum dicimus, & congruentia eius formae cum fine ad voluntatem artificis antecedenter ſe non habet. Sed idem ſi, dum candelabrum voluit formare, amphoram formauerit, ſtolide operatus cenſebitur. Ita nec rationes iſtae formales, nec terminorum, & attributorum connexiones voluntatem Dei antecedunt. Et plane contradictorium videtur, immutabilem & aeternam eſſentiam veritatemque voluntate Dei priorem ponere rei, quae, quod ſit, & talis ſit, a voluntate Dei habeat. Quanquam autem abſtrahendo a voluntate Dei Creatoris, qui rebus omnibus ſuam formam aſſignauit, interna requiſitorum cuiusque rei habitudo conſiderari poſſit hactenus, vt illorum inter ſe congruentiam nouo diuinae voluntatis actu ſanciri opus non ſit: propter abſtractam tamen illam conſiderationem dici non poteſt, hominem eſſe animal rationale, non quia Deus voluit, ſed Deum voluiſſe talem creare, quia eſſentia eius talis eſt. Nam ratio ſanctitatis, iuſtitiae, miſericordiae, & ſapientiae, ſecundum quam Deus

aliquid velle & ordinare declaratur, intelligitur quidem antecedere volitionem Dei, ſeu actum hoc vel illud volendi, non tamen ipſam voluntatem, vt eſt eſſentiale Dei attributum, cuius iſtae perfectiones ſunt. Equidem iactatur. *Deum ex infinitudine ſapientiae naturaliter intelligere ante omnem actum voluntatis per voluntatem formaliter elicitum, quid fieri queat, & quid ipſe facere ſeu creare poſſit*. Sed de iſtis *poſſibilitatibus* quid ſentiendum, iam ſupra oſtendimus. Et iſtius aſſertionis nullum aliud eſt fundamentum, quam quia mortales Deum ad modulum noſtrae rationis, indolemque animae humanae metimur. Et quomodo probari poterit, Deum intellectu ſuo totam velut abyſſum omnipotentiae ſuae perluſtraſſe, antequam de quibusdam rebus a ſe creandis decerneret? Saltem quomodo eſſentiae immutabilis & perpetuae vocabulum tribui poterit illis, vt humano modo loquar, cogitationibus circa vires omnipotentiae, antequam voluntate Dei decretum fuerit, an & quid creare velit? Sane formam & eſſentiam aedificio dant non indefinitae ſpeculationes architecti, antequam conſtituerit ſecum, an & quale aedificium extruere velit. Porro, vti ſupra iam dictum, coniunctio illa formalis requiſitorum eſſentialium ſemper praeſupponit eam hypotheſin, ſi talis res datur. Quo poſito intelligitur etiam, quid actionum ipſi congruat, quid non. Ante eam ſuppoſitionem verum non eſt, hominem eſſe animal rationale. Prius quippe verum eſſe debet, homo eſt, quam verum intelligi queat, homo eſt animal rationale. Equidem quin ante voluntatem diuinam concipi poſſit, *non repugnare hominem eſſe, aut hominem eſſe animal rationale*, non negauerim, ſed hoc ipſo nihil certi ac definiti exprimi apertum eſt; & in ſola nonrepugnantia, vbi nihil praeterea acceſſerit, eſſentias rerum collocare, voluntati Dei neceſſario ſequendas, mihi quidem oppido quam ieiunum videtur. Neque aequipollent haec duo: Deus poteſt creare animal rationale; & homo eſt animal rationale. Porro ad veritatem cuiusque rei requiritur, vt haec ſit, ſaltem ex hypotheſi; cum veritas nil aliud ſit, quam expreſſio quaepiam, aut ἐκτύπωμα rei. Vnde tunc demum vera eſt haec propoſitio: Homo debet colere Deum; ſi homo datur, aut ſi Deus eum creare decreuit. Sic poſito Deum praeter ea: quae iam extant, aliud corpus naturale producere velle, id e materia & forma conſtabit. Neque tamen vera erit propoſitio haec: Corpus quod nunquam extitit aut exiturum eſt, conſtat ex materia & forma. Sic poſito luminarium coeleſtium motu regulari, in multa ſecula praedici poſſunt eclipſes, non niſi tamen ſub conditione mundi extituri. Vnde vera erit propoſitio haec: Erit eclipſis Solis anno poſt Chriſtum natum 2400. ſi tunc orbis adhuc ſuperſit. Poſito autem finem mundi interim interueniſſe, falſum eſt, eodem anno eclipſin fore. Denique quod Puſendorfius iudicat, inaniter conſtitui diſcrimen inter id, quod *decet* hominem, & quod eidem *praeceptum* eſt, hactenus vt illud antecedere, hoc conſequi voluntatem diuinam dicatur, haec ipſum ratio mouit; quia quando de moralitate, id eſt, bonitate & malitia (non de aptitudine ad imputandum) in actionibus humanis ſermo eſt, hominis eſſentia a Deo iam definita & conſtituta vtique praeſupponitur. Atqui hac poſita id, quod eum decere dicitur, hoc ipſo quoque praeceptum intelligitur; cum haec duo ex vno eodem-

que

que actu diuino profluant, & gratis fingatur, vno actu diuino effectum fuiſſe, vt hoc vel illud humanam naturam deceat, alio actu idem pro imperio eidem iniunctum. Caeterum vti Pufendorfium circa ea, quae non ipſi, ſed aliis a ſe obiecta teſtatur Zentgrauius, facile adquieturum crediderim: ita quo minus & hic ſuam mentem ſuper iis, quae ipſi obiiciuntur, explicet, nemo prohibuerit.

§. VIII. Porro Zentgrauius, quo naturam hominis ad voluntatem Dei antecedenter ſe habere oſtendat, quaeſtionem ita formandam iudicat: *Num Deus aliam requiſitorum eſſentialium combinationem velle potuerit, vt inde prodiens aeque verus eſſet homo, atqui is eſt, quem animal rationale vocare conſtituit?* Sed ea nihil a Pufendorfii aſſertione abire videtur. Nam poſita combinatione animalitatis & rationalitatis certa creaturae ſpecies reſultat, cui hominis eſt vocabulum. Quod ſi autem Deus alias naturas combinare vellet, quae illam ipſam creaturam abſoluere deberent, ex animalitate & rationalitate conſtantem, tunc Deus ſibi ipſi contradiceret; id quod a perfectione ſummi Entis abhorret. Hoc tamen modo nihil adparet, quod voluntatem diuinam antecedat. Antequam autem voluntate Dei animalitas & rationalitas ad vnam creaturam conſtituendam fuerit combinata, aut ad combinationem deſignata, non poteſt dici hominem eſſe animal rationale; ſed id tantum: Deus duas illas naturas combinare valet: per quam propoſitionem nondum eſſentia hominis infertur ſaltem hactenus, vt vere dici queat, homo eſt animal rationale. Exempla Mathematica, quae in hac diſputatione paſſim adducit Zentgrauius, peculiarem & profundiorem habere videntur diſquiſitionem. quam aliis relinquo, quibus pinguius otium ſuppeditat per inania conſumendum. Addit Zentgrauius: *Deum ante decretum voluntatis ex intellectus ſui infinitudine aeque cognoſcere, quid & qua ratione aliquid fieri poſſit & debeat, atque ſuam eſſentiam cognoſcit;* quae cognitio *naturalis* vocatur, contradiſtincta *liberae*, quae voluntatem Dei ſequitur. Atqui admiſſa etiam hac diſtinctione non video, quomodo negari queat, naturaliter Deum cognoſcere quaedam vt creanda, quaedam vt nunquam creanda. Prioribus voluntas Dei vtique includetur: poſterioribus quid eſſentiae & veritatis immutabilis tribuere poſſit aut velit Zentgrauius, ipſe viderit. Sane Pufendorfio eadem ſomnum haud abrumpent. Quod praeterea idem pronunciat: *Humana natura requirit combinationem animalitatis & rationalitatis tanquam requiſitorum eſſentialium, non quia Deus vult, ſed quia ita humanae naturae veritas ſe habet*, id ſi penitius inſpiciatur, identicum & inane eſt. Concipitur quippe humana natura velut aliquid antecedens combinationem animalitatis & rationalitatis; cum tamen ex horum combinatione eiusmodi natura reſultet, quae humanae vocabulo ab hominibus notatur. Dum combinatio illa diuina voluntate decernitur, vera quoque fit haec propoſitio, homo eſt animal rationale, & ſi homo diceretur, qui vel animal, vel rationalis non eſſet, is fictus, non verus foret. In quibus tamen omnibus nihil eſt, quod voluntatem Dei antecedat. Non adparet etiam, quis caſus Zentgrauii ſplenem titillauerit, vt ridiculum pronunciet, quod Pufendorfius abſurdum iudicet ab ipſo *concedi de indiuiduo aliquo, Deum, vti libere illum hominem condidit, ita ſi voluiſſet,*

luiſſet, brutum condere potuiſſe: addita ratione, quod *vtique ipſe gratias agat Deo, quod animal rationale eximiis donis ornatum ſit creatus.* Sane ſingulos noſtrum poterat Deus non creare, ſed quod nos voluerit exſiſtere, eo nomine Creator vtique grates meretur, licet dum noluerit condere Me aut Te, non potuerit non animal rationale creare. Et quid ſit *indiuiduum adhuc ad certam ſpeciem determinandum*, paulo diſtinctius a Zentgrauio fuerit explicandum, vt conſtet, an ei aſſertioni ſanus ſenſus inſit.

MINVS difficultatis circa originem moralitatis videtur, quam Pufendorfius voluntatem Dei conſequi, Zentgrauius antecedere contendit. Sane cum honeſtas aut turpitudo actionum certam & determinatam hominis naturam requirat, non adparet, quomodo iſta intelligi queat, niſi hac poſita. Fides, inquam, gratitudo honeſtae; idololatria, adulterium, furtum turpia intelligi non poſſunt, niſi praeſuppoſita natura humana, cuius determinatio voluntatem diuinam antecedere non poteſt. Neque ſequitur, homines ſancti & miſericordes eſſe iubentur ad exemplum Dei, igitur non a voluntate diuina determinata & deſignata eſt natura hominis, vt tales actiones ipſi vtique quadrent. Equidem iactatur, *infinitae ſapientiae & ſcientiae Numen poſſe vtique ſcire, qui rerum in ſe poſſibilium motus ad ſapientiam & iuſtitiam ipſius exigi debeant, etiam antequam eas creare ſecum conſtituerit.* Enimuero conceptus rei praeciſe vt poſſibilis id tantum infert, vt ea res per potentiam, de qua ſermo eſt, produci queat. Vnde idem hac propoſitione exprimitur; poteſt produci a Deo creatura, cuius naturae conueniat fides, repugnet adulterium. Ea tamen propoſitio nondum infert hanc, fides eſt ſeruanda, adulterium eſt omittendum, quia vti vulgo dicunt, a poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Sed vt e poſſibili oriatur certi quid ac definiti, neceſſarium eſt, vt a voluntate agentis fiat determinatio. Et cum poſſibile ita praeciſe ſumptum concipiatur velut aliquid incertum & vagum, cuius determinata non eſt veritas, a voluntate potius, quam a ſanctitate & iuſtitia determinatio fieri dicenda eſt; cum iſtae perfectiones Deo inſint, vt eſt voluntate praeditus, quae ideo ante voluntatem eius collocari nequeunt. Sic ſi de homine dicam, fecit pro ſua clementia, pro ſua humanitate, non negatur primus fons eius actionis eſſe voluntas hominis, quae clementiae & humanitatis virtute eſt imbuta. Igitur cum aliud ſit poſſe eſſe, aliud eſſe, quorum prius indefiniti quid, hoc certi & determinati notat, eſſentiae autem, naturaeque rerum certum quid & determinatum ſint, neceſſum eſt earum primam originem non a nuda omnipotentia Dei, ſed ab eiusdem voluntate, ſancta illa & iuſta, & cum ſapientiſſimo intellectu coniuncta deriuari. Vnde & cognitio illa Dei naturalis, quamdiu poſſibilitatem tantum, & vaſtitatem potentiae diuinae concipere intelligitur, certas & definitas rerum eſſentias concipere cenſenda non eſt, niſi concepto prius principio, quo eſſentiae rerum determinentur. Multo minus dici poteſt, ab eadem concipi adulterium vt turpe, niſi prius concipiatur natura certa & ita determinata, vt ea actio iſti repugnet; qualem determinationem ſola poſſibilitas non infert. Et quo fundamento quis probauerit, per naturalem Dei cognitionem

res

Digitized by Google

res adprehendi tantum vt poſſibiles, praeciſe futurae ſint, an minus, & earum omnium eſſentiam deſignari: ac non potius res futuras, velut certam ex voluntate Dei eſſentiam habituras concipi, poſſibiles autem & nunquam futuras velut indeterminatas in medio relinqui? Nam ſpeculari poſſibilitatem abſque ſuppoſitione futuritionis non eſt ſpeculari eſſentias rerum, ſed ſuam tantum potentiam. Non recte quoque hoc loco iactatur tritum illud, non ex quolibet fieri quodlibet, vt idem reuera ſit & maneat, velut ante voluntatem Dei detur rerum veritas, & interna requiſitorum eſſentialium, eaque definita ad talem praeciſe quidditatem conuenientia, eaque immutabilis. Nam dicterium illud praeſupponit res certas & definitas, ac proprie locum habet in mutationibus rerum iam exſiſtentium, quae mutabilitatis ſuae certas fines habent. Cum autem potentia Dei haec creata rerum natura exhauſta non cenſeatur, quin plura producere potuerit, nec dubium habendum, quin plures ſint rerum conuenientiae, quam in actum deductae ſunt, igitur non videtur cuicunque rei extra Deum immutabilem attributorum eſſentialium connexionem attribui, niſi ſub hac hypotheſi, ſi Deus talem rem producere velit. Nam omnipotenti Deo & qui e nihilo producere aliquid poteſt, materia ſua velut infinitum obſequitur, nec vllam formam adſpernatur velut incongruam, quam ipſe pro ſapienti & optima ſua voluntate eidem attribuere placuit. Sic vt nexus ille eſſentialium partium vtique a voluntate Dei ſit, optimi & ſapientiſſimi. Sed & valde adhuc dubium eſt, num intellectus Dei infinitus, & cui omnia praeterita, praeſentia, & futura vno velut momento intuenda ſunt expoſita, abſtractionum & praeciſionum leges, quas Philoſophi commenti ſunt, obſeruet, & puras poſſibilitates a *futuritione* praeciſas prius ſpeculetur, voluntate interim velut otioſa, quoad illa ſpeculatio fuerit abſoluta. Denique cum veritas ſit aliquid rem conſequens, aut affectio rei prout eſt, combinatio autem animalis & rationalis ad conſtituendam creaturam, quae homo dicitur, voluntate Dei facta ſit, non adparet, quomodo nudus conceptus poſſibilitatis ſeu combinabilitatis duarum iſtarum naturam eſſentiae & veritatis rationem habere poſſit, & talis quidem, quae voluntatem Dei anteceſſerit, quemque voluntas Dei in deſignanda velut creatione vtique ſequi neceſſum habuerit. Cum ſuper duabus iſtis naturis, antequam per voluntatem Dei combinatae intelligantur, nihil aliud vere pronuntiari poſſit, quam hoc: ſi Deo placuerit naturam animalem & rationalem coniungere, euadet creatura aliqua egregia brutis nobilior, Angelis inferior. Eoque veritas haec, homo eſt animal rationale, ante diuinae voluntatis ſuppoſitionem intelligi nequit; quia aliud eſt eſſe, aliud poſſe eſſe, ſeu non repugnare vt ſit. Sic non repugnat, Zentgrauium eſſe Doctorem Sorbonicum. Interim quouſque Deus hoc decreuerit, vera non eſt haec propoſitio, Zentgrauius eſt Doctor Sorbonicus, ne in intellectu quidem diuino; ſed tantum haec, ſi Zentgrauius Deo volente foret Doctor Sorbonicus, verus eſſet, & non fictus Doctor. Sic non repugnat Lunam creatam fuiſſe triquetram, aut quadrangulam, ſexangulam, octangulam, cylindri figura, &c. Neque enim hic aliquid ſupra potentiam Dei poſitum adparet. Antequam igitur per voluntatem Dei figura eius rotunda fuit determinata, concipi potuit tanquam

poſſibile quid Luna triangula, quadrata, ſexangula: id quod tamen Deus non voluit, nec forte vnquam volet. Et nihilominus iuxta Zentgrauii tradita, quia datur eius conceptus tanquam poſſibilis, verae erunt ſimul omnes hae propoſitiones: Luna eſt triquetra, Luna eſt quadrata, Luna eſt ſexangula, octangula &c. Id ſi Zentgrauio abſurdum videtur, concedendum ipſi erit, certas & determinatas veritates ſeu vt verae propoſitiones formari poſſint, non fluere ab omnipotentia Dei antecedenter ad voluntatem Dei res determinantem. Eſt enim vera quidem haec propoſitio: non repugnat, Lunam potuiſſe creari quadratam, ſed iſthaec propoſitio non aequiualet huic: Luna eſt quadrata. Quod ſi igitur Zentgrauius pro eſſentiis rerum nunquam futurarum pugnare perrexerit, valde metuo, ne cordati ipſum de lana caprina litigare iudicent.

Svper indifferentia motus Phyſici in actione morali parum aut nihil controuerſiae inter iſtos ſupereſſe videtur. Quod autem Puſendorfius eo loco concitatius egiſſe arguitur, id ſine dubio ideo factum, quia Zentgrauius hunc Sophiſticis quibusdam prauas ſententias fouentibus ita immiſcuerat, vt non cuiuis in procliui foret diſcernere, num eadem ipſum cum caeteris claſſe cenſeret, an minus. Et vel ſuſpicione eiusmodi opinionum perſtringi atrox iniuria eſt, quam inferens ſi acerbius repellatur, habet quod ſibi imputet, qui virum bonum nulla neceſſitate laceſſitum iuit. Quae ſuperſunt diſſenſiones, exigui momenti ſunt, & ſuper quibus viros amplius certare vix decorum ſit. Sicuti nec operae pretium videtur de Roberto Scharrockio quid mouere, qui noua editione libri ſui de *Officiis* Puſendorfii tradita vno & altero loco carpere voluiſſe videtur: Mihi ſane quid reprehendat, aut qua de cauſa, nondum diuinando aſſequi licuit. Caeterum vti Puſendorfius, quae initio intentabantur, calumnias plane diſſipauit, ac ſi quid ſolidae controuerſiae fuit, eo deduxiſſe videtur, vt facile ferre poſſit, eruditos in ſuffragia ſuper iisdem ire: ita diſſimulare non poſſum, eundem a multis accuſari, quod nimium acerbitatis, & ſalem plus ſatis aſperum ſcriptis ſuis expromſerit, ac male temperato calore litem aluerit, quae moderatione adhibita mox vltro expiratura videbatur. Etiam bonam cauſam iracundia actoris ſaepe corrumpi. Tum non ſat magnanimitatis oſtendere, qui aemulorum iniuriis plus iuſto commoueatur. Alii contra, qui propius virum norunt, placido ingenio memorant, & cui nunquam alios laceſſere libido fuerit; & qui prouocatus ioco potius, quam inuectiuis aduerſarios protelare maluerit. Aſt quae ipſi mota fuerit, litem ita malitioſe fuiſſe inſtructam, vt eadem ad modum diſceptationis literariae expediri non potuerit. Ad eum fortunis euertendum incubiſſe primo Nicolaum Beckmannum & Ioſuam Schwarzium, aliosque. Id cum non ſucceſſerit, Beckmannum edito libello famoſo profugum, infamiaque per ſententiam iudicialem notatum, vt impune furorem expromere poſſet, ſacra mutaſſe, ac inſulſiſſimis ſcriptis exempli foeditate ſeculo decus conciliaſſe. Alterum, quem ſuperiorum reſpectus vtcumque continuerat, mox furori prophetico fraena laxaſſe, poſtquam Suecorum res per Scaniam tunc ipſi conclamatae videbantur. Itaque Lundini aurigas inter & vetulas in abſentem Puſendorfium e cathedra

ſacra

ſacra declamaſſe heroica plane confidentia, cum neminem reſponſurum noſſet. Mox Hafniam delatum publicatis iſtis declamationibus, nil aliud effeciſſe, quam vt Nicolao Beckmanno improbitatis palmam ambiguam redderet. Ad quas calumniae & veſaniae manifeſtas aliquid reponere Pufendorfio nunquam tanti fuit viſum. In tales quid tam aſpere dici potuit, vt non longe infra eorum merita id ſit? Fridericus quoque Geſenius, & Valentinus Velthemius quomodo mollius potuerint tractari, non adparet; quorum huic audio ſuccenturiatum Sleuogtium quendam, inſipido libello famoſo in Pufendorſium compoſito, quo ipſo quodnam operae pretium facturum ſe ſperauerit diuinando conſequi non licet, facinore apud omnes bonos deteſtabili, & quod nil ſalis inſuper homini ineſſe arguat. Strimeſium quoque longe aſperiore ictu repelli potuiſſe, ni Pufendorfio magis quid ſe deceat, quam quid ille meritus foret, reſpicere curae fuiſſet. Accedere, quod proteruis ingeniis, & pruritu ſcribendi laborantibus inſolentia gliſcat, ſi ipſorum improbitas modeſte, velut re bene geſta, excipiatur; quia aſpere protelati facilius in ſe deſcendunt. Neque vero dubitandum, ſi Pufendorfio aduerſarii contigiſſent, qui citra obſcoenas calumniantium artes ſolo veritatis amore diſputationem ſuſcepiſſent, quin ipſe nemini eorum moderatione & humanitate conceſſurus fuerit. Nunc dolendum eiusdem fatum, qui fere a talibus laceſſitus fuit, aduerſus quos eruditos decens grauitas adhiberi non potuit, praeſertim cum talia ipſi impingere inſtituerint, quae ſi leui brachio reieceris, prope agnouiſſe videaris. Habes epiſtolam argumento ſpinoſam, verbis incomtam, quam quidem nemo alius a me extunderet, praeter Te, cui cupienti quidquam abnuere nefas mihi dico. Meum ſtudium tibi non diſplicuiſſe hoc iudicio colligam, ſi paris prolixitatis epiſtolam de rebus, quae apud vos in re literaria aguntur, remiſeris. Bene Vale! Hamburgi, die 3. Iunii Anno 1683.

* *

SAMVELIS PVFENDORFII COMMENTATIO SVPER INVENVSTO VENERIS LIPSICAE PVLLO, VALENTINI ALBERTI PROFESSORIS LIPSIENSIS CALVMNIIS ET INEPTIIS OPPOSITA.

IOANNES DE LAVNOY
THEOLOGVS PARISINVS
DE
VARIA FORTVNA ARISTOTELIS
IN PRAEFATIONE.

Non omnes quibuscum agitur, veritatem puram amant, aut ferre volunt. Quin etiam ea in manifeſtam lucem prodita expalleſcunt, immurmurant, maledicunt, tumultuantur, ſuoque exemplo docent, imperitis hominibus nihil eſſe crudelius, & dum accedit fucata pietas, ne pilus quidem vllus ſupereſt ad augendum tantae iniquitatis faſtigium.

IOANNES CHRISTOPHORVS BECKMANNVS
PROFESSOR-FRANCOFVRTANVS
IN PARALLELIS POLITICIS p. 5.

Dolenda certe rei literariae iſta infelicitas, qua gloriae nobis vertimus, ſi quid boni ab aliis prolatum impetere poſſimus: quaſi vero non omnibus nobis in excitanda e ruderibus imagine diuina laborandum ſit, quod certe non ſubtrahendo rebus inuentis, ſed addendo effectum dabitur: Mechanici longe melius in rebus ſuis verſantur, quibus, ſi bonae frugis ſint, non rem ab aliis ſuae ſortis male geſtam carpere, ſed eandem etiam perfectam magis perficere curatio eſt. Vnde & tanta rerum a Mechanicis dependentium noſtro tempore ſubli-

ſublimitas. At nos meliorum hautquaquam ſatagentes ſatis nobis ducimus aliena refutaſſe. Sic quid res non ſit, ſcimus cum ignariſſimis, quid vero demum ſit; aeternum ignoramus.

Res mira atque inaudita! Venus dearum quondam formoſiſſima, tot per ſecula male comparato connubio Mulciberi iuncta, ex hoc nullam vnquam prolem, ex adulteris non paucos genuiſſe memoratur: vt quae aliis maritis laetitiae eſſe cauſa ſolet vxorum foecunditas, huic doloris atque ignominiae foret. Sed nunc demum ſenio grauem, & de adſciſcendo extraneo haerede, cui forcipes malleosque relinqueret, agitantem Venus ſua vetula iam atque edentula, cum rugae moechos dudum protelaſſent, immenſo gaudio perfudit Lipſia grauida facta, quando a coena Platonica reuerſus flore Liberi, Zythique diſtentus *optatos dedit amplexus, placidumque petiuit Coniugis infuſus gremio per membra ſoporem.* Toto geſtationis tempore vti ſingularem ſemper prae ſe tulit ſolicitudinem Vulcanus, velut de forma prolis ſuae parum ampli auguratus: ita cum iam Iunonem Lucinam inclamari audiret Muſis alioquin ſemper auerſus, repente poëtico oeſtro tangi coepit, raucaque voce inſonuit: *naſcere coece puer, claudi patris excrementum!* Liquidius mox fuit gaudium, quando in conſpectum ipſius allatus eſt puer: quem hic ſtatim vere ſuum, & citra dubitationem genuinum recognouit, deformitatem ac ſordes ipſius mire exprimentem, & qui vbi paululum adoleſceret citra formae iacturam purgandis a fuligine paternae officinae caminis adhiberi poſſet. Cum de imponendo nomine inquireretur, pater quidem in hoc renouari cupiebat memoriam Caeci filii quondam longe dilectiſſimi ab Hercule indignis modis interemti. Sed praeualuit matris ratio, vt quia proles iſta nil materni decoris prae ſe ferat, ſaltem a fratris vterini blando vocabulo quantulumcunque gratiae mutuaretur. Caeterum quanquam Vulcanus ipſe hac ſibi prole mire placuit: aliis tamen nouo iſto Erote conſpecto in mentem venit illud Philoſophi pronunciatum, cum puerum ſtupidum, & mentis parum compotem vidiſſet: *Hunc quidem pater ebrius ſeuit.* Nam & iſtum genitum adparebat, dum patri vno & altero congio vini cereuiſiaeque tumenti *claudicat ingenium, delirat linguaque mensque.* Alii in hunc Erotem mire quadrare cauillabantur illud Comici: *In Amore omnia inſunt vitia, iniuriae, ſuſpiciones, inimicitiae.* Eius tamen rei cauſa non ſtatim adparebat, quare Vulcani gena iſte Eros importuna geſticulatione, ac moleſtis morſicationibus, oriſque proterue diſtorti deformitate ſimiae potius catulum, quam Cupidinem referret; ni quidam monuiſſent, Vulcanum a ſimiis nutritum atque educatum. (vid. Natal Comes Mythol.) Vnde veroſimile eſſe, e nutricis lacte aliquid morum ſimialium in Vulcanum, & ab hoc in Erotem deriuatum. Quam ob cauſam etiam, quia Eros iſte ſimioformis ſat feroculum ſe oſtendit, atque altius imprimere dentes conatur, ſcutica nimirum accipienda fuerit, & extantiores dentes excutiendi, vt probe contuſa & exarmata beſtiola deinceps moleſta eſſe deſinat.

Scilicet non ſpes eſſet, tandem aliquando importunae liti finem imponendi, Valentinus Albertus, toties licet repulſus, rixoſitati ſuae imperare non

 poteſt,

poteſt, quo minus dudum ad fundum vsque diſcuſſas & euiſceratas cauillationes denuo inſtauret, ac nouis accumulatis iniuriis reſpondendi neceſſitatem imponat. Quibus intemperiis hominem agitari, aut quem fructum ex eiusmodi ſcriptione captare credamus? Nam gratis quidem ludibrio ſe orbis literati exponere maniſeſte deliri hominis videbatur. Sine dubio igitur praecipua cauſa ab *intereſſe* deriuanda fuerit, cuius cupiditas tantopere animo Alberti infixa eſt, vt etiam ſummas rationes non ſolum religionis Pontificiae, ſed earum, quae ab hac diſceſſerunt ſtolidiſſimo libello ad *intereſſe* referre conatus ſit. Sortitus fuerat iſte ſpartam valde quidem ieiunam & ſterilem, tum & cumprimis triſtem atque inamoenam, quae nec lucri anſam, nec famae parandae praebebat *Triſte ſolum, ſterilis ſine fruge, ſine arbore tellus; Frigus iners: illic habitant pallorque tremorque, Et ieiuna fames.* Sane Lipſiae Collegia Logica & Metaphyſica, vix quadrante aeſtimantur; & ſi publice iuxta priuatimque eadem cantilena fuiſſet cantanda, breui occiſura erat *miſerum crambe repetita Magiſtrum.* Igitur alia hedera erat ſuſpendenda, quo nummos ſemunciales in caſſes pelliciendi occaſio foret. Cui fini Iuris Naturalis diſciplina maxime idonea viſa fuit, in quam cognoſcendam ab aliquo tempore iuuentus ſat prona fuit deprehenſa; etſi alias neque inſignem aliquam operam iſte circa eandem poſuiſſet, & quae publice iniuncta erat functio huc non traheret. Iſta collegia vt cum aliqua iuuenum frequentia, & non ſine ſtrepitu inſtitui poſſent, lis intentanda erat alicui ſcriptori in eo genere non plane obſcuro: tum noui aliquid comminiſcendum, vt imperiti adoleſcentes, dum inuſitatos, & nemini antea cognitos ſapientiae theſauros heic effoſſuros ſe credunt, eo promtiores ad praenumerandum didactrum redderentur. Ac ne per inuidiam veteri amico obtrectare videretur in eo loco, vbi nec huic amici deſunt, orthodoxiae vocabulum obtentui ſumere placuit, velut quae reliquis omnibus reſpectibus praeualeat, & qua periclitante vel pauentes in crucem agere fas piumque ſit. Iſthanc viam vbi ſemel ingreſſus fuiſſet Albertus, *intereſſe* requirebat, vt qua ratiocinia deficerent, calumniae & cauillandi impudentia in ſubſidium vocarentur, ne cum auctoritate dulcis lucri prouentus intercideret. Ac ne tandem aliquando vitilitigandi pauſa fieri poſſet, iam quoque facem, & *atro Lumine fumantes fixit ſub pectore tedas* heros, cui, ſi ex elogio ALBERTINO menſurari debeat, nec antegreſſa ſecula parem viderunt, nec futura viſura ſunt. Quem tamen, ſi quid adhuc laeua ſub mamilla ſalit, credimus inſipidis iuxta & enormibus paraſiti ſui elogiis rubore ſuffundi, atque indignari. Nam vt condonemus, nec *inter nobiles doctiorem*, nec *inter doctos nobiliorem* vnquam extitiſſe, ac totum qua patet literatum orbem tribus ſcriptis Teutonica lingua ab ipſo editis mire fuiſſe illuſtratum, ſic vt qui vel eam linguam non intelligunt, vel iſta ſcripta non legerunt, in tenebris ſedeant, & vmbra mortis: quis ſine riſu legere poteſt illud *Bonorum omnium Aſylo?* Sane vt infelicibus facinoroſis, aut obaeratis aſylo opus ſit, frequens eſt. Sed vt omnes boni aſylo indigeant, non niſi tunc contingere poteſt, quando quicquid eſt Principum repente in tyrannos degenerent, ac ad virtutem exſcindendam incumbere coeperint. Qua calamitate tamen ſi genus humanum obruendum ſit, vix puto bonos

bonos omnes Meuſeluici fatis tutum refugium inuenturos, ſed quicquid huius ſit, iſthoc *diuinae veritatis propugnaculum*, *Iuſtitiae humanae oraculum*, *Seculi miraculum* factum iam quoque eſt litis Albertinae ſpiraculum, ac reuera *aſilus*, *oeſtron Graeci cognomine dicunt*, *Aſper*, *acerba ſonans: quo tota exterrita ſylvis Diffugiunt armenta*. Ab hoc quippe poſtquam Compendium Albertinum inter inſigniia columnia reputatum fuit, queis in ruinam vergens res Chriſtiana cumprimis fulciatur; iam non amplius induciis aut paci locus eſt, quin ne temperamento quidem e ſtatu paradiſiaco promananti. Hoc titulo quoque, opinor, quicquid calumniarum & mendaciorum in me ſpargetur, apotheoſi mactabitur, velut ſtabiliendo Chriſtianiſmo adhibitum. Tanto enixior mihi opera danda eſt, vt Alberto demum laruam detraham, & quid iſte ſub talari pallio inſcitiae atque malitiae tegat, in apricum producam; tum & recentem illum Erotem Vulcanigenam ita deplumatum dem, vt longe deinceps ipſi ſit futurum ſpicula veneno tincta in me torquere.

In fronte igitur puſionis huius adparet neſcio quae puſtula ſat purulenta, morbi non optimae notae indicium. Eridem Scandicam dicit ab Erote Lipſico repelli cum *conuitiis* & *erroribus* ſuis *maſcule*, *modeſte* tamen. Albertum a me conuitio adſperſum non memini; nec ſi indolem ſcriptorum ipſius paulo ſignificantiore vocabulo notaui, id ſtatim pro vitio habendum fuerit. Primos Eridis auctores, Indicis Nouitatum compilatorem editoremque, eorumque in me auſa propriis nominibus expreſſi non ſupra meritum, nec praeter fas. Sane qui alterum conuicerit, res ipſius clanculum ſubduxiſſe, ſi eundem furem nuncupet, neque conuitium dicit, neque iniuriam facit, ſed hominem debito elogio deſignat. Homines autem rudes, qui per malitiam inſcitia mixtam tumultum mouent, paulo aſperiore ſale defricare etiam inter humanitatis officia habetur, vt ſtolidus faſtus ac petulantia iſtis decedat. Sicuti contra adulando & excuſando alterius ſtultitiam aut improbitatem alere in vitio eſt. Neque vero ipſe Albertus, qui ſtatus integri exemplum ſeculo exhibere ſtudet, indecorum ſibi duxit, aduerſarios ſuos Pontificios *ſcurrarum* vocabulo non ſane honoris gratia inſignire; praeſertim cum id negotium huc plane non ſpectet, & poſt tantum temporis ſpatium, rixa dudum obliuione ſepulta, irarum fluctus in animo viri paradiſiaci dudum conſediſſe debuerint. Id tamen vellem liquidius fuiſſe expreſſum, num Alberto propoſitum fuerit, propriam duntaxat cauſam agere, an vero caeterorum quoque patronum ſe ferre, qui me impugnauerunt. Hi enim, cum calumniae publicae ſint conuicti, eoque nomine poenas dederint, ſi Albertus nunc eorum facinus defenſum eat, recuſare non poterit, quo minus in partem ſceleris ab iſtis patrati, meritorumque elogiorum veniat. Sed ſi iſtorum flagitium a ſe improbari, ac ſuam duntaxat cauſam cordi ſibi teſtetur, facile concedere poſſum, vt paulo remiſſioris malitiae gradu defungatur; etſi & ipſe in id omnes neruos ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, intendat, vt falſas ſententias mihi affingat, id eſt, vt calumniatorem agat. Ab *errore* nemini mortalium priuilegio aliquo cautum eſt, ne iſti quidem Alberto, *qui Magno Maior habetur*; praeſertim vbi quis circa res obſcuras,

ras, difficiles, & nondum ad liquidum deductas verſetur. Circa quas vti aliquando impegiſſe apud bonos facilem veniam habet; ita eo nomine ſtatim alterum inſultare dira inhumanitas eſt. Enimuero erroris aliquem circa diuina dogmata, & qui ſcripturarum diuinarum tradita falſi arguat, inſimulare, atrociſſima eſt accuſatio; quam ſi quis idonee demonſtrare haut queat, ſummam iniuriam intuliſſe, calumniamque exercuiſſe cenſendus eſt.

Qvod crimen ab Alberto in me admiſſum & antea oſtenſum, & deinceps clarius demonſtrabitur. Et eo impudentior conatus fuit iſtorum calumniatorum, quod inter praecipuas cauſas ſuſceptae a me circa Ius Naturale ſcriptionis fuerit, vt ab omnibus quaeſtionibus Theologicis eam diſciplinam ſepararem, eoque ipſo eandem extra fluctus diſceptationum Theologicarum, ac Theologogorum ſupercilium atque cenſuram ſubducerem. Quos vti merito honore libenter afficimus, quamdiu intra limites officii ſui verſantur; ita ſi, dum falcem in alienam meſſem mittunt, prout par retundantur, iniuriam ſibi factam queri non poſſunt. Cur enim Albertus non maluit Collegiis Theologicis, quam Iuris Naturalis ſe iactare? Aſt ſi quis priuatus Doctor, vtut cathedram orthodoxam calefaciens, alterum ſtatim erroris ideo inſimulare volet, quod hic in vno vel altero capite a dictatis ipſius & collegiis manuſcriptis etiam Philoſophicis diſſenſerit: eidem prius demonſtrandum fuerit, quidquid diuinae humanaeque ſapientiae extat, pectoris ſui ſcrinio contineri, ac praeter Alberti cuiuspiam placita ſapere nefas eſſe. Quam *maſcule* Albertus hoc ſcripto rem geſſerit, in progreſſu adparebit. Hactenus equidem cauſam ſuam ſat aniliter egit. *Modeſtiam* ab ipſo adhibitam ita conabimur exprimere, vt ne in aere eiusdem manſiſſe videamur. Obiter quoque notari velim nouam inſcriptionis formulam: Alberti *Eros Lipſicus; ſcriptus eſt ad* Seckendorfivm. Hanc elegantiam ſine dubio eruditi deinceps, repudiata vetere & natiua formula, magno cum applauſu recipient.

Caetervm *Praefatio ad Lectorem* nonnihil modeſtiae prae ſe fert, & candoris, dum citra ambages exponit, in quonam proprie cardo controuerſiae noſtrae vertatur. Vbi id quidem credat, qui poteſt, quod Albertus negat e ſtudio partium, aut rixandi libidine ſuam ſe ſententiam totiens defendere. In medio quoque relinquo, quod dicit: *de veritate ſuae ſententiae per conſcientiam ſuam ſibi certiſſime conſtare*. Etſi non immerito quaeri poſſit: quisnam Alberti conſcientiam fecerit veritatum theoreticarum regulam? Aut num ideo ſimiae catulus reuera ſit pulcerrimus, qui matri talis videtur? Sed quod Albertus iactat, ſuo ſe modo philoſophandi *repeiſſe aliquid toti Reipublicae Chriſtianae vtile;* id vero eſt aliquid, de quo *Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt*. Quanquam enim reuera controuerſia inter nos praecipua ſit dè fundamentali propoſitione (non hypotheſi, quae ab iſta plurimum differt, vti infra oſtendemus,) in diſciplina Iuris Naturalis: tamen quia hac occaſione ad vniuerſam philoſophandi rationem delapſi ſumus, non inficior, me ab Albertina methodo diſſentire, necdum perſpicere, quid rei Chriſtianae interſit, ſi Theologiam Philoſophiae, reuelationem rationi immiſceamus, & e ſacris literis

ris hypotheſes petamus, quibus diſciplinae philoſophicae ſuperſtruantur. Sane
non memini, Dominos Profeſſores Ienenſes, cum lauream Philoſophicam mi-
hi conferrent, ad eiusmodi philoſophandi modum me adſtrinxiſſe. Quin con-
tra cenſeo, quemadmodum vbi theologari placet, ad ſolam reuelationem con-
fugiendum eſt, ſequeſtrata ratione, ſi quid aduerſus iſtam ſcopuli mouere au-
deat; ita ſi quis philoſophari inſtituat, ei ſanae rationis vſum & ſolertem na-
turae rerum contemplationem adhibendam, nec opus eſſe, vt diuinas literas
in ſubſidium aduocet, atque inde hypotheſes petat. Idque quia Deo non fuit
propoſitum, dum viros ſacros inſpirat ad ſcripto conſignandos libros Biblicos,
dogmata philoſophica homines docere, ſed viam ad ſalutem aeternam humano
generi pandere. Hiſce libris inſperſa hinc inde ſunt nonnulla ad diſciplinas
philoſophicas ſpectantia, non quidem philoſophico modo accurate deducta, ſed
prout in ſenſus & notitiam populi incurrunt. Circa quae diuinitus falſi quid tradi-
tum fuiſſe, nemo ſanus aut pius aſſeuerauerit. Nec tamen cordatus quiſpiam abnue-
rit, quin nonnullae ibi reperiantur dictiones communi populi vſu tunc receptae,
quae ad ἀκρίβειαν philoſophicam parum quadrant. Etſi ideo Scriptura ſacra erro-
ris aut ignorantiae inſimulari non poteſt aut debet, quia cum ad populum loque-
retur, non poterat aliter quam ad huius captum loqui; & incongruum plane
fuerat futurum, circa talia ſcholas quasdam Philoſophicas ſcriptis diuinis immi-
ſcere. Sic ſi Concionator ad populum verba faciens, vbi mentio inciderit de
ſocru Petri, quam Saluator noſter a febri curauit, vellet digreſſionem facere
de natura & differentia febrium, de fermentatione, de cauſis intenſionum &
remiſſionum in febribus, de venaeſectione, de virtute radicis Chinae Chinae,
& ſimilibus, etſi haec omnia veriſſima & argutiſſima eſſent, ab auditoribus tamen
plane delirare cenſebitur. Si quis adeo inſaniuerit, vt putet, Deum qui omnia
numero, pondere, & menſura fecit, ignorare accuratam proportionem dia-
metri ad peripheriam? Et tamen manifeſtum eſt, illam non eſſe accurate talem,
qualis eſt 10. ad 30. Etſi quia proxime ad eam accedit, populari ſermone ta-
lis exprimatur 2 Paral. IV. 2. 1 Reg. VII. 23. Quia nempe eiusmodi minutiae,
ac fracturae numerorum atque menſurarum in ſermone populari non attendun-
tur. Et tamen ſi quis ſecundum ἀκρίβειαν, mathematicam id dictum accipere
velit, ac iſtud velut hypotheſin e ſacra Scriptura petitam Geometriae ſubſter-
nere aggrediatur, dubium non eſt, quin quicquid operationum & demonſtra-
tionum ex eo principio deductum fuerit, falſum ſit futurum. Sic quis dixe-
rit, Deum hominis conditorem ignorare, vbi animae humanae ſedes ſit, &
vbi ea praecipuas ſuas operationes, quas inter & cogitationes ſunt, exſerat?
Et nihilominus nemo Medicorum ſe irreuerentem credit in Deum & ſacram
Scripturam, ſi animae rationali ſedem non in corde, ſed in cerebro aſſignet;
ſicuti & omnes ſentimus, cogitationes nobis per cerebrum, non per cor vo-
lutari. Scilicet quia frequentiſſima ſacris literis dictio cogitationes cordis non
ſecundum ἀκρίβειαν Anatomicorum capienda eſt, ſed populari ſenſu de cogi-
tationibus occultis, & quas omni ſtudio diſſimulare quis ſtudet; ſicuti cor in
centro velut corporis humani occultatur. Quod ſi tamen aliquis Medicis hanc
hypotheſin tanquam e ſacris literis petitam vtique obtruere conetur: cor eſſe

ſedem cogitationum & animae rationalis, Medici quidem primo iſtum in theatrum Anatomicum adducent. Si ne ſic quidem adquieſcat, elleboro purgandum cenſebunt. Vnde in eiusmodi effatis Scriptura ſacra non quidem e Philoſophia & rerum natura corrigenda, multo minus erroris arguenda, ſed duntaxat dextre explicanda eſt, nempe eo loco adhiberi dictionem popularem, non quae ad ſubtilitatem philoſophicam exaſciata ſit. Vnde etſi alias auctoritati Papae a me nihil deferatur: non tamen improbare poſſum cenſuram illam Alexandri VII. ſuper hypotheſi Copernicea: ſi ex natura rerum & ratione citra controuerſiam demonſtrari poſſit, terram moueri, id non fore contra Scripturam ſacram: quia eo caſu phraſes Scripturae de motu Solis eſſent explicandae populariter & ſecundum adparentiam. Vnde commento ſuo, quo tantopere ſibi placere videtur, Albertus neque religioni Chriſtianae, neque Philoſophiae conſulit. Nam ſi talia dicta mordicus pro hypotheſibus diſciplinarum philoſophicarum venditare inſtituat, ab omnibus cordatis ineptire, & auctoritatem diuinarum literarum proſtituere cenſebitur. Et vti ſententiae philoſophicae, quae rationi & naturae rerum congruunt, haut eo minus verae ſunt, licet in ſacris literis non extent: ita ſi quae ibi ſententiae philoſophicae reperiuntur, eae ad ſanam rationem & naturam rerum exigendae ſunt, vt conſtet, populariter, an ſecundum ἀκρίβειαν philoſophicam capiendae ſint. Vnde non adparet, cui bono fingatur aliqua Philoſophia Chriſtiana, cuius hypotheſes e ſacris literis ſint tranſſumendae. Ne nunc dicam, quod ratio, quae Philoſophiae genuinum principium eſt, velut retundatur, ſi alligetur ad principia inde petita vbi rationi locus non relinquitur, & vbi illa captiuanda eſt ſub obſequium fidei. Quae cum ita ſint, arbitramur Alberti pronuntiatum contradictionem implicare, *quantum poſſit Philoſophiam examuſſim conformandam reuelationi diuinae*. Sane enim veritates philoſophicae non ſunt obiectum reuelationis diuinae, ſeu Deus non ideo peculiari modo hominibus ſe reuelare voluit, vt ipſos talia doceret, quae antea per rationem, & inſpecta rerum natura cognoſcere dabatur; ſed vt viam ſalutis aeternae rationi incognitam eis oſtenderet. Et quae huc ſpectant proprie ſub reuelationum cenſum veniunt, non autem ſi quid praeter & extra hunc finem e communi vita, ac natura rerum diuinis paſſim libris inſperſum legitur. Sicuti nemo puto reuelationem diuinam dixerit, quod in ſacro codice volucres coeli nidos habere dicuntur. Igitur cum reuelatio diuina, & Philoſophia circa diuerſa obiecta verſentur, haec cum illa conformari nec poteſt, nec debet, non magis quam Iurisprudentia ad Medicinam. Quod ſi tamen quis illa, quae praeter & extra reuelationem in diuinis literis occurrunt, cum philoſophicis placitis conferre velit, nemo id quidem prohibebit, dummodo nec populares ſententias pro theorematibus philoſophicis nobis impingat, aut hypotheſes parum congruas diſciplinis philoſophicis inferciat, nec eos, qui librum Scripturae vſui theologico, librum naturae & rationem vſui philoſophico vnice adplicant, velut profanos homines diffamet, aut quod maximum eſt, illis per ſummam impudentiam theſes ſacris literis aduerſas affingat. Vti quidem Albertus neque maſcule, neque modeſte, neque pro viri boni officio facit, dum ait: *Ne contra manifeſtum ſacrae Scripturae ὑπογραμμὸν aſſumere figmen-*

Digitized by Google

ſigmentum de primo homine valde miſero, meamque ei ſocialitatem adplicare. Eſt inter alia crumeniſecarum artificia & hoc, vt vbi iam iam in flagitio ſunt deprehendendi, repente ſurdos ſe fingant, quo ſuperuenientium quaeſtiones eludant. Ita & calumniatores ac vitilitigatores quandoque ſtuporem ſimulant, velut partis aduerſae reſponſionem non percepiſſent, quo non deſit occaſio ad nauſeam vsque repetitos coecyſmos recinere. Sane vocabulum *fingendi* diuerſos habere ſignificatus, quorum reſpectu fingere aliquando illicitum, quandoque licitum ſit, ſatis iam a me inculcatum fuit. Erid. p. 357. Ac nihilominus Albertus dudum a me iugulatam calumniam reuomit, eoque & mihi neceſſitatem infert decies ingeſta ſummo cum taedio repetendi. Fortaſſe tamen magis ad captum Alberti fuerit, ſi dicamus, aliud eſſe fictionem poſitiuam ſeu categoricam, aliud ſuppoſitiuam ſeu hypotheticam. Prior eſt, ſi quid falſum excogitatur, quod pro vero venditatur; vti Pontificii purgatorium finxerunt, quod ſimplicibus pro vero obtrudunt. Poſterior autem eſt, ſi tantiſper aliquid ſupponitur, non vt pro vero aſſumatur, ſed vt conſecutiones rerum inde illuſtrentur. Quae cum in docendo inſignem vſum, incommodi nihil habeat; nemo hactenus ita delirauit, vt vel eam fictionem damnaret, vel alteri ob eandem adhibitam tam inficetam dicam ſcribere auſus ſit. De caetero vbinam ego finxi, id eſt, pro vero venditaui, primum hominem, id eſt, Adamum cum compare Eua fuiſſe miſerum, in eo nimirum ſtatu, in quo initio a Deo reuera conſtitutus erat? Vbi *fingo*, id eſt, falſum hoc tanquam verum ſtatuo, primaeuam conditionem primi hominis fuiſſe miſeram? Aut num fingit aliquid ſcripturis diuinis aduerſum, qui tradit; eos, qui ſacrarum cognitione literarum deſtituti primos homines e terra prorepſiſſe conceperunt aut finxerunt, non potuiſſe non iſtis tribuere ſtatum miſerrimum? Aut qui dicit, ſi fingas, ſi concupias, ſi cogites, hominem ſine auxilio Dei & hominum neſcio vnde in mundum proiectum, eius ſtatus erit, miſerrimus? Sane ipſe Albertus millies dixit, ſi aſinus volat, habet pennas; cui aequipollet; ſi fingamus aſinum volare, idem habebit pennas. Aſt num ideo molitor Thomanus vnquam in ius Albertum eo nomine vocauit, quod aſinos ipſi alatos fingat, qui cum ſaccis alio ſint auolaturi? Aut num quis Alberti auditor tam ſimplex fuit, vt vbi pennae aſininae venales extarent, inquireret? Sane qui per quadrantem ſeculi Logicam publice ac priuatim cantillauit, non potuit non auditoribus ſuis infinities inculcaſſe; in eiusmodi propoſitionibus non attendi, vtrum antecedens ſit verum, an minus, ſed ſufficere, ſi eo poſito inde promanet conſequens. Imo in ipſo Compendio Orthodoxo, quod Venere & Cupidine auctore conditum eſſe indicio eſt, quod viri tanto impetu ad idem oſculandum ruunt, idem ratiocinandi modus occurrit p. 139. *Finge per impoſſibile, extitiſſe tum tantum hominum numerum, quantus ad poſſidendum terrarum orbem fuiſſet requiſitus, ſingulis dominii partem aliquam concedere opus habuiſſet protoplaſtus.* Non opus autem eſt, vt *τὸ per impoſſibile* ſemper addat, qui mauult Ciceronis, quam Alberti Magni dictionem imitari. Qua de re pluribus infra erit agendum, vbi craſſam iſtam calumniam cum omnibus fibris radicitus euellemus. Vnde & vltro corruit calumniae iſtius corollarium; *me haut inuitum aliis permittere meo exemplo, vt in doctrinis philoſophicis fingant ſacris literis aduerſa.*

uerſa. Enimuero ego neque finxi aliquid ſacris literis aduerſum, neque aliis ad eiusmodi fictionem auctor ſum. Id duntaxat optauerim, vt ſi cui philoſophari ſit propoſitum, ne farraginem quandam e Theologicis & Philoſophicis doctrinis miſceat. Ex quo quaenam philoſophandi licentia, damni quid producere apta, proueniat, ego quidem perſpicere non poſſum. Nam hoc modo ſacris literis ſua perſtat auctoritas, vſusque earum integer ſeruatur, iuſtoque loco adhibetur. Et ratio veterum magiſtrorum ſeruitio exſoluta campum nanciſcitur, vt opera curioſae inquiſitionis in naturam rerum, vitaeque humanae compagem penitius admiranda diuinae potentiae & ſapientiae introſpiciat, ac ſolidas de rebus ſententias fouere diſcat. Sane reuelationem Deus certis terminis circumſcripſit, eique addi quid, denique vetuit. Aſt ſolertiae rationis & ingenii humani vt quousque poſſit progrediatur, & in Creatoris gloriam, ac humani generis decus & inſigne emolumentum redundat. Niſi vero reliquas artes quotidie nouis inuentis eniteſcere praeclarum habetur, ſolam Philoſophiam in ſterquilinio Ariſtotelis aeternum volutari par eſt. Et cur non etiam Medicinae interdicitur, vt ne quid ſupra Scholam Salernitanam ſapere audeat? Et cum laudandum ducamus agricolam, ſi fertilem agrum tritico conſerere malit, quam auena aut eruo; cur vitio vertamus ingeniis diſcendi cupidis, ſi circa ſolidam rerum inueſtigationem occupari malint, quam inter ſpinoſa & puluerulenta vocabula, rerum inania, aetatem conſumere? Allegantur tamen ab Alberto HOBBESIVS & CARTESIVS velut inſignia exempla eorum, qui philoſophandi licentia abuſi Philoſophiam *fictionibus* impleuerint. Vbi illud primo valde dubium mihi videtur, num Albertus vnquam vtriusque ſcripta legerit, eorumque ſententiam recte perceperit. Nam infinitis experimentis mihi conſtat, quo atrocius quis in iſtos Philoſophos declamat, eo minus eum noſſe, quid iidem doceant. Prout & non ita pridem apud magnum Principem Theologus quidam primarii ordinis admodum turpiter ſe dabat, dum Carteſium accuſans ac interrogatus, quidnam praui iſte doceret, nil aliud reſpondere poſſet, quam eundem tradere, nihil omnino eſſe credendum. Scilicet quia aliquando audiuerat, a Carteſio doceri, ſolide philoſophaturum mentem ab omni praeiudicio liberare debere, eoque de receptis dogmatibus dubitandum, eaque ad examen reuocanda. Sed fingamus perimpoſſibile, Albertum vtriusque ſententiam callere velut vngues digitosque ſuos; non tamen inde habebit aliquid idem, quod iure mihi obiiciat. Quid enim ipſe de Hobbeſio iudicem, abunde a me expoſitum eſt; nec cordatos plus a me deſiderare arbitror. Eum me *diligenter legiſſe* non inficior, nimirum quia Apoſtolus dixit: omnia probate; quod bonum eſt tenete. Sane & falſo ab iſto tradita multum mihi lucis attulere ad complures veritates eruendas aut ſtabiliendas; & illa ipſa falſa nemo in Germania me ſolidius deſtruxit. In Carteſii autem verba non magis quam in cuiusuis alterius iuraui. Sed ne iſtius viri ingenium aeſtimarem, ac placita eiusdem, vniuerſamque philoſophandi rationem Ariſtotelicis longe praeferrem, idem mihi exprobrandum eſſet, quod Alberto, ſi raſtrum Lipſicum cereuiſiae Serueſtanae, aut rapas & braſſicam turdis atque alaudis antehaberet. Ac non exiguum operae pretium facturus ſit, ſi quis e Carteſii oſoribus diſtincte orbi erudito velit exponere, quidnam in eiusdem Philoſophia ſit reprehendendum?

num

Digitized by Google

num methodus philoſophandi in vniuerſum? num quae is de Deo & anima tradit? num doctrina de homine? aut de paſſionibus? num hypotheſis phyſica? num quae ad Geometriam & Algebram ſpectant? num haec omnia, aut ſingula in vniuerſum; an certa ex iisdem loca? Nam eiusmodi diſtincta accuſatione inſtituta non defuturi eſſent, qui reſponderent. Sed nunc ſi iſtos homines vrgeas, vt ad peculiaria deſcendant, demum iſthanc confeſſionem exprimis: Carteſium equidem ipſe non legi; audio tamen multos de eo male ſentire, qui fortaſſe & ipſi iudicium ſuum ignorantiae ſuperſtruxerunt. Sane memini, cum Ienae agerem, Profeſſorem ibi fuiſſe, qui cum de Carteſio mentio iniiceretur, ingentes cachinnos tollere ſolebat, velut ſtupidiſſimus iſte, & inſaniſſimus mortalium fuiſſet; cum tamen conſtaret, bonum illum Profeſſorem ne vnicam quidem paginam in Carteſio legiſſe, nedum intellexiſſe. Igitur & Albertus, & alii id genus homines dictum ſibi putent: inciuile eſt iudicare cauſa non penitus cognita & perſpecta. Addit tamen Albertus, ab iſtorum virorum, Hobbeſii & Carteſii κακοζηλία Lipſiae parum fuiſſe periculi, *quia non fuerint ciues noſtrae Eccleſiae*, quam rationem ego veram non cenſeo, cum plurimi ſcriptores Pontificiis ritibus addicti, qui vulgarem Philoſophiam tradunt, iuuentutis manibus Lipſiae terantur. Sed primariam cauſam eius rei hanc puto, quia Carteſius ſubtilis eſt & difficilis, cuius placita promte percipi nequeunt, ni quis modo demonſtrandi mathematico adſuetus fuerit; id quod inter veteres magiſtros rariſſimum eſt. Cum itaque illa Philoſophia ſine ſolerti manuductore addiſci nequeat, ac nemo ſit, qui eam docere audeat, quin plurimi in eandem inuehantur; quae via ſupereſt adoleſcenti, vt Lipſiae eius Philoſophiae notitiam haurire queat? niſi forte ad Medicinam ſeſe adplicuerit. Nam eo peruerſitatis, proh dolor! prolapſi iam ſunt omnes per Europam Medici, vt Carteſianam Philoſophiam pluris quam Ariſtotelicam faciant; quos & dudum credo anathemate perculiſſent Magiſtri noſtri, ni iſtis in promtu foret vindictae ſumendae facultas, ex hypochondriis laborantes ſine ope deſtituere. Sed nec illud inſuper habendum puto; quod cum infiniti fuerint Ariſtotelica prius Philoſophia imbuti, qui poſt vbi Carteſianam deguſtare coeperint, illa abdicata huic ſe plane addixerint; contra, quantum mihi conſtat, nullum exemplum detur alicuius philoſophiam Carteſianam docti, qui hac deſerta ad Ariſtotelis caſtra transfugerit. Quid cauſae ſubeſſe dicamus? Num omnes iſti fuere ingenio ita deprauato, vt relicto meliore deterius amplexi ſint? An Philoſophiae Carteſianae peculiares quaedam illecebrae inſunt, aciem ingenii obtundere aptae, vt veritatem perſpicere amplius nequeat? An vero Philoſophia Carteſiana habet aliquid argutius, nitidius, ac naturae rerum accommodatius, quam qua hactenus ſcholarum parietes reſonuerunt. Quicquid tamen huius ſit, neſcio ſane, quo iure iſtorum virorum inuidia fraudi mihi eſſe, ac me praegrauare debeat; cum ego collato pede in Hobbeſium pugnarim, Carteſius autem Philoſophiam moralem non attigerit. Enimuero quid illi faciant, qui extra Eccleſiam noſtram ſunt, Alberto parum curae videtur eſſe. Aſt Puſendorfio libertate philoſophandi vtique interdicendum eſt, cui & nullo modo a Philoſophia Alberto probata diſcedere fas eſt, idque quia Eccleſiae Lutheranae membrum eſt. Studioſos

dioſos enim Lipſienſes facile ea cogitatio ſubire poteſt: ſi Puſendorſius non damnatur, quia non credit in Compendium Albertinum; ideo nec nos damnabimur, ſi tempus, & nummos noſtros ad alios vſus, quam collegium Compendii Albertini impendamus. Caeterum ego non memini, me legiſſe, vbinam Auguſtana Confeſſio ſuos ſequaces ad certam ſectam Philoſophiae, aut certos auctores philoſophicos adſtringat. Deinde certiſſime mihi perſuadeo, poſſe dogmata noſtrarum Eccleſiarum contra quosuis diſſidentes defendi non minus, ſi Carteſianam, quam Ariſtotelicam & Scholaſticam Philoſophiam profiteamur. Nam nec dextre minus ratiocinantur Carteſiani, nec minus ſenſa ſacrae Scripturae ope linguarum & bonae interpretationis eruere poſſunt, aut propoſitiones theologicas idoneis terminis exprimere; nec ita delirant, vt dogmata theologica ex hypotheſibus Phyſicis demonſtrare velint. Equidem in Gallia conſtat eruditos quosdam Pontificios id incommodum in Philoſophia Carteſiana notaſſe, quod eius principiis ſtantibus non adpareat, quomodo dogma de transſubſtantiatione idoneo colore incruſtari queat, & quod vllo ſenſu ſano dici queat, ſubſtantiam periiſſe integris perſiſtentibus accidentibus. Enimuero non credo, vllum Theologum Lutheranum fore tam dementem, vt noſtrae religionis intereſſe putet, quo fuco iſti monſtroſum ſuum dogma adornatum eant; aut orthodoxam doctrinam de ſacra Eucharistia e Phyſica eſſe petendam. Denique non puto aliquem in noſtram religionem tam iniquum eſſe, vt eam labem huic addictis adſpergere velit, quaſi γνησίως Lutherani nota characteriſtica ſit ſtupor & craſſities, ac vltra tritam Philoſophiam Ariſtotelicam nihil ſapere. De caetero quanquam Albertus teſtetur, *ſe non eſſe ex iis, qui μορμολύκεια ſibi fingant:* manifeſtum tamen eſt a ſpectris ipſum agitari, aut per viſiones eidem illudi, dum ſcribit; me hauſiſſe πρῶτον ψεῦδος nouaturientium in certum an e Carteſio, an Hobbeſio, *quod licitum ſit fingere in Philoſophia, tametſi contrarium in ſacris literis deſcriptum extet.* Nam hoc quidem figmentum nuſpiam in Carteſio & Hobbeſio, multo minus in meis ſcriptis extat, ac reuera ψεῦδος Albertinum, & impudentiſſima calumnia eſt. Quale autem genus fictionis ego adhibui, eius & in Theologia & Philoſophia innoxius vſus eſſe poteſt, quamdiu modus ratiocinandi per incommodum aut impoſſibile licitus erit; de quo quid Ariſtoteles Priorum Analyt. L. II. c. 11. 12. 13. 14. tradat, Albertum fugere non poteſt; vbi nempe *ponitur ſeu fingitur id, quod quis euertere vult, deducendo hominem in mendacium confeſſum.* Sed & valde dubium eſt, vtrum ingenioſi adoleſcentes maius operae pretium facturi ſint, ſi tabulis, collegiis Manuſcriptis, & libellis Alberto probatis mancipio ſe addixerint, totamque in iis aetatem conſumſerint, reliquis omnibus velut veneno infectis procul habitis; an vero eam, quam ego ſecutus fui, ſtudiorum rationem imitentur, & ſi quid melius aut ſolidius inueniant, quam quod a Magiſtris ſuis traditum fuit, ideo haut adſpernentur; ſicuti nec Albertus cereuiſiam Eulenburgenſem reiicit, eo nomine, quia Lipſica non eſt. Neque vero hoc modo ſtatim in *effraenem philoſophandi licentiam* abitur, quippe cum haec potiſſimum in eo conſiſtat, ſi quis per falſa principia philoſophica, ac praue adplicata myſteria religionis Chriſtianae impugnare, aut Rempublicam, perturbare conetur, aut inuita

ratione

ratione digna indigna comminiſcatur. A qua licentia toto coelo differt iuſta libertas philoſophica, cui primo omnium diuina reuelatio, & leges Reipublicae inter Sacroſancta habentur; de caetero aſſenſus vni alicui ſcriptori mancipio non addicitur, ſed a quibusuis tradita, vbi rationi congruerint, admittuntur, nec ſi meliora inuenta fuerint, prius credita abdicare turpe habetur; tum opera datur, vt diligenti meditatione & inueſtigatione in intima ſcientiarum, naturamque rerum longius penetretur. Eam viam inſiſtentes Medici hoc ſaeculo artem ſuam inſigni modo perfecerunt, & quotidie adhuc perficiunt. Per eandem ſcientia Phyſica admirando modo effloreſcere coepit, ad quam comparata ſcientia eorum, quibus ſumma probandi ratio haec eſt, *habemus expreſſum textum in Ariſtotele*, ne triobolo quidem digna eſt. Ac niſi bona quaedam ingenia fraenum iſtud pedanticum abrupiſſent, ad mundi vſque finem Philoſophi poma Ariſtotelica ad ſcarabaeorum inſtar in circulum voluiſſent, ſcientia rerum naturalium ne hilum quidem promota. Eodem modo & aliquid ſupra Ethica & Politica Ariſtotelis profectum fuit, niſi per Albertum in vetus anguſtulum retrahamur. Neque vero quid ex hac philoſophandi libertate damni in Eccleſiam aut Rempublicam redundet video, niſi quod id ſaepe contingit, vt ſi vetus quiſpiam Magiſter cum aliquo recenti Philoſophia imbuto collidatur, iſti mox aqua haereat, vt quo ſe vertere debeat neſciat, attonitus veteres ſuas regulas inter quisquilias haberi. Quo & ipſo dictatoria illa auctoritas, qua iſti homines hactenus turgebant, in auras euaneſcit, & dictata, atque collegia Manuſcripta, quibus deſcribendis miſeri adoleſcentes tantum laboris inſumſerunt, ad piper inuoluendum adhibentur, aut alios vſus, quos dicere nolo. Sed reuera quod damnum a Philoſophia in Eccleſiam illatum eſt, id prioribus quidem ſeculis a Platonica, propioribus ab Ariſtotelica philoſophia promanauit, e qua otioſi homines monſtroſam illam & inquinatam Theologiam iuxta ac Philoſophiam Scholaſticam concinnarunt. Quae cum tam idoneum inſtrumentum praebeat Regno tenebrarum, hodie quoque in tanta luce nobilioris Philoſophiae ab eius Regni propugnatoribus mordicus defenditur. Huius quippe quam maxime intereſt, ſolidam notitiam rerum diuinarum, ac quae huius miniſterio accommoda eſt, ſapientiam humanam alta caligine eſſe ſubmerſam, aut non niſi apud paucos haerere intimae velut admiſſionis. Cum contra Eccleſiarum Proteſtantium interſit, vt etiam omnes ruſtici & mulieres diuinarum humanarumque rerum cognitione vel Albertum Magno Maiorem ſuperent. Quo magis a ratione alienum eſt, quosdam noſtratium Theologorum tantos in ſimpulo fluctus excitare, quod bona ingenia aliquid ſupra tritam illam philoſophiam ſapere velint. Nam illa ipſa eſt, paucis tantum hinc inde refectis & interpolatis, quam Albertus velut Palladium aliquod orthodoxis Academiis cuſtodiendum contendit, & illa *via regia*, in qua omnes propugnatores Regni Pontificii inceſſerunt, & adhuc incedunt; a qua ne noſtrates iuuenes deflectant meliora ſectati, Albertum ſcilicet *conſcientia & officii ratio* ſubigit; ne forte exſurgant, qui veteris Magiſtri luminibus obſtent. Prouocat tamen ad *maiorum ſuorum* auctoritatem Albertus, quos *ſapientiſſimos viros* depraedicat, qui ob cauſas grauiſſimas *e priſcis gentilium Philoſophis certum ducem*

cem diſcentibus pariter ac docentibus, nempe Ariſtotelem *adiunxerunt*, *putantes nimirum*, *vagum philoſophandi genus*, *inutile prorſus atque noxium*, *optime hoc modo coërceri poſſe*. Hoc loco non poſſum non laudare ingenuitatem Alberti, qui iam tandem ſine circuitione veram cauſam adducit, quare nonnulla veteris pedanteriae mancipia tam toruo vultu ſcripta mea adſpexerint; nimirum quia iſtorum collegiis Manuſcriptis parum conuenire viſa ſunt. Enimuero ſcire velim, quinam fuerint illi homines ſapientiſſimi, qui ſtatuta Academiae Lipſicae primum condiderunt? Qui vtique vixerunt, antequam Vir Clariſſimus Magiſter Irus Perlirus eiusdem illuſtre ſidus fulgeret. Quo & tempore qualis cultus ibi fuerit, vel id indicio eſſe poteſt, quod colloquio in arce Lipſienſi inter D. Lutherum & Eccium inſtituto ex aliquam multis decuriis Magiſtrorum nemo reperiri poſſet, qui acta colloquii ſcripto excipere, ſeu protocollum concinnare noſſet; id quod ex ipſius B. Hülſemanni ore audiſſe memini. Sed iſtis quidem hominibus ego facile ignoſco, qui inſcitia meliorum illi adhaerebant, qui tunc ſolus per omnes ſcholas rerum potiebatur. Nam ea ſola aut praecipua eſt ratio iſtorum ſtatutorum, quod praeter Ariſtotelicum nullum tunc Philoſophiae genus eſſet cognitum; quod per Arabes in Hiſpania agentes in reliquam Europam fuit propagatum. Platonicae autem & Stoicae Philoſophiae monumenta ob Graecae linguae ignorantiam vix de nomine tunc erant cognita, quae & ipſa ad ſcholarum genium parum accommoda videntur; ad quem contra Ariſtotelica doctrina, prout per eius inſtauratores fuit adornata, mire congruebat, velut ad clamoſas diſputationes & infinitas obiectiones ac reſponſiones formandas, ſtrepitumque adeo & nubem pulueris ſcholaſtici excitandam cumprimis apta. Quae & cauſa eſt, cur hodie qui diſputandi facultate inter imperitos adoleſcentes quam maxime ſe iactare callent, tam obnixe Ariſtotelicam Philoſophiam tueantur, quae infinitam vim ſonorum ſine mente, & diſtinctiuncularum ſuppeditat, queis auditoria ingenti altercatione reboare poſſunt, Doctore, qui in ſumma cathedra barbam ſibi demulcet, miris modis ſibi placente & intus plaudente. Quod circumforaneum diſceptandi genus, vna cum inani illa gloriola fere exoliturum eſſet, recepto nouo philoſophandi genere, vbi e certis principiis & hypotheſibus omnia mathematico demonſtrandi genere deducuntur, quod omnem iſtum clamorem & puluerem adſpernatur; prout & in ſcholis Mathematicorum iſtis altercationibus, exceptionibus, & reſponſionibus nullus vſus, nullum pretium eſt. Vno verbo, quia multi Theologi diſputare, quam viuere, multi Philoſophi dubitare, quam demonſtrare malunt; ideo reperta licet meliore philoſophandi ratione tanto ardore pro Ariſtotelica Philoſophia pugnatur, diſputationum & dubitationum nutricula ſolertiſſima. Quae & ideo merito *vagum philoſophandi* genus dici debet. Id enim vocabulum nullo modo in Carteſianam & nouam Philoſophiam quadrat, quae non vagari docet, ſed e certis principiis certas propoſitiones per iuſtas demonſtrationes formare. Quam viam philoſophandi ſi quis inſiſtat, ei non vagari licet, ſed idem per tramitem fallere neſcium ad ſolidam & veram ſcientiam graſſatur. Nec eſt quod Albertus nobis occinat IOSEPHVM SCALIGERVM, venerabile inter eruditos nomen, ſed in cuius eruditione Philoſophia Ariſto-

Ariſtotelica minimam partem facit. Cui & allegato loco de Petro Ramo ſermo eſt, viro docto, & Matheſeos perito, ſed qui de caetero in Philoſophia modicum operae pretium fecit. Nam is & multa in Ariſtotele reprehendit, ſed vt meliora non ſubſtitueret: & circa Logicam ſuſcepit mutationem exigui vſus, infarcta parte Metaphyſices, & introducto odioſo diuiſionum ſuperfluarum genere. Sed & Scaliger non tam de veritate Philoſophiae Ramaeae, quam de turbis & factionibus inde prouenturis ſolicitus eſt. Ac ſane Philoſophia Ariſtotelica e commercio cum regno Antichriſti, cui illa vtile inſtrumentum praebuit, eam immanitatem traxit, vt diſſentientes omnibus modis perſequatur. Prout & Rami aemulus Iacobus Carpentarius eius ſpiritus illuſtre documentum edidit in nuptiis Pariſinis, immiſſis in illum ſicariis, cuius *viſcera pueri furentes magiſtellorum pari rabie incitatorum impulſu per vias ſparſerunt;* quae THVANI verba ſunt L. LII. Ac operae pretium eſt euoluere IOANNEM de LAVNOY de varia Ariſtotelis Fortuna cap 13. & 14. vbi multis memoratur, quibus artibus rabidi Sophiſtae in Petrum Ramum vſi ſint. Sicuti igitur Orthodoxi ſpiritum illum perſecutionis & crudelitatis merito inter notas beſtiae Antichriſticae habent: ita & tuto iudices licet, vbi quis Philoſophiam ſuam perſecutionibus, interdictis, calumniis tueri inſtituit, eundem de eiusdem ſoliditate parum prolixe ſibi polliceri. Nam veritas ſua luce citra vim, malasque artes ſubſiſtit. Et qui hanc ſolam reſpicit, ſatis habet firmis rationibus eandem adornaſſe; ac optat quidem alios eam arripere, ſed ſi hoſce eam adſpernari videat, non indignatur, nec bellum mouet, ſed aequo animo fert, vt qui ita volunt, etiam poſt fruges repertas glandibus ventrem farciant. Vnde longe ratio fugit Albertum, ſi credit, Deo & Eccleſiae gratum ſe opus facere, ſi *obicem* ponere inſtituat *hodiernae nouaturientium luxuriae*, vti vocat, *quem niſi quis iniurius eſſe in religionem velit, nemo e noſtris effringere aut laxare poſſit:* id eſt, ſi omnem Philoſophiam, ipſius dictatis aduerſam, proſcribat ſub poena violati genuini Lutheraniſmi, ſi quis contra iſtam hiſcere audeat. Id ſcilicet vnicum remedium ſupererat conſeruandae tam ſcabioſae Philoſophiae, a tot cordatis exploſae & laceratae, vt ſpecie quadam apotheoſeos conſecrata ſub orthodoxiae obtentu hominibus obtruderetur, ad Inquiſitionis forum trahendis, qui vel latum vnguem ab ea diſcedant. Enimuero an ea Alberto auctoritas futura ſit, vt ipſo auctore nouae Inquiſitionis tribunal Lipſiae erigendum ſit, ac num omnes ibi veſaniae ſuae applauſores ſit inuenturus, ego quidem valde dubito. Et ſi maxime ſtultitia eo vsque exſuperet, vt quicquid Lipſiae eſt docentium & diſcentium ſacramento Alberti & barbariei adigatur; Spes tamen eſt, eius Inquiſitionis iurisdictionem vltra primum lapidem haut porrectum iri. Vnde habent, quod ſibi gratulentur, qui ferulae Albertinae manus ſubduxerunt; qui nec aegre ferunt, iſtum cum deliciis ſuis quoad vita ſupereſt nugari. Caeterum quod quis non magnifice de Philoſophia Ariſtotelis ſentire, & haut eo ſecius γνησίως Lutheranus eſſe queat, puto non obſcure ex ipſius Lutheri verbis colligi poſſe, quae huc idiomate Teutonico transſcribere placet, quod genium dictionis vix vlla verſio ſit aſſecutura. Extant autem illa *Tom. I. Altenburg.* 505. Die Univerſitäten dürften auch wol einer guten ſtarcken Reformation, ich muß es ſagen, es

verdrieſſe wen es will. Iſt doch alles, was das Pabſtthum hat eingeſetzet und ordiniret, nur gericht auf Sünde und Irrthum zu mehren. Was ſind die Univerſitäten, wo ſie nicht anders dann bisher verordnet? dann wie das Buch der Maccabaeorum ſagt: Gymnaſia Epheborum: & Graecae gloriae, darinnen ein frey Leben geführet, wenig die H. Schrift und Chriſtlicher Glaube gelehret wird, und allein der blinde heidniſche Meiſter Ariſtoteles regieret, auch weiter dann Chriſtus? Hier wäre nun mein Rath, daß die Bücher Ariſtotelis Phyſicorum, Metaphyſicae, de Anima, Ethicorum, welche bisher vor die beſten gehalten, gantz würden abgethan, mit allen andern, die von natürlichen Dingen ſich rühmen, ſo doch nichts darinnen mag gelehret werden, weder von natürlichen noch geiſtlichen Dingen, darzu ſeine Meinung niemand bisher verſtanden, und mit unnützer Arbeit, Studiren und Koſt ſo viel edler Zeit und Seelen umſonſt beladen geweſen ſind. Ich darfs ſagen, daß ein Töpfer mehr Kunſt hat der natürlichen Dingen, dann in denen Büchern geſchrieben ſtehet. Es thut mir weh in meinem Hertzen, daß der verdammte, hochmüthige, ſchalckhäftige Heide mit ſeinen falſchen Worten ſo viel der beſten Chriſten verführet und genarret hat. GOtt hat uns alſo mit ihm geplaget um unſer Sünde willen. Lehret doch der elende Menſch in ſeinem beſten Buch de Anima, daß die Seele ſterblich ſey mit dem Cörper, wiewol viel mit vergeblichen Worten ihn haben wollen erretten, als hätten wir nicht die H. Schrift, darinnen wir überreichlich von allen Dingen gelehret werden, deren Ariſtoteles nicht einen kleinſten Geruch ie empfunden hat. Dennoch hat der todte Heide überwunden, und faſt unterdruckt, daß wann ich ſolchen Jammer bedencke, nicht anders achten mag, der böſe Geiſt habe das Studiren herein gebracht. Deſſelbengleichen das Buch Ethicorum ärger dann kein Buch, ſtracks der Gnaden GOttes und Chriſtlichen Tugend entgegen iſt, das doch auch der beſten eines wird gerechnet. O nur weit mit ſolchen Büchern von allen Chriſten. Darf mir niemand auflegen, ich rede zu viel, oder verwerfe das ich nicht wiſſe. Lieber Freund, ich weiß wol was ich rede. Ariſtoteles iſt mir wohl bekannt, ich habe ihn auch geleſen und gehöret mit mehrerm Verſtand, dann S. Thomas oder Scotus, deß ich mich ohne Hoffart rühmen, und wo es noth iſt, wohl beweiſen kan. Ich achte nicht, daß ſo viel hundert Jahr lang ſo viel hoher Verſtand darinnen ſich arbeitet haben. Solche Einreden fechten mich nimmer an, wie ſie wohl etwa gethan haben, ſintemal es am Tage iſt, daß wohl mehr Irrthum mehr hundert Jahr in der Welt und Univerſitäten blieben ſind. Das möchte ich gern leiden, daß Ariſtotelis Bücher von der Logica, Rhetorica, Poëtica behalten, oder ſie in eine andere kurtze Form bracht, nützlich geleſen würden, junge Leute zu üben, wohl reden und predigen, aber die Comment und Secten müſten abgethan, und gleichwie Ciceronis Rhetorica ohne Comment und Secten, ſo auch Ariſtotelis Logica einförmig ohne ſolche groſſe Comment geleſen werden. Aber ietzt lernt man weder reden noch predigen daraus, und iſt gantz eine Diſputation und Müncherey daraus worden. Darneben hatte man nun die Sprachen, Lateiniſch, Griechiſch und Ebräiſch, die Mathematicas diſciplinas, Hiſtorien, ꝛc. Aduerſus haec ſi Albertus excipiat; ſe non eſſe mancipium Ariſtotelis, ſe errores ipſius e Sacris literis corrigere & Philoſophiam Chriſtianam hoc modo effingere; ei appoſite occini poterit illud Saluatoris Luc. V, 36. *Nemo immiſſuram noui veſtimenti immittit in veſtimen-*

tum

tum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit immiſſura noua. Quod ſi igitur Ariſtotelis nomine me impugnat Albertus, ſat grauem auctorem habeo, quo me tuear. Sin *cardinem Philoſophiae Chriſtianae*, quam tantopere crepat, in eo conſiſtere arbitratur, *vt nihil in Philoſophia vllo modo fingatur, quod ſacrae ſcripturae ſit aduerſum; nihil in illa quocunque praetextu in dubium vocetur, quod per hanc adſtruatur, aut narretur;* oppido quam parum profecit meditationibus ſuis, quae per quadrantem ſeculi ipſum occupatum tenuerunt. Nam eiusmodi Philoſophiam adornare, quae verbo Dei aduerſa fingat, fictaque pro veris venditet, aut ibi tradita in dubium vocat, nemini quidem in mentem venit, cui Chriſtiani nominis ſanctimoniam tueri cordi fuit. Ego ſane de eiusmodi inſania ne ſomniaui quidem; neque tale quid e ſcriptis meis vnquam calumnia exſculpſerit; vtut in omnes ſe formas vertat, & cauillandi aſtutia etiam ipſum Diabolum ſuperet. Quin & certo perſuaſus ſum, ideo me tot moleſtiis petitum ab illis, quos minime omnium decebat, quia pro modico captu ingenii aliquid ad impugnandum regnum tenebrarum conferre conatus ſum, quod ſubſiſtere & florere Satanae tantopere intereſt. Quo & ſolatio ſubnixus omnem calumniarum & maledictorum colluuiem, qua impuri homines me adſpergere ſategerunt, alto ſemper animo deſpexi, nec per illam animi mei tranquillitatem turbari paſſus ſum, certa ſpe fretus, tempus & veritatem iſtas nubeculas plane diſſipaturam, ac famae meae ſplendoris potius, quid, quam maculae, inde acceſſurum. Interim non inuideo Alberto ob ſtudium illud ſuum, cui *immorari*, ac *immori* conſtituit, & per quod *effecturum* ſe confidit, *ne Eccleſiae noſtrae per noſtram Philoſophiam vlla vis inferatur, multum ſubſidii conferatur*. O felices Eccleſias noſtras tali Atlante! Optarim tamen, Albertum paulo curatius ruminari illud CICERONIS pro ſexto Roſcio: *Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt ſignificent ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt: ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint; & quia id eſt ſuſpicioſum; tametſi beſtiae ſint, tamen in eam partem potius peccant, quae eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent, cum deos ſalutatum aliqui venerint, opinor iis crura ſuffringentur, quod acres ſint etiam tum, cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum*, & qui vigiles ſe Eccleſiae aduerſus Philoſophiam profitentur, *ratio. Alii veſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt; alii canes ſunt, qui & latrare & mordere poſſunt. Cibaria vobis praeberi videmus; vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur, hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde ſi voletis etiam tum cum veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote, id quoque concedi poteſt. Sin autem id agitis, vt arguatis aliquem* ſacris literis aduerſa fingere, *neque dicere* poſſitis, vbi *aut quomodo, ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis, crura quidem nemo vobis ſuffringet*, cum iam antea Vulcanum ſatis exprimatis; *ſed ſi bene ego noui* eruditum ſeculum, *literam illam ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi* malitiam aut inſcitiam veſtram *accuſare poſſitis*, ſi impudentes calumniatores habeamini.

SED poſtquam in *Praefatione* Kalendis Ianuarii ſcripta Albertus nonnihil modeſtiae & grauitatis prae ſe tuliſſe viſus eſt, credo memor doctrinae Naſo-

nianae, *Lite vacent aures, inſanaeque protinus abſint Iurgia*, an quia epomide Rectorali indutum ineptiae parum decere videbantur; in ipſo Opere aliud plane ſchema induit. *Non vultus, non color vnus, Non comtae manſere comae, ſed pectus anhelum, Et rabie fera corda tument.* Ac ingreſſum quidem ſcriptioni conatus eſt formare valde magnificum, ac ſplendidum, ſed qui nil niſi ineptum ac puerilem tumorem exprimit. Quid enim ad tranquillitatem populorum Borealium lis Scholaſtica? Aut num haec ad pacem aut bellum aliquid momenti habuit? Ac valde inſcite de affinitate inter Reges contracta iniicitur, cum Eris Scandica ſeptennium ante iam deflagraſſet, auctoribus eiusdem regelatis, aut ſilentio damnatis. Cuius & memoria dudum exolitura fuerat, ni maleſani quidam homines in Germania, vbi ineptire & calumniari impunius licebat, litem diſtuliſſent, ac reliquis tacentibus Albertus demum rixae immori cuperet. Quem & cerebro ſat perturbato vti indicio eſt, quod nil niſi Erinnyes, Furiae faces, crinesque anguibus & hydris impliciti animo obuerſantur, atque os in voces plane deliras diſtorquere ſubigunt. Tales equidem geſticulationes exprimi decebat ab hiſtrione, quando Hercules furens agendus erat: non a Theologo, qui exemplo ſuo paradiſiacam vitae rationem repraeſentare inſtituit. Cum itaque tota oratio illa ſit hominis furentis, neſcio an operae pretium ſit, ſingulas ineptias notare. Velut quod plane contra ſenſum Poëtae adducit verba: Erinnys inuiſum Numen terras, coelumque *leuabat*. Et quod de *amoenitate* Scaniae nugatur, quaſi haec obſtare poſſit, quo minus vnus & alter impudens ibi, & rixoſus calumniator exſurgere poſſit; a quo malo ne Lipſia quidem immunis eſt, ocellus Germaniae. Sed non animaduertit. Albertus, quod quo atrocius in Eridem Scandicam declamat, eo maius praeiudicium creat ſociis ſuis, quibuscum eandem tibiam inflat. Nam iſta Eris Scandica non me habet auctorem, ſed meos aduerſarios, ſeu, ſi floſculum Latinitatis Albertinae mutuari fas eſt, ea Eris mea eſt duntaxat paſſiue, non actiue. Nam cum ego Spartam, quam tunc ſortitus eram, pro virili ornare conarer, edito inter alia opere de Iure Naturae & Gentium, cui aliquod apud eruditos pretium erit, vt Valentinis, & reliquae inuidorum turbae ilia rumpantur, in me inſurrexere Erinnyes Nicolaus Beckmannus, & Ioſua Schwarzius, a quibus traditam facem Velthemius & Geſenius diſtulere, donec & his in vertiginem datis Albertus demum vnus inſtar omnium infamem taedam quaſſat. Iſtae ergo furiae pomum Eridis proiecere condito Indice Nouitatum; iſti faces, calumniis, maledictis atque ineptiis conſtanter iactarunt. Quos compeſcuiſſe non crimen, ſed officium maxime neceſſarium fuit. Idque ab omnibus viris bonis probatum eſt, niſi quod nonnulli plus ſatis acerbitatis a me adhibitum arguerint. Quod nec ipſe inficiarer, ſi res mihi cum viris ſolide eruditis, & bonis fuiſſet. Sed in eiusmodi rudes & malitioſos homines quid dici poteſt tam aſperum, quod non longe infra eorum meritum ſit? Poſtquam igitur Albertus cauſam eorum, qui litem iſtam mihi mouerunt, non obſcure probare videatur, eorumque ſe patronum ferat; non iniuriam patietur, ſi quantam ex eo flagitio partem ſibi ſumit, tantam etiam ex elogiis eorundem capiat. Sane ſi Petri Dunaei ſcriptum tam deteſtandum Alberto videri poteſt, vt is inter Erinnyes ideo referri mereatur, haut

Digitized by Google

haut obſcure Nicolai Beckmanni facinus videtur probare, ac ſententiam legitimi magiſtratus damnare, qua is cum infamia relegatus, eiusque ſcriptum per carnificem combuſtum fuit. Quod autem ego vni & alteri meo ſcripto fictum vocabulum praepoſui, id exemplo multorum egregiorum virorum feci; nec id in vllius fraudem tendit; nec iſtorum me auctorem vnquam negaui. Sed quod & illa mihi tribuat, quae Rolleti nomen prae ſe ferunt, obeſi nimium naſi ſe arguit Albertus, quod e diuerſitate ſtyli alium auctorem deprehendere non potuit. Quam etiam inſipidum eſt, quod ex vocabulo RONDINI argutatur de homine *τετραγώνῳ*: cum ſuccurriſſe debuerit illud HORATII de viro bono: *Totus teres atque rotundus.*

SED qui hactenus tam aniliter paratragoediat, iam repente ad Pantomimi inſtar, vno momento vultum vertere callentis, nouum ſchema ſumit, ac ſtolida cum grauitatis affectatione pronunciat: *Alius Erinnyn habeat, meus ſit, maneatque Eros, isque Chriſtianus!* O impudentem tam ſancti nominis illuſionem! O improbum hypocritam! Poſtquam virum honeſtum, & ſe meliorem omni furiarum adparatu deformatum orbi proſtituere auſus eſt, iam repente Erotem Chriſtianum crepat. Atqui profecto magis tolerari poteſt Nicolai Beckmanni veſania, qui citra diſſimulationem, & velut bona fide calumniatorem egit. Albertus, cum par illi venenum, niſi quod pauculo ſaccharo adſperſum, euomat, medio in furore ſanctulus videri vult. Nam hypocrita in eo profeſſum nebulonem ſuperat, quod iſte inſuper Deo hominibusque illudit, quibus inter flagitia ſua pro bono viro ſe venditare inſtituit. *Ago tibi gratias Deus, quod non ſum ſicut alii homines:* Atqui profecto alia eſt indoles Caritatis Chriſtianae, quam eius, qualem in me exercet Albertus. Quam & ideo credo inſignire voluit vocabulo ſacris literis incognito, & quo ſalaces poëtae incentorem impurarum libidinum notant. Prout & valde ſuſpecta eſt dictio *exercendi*, e qua, qui Iuris Conſultorum libros euoluerunt, facile ſuſpicionem concipere poſſunt, Albertum Lipſiae Cenonem agere. Sane qui puellas meritorias alit, aeque commode dicere poteſt, *ſe Lipſiae Erotem fouere & exercere*. Ac totus iſte locus neſcio quid molle & amatorium ſpirat, ac vsque adeo Alberti cor Cupidinis ſagittae emollierunt, vt etiam in *ipſa arena*, inter *praelia* ſua ſpectatoribus nil niſi Erotem accinat, ipſosque antagoniſtas ſuos obiter *ſcurras* per blanditias amatorias vocet. Nec eo minus *gratulatur* ſibi, & *in ſinu gaudet*, quod mira felicitate *ſcribendo ſtatui integro* ſe conformem gerit, adeoque eloquentiae paradiſiacae ſpecimen iam praebet, vtut, ſi accurate attendas, non paucae dictiones, & ſententiae ipſam Styga oleant. Vti autem Tartuffus proprias laudes putide debuccinat; ita contra in PVFENDORFII Methodum eriſticam non ſine cauſa inuehitur. Nam eſt ea aſinis, & calumniatoribus valde moleſta, qui & ipſum dudum deuoraſſent, ni idem aculeorum aſperitate pleroſque protelaſſet. Neque vero ſocialitatis leges violat, qui calumnias improborum a ſe repellit, non magis quam qui vi adhibita aliorum iniurias a vita & fortunis ſuis propulſat. Sicuti & ſedulo a me opera data fuit, vt officia mea tam ciuibus meis, quam exteris, pro cuiusque captu ac meritis admetiret.

POSTQVAM pauliſper in genere ineptiuit orator noſter paradiſiacus, iam ad ſingulas calumnias eructandas accingitur. Quas inter primum locum magnitudine impudentiae facile tuetur, quod *Academias* a me *aulas pedanteriae haberi* mentitur, vt quicquid eſt in iis docentium & diſcentium in me irritet. Tale quid ſi a me dictum ſcriptumue fuiſſet, non improbe ſolum, ſed & ſtulte factum eſſet; cum & ipſe in duabus Academiis docendi publice munere per quatuordecim annos functus ſim, & quicquid fortunarum obtigit, poſt Dei fauorem ſtudiis litterarum debeam. Calumniae anſam praebuere, verba quae extant, Erid. Scand. pag 367. *Id tamen conſtat, homines Reipublicae tractandae peritos ius ſibi ſuum ex Compendio Albertino non formaturos; Sed facile paſſuros, vt in aula pedanteriae iſtud ſe iactet*. Manifeſtum eſt, vltimam phraſin mutuo ſumptam ex I. *Aeneidos, illa ſe iactet in aula Aeolus*. Sicuti autem hoc Poëtae loco neque aula proprie dicta, neque Academia ventorum, ſed ſimpliciter ſedes horum notatur: ita aula pedanteriae in genere quemuis locum notat, vbi pedantes agunt. Sic vt ſimpliciſſimus & natiuus ſenſus dicti ſit: Albertus ſuo Compendio non inter homines Reipublicae peritos, ſed inter pedantes applauſum inuenire poteſt. Quis niſi calumniandi artem profeſſus hoc ad Academias torqueat? An nullibi, quam in Academiis pedantes inueniuntur? Aut an hae inſtitutae ſunt, vt pedanteria ibi regnet? Sane L. II. c. 4. §. 13. de Iure Naturae & Gentium diſerte ſatis profeſſus ſum, pedantiſmum eſſe vitium mentis, non literarum, aut ſectae ſeu profeſſionis alicuius, ſed omnis generis, conditionis, & ordinis homines perambulare. Vnde non in Academiis ſolum, ſed & triuialibus in ſcholis docendi munere funguntur viri politi, & ad genium vitae ciuilis maxime accommodi; qui nempe ita libris ſe immerſerunt, vt tamen indolem conuerſationis ciuilis haut negligerent. Diuiſi etiam dicto loco literas trifariam, in *vtiles, elegantes ſeu curioſas, & inanes:* e quibus tertiam claſſem, nempe inanes literas *pedanteriae* vocabulo ex vſu ſeculi indigito. Sunt igitur Academiae & debent eſſe officinae bonae mentis, & vtilium ac elegantium literarum. Nec tamen negari poteſt, alicubi quid inanium literarum, ſeu pedanteriae gliſcere; aut inter multos eruditos & cordatos viros etiam nonnullos pedantes dari; quos inter an Albertus referendus ſit, aliis iudicandum relinquo. Sed & aliquid e calumnia trahit, quod Albertus queritur, *logice dicere* mihi idem eſſe, ac *pedantice dicere*. Quo fine allegantur verba mea ex Erid. Scand. p. 365. *Equidem iure merito caſtigor ego, quod non ſatis pedantice dixerim, illas ideo inuſitatas vocaui, quia ratio humana capere non poteſt connexionem Subiecti & Praedicati*. Nam ex mente Alberti debueram dicere; *non praedicantur nec in quid, nec in quale*. Atqui negari non poteſt, hunc terminum, *praedicari in quid & in quale* non apud auctores bonae Latinitatis extare, ſed a Scholaſticis, pedanteriae vtique ſtatoribus, inuentum. Eum terminum ſi in cathedra, aut collegio, vbi ars Logica ex profeſſo docetur, adhibeas, reprehenſione carebis. Sed ſi eundem in ſcripto publico vſurpes, citra neceſſitatem, & cum res bonis verbis Latinis exprimi poſſet, recte argueris, maluiſſe pedantice, quam latine loqui. Quanquam & Logica ſeu ars ratiocinandi commode & ſolide tractari poſſit abſque colluuie ſordidorum terminorum;

prout

prout in eam rem nitidiſſimi libelli extant. Quod porro Metaphyſicam, vti nempe Ariſtotelici eam nunc tractant, fidum barbariei tutelare numen vocaui, nondum poenitet. Neque vero cum iuuenilibus annis ſtudia tractarem, ita Reginae illi cliens aut ſubditus vnquam fui, vt ideo rebellis audire debeam, ſi qualis eadem reuera ſit, citra adulationem exprimam. Nam bono meo fato non altius me iſti lacunae immerſi, quam quantum neceſſarium erat, nempe vt intelligerem, nil ſolidi eam continere, ac meram eſſe farraginem terminorum, quorum aliqui in tradendis diſciplinis nonnullum vſum habent, multi ad nil aliud inſeruiunt, quam vt Latinitatem conſpurcent, dum inuicem bonorum vocabulorum Latinorum citra neceſſitatem ſcriptis inferciuntur. Ac reuera cum Metaphyſica eodem modo comparatum mihi eſſe videtur, vti cum tabaco, ſeu nicotiana. Quibus inter nautas, ac vulgus militum verſandum eſt, fumi iſtius odorem tolerare, ac quandoque haurire neceſſum eſt. Reuera tamen is fumus ſordet, ac ſi quis eodem delibutus inter elegantes homines verſetur, non plus gratiae ſibi eo conciliabit, quam ſi allium oboleat. Quod ſi tamen Regina Metaphyſica meo candore offenſa proſcribere me velit, ego quidem non valde trepidauero; ac fortaſſe viciſſim fecero, quod Dantes Aligerius in ſummis Alpibus feciſſe memoratur, cum e Germania in Italiam diſcederet. Fruſtra auctoritas GROTII occinitur, qui Scholaſticis aliquod pretium reliquit, prout materiam morum & iuris tractant. De Metaphyſica apud iſtum nullum verbum, vt neſciam, quomodo Boeclero in mentem venerit dixiſſe, Grotium non potuiſſe materiam de iure belli & pacis partire & ſubtiliter tractare, niſi ope Metaphyſices. Et ipſa ſane Boecleri ſcripta parum pulueris metaphyſici prae ſe ferunt. Denique ſenſerit circa eam rem Grotius aut Boeclerus, quicquid voluerit; ego in neutrius verba iuraui, & ipſe manum ferulae ſubduxi. Me quoque non tangit Crellius, e Magiſtrô Lipſienſi factus Cancellarius Dresdenſis, cui fortaſſe rationes non defuerunt, quare de Philoſophis Lipſienſibus, qui tunc erant, non adeo magnifice ſentiret. Saltem quod infauſtum ſortitus eſt fatum iſte vir, ad ioculare id dictum referendum haut eſt. Craſſum porro mendacium eſt, a me ſolidam Philoſophiam, & qui hanc docent, elato ſupercilio deſpici. Aeſtimatur illa a me, vt quae maxime. Sed quod ſub eiusdem vocabulo multa vana, & inutilia, quisquiliarum inſtar habentia contineantur, nemo rerum gnarus inficias iuerit. Haec quo quisque ſolidis literis magis imbutus eſt contemnit. Et ſi talia propriis vocabulis exprimantur, nemini iniuria fit; ſicuti nec periti artifices indignantur, ſi imperiti ignominioſo vocabulo ſignentur. Neque ego, ſi Alberti ſcripta iis, quae merentur, vocabulis notem, ideo aut viros eruditos, aut bonas literas deſpicio. Quod autem, quae olim inter nos fuit amicitia, abrupta ſit, culpa penes Albertum eſt, qui primus me laceſſiuit, ac illorum ſe partibus adiunxit, qui famam meam ſceleſto modo impugnatum iuere. Ac eo magis manifeſtum eſt, Albertum ex mera rixandi libidine, aut vanae gloriolae ſtudio, aut ſimili quapiam κακοζηλίᾳ mihi impactum, quod materia, quam ego tractaui, functionem ipſius non tangat, neque ipſi circa eandem inſigne aliquod ſtudium poſuerit, ac amplum

plum ſatis campum haberet, vbi ſi quid eſſet ingenii, & eruditionis, exſerere potuiſſet.

Argvit inde Albertus, me Scherzeri *τȣ̃ μακαρίτȣ nomini ac famae*, ſecus atque pollicitus ſim, haut pepercisse. Ego contra aſſero, promiſſum a me bona fide repraeſentatum. Sicuti & ipſe non magis meo, quam proprio honori conſuluit, dum e ſyſtemate ſuo monſtrum illud de indifferentismo morali, & ſtatu purorum naturalium expunxit, quod per abſurdam & inficetam calumniam alaſtores mihi imperitiſſime attinxerant. In eo autem nihil eius viri famae decedit, quod titulus ipſius ſane honorificus epiſtolae praefixus manſit. Nam qui primam epiſtolae editionem legerant, eorum memoria obſuſcari non poterat, ſi vel maxime in Eride titulus plane omiſſus fuiſſet. Qui autem eam epiſtolam integram non conſpexerunt, aliter iudicare non poſſunt, quam amice omnia inter nos fuiſſe acta, & illum a me arbitrum ſumtum in diſceptatione cum Chriſtiano Vigile. Et amiciſſimo viro, optimaque ex intentione dici poteſt. *Turpe eſt tibi futurum, ſi ab illorum partibus ſtare videaris, qui ruditatem & malitiam ſuam tam impudenter apricantur.* Quae ſententia ſi apud Albertum locum habuiſſet, nae exiſtimationi ſuae melius conſuluiſſet. Et ſane tanto maiorem in Scherzero laudem meretur iſta animi moderatio, quod mature pedem e via, quam minus conſiderate ingredi coeperat, retraxerit; quo peruicacius videmur paradiſiacum Doctorem, & qui exemplo ſuo, ſi diis placet, ſtatum integrum repraeſentare voluit, prauitati inſiſtere, & iniurias iniuriis cumulare.

Ivdicat quoque Albertus, a me peccatum fuiſſe, quod de iniuria, & quidem atrociſſima a certo quodam Collegio mihi illata queri auſus ſum. Atqui iſtud qualiſcunque apud ſuos dignationis in me nihil iuriſdictionis habebat, ac nouo plane aut rariſſimo exemplo de ſcripto meo ſententiam tulerat non expectata mea defenſione, ac ne viſo quidem & inſpecto meo libro; quod praecipuum tunc eius Collegii membrum vltro faſſum fuit: ac denique ſententiam ſuam vnice ſuperſtruxerat libello famoſo per carnificem comburendo. Quid eſt iniuſtitiam admittere, ſi hoc non eſt? Quod ſi eiusmodi collegium in hoc regno ſimilem cenſuram in Alberti ſcripta ferret, credo hic obmuteſceret, & iure ſe damnatum agnoſceret. Atqui puto non deteriore iure ſub noſtro Magiſtratu viuimus, quam Albertus ſub ſuo; nec vllum iſtis ius aut praerogatiua in incolas huius regni conceditur; id quod grauibus literis a Rege ad Electorem ſcriptis exprobratum fuit. Quanquam cum omnes iam ſint fato functi, qui tam praecipitem cenſuram haut ſane pro dignitate collegii ſui tulerant, iſtud factum hautquidquam ad eos pertinet, qui nunc idem collegium conſtituunt. Quos & credo non poſſe non offendi abſurda Alberti adulatione, dum Patrum Patriae elogium iisdem exhibuit, quod hactenus non niſi Principibus, aut Rempublicam ſummo cum imperio adminiſtrantibus competere creditum fuit. Denique & neſcio, quo iure iſtorum beneficia, quae in Eccleſiam & Rempublicam contulerunt, mihi tam care imputari queant, vt ideo aequo animo ferre debeam, ab iisdem me innocentem damnari.

Acci-

Accedendvm eſt nunc ad Dominum Seckendorfium, quem non immerito compatrem Erotis Lipſici dicere poſſumus, quod is prolixa epiſtola Albertum incitauit, ne litem hanc aliquando intermori pateretur, ſed mihi moleſtus eſſe ne deſiſteret. Quas literas optarem pulchello ſuo ſcripto ab Alberto fuiſſe adiunctas, quod ea ſine dubio anſam praebitura fuerat, vt paulo plenius eius viri iniquitatem caſtigare poſſem. Huius igitur viri ſtimulus iuxta leges ſtatus integri obtemperare maluit Albertus, quam auctoritati & petito ſummi Theologi; qui magnopere ipſum hortatus eſt, vt tam indigna ſe, ac in publicum inutili ſcriptione ſuperſedere velit. Sed quem iſte mendaci praetextu protelauit, velut res non amplius foret integra, cum tamen eo tempore ne pagina quidem Erotis imprimi coepta eſſet. Ergo quia vir iſte tam infenſo in me animo deprehenditur, vt me tempus meum, quod longe nobiliori labori deberi norat, talibus impendere ſubigat, efficiendum eſt, vt non magnopere gaudeat me laceſſito. Iſtum iniqua me cenſura vellicantem quod prout par erat repulerim, Albertus iam magnos clamores tollit, velut ingenti a me iniuria illata. Atqui praeterquam quod in Republica literarum non tam fortunis, quam eruditione & ingenio diſtinguimur, non perſpicio, Seckendorfium in tanto faſtigio collocatum, vt mihi neceſſum ſit trepido ac tremebundo, & multa cum ingeniculatione eiusdem inſultationes repellere. Neque enim vsque adeo a ſano iudicio virum defeciſſe arbitror, vt ex elogiis Albertinis ſe metiendum poſtulaturus ſit, quorum nonnulla tam abſurda ſunt, vt ludibrii cauſa poſita eſſe credi queant. Quae inter eſt & illud: *Heros de toga immortaliter meritus*, quod etiam in veteranum ſartorem, & qui commodas togarum formas commentus eſt, cadere poteſt. Quod autem ſcriptum eiusdem de Statu Chriſtianiſmi tantis laudibus effert Albertus, id quidem ex lege grati animi facit, vt Compendio Orthodoxo tributa elogia rependat. Sed ſi idem mihi iuris in Domini Seckendorfii ſcripta competit, quod ipſe in mea ſibi arrogauit, haut dubitem pronunciare, eum librum longe eſſe infra tam enormia elogia. Nam & primus liber ex aliis expreſſus eſt, & reliqua vel in praxin deduci non poſſunt, vel ab aliis infinities iam inculcata ſunt. Ac neſcio, num illa maius pondus mutuentur a Seckendorfii nomine, quam ſi a Theologo pietate & eruditione inſigni proferantur. Sane non deſunt Theologi, qui iſta magno ſtudio vrgent. Sed nec ita magnum periculum rei Chriſtianae ab impietate imminere videtur, quam ne gliſcens indies Pontificia tyrannis veteri nos iterum iugo ſubdat. Aduerſus quod periculum quae remedia adhibenda ſint, ſatius fuerat diſpicere; de quibus in iſto ſcripto altum ſilentium. In vniuerſum autem Seckendorfius, ni propriae eruditionis admiratio mentem faſcinaſſet, longe melius famae ſuae conſuluiſſet, ſi libris ſcribendis ipſe abſtinuiſſet, & exemplo aliorum Illuſtrium virorum literas aeſtimantium ἐργοδιώκτην, & promotorem literatorum egiſſet, eosque ad praeclara opera condenda ſtimulaſſet, iisdemque materiam ſuggeſſiſſet. Sic enim arbitri & patroni partes gradu velut ſuperior non ſine auctoritate agere potuiſſet; cum nunc inter mediocres valde conſcribillatores ſit referendus, vix in quarta aut quinta claſſe locum ſortitus. Sane non paucos audiui, quibus praeter iam a me notata, magnopere diſplicet viri iactantia, per quam vbicunque poteſt, occaſionem arripit de ſe, ſuisque actis memorandi, ſuumque vitae curriculum alieno

Digitized by Google

plane loco intexendi. Praecipue autem cordati mirantur, quid penſi habuerit vir iſte in lucem protruſis oratiunculis ſuis Teutonicis, magnam partem ſemi-Theologicis, ac non parum genium Galimatiae redolentibus. Miſerum vero Cancellarium & Conſiliarium, ſi ex hoc demum libello diſcere debet, quibus verborum ampullis Princeps ingreſſu noui anni protelandus ſit! Sed & ſatis quidem ludimagiſterialiter in praefatione iſtarum oratiuncularum ſuper geſtibus & motu manus temperando traditum videtur, velud iſtud non cuiuis, qui vel a primo limite aulam ſalutauit, notum ſit. Sane ſi quis ante Principis faciem adſtans brachium importunius iactet, ſuſpicionem excitare poſſet, velut incaleſcente ſermone iſti demum in os inuolaturus ſit. Et quia ad tam minuta ac protrita deſcendere placebat, quare non & aliquid de ſcreatu, quo guttur eiusmodi orationem orſuro praeparandum eſt, tum de barbula decore mulcenda ibidem traditum fuit? Porro indignum eſt veterano Logices Profeſſore ratiocinium Alberti, quando velut iniquum arguit, quod *ipſe aulicus aularum proceres inuadere & caſtigare* auſus ſim. Perinde quaſi abſurdum ſit Profeſſorem Profeſſoris, aut militem militis a ſe iniuriam repellere. Ac noſſe debebat Albertus, vti in aulis pro homine valde importuno & brutali habetur, qui alterum vltro iniuriis & contumelia laceſſit; ita & ignauum cenſeri, intentatam iniuriam non ſtrenue repuliſſe. Igitur ſi ad leges aulicae elegantiae agere voluiſſet Dominus Seckendorfius, plane me vellicando ſuperſedere debuiſſet. Nam videntur quidem verba eius modeſtiae quid prae ſe ferre; reuera tamen affatim veneni tegunt. Ac non minus offenſae virulentis, vtut paulo arctioribus, vellicationibus, quam apertis inſultationibus ineſt. Ac ſane ſatis mirari non poſſum iſtorum hominum inſolentiam dicam, an ſtoliditatem, qui poſtquam non dubitarunt, alios peſtiferorum errorum publice arguere, vbi calumniae eorundem demonſtratae ac retuſae fuerunt, vltro quiritantur, velut atroci iniuria affecti. Quis ergo ius iſtis contulit alios accuſandi; accuſatis ademit ſe aduerſus iſtorum criminationes defendendi? Aut quis cauit ipſis, vt dum alios laceſſunt, non niſi ſimpliciter ad obiecta ab iisdem reſpondere fas ſit, aliquid viciſſim retorquere nefas ſit? Sane lex defenſionis non tela ſolum excipere & eludere, ſed & non acres minus ictus reponere permittit. Caeterum *Noricum* offendere aut perſtringere nunquam mihi animus fuit, cuius nec nomen a me expreſſum fuit. Non potuit tamen mihi non enormis videri affectus, epiſtola illa expreſſus; praeſertim cum facile oſculandi libido refrigerari poſſet, ſi vel imaginem aeri inciſam in frontiſpicio libelli inſipidiſſimae inuentionis inſpiceret, ibique hominem ocreatum per ſpinas incedentem cum calcaribus conſideraret, quae ſentibus implicito facile lapſum conciliare poterant. Sed nimirum, vtut etiam deformes buccae ſuos habeant baſiatores, non tamen recte conſulunt amicis ſuis animo molliore praeditis, qui tam grandibus eosdem elogiis onerant, per quae ipſi inflati nimis ample ſe ſuaque opera aeſtimant, eoque aliorum ſe ludibrio exponunt. Vnde vbi poſt ab aliis pari affectu haut excoecatis iſta, iuſto pretio taxari conſpiciunt, immane quantum excandeſcunt, velut graui contemtu perfuſi. Et ſane vti infirmioris animi Principibus mens continuis adulationibus corrumpitur, iudiciumque de actionibus propriis plane obfuſcatur: ita non poſſunt non in philautiam & ſuperbiam intumeſcere iſti homines, quibus aures tanto titulorum & elogiorum ſtrepitu quoti-

die

die feriuntur, vicenis tricenisque ſuperlatiuis in *iſſimus* per quadrantem horae auditoria perſibilantibus. Quanquam Norici nulla heic culpa, qui ſine dubio eam epiſtolam non eo fine ſcripſit, vt publicaretur, ſed vt priuatim amici ſui vanitatem titillaret; cum multa non abſurde ſcribi poſſint vno conſcio, quibus publicatis rubor ſit ſubiturus. Porro quod Albertus de *dictatura* ingenuarum artium gannit, id non in me, ſed in ipſum, ac Seckendorfium, ſimilesque cadit. Vbi enim ego alios in mea verba adigere inſtitui? Vbi aliis philoſophandi libertate interdixi, quae improbitate calumniandi haut conſtat? Vbi a periculo fallendi me exemptum iudicaui, vti Albertus, eiusque ſimiles, quibus omnes ab ipſis diſſentientes exitiabilibus erroribus inuoluti cenſentur? Mea tamen defendere ius fasque iudicaui, quousque ratio pertingere valeret, & quae obiecta ſunt diluere. Et poſtquam alii me laceſſitum iuere, lex defenſionis non repugnabat, quo minus & iſtis demonſtraretur, non eſſe eosdem tantos heroas, quales ſeſe inter adoleſcentes, ſuas delicias, iactant.

ISTA in exordii vicem praemittere placuit Alberto, hinc inde corraſa, ne cauillandi materia fieret nimis ieiuna. Nunc poſtquam Numinis auxilium inuocauit ad feliciter expromendas calumnias, ad principale negotium accingitur, ac ſummi Herois ſui defenſionem ſuſcipit, quod propriae lites non ſat vberem latrandi materiam videantur praebiturae. Eius tractationis ingreſſus e ſtylo paradiſiaco non poterat decentius deſumi, quam a decantatione laudum tam propriarum, quam eius, cuius ſe hyperaſpiſten fert. Quas ego profecto neutri inuideo, nec ſi quid ſolidi ſubſit, detractum cupio; cum ſi omnia ex vero iſtae haberent, nihil inde mihi deceſſurum ſit. Nam mihi quoque meum decus & praeſens ſeculum, paucis calumniatoribus & inuidis exceptis, & poſteritas rependet. Non tamen poſſum, quin notem ineptam oſtentationem Alberti, iactantis e Plinio *ſuo*, quem videtur ſtudioſius euoluere, quam Pſalmos Dauidis: *Nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refero!* Nam neque inſuper habentur nummi ſemunciales, e Collegiis compendii orthodoxi prouenientes. Nec praeteriri debet, quod adulatori non ſufficit, Seckendorfio a me auctoritatis non parum inter ſuos tributum; ſed & ridicule addit: *Apud exteros quoque ſummae iamdudum aeſtimationis & celebritatis fuit.* Atqui neque ſcripta condidit Seckendorfius, quae ab exteris intelligi poſſent, neque auditione mihi aliquid perceptum eſt de ſummis Reipublicae negotiis, quae vir iſte cum exteris tractauit, & quae iſtius nomen apud hos quoque celebre poſſent reddere. Niſi forte Boeclerus poſt fata inter exteros referendus eſt, abs quo laudes diſcipulo quondam & amico tributas ad teſtimonii religionem erigere ſtolidum fuerit. Cum porro Boeclerus Seckendorfium eo nomine laudet, quod in vſu legum non tam ad auctoritatem, quam rationem earum reſpiciat; Albertus iam eundem commendat, quod *fundamentum iuris naturalis e reuelatione* petat. Atqui hactenus omnes ius naturale, eiusque placita contradiſtinxerunt illis, quae ex reuelatione petuntur. Igitur ſi praeclarum habetur rationem legum inueſtigaſſe, quarum tamen extrema ratio in voluntatem legislatoris reſoluitur; quam congrue iuris quam maxime rationalis, vt ita loquar, fundamentum non e ratione, ſed e reuelatione petetur?

SED tandem aliquando ad rem ipſam accedit Albertus, (p 12) ac initio fundamentum totius diſceptationis in ſe adprobat, nempe *Ius naturale eſſe deducen*

 dum

dum e principiis lumini rationis cognitis, quo illud ſit ad captum omnium hominum, quamcunque circa ſacra perſuaſionem foueant; quo idem ſit idoneum ad dirigendas omnium inter ſe hominum actiones, nullo religionis diſcrimine. Nec eo minus deeſt calumniae & inſcitiae quod carpat, ac ſub herba angues inueſtiget, quos ipſa ibi poſuit. Scilicet iam centies refutata & exploſa calumnia coccyſſari non deſinit; hypotheſin meam eſſe, *hominem vndecunque primum in mundum proiectum, derelictum omnino atque miſerum nullis vndique ſubſidiis inſtructum.* Miram vero calumniae indolem, quae ne aliquando obmuteſcere cogatur, ſtuporem ſimulat, velut ne planiſſima quidem caperet. Nam quod tanta Alberto ruditas inſit, vt tam plana capere nequeat, fidem fere ſuperat. Siue tamen rabies calumniandi ſit, ſiue inſcitia, connitendum eſt, vt tandem aliquando id cauillandi praetextum tollatur, ac denuo oſtendendum, quam nequiter ab aduerſariis eiusmodi mihi hypotheſis affingatur. Quam ad rem neceſſarium video, vt Albertum, qui per tot luſtra Logicam publice cantillauit, doceam, quid hypotheſis, cui aliqua diſciplina ſuperſtruitur. Quemadmodum igitur pleraeque diſciplinae id habent, vt ad extremum in primariam aliquam propoſitionem reſoluantur; ita eiusmodi propoſitio vel plane & perſpicue demonſtrari poteſt, ac pro vera ac demonſtrata admittitur; vel nondum ſat liquido demonſtrari potuit, nec eo minus tantiſper pro vera habetur atque ſupponitur. Vtraque id habet, vt eidem reliquae propoſitiones velut baſi ſuperſtruantur, eaque adeo firma perſiſtente, & ipſae firmae ſtent; eadem conuulſa & ruente, & ipſae corruant. Quanquam autem prioris generis propoſitiones etiam aliquando ſoleant vocari hypotheſes, & ex hac vel illa hypotheſi diſputare dicimus, etiam eum, qui verae & demonſtrari aptae propoſitioni dogma ſuum ſuperſtruit, prout & a me hypotheſis improprie vocatur fundamentalis propoſitio alicuius diſciplinae Eridos p. 207. proprie tamen alterum genus propoſitionis hypotheſeos nomine venit. Ex quo conſequitur, vt quaecunque eiusmodi hypotheſi proprie dictae inaedificantur propoſitiones, non abſolute pro veris haberi poſſint, ſed quatenus illa hypotheſis vera eſt. Sic in Aſtronomicis hypotheſis eſt, Solem in medio vorticis conſiſtere, ac terram duplici motu moueri. Ex hac hypotheſi, qui eam ſequuntur, phaenomena demonſtrant; ſed quae demonſtrationes inanes ſunt, ſi hypotheſis illa falſa ſit. Eodem modo ſe circa alias hypotheſes res habet, quae in Aſtronomia, Phyſica & Medicina potiſſimum adhibentur. His praemiſſis dico, a me nullam hypotheſin in tradenda diſciplina iuris vniuerſalis adhiberi, neque id neceſſarium eſſe; cum fundamentalis & primaria propoſitio non ſolum vera ſit, ſed & manifeſte demonſtrari poſſit, vt eius veritas velut manibus palpari queat. Igitur immanis calumnia iuxta ac deſpuenda ruditas eſt affingere mihi, quaſi hanc hypotheſin aſſumam, hominem vndecunque in mundum proiectum. Sane nulla a me propoſitio in toto opere huic fundamento ſuperſtruitur, aut ex eo demonſtratur; & ſi illa quam maxime falſa ſit, vti reuera eſt, haut ideo vlla mearum propoſitionum corruit, ſed omnes aeque firmae perſtant. Id quod naturae propoſitionum repugnat, quae hypotheſi ſuperſtruuntur. Enimuero propoſitio mea fundamentalis, & in quam reliquae fere omnes reſoluuntur eſt haec: Homo eſt animal ſociabile. Haec non velut hypotheſis aſſumitur, ſed ſolide adſtruitur, & infallibili demonſtratione firmatur, ex conſideratione humanae naturae petita: quae

quae demonſtratio vel directe inſtituitur, vel per fictionem contrarii, & deductione ad abſurdum. Quod genus argumentandi a contrario, ſeu deductione ad incommodum aut impoſſibile in omni diſciplinarum genere adhiberi ſolere, tam veteranum Logices Doctorem fugere non poteſt. Quod etſi ſaepius a me inculcatum ſit, tamen quia vel per ſtuporem, vel per malitiam Albertus iſta non potuit, vel voluit capere, eadem quantumuis non ſine taedio repetenda vtique ſunt. Igitur ego primum directe & poſitiue demonſtro neceſſitatem ſocialitatis ex facultate, quae hominibus ineſt ad commodum aeque ac noxam alteri homini inferendam, ſeu ad iuuandum atque ad nocendum: tum e natiua imbecillitate, & indigentia ac incommoditate, quae hominem ab auxilio aliorum hominum deſtitutum perſequitur. Ad hanc eo firmius concipiendam, ac vt inde dilectio & aeſtimatio aliorum hominum generetur, melioris illuſtrationis cauſa iubeo fingi ſeu concipi hominem a Deo & hominibus deſtitutum, id eſt, qui neque cum Adamo ſit a Deo in Paradiſo collocatus, neque ordinario modo progenitus, nullaque cura parentum, aut quorumuis aliorum fruatur; vt ſi ex hoc intelligatur, quam miſer eiusmodi homo ſit futurus, inde bonum ſocialitatis eo liquidius aeſtimare diſcamus. Itaque ratiocinium meum tale eſt: ſi homo & peculiari cura Numinis, & aliorum hominum cura plane deſtitutus in hunc mundum proiectus eſſet, is futurus eſſet longe miſerrimus. Quid in hoc ratiocinio deſideras Alberte, qui per quadrantem ſeculi Logicam alios docuiſti? Annon connexio iſta bona eſt, & annon poſito antecedente ponitur conſequens? Num autem ideo ego aſſero aut ſtatuo, hominem vndecunque in hunc mundum proiectum, a Deo & hominibus deſtitutum? Atqui non debet eiusmodi quid fingi. Quippini? Annon licet contrarium falſum tantiſper aſſumere, vt vera theſis probetur & illuſtretur? Sic ſi demonſtrare velim vtilitatem magiſtratus in Republica, ac poſt allatas poſitiuas rationes addam; finge in tanta multitudine hominum magnam partem prauorum nullum extare, qui malos coërceat, luporum magis quam hominum coetum diceres. Quis niſi mentis impos me ideo accuſauerit, velut falſam hypotheſin aſſumſerim, non dari in Republica vim coactiuam? Sic ſi quis hanc theſin demonſtrandam ſumſerit; miniſter Eccleſiae debet eſſe vir bonus & pius, ad docendum idoneus, vbi eam rationibus poſitiuis ex indole iſtius muneris petitis adſtruxerit, ac dein addat; fingamus eundem eſſe virum malum & impium, docendique imperitum, carnificis potius, quam Eccleſiae miniſtro officio idoneum dicemus. Quis ita deliret, vt de aſſumta abſurda hypotheſi querelam moueat? Cum in hoc genere ratiocinandi non neceſſum ſit, vt antecedens exſiſtat, ſed ſufficiat, vt eo tantiſper poſito conſequens inde promanet. Pudet me tam multa verba facere in re tam perſpicua, & quae etiam tironibus nota eſt. Sed quia Albertus tam importune crocitare de abſurda hypotheſi non deſinit, iſta denuo inculcanda fuerunt, num forte aliquando iſtum calumniae ſuae pudor ſubire poſſit. Quae cum ita ſint, adparet in ventum effundi omnes ictus, quos tanto conatu gladiator noſter vibrat. Toto quippe coelo differt ratiocinium meum ab hypotheſi Hobbeſii de bello omnium in omnes. Nam & iſte ſerio id ſtatuit, & aliquamdiu multas propoſitiones huic fundamento ſuperſtruit, ac ſubinde ad

 idem

idem recurrit. Sed ſi Hobbeſius ita ratiocinatus fuiſſet; ſi fingamus exſiſtere inter homines bellum omnium in omnes, vita humana erat futura longe miſerrima; nemo haberet, quod heic reprehenderet. Qui autem eodem modo vti ego ratiocinatur, is hautquaquam inficiatur aut dubitat, ſtatum primaeuum hominum, qui reuera extitit, fuiſſe feliciſſimum. Ita igitur cum vmbra ſua luctatur Tartuffus, quando tanto cum ſupercilio pronunciat: *Figmentis humanis contra veritatem diuinam locus eſſe non poteſt.* Obſeruanda eſt autem nefaria malitia iſtius ſycophantae, quod ſubinde Hobbeſium meis ſententiis immiſcet, vt apud imperitos adoleſcentes aliquam mihi labem inde adſpergat. Nam cordati ac rerum intelligentes ſatis norunt, mea dogmata ab Hobbeſii erroribus eſſe quam remotiſſima.

Postquam ſententiam meam putide calumniatus eſt Albertus, iam agyrtae ad morem circa extollendam ſuam hypotheſin magno cum verborum ſtrepitu ſe iactat, & quot paraſangis illa meam ſuperet, circa rite tractandam diſciplinam Iuris naturalis inſolenter deblaterat. *Me nimirum ſi ſequaris*, inquit, *non potes non agnoſcere ius naturae tanquam vnam e reliquiis primaeuae integritatis, implantatum eſſe nobis a Deo, qui totum hominem olim condidit integrum.* Accedite ergo huc, & emite oruietanum meum, amici, & in futuros vſus recondite. Cauete autem ab eo, quod alter iſte vendit, quod nihil plane valet. Atqui, mi Alberte, habemus quidem iſto modo veritatem aliquam Theologicam; ſed quid illa ad ius vniuerſale ad captum omnium hominum accommodatum? Et an ex meis principiis de diuina iuris naturalis origine nihil innoteſcit? Sane & ego originem eius iuris ad Deum retuli, velut naturae conditorem? vide de Iure Naturae & Gentium L. II. c. 3. § 20. Quid deſideras amplius ab eo, cui principia rationis cum reuelatione confundere propoſitum non eſt? Dedit porro ſtatus integer initium naturae humanae, in eo quam maxime locus fuit legi naturali. Sed quia integritas illa amiſſa eſt, & in eius locum maxima corruptio ſucceſſit, longe alia velut oeconomia iuris naturalis inde prouenit, quam futura fuerat, ſi integritas illa in genere humano multiplicato perſtitiſſet. Id quod in praefatione libelli mei de Officio hominis & ciuis liquidiſſime oſtenſum. Vnde nego ac pernego, officia hominum, vti nunc corrupti ſunt, clarius & certius e contemplatione ſtatus integri quam corrupti addiſci poſſe. Exempli cauſa aſſumit Albertus ſocietatem paternam; circa quam huic pro cenſorio ſuo ſupercilio diſplicet, quod ego non ob veſtigia Hobbesii, ſed graues ob rationes titulum imperii paterni non e ſola generatione, ſed aliis fundamentis deducam. Idque, quia non ſequitur: hic generauit, igitur eo ipſo eſt dominus generati, & in eum imperium habet. Nam per generationem illam producta fuit ſubſtantia, quae pari cum generante iure gaudet. Quam rationem etiam in ſtatu integro locum habere potuiſſe arbitror. Et ſcire velim e Theologis, vtrum in ſublimi Myſterio SS. Trinitatis haec ex ſe mutuo conſequantur; Pater genuit filium, igitur pater habet imperium in filium. Vnde debuiſſet Albertus rationes meas deſtruere, antequam de *abſurditate* ſententiae meae latraret: praeſertim cum ego nullam *hypotheſin* eidem ſubſtrauerim, ſed e natura rerum, & rationibus ſolidiſſimis eam deduxerim. Contra Albertus, *ſi meam,*

meam, inquit, *hypotheſin aſſumas, & ſtatum integritatis reſpicias, quam plana euadunt omnia!* Videamus, quid tanto hiatu dignum proferat Sophiſta. Primo loco laudatur dictum Ariſtotelis, quem ſcilicet Adamus in Paradiſo priuatis collegiis explicauit, & ex quo ſtatus integri indoles optime cognoſcitur. Inde *harmonia inter diuinum & paternum imperium & vtriusque verae cauſae nullibi certius quam in Paradiſo, nullibi clarius intelligi pronuntiantur.* Vbi primo ſcire velim, quotnam exempla in Paradiſo extent, circa quae imperium paternum in actum fuerit deductum. Deinde audio quidem verba velut pro imperio prolata: *Deus in Paradiſo non tantum creauit homines, ſed & hominibus vt alios generarent benedixit; qua ratione quoad cauſam imperii parentes aſſimilauit ſibi; quoad obſequium liberos creaturis.* Atqui haec ex ſe mutuo conſequi nego propter maximum diſcrimen, quod eſt inter ius Dei Creatoris, & hominis generantis, & inter Deum & creaturas, ac inter hominem & ſuam prolem. Niſi dicere velis, homines in ſtatu integro etiam ſolo verbo e gleba terrae potuiſſe prolem creare. Sed & valde extemporanea videntur ſequentia: *Parentibus licuiſſe ad exemplum Dei liberis imperare, quae honeſtati non repugnant: hos decuiſſe in morem creaturarum promtos eſſe ad parendum paratosque.* Dubito enim an ſatis argute dicatur: *Deus imperat, quae honeſtati non repugnant.* Id quippe non obſcure inſinuat honeſtatem aliquam ante Deum, & ab ipſo non dependentem. Deinde diſtinctius exprimendum erat, ad quarumnam creaturarum morem liberi in Paradiſo debuerint eſſe promti ad obtemperandum iuſſis parentum. Num ad modum creaturarum inanimatarum, verbi gratia, ignis, grandinis, niuis, fumi, procellae, famis & gladii, quae in ſacris literis iuſſa Dei promte exſequi dicuntur? An ad morem animantium brutorum? verbi gratia, ſcorpionum, ſerpentum, equi, muli. Quod vix ab Alberto aſſertum iri crediderim. Ergo reſtat vt dicamus, in ſtatu integro, & in paradiſo liberos debuiſſe promtos eſſe ad parendum ad modum creaturarum rationalium, id eſt, ad modum prolis humanae. Quae theſis non plus lucis adfert doctrinae de officio liberorum, quam fuligo camino. Sed & neſcio an ſatis meditatus ſit Albertus finem, indolem, & efficaciam imperii paterni in ſtatu integro; ad quam intelligendam oportebat prius ad liquidum deduci; num dona illa ex imagine Dei integra velut reſultantia cum aetate vltro velut effloruerint, an vero per diſciplinam & culturam fouenda & producenda fuerint? Nam ad coërcendas prauas cupidines imperio paterno opus tunc non erat apud natiua ſanctitate praeditos. Iam & de duratione iſtius imperii paterni quaeſtio eſſe poteſt, vtrum id perpetuo duraturum fuerit, ad exemplum imperii diuini in creaturas, an vero liberi certo tempore illo ſoluendi fuerint? Et ex ſolo hoc exemplo, quo Albertus tam putide ſe iactat, patere poteſt, quid abſurditatum & ineptiarum iſte imperitis adoleſcentibus intra priuatos parietes venditet, qui in conſpectu orbis eruditi tam incongrua apricari non dubitat. Ac cumprimis eo nomine inepta eſt Alberti hypotheſis ad euoluenda officia hominis in vita ciuili, quod illa longe ſit obſcurior & difficilior, quam ſi eadem officia eruere inſtituas e conditione hominis, prout nunc eſt. Cum enim non niſi paucis, iisque generalibus verbis de ſtatu paradiſiaco in ſacris literis extet, ſi quis pleniorem & magis diſtinctam

ideam

Digitized by Google

ideam eius ſtatus concipere velit; neceſſum eſt, vt prius praeſentem ſtatum hominum animo concipiat, & ex eo abſtrahat & amoueat omnia illa, quae a peccato prouenerunt, aut eius occaſione introducta ſunt. Vbi poſt longam meditationem & ratiocinationem ad extremum fatendum eſt, multum adhuc obſcuritatis ſupereſſe; praeſertim vbi ad materiam dominii rerum & imperii humani peruentum fuerit, quae duo inſtituta quam maxime iam genium noſtrae vitae temperant, ſed quomodo eadem ſe in ſtatu integro habitura fuerint, nondum ad liquidum perductum eſt. Sic longe planius intelligo praeceptum de furto non faciendo ex hac ratione, quia furtum perturbat ſocietatem humanam, quam ſi dicam, quia idem repugnat ſtatui integro; cum adhuc in quaeſtione ſit, vtrum & quouſque dominium rerum in ſtatu integro locum habiturum fuerit, quod citra dominium rerum intelligi nequit. Denique id quoque Alberti hypotheſin valde ſuſpectam reddit, quod in Sacris literis nullum eius veſtigium deprehenditur. Sane Apoſtolus Paulus, quem ego multis partibus Alberto & Magno & Maiore ſapientiorem iudico, circa officia hominis Chriſtiani nunquam ad paradiſum prouocat, ac praecepto de honorandis parentibus promiſſum annectit de longaeuitate, ab ipſo quoque Deo in decalogo additum; quod in ſtatu integro locum non habebat. Idemque parentes ita imperium ſuum exercere iubet, ne liberos ad iram prouocent, a qua itidem in ſtatu integro nullum periculum erat. Tum vxores non ad exemplum Euae, ſed Sarae remittit. Igitur inſiſtamus potius veſtigiis Apoſtoli, ac Albertum cum hypotheſi ſua inter imperitos adoleſcentes nugantem plorare iubeamus. Porro ius ciuile & doctrinam politicam e dictato iuris naturalis recte dirigi vtique in gloriam Creatoris vltimo redundat, etiam vbiit e ſana ratione deducatur. Quomodo autem Deus omnibus noſtris actionibus vltimus eſſe finis debeat, docere non ad ius naturale, ſed ad Theologiam moralem ſpectat; ex qua & conſtat, quod actiones noſtrae non placeant Deo, niſi in Ieſu Chriſto, de quo in ſtatu paradiſiaco altum eſt ſilentium. Mihi denique cui non eſt propoſitum homines ſaluos facere, ſufficere poteſt, ſi homines in dirigendis actionibus ad ſocietatem reſpiciant velut ad ſcopum proximum, qui tamen ſupremum & nobiliorem ſcopum non excludit. Sicuti medico ſufficit ſanitatem corporis reduxiſſe, cura animae alteri diſciplinae delegata; quae & ipſa de interna actionum ſanctitate ſolicita erit. Ac ſane non exiguum operae pretium facit Princeps, ſi ciuibus ſuis externam pacem procuret, ac per leges ciuiles externam honeſtatem inter ipſos conſeruet, atque internam ſanctificationem religioni Chriſtianae procurandam relinquat. Satis autem mirari nequeo impudentiam Alberti, quod veterem calumniam de religione a Ioſua Schwarzio primo motam recoquere non erubuerit, non alio vt adparet fine, quam vt elogia iſtius ſibi quoque vindicare velit. Qua de re cum prolixe Erid. p. 7 & 323. actum ſit, iſta repetere taedet. Ac num ego religionem etiam ex iure naturali ad ſtatum ciuitatum attemperandam cenſeam, perſpici poteſt ex L. I. c. 4 libelli mei de Officio hominis & ciuis. Inane quoque eſt, quod de vſu legis paedagogico gannit Albertus; qui vſus mere Theologicus eſt. Sic igitur penes eruditos & aequos lectores erit ſtatuere, vter noſtrûm magis rite ius vniuerſale adamauerit, & ex vtrius ſcriptis plus bonae frugis ad ſolidam ſcientiam iuris, do-

ctri-

ctrinaeque ciuilis hauriri queat: vtrum qui e domeſticis, & apud omnes cognitis principiis id deducit, an vero qui ad aliam diſciplinam ſpectantia inſercit, ad diſciplinas confundit. Sicut & non parum contradictionis inuoluere iudico id, quod noſter ſubiungit: *Theologia naturalis a Philoſophia Chriſtiana inſtructa eſt non paucis hypotheſibus, quas a Sacra Scriptura petiit mutuo & accepit.* Atqui quae e Sacra Scriptura & peculiaribus eiusdem dictatis, quatenus rationis dictatis contradiſtinguuntur, inſtruitur Theologia, non amplius naturalis, ſed reuelata eſt.

PER Alberti igitur cauillationes adhuc firmum perſtat aſſertum meum, religionis Chriſtianae nihil intereſſe, eidemque nihil decedere, ſi diſciplinae e domeſticis principiis extruantur, ac per aſſumpta heterogenea haut alterentur. Praeſertim cum ius vniuerſale ea ſit indole, vt nulla hypotheſi opus habeat, ſed ex manifeſto veris principiis exſurgat; neque noſtra mens ſit, vt quis ſola hac diſciplina in moralibus adquieſcat, ſed ad alias quoque progrediatur, ad quas proprie ſpectat, quomodo actiones noſtras ad Deum dirigere, eidemque adprobare debeamus. Adhuc etiam abſurdum & contra leges methodi arbitramur, ad diſciplinam generaliorem & natura ſua priorem ſtabiliendam aſſumere hypotheſes e diſciplina particulari, & quae natura ſua poſterior illa eſt. Quod enim in contrarium adfertur de Rhetorica, velut natura priore a Metaphyſica velut ſuperiore, mutuo quid accipiente multis modis ineptum eſt. Nam primo homines in ſermone tropos adhibuere, antequam vocabula eorum ab artificibus dicendi inuenta forent. Deinde Metaphyſica ſane Rhetoricae non communicauit aliquam hypotheſin, cui iſta ſit ſuperſtructa; ſed qui artem dicendi tradiderunt, longo poſt tempore terminos quosdam e metaphyſica adhibuerunt, vti & aliae diſciplinae, ad res conciſius exprimendas. Etſi cauſa & effectus, pars & totum, non ſint termini pure metaphyſici, ſed in populari quoque ſermone adhibeantur. Et Quintilianus haut eo minus praecepta Rhetorica tradere potuit etiam citra adminiculum metaphyſicae, dum dicit: *Metonymia eſt nominis pro nomine poſitio; cuius vis eſt, pro eo quod dicitur, cauſam propter quam dicitur ponere.* Sed vti haec leuicula ſunt; ita id grande piaculum videtur, quod Albertus *metaphyſicam ſuperiorem & dignitate priorem rhetorica* pronuntiat, & hanc *pueris* velut quotidianum pabulum proponendum cenſeat. Cum tamen per rhetoricam Cicero Conſul Romae factus ſit; quam dignitatem nemo vnquam metaphyſicae debuit. Et ab Eloquentia multi Imperatores, Reges, & Principes commendari legantur; a metaphyſica commemorari, valde pedantica laus ſit. Ac reuera eloquentia nobiliſſimum eſt donum, cuius tam in Eccleſia quam Republicā maximus eſt ſplendor; cum etiam exquiſitiſſima metaphyſices ſcientia nil niſi puluis & vmbra ſit. Et ſane Alberto, cum iſta ſcriberet, de patrono ſuo Dn. Seckendorfio in mentem veniſſe haut videtur, qui vtique ſuis imaginibus haut indignum iudicauit ſpecimina eloquentiae ſuae publici iuris facere; e quo ſi quis ſciſcitetur, num & circa metaphyſicam aliquid tentare velit, tanquam mente captum in malam rem cum pedanteria ſua abire iuſſurus ſit.

ID vero quod a me obiectum eſt, per Alberti methodum diſciplinam noſtram reddi particularem, quae ſua indole vniuerſalis ſit; incaſſum diluere conatur

tur idem per diſtinctionem inter τὸ ὅτι & τὸ διότι, quae nullo modo ad praeſens negotium quadrat. Nam τὸ ὅτι, ſeu quod aliqua res exſiſtat, id hypotheſeos loco adhiberi non poteſt Sicuti non eſt haec hypotheſis aſtronomica, ſol exſiſtit, terra exſiſtit: Sed ſol mouetur, terra mouetur. Sic inepta eſt haec hypotheſis, primus homo iuſtus & ſanctus fuit conditus: ex hac enim nihil theorematum poteſt deduci. Sed ſi dicam: nos debere conformari ad iuſtitiam & ſanctitatem primi hominis, hypotheſis quidem eſſet, ſed quae theologice & philoſophice falſa, ac impoſſibilis eſt. Nam iuſtitia, qua primus homo gaudebat, eſt plane diuerſa a iuſtitia, per quam nos iam iuſtificamur, ſanctificamur & ſaluamur. Ille enim iuſtus erat, Deoque placebat, & ſaluandus erat citra Chriſtum mediatorem. Noſtra autem iuſtitia eſt in ſolo Chriſto, & citra huius reſpectum noſtra opera Deo non placent. Et quid tantopere circa ſtatum paradiſiacum ſe torquet Albertus, qui tamdiu amiſſus, nec vnquam reſtituendus eſt, & qui nobis norma nec poteſt, nec debet eſſe. Nam nuſpiam in ſacris literis quantum quidem ego memini, Adamus in ſtatu integro nobis proponitur velut exemplar, ad quod conformari debeamus. Sane cognoſcamus e ſacris literis, primum hominem habuiſſe ius naturae in ſe examuſſim, nimirum eo modo exſerendum, & per ea particularia praecepta exprimendum, quae in eum ſtatum cadunt. Sed num exinde conſequitur; igitur commodiſſime omnium ex iſto poſſumus eruere ius naturale, eiusque particularia praecepta, quae ad praeſentem hominis, & corruptum ſtatum quadrant? Denique reuera nullo ſenſu dicitur: Philoſophia e diuinis literis cognoſcit τὸ ὅτι, id eſt, quod primus homo in ſanctitate & iuſtitia creatus ſit: ſed eadem τὸ διότι, cur ita ſit more ſuo, id eſt, per rationem vnice inquirit, atque tradit. Quodnam eſt illud διότι? aut vbi eius rei rationem Albertus in ſuo compendio oſtendit? Pergit noſter: *Eſto, reddatur particularis quoad ea, quae aſſumtis illis hypotheſibus innituntur tantum, & citra has e principiis congenitis non innoteſcunt: quid tum inde?* Quid tum inde? Reſpondeo, non erit amplius ad captum omnium hominum, etiam illorum, qui myſteria religionis Chriſtianae ignorant. Nam quod idem circa Theologiam naturalem fieri dicitur, id contra leges methodi fieri a me dictum eſt. Quod autem addit, metaphyſicam diſciplinam vniuerſaliſſimam habere dogmata Chriſtianis propria, puta *de reali diſcrimine inter exſiſtentiam & ſubſiſtentiam in ſubſtantiis creatis ſingularibus, ex hypotheſi* (imo veriſſima & ſolidiſſima theſi) *de incarnatione Filii Dei*, id ad rem praeſentem nihil facit. Nam id myſterium religionis Chriſtianae non ſubſternitur velut hypotheſis, cui tota ſcientia ſuperſtruatur, vti circa ſtatum integrum in iure naturali fit. Deinde, puto, prius conuocandus fuerit totus auguſtiſſimus Senatus Reipublicae metaphyſicae, eorumque ſententiae perrogandae vna cum rationibus: num vtique e myſterio illo de incarnatione Filii Dei, cuius ſimile rerum natura non habet, extruendum ſit theorema philoſophicum; dari reale diſcrimen inter exſiſtentiam & ſubſiſtentiam in ſubſtantiis: an vero praeſtet dicere, per totam rerum naturam in ſubſtantiis completis exſiſtentiam & ſubſiſtentiam eſſe vnum & idem, aut ſaltem reale diſcrimen inter eas non eſſe; ſed exemplum de aſſumtione humanae naturae Chriſti in perſonalitatem λόγου eſſe exceptionem a regula, ſolis Chriſtianis cognitam. Qualis exceptio non impedit, quo minus tota diſciplina extrui

poſſit

poſſit e principio a ſola ratione erui apto. Sed id quidem in medio relinquimus, donec in eam rem Senatus Conſultum conditum fuerit.

Mirum vero eſt, quod Albertus neſcire ſe dicat, qui de primaeua hominis perfectione dubitent. Nam ne de Philone Iudaeo memorem, tam multi e priſcis Eccleſiae Doctoribus iſta omnia per allegorias quondam explicabant, vt Auguſtinus ideo neceſſarium duxerit commentarium ſcribere de Geneſi ad literam. Ac ipſe vtique Grotius L. II. c. 2. §. 2. ſtatum protoplaſtorum longe aliter concepiſſe videtur, quam noſtrates Eccleſiae profitentur. Nec dubito, quin praeter Socinianos alii quoque cum Grotio ſentiant ex Arminianis & ſimilibus ſectariis; quos mihi inueſtigare non vacat. Quibus omnibus an ita cui de & pro imperio Chriſtianorum nomen adimere poſſit Albertus, ipſe pro auctoritate ſua papali viderit. Qui porro ſceleſtam calumniam admiſcet, & quae ne pilum quidem boni viri eidem ſupereſſe arguit, dum non erubeſcit ſcribere: *Socinianos ad me accedere in ſingenda primi hominis miſeria*. Nam vbi ego ſcripſi, aut dixi, aut cogitaui, *primum* hominem fuiſſe miſerum? Sed nimirum ante oculos obuerſata Alberto videtur illa regula alienae famae inſidiatoribus vſitata: calumniare audacter, ſemper aliquid haeret. Nam etſi omnes, qui ſcripta mea legerunt, vel manibus palpare queant, Albertum turpiſſime mentiri; tamen ſaltem apud vnum & alterum imperitum adoleſcentem, quem argento emungit, ſiniſtram de me opinionem excitare poteſt, ſupra cuius captum mea ſcripta forte ſunt, ſed cui Alberti ſchedae paucis obolis emere facile eſt. Et tamen *agno* ſe Tartuffus aſſimilat, cuius tamen adunci vngues & animus tygride immanior non obſcure prominent, quique venerabili toga talari foediſſimum hypocritam tegit: cuius tanta animi acerbitas in me ex iſtius ſcripto elucet, vt me ad inferos ſi poſſet, detrudere optaret. Sed Deo ſit gratia, quod neque ſalus neque fama mea ab eiusmodi improbo calumniatore dependet.

Dixeram porro ego, ſcriptum Alberti neque poſſe haberi pro compendio Theologiae moralis, neque vicem, ſuſtinere diſciplinae iuris vniuerſalis, quae iuri ciuili ſubſterni queat. Horum prius vti Albertus admittit; ita circa poſterius id commodum haut ſane exiguum e ſua hypotheſi & regulis in ius ciuile redundare profitetur, quod iis adſumtis Iureconſulti deinceps orthodoxas ſententias, & deciſiones ac reſponſa dare, atque erronea dignoſcere ac reiicere poterint. Expectabimus, an quiſpiam e ICtorum ordine ita ſit deliraturus, vt ex hypotheſi Albertina Ius ciuile orthodoxum ſit commentaturus, cuius ſcilicet vſus tam luculentus in paradiſo futurus erat. Nec eſt, quod Albertus ſe tantopere iactet excerptis ex vna & altera epiſtola, ac *praeſiſcini* exclamet: *Baccare frontem cingito, ne puero noceat mala lingua recenti*. Sine dubio Albertus amicorum elogia expetiit, qui cum vanitatem hominis noſſent, ita rigidi eſſe noluerunt, vt illum attenderent pronuntiata ſeria animi ſui ſententia, cum etiam ſimiae foetus ſuos, quantumuis Eroti Lipſico ſimillimos, exoſculari ac deperire ſoleant. Caeterum etſi Dominus Zieglerus, cuius epiſtola tantopere gloriatur Albertus, & ipſe orthodoxiae addictiſſimus, & ſolidae Theologiae peritiſſimus ſit; nondum tamen animaduertere licuit, eum in explicandis legum rationibus veſtigia com-

 pendii

Digitized by Google

pendii Albertini legere. Quid tamen deinceps futurum ſit, & num Scabini Lipſienſes hoc modo deinceps ſententiam prolaturi ſint; verbi gratia, hunc vel iſtum furem ſuſpendendum normaliter ad ſtatum paradiſiacum iuxta hypotheſin Albertinam, dies docebit. Sed nimirum duo Alberto ſufficiunt, quorum ſuffragium pluris eſt ipſi, quam aliorum *ſexcentum*: credo ſphalma typographicum eſſe pro ſexcentorum iuris myſtarum, Themidi neſcio an Eridi magis fauentium. Magis Philoſophicum fuerat dixiſſe; ipſum ſolum ſibi ſat ampli inſtar theatri eſſe. Nam metus eſt, ne forte is, qui e duobus teſtibus ſupereſt, epiſtolam ſuam retractet. Interim velim cordati obſeruent, quantopere Eroti ſuo contradicat Albertus hiſce verbis: *Sit aliquis, cui Pufendorſiana magis quam mea placeant; quid tum inde? Diſſentientem enim lubentiſſime fero, & hanc libertatem non minus relinquo aliis, quam mihi ſumo ipſe*. Atqui ſi Alberto ea foret animi aequitas, quare tanto calumniarum adparatu meam ſententiam apud imperitos adoleſcentes ſuſpectam reddere conaretur? Caeterum nihil magis puerile dici poſſe videtur, quam quod ſubiungit: *Fateor quidem, quod Pufendorſius obiicit, ius ciuile Romanum ab Ethnicis primo conditum eſſe. At enimuero leges, quae ex eo apud Chriſtianos adhuc valent, latae ſunt ab Ethnicis, non quatenus fuerunt Ethnici, aut Idolorum cultores, ſed quatenus vna nobiſcum principiis congenitis recte vſi ſunt, id eſt, ſana ratione. Quo ipſo neſcientes quid facerent ad meam quam proxime hypotheſin acceſſerunt, reliquias nimirum ſtatus integri, inter quas illa non poſtremo loco ſunt, leges ſuas apte ſatis, nec infeliciter conformantes*. Miſellum ratiocinium! Ethnici formarunt leges ciuiles, iuxta ſanam rationem, aut principia congenita. Ea principia a Chriſtianis Theologis referuntur inter reliquias imaginis diuinae; igitur Ethnici proxime acceſſerunt ad hypotheſin Alberti de iure deriuando e ſtatu paradiſiaco Credo ſicuti ferramenta diuturno vſu deteri atque obtuſa demum reddi ſolent; ita & Alberti rationem longa Logices profeſſione hebetatam. Alias habent Cti, quod ſibi de tanto hyperaſpiſta gratulentur aduerſus Caroloſtadium, delirum Diaconum Wittebergenſem, & Anabaptiſtas ante ſeſquiſeculum Germania exactos, a quibus Iuriſprudentiae praeſentiſſimum ſcilicet periculum imminebat.

Argvit inde me Albertus iniuriae Dn. Seckendorfio illatae, quod ſcripſerim; hunc *philoſophiam moralem e ſolo rationis lumine deductam e Chriſtianorum Scholis plane proſcribere velle*. Aſt quid aliud inſinuant tradita ab ipſo Chriſtianismi L. III. cap. 8 §. 6. vbi dicit, ethicam philoſophicam penitus (gantz und gar,) ſub Theologiam moralem reducendam, ſicuti infrequentes legiones aliis ſolent admiſceri, vt nomen plane, prioremque formam ac rationem corporis amittant; eamque profeſſionem a Theologo obeundam, cuius lectiones in effectu Theologicae ſint, & catecheticae paulo pleniores, quam in Scholis doceri ſolent Addit, reliquam in natura ſcintillulam circa moralia, & illi ſoli ſuperſtructam philoſophiam ſtatim clara face verbi diuini irradiari poſſe, ſicuti orto ſole ſtellarum debile lumen euaneſcit. At mea ſententia in eo cum Seckendorfio conſpirauerat, quod in locum ethicae Ariſtotelicae, quae magnam partem vocabulis vndecim virtutum abſoluitur, ſolidius quid in genere morum

ſit

ſit ſurrogandum. Id quoque laudo, proboque, quod iudicet, Theologiam moralem maiore ſtudio in Academiis tradendam. Sed hanc ego cenſebam ſeparatim tractandam, & in locum ethicae Ariſtotelicae ius vniuerſale ſubſtituendum, fundamenta iuri ciuili & politicae ſuppeditans. Sed ſi Seckendorfio aliter videtur, nimirum digitus labiis imponendus erit. Quis enim aduerſus iſtum hiſcere audeat? Neque vero tanto me dignor honore, vt Alberto me conſiliarium obtrudere velim, paradiſiaco doctori, qui ſoli ſibi compendium ſuum habeat, ſeruetque ſepulcro, quod breui puto ad piper erit relegandum, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Qvia porro Albertus eandem crambem tam ſaepe recoquit, vitio mihi dari non poteſt, ſi & mihi totiens ingeſta cum taedio lectoris iteranda ſunt. Fatetur is, *ius naturae hodie, aeque ac Decalogum praeſupponere ſtatum hominis corruptum, tanquam obiectum, etſi ſtatus integer ſit maneatque eius principium.* Atqui non ſatis memini, vtrum Albertus heic intelligat principium exſiſtendi, an cognoſcendi. Si prius, nihil ad rem facit, quod ius naturae exſtiterit in ſtatu hominis integro. Nam & hic ſtatus periit, eiusque notitia non niſi e ſacris ſcripturis peti poteſt. Ac mihi praecipue curae fuit circa principium cognoſcendi diſpicere, cui fini quare ſtatus integri contemplationem minus idoneam iudicem, infinities dixi. Commendat deinde noſter iterum analogiam ſtatus integri & corrupti, dignum Albertino ingenio commentum, ac iam nouus bellandi artifex bellum, ad analogiam ſtatus integri gerendum tradit. Id quod non amplius mihi ridiculum, ſed plane deplorandum videtur, hominem in ſtoliditate ita obduruiſſe, vt nullam ſpem ſani ſenſus reliquiſſe ſibi videatur. Sane nemo mortalium vnquam tantopere ineptiuit, vt analogia mentis ad non ens fingeret, ſeu vt contenderet, actus certi alicuius ſtatus conformandos eſſe ad analogiam alterius ſtatus, in quo actus ille nullo modo locum poterat aut debebat habere. Sed quia ab ingenio Alberti non niſi inuſitata & miraculo ſimilia proficiſci poſſunt, optandum erat, vt analogiam illam paulo diſtinctius, & per omnes partes & actus belli deducere vellet. Nam quod bellum gerendum ſit, vt pax recuperetur, ac idem quantum poſſit ocyus ponendum ſit, etiam ex noſtris principiis deduci poteſt; & Grotius temperamenta ſua non e Paradiſo, ſed e ſocialitate, & conditione hominum, prout nunc ſunt, depromſit. Vnde ſublimius quid & argutius ab Alberti acumine expectabamus potiſſimum circa modum belli gerendi. Sane quia ſtatui integro quam maxime congruit, ne quis alterius corpus laedat, maximam a bellatoribus gratiam inibit Albertus, ſi pugnandi rationem ad analogiam ſtatus integri deducere queat, atque efficere, vt deinceps bombardae non globis, ſed plumis onerentur, quo hoſtis ſonitu tantum, & fumo terreatur, non laedatur; vtque loco gladiorum caudae vulpinae adhibeantur, quas ita dextre vibrare callet Albertus Non autem vitio mihi vertet Albertus, ſi hanc controuerſiam tractanti aliquando de carnifice in mentem venit, poſtquam Indicem Nouitatum a carnifice in foro Lundenſi combuſtum vidi, e quo ſubinde floſculos aliquos Albertus mutuatur; cuius & auctor, vterque in malam rem ideo abire neceſſum habuit. Accedit, quod vix vllum hominum genus maiore aſperitate munus ſuum exerceat, quam carnifices, ſic vt minime omnium

 de

de actionibus ſuis ad paradiſi delicias exigendis cogitationem ſuſcepiſſe videantur. Vnde cum meretrices *Erotem* quoque *Lipſicum* pro tutelari numine habeant, non inhumaniter facturus erat Albertus, ſi importunos iſtos homines e compendio ſuo orthodoxo informaret, ne ita crudeliter in terga infelicium ſaeuiant; quae & ipſae profeſſioni ſuae commendandae verba Alberti ſua facere poſſunt, *Eros* p. 3. *Non hodie demum ſtudio Erotis aut ſocietate delectamur; dudum eſt, quod familiariſſime cum ipſo contra ipſos etiam aduerſarios noſtros agimus, & niſi amici contra neminem pugnamus.* Sed quia Albertus etiam calumniatorum tergo metuit, quorum primiceriis palmam ambigum reddere conatur, non incaute facit, quod iſtum artificem e ſua hypotheſi inſtrui aptat, vt ad analogiam ſtatus paradiſiaci virgis caedantur, ſi qui togis talaribus induti craſſe nimis calumniis operati fuerint.

Excipit inde nonnulla Albertus ad ea, quae ego rationibus Seckendorfii oppoſueram. Quae inter primum eſt, quod etſi ſcopus ſacrae ſcripturae non ſit tradere principia aut diſciplinam iuris vniuerſalis; eandem tamen praebere hunc vſum ſecundarium, vt multae res naturales, & morales, aut hiſtorica & politica paſſim interſperſa inde deſumi poſſint, ita quidem, vt aliunde eodem certitudinis gradu haberi non poſſint. Hoc vti de hiſtoricis lubenter concedo; ita quouſque haec circa alia valeant, ſupra expoſitum fuit. Id tamen nego, ſacram ſcripturam per pauca verba, quae de ſtatu integro tradit, hunc praebere vſum, vt inde commode poſſit extrui ſyſtema iuris vniuerſalis ad captum omnium hominum. Quod enim inde conſtat, datum fuiſſe olim ſtatum integrum, ad noſtrum ſcopum nihil facit. Inepte heic adplicatur diſtinctiuncula inter ὅτι & διότι: Nam ſi quis e ſacris literis praeſupponere velit tanquam hypotheſin, hominem initio in ſtatu integro conditum fuiſſe, τὸ διότι autem deinde e ratione deducere velit, cum ratione inſanire velle videbitur. Non capio autem, quid diſciplinis, quarum obiecta in ipſos ſenſus incurruut, emolumenti aut lucis accedat, ſi eorum obiectorum τὸ ὅτι ſeu quod exſiſtant, e ſacris literis praeſupponatur, verbi gratia, quod ſol, luna, & ſidera exſiſtant, quod dentur medicina & medicamenta; aut quod propter eiusmodi ſuppoſitionem ſtatim inde ſit reſultatura aſtronomia aut medicina Chriſtiana. Non magis quam Chriſtiana ſartoria aut ſutoria dabitur, quia in ſacris literis de veſtimentis, & calceis ſit mentio. Gratis quoque negat Albertus; ſi in ſcriptura ſacra occurrat aliqua propoſitio ad ius aut ethicam ſpectans, hanc ab illa praeſupponi. Nam quomodo ſcriptura ſacra vetare poſſet, verbi gratia, ne quis fratrem ſuum defraudet in commercio, niſi praeſupponatur, dari ius, e quo natura contractuum cognoſcatur? Aut quomodo eadem arguere poſſet gentes, quod ſe macularint vitiis contra naturam, ni praeſupponeretur, eos habuiſſe doctrinam morum? Quod porro regulas ſuas pro axiomatibus iuris naturalis non venditat Albertus, id ingentis modeſtiae loco habendum, cui & nemo inuidebit, quo minus ſeſe iſtis quantum poteſt oblectet. Fateor tamen me capere non poſſe, quid regulae iſtae ad deducenda iuris naturalis praecepta faciant, quae & longe obſcuriores ſunt quam haec, nec horum cauſam continent; & poſt omnia praecepta iuris naturae cognita, eadem in ſe plana & aperta obſcuritate inuoluere aptae ſunt. Niſi forte hac virtute commendabiles ſunt, quod prae-

praeceptis iuris naturalis tincturam orthodoxiae adſpergere valent. Nam ſi ita dicam; *curandum eſt, vt concordia rupta reparetur, quia quicquid ad ſtatum integritatis orthodoxe expoſitum hodie in moralibus ex aliqua parte recuperandum pertinet, viribusque naturae recuperari poteſt, id iure naturae praeceptum eſt, ideoque a nobis faciendum:* Hoc non ſolum eſt Albertino more & orthodoxe ius naturae tractare, ſed & ratio ita perſpicua eſt, vt cuiuis idiotae per ſe pateat. Aſt ſi eidem praecepto hanc rationem ſubnectam, quia homo debet eſſe ſociabilis, id neque orthodoxum, neque ad captum quorumuis hominum eſt. Sane quanto locupletius factum ſit ius naturale mixtura Albertina, nondum adhuc deprehendi potuit.

QVANDO porro ego profeſſus ſum, me ius vniuerſale modo vniuerſali traditurum, vt nempe ſit ad captum omnium hominum abſtrahendo a peculiari religione, vtique inde ſequitur, hanc methodum non minus ad captum Chriſtianorum eſſe, quam Turcarum, & ethnicorum; quia Chriſtiani non minus ſunt homines rationales, quam hi aut iſti, nec illi ab hiſce diſciplina iuris naturalis, ſed religione reuelata diſtinguuntur. Chriſtianos autem peculiarem habere methodum iuris vniuerſalis nego, qui & in hoc addiſcendo nihil damni ſentient, ſi deliria Alberti inſuper habuerint. Fruſtra quoque gannit Albertus, ſe ex ſua methodo formaſſe diſciplinam iuris naturalis, prout indoles eius requirit. Nam Indoles huius diſciplinae eſt, vt ſit vniuerſalis. Iſtius autem hypotheſis eſt theologica, quae omnibus propoſitionibus mixturam adfricat, nec eas mere Philoſophicas eſſe patitur, quippe cum hae vltimam probationem ex illa trahant, quae eſt vinculum & velut anima propoſitionum. Neque per naturam rerum aliter fieri poteſt, quam vt per hypotheſin heterogeneam diſciplina aliqua hybridae naturam non induat. Putidum eſt, quod Albertus vetus & inſulſum cauillum recoquit de informatione & emigratione ad gentiles, quaſi haec ſuſpicienda foret illi, qui ad captum iſtorum diſciplinam aliquam tradere velit. Sane ſi ego ius naturale ad captum omnium hominum tradidiſſem apud Belgas, quibus plurima negotia cum Muhammedanis & ethnicis intercedunt; num ideo mihi in Iaponiam fuiſſet proficiſcendum? Sed nec adparet commodum illud maximum, quod Chriſtiani inde capere poſſint, ſi fundamentis iuris diuini reuelati vtantur in diſciplina iuris naturalis; cum quae reuelatio ſuggerit alio modo, aliaque e diſciplina haurire poſſint & debeant, nec mixturam diſciplinarum facere neceſſum habeant. Admiranda vero eſt ſolicitudo Alberti, quod pronuntiat: etiam in doctrina contractuum & ſubtilitatum mathematicarum cauendum eſt, ne quid in his doctrinae Chriſtianae veritati difforme, omnia conformia fiat. *O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!* Expectamus ergo propediem Alberti prouidentia geometriam & algebram Chriſtianam, ne mathematici forte per imprudentiam in haereſin praecipitent; praeſertim cum omnia tuta timenda ſint, poſtquam iam non ſatis ad Chriſtianismum quadrat haec theſis, homo eſt animal ſociale. Quid denique ieiunius eſt hoc ratiocinio: quia vtilitas regula eſt actionum, non quidem de iure, ſaepe tamen de facto, idque non ſolum apud barbaras gentes, ſed & frequenter apud Chriſtianos; igitur diſciplinae iuris vniuerſalis aſſumenda eſt hypotheſis e reuelatione diuina. Id eſt, quia arithmetici ſaepe com-

mittunt

mittunt errorem calculi, igitur arithmetice aſſumenda eſt hypotheſis e reuelatione diuina.

Caeterum quia quae pro Seckendorfii rationibus ſtabiliendis attulerat Albertus, valde friuola erant; igitur vt aliquod operae pretium ſaceret, palmariam calumniam totiens a me eliſam reuomere placet. *Ratio non manet ſana, quando reuelationi diuinae fingit contraria; e.c. hominem in mundum vndecunque proiectum, valdeque miſerum, cui ratio eheu! hodie valde corrupta* (ſed non vſque adeo, vt non ius vniuerſale extruere valeat citra hypotheſin Albertinam,) *ex contemplatione naturae & conditionis ſuae officia illi conditioni neceſſaria ſuggerere debeat.* Atqui hanc theſin Albertus mihi per ſummam impudentiam affinxit, quae nuſpiam in locis ab ipſo citatis, nec alibi in meis ſcriptis extat. Sed is eſt ſenſus, eaque intentio meae theſeos: Si homo in hunc mundum delatus ordinario naturae curſu a parentibus genitus, eorumque cura educatus, infinitisque commodis aliorum hominum auxilio in vita communi prouenientibus gaudens, vti nos omnes ſumus, talis inquam homo, vt alios homines digne aeſtimare, & quomodo ſe erga illos gerere debeat diſcat, conſiderare velit, quae ſua conditio futura eſſet, ſi ſolus ipſe in hoc mundo a Dei & aliorum hominum auxilio plane deſtitutus ageret; reperiet ſe longe fore miſerrimum. Num hoc eſt fingere aliquid contra reuelationem diuinam? Num etiam Apoſtolum Paulum arguemus finxiſſe aliquid contra reuelationem diuinam 1. Corinth. XV. *Si Chriſtus non reſurrexit; inanis eſt praedicatio noſtra, inanis autem & fides veſtra. Reperimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtificati ſumus de Deo, quod excitauerit Chriſtum, quem non excitauit, ſi mortui non reſurgunt. Etenim ſi mortui non reſurgunt, ne Chriſtus quidem reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, ſuperuacanea eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Igitur qui obdormierunt Chriſto, perierunt. Si in vita hac ſpem in Chriſto tantum fixam habemus, maxime miſerabiles omnium hominum ſumus.* Quantus haereticus Paulus eſt futurus, ſi e propoſitione hypothetica licet facere categoricam? Sic quod homo duos pedes habeat, quorum alterno motu ſe commode ab vno loco in alterum transferre poteſt, maximum ſane Creatoris eſt beneficium. Hoc vt quis eo luculentius aeſtimare queat, ſi animo ſuo fingat, aut concipiat ideam hominis, cui vnus tantum pes ſit, & quam difficile huic ſit futurum de loco in locum procedere; num hic aliquid finxit diuinis literis aduerſum ex quibus vtique intelligitur homines bipedes a Deo creatos? Atque hoc malum, proh dolor! vt nempe a priuationis incommodo habitus nobilitatem aeſtimare diſcamus, libertiniſmus ille philoſophandi, veteramentariis adeo inuiſus produxit, per quem rationem malumus ſequi, quam veterum magiſtrorum collegia Manuſcripta, & naenias peripateticas: etſi ea ratio ſibi quantumuis relicta, non vſque adeo in rebus haut theologicis nec ſalutem animae ſpectantibus eſt peruerſa, quo minus & per eam Euclides ſolidiſſimas demonſtrationes formare, & Hippocrates veriſſimos aphoriſmos tradere, & Virgilius optima carmina ſcribere, & Cicero ornatiſſime dicere potuerit. Etſi proh dolor! poſtquam homines ad ductum Carteſii accuratius philoſophari coeperunt, multa collegia Manuſcripta ingenti cum pedanteriae damno ad tabernas aromatariorum relegata ſint, ac iuuentus ſtudioſa

veteres

Digitized by Google

veteres libellos peripateticos neſcio ad quos vſus lacerare adſueſcat; cui calamitati deplorandae iam credo oculi Alberto rubent. Cuius tantus ſtupor ſeu verus ſeu affectatus eſt, vt quae a me de ſtatu naturali tradita ſunt, etiam rusticis perſpicua, intelligere non poſſit, aut velit. Qui ſtatus, poſtquam liquido in doctrina morali explicatus atque deductus fuit, quod veteribus regulis Seckendorfio aeſtimatis mortem attulerit, conditioni rerum humanarum adſcribendum eſt, qua cum alia, tum praecipue nullo fundamento nixa corruptioni & interitui valde obnoxia ſunt. Sic vt nihil ſuperſit, quam vt regulis illis pie defunctis funus ducatur, naeniam cantillantibus vetulis, ac Velthemio & Alberto cum liripipio feretrum proſequentibus. Denique illud Alberti. *Vtinam vero!* hautquidquam efficiet, vt mea principia *laxa* poſſint vocari, *quae nullum e verbo Dei fraenum admittant, ipſaque per probabilitatem, quam a corrupta ratione ſpecioſe accipiunt, corrupta ſint, alioſque corrumpant*. Atqui ego ſemper profeſſus ſum, vbi ius vniuerſale deſinit, ibi incipere Theologiam moralem, & ius ciuile. Et qui dogmata ſua e rerum natura deducit, ac leges bonae conſequentiae obſeruat, illi a fallaci probabilitate nullum periculum eſt. Claudit Albertus diſceptationem hanc geſticulatione quapiam ſimiali, odioſe nudatis dentibus, qua valde lepidus ſibi videtur. Quantum ſudoris inſtare credimus poëtis, & quam diu iſti caput ſcalpent, & vngues rodent, antequam digna Alberto epinicia componant, qui tam glorioſam pro Domino Seckendorfio pugnam depugnauit!

HVCVSQVE alieno nomine rem geſſit Albertus: nunc pro ſe digladiari pergit. Vbi praecipuum ipſi negotium, totiens exploſam calumniam de homine vndecunque in mundum proiecto in ſcenam retrahere, vtque eam mihi obtrudat nihil impudentiae omittere. Quid enim foedius veterano Profeſſori Logices, quam hypotheſin & propoſitionem hypotheticam confundere, aut propoſitionem categoricam pro hypothetica ſubſtituere? Ter allegauit mea verba (p. 192.) *Si concipias hominem in hunc mundum proiectum, &c. Si fingamus nobis aliquem hominem, vndecunque in hunc mundum delapſum &c. Si fingatur homo ſolitarius in hunc mundum incultum proiectus &c. eius ſtatus erit miſerrimus.* Aſt num ideo aſſero, *hominem tali modo in mundum proiectum?* Atqui infinities adoleſcentibus inculcauit Albertus; hypotheticam nihil ponere, ſed recte ſe habere, ſi dato antecedente detur conſequens. Sic in *Apologia mea* (Erid. p. 22.) quando dico; *haec eſt mea theſis; ſi fingatur homo ſolitarius &c.* mea theſis non eſt categorica ſed hypothetica: & nihilominus per ſummam impudentiam contendit Albertus; eam eſſe meam hypotheſin, cui ius naturale ſuperſtruam, ac vnde ſocialitatem deducam. Aſt quomodo quatuor luſtrorum Profeſſor Logicus ignorare poteſt, probationem fieri directe, vel per deductionem ad incommodum. Ad poſterius, non ad prius genus probationis pertinet, quod ego praeter complures probationes poſitiuas ſocialitatis neceſſitatem & vtilitatem oſtendi per fictionem contrarii, ſeu deductionem ad abſurdum. Quis autem ideo dixerit, me quod tanquam abſurdum tantiſper admiſi ad eo fortius conuincendum pertinacem aduerſarium, habere

pro hypotheſi & fundamento meae diſciplinae? Id quoque ex arte calumniandi, quod illa mea verba allegare omiſit Albertus; *niſi hoc* nempe parentum auxilium *per peculiarem Numinis curam ſuppletum fuerit*. Nam talis homo qui fingitur, (parentum auxilio deſtitutus,) ſi peculiaris eum Numinis cura amplectatur, non erit miſerrimus; ſed iſte demum, quem neque parentes aliique homines, nec Deus vllo auxilio ſubleuat. Vnde etiam, quia vera conditio primi hominis non e ſolo rationis lumine, ſed e ſacris literis vnice patere poteſt, gentiles, (quorum loca a me adducuntur L. II. c. 2. §. 2.) non minus, quam qui a cognitione diuinarum literarum abſtrahere velint, non potuerunt non conditionem iſtius hominis, quem ſibi primum fingunt, tanquam miſerrimam concipere. Num autem ideo iſte, qui e ſacris literis veras hominum origines nouit, & maioris illuſtrationis cauſa duntaxat ab ea paulisper abſtrahit, aliquid fingit velut theſin diuinis literis aduerſam, aut iis fidem demit, quae de primaeua felicitate eius primi hominis, qui reuera extitit, ſacra ſcriptura tradit? De caetero nemo cordatus erubuit poſteriores cogitationes prioribus praetuliſſe; multo minus ab initio confuſius obſcurius, aut incommodius dicta deinceps explicare, & illuſtrare. Nec adhuc in Indicem expurgatorium ab Alberto relatum credo illud tritum; quilibet ſuorum verborum, ſuaeque ſententiae optimus interpres, aut illud ex octaui praecepti explicatione catecheſin; & omnia in meliorem partem interpretantes.

Circa adducendum dictum ſat inficetum Martini Schoockii de ponte aſinorum illo auctore dignum neſcio, quare tam ſingulari intus voluptate titillari videatur Albertus, niſi forte mentio cognati ſanguinis in huius pectore motum aliquem excitauit, aut pulpamenti iſtius memoria appetitum ſtimulauit. De caetero per me pontem iſtum aeſtimet quisque quanti volet; ego ſane nunquam vidi aliquem, qui cum ratiocinium formandum eſſet, ad illas regulas recurrerit. Sicuti etiam praecepta legis naturalis longe planius citra regulas Albertinas intelligi poſſunt, quam ſi quis ad harum ductum iſta inueſtigare inſtituat. Porro hautquaquam ego iratus fui, quando audiebam, meam doctrinam ab Alberto in collegiis ſuis exagitari. Neceſſitatem tamen mihi impoſitam videbam reponendi, quae ad rem videbantur, ne in orthodoxiam impingere crederer ab imperitis, & qui de alterius ſententia non ex ipſius verbis & ſcriptis, ſed alieno e iudicio ſaepe inuidia infecto calculum ferunt. An meum nomen in iſto Collegio expreſſum fuerit neſcio. Saltem tamen omnes auditores intelligebant, meas ſententias impugnari. Denique circa Philoſophiam Chriſtianam puerili plane modo ſe iactat Albertus, cum iſto inſtituto nil friuolum magis excogitari queat. Sane eodem iure quo is Logicam Chriſtianam comminiſcitur, alii licebit venditare Logicam Muhammedanam; ad quam nihil aliud requiritur, quam vt exempli loco adducatur haec propoſitio: Muhammedes eſt magnus Propheta. Imo & expeditiſſima metamorphoſi Logica medica proueniet, modo haec propoſitio, in exemplum aſſumatur: Rhabarbarum habet vim purgandi. Sane Logica vt talis videt quidem hanc & iſtam eſſe propoſitiones, ſed aeque neſcit verae an

falſae

falſae ſint, atque nouit idem de hac propoſitione: Verbum caro factum eſt. Enimuero ſi Logicam Chriſtianam voluiſſet parturire Albertus, debebat oſtendere, quas nouas ratiocinandi ſpecies, aut figuras ſyllogiſmorum religio Chriſtiana tradat, Ariſtoteli & Euclidi ignotas: aut quaenam ratiocinandi ſpecies ab hiſce traditae in religione Chriſtiana reiiciantur. Alias enim ad ipſam Logicam nihil intereſt, e qua diſciplina propoſitionum exempla petantur; cum non Logica, ſed quaelibet diſciplina de ſuorum theorematum veritate iudicet, ac Logicae duntaxat formalis conſequentia curae ſit. Vnde haec propoſitio, Deus factus eſt homo, in Theologia hautquaquam inuſitata, ſed maxime vſitata & domeſtica eſt. In Logica autem eadem non magis inuſitata dici poteſt, quam haec, Rhabarbarum habet vim purgandi, quia Logicae vt tali non magis de huius, quam illius veritate conſtat. Vnde & Ariſtoteli exempli loco non niſi vulgatiſſima, aut literae α, β, γ, aut e matheſi petita, quam tunc pueri addiſcebant, adhibentur. Sed nimirum voluit aliquid eſſe Albertus; per ſolida autem ad iſtud peruenire haut potuit; igitur tale quid comminiſcendum fuit, vt ſaltem a pueris digito monſtraretur, & diceretur, hic eſt Philoſophiae Chriſtianae auctor. Quam mirum oportet animal eſſe, quod Albertus iam de ſeipſo pronuntiat: *Ego Chriſtianus, quam Carteſianus Philoſophus eſſe malo*. Lepidam oppoſitionem! Quaſi Carteſius quoque, Chriſtianus non fuerit, contra Ariſtoteles inter Apoſtolos principem locum obtinuerit. Atqui ego credideram, Carteſianam Philoſophiam praecipue opponi vulgari philoſophiae peripateticae; quae cum bonis ingeniis non immerito ſordeat, iam nouo fulcro ruinoſam molem ſtabilitum it Albertus, venerabili vocabulo circumpoſito, velut minus boni Chriſtiani ſint, qui Carteſium, quam qui Ariſtotelem ſectantur. Ac eſt quod caueant ſibi Domini Medici Lipſienſes, ne ab Alberto ad Sanctum Officium Inquiſitionis pertrahantur. Nam & illos audio Carteſium prae Ariſtotele aeſtimare. Et in vniuerſum eius profeſſionis homines hoc vitio laborant, vt malint rerum naturam & recentia experimenta, quam puluerulentas ſcholarum naenias ſequi. Me quod attinet, quanquam nec ipſe in Carteſii verba iuraui; cenſeo tamen plus ingenii & bonae frugis in illo eſſe, quam in ſexcentis Commentatoribus in Phyſicam Ariſtotelis. Interim phyſicae gratulamur, quod ab Alberto per viginti quinque annorum meditationem locupletata ſit duobus theorematibus oppido quam ſubtilibus; mare non eſſe meteorum, & aquas ſupra coeleſtes vltra vertices ſtellarum fixarum per ſpatia imaginaria, de quibus nihil determinari poteſt, diffundi. Cui viro ſi aetas Mathuſalae contingat, videtur ingens operae pretium circa locupletandam Philoſophiam facturus, vt haec ſuas opes deinceps vix captura videatur. Obiter quoque Alberto placuit Monzambanum pungere, velut neſciuerit, verſus quam plagam mundi Rhenus Germaniam praeterlabatur. Eius defenſionem ſi fas mihi ſit ſuſcipere, dixerim, data opera iſtum in principio libri ſui falſi quid poſuiſſe, vt eo facilius Italus crederetur, apud quos ingens fere inſcitia exterarum regionum eſt. Vnde &, quantum memini, nemo ex illis, qui cum ſcriptorem vellicarunt, de iſto errato quid monuit, quod omnes data opera poſitum animaduerterunt.

aaa 2 Etſi

Digitized by Google

Etſi & mihi editiones ſint viſae, quae Rhenum ad occidentem, Danubium ad meridiem collocant. Sed ſi Paradiſiacus doctor dignabatur Monzambanum legere, non debebat in prooemio ſubſiſtere, ſed ad caput vsque 8 §. 6. pergere, vbi aliquem locum inuenturus erat, ex quo animi ſui ſpeciem perfectiſſime recognoſcere licebat. Cui & nonnihil lucis ex EVSEBII Hiſtoria Eccleſiaſtica L. VIII. c. 1. accidere poterat. Denique circa demonſtrandam originem fontium egregie ſe expediuit Albertus, dum BERNHARDI VARENII locum pro ſe adduxit, addito: *quae doctiſſimi viri verba ſenſu carere, & a rerum natura abhorrere nemo dixit.* Quippini? quis prohibet? aut quibus experimentis iſte ſententiam ſuam firmauit?

ISTA quidem ad Erotem Lipſicum, quà noui quid continere videbatur, reponere placuit. Vter autem noſtrum palmam ſibi attribuere poſſit, non meum, aut Alberti eſt pronunciare, ſed docti & cordati lectoris extra partium ſtudia poſiti. Iſte iudicabit, num qua mihi aqua haeſerit: num quae Alberto a me oppoſita ſunt, hic facillime diſcutere potuerit: vtrum ego e quam plurimis ab Alberto motis pauca tantum, eaque non maximi momenti attigerim, reliquis ac potioribus inſuper habitis? An non Albertus circa aculeos in me retorquendos ſimiam aut cuculum expreſſerit! Vter noſtrum bonum diſputatorem, an malitioſum ſophiſtam; bonum & candidum virum, an Tartuffum egerit? vtrum denique ad exiſtimationem & ſplendorem Academiae Lipſicae eiusmodi Erotes Albertini multum collaturi ſint?

F I N I S.

INDEX

INDEX

RERVM INSIGNIVM HOC LIBRO COMPREHENSARVM.

A.

ACADEMIAE debent eſſe officinae bonae mentis & vtilium & elegantium literarum, non aulae Pedanteriae, p. 350

ACTIONES indifferentes, quae? 76. 219

AFFECTIBVS imperare poſſe, an homini integrum? 39

ALBERTI Valentinus. Iudicium de eius *Compendio Iuris Naturae orthodoxo* 297. 363. de ipſius *annotatis in H. Grotii I. B & P.* 198

ARISTOTELES. Lutheri de eo iudicium, 346

B.

BECMANNVS Nicolaus, quis fuerit? 96 quomodo Doctor creatus ſit? 29 ingeniis Heroicis accenſetur a Winſtrupio Epiſcopo Lundinenſi, 56. cum collega de Proëdria litigat, 96. cum laniſta ſpectante Winſtrupio congreſſus vapulat. 241. Eius *Medulla Iuſtinianea* 3. 72. *Commentarius ad prima Iuris fundamenta* 72. Salario Lundini priuatur 97. *Indicem Nouitatum* a Ioſua Schwarzio confectum interpolat & edit 98. cum infamia relegatur, 72. 91. 117. 118. Pufendorfio ſub *Veridici Conſtantis* nomine obtrectat, 94. Eius facinora, 100. Sacra mutat & Cardinalis Badenſis Fuldae fit Conſiliarius iocoſus, 116. librum dein *de ſalutari vſu ſancti roſarii* in Francofurtenſi catalogo pollicetur 123. in Danorum in Scaniam irruptione adfinem ſuum, cohortis optionem ſubornat, vt Pufendorfium cum vxore & liberis trucidet, 159. 160

Ad BELLVM quod credant iniuſtum, vtrum cogi ciues poſſint? 37

BOECLERI I. H. *Commentarius in Grotium* commendatur, 167

C.

CARNIFEX an ſupplicium ſumere poſſit ab innocente? 36

CARTESII Renati Philoſophia ex Heluetia proſcripta, 73. an etiam ex Belgio? 173. ea defenditur, 341. arridet Medicis Lipſienſibus. 371

COQVIVS Gisbertus. 35

CRELLIVS ex Magiſtro Lipſienſi Cancellarius Dresdenſis factus. 351

CVLTVS diuini ex religione naturali praecipuae partes. 25

CVMBERLANDVS Richardus Hobbeſii aduerſarius, 37. 103. 168

D.

DEVS, quo ſenſu quaedam agere non poſſe dicatur? 21. cur neminem ex abſoluto Decreto ad infernum condemnet? 22. qua ratione ad actiones humanas concurrat? 219

DIAMETRI ad circulum proportio quomodo accipienda ſit 1 Reg. VII, 23? 2 Paral. IV, 22. 337

E.

ENTIA moralia quid? 28. vnde naſcantur? ib. 185

ESSENTIAE rerum cur aeternae dicantur? 76. 231. ſeq. 304.

F.

FACVLTAS generandi quo fine homini indita? 31. 181

FINGERE quot modis liceat? 284

FOSSIVS Chriſtianus, Schwarzii & Becmanni in factione contra Pufendorfium ſocius, 57

G.

GASSENDVS Petrus, Epicuri dogmata renouauit, 168

GERMANIA, quomodo Pufendorfio dicatur Reſpublica irregularis? 145. 153

GESENIVS Fridericus, Praeſul Garlebienſis refellitur, 89. ſqq. & paſſim.

GROTIVS Hugo, 54. 363. primus Iuris Naturalis Syſtema edidit 163. eius elogium, 166. eius liber de I. B. & P. cur Indici librorum prohibitorum inſertus? 167 an hic liber eius de I. B. & P. ſcriptus ſit Metaphyſice? 351

H.

HABERKORNIVS ICtus Görlicenſis, 121. 132

HOBBESIVS Thomas, 4. eius errores Politicos Pufendorfius praecipue refutauit, 47. eius laus, 167. Epicuri placita in Moralibus renouauit, 168. Caroli II. Regis Angliae de eo iudicium. ibid.

HOFMANNI Profeſſoris Helmſtadienſis lis de duplici veritate, 199. 287

HONESTVM & turpe *per ſe* an ſit primum principium Iuris Naturae? 34. 80

I.

IMAGO Dei quid fuerit? 185

INDIFFERENTISMVS Moralis an à Pufendorfio propugnatus fuerit? 33. 113. 220

INTELLECTVS humanus an poſt lapſum hominis rectus dici poſſit? 38

IVS Naturae ad captum omnium hominum accommodatum eſt, 187. 285. eius principia animis hominum congenita 41 cognitio etiam paganis indulta, ib. ICtis Romanis quid? 188 An ſit ἐκτύπωμα iuſtitiae Dei eſſentialis? 42. 188. Ex literis ſacris haud deducendum, 202. ſeqq. Theologiae non ſubordinatur, 291. 312. ex mente Hebraeorum quomodo differat ab illo vniuerſali? 261. maximam partem circa externas hominum actiones verſatur, 210. 282. 294.

IVSTITIA Dei eſſentialis an ſit archetypa legis naturalis humanae? 111. diuinae & humanae diſcrimen, 23. 190. commutatiua & diſtributiua, 23.

L.

LOGICA Chriſtiana 370

M.

MAGISTRI LIPSIENSES. Inter eos tempore Reformationis nemo fuit, qui Acta Colloquii inter Lutherum & Eccium inſtituti litteris excipere poſſet. 344

MENZERI Balthaſaris, epiſtola de diuortio, 13. 70

METAPHYSICA. Eius ſtudium inane, 244

MONZAMBANO, Seuerinus de. Eo ſub nomine ſe latere negat Pufendorfius, 54. 90. eius ſententiam tamen de Germania tanquam Republica irregulari tuetur 145

MVSAEI, Ioannis laus. 112

No-

N.

NOTITIAE innatae an dentur? 41. 214. 281. ſeqq.

O.

OFFICIA hominum erga ſeipſos vnde deriuanda ſint? 239

OSIANDRI I. A. commentarii ad Grotii I. N. & G. commendantur. 47. 222

P.

PEDANTISMVS, eſt vitium mentis, non literarum, 310

PERFECTIO moralis quid? 195

PHILOSOPHIA Chriſtiana haud procudenda, 205. 290. 312. ſeq. cum reuelatione diuina conformari nec poteſt nec debet. 338

PHILOSOPHIA Scholaſtica, 343

POLYGAMIA, an repugnet Iuri Naturae? 46. 93. a Io. Ad. Oſiandro propugnata, 47

PROTOPLASTORVM ſtatus an paganis cognitus fuerit? 176. 177

PVFENDORFIVS Ienae fit artium Magiſter, 337. Coyetti, Legati Suecici liberis praeficitur Hafniae 105. Quomodo cum Reformatis vixerit Heidelbergae? 18. cur Profeſſionem Inſtitutionum ſibi illic delatam recuſauerit? 63. vxor eius, 54. 108. gener ipſius, 119. Inuidia collegarum Lundinenſium vnde aduerſus eum orta ſit? 3. Hiſtoria factionis, quam Becmannus, Schwarzius, & Foſſius contra eum inierunt, 57. Succorum fauorem in ſe ſuosque ſemper expertus eſt pronilli-mum 56. Lundino a Danis capta Malmogiae tempore obſidionis delitefcit. 159. Loccenio Conſiliario & Hiſtoriographo Suecico ſucceſſor datur, 144

R.

RAMVS Petrus, 345

RELIGIONEM quo ſenſu huius vitae ſphaerae terminari dixerit Pufendorfius? 74. 92. ſeq. 258. ſeq. 278.

RESPVBLICA irregularis quae? 145. 153

ROMANI ius magno ſtudio excoluerunt, 165. ſeq.

S.

SCHARENSCHMIDIVS Carolus refellitur, 134. ſeqq.

SCHARROCKIVS, 350

SCHOLASTICA ingenia, 69

SCHOLASTICORVM Doctorum ſcitis an religio orthodoxa propugnari poſſit? 173. ſeq.

SECKENDORFIVS Vitus Ludouicus in quartam vel quintam Claſſem ſcriptorum reiicitur, 353. eius liber *de Statu Chriſtianiſmi* ib. eiusdem *Orationes Teutonicae* 354

SELDENI Ioannis laus, 163. Iudicium de eius libro de Iure Naturae, 164

SOCIALITAS an adaequatum Ius Naturae cognoſcendi principium ſit? 40. adſtruitur contra Chriſt. Vigilem, 74. Velthemium, 237. Zentgrauium, 277. Strimeſium, 308

STATVS Paradiſiacus, 359

STRIMESIVS Samuel, Profeſſor Francofurtanus. Eius obiectionibus occurritur, 301

SVVM cuique tribuere non eſt adaequatum Iuris Naturae principium, 309

SCHWARZIVS Ioſua, 4. Prof. Theol. Lundinenſis, vir turbulenti & vani ingenii, 60. 162. in Hollandia cum crumeniſecis ludens, viaticum amittit 66. & Hadriani Imperatoris exemplo peregrinationem dein pedeſtri itinere abſoluit, 160. expers ſolidio-

ris

ris doctrinae, ib primus *Indicis Nouitatum* Auctor, 160. 178. 227. e Suecia relegatur; 14. ſeq. 179. 180. ſeqq. & poſtea ſubditos Suecicos in Danorum partes protrahere ſtudet, 4

T.

THEOLOGIA Moralis quid? 17
THEOLOGIAE non competit Cenſura in alias Diſciplinas, 73
THEOLOGORVM non eſt ſatagere de Architectonica Politica, 285

V.

VELTHEMIVS Valentinus, Profeſſor Ienenſis honeſtum *per ſe* tale acriter propugnat, 78. ſeqq. refutatur ib Iudicium de eius *Nucleo Iuris Naturalis*, 87. de eius *Introductione in H. Grotii L. B. & P.* 135. 139. 309. de eius *Synopſi* 187. Odii in Pufendorfium cauſſa 135. Maieſtatem *non ens* eſſe publica Diſputatione profitetur 155. veneratio qua Doctores Scholaſticos proſequutus ſit? 174. Becmanni ſit Archiuarius, 309
VERVLAMII Baconis encomium 167
VIGIL Chriſtianus quis fuerit? 70
VOLVNTAS Diuina quomodo Iuris Naturae principium ſit eſſendi? 230. 263

W.

WAHRENBERGII Sinceri dialogus de Polygamia, 13. 70 eius verus Auctor Pufendorfio in Suecia notiſſimus dicitur, 108
WINSTRVPIVS Petrus quis? 119. Factionis Pufendorfio Lundini aduerſae Protector, 118. 161. 292
WEIGELIVS Erhardus, entia moralia ante Pufendorfium lingua Teutonica expoſuit, 102

Z.

ZENTGRAVIVS Io. Ioach. Prof. Argentoratenſis 262. eius liber de *Origine L. N.* ib. e Doctorum Scholaſticorum fontibus ſapit 263. eius obiectiones diluuntur. 261. ſeqq.
ZIEGLERVS, 363

LIPSIAE.

LITTERIS ADAMI HENRICI HOLLII.

Nr 1314476

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google